c 24 P/2
c 2/.

37
35 E
18

Digitized by Google

Digitized by Google

RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
TOMUS NONUS.

Google

Digitized by Google



...Delin. *Girolamo Frezza scul. Roma con lic. de s.*

Digitized by Google

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES

AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO
AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,

QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS,
ALIARUMQUE INSIGNIUM
BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS
MURATORIUS

SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,

NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO

MEDIOLANENSES PALATINI SOCII

Ad MStorum Codicum fidem exactos, ſummoque labore, ac diligentia caſtigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm noviſſimis auxere.

ADDITIS

Ad plenius Operis, & univerſæ Italicæ Hiſtoriæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipſis autographis deſcribere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum ſpecimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

TOMUS NONUS.



MEDIOLANI, MDCCXXVI.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ
IN REGIA CURIA.
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google


ANTONIUS . I.
PARMÆ
ET PLACENTIÆ
DUX VIII.
Caselli delin.

SERENISSIMO. PRINCIPI.

ANTONIO. I.

FARNESIO.

PARMAE. AC. PLACENTIAE. DUCI.

&c. &c. &c.

JUSTITIAE. PIETATISQUE. CULTORI.
LIBERALIUM. ARTIUM. PATRONO.
NOVO. BONIS. AVIBUS. AUGURATO. IMPERIO.
VITAM. ET. FOELICITATEM.
PRECANTES.


PALATINI. SOCI. MEDIOLANENSES.

IX. RERUM. ITALICARUM. TOMUM.
GRATULATIONIS. ET. OBSEQUI.
MONUMENTUM.

D. D. D.

Digitized by Google

Digitized by Google



SERENISSIMO PRINCIPI

ANTONIO I.

PARMÆ AC PLACENTIÆ DUCI &c.

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS
S. P. D.

P*Ræſtantiſſimam dignitatem, novumque imperium tuum*, SERENISSIME PRINCEPS, *alacres & lætæ frequentium populorum, & clientum acclamationes auxiſſe propemodum cognoveris, & conceptam in animis hominum virtutum tuarum ſpem ab ipſa gratulantium fronte facilè intellexeris; At, quod in tanta exultatione renuens & abnuens vix comprimere poſſis, adulationum illecebræ non rarò paten-*

tes bonorum honeſtis officiis aures ſibi occupant, quod in ipſo dominationis initio præ ceteris periculoſum. Id animadvertentes Palatini Socii ab omni etiam debita laudatione abſtinuimus, ut majorem gratiam apud modeſtiſſimum Principem iniremus ob ſincerius & caſtigatius officium; ſed, ne vacuum omnino, & ferme incivile vileſceret, gratulationi noſtræ munus addidimus, quod ſociali nomine Serenitati Tuæ humiliter offero, aptum, ni fallor, novo Principi, nobis literarum ſtudioſis congruum, ac tempori, quo feliciter à Deo Opt. Max. in Principatum aſſumptus es, conſentaneum: Hiſtoriarum ſcilicet Librum, qui Tomus IX. eſt Rerum Italicarum à Muratorio *noſtro collectarum, cujus à ſolo argumento comperies, quò mens noſtra reſpexerit, cùm Sereniſſimo Nomini Tuo dicatum voluimus.*

In eo ſiquidem res in Italia noſtra geſtæ per ſuperiora tempora recenſentur, & in iis præcipuè regionibus, quas imperio tuo regendas Divina nuper tradidit Providentia. Plura noſtratium Principum domi foriſque egregia facinora, & ne veritatem diſſimulemus, plura etiam vitiorum monumenta ſervantur, queis in effrænes dominatores, ſuo, ſubditarumque gentium exitio degeneraſſe conſtat. Varia bonorum, malorumque fortuna, & varia etiam eorum imago diverſis coloribus effingitur; nam raptus amore bonitatis, vel inflatus odio tyrannidis, excuſſo tormentorum metu, paullò liberiùs

riùs

riùs Scriptorum ſtilus excurrit ; atque inde noſces quam ſibi quiſque famam, quibuſque argumentis comparaverit : ad quod unicè in hac vita Principibus viris maximè inbiandum ; itaut uſui futuram fore lectionem perſuaſum habeamus, imò & gratam, cùm bonas iterum artes mente recolueris, quibus FARNESII *in hanc ſortem evecti ſunt, quam diu ſervarunt, & ſervaturos impoſterum Sanctiſſimos Principes ominamur. Ex horrore item immanis ſævitiæ fructum accipies uberrimum; atque inde manabit in ſubditas tibi gentes felicitas ea, quæ ab immortalitate nominis Tui divelli non poteſt.*

Habes itaque, PRINCEPS SERENISSIME, *velut in ſpeculo aliorum imagines, ad quas tuam componas : eamque ſpecioſiſſimam compoſiturum confide, ſi ad Majores Tuos reſpexeris, quos noſtrorum teſtimonia Scriptorum meritis laudibus exornarunt, quorumque nomen remotiſſimas inter Nationes vivit adhuc illuſtrium factorum memoria, nec vivere deſinet, donec virtutibus honos habeatur. Quod ſi Serenitati Tuæ compertum re ipſa fuerit, à munere noſtro Palatinorum Sociorum, meumque in æternitatem Tui Nominis deſiderium argue, & ſatius ducas reticentes nos laudes tuas, quas in privata fortuna eximia benignitate, ac perpetuo in pauperes amore meruiſti ; ceteras quæ Te Principem decent poſteris eſſe tradituros. Benigno interim patrocinio ſtu-*

dia

dia noſtra fove, ac me vitam & felicitatem enixis à Deo precibus humilique obſequio precantem.

Dabam Mediolani IV. Idus Maji MDCC-XXVII.

Google

E L E N C H U S
TOMI NONI.

JACOBI A VARAGINE Archiepiſcopi Genuenſis Chronicon Genuenſe ab origine urbis ad Annum MCCXCVII. nunc primùm editum ex MSto Codice *Bibliothecæ Eſtenſis*, & cum altero *Bibliothecæ Ambroſianæ* collatum. Pag. 1

STEPHANARDI DE VICOMERCATO Ordinis Prædic. Poëma de geſtis in Civitate Mediolani ſub Othone Vicecomite Archiepiſcopo; antea editum Tom. III. Anecdotorum *Ludovici Antonii Muratorii*; nunc verò collatum cum antiquo MSto Codice *Bibliothecæ Ambroſianæ*, & novis adnotationibus ejuſdem *Muratorii* illuſtratum. 57

RICOBALDI FERRARIENSIS Pomarium Ravennatis Eccleſiæ, ſive Hiſtoria univerſalis ab Anno circiter DCC. uſque ad Annum MCCXCVII. nuper edita à Clariſſimo Viro *Johanne Georgio Eccardo*; nunc verò ope Codicis *MSti Eſtenſis* purgatior, & auctior.
Accedit Compilatio hiſtorica ab initio Mundi ad Annum MCCCXIII. Auctore *Ricobaldo*, ſive altero *Anonymo* Scriptore, qui tunc floruit, ab eodem *Eccardo* itidem evulgata. Denique Compilationis hujus continuatio ſuccedit uſque ad Annum MCCCCLXXIV. Auctore *Johanne Philippo de Lignamine*. 97

CHRONICON Romanorum Imperatorum à Carolo M. uſque ad Ottonem IV. latinè circiter Annum MCCXCVIII. à *Ricobaldo Ferrarienſe*, ut fertur, ſcriptum, poſt ducentos deinde annos à Comite *Matthæo Maria Bojardo* Ferrarienſe in Italicam linguam converſum, ſive Ricobaldo Ferrarienſi ab ipſo ſuppoſitum, nunc primùm ex hujus verſione, quæ ſola ſupereſt, in publicum prodit ex MSto Codice *Claſſenſis Cœnobii*. 279

HISTORIA *Dulcini Hæreſiarchæ Novarienſis* ab Anno MCCCIV. uſque ad Annum MCCCVII. Auctore *Anonymo Synchrono* nunc primùm evulgatur è MSto Codice *Bibliothecæ Ambroſianæ*, unà cum nonnullis animadverſionibus Clariſſimi Viri *Joſeph Antonii Saxii* eidem Bibliothecæ Præfecti. 423

ADDITAMENTUM ad Hiſtoriam F. Dulcini Hæretici ab *Auctore coævo* ſcriptum nunc primùm in lucem prodit ex altero MSto Codice *Bibliothecæ Ambroſianæ*. 443

DINI COMPAGNI Chronicon Florentinum Italica lingua ſcriptum ab Anno MCCLXXX. uſque ad Annum MCCCXII. nunc primùm in lucem emergit ex MSto Codice Clariſſimi Viri *Apoſtoli Zeni*. 463

SYNODUS PROVINCIALIS Pergami habita à *Caſtono*, ſive *Caſſono* Archiepiſcopo Mediolanenſi Anno MCCCXI. ex MSto Codice *Bibliothecæ Ambroſianæ*. 539

CHRONICON *Fratris Franciſci Pippini Bononienſis* Ordinis Prædicatorum ab Anno MCLXXVI. uſque ad Annum circiter MCCCXIV. nunc primùm in lucem effertur ex MSto Codice *Bibliothecæ Eſtenſis*. 581

CHRONICON PARMENSE ab Anno MXXXVIII. uſque ad Ann. MCCCIX. Auctore *Anonymo Synchrono* nunc primùm in lucem prodit è MSto Codice *Bibliothecæ Eſtenſis*. 755

RELATIO de itinere Italico Henrici VII. Imperatoris ab Anno MCCCX. uſque ad Annum MCCCXIII. ad Clementem V. Papam, Auctore *Nicolao Epiſcopo*

Botrontinenſe, anteà edita à Clariſſimo Viro *Stephano Baluzio*; nunc autem in Italicorum commodum recuſa. 883

FERRETI VICENTINI Hiſtoria rerum in Italia geſtarum ab Anno MCCL. ad Annum uſque MCCCXVIII. nunc primùm è *MSto Codice Vicentino* publici juris facta. 935

FERRETI VICENTINI de Scaligerorum origine Poëma circiter Annum MCCCXXIX. ſcriptum ad Canem Grandem Scaligerum Veronæ, Vicentiæ, ac Patavii dominum, nunc primùm prodit ex *MSto Codice Veronenſi*. 1193

JOHANNIS DE CERMENATE Notarii Mediolanenſis Hiſtoria de ſitu, origine, & cultoribus Ambroſianæ Urbis, ac de Mediolanenſium geſtis ſub Imperio Henrici VII. ab Anno MCCCVII. ad Annum MCCCXIII. 1221

VARIANTES LECTIONES, ſeu Supplementa ad Hiſtoriam *Johannis de Cermenate* deprompta ex Codice MSto pergameno *Comitum de Capitaneis*. 1293

INDEX Rerum, & Nominum. 1297

Digitized by Google

JACOBI
A VARAGINE
ARCHIEPISCOPI GENUENSIS
CHRONICON GENUENSE

Ab origine Urbis uſque ad Annum MCCXCVII.

Nunc primùm editum

EX MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ ESTENSIS,

ET CUM ALTERO

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ

COLLATUM.

Digitized by Google

IN CHRONICON
GENUENSE
JACOBI DE VARAGINE
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

AUctor Chronici, quod nnnc primum publicam in lucem effero, eſt *Jacobus a Varagine*, notum apud Eruditionis Eccleſiaſticae cultores nomen. Vulgo is appellari conſuevir *a Voragine*, eique cognomentum hoc acceſſiſſe putat Johannes Trithemius, *ob divinarum Scripturarum crebras allegationes*, quaſi Vorago ſacrarum ſententiarum foret. Ego ineptam hanc interpretationem puto, neque enim Jacobus *a Voragine*, ſed *Vorago*, uti *Petrus Comeſtor*, dicendus fuiſſet. Sunt igitur, qui ipſum a *Viragine* appellandum potius contendant, hoc eſt a loco nativitatis ſuae, atque inter hos Voſſius, & Caveus. Oudinus vero in Lib. de Scriptor. Eccleſ. cum aliis Jacobum *a Varagine* nuncupatum ſcribit, *ab Oppido, quod eſt in territorio Genuenſium non longe a Genua ſitum*. Poſtremae huic ſententiae acquieſcendum puto. Imo certum eſt, a Patria agnomen hujuſmodi inditum fuiſſe Jacobo, tum quod hic eorum temporum mos apud multos eſſet, tum quod Ordinem Religioſum ingreſſo Patria cognomentum praebere conſuevit. Certum item ex Leandro Alberto in Deſcript. Ital. Jacobo noſtro Patriam fuiſſe *Varagium*, Oppidum a Savona decem paſſuum millibus diſtans verſus Genuam euntibus. Oppidum autem illud nonnulli *Viraginem* quaſi *Vicum Virginis* ſomniantes appellant; alii vero, & rectius *Varaginem*. Profecto *Varagium* Latine, & *Varaggio* Italice nuncupatur, atque binc ſequitur, appellandum Jacobum noſtrum *de Varagine*: qua in ſententia tanto magis ſubinde ſum confirmatus, quod Anonymus Scriptor, cui debemus Chronicon MStum, adſervatum in Eſtenſi Bibliotheca, & elucubratum pancis poſt annis a Jacobi morte, boc ipſo Chronico Genuenſi eſt uſus, & non uno in loco appellat *Jacobum de Varagine*.

Ceterum notiſſimum eſt, Jacobum in Ordine Praedicatorum primo militaſſe, tum Anno 1292. ad Archiepiſcopatum Genuenſem fuiſſe evectum. Compertum quoque eſt, virtutes, ac potiſſimum Pietatem, in egregio hoc viro certaſſe, tantamque in eo Caritatem erga egenos & aegros fuiſſe, ut pingues Eccleſiae ſuae reditus fere omnes in eorum ſubſidium erogaret. Et haec quidem invidenda. Nam quod eſt ad ingenium & criterium bominis, quae exſtant ab ipſo conſcripta, ut ut olim, Literis nimium languentibus, magno in bonore forent, nunc certe, judicio cujuſcumque cordati viri, parvi fiunt, hominemque arguunt laboris quidem non parcum, ſed infelicem Eruditionis magiſtrum. Aeque ille nugas & fabulas, ac verum, utpote vir ſimplex, adoptabat, ut propterea ejus *Legenda Aurea*, ſive *Speculum Sanctorum*, *ab bomine oris ferrei*, & *plumbei cordis* ſcripta dicatur, ut Ludovici Vivis, & Melcbioris Cani verbis utar. Famoſum eſt, quod de ipſo reſerunt Blondus, & Philippus Bergomas: nempe Bonifacium VIII. P. M. quum Jacobo, quem factioni Imperiali ſavere exiſtimabat, ſacros cineres die primo Quadrageſimalis Jejunii porrigeret, in Jacobi oculos ipſum cinerem projeciſſe, pro conſuetis verbis dicendo: *Memento, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis tnis in pulverem redigeris*. Verum hoc fabulam ſapit; & ſiquidem verum foret, cenſent Eruditi cautiores, id Porchetto Spinulae Jacobi in Archiepiſcopatu Sncceſſori contingere potuiſſe. Et revera Porchettus in Bonifacii VIII. odium incurrit, ab Archiepiſcopatu proinde dejectus quamquam poſtea reſtitutus. Ea inſuper fuit Jacobi noſtri humilitas, & pietas, ut ejus vitae ac moribus talia minime conveniant; nempe in

non factionum, ſed Pacis fautor perpetuo fuit, quam & ipſe narrat ſe inter Genuenſes dudum diſcordes reſtituiſſe.

Anno 1292. Archiepiſcopum renunciatum fuiſſe diximus. Ipſum biennio poſt e vivis exceſſiſſe, auctor eſt Leander Albertus. Sed fallitur; id enim contigit Anno tantum 1298. Et ſane Chronicon iſtud perduxit ad Anoum uſque 1297. Scribit autem ipſe Jacobus, ſe Anno 1239. miram Solis Eclipſim vidiſſe, quum puer eſſet. Quare illius aetatem intelligas. Ordinem vero Praedicatorum ingreſſus eſt Anno 1244.

Quos Jacobus de Varagine Libros conſcripſerit, Trithemius, Poſſevinus, Caveus, & alii jam memorarunt. Memorar & ipſe in fine Chronici hujus. Eos vero typis editos jam habebamus praeter *Chronicon Genuenſe*, & tamen prae ceteris dignum erat hoc Opus, quod in uſum Eruditorum prodiret. Nam heic multa ſont, quae nobiliſſimam Urbem Genuam, ejuſque Eccleſiae Diptycha illuſtrare poſſuor. Narrationi autem ſuae initium ille facit a Genua condita, eamque perducit ad Annum uſque 1297. quo erupere diſſidia ioter Boniſacium VIII. Papam, & Cardinales Columnenſes, ab ipſo memorata. Verum imperare mihi non potui, ut integrum Jacobi noſtri Chronicon ederem. Quis enim tor gerras, ſabulas, & ſaltationes extra chorum, quibus ſuam hanc Hiſtoriam, tituli immemor, bonus Scriptor iofarcit, aequo animo legere ſuſtinear? Atque haec fortaſſe cauſa, cur hucuſqoe in tenebris latuerit, nullumque ſecundum parentem invenerit hic foetus. Itaque omiſſis ineptis aut ſuperfluis rebus, ea tantum retinui, quae revera nobis hunc laborem, ejuſque Auctnrem commendare poterunt, qui tamen nonnullns Epiſcopos Genuenſes omiſit, nune nobis in melioris Eruditionis luce poſitis cognitos. Et ne quis ſuſpicetur, me impoteoter in Chronicon hocce fuiſſe debacchatum, ira ot ea praetermiſerim, quae meo quidem palato ingrata, alieno vero grata eſſe poſſint, additis pauculis Adnotationibus, certiorem feci quemcumque legentem de iis, quae ſuſtuli, & cauſam appoſui, cur ea ſuſtulerim. In his aurem, quae nunc eduntur, fides Jacobo noſtro minime neganda, utpote qui & *Chronicam Communis Januæ* citat, & *Capharum, qui fuit primus Hiſtoriographus Communis Januæ*, eorum quæ ſcribir vadem laudar.


Monitos tamdem Lectores volo, vix Chronicon hoc e manibus Auctoris exiiſſe, qoum illud ſibi comparare eorum temporum eruditi certarunt: tanta erat fama & exiſtimatio Jacobi. Ac proinde animadvertas, eo fuiſſe uſum Chronographum Anonymum ſupra laudatum, cujus Opus nondum editum, & in Eſtenſi ſervatum, lucem per me videre ſperar. Uſus eſt & Gualvaneus de la Flamma, qui circiter Annum 1330. *Manipulum Florum* heic edendum conſcripſit, & *Jacobum Genuenſem* inter Auctores, qui ſibi erant ad manus, enumerat. Ego vero ad hanc editionem exornandam adhibui Codicem MStum Bibliothecæ Eſtenſis. Quum tamen in illo aliquot folia deſiderarentur, ea ſupplenda curavi a Codice MSto Ambroſianae Mediolanenſis Bibliothecae. Quare gratiae omnium nomine habendae ſunt doctiſſimo Viro *Joſepho Antonio Saxio*, eidem Bibliothecae Praefecto, qui & reliqua contulit cum Codice illo, ut ſperandum ſit, primam haoc editionem ſatis emondatam ſeſe offerre poſſe Lectori.

CHRO-



CHRONICA
DE
CIVITATE JANUENSI
EDITA
A FRATRE JACOBO
DE VARAGINE
ORDINIS FRATRUM PRÆDICATORUM,
DEI GRATIA
ARCHIEPISCOPO JANUENSE.

Incipit tabula ſuper Chronica Fratris Jacobi de Varagine Archiepiſcopi Januenſis.

Vangelica eruditione inſtruimur, ne talentum intelligentiæ nobis à Deo creditum ſub tempore, vel otio abſcondamus, ſed ad menſam Sacræ Scripturæ illud ponentes lucrū multiplicati fœnoris Domino reportemus; ſiquidem Dominus talenta ſua multiplicantes remuneratur, ſervum verò à bono opere ceſſantem, ut inertem damnat. Quapropter quamquam Deo volente, vel ſaltem ipſo permittente de ſecreto Clauſtri reducti ſimus ad publicum munus, non debemus tamen publicis actibus ſemper intendere, nec nos cauſis forenſibus jugiter miſcere; nec enim

A convenit rebus ſemper incumbere perituris, ſed illa potiùs agere in terris, quorum fructus perſeveret in cœlis, dicente Domino: *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui manet in vitam æternam*. Expedit igitur interdum ad quietem mentis revertere, & quàm dulcis ſit Dominus oculo mentis intendere, nonnumquam etiam utile eſt aliqua ſcripto mandare, quæ ad inſtructionem gentium, & ad eruditionem perveniant auditorum. Cogitantes igitur, & ſedula meditatione volventes, quòd multæ Civitates ſunt in Italia, de quibus antiqui Hiſtoriographi magnam faciunt mentionem, mirati ſumus, quòd de Civitate Januenſi tam inclyta, tam nobiliſſima, & potenti, ſatis modica ab ipſis initiis
B quaſi nihil inveniatur. Expreſſam cauſam hujus eſſe credimus, quia Civitas Januenſis, licèt ſit modò potens & maxima, ab antiquo tamen fuit ſatis parva & modica. Hiſtoriographi autem, qui ab antiquo quo ſcripſerunt, non curaverunt de Caſtris, vel parvis Terris magnam facere mentionem, ſed tantùm Civitates magnas & formoſas deſcribere ſunt conati. Nos igitur Hiſtorias Communis Januæ legentes, & ejuſdem

A Chronicas revolventes, necnon & aliquorum Auctorum dicta ſcrutantes, de Civitate Januæ invenimus aliqua, quæ præſenti ſtilo judicavimus adnotanda. In quibus quidem Civitatis Januenſis auctor & tempus exprimitur, ratio nominis exponitur, & multa alia utilia explicantur. Et quoniam mentionem fecimus de regimine, quo modò regitur & gubernatur Janua, ideo de regimine, & Rectoribus quædam poſuimus generalia documenta, ubi etiam quædam memoratio generalis ponitur, per quam Cives utiliter inſtruuntur. In fine autem hujus operis nomina & tempora Epiſcoporum atque Archiepiſcoporum poſuimus, qui in Civitate Januæ uſque ad tempora noſtra præfuerunt. Et ut quilibet quod voluerit faciliùs invenire valeat, B præſentem Chronicam in duodecim Partes, & Capitula plura duximus diſtinguendam.

PARS I.

Prima pars continet, à quo Civitas Januæ fuit ædificata & conſtructa; & iſta pars habet quatuor Capitula. In primo Capitulo oſtenditur, qui fuerint primi ædificatores & fundatores Civitatum. In ſecundo Capitulo dicitur, quòd Janus primus Rex Italiæ Januam conſtruxit & ædificavit. In tertio Capitulo dicitur, quòd Janus Civis Trojæ ipſam jam ædificatam ampliavit & melio- C ravit. In quarto Capitulo dicitur, quòd Janus, qui erat Deus, & ſimulacrum Romanorum, olim in Janua colebatur.

ADNOTATIO.

Tota hæc prima Pars prætermittitur; quæ enim heic habet Auctor, aut fabuloſa ſunt, aut ex eruditionis trivio petita. Nullius autem auctoritate nititur opinio de Jano fundatore, ac amplificatore Genuenſis Urbis. Si tamen quiſquam ingenium hominis hujus perſpicere tantiſper velit, legat quæ ille adfert Cap. III. Iſtud autem, *ſcribit ille*, quod diximus de iſto Jano Cive Trojæ ſcimus tantùm per famam publi- D cam & antiquam. Nos enim filii iſta didicimus, & patres noſtri à ſuis patribus iſta ſimiliter didicerunt. Et ſic generatio hæc nota fecit generationi, & natio nationi, ut poſſimus dicere cum Propheta: Quanta mandavit Deus patribus noſtris nota facere ea filiis, & cognoſcat generatio altera, filii qui naſcentur, & narrabunt filiis ſuis. Moyſes etiam dicit: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; majores tui, & dicent tibi. Iſta igitur etſi non inveniantur in aliqua autentica Hiſtoria, inveniuntur tamen vera, etiam ex publica fama & antiqua. Ubi autem deeſt auctoritas, ſufficit famæ celebritas &c.

PARS II.

E Secunda pars, in qua agitur de tempore conſtructionis Januæ, & iſta pars habet tria Capitula. In primo oſtenditur, quo tempore fuit condita. In ſecundo oſtenditur, quo tempore fuit amplificata. In tertio oſtenditur, quòd Janua fuit à Carthaginienſibus, ſive ab Africanis deſtructa, ſed à Romanis reparata, & quo tempore hoc fuit.

ADNOTATIO.

Jam poſito Jano fundatore Genuæ, non male infert Jacobus noſter Cap. I. tempus ejus fundationis, quæ Romæ originem præceſſit. Inquit autem: Iſta ergo veriſſima & infallibilis opinio habetur manifeſtè, quod à prima ædificatione Januæ uſque ad præſens tempus, in quo currunt Anni Domini MCCXCV. fluxerunt anni duo millia DCCCXLI. *Sed quis te certum fecit de Jano conditore Genuæ? Nutantibus fundamentis cetera ruinam minentur oportet. A Magone Carthaginienſi Genuam vaſtatam Anno ab U. C. DXXXIII. rectè nos docet Jacobus, Livium rei Scriptorem laudans, cujus etiam reliqua verba adfert, ubi de Genua ſermonem habet. Sed utramque paginam exinde noſter implet, referens res geſtas Annibalis, & Populi Romani. Hæc præſtat ab optimis accipere, quam ab Hiſtorico ingenii teretis.*

PARS III.

Tertia pars continet, quare Janua tali nomine fuit vocata, & iſta pars quatuor habet Capitula. In primo ponitur opinio illorum, qui dicunt quòd vocata eſt Janua tam à Jano, qui eam ædificavit, quam à Jano Cive Trojæ, qui ipſam ampliavit. In ſecundo Capitulo ponitur opinio illorum, qui dicunt, quòd vocata eſt a Jano ſimulacro Romanorum, quod antiquitus Januæ colebatur. In tertio Capitulo ponitur opinio illorum, qui dicunt, quòd vocata eſt Janua, ex eo quòd eſt porta & introitus in Lombardiam. In quarto Capitulo ponitur ratio, quare in omnibus Libris antiquis Genua nuncupatur.

ADNOTATIO.

Ne heic quidem Hiſtoricus noſter adfert niſi aut ineptias, aut eruditionem male conſutam, extra chorum fere ſemper ſaltans, & ibi maxime, ubi Genuam a genibus *vult appellatam. Inter cetera inquit:* Genua non ſunt reputata ad retrocedendum, nec ad ſubſiſtendum, ſed ad ambulandum. Sunt quædam Civitates, quæ retroceſſerunt. Aliæ Civitates in ea parvitate, ſive quantitate, in qua cœperunt, in ea perſtiterunt. Civitas autem Januenſis non retroceſſit, nec in ſua parvitate retroceſſit, ſed ſemper ambulavit, quia de parva facta eſt magna, & de magna facta eſt maxima; & ſic ambulavit, ideſt profecit; ideo meritò Genua vocari promeruit. *Non rideat, qui poteſt, ingenioſam hominis ratiocinationem. Contra ferri poteſt, quod ille ex Ugutione quodam habet:* Dicit Ugutio in Libro Derivationum, quod dicitur Janua, non tantùm quia ibi erat Jani Idolum, & cultus ejus, ſed etiam quia eſt Lombardiæ introitus. *Nihilominus hæc nutant; nullus quippe veterum* Januam *appellavit hanc Urbem, ſed quidem* Genuam, *quamquam ingruentibus Barbaris alterum nomen poſtea obtinuerit. Reliqua omittere ſatius viſum eſt, utpote nullius momenti.*

PARS IV.

Quarta pars continet, quo tempore Civitas ad Fidem Chriſti fuit converſa. Et iſta pars habet tria Capitula. In primo Capitulo oſtenditur, quòd totus Mundus culturæ Idolatriæ ſerviebat. In ſecundo Capitulo oſtenditur, quòd Janua fuit prima vel una de prioribus Civitatibus Italiæ, quæ ad Fidem Chriſti fuit converſa. In tertio Capitulo oſtenditur idem per rationem.

AD-

ADNOTATIONES.

Contendit Hiſtoricus, primam in tota Italia, aut unam de prioribus Civitatibus, quæ Chriſti Fidem ſuſceperunt, fuiſſe Genuam. At nullum dat teſtem rei tantæ. Nempe illuſtribus quibuſcumque Urbibus Chriſto addictis in more fuit, ſibi tribuere aut Apoſtolos, aut Apoſtolorum diſcipulos, qui inde ſtatim Idolorum cultum disjecerint. Hinc laus Civitati, hinc poſteris gloria. Facile profecto fuit ſeris ſeculis animo ſuo fabricare hujuſmodi decus, tota licet antiquitate ſilente. Attamen laudat ille in hanc rem Legendam Sanctorum Nazarii & Celſi. *Hæc certe non recens; ſed incertum, an res certas ubique narret. Genuam nullis umquam Hæreſum afflatibus vel leviter contaminatam vult noſter. Non tam facile id quiſpiam demonſtret; ſed ne contrarium quidem facile quiſquam oſtendat.*

PARS V.

Sequitur quinta pars, in qua agitur de triplici ſtatu, quem ſecundùm varietatem temporis habuit Civitas Januæ. Et iſta pars habet tria Capitula. In primo Capitulo agitur, qualis & quanta fuit in ſtatu ſuæ inchoationis. In ſecundo Capitulo ponitur, qualis & quanta fuerit in ſtatu progreſſionis. In tertio Capitulo ponitur, quanta & qualis fuit, & eſt in ſtatu ſuæ perfectionis.

CAPUT PRIMUM.

QUoniam nemo repentè fit ſummus, & omnia magna incipiunt à parvis, & ſumma ab infimis: ideo Civitas Januenſis à parvis incœpit, & de parvis ad magna profecit, & de magnis ad maxima pervénit. Fuit enim in triplici ſtatu, ſcilicet inchoationis, progreſſionis, & perfectionis. In ſtatu inchoationis fuit multùm parva; in ſtatu progreſſionis fuit ſatis magna; in ſtatu perfectionis fuit, & eſt potens & maxima &c.

ADNOTATIO.

Pergit Jacobus exemplo naturalium, corporalium, & ſpiritualium oſtendere, magna à parvis incipere, hoc eſt phaleris onerare chartam. Scholaſtica methodus has merces, hoc eſt has gerras invexit. Ingenue ſubinde ſcribit: Qualis autem, aut quanta Civitas Januenſis fuerit in ſuo ſtatu inchoationis, vel quid egerit, non pervênit ad noſtram notitiam. Aliqua tamen de ipſa leguntur, per quæ ejus parvitas ab initio demonſtratur. Nam Solinus non vocat eam Januam, ſed Janicolam, volens ex hoc ejus innuere parvitatem. Titus Livius non vocat ipſam Civitatem, ſed Oppidum.

CAP. II.

POſtquam vidimus de ſtatu inchoationis noſtræ Civitatis, in quo ſtatu fuit ſatis parva, videamus nunc de ſtatu ſuæ progreſſionis, in quo ſtatu fuit multùm magna. Civitas namque Januæ poſtquam creſcere incœpit, ad magnum ſtatum pervênit, & magna, & magnifica, & victorioſa opera fecit. Et ſi vellemus omnia magnifica & victorioſa opera narrare, quæ fecit, poſtquam creſcere incœpit, quæ quidem in Chronica Communis Januæ continentur, hoc nobis eſſet laborioſum, & opus eſſet de his nos ſcribere magnum librum. Et ideo tantùm quatuor magnifica opera & victorioſa ponemus, quæ in Chronica Communis Januæ ſunt conſcripta. Quælibet enim Civitas tenetur Deo, ſibi, amicis, & inimicis; nam tenetur exhibere Deo honorem, ſibi procurare communem utilitatem, amicis exhibere conſolationem, inimicis verò ſecundùm regulam Evangelicam dare amorem. Sed homines mundani magìs deſiderant de ſuis inimicis habere victorias, quàm eis impendere Caritatem operoſam. Ideo ponemus hìc ad præſens unum opus victorioſum, quod fecit Civitas Januæ in ſtatu ſuæ progreſſionis, quod quidem fuit ad Dei honorem. Aliud, quod fuit ad ipſius Civitatis magnam utilitatem. Tertium, quod fuit ad amicorum & Chriſtianorum magnam conſolationem. Quartum, quod fuit ad magnam Civitatis Januæ victoriam & exaltationem. Primò igitur ponamus factum victorioſum, quod fuit ad magnum Dei honorem: Siquidem hoſtes Chriſti, ſcilicet Saraceni Hieruſalem detinebant, & ubi fuit crucifixus Chriſtus, ibi adorabatur Machometus. Terra illa, quæ conſecrata fuerat Sanguine Chriſti fœdabatur immundis operibus filiorum Diaboli: Sepulchrum, in quo pretioſum Corpus Chriſti jacuerat, in manibus peccatorum & hoſtium deditum erat. Quocirca Januenſes animati, ut tantam injuriam Chriſti vindicarent, & Sepulchrum Chriſti de manibus Saracenorum eriperent, Galêas XL. fortiter armantes Hieruſalem ceperunt, & Godeſredum de Bulliono Regem conſtituerunt. Ceperunt quoque tunc Acharon, & Gibellettum minorem, Cerſonam quoque, & Arzotum, & Tortuſam. Capta autem fuit Hieruſalem Anno Domini MXCIX. Cùm verò ad Sepulchrum Domini acceſſiſſent, rogaverunt Chriſtum, ut lumen de Cœlo eis mitteret, quod mitti aliis temporibus conſuevit. Cùm ergo ſic orarent, viſibiliter viderunt, quòd lumen de Cœlo deſcendit, & lampades XVI. quæ ibi dependebant extinctæ, illo igne divinitus ſunt accenſæ, & ſic omnes Deo gratias retulerunt. Capharus autem, qui fuit primus geſtorum Hiſtoriographus Communis Januæ, dicit ſe prædictæ captioni interfuiſſe, & ſupradictum lumen de Cœlo deſcendere, & lampades accenſas conſpexiſſe. Anno quoque ſequenti armaverunt Januenſes Galêas XXVI. & naves VI. & in Syriam perrexerunt, & mortuo Godeſredo Rege Hieroſolymitano Balduinum Ducem Lothoringiæ fratrem ipſius Godefredi Regem loco fratris conſtituerunt, & Cæſaream, & multas Civitates Saracenorum prœliando ceperunt, in quibus Eccleſias Chriſti creſcere fecerunt. Anno verò Domini MCXVI. (1) Galêas XL. armantes in Syriam profecti ſunt, & Tripolim, & Gibelletum majorem ceperunt, & Civitates illas Chriſti Eccleſiis repleverunt.

Fecit etiam Civitas Januæ in ſtatu ſuæ progreſſionis quoddam aliud factum victorioſum, quod ceſſit ad ipſius Civitatis magnam utilitatem. Nam circa annos Domini DCCCCXXXIII. cùm Januenſes cum Galêis armatis ad quædam loca, ut dicitur, proceſſiſſent, ecce Galêæ plures Saracenorum de Africa venientes Civitatem Januæ hoſtiliter intraverunt, & Civitatem ipſam cum armis percurrentes magnam hominum cædem

(1) *Codex Ambroſ. habet* Anno Domini MCVI. Galeas LX.

dem fecerunt. Ipſam quoque Civitatem theſauris & divitiis expoliaverunt; inſuper parvulos & mulieres captivos & captivas ad ſuam patriam adducebant. Dum igitur receſſiſſent, ecce Galêæ Januenſes ad Civitatem applicuerunt, & audientes caſum tam triſtem & doloroſum, inimicos accenſis animis tamquam leones feroces ſunt protinus inſecuti. Saraceni autem in quadam Inſula Sardiniæ de Buſinariis, quæ Inſula Meror (2) dicitur, reſidebant, ut ſpolia dividerent, & commeſſationibus vacarent. Januenſes ergo hoſtes viriliter ſunt aggreſſi, & omnes gladio trucidarunt, unde uſque hodie, ſicut dicunt illi, qui viderunt, ibidem oſtenditur acervus oſſium occiſorum in teſtimonium tantæ occiſionis factæ. Quocirca Januenſes recuperatis uxoribus, filiis, & theſauris Januam cum immenſo gaudio redierunt. Iſta autem tanta ſtrages hominum, quæ à Saracenis in Janua facta fuit, præmonſtrata fuit Januæ in quodam fonte converſo in ſanguinem, qui una die largiſſimè emanavit in loco, qui uſque hodie dicitur Fontanella, ſicut infra dicetur de Theodulfo Epiſcopo nono.

Fecit & Civitas Januæ in ſtatu progreſſionis ſuæ aliud factum victorioſum, quod fuit in magna Chriſtianorum conſolatione. Siquidem Antiochia Civitas à Saracenis fuerat capta, & Chriſtianis ablata, de quo immenſo dolore Eccleſia, & tota Chriſtianitas fuit afflicta, tum quia erat Civitas nobilis & populoſa, tum quia nomen Chriſtianitatis ibi primò ortum habuit, tum quia B. Apoſtolus Petrus primò Cathedram Pontificalem ibi tenuit, & per VII. annos ibi ſedit, tum quia corona & tonſura Clericorum ibi primò incœpit. Quocirca Summus Pontifex Januenſes requiſivit, ut ad recuperandam Civitatem Antiochiæ exercitum mitterent Galêarum. Januenſes ergo Summo Pontifici obedientes Galêas XL. ſtrenuè armantes in Syriam direxerunt. Anno verò Domini MXCIX. cum magno exercitu Gallicorum, & aliorum peregrinorum ſub Duce Godefredo de Bulliono Antiochiam venientes ipſam potenter ceperunt, Deo magnas gratias referentes. Saraceni verò magno exercitu congregato Antiochiam redierunt, ipſam recuperare volentes; ſed Januenſes cum ceteris Chriſtianis ipſos penitùs fugaverunt, & ſic Januenſes cum victoria magna & immenſo gaudio ad propria ſunt reverſi.

Fecit quoque Civitas Januenſis in ſtatu ſuæ progreſſionis aliud factum magnificum, quod ad magnam victoriam de hoſtibus ei ceſſit. Nam circa annos Domini MCCXX. (3) Januenſes contra Piſanos Galêas XL. & gatas multas, & alia ligna potenter armaverunt, & per Arnum fluvium pergentes, & in terram deſcendentes, ſtentarium, & vexilla, & tentoria fixerunt, & exercitum Piſanorum confregerunt. Et ſic Piſani territi cum eis compoſuerunt, promittentes quidquid Januenſes peterent ſe facturos. Et quoniam Piſani multos Januenſes in carcere detinebant, Januenſes illuc acceſſerunt, & eos inde eduxerunt; & ſic omnia, quæ voluerant ad libitum aſſecuti Januenſes cum magna gloria redierunt.

CAP. III.

Poſtquam vidimus, qualis & quanta fuit Civitas Januenſis in ſtatu ſuæ inchoationis & progreſſionis, nunc reſtat videre, qualis & quanta fuit, & eſt in ſtatu ſuæ perfectionis, in quo
A quidem ſtatu fuit, & eſt potens & maxima. Iſtum autem ſtatum credimus incœpiſſe ab illo tempore, circa quod fuit Archiepiſcopali honore ſublimata. Quod quidem fuit anno Domini MCXXXIII. & tunc etiam Civitas Januæ multùm cœpit creſcere, & nomen ſuum ubique terrarum plurimum dilatare. Dignum enim fuit, ut tunc inciperet ampliùs ſublimari, quando de Epiſcopali honore ad Archiepiſcopalem meruit exaltari, ut ſicut in ea creſcere cœpit ſpiritualis auctoritas, ſic creſceret ſecularis poteſtas, & divitiis & potentia inciperet eſſe glorioſior, quæ facta fuerat Archiepiſcopali dignitate ſublimior. Ab illo igitur tempore divitiis & gloria multùm crevit, & multùm ſuam potentiam &
B dominium ampliavit, & in tantum crevit, quòd ſuam poteſtatem experta eſt magnificentia Regum, gens Saracenorum, & Civitas Piſanorum, & quandoque etiam Venetorum. Iſta autem oſtendimus per antiqua exempla, quæ in Chronica Communis Januæ invenimus, veraci, ut credimus, ſtilo conſcripta. Si enim omnia, quæ ibi de iſta materia ſcripta ſunt, vellemus hic ſcribere, poſſemus nimia prolixitate auditorum animos onerare. Oſtendamus igitur, quomodo potentiam Civitatis Januæ Imperialis & Regalis magnificentia eſt experta. Si enim aliquando Reges, & Principes, vel Imperatores Eccleſiæ contradicere voluerunt, Januenſes ſemper fide inconcuſſa, & devotione ſedula Eccleſiæ adhæ-
C ſerunt, non timentes potentiam Regum, non formidantes animoſitatem Principum, parvipendentes minas, & præcepta Imperatorum.

Anno quidem MCLX. Fredericus Imperator Januam miſit, ut ſolemnes Ambaxatores cum pleno mandato faciendi quicquid præceperit, ad ſuam præſentiam mitterentur. Miſſi ſunt Ambaxatores, non tamen, ut petebat, mandatum plenum habentes. Cùm igitur veniſſent, petiit Imperator, ut Januenſes ſibi homagium facerent, fidelitatem jurarent, obſides ſibi darent, tributa perſolverent, & multa alia gravia poſtulabat. Quæ cùm Ambaxatores audiſſent, inſalutato hoſpite Januam redierunt, & omnia in Conſilio retulerunt. Definitum eſt autem in Conſilio, ut
D omnia, quæ Imperator poſtulabat, denegentur, ſola tamen ſibi fidelitas offeratur. Quod cùm Imperator audiſſet, in iram & furorem maximum eſt excitatus, minans quòd ad Civitatem veniret potenter, & eam ſuæ dominationi ſubjiceret. Januenſes igitur viriliter ſe paraverunt, Civitatem muro cingentes, & alias fortilitias erigentes. Sed cùm Imperator eorum conſtantiam audiviſſet, à ſuo propoſito deſtitit, & ſola fidelitate contentus fuit.

Anno quoque Domini MCLXII. cùm Alexander Tertius canonicè fuiſſet electus in Papam, Federicus Imperator quatuor alios Summos Pontifices per tyrannidem ſucceſſivè eligi procuravit dicto Alexandro totis viribus ſe opponens,
E qui tamen omnes mala morte perierunt; ſicut enim malè intraverunt, ita & malè exierunt: cujus rei cauſâ ſchiſma inter Papam & Imperatorem longo tempore perduravit. Sed cùm Alexander timore Imperatoris non poſſet in Urbe conſiſtere, miſit ad Januenſes ſcribens, ut ipſum de manu Pharaonis eriperent, & ipſum Januam deportarent. Quocirca Januenſes ſex Galêas armaverunt, & ipſum Papam Alexandrum Januam deduxerunt, minas Imperatoris parvipendentes, dummodo Eccleſiæ deſervire poſſent. Poſtea in Fran-

(2) *Cod. Ambroſ. habet* Mentor.

(3) *Cod. Ambroſ. habet* Annos Domini MCXXV. Galeas LXXX.

Franciam ipſum portaverunt. Qualiter autem Frederico Primo, & Octoni, & Conrado, & Frederico Secundo Imperatoribus ab Eccleſia excommunicatis, & Schiſmaticis Januenſes totis viribus in favorem Eccleſiæ reſtiterint, ſufficienter in Chronicis Communis Januæ, & Hiſtoriis omnia reperiuntur expreſſa.

Anno quoque Domini MCCXLIV. cùm alius Fredericus Imperator Dominum Innocentium Papam Quartum in Sutrio teneret obſeſſum, Januenſes Galêas XXIV. armaverunt, & eum de Civitate-Vetula accipientes, ipſum Papam Januam deduxerunt: quod quidem Imperatori diſplicuit vehementer, maximè cùm ſciret, quòd dictus Innocentius Lugdunum pergeret, ut ibi Concilium celebraret, & ipſum ab Imperio deponeret, ſicut ivit, & ipſum depoſuit. Sed Januenſes de ejus indignatione penitùs non curaverunt.

Potentiam quoque Januæ experta eſt gens Saracenorum ſæpe; nam famoſas & magnas Civitates obſederunt, atque ceperunt, ſcilicet Armeniam & Tortoſam, cum ſtolo maximo Galêarum, quas ceperunt Anno Domini MCCXLIV. (4) In captione enim Armeniæ habuerunt Januenſes Galêas XLIV. (5) & naves multas. Capientes autem dictam Civitatem, ceperunt in ea XX. millia hominum, exceptis illis, qui fuerunt in prœlio interfecti.

Sequenti verò Anno Tortoſam accedentes potenter acceperunt. Seriam (6) quoque Civitatem Saracenorum famoſam & populoſam potenter obſederunt Anno Domini MCCXXXII. ubi fuerunt naves magnæ LII. minores verò XXX. Galêas quoque XX. & multa alia Ligna armata. Damiatam quoque Anno Domini MCCXX., adjuvantibus Francigenis, potenter ceperunt.

Potentiam etiam Januæ ſæpe experta eſt Civitas Piſanorum; nam Januenſes ſæpe portum Piſanorum intraverunt, & turres funditus deſtruxerunt; Plumbinum quoque funditus deſtruxerunt, & mulieres, & parvulos Januam adduxerunt. Quid plura? Si vellemus omnes victorias enarrare, quas de Piſanis diverſis temporibus Januenſes habuerunt, fatigaremus calamum, & fortè legentibus faceremus faſtidium, & auditorum gravaremus auditum. Atque ideo, qui iſta ſcire deſiderat, Chronicas Communis Januæ legant, ubi invenient omnia diligentiùs enarrata. Unum tamen opus victorioſum, quod noſtris temporibus accidit, nolumus ſub ſilentio præterire. Anno quidem Domini MCCXLIV. (7) Piſani Galêas XLII. & alia Ligna plura armaverunt, ut Riperiam Januæ percurrerent, & damna multa inferrent. Januenſes verò contra ipſos Galêas XCVI. viriliter armaverunt, in quibus D. Ubertus Auriæ, qui tunc erat Capitaneus Communis Januæ, Admiratus fuit conſtitutus. XXXVI. iſtarum Galêarum per plures dies jam armatæ fuerant, in quibus D. Benedictus Zacharias fuit Admiratus inſtitutus, qui contra Piſanos in Sardiniam fuerat profectus. Et ecce cum ſuo ſtolo ſupervênit, & ſtolo D. Capitanei ſe conjunxit, & cùm Galêæ Januenſes Galêas Piſanorum ſuper portum Piſanum inveniſſent, eas potenter invadunt, ita quòd XXXIII. Galêas ceperunt, quibuſdam aliis in mare demerſis. Quanta autem ſtrages & occiſio Piſanorum ibi fuerit, compaſſio eſſet referre, & ſtupor audire. Numerus enim captivorum, & occiſorum ad decem millia, & ultra dicitur aſcendiſſe. Januenſes autem ex tali victoria nullam pompam, nec vanam gloriam oſtenderunt, ſed Dei magnalia laudaverunt, qui facit mirabilia magna ſolus.

De Civitate verò Venetiarum hoc dicendum eſt, quòd olim ipſi Veneti Januenſibus plurima damna intulerant; & cauſa fuit, quòd Cives noſtri, qui tunc temporis erant, minus providè conſiderantes, ſuper Galêas ſuas gentem ponebant Lombardienſium artis nauticæ inſciam, & marinis prœliis inexpertam. Et cùm ſic indocti eſſent ad remigandum, ideo & ad pugnandum erant inutiles, & ad omnia opera exequenda inexperti & rudes. Tales meliùs ſciunt terram ſcindere, quàm æquoreas undas ſulcare, meliùs ducere curricula, quàm vaſa gubernare marina. Tales languentes ſtomacho & dolore capitis circumventi malunt querulos gemitus emittere, quàm ad hoſtes vivaciter proclamare; malunt proſtrati incumbere, quàm prœliantis conflictus non languentia opera ſuſtinere. Tales igitur homines circa bella pedeſtria occupentur, & ad prœlia terreſtria projiciantur; unuſquiſque enim homo in eo opere plus valet, in quo majus exercitium habet. Propterea Cives noſtri moderni ſalubriori utentes conſilio ſuper Galêas & naves ſuas gentem non ponunt Lombardicam, non alienigenam, ſed propriam atque domeſticam, & ideo poſtmodum de Venetis, & Piſanis, & eorum Galêis pluries victoriam habuerunt.

Unum autem opus victorioſum ponamus, quod moderno tempore eveniſſe ſcimus. Anno quidem Domini MCCXCIV. dum quidam Mercatores de Janua ad partes Romaniæ pergerent, intellexerunt quòd quædam Galêæ Venetorum naves tres Januenſium pretioſis mercibus onuſtas ceperunt, & multa alia gravamina in diverſis locis Januenſibus intulerunt. Erant autem Galêæ Venetorum numero XXIV. (8) & ligna IV. quæ erant XL. (9) remigum. Galêæ verò Mercatorum de Janua erant numero XVIII. & ligna duo numero LXXX. remigum. Dicti igitur Mercatores de Janua zelo patriæ animati apud Peyram onera ſua depoſuerunt, & nobilem virum D. Nicolaum Spinolam, qui ad Imperatorem Græcorum à Communi Januæ ſolemnis nuncius fuerat deſtinatus, in ſuum Admiratum eligentes, ad ferendum auxilium fratribus ſuis profecti ſunt. Priùs tamen per duos Fratres Minores ad Capitaneum Galêarum Venetorum miſerunt, rogantes, quòd cùm inter eos tregua eſſet, fratres ſuos, quos ceperant, cum rebus & navibus liberos dimitterent. Illi autem ſuperbè nimiùm reſpondentes, & de ſua multitudine confidentes ad expugnandas ipſas Galêas Januenſium totis viribus properabant. Januenſes autem prœlium declinabant, maximè quia illi in majori numero nimis erant. Cùm ergo Januenſes cum ſuis Galêis in Layacio ſe recepiſſent, & viderent ſtolum Galêarum Venetorum contra ſe ad prœlium præparare, à portu ſe elongaverunt, & ad ſe defendendum viriliter paraverunt. Et ecce accidit incredibilis victoria, & noſtris temporibus inaudita, de Cœlo, ut credimus, procurata, quia tam paucæ Galêæ Januenſes contra tantam Galêarum Venetarum multitudinem fortiter prœliantes, omnes debellarunt, & XXX. (10) victorioſè ceperunt,

(4) *Cod. Ambr.* MCCXLVIII.
(5) *Cod. Ambr.* LXIV.
(6) *Cod. Ambr.* Setam.
(7) *Cod. Amb. habet* Anno Domini MLXXXIII. Galeas LXII.
(8) *Cod. Ambr.* numero XXVIII.
(9) *Cod. Ambr.* LXXX.
(10) *Cod. Ambr.* XXV.

runt, quæ omnes erant onuſtæ pretioſis mercibus; reliquæ autem fugæ præſidio evaſerunt. In iſto autem facto impletum eſt illud, quod dixit S. Judas Machabæus, prout in Libro Machabæorum habetur. Cùm enim qui erant ex parte Judæ, eſſent pauci, & hoſtes eſſent multi, volens dictus Judas paucos adjuvare, dixit eis: *Facilè eſt concludi multos in manibus paucorum, & non eſt differentia in conſpectu Dei Cœli liberare in multis, & in paucis. Ipſi veniunt ad nos in multitudine contumaci & ſuperbia, ut diſperdant nos; nos verò pugnabimus pro animabus noſtris, & Dominus conteret eos ante faciem noſtram.* Iſta autem verba, quæ dicta fuerunt de illo prœlio antiquo, dici poſſunt per omnia de iſto prœlio moderno. Illi enim erant multi; noſtri verò pauci. Illi veniebant cum contumacia & ſuperbia; noſtri ſtabant pro juſtitia. Illi veniebant, ut ſpoliarent & diſperderent; noſtri fortiter ſtabant, ut ſe defenderent; & ideo facile fuit Deo multos in manibus paucorum concludere, quia non eſt differentia in conſpectu Dei Cœli in multis vel paucis liberare. Cæterùm ipſi Veneti ex ſupradicta ſtrage tam miſerabili, nimio dolore ac rabie perfuſi, conati ſunt tantam ſuam verecundiam verbis & factis tegere, & quibuſdam fictis coloribus palliare. Verbis quidem tegere voluerunt, quia ad diverſas regiones propinquas & remotas ſcripſiſſe & meminiſſe dicunt, quòd jam nolebant in partibus Armeniæ ſeu Syriæ cum Januenſibus confligere, ſed volebant eorum fines potenter invadere, portum violenter intrare, & ipſos triumphaliter debellare. Factis autem tegere voluerunt, quia ordinaverunt, ut nulli Veneti navigare debeant, ſed omnes ad impugnationem Januæ vivaciter ſe diſponant. Inſuper conati ſunt Catallanos & Siculos precibus & promiſſis contra Januenſes ſibi facere fœderatos. Terviſinos quoque, & Paduanos, ac etiam Ferrarienſes, & Cremonenſes, & ceteros juxta ripam Padi habitantes cœperunt in ſui auxilium invocare, & nautas, & bellatores hinc inde conducere. Cœperunt quoque Galêas multas de novo conſtruere, arma & cetera neceſſaria præparare. Videres tunc totam Civitatem Venetiarum rebus nauticis occupari, tumultibus repleri, & vociferationibus agitari; nam hic erat ſtrepitus artificum, ibi fragor armorum, illic clamor irrationabilium populorum. At Januenſes talia audientes, continuò ad defenſionem ſe viriliter accendunt, Galêas conſtituunt, arma præparant, & omnia rebus bellicis neceſſaria diligenti ſtudio ſubminiſtrant, non curantes cum aliquibus confœderationem facere, non bellatores ſive nautas aliunde conducere, non auxilium ab aliquibus mendicare, ſcientes, quòd per ſe ipſos ſunt ſufficientes hoſtibus reſiſtere. Imò de ipſis nobiliter triumphare. Fecerunt igitur Januenſes devietum, ne aliquò navigarent. Fecerunt & edictum, ut omnes Januenſes, ubicumque ſint, Januam revertantur, quamvis pauci dicantur fuiſſe reverſi. Anno ergo Domini MCCXCV. de menſe Januarii nobilem virum D. Ubertum Auriæ Admiratum generalem conſtituunt, & ei omnia ordinandi & tractandi hunc operi expedientia de Conſilio Credentiæ plenam poteſtatem committunt; & quamvis Commune & aliqui Cives haberent plures Galêas, attamen Admiratus de Conſilio Credentiæ multas alias Galêas conſtituit de novo conſtruendas, ita quòd in univerſum habuerunt ducenta & ampliùs corpora Galêarum. Dum iſta ſic fierent, ecce ad aures Summi Pontificis Domini Bonifacii Octavi fama celeri deferente pervênit, quòd Januenſes & Veneti grandes faciunt apparatus, ut mutuò ſe in mari inveniant, vires ſuas alternatim exerceant, & mutua decertatione confligant. Summus autem Pontifex ſupradictus, videns iſtarum duarum Civitatum diſcordiam ad magnam totius Chriſtianitatis cedere poſſe jacturam, & maximè ad impedimentum negotii Terræ Sanctæ, volens tantis obviare periculis, ad utramque Civitatem Legatos ſolemnes tranſmiſit, mandans per literas Apoſtolicas, ut ſolemnes Ambaſſatores habentes plenum mandatum ad ſuam præſentiam tranſmittere non poſtponant; nam Januam Archiepiſcopum Meſſanenſem miſit, Archiepiſcopum verò Reginum Venetias deſtinavit, qui utique ad Civitates ſibi injunctas de menſe Martii pervenerunt. Mihi quoque mandavit, ut pro ipſo negotio ad ſuam præſentiam feſtinarem; Epiſcopum verò Venetorum, qui ad Curiam iverat alia de cauſa, Summus Pontifex retinuerat iſta de cauſa. Per eoſdem etiam Legatos inter utramque Civitatem treguas indixit, quas uſque ad Feſtum S. Johannis Baptiſtæ proximi venturi obſervandas mandavit ſub pœna ſcilicet excommunicationis, quam ipſo facto incurrere voluit tranſgreſſores. Electi ſunt ergo duo Ambaſſatores Nobiles viri, ſcilicet D. Luchettus Gatiluxius, & D. Porchetus Salvaticus, & duo Juriſperiti, ideſt D. Manuel Olbergerius, & D. Petrus de Ugolino. Cùm ergo ad Summum Pontificem iviſſemus, longus de pace ſeu tregua habitus eſt tractatus; ibi enim moram trium menſium & ampliùs contraximus, tum quia Summus Pontifex circa pacem illuſtris Regis Siciliæ, & Siculorum fuerat utiliter occupatus, tum quia duo de Ambaſſatoribus Venetorum Venetias ſunt reverſi, qui tandem poſt diutinam expectationem ad Curiam redierunt. Sed quoniam dicti Ambaſſatores Venetorum ſciebant de armamento tam inclyto, tam magnifico, tamque potenti, quod fieri videbatur per Januenſes, ideo per quoſdam modos latebroſos & occultos totis viribus laborabant, ut ipſum armamentum per Summum Pontificem deberet totaliter impediri, modò Summum Pontificem inducendo, ut tam Venetis, quàm Januenſibus ſub pœna excommunicationis præciperet, ut armamentum dimitterent, & ſibi mutuò cum Galêis obviam non exirent; modò ipſi Summo Pontifici ſuadendo, ut treguas jam finitas uſque ad Feſtum S. Michaelis auctoritate Apoſtolica confirmaret, ſive prolongaret, ut ſic armamentum Januenſium non exiret. Sed quoniam dicit Salomon: *Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum*, ideo Ambaſſatores Januenſium oculati & pennati, ideſt ſapientes & cauti eorum latebras detegebant, & eorum conatus ad nihilum redigebant. At Januenſes videntes tam diu negotium in Curia Romana differri, & nihil ad effectum deduci, conſiderantes etiam, quòd treguæ per Summum Pontificem terminus aſſignatus jam erat elapſus, ideo ad complendum & perficiendum armamentum viriliter proceſſerunt, Comitarias aſſignantes, vexilla diſtribuentes, ſtentarium cingentes, & ſuper ſigna fieri facientes, ita quòd DCCC. (11) ſuperſigna tam ſerica, quàm deaurata fuiſſe dicantur multùm brevi tempore præparata. Et tunc totam Ci-

(11) *Cod. Ambr.* octo millia.

Civitatem Januenſem vidiſſes jubilo immenſo repleri, & totam Riperiam ad gaudium & lætitiam commoveri; nam aliqui incedebant ſericis floribus inſigniti; alii armis fulgentibus adornati; omnes autem nimia exultatione repleti; ſic enim omnes ad iſtam pugnationem properabant, tamquam ſi ad ſpolia dividenda pergerent, vel ad theſauros inveniendos concurrerent, vel ad nuptias properarent. Multi quoque qui remanere poterant, attamen ultro ſe offerebant, ac ſpontanei ibant, imò retineri non poterant. Sicut enim homines conſueverunt cogi ire ad prœlium, ſic iſtos quodammodo oportebat cogi ut remanerent, à prœlio magìs freno retrahendi indigentes, quàm ſtimulo provocandi. Et quod erat mirabile, filius non erat contentus de patre, nec pater de filio, nec frater de fratre, ſed filius patrem, & pater filium, frater fratrem alacritate mirabili ſequebantur. In illo quoque ſtolo ſive armamento tam inclyto fuit tota Nobilitas Civitatis, totus flos juventutis, tota electio Popularis, & tota Riperiæ multitudo. Utinam ſic promti eſſemus & voluntarii ad Chriſti vindicandas injurias, ſicut ſumus ad noſtras. Utinam ſic glorioſum armamentum fuiſſet in recuperationem Terræ-Sanctæ converſum, quia omnes hoſtes Fidei Chriſtianæ, qui tam magnificum ſtolum conſpicerent, vires perderent, territi fugerent, & colla ſubmitterent, ſed ſpero in Deo, quòd alias faciemus pro Chriſto, quomodo feciſſe videmur pro Mundo.

Quid multis moror? A die XV. Julii uſque ad XV. Auguſti Galeæ CC. fuerunt armatæ cum magna gloria & triumpho. Placuit tamen D. Admirato, & Sapientibus, ut ad Galêas CLXV. reducerentur: quod & factum eſt. Ita tamen factum eſt, quòd nulla Galêa foret, quæ ad minus CCXX. armatos homines, ut communiter dicitur, non haberet. Aliæ tamen CCL. aliquæ verò CCC. habuiſſe dicuntur. Quicumque autem Nobilium probos viros de Civitate, vel Riperia ſuper ſuam Galêam habere poterant, expenſis & ſumtibus non parcebant. In illo igitur ſtolo tam magnifico fuiſſe dicuntur XLV. millia bellatorum. Sed homines etiam in Civitate & Riperia remanſerunt, qui ſi oportuiſſet Galêas adhuc armare XL. potuiſſent nobiliter, cuſtodibus in Civitate & Riperia ſufficientibus derelictis. Verùm quoniam Januenſes intellexerunt, quòd Veneti multa verba ampulloſa & jactantiæ plena protulerant, & per diverſas regiones tam propinquas, quàm longinquas ſcripſerant, ſe uſque ad portum Januæ venturos eſſe cum maximo exercitu Galêarum, ut ibi potentiam ſuam oſtenderent, & jura pariter demonſtrarent; ideo ex parte Poteſtatis, Capitanei, & Sapientum Credentiæ Duci Venetiarum literæ directæ ſunt inter cetera continentes, quòd videretur indecens, ſi Januenſes permitterent exercitum Galêarum Venetorum tam longas ſemitas marinas percurrere, tantas æquoreas undas ſulcare, tantam in navigando fatigationem aſſumere, ut ſcilicet uſque ad portum Januenſem navigando venirent: & ideo ei notum faciunt, quòd D. Ubertus Auriæ Admiratus cum ſtolo ſuo Galêarum uſque in Siciliam eis obviam veniet, ut ibi eos aut inveniat præſentes, aut expectet abſentes, & tunc Veneti jura ſua proferrent, & Januenſes ſimiliter jura ſua producerent; & Deus, qui eſt ſecretorum cognitor, & virtum omnium ſapientiſſimus ponderator, utriuſque partis jura judicii ſui ſtatera ponderabit, & unicuique jus ſuum reddet, prout juſtum eſſe perſpexerit, & juſtitia flagitabit. Miſſis igitur literis ſupradictis, receſſit de partibus Januæ cum ſuo ſtolo dictus D. Admiratus ad partes Siciliæ profecturus, habens ſecum ſignum noſtræ ſalutis, ſcilicet ſaluriferum & triumphale veræ Crucis vexillum. Inter hæc de Curia infecto negotio redivimus, & totum ſtolum Galêarum Januenſium de Janua, & finibus receſſiſſe invenimus. Cùm ergo D. Admiratus ad partes Siciliæ perveniſſet, vehementer cum toto ſtolo ſuo doluit, quòd ibi Venetos non invênit. Quocirca D. Admiratus tam in portu Meſſanæ, quàm alibi, per dies XVIII. eos expectavit, Siculis admirantibus, & præ admiratione ſtupentibus, & præ ſtupore quodammodo à ſe ipſis deficientibus de ſtolo Galearum tam magnifico, tam inclyto, tam potenti. Sed certè ſatis diu expectare potuiſſet, quia de ſtolo Venetorum non erat vox aliqua nec ſenſus. Qui enim jactaverant venturos eſſe uſque ad partes remotas Januæ, venire noluerunt uſque ad partes viciniores Siculorum; & qui dixerunt quòd portum Januæ potenter intrarent, ipſi intra ſuum portum ſe viriliter incluſerunt. Januenſes ergo ulteriùs proceſſiſſent, & gulſum Venetorum intraſſent, niſi quòd tempus jam advenerat autumnale. Et quoniam tunc ſæpe fieri temporis mutatio conſuevit, ideo periculoſa fuiſſet tam longa navigatio. Propter quod D. Admiratus eum ſuo ſtolo ad propria cum multa gloria eſt reverſus, & à toto populo glorioſè ſuſceptus, & à nobis præcedente ſalutiferæ Crucis vexillo cum immenſo gaudio & triumpho eſt receptus. Ideoque ipſis Venetis convenire poteſt verbum ſapientiſſimi Salomonis dicentis: *Nubes, ventus, & pluvia non ſequentes, vir vanaglorioſus promiſſa non implens*. Sæpe enim vidimus, quòd nubes magna emittens tonitrua, pluvias magnas comminatur, & tamen ſæpe non facit quod minatur &c.

PARS VI.

Sexta pars continet, & tractat de ſeculari regimine Civitatis Januæ; & iſta pars habet tria Capitula. In primo Capitulo dicitur, quòd Civitas Januæ fuit diverſo regimine gubernata. In ſecundo Capitulo dicitur, quòd tutius eſt regi ab uno, quàm à multis, niſi ipſi ſint in bono uniti. In tertio Capitulo ponitur periculum, quod provenit ex regimine malo, & utilitas, quæ provenit ex regimine bono.

CAP. I.

Civitas Januæ ſecundùm temporum varietatem habuit Rectorum diverſitatem. Nam primò eam rexerunt Conſules, qui de ipſa Civitate annis ſingulis eligebantur, & multa facta victorioſa eorum temporibus fuerunt peracta. Duravit autem regimen Conſulum uſque ad Annos Domini MCLXXXX. Verùm adhuc Civitas regebatur interpolatim modò per Conſules, modò per Poteſtates, & hoc uſque ad Annos Domini MCCXVI. ab illo enim tempore citra non fuerunt aliqui Conſules de Communi, ſed fuerunt ſemper de foris Poteſtates. Et primus Poteſtas fuit D. Manegoldus Civis Brixienſis. Eligebantur etiam annis ſingulis octo Nobiles, ut Poteſtati adſiſterent, & de eorum conſilio Poteſtas ſe regeret. Duravit autem regimen Poteſtatum uſque ad Annos Domini MCCLII. (12) Po-

(12) *Cod. Ambr.* MCCLXX.

Ponere autem nomina Conſulum, & Poteſtatum, nimis eſſet prolixum. Sed qui hæc ſcire deſiderant, in Chronica Communis hoc inquirant. Poſt hoc autem electi ſunt Capitanei, videlicet Nobiles viri D. Obertus Spinula, & D. Obertus Auriæ. Electus eſt quoque Abbas Populi, & Antiani; quamvis enim ſingulis annis Poteſtas aliquis eligeretur, penes tamen iſtos merum & mixtum Imperium remanebat. Duravit autem regimen Capitanei uſque ad Annos Domini MCCLIV. (13) Tamdem rediit regimen ad Poteſtates; Capitanei tamen de foris eliguntur. Abbas verò, & Antiani in ſuo regimine perſeverant; & iſtud regimen nunc currit. Utrum autem iſtud regimen mutandum ſit ulteriùs, ignoramus. Rogamus tamen Deum, ut ſi aliquando mutari debuerit, ſemper in melius permutetur; ſed nihil obeſt regi per Conſules, vel Poteſtates, vel Capitaneos, vel Abbates, dummodo res publica bene regatur. Super hoc tamen poſſumus ponere tale exemplum, quod etiam S. Auguſtinus in parte tangit, videlicet, ſi aliquis homo habeat tres claves alicujus portæ, ſive januæ, una quarum ſit aurea, ſecunda argentea, tertia lignea. Reſpiciendo enim ad pretioſitatem materiæ, multo meliùs valet clavis aurea & argentea, quàm lignea. Sed ſi lignea meliùs aperiret januam, meliùs valeret lignea, quàm aurea & argentea, quantum ſcilicet ad officium aperiendi. Ponamus caſum: tres homines ſunt; unus multùm eſt potens; iſte eſt quaſi clavis aurea. Alius multùm eſt dives, vel ſapiens; & iſte eſt quaſi clavis argentea. Alius eſt pauper, & conditionis infimæ; & iſte eſt quaſi clavis lignea. Certum eſt autem, quòd quantum ad æſtimationem Mundi, plus valent, & plus æſtimantur potentes & divites, quàm pauperes. Sed ſi pauperes meliùs & utiliùs rem publicam regant, quàm potentes & divites, iſti debent meliores reputari, quantum ſcilicet ad officium præſidendi &c. Nihil obeſt, per quoſcumque Civitas noſtra regatur. Si enim meliùs regitur per Conſules, quàm per Poteſtates, meliores ſunt Conſules. Si verò meliùs regitur per Poteſtates, quàm per Conſules, meliùs valent Poteſtates. Si autem meliùs & juſtiùs per Capitaneum & Abbates, meliùs valent iſti, quàm illi. Ille enim ad regimen ſemper eſt præferendus, qui ad regendum magìs invenitur idoneus; in Rectore enim non eſt conſideranda perſonæ qualitas, ſed virtutum probitas, juſtitia, æquitas, matura diſcretio, cordis & animi magnitudo.

ADNOTATIO.

Quæ ſequuntur in laudem concordiæ, & vituperationem diſcordiæ, tanti non ſunt, ut lectoribus propinanda videantur. Quare libens prætermitto.

PARS VII.

Septima pars continet, quales debent eſſe Rectores Civitatum; & iſta pars habet quatuor Capitula. In primo Capitulo ponitur, quòd ipſi Rectores debent eſſe potentes, & magnanimes, ut ſine timore judicent. In ſecundo Capitulo ponitur, quòd debent eſſe Deum timentes. In tertio Capitulo ponitur, quòd debent in ſe habere omnem virtutem. In quarto Capitulo ponitur, quòd odio habeant omnem avaritiam & cupiditatem.

(13) *Cod. Ambr.* MCCLXXXI.

ADNOTATIO.

Nihil heic habet Jacobus de Civitate ſua. Generalia tantum tradit, & obviis Græcorum, & Romanorum Hiſtoriis petita, & quædam de Divinis Scripturis immiſcet. Non hoc ab illo quærimus; meliora enim in mille aliis Libris proſtant. Quare & hæc dimiſimus.

PARS VIII.

Octava pars continet, quales debent eſſe ipſi Cives, & habitatores Civitatum; & iſta pars habet tria Capitula. In primo Capitulo oſtenditur, quòd ipſi Cives debent eſſe in conſulendo diſcreti & maturi conſilii. In ſecundo Capitulo, quòd non debent eſſe vitiis ſubjecti, ſed virtutibus exercitati. In tertio Capitulo continetur, quòd debent eſſe publicæ rei maximi zelatores.

ADNOTATIO.

Et heic nil aliud habetur, quam univerſalis, & male etiam conſuta morum doctrina. Chartæ propterea parcendum. Qui forent & quales Genuæ Cives, gratum nobis fuiſſet audire. At ille quales eſſe debeant, unice oſtendit, imo quales omnium Civitatum incolæ. Canat ille idcirco ſibi, non nobis.

PARS IX.

Nona pars continet de re ſamiliari & domeſtica. Et iſta pars habet ſex Capitula. In primo Capitulo ponitur, qualis uxor ſit ducenda, & qualiter cognoſci poſſit, quæ ſit bona, vel non. In ſecundo Capitulo ponitur, qualiter uxor ſit cuſtodienda. In tertio Capitulo ponitur, qualiter debeant ſe mutuò amare. In quarto Capitulo ponitur, quomodo debeant ſe pacifice habere. In quinto Capitulo ponitur, qualiter parentes ſe debent habere ad filios, & filii ad parentes. In ſexto Capitulo oſtenditur, qualiter Domini ſe debent habere ad ſamulos ſive ſervos, & ſervi ad Dominos.

ADNOTATIO.

Peritiores Magiſtros in hacce doctrina viri Genuenſes & reliqui Cives invenient. Neque utilitas, neque delectatio nobis foret tam vulgaria, adeoque rudi ſtylo conſcripta legere.

PARS X.

Decima pars continet & tractat de ſpirituali regimine Civitatis Januæ. Et iſta pars habet duo Capitula. In primo Capitulo oſtenditur, quo tempore Civitas Januæ fuit Epiſcopali honore decorata. In ſecundo Capitulo oſtenditur, quo tempore fuit Archiepiſcopali dignitate ſublimata.

CAPUT PRIMUM.

QUamvis per aliquam Hiſtoriam tempus non inveniamus expreſſum, quando Civitas Januæ habere meruerit Epiſcopatum, credimus tamen, quòd quando Principes Apoſtolo-

ſtolorum Petrus & Paulus Romæ præſidebant, runc Epiſcopali dignitate meruit decorari. Ratio autem, quæ nos movet ad hoc credendum, eſt iſta. Conſtat enim, Apoſtolos habuiſſe iſtam conſuetudinem, quòd quando aliquæ Civitates, vel aliqui de ipſis Civitatibus ad Fidem Chriſti veniebant, ipſi Apoſtoli mox eis Epiſcopum deſtinabant; unde S. Petrus illis, qui fuerunt in Civitate Ravennæ, ſtatim S. Apollinarem in Epiſcopum dedit. Marcus Evangeliſta illis, quos converterat apud Aquilegiam, S. Hermacoram Epiſcopum ordinavit. Illis autem, quos converterat apud Alexandriam, S. Amanum Epiſcopum aſſignavit. Sanctus quoque Paulus per omnes Civitates, quas convertebat, Epiſcopos ordinabat; unde & Timotheum fecit Epiſcopum apud Epheſum, & Titum apud Cretam. Oſtendimus autem ſupra per auctoritates & rationes, quòd Civitas prima Italiæ, vel una de prioribus, in qua Fides Chriſti fuit publicè recepta, & in qua primò Dei ſacrificia publicè celebrata fuerunt, fuit Civitas Januæ. Fuit autem Civitas iſta ad Fidem Chriſti converſa, ut ſupra dictum eſt, circa Annos Domini XXV. poſt Chriſti Paſſionem; & iſto tempore Principes Apoſtolorum Petrus & Paulus adhuc Romæ in carcere vivebant. Ideo ſatis credendum eſt, quòd B. Petrus, qui erat Papa, quando audivit Civitatem Januæ ad Fidem Chriſti converſam, ad ipſam Civitatem aliquem Epiſcopum deſtinavit. Si enim Apoſtoli ad Civitates converſas & remotas Epiſcopos mittebant, veriſimile & probabile eſt, quòd ipſi Principes Apoſtolorum, qui erant Romæ, ad Civitatem Januæ ad Fidem Chriſti converſam, & ſatis vicinam, Epiſcopum tranſmiſerint. Iſta autem noſtra ratio fulcitur, & roboratur per aliam rationem. Conſtat enim, quòd omnes Hiſtoriographi antiqui, qui ante Chriſti adventum ſcripſerunt, quando volebant de Janua facere mentionem, non appellabant ipſam Civitatem, ſed appellabant ipſam aut Janiculam, ſicut Solinus, aut Oppidum, ſicut Titus Livius. Poſtquam autem fuit converſa, Civitas eſt appellata, ſicut patet in Legenda Sancti Nazarii, in qua Urbs, ſive Civitas nuncupatur. Nazarius verò Anno XXXV. vel circa poſt paſſionem Chriſti in Janua prædicavit, & ipſam Civitatem aut tunc ad Fidem Chriſti convertit, aut jam converſam in Fide confirmavit, ſicut ſuperius eſt oſtenſum. Ex tunc autem Civitas eſt vocata, & ideo videtur, quòd ex tunc fuerit Epiſcopali honore inſignita; nam propriè loquendo, Civitas non dicitur niſi quæ Epiſcopali honore decoratur. Nomina autem illorum primitivorum Epiſcoporum non inveniuntur expreſſa. Primus autem Epiſcopus, nomen cujus exprimitur, fuit Sanctus Valentinus, quem credimus extitiſſe circa Annos Domini DXXX. (14) ſicut infra dicetur. Ante tamen Valentinum credimus alios Epiſcopos extitiſſe; dicitur enim in Legenda Sancti Valentini, quòd mortuo Epiſcopo Januæ, electus eſt in Epiſcopum Sanctus Valentinus. Ex quo manifeſte habetur, quòd ante Sanctum Valentinum jam erat in Janua Epiſcopus. Quot autem Epiſcopi iſtum Valentinum præceſſerint, ignoramus, quia hoc ſcriptum nuſquam invenire potuimus.

CAP. II.

Mutatio dexteræ Excelſi facta fuit, quando Epiſcopatus Januæ in Archiepiſcopatum mutari promeruit. Et hoc quidem fuit ſatis dignum & juri conſonum, & conſentaneum rationi. Sicut enim Civitas Januæ multis Civitatibus imperat, multis populis principatur, & nulli niſi Deo quo ad omnia, & Imperatori quo ad aliqua eſt ſubjecta, ſic & decebat, ut ejus Archiepiſcopus nullius Primatis eſſet Suffraganeus, nulli niſi Summo Pontifici eſſet ſubjectus, ſed ipſe in alios Epiſcopos ſuam juriſdictionem transfunderet, ſuam auctoritatem oſtenderet. Videamus ergo quo tempore, & qua de cauſa Civitas Januæ Archiepiſcopali dignitate fuit ſublimata. Eo quidem tempore hoc fuit, quo electus eſt canonicè in Summum Pontificem Innocentius ſecundus, vir per omnia reverendus, contra quem quædam pars Cardinalium quemdam Romanum nomine Petrum Leonis ſchiſmaticè elegit, & ipſum Anacletum appellavit, cui etiam Populus Romanus favorem & auxilium impendebat. Ipſe quidem Anacletus totum theſaurum Eccleſiæ rapuit, & fautoribus ſuis dedit. Quapropter Innocentius propter potentiam illius Anacleti non valens in Urbe morari, ſuper Galêas Januenſium Januam eſt deductus, Anno ſcilicet Domini MCXXX. Iſte enim Innocentius Papa inter ceteros Cardinales habebat quemdam Cardinalem magnæ prudentiæ & honeſtæ vitæ, cujus nomen Syrus dicebatur, & cùm Sedes Januæ tunc vacaret, ipſum Januenſem Epiſcopum ordinavit. Nec alicui incredibile videatur, quòd aliquis Cardinalis ſit factus Epiſcopus Januæ, quia legimus pluries alibi ſimiliter factum fuiſſe; etenim Cardinales eo tempore non erant in tanto culmine, ſicut modò cernuntur, ſed quilibet Epiſcopus præferebatur cuilibet Presbytero vel Diacono Cardinali. Cùm ergo D. Papa Innocentius moram aliquam in Janua contraxiſſet, Januenſes Galêas armaverunt, & ipſum uſque in Franciam deduxerunt, ubi circa duorum annorum ſpatium commoratus eſt, & tandem Januam reverſus eſt.

Anno à Nativitate Domini MCXXXII. ad preces ipſius Papæ Januenſes ſtolum Galêarum armaverunt, & ipſum Papam Romam portaverunt, ubi favore & auxilio Lotharii Imperatoris turres & fortilitia in Urbe ceperunt, & Anacletum tyrannicè intratum de Urbe penitùs expellentes, Innocentium in ſua Sede reſtituerunt. Romani autem hoc videntes, ad mandatum D. Papæ humiliter redierunt; Januenſes verò ad propria cum ſuo ſtolo Galêarum ſunt reverſi. Et quoniam tunc temporis erat guerra inter Januenſes & Piſanos, D. Papa Cornetum ivit mandans Januenſibus & Piſanis, ut ſuos Ambaſſatores ſolemnes ad ſe mitterent, qui plenam poteſtatem haberent. Cùm ergo Ambaſſatores Cornetum veniſſent, dictus Papa Innocentius eos ad invicem concordavit. Miſit etiam Syro Epiſcopo, ut ad ſuam præſentiam apud Cornetum accederet, intendens ipſum & Civitatem Januæ multipliciter honorare, propter multa & magna beneficia, quæ à Januenſibus fuerat aſſecutus. Cùm igitur dictus Syrus Cornetum veniſſet, D. Papa eum Archiepiſcopum fecit, & Civitati Januæ Archiepiſcopum eum conceſſit, Anno ſcilicet Domini MCXXXIII. Crucem quoque & pallium ſupradicto Syro dedit. Inſuper medietatem totius Inſulæ Corſicæ dedit in feudum Januenſibus pro libra una auri annis ſingulis Romanæ Eccleſiæ perſolvenda, quem tamen cenſum Lucius Papa poſtmodum Communi Januæ remiſit de gratia ſpeciali. Tres enim Epiſcopatus,

(14) *Cod. Ambr.* DXL.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VIT. EM. ...

tus, qui erant in Corſica, & erant Suffraganei Archiepiſcopi Piſani, Archiepiſcopo Januenſi dedit, & Suffraganeos ejus fecit, ſcilicet Epiſcopum Maranenſem, Epiſcopum Nebienſem, & Epiſcopum Alerienſem. Dedit quoque Archiepiſcopo Januenſi alios Suffraganeos, ſcilicet Epiſcopum Bobienſem, & Epiſcopum Bruniatenſem. Alexander verò Tertius Papa propter multa ſervitia, quæ à Januenſibus receperat, Albigaunenſem Epiſcopum fecit Januenſis Archiepiſcopi Suffraganeum. Innocentius autem Quartus Naulum in Civitatem convertit, & Epiſcopum ſibi dedit. & ipſe ut eſſet Suffraganeus Januenſis Archiepiſcopi ordinavit. Ex tunc ergo vocata eſt Provincia Januenſis. Olim enim, ſicut habetur in Hiſtoria Longobardorum, Janua erat de Provincia illa, quæ Alpes Cotiæ dicebatur. Fuit autem quidam Rex, qui Cotia nomen habuit, & in partibus iſtis regnavit, & ab illo Rege tota illa Provincia Alpes Cotiæ nomen accepit. Plinius autem Secundus dicit, quòd Janus fuit de Provincia Liguriæ. Iſte Plinius fuit magnus doctor & Hiſtoriographus, (*& reliqua nihil ad rem facientia.*) Dicit igitur iſte Plinius, quòd Provincia Liguriæ ex parte oræ maritimæ protendebatur à Vintimilio, & flumine Monilia uſque Sigeſtrum, & flumen Macræ, & dicit quòd in iſta Provincia Liguriæ eſt Janua, & flumen Pulciſera. Facit etiam mentionem de Portu egregio Civitatis Lunenſis, & qui modò eſt Portus Veneris, ſed tunc Portus Lunenſis vocabatur. Ibi etiam mentionem facit de Portu Dalfini, & de Portu Vadi. Saonæ autem nullam mentionem facit, quia credimus, quòd tunc temporis nondum erat ædificata, ſed poſt deſtructionem Vadi fuit conſtructa. Sic igitur Civitas Januæ, quæ olim erat de Provincia, quæ dicebatur Alpes Cotiæ, vel de Provincia Liguriæ, poſtquam Archiepiſcopatum habere meruit, de nulla Provincia extitit, ſed ipſa per ſe cum ſua Diœceſi, & Suffraganeis, & Diſtrictu, una Provincia facta fuit, & dicta eſt Provincia Januenſis.

PARS XI.

Undecima pars continet tempora, nomina, & ordines omnium Epiſcoporum, qui in Civitate Januæ fuiſſe leguntur; & iſta pars tot Capitula habet, quot ibi ponuntur Epiſcoporum nomina.

CAP. I.

QUo autem tempore Civitas Januenſis Epiſcopum habere incœpit, in ſuperioribus noſtram opinionem expreſſimus, ſcilicet quòd dum Romæ Petrus & Paulus Apoſtolorum Principes præſiderent, Janua Civitas Epiſcopali honore meruit decorari. Nomina autem illorum Epiſcoporum primitivorum, qui fuerunt uſque ad Valentinum, ad noſtram notitiam minimè pervenerunt; & ideo illis dimiſſis, ſolummodo Epiſcopos illos deſcribemus, quorum nomina præcedentium Patrum ad nos ſcriptura mandavit. Unum tamen omittendum non eſt, quòd de omnibus Epiſcopis, qui fuerunt à Valentino uſque ad Theodulfum, invenimus quidem nomina, ſed tempora non potuimus invenire. Iſtud tamen pro certo ſcimus, quòd Sanctus Syrus, qui fuit Epiſcopus tertius, ante tempora S. Gregorii extitit, quia ipſe Gregorius in Libro Dialogorum de Eccleſia S. Syri Epiſcopi Januenſis expreſſam mentionem facit. Gregorius autem florebat circa Annos Domini DC. Per quantum autem tempus præceſſerit Gregorium, ignoratur. Supponamus tamen, quòd ſaltem per annos XX. eum præceſſerit; tunc enim dicere oportebit, quòd Valentinus, qui fuit Epiſcopus primus de illis, quorum nomina reperiuntur, cœpit circa Annos Domini DXXX. & Felix, qui fuit Epiſcopus Secundus, cœpit circa Annos Domini DLX. & Syrus, qui fuit Epiſcopus Tertius, cœpit circa Annos Domini DLXXX., Romulus, qui fuit Quartus Epiſcopus, cœpit circa Annos Domini DC. & ſecundùm iſtam computationem Gregorius & Romulus eodem tempore floruerunt, ille Romæ, iſte Januæ; & ſicut diximus de prædeceſſoribus S. Romuli, ita & de ſucceſſoribus eſt dicendum. Nam à Sancto Romulo uſque ad Theodulſum non eſt aliud tempus de aliquo Epiſcopo expreſſum. Theodulfus autem cœpit circa Annos Domini DCCCCXXX. & ſic inter Romulum, quem ſupra ponimus incœpiſſe circa Annos Domini DC. & Theodulfum, qui cœpit circa Annos Domini DCCCCXXX. inveniuntur fluxiſſe Anni CCCXXX. & tamen à Romulo ad Theodulfum excluſivè non niſi quinque Epiſcopi inveniuntur. Dividendo igitur æqualiter annos CCCXXX. inter quinque Epiſcopos, cuilibet ipſorum ſaltem annos LXVI. dari oportebit. Sed certè non eſt credendum, quòd quilibet ipſorum Epiſcoporum in Epiſcopatu per tot annos vixerit; & ideo eſt ſupponendum, vel quòd multi Epiſcopi à Romulo uſque ad Theodulſum ſunt prætermiſſi, quorum nomina ex quadam negligentia non fuerint adnotata; vel quòd Eccleſia Januenſis diverſis temporibus per annos plures vacaverit, & anni vacationis non fuerint adnotati; vel fortè utrumque verum fuit. Sed ſive hoc, ſive illud, ſive utrumque verum fuerit, hoc tamen conſtat, quòd ſecundùm computationem ſuperiùs factam à Romulo uſque ad Theodulfum Anni CCCXXX. fluxerunt, & ideo oportet, ut illi Anni inter illos Epiſcopos quinque dividantur, ut ſcilicet Anni LXVI. cuilibet dentur. Incipientes igitur à S. Valentino ceteros Epiſcopos ſubſequentes per ordinem deſcribamus.

CAP. II.

VAlentinus fuit Epiſcopus Primus de iis, quorum nomina leguntur. Cœpit autem circa Annos Domini DXL. Hoc autem dicimus, ſupponendo, quòd Syrus per annos XX. præceſſerit Gregorium Papam; ſi enim per annos plures, quàm per XX. ipſum præceſſit, tunc Valentinus antiquior fuerit, quàm hic deſcribamus. Vixit ergo Valentinus in ætate, ut in ejus Legenda habetur, Annos LXXV. de quo inter cetera legitur, quòd dum quidem comederet, in ejus gutture os carnium ſic inhæſit, ut illud nec retrahere, nec deglutire poſſet. Qui, dum mortis immineret periculum, ad S. Valentinum tota devotione cucurrit, & inter ſe voto facto protinus os illud projecit, & plenam ſanitatem eſt aſſecutus. Puella etiam quædam dum eſſet clauda, & incedere non valeret, S. Valentino eum devotione maxima ſe recommendavit, & ecce in nocte S. Valentinus ſibi apparuit, & eam conſolans & confortans, ipſam erexit, & integræ ſanitati reſtituit. Circa hæc tempora duo fratres gemelli in Gallia claruerunt, ſcilicet S. Merialdus, & S. Goraldus, qui una die gemelli fuerunt nati, una die Pontifices conſecrati, una die mortui, una die à Chriſto aſſumti. Nec ſunt iſta fato, ſive conſtel-

ſtellationibus attribuenda, ſed divinæ ordinationi potiùs adſcribenda. Stellæ enim &c.

ADNOTATIO.

Exſpatiatur heic Scriptor noſter in aſſertores Fati. Quid hoc quæſo ad Hiſtoriam? Tum narrat Theophili Epiſcopi Siculi, qui ſe Diabolo dederat, caſum; & Regis Theodorici geſta, tum Clodovæi baptiſmum, & Maumetis fraudes. O quam belle ſic progreditur Hiſtoria Genuenſis, quam perſcribendam ſuſceperat? Ignoſcatur igitur nobis, quod hæc vulgaria ac inutilia in ſuis tenebris relinquamus.

CAP. III.

FElix Epiſcopus Secundus cœpit circa annos Domini DLX. vixit autem in ætate, ſicut in ejus Legenda habetur, Annos LXVII. (15) Fuit autem Felix Magiſter S. Syri. Dum verò quadam die Miſſam celebraret, & Syrus ſibi miniſtraret, vidit Syrus ſuper caput Felicis flammam ignis deſcendentem, in qua etiam flamma dexteram Dei vidit radiare. Illa autem flamma erat Spiritus Sanctus, qui in ſpecie ignis ſuper caput Felicis deſcenderat. Sic enim ſuper Apoſtolos deſceodiſſe conſtat. Dextera autem Dei ſignificabat virtutem & potentiam Dei, quæ illam hoſtiam, quam Felix ſacrificabat, cœleſti benedictione ſanctificabat. Circa hæc tempora viſæ fuerunt faces igneæ, quæ bellum Longobardorum, & ſanguinem in Italia fundendum repræſentabant, ſicut dicit Gregorius in Homeliis. Albuinus enim, qui erat Rex Longobardorum &c.

ADNOTATIO.

Excurrit heic Jacobus noſter in Alboini, & Roſimundæ facinora, tum in diviſionem Italiæ deſcriptam e Langobardorum Hiſtoria, & in laudem Theodolindæ. Denique aliarum mulierum, quæ aliquid præclari fecerint, encomium inopportunum pertexit. Scilicet his facile Librum componas & infarcias. At ille nos minime heic habebit Lectores. Ad rem tantummodo facit, quod idem refert de Honorato Archiepiſcopo Mediolanenſi, qui Januam fugit, ut à facie Longobardorum, qui adhuc erant Pagani, ſecuriùs conſiſteret.

CAP. IV.

SYrus Epiſcopus Tertius cœpit circa Annos Domini DLXX. (16) Iſte fuit oriundus de Mulazana, & io loco ſuæ nativitatis nobilis Eccleſia eſt conſtructa. Iſte io ſua pueritia ſanctè vivere cœpit, quod in juvencula, quam ſuſcitavit, paict; in ſua juventute & reliqua ſui ætate ſanctiùs vixit, quod patet per baſiliſcum, quem interfecit; io ſua morte ſanctiſſimè finivit, quod patet per pannum ſanguine tinctum, per quem multos infirmos ſanavit. Iſte ſuis meritis acquiſivit Palatio Januæ Terram Sancti Romuli, & Cilimanæ cum omnibus pertinentiis & reditibus ſuis. Item acquiſivit decimam Biſamnis uſque ad flumeo Sturlæ, & deſuper ſtratam uſque ad mare. Item decimam de Calignano tam de domnicatis, quàm de aliis locis. Item decimam de Ravecha à flumine uſque ad mare per viam, quæ venit à Biſamne ante S. Martinum, & ante Hoſpitale S. Stephani uſque ad portam Civitatis. Hujus corpus poſitum fuit in Baſilica XII. Apoſtolorum, quæ modò dicitur Monaſterium S. Syri, quia tunc ibi erat, ut creditur, Sedes Epiſcopalis. Manſit autem ibidem corpus prædictum uſque ad tempora Landulfi Epiſcopi Undecimi, & quia tranſlata eſt Sedes Epiſcopalis ad Eccleſiam S. Laurentii, voluit dictus Epiſcopus, ut Corpus S. Syri illuc transferretur, & repoſitum fuit in choro, ubi nunc eſt introitus Cancellarum. Facta autem fuit hæc tranſlatio circa Annos Domini CMXX. Procedente autem tempore cùm Eccleſia S. Laurentii per Gelaſium Papam deberet conſecrari, Otto Epiſcopus Decimusoctavus Corpus S. Syri de loco Cancellarum ſuſtulit, & ſubtus Altare ipſius Martyris venerabiliter collocavit. Iſta translatio facta fuit circa Annos Domini MCXVII. Tempore quoque procedente, Bonifacius Archiepiſcopus Tertius Corpus S. Syri de ſubtus Altare ſuſtulit, & ipſum ſuper Altare S. Laurentii in archa marmorea reverenter repoſuit. Iſta translatio facta fuit Anno Domini MCLXXXVII. Nos quoque præſente Provinciali Concilio ad omnem ambiguitatem tolleodam capſam ipſam aperuimus, & omnia S. Syri invenimus, prout infra titulo noſtro dicetur. Iſta revelatio facta fuit Anno Domini MCCXCIII. menſe Junii. Ejus quoque Legendam diligenti ſtudio compilavimus, in qua miracula multa ſunt poſita, quæ à fide dignis audivimus, quæ quidem in veteri Legenda non erant conſcripta. Circa hæc tempora Levigildus Rex Gothorum &c. Ea autem, quæ dictus S. Syrus in Epiſcopatu laudabiliter fecit, & miracula, quæ per eum Dominus operatus fuit, ſi quis ſcire voluerit, in Legenda ſua perquirat, & ibi ſufficienter ea inveniet recitata.

CAP. V.

ROmulus Epiſcopus Quartus cœpit circa Annos Domini DC. Iſte fuit homo magnæ ſanctitatis, quoad Deum, magnæ honeſtatis, quoad ſe ipſum, & magnæ pietatis, quoad pauperes. Erat autem Villa quædam tunc juxta litus maris, quæ dicebatur Mauritiana, quæ B. Syro data fuerat pleno jure. Ad hanc Villam cùm dictus Romulus quadam vice veniſſet, & ibi infirmatus fuiſſet, beato fine requievit ibidem, cujus corpus ibidem fuit venerabiliter tumulatum. Ad cujus ſepulchrum crebra miracula fiebant; nam cœci viſum, claudi greſſum, leproſi mundationem, alii infirmi curationem recipiebant: propter quod incolæ regionis illius dictam Villam *S. Romulum* vocaverunt. Poſt verò multa tempora Saraceni & Africani terras maritimas invadentes illam Villam funditus deſtruxerunt, propter quod habitatores ſe ad montana reducentes, ut ab hoſtibus tuti eſſent, Caſtrum, quod nunc dicitur S. Romulus, ædificaverunt. Nondum tamen opportunitas occurrerat, per quam poſſet Eccleſia S. Romulo fabricari, & corpus ſuum transferri, & ideo corpus ejus remanſit io Villa Mauritiana, donec per Sabatioum Epiſcopum ad Eccleſiam Januenſem fuit translatum. Circa hæc tempora cùm Sigebertus infans filius Dagoberti Regis &c.

CAP.

(15) *Cod. Ambr.* LXXVII.

(16) *Cod. Ambr.* DLXXX.

CAP. VI.

SAbatinus Epiſcopus Quintus cœpit circa Annos Domini DCLVI. Iſte tranſtulit Corpus S. Romuli de Villa Mauritiana ad Eccleſiam Januenſem ; nam cùm Saraceni Villam illam deſtruxiſſent , dictus Sabatinus Epiſcopus illuc perrexit , & Corpus S. Romuli Januam honorificè deduxit, & ſub Altare S. Laurentii incapſa marmorea venerabiliter collocavit . Conveniens quidem fuit, ut S. Romulus non niſi in Civitate ſua requieſceret , ut ubi tres ſui prædeceſſores S. Valentinus , S. Felix , & S. Syrus quieſcebant , ipſe quoque requieſceret cum eiſdem . Iſti quatuor Sancti ſunt quadriga Dei , ſuper quam Civitas Januæ exemplis regitur, doctrinis conſulitur, & meritis fœcundatur. Iſti quatuor ſunt venti Cœli, qui nos per mare hujus ſeculi navigantes à fluctibus protegunt , & à ſcopulis improviſis deſendunt , & ad portum quietis æternæ perducunt . Iſti ſunt quatuor gemmæ Dei in corona Eccleſiæ Januenſis collocatæ &c. Circa hæc tempora in Anglia Beda Doctor eximius , & Monachus perfectus floruit &c. Ejus corpus & oſſa venerabilia poſt multum temporis Januam fuerunt delata , & in Monaſterio S. Benigni de capite Faris ſunt venerabiliter tumulata , ubi Feſtum ſolemne agitur , & in devotione multa habentur.

CAP. VII.

VIator Epiſcopus Sextus cœpit circa Annos Domini DCCXLII. Hujus tempore oſſa B. Auguſtini Epiſcopi , procurante Rege Longobardorum nomine Liprando Chriſtianiſſimo de Sardinia uſque Januam ſunt delata : quod cùm audiſſet dictus Rex , ſibi de Papia uſque Januam obviavit . Dum verò Rex vellet ipſa oſſa Papiam facere deportari, in tantum ponderaverunt, quòd nullo modo levari à vectoribus potuerunt. Tunc Rex B. Auguſtino votum vovit, quòd ſi dimitteret ſe levari, & Papiam deduci , Eccleſiam in honorem ſuum in loco ſcilicet illo , ubi apud Januam fuerat hoſpitatus , faceret ædificari . Facto igitur voto ſtatim illi , qui corpus deportabant, leviter levaverunt, & Rex votum ſuum fideliter adimplevit . At ubi modò ſit iſta Eccleſia , non invenitur , nec ſcitur . Quidam tamen dicunt , quòd eſt Eccleſia S. Thomæ; alii quòd eſt Eccleſia S. Theodorici ; alii quòd eſt Palatium Archiepiſcopi , quod eſt apud S. Silveſtrum , ubi prædictus Rex fuerat hoſpitatus , & ideo Palatium illud conſtruxit , & Capellam S. Auguſtini ibi ædificavit , quæ ibidem uſque hodie perſeverat . Circa hæc tempora Leo Imperator Imagines Chriſti &c.

CAP. VIII.

DIoniſius Epiſcopus Septimus cœpit circa Annos Domini DCCLXXXVIII. Hujus Epiſcopi tempore Karolus Imperator in Civitate Januæ Synodum celebravit , ſicut in geſtis legitur ipſius Imperatoris . Quo tempore Deſiderius Rex &c.

CAP. IX.

SIgibertus (17) Epiſcopus Octavus cœpit circa Annos Domini DCCCLXIX. Circa tempora hujus Epiſcopi fuit quædam mulier ſcientiis multis prædita, & eloquentia præclara, quæ in habitu virili ad Curiam Romanam acceſſit &c.

(17) *Cod. Ambr.* Sigimbertus.

ADNOTATIO.

Johannæ Papiſſæ fabulam nunc putidam bonus hic homo tam bellam cenſuit , ut veluti gemmam Chronico ſuo inſertam, quamquam ſine ulla neceſſitate , voluerit . Nos progrediamur. In Codice Ambroſiano ſcriptum . Circa Annos Domini DCCCLXIII.

CAP. X.

THeodulfus Epiſcopus Nonus fuit . Ab iſto autem Epiſcopo uſque ad tempora noſtra invenimus de omnibus Epiſcopis & Archiepiſcopis annos & tempora, quibus præfuerunt . Invenimus enim partim iſta ex Regiſtro, quod in noſtro Palatio conſervatur, partim ex Chronicis Communis Januæ . Cœpit dictus Epiſcopus circa Annos Domini DCCCCXXX. & vixit in Epiſcopatu Annos XXXVIII. Tertio autem anno ſui Epiſcopatus , ſcilicet Anno Domini DCCCCXXXIII. accidit in Civitate Januæ quoddam monſtrum terribile , & doloroſum ; nam ſicut refert Philibertus in Chronica ſua , & Vincentius in ſua , fons ſanguinis largiſſimè emanavit in Civitate Januæ, prædicens ipſius Civitatis futuram cædem pariter & ruinam. Nam eodem anno à Saracenis & Africanis Civitas fuit capta, & theſauris omnibus exſpoliata , & occiſorum ſanguine cruentata ; omnes enim præter mulieres & parvulos , & quoſdam, qui ſe ad montana receperunt , interfecerunt, ipſis parvulis , & mulieribus in captivitatem deductis . Iſte fons ſanguinis emanavit in loco, qui dicitur nunc Fontanella ; locus enim ille ab illo tali ſonte ſanguinis Fontanellæ nomen accepit. Qualiter autem mulieres , & parvulos , & theſauros poſtea recuperaverint, dictum eſt ſupra in Parte Quinta Capitulo Secundo. Circa hæc tempora cùm Ludovicus, qui erat de genere Francorum , teneret Imperium , nec contra Longobardos Eccleſiam adjuvaret , Jus Imperii de Francis ad Theotonicos eſt tranſlatum &c.

ADNOTATIO.

Vide hominis ſupinam ignorantiam . Confundit cum tranſlatione Imperii ad Germanos eam, quæ contigit de Græcis in Francos . Somniat quoque Ludovicum de genere Francorum tunc Imperatorem ; ſed & his charta impletur .

CAP. XI.

LAmbertus (18) Epiſcopus Decimus cœpit circa Annos Domini DCCCCLXVIII. & vixit in Epiſcopatu Annis XVII. Circa hæc tempora fuit quidam Papa , nomine Silveſter , qui dum adhuc eſſet juvenis & in laicali habitu &c.

ADNOTATIO.

Hæc erat olim apud nonnullos bonos Hiſtoricos conſuetudo : quo plus narrationes fabulam ſapiebant , illæ avidius arripiebantur , & tanquam

(18) *MS. Ambr.* Rambertus.

quam puræ putæ veritates repetebantur in Libris. Quæ de Silveſtro iſto Papa enarrantur, ad veterum fictiones ſunt amandanda.

CAP. XII.

LAndulfus Epiſcopus Undecimus cœpit circa Annos Domini DCCCCLXXXV. & vixit in Epiſcopatu Annos XXX. Iſte tranſtulit Corpus S. Syri in Baſilicam XII. Apoſtolorum, quæ hodie Monaſterium S. Syri dicitur, ad Eccleſiam S. Laurentii Cathedralem, cujus Corpus repoſitum fuit in Choro ejuſdem Eccleſiæ, ubi modò eſt introitus canzellarum. Cauſa autem quare ipſum transferre voluit, fuit duplex; una eſt, ut ipſum Corpus pretioſum ſecurius in Eccleſia S. Laurentii conſervaretur; tunc enim temporis Monaſterium S. Syri erat extra muros Civitatis, & Saraceni & Africani ſæpe cum Galêis veniebant, & Eccleſias ſpoliabant, & ideo ad Eccleſiam S. Laurentii tantus theſaurus translatus fuit, ut ibi magis eſſet ſecurus. Secunda cauſa fuit, quòd cùm S. Syrus fuiſſet Januenſis Epiſcopus, dignum erat & magis conveniens, ut quieſceret in Eccleſia Epiſcopali, quàm in Eccleſia Monachali. Circa hæc tempora fuit quidam Rex Francorum, nomine Robertus, Deo valde devotus, ſcientia & vita præclarus. Iſte multas Sequentias, & Reſponſoria ad honorem Sanctorum compoſuit; nam ut quidam dicunt, fecit Sequentiam, quæ incipit: *Sancti Spiritus adſit nobis gratia*. Iſte etiam Rex tantæ devotionis fuit, quòd ſæpe Cappam ſericam in choro deferebat, & chorum regebat. Cùm verò quodam tempore quoddam Caſtrum ſuum, quod ſibi rebellaverat, obſideret &c. Tempore iſtius Epiſcopi Landulfi, ſcilicet Anno Domini DCCCCLXXXX. dicitur ædificata fuiſſe Eccleſia S. Mariæ de Vineis per Obertum Vicecomitem, & Guidonem de Carmadino.

CAP. XIII.

JOhannes Epiſcopus XII. cœpit circa Annos Domini MXV. & vixit in Epiſcopatu Annos XXX. Tempore hujus Epiſcopi Ungari ad Fidem Chriſti converſi ſunt per Gallam ſororem Henrici Imperatoris Stephano Regi Hungariæ in uxorem traditam &c.

CAP. XIV.

COnradus Epiſcopus XIII. cœpit circa Annos Domini MXLV. & vixit in Epiſcopatu Annos XX. Iſti Conrado Epiſcopo confirmatum fuit Caſtrum S. Romuli, & Cecilianæ cum omnibus pertinentiis ſuis per nobilem virum Conradum Comitem Vintimilii, ſicut patet per publicum Inſtrumentum, quod in Archiepiſcopatus ſcrinio reſervatur. Tempore hujus Epiſcopi fuit electus in Papam Alexander natione Mediolanenſis, contra quem Epiſcopi Lombardi Parmenſem Epiſcopum in Papam eligere conati ſunt. Piſani autem illi Parmenſi Epiſcopo intruſo auxilium magnum dabant. Januenſes verò Alexandro fideliter adhæſerunt, qui Alexander poſtmodum pacificè Papatum obtinuit & poſſedit. Circa hæc tempora fuit Comitiſſa Matildis, quæ filiam B. Petri ſe vocans, Eccleſiæ contra Imperatorem adhæſit, & ſinè liberis decedens patrimonium ſuum ſu-

A per Altare B. Petri obtulit, unde uſque hodie Patrimonium S. Petri vocatur. In iſta ſancta fœmina completum eſt illud, quod dicitur in Eccleſiaſtico: Quia eſt mulier melior viro. Quamvis mulier fuerit, tamen virilem animum ſemper habuit, & Eccleſiæ devotiſſima fuit, & filium Imperatoris in maritum accipere recuſavit pro eo, quòd Imperator contrarius Eccleſiæ videbatur. Si quis ejus Genealogiam ſcire deſiderat, ſcire debet, quòd Sigefredus genuit Actonem, Acton genuit Thealdum, Thealdus autem genuit Bonifacium, Bonifacius genuit Comitiſſam Matildam. Iſta autem cùm viro ſuo filium genuiſſet, propter dolores, quos ibi ſenſit, noluit poſtea viro ſuo conjungi, & ſic
B illo puero mortuo tota ſua progenies finita fuit. Iſta Comitiſſa multas Civitates in Lombardia habuit, ſcilicet Mantuam, Ferrariam, Mutinam, Regium, & Parmam, quæ ſinè herede decedens Eccleſiam Dei fecit heredem. Circa hæc tempora floruit Lanfrancus natione Papienſis Doctor eximius, & Magiſter Anſelmus Doctor præcipuus. Iſte Lanfrancus &c.

CAP. XV.

ALbertus, ſive Obertus XIV. Epiſcopus cœpit circa Annos Domini MLXV. & vixit in Epiſcopatu Annis XIX. Hujus Epiſcopi tempore Ildebrandus Prior Cluniacenſis factus
C eſt Cardinalis, & poſtmodum in Franciam Legatus eſt directus. Iſte tanti zeli fuit maximè contra Simoniacos, quòd eos ubique perſequebatur. Verùm cùm Archiepiſcopus Ebrudunenſis Simoniæ vitio depravatus eſſet, & per Simoniam intraſſet &c.

CAP. XVI.

COnradus Epiſcopus XV. cœpit circa Annos Domini MLXXXIV. & vixit in Epiſcopatu annis VI. Hujus Epiſcopi tempore Ildebrandus, de quo ſupra dictum eſt, factus eſt Papa & Gregorius appellatus eſt. Iſte Synodo celebrata excommunicavit omnes Clericos
D Occidentalis Eccleſiæ uxoratos, & concubinarios, & eorum Miſſas penitùs audiri interdixit, de quo tantum ſcandalum eſt exortum, ut nullius Hæreſis tempore Sancta Eccleſia graviori ſchiſmate ſit concuſſa, ita quòd fautores Henrici Imperatoris Guibertum Archiepiſcopum Ravennæ Papam ſchiſmaticè creaverint, & Gregorium depoſuerint. Piſani quoque Guiberto Schiſmatico totis viribus adhæſerunt; Januenſes verò Gregorio auxilium fideliter præbuerunt. Dictus verò Gregorius Henricum Imperatorem excommunicavit, & Guibertum perpetuo anathemate damnavit. Circa hæc tempora fuit quidam vir potens & dives, quem ſubitò comedentem innumerabilis murium multi-
E tudo vallavit &c.

CAP. XVII.

SIriacus (19) Epiſcopus XVI. cœpit circa Annos Domini MXC. & vixit in Epiſcopatu Annis IX. Hujus Epiſcopi tempore mortuus eſt ſupradictus Papa Gregorius, & ſucceſſit ei Papa Urbanus, qui Guibertum Archiepiſcopum Ravennatem, qui Papatum uſurpaverat, & Henricum Imperatorem, qui ſibi favebat, excommunicavit, & in Franciam timore dicti Impera-

(19) *MS. Ambr.* Giriacus.

peratoris fugit. Inde autem ad Januenſes ſeripſit, A & Legatum Januam deſtinavit, rogans eos tamquam filios Eccleſiæ & devotos, ut Terræ Sanctæ ſubvenirent; & cùm aliæ Civitates auxilium denegarent, Januenſes armaverunt tam navium, quàm Galéarum exercitum copioſum, & in Syriam ſunt profecti, habentes ſecum Galêas XL. ubi erant multi peregrini Cruce-ſignati, & multi Nobiles & Barones ſub Godofredo de Bulliono Duce Lotharingiæ, qui omnes Antiochiam perrexerunt, eam à Saracenis recuperare volentes. Sanctus autem Andreas Apoſtolus cuidam viro fideli, & devoto apparuit, dicens: *Veni, oſtendam tibi Lanceam, cum qua perforatum fuit latus D. N. J. Chriſti. Iſtam Lanceam ante exercitum portabitis, & victoriam obtinebitis*. B Cùm ergo dictus vir locum ab Apoſtolo oſtenſum inveniſſet, Duci exercitus aliiſque Principibus hoc ſtuduit intimare. Ipſi ergo in loco illo fodientes, ipſam Lanceam invenerunt, qua inventa, tamquam certi de victoria ipſam Lanceam ante exercitum cum reverentia deportabant, & ſic ad Antiochiam viriliter accedentes, ipſam de manibus Saracenorum recuperaverunt; exercitum quoque magnum Saracenorum, qui Antiochiam redierant, & ipſam obſidebant, debellaverunt. Ad præſens autem hoc dixiſſe ſufficiat, quòd quatuor modis oſtenditur, quòd illæ fuerunt Reliquiæ, quas Januenſes de ſtrania terra detulerunt, & fuerunt Reliquiæ S. Johannis Baptiſtæ. C Et primò oſtenditur ſcripturis, nam in multis Legendis antiquis S. Nicolai legitur, quòd ſupradictæ Reliquiæ ſervabantur ibidem. Secundò hoc oſtenditur juramentis; Monachi enim dictæ Eccleſiæ coram Januenſibus juraverunt, quòd à patribus ſuis, qui præceſſerant, pro certo habebant, quòd illæ erant Reliquiæ S. Johannis Baptiſtæ. Tertiò hoc oſtenditur miraculis, quæ quidem facta fuerunt, dum portarentur, & poſtquam fuerunt deportatæ. Quartò hoc oſtenditur Privilegiis Apoſtolicæ Sedis; nam Alexander Papa Tertius, & Innocentius Quartus hoc ſuis Privilegiis approbarunt, ſcribentes per univerſas Provincias, quomodo Reliquiæ S. Johannis D Baptiſtæ ſunt Januæ, & hortantes, quòd omnes illuc accedant, & Indulgentiam omnibus accedentibus largientes. Januenſes cum ceteris peregrinis Saracenos penitùs fugarunt, & ſic ad propria redierunt Anno Domini MXCIX. Dum verò quædam naves Januenſium ab expeditione Antiochiæ redirent, & ad Portum Patras applicuiſſent, iverunt Myream, quæ vulgariter dicitur Strenua-Terra, ubi Corpus S. Nicolai olim quieſcebat, & ubi etiam Corpus S. Johannis Baptiſtæ ſervabatur. Januenſes igitur Reliquias S. Johannis Baptiſtæ accipientes Januam deportaverunt; & quoniam dicitur in Hiſtoria translationis dictarum Sanctarum Reliquiarum, quòd tunc Sedes Pontificalis vacabat, videtur E quòd deportatæ fuerint mortuo Ciriaco, & nondum electo vel confirmato Ayraldo, ſcilicet Anno Domini MXCIX. Sed quia nos, annuente Domino, ſpecialem tractatum de tranſlatione dictarum Reliquiarum S. Johannis Baptiſtæ facere intendimus, ideo ſub compendio pertranſimus.

CAP. XVIII.

AYraldus Guaracus Epiſcopus XVII. cœpit circa Annos Domini MXCIX. & vixit in Epiſcopatu Annis XVII. Anno verò ante hujus Epiſcopi electionem Januenſes jam armaverant Galêas XL. cum quibus in Syriam profecti ſunt, ceperuntque cum exercitu peregrinorum Hieruſalem, & Acharon, & Gibelletum minorem, Antiochiam quoque illis temporibus, ut dictum eſt ſupra, ceperunt & Geſonam, Arcotum, & Tortoſam, & Godefredum de Bulliono Regem Hieruſalem creaverunt; ipſe tamen ob humilitatem numquam voluit portare Coronam auream, ubi Chriſtus portaverat Coronam ſpineam. His etiam temporibus Januenſes ceperunt Baruchim, & Sidonem. Qualiter autem Januenſes prædictis captionibus ſemper interfuerunt, & auxilium præbuerunt, ſcriptum erat literis aureis in tidina Sancti Sepulchri. In quibus etiam Civitatibus Januenſes multa jura & Regalia habere conſueverunt. Hujus Epiſcopi tempore, ſcilicet Anno Domini MCI. vas ſmeraldinum, quod vulgariter dicitur ſcutello S. Laurentii, fuit Januam deportatum. Videamus igitur, qualiter dictum vas fuit habitum, & ad Civitatem Januæ delatum.

Anno quidem Domini MC. Januenſes Galêas XXVI. & naves VI. in Syriam direxerunt, ubi etiam per totum illum annum moram fecerunt. Invento autem; quòd Godofredus Rex Hieroſolymitanus erat mortuus, elegerunt omnes Chriſtiani Balduinum fratrem ejus in Regem. Dictus autem Balduinus, & exercitus Januenſium, & Galéarum, ceterorumque Chriſtianorum, qui in partibus illis erant, ad Cæſaream Civitatem Saracenorum audacter acceſſerunt, & potenter ipſam obſederunt, & triumphaliter ipſam ceperunt. Januenſes quidem ad Portum Jopen venientes, & Galêas ad terram trahentes, cum ipſo Rege Balduino, & cum Daberto Patriarcha Hieroſolymitano, & univerſo Chriſtianorum exercitu Cæſaream venerunt. Dictus autem Patriarcha admonuit, ut ſequenti die omnes communicarent præmiſſa confeſſione, & ſic ad muros Civitatis aſcenderunt. Quod cùm factum fuiſſet, Conſul Januenſium nomine Guilielmus Malii ſcalam Galeæ ſuæ ad murum adhibuit, & cum ſuis de Galêa aſcendere cœpit; ſed ſubitò ſcala fracta fuit, & dictus Conſul ſuper muros ſolus remanſit. Saraceni autem ferè omnes jam primum murum reliquerant, & ad ſecundum aufugerant. Tunc ille Conſul quamdam turrim, quæ in muro erat, intravit, & fortiter exclamavit: *Aſcendite, aſcendite, quia noſtra eſt Civitas*; quibus aſcendentibus ad ſecundum murum Civitatis cucurrerunt, & Januenſes per quamdam palmam, quæ muro adhærebat, murum aſcenderunt, & ſic Civitatem ceperunt. Patriarcha autem, & quidam Apoſtolicæ Sedis Legatus Muſcheam majorem in honorem B. Petri Apoſtoli, & aliam in honorem Sancti Laurentii conſecravit. Erat autem in prædicta Civitate vas quoddam ſmeraldinum inæſtimabiliter pretioſum. Capta igitur Civitate prædicta à prædictis, de communi conſenſu tres partes omnium, quæ ceperant, facere voluerunt. In prima igitur parte ſupradictum vas ſmeraldinum aſſignaverunt; in ſecunda parte corpus Civitatis cum omnibus rebus immobilibus poſuerunt; pro tertia verò parte totum theſaurum Civitatis, & omnia mobilia ſtatuerunt. Ordinantes autem, ut Januenſes, quoniam in captione Civitatis fuerant principales, partem illam acciperent, quam magìs vellent, & reliquam partem haberet totus exercitus: Januenſes, ceteris aliis partibus omiſſis, vas illud ſmeraldinum pro ſua parte acceperunt, & Januam cum multo gaudio deportaverunt. Quod autem illud vas ſit verè lapis ſmeraldi-

nus,

nus, teſtantur omnes gemmarii, qui illud viderunt, dicentes ſe nunquam vidiſſe tam pretioſum ſmeraldinum. Iſtud etiam eſt manifeſtum per hoc, quòd apud Cæſaream tanti pretii exiſtimabatur, quod cum tota Civitate, vel cum toto theſauro Civitatis fuerit æqualiter æſtimatum. Quomodo enim veriſimile eſt, quòd ſupradictum lapidem ſmeraldinum ad valorem totius Civitatis, vel totius theſauri Civitatis pro una parte æqualiter poſuiſſent, niſi eis pro certo conſtitiſſet, quòd veriſſimus ſmeraldinus eſſet? Eſt autem ſupradictus lapis ſmeraldinus tanti fulgoris, & tam mirabilis claritatis, quòd omnes alii ſmeraldini, & ceteri lapides pretioſi juxta illum poſiti à ſuo fulgore deficiunt, & præ nimio illius ſplendore à ſua claritate palleſcunt. Eſt enim illud vas factum ad inſtar catini, unde vulgariter dicitur, quòd fuit ille catinus, in quo Chriſtus cum ſuis Diſcipulis in cœna comedit, de quo Chriſtus dixit: *Qui intingit mecum manum in catino, hic me tradet*. Utrum autem hoc ſit verum, ignoramus; ſed quoniam Deo nihil eſt impoſſibile, ideo illud nec conſtanter aſſerimus, nec pertinaciter denegamus; qui enim hoc voluerit credere, non eſt redarguendus de levitate, & qui noluerit credere, non eſt reprehendendus de temeritate. Sed fortè aliqui objicient, & dicent, quòd in omnibus factis ſuis Chriſtus ſemper exemplum habuit maximæ Humilitatis; in catino autem ſmeraldino tam pretioſo comedere non fuiſſet exemplum humilitatis præbere, ſed quidem exemplum vanitatis dare. Sed ad iſtam quæſtionem poteſt de facili reſponderi; certum eſt enim, quòd cibos communes in catino ſmeraldino comedere eſſet quædam vanitas ſive pompa; ſed Agnum Paſchalem & Sacramentalem, quem Chriſtus in cœna cum Diſcipulis comedit, in catino aureo ſive ſmeraldino comedere non fuiſſet pompa, ſed devotio, & reverentia magna &c. Iſtud autem ſub ſilentio prætermittendum non eſt, quod in quibuſdam Libris Anglorum reperitur, quòd quando Nicodemus Corpus Chriſti de Cruce depoſuit, ejus ſanguinem, qui adhuc recens erat, & ignominioſe diſperſus fuerat, ipſe recollegit in quodam vaſe ſmeraldino ſibi à Deo divinitus præſentato, & illud vas dicti Angli in Libris ſuis Sanguinalia appellant. Illud autem vas Nicodemus cum multa reverentia cuſtodivit. Tempore autem procedente Cæſaream fuit translatum, & tamdem Januam eſt deductum.. Dignum ergo fuit, ut illud vas eſſet pretioſum, in quo reponi debebat pretioſus theſaurus, ſcilicet Sanguis Jeſu Chriſti &c. Quòd autem illud vas non fuerit arte humana factum, ſed divina virtute productum, intendimus oſtendere duplici ratione. Una ratio eſt, quòd ſi factum fuiſſet aliqua arte humana, videretur quòd plura alia vaſa ſimilia debuiſſent in orbe fuiſſe aliquando fabricata. Sed à principio Mundi uſque nunc ſimile opus non eſt inventum in toto orbe terrarum. Aliam rationem ad hoc probandum inducimus fortiorem. Conſtat enim, quòd illud, quod producit natura, perfectius &c. *Reliqua omitto, quippe ex nugis Quodlibeticis tantum petita*.

Tempore verò iſtius Epiſcopi, ſcilicet Anno Domini MCXIII. Januenſes Caſtrum Portus Veneris ædificaverunt. Scribitur autem corruptè, & profertur impropriè, quando ſcilicet Portus Veneris vocatur; debet enim dici Portus Venerii à quodam Sancto, qui dicitur Venerius, cujus corpus ibi prope, ſcilicet in Inſula Tyri requieſcit. Olim enim dicebatur Portus Lunæ, ex eo quòd erat Portus Civitatis Lunæ, quæ modò funditus eſt deſtructa; ſed portato illuc Corpore ſupradicti S. Venerii Portus Venerii eſt vocatus. Hoc tempore inventa eſt moneta denariorum, qui Bruneti dicebantur; priùs enim Januenſes Papienſibus utebantur. Tempore etiam hujus Epiſcopi Januenſes Callari (20) ceperunt, & Domino ſuo, qui Marianus dicebatur, reſtituerunt, qui Communi Januæ fidelitatem fecit, & Eccleſiæ Januenſi omni anno in ſignum Feudi unam libram auri dare promiſit; & Paſchalis Papa hoc per ſuum Privilegium roboravit. Tempore hujus Epiſcopi B. Bernardus Abbas Claravallenſis vir nobilis genere, & ſcientia præclarus, & ſanctitate conſpicuus florebat. Iſte Bernardus Doctor præcipuus mortuo Ayraldo in Janua, Epiſcopus eſt electus. Cùm igitur nuncii ſolemnes miſſi de Janua decretum electionis ſibi præſentaſſent, ipſe non conſenſit, nec renuit, dicens, ſe non eſſe ſui juris, ſed Ordinis ſui, & Summi Pontificis. Cùm ergo Januenſes ad Summum Pontificem pro confirmatione iviſſent, noluit Summus Pontifex aſſentire ex eo, quòd Eccleſiæ generali utilis & neceſſarius nimis erat. Iſte Bernardus Epiſtolam pulcherrimam & dilectione plenam Januenſibus deſtinavit, in qua omnes commendat de magna fide, & de multa ad Eccleſiam devotione, & de operibus pietatis, hortans eos, ut in his uſque ad finem debeant perſeverare, & taliter concludens: *Tolle perſeverantiam: nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo*.

CAP. XIX.

OTto Epiſcopus XVIII. cœpit circa Annos Domini MCXVII. & vixit in Epiſcopatu annis tribus, & poſt mortem ſuam Epiſcopatus annis tribus vacavit. Iſte fuit Abbas S. Victoris de Marſilia de Regali proſapia Franciæ generatus. Iſte ſecundo anno ſui Epiſcopatus Corpus S. Syri de loco cancellarum Chori S. Laurentii ſuſtulit, & ipſum reverenter ſub Altare ejuſdem Martyris collocavit. Eodem quoque anno Papa Gelaſius Januæ exiſtens Eccleſiam S. Laurentii, præſentibus Epiſcopis Piacentino, Aſtenſi, Aquenſi, & pluribus aliis Prælatis ſolemniter conſecravit; multis autem Indulgentiis ſupradictus Papa ipſam Eccleſiam decoravit, & multis Privilegiis communivit. Quo autem tempore ipſa Eccleſia S. Laurentii conſtructa fuerit, vel quis eam primò ædificaverit, in nulla ſcriptura hoc potuimus invenire. Scimus autem pro certo, quòd tempore Sabatini Epiſcopi, qui fuit Epiſcopus Tertius à S. Syro, jam erat conſtructa, quia legitur in Legenda S. Romuli, & in Regiſtro noſtri Palatii, quòd ipſe Sabatinus Corpus S. Romuli de Villa Mauritiana ſuſtulit, & ſub Altare S. Laurentii venerabiliter collocavit. Si ergo tempore Sabatini Eccleſia S. Laurentii jam erat ædificata ſatis probabile eſt, quòd tempore S. Syri erat conſtructa, maximè cùm inter Sabatinum & S. Syrum non fuerit niſi S. Romulus. Sed ideo Corpus S. Syri non fuit in Eccleſia S. Laurentii ſepultum, quia Sedes Pontificalis adhuc ibi non erat, ſed erat in Baſilica XII. Apoſtolorum, quæ modò dicitur Monaſterium S. Syri. Credimus autem, quòd opus tam ſumtuoſum & nobile

(20) *Cod. Ambr.* Calacii.

bile Eccleſiæ S. Laurentii fecerit Commune Januæ, & non perſona aliqua ſpecialis. Eſt autem Eccleſia ipſa S. Laurentii multæ ſanctitatis, dignitatis, & auctoritatis. Tantæ ſanctitatis eſt, quia multa Corpora Sanctorum ibi ſervantur, ſcilicet Corpus S. Johannis Baptiſtæ, SS. Syri, Felicis, & Romuli. Sunt & ibi Cruces tres, in quibus de Ligno Sanctæ Crucis magna portio habetur. Sunt & ibi multæ aliæ Reliquiæ pretioſæ, quas enumerare longum eſſet. Eſt etiam Eccleſia ipſa tantæ dignitatis, quia de ipſa multi Cardinales, & Summi Pontifices prodierunt, ſcilicet Domnus Innocentius Quartus, & Adrianus, qui omnes ambo de Comitibus Lavaniæ extiterunt. Eſt etiam tantæ auctoritatis, quia tamquam Metropolitana in tota ſua provincia obtinet principatum. Cauſa autem, quare dictus Gelaſius Januam vénit, fuit iſta. Iſte enim Gelaſius ſine conſcientia Imperatoris electus fuerat, nec ab ipſo aliquem conſenſum voluit poſtulare, propter quæ Imperator indignatus quemdam Hiſpanum nomine Burdinum in Papali Sede conſtituit, & Benedictum ipſum vocavit. Gelaſius autem Papa timore Imperatoris cum ſuis Cardinalibus Gajetam perrexit, & inde Januam Legatum miſit, rogans Januenſes, ut Galêas ſibi mitterent, cum quibus Januam venire poſſet, & inde in Franciam proficiſci valeret. Propter quod Januenſes Galêas continuò armaverunt, & dictum Papam Gelaſium Januam cum gaudio deduxerunt; Piſani verò è contrario Imperatori favebant, & Gelaſio Papæ per omnia contrarii erant. Injuſtè autem & irrationabiliter iſte Imperator contra Papam Gelaſium motus fuit, quia ſcilicet Imperator ſuper Pontificem prædictum jus aliquod non habet, ſed potiùs Summus Pontifex ſuper Imperatorem juriſdictionem juſtam exercet; examinat, examinatum confirmat, confirmatum verò coronat. Coronatur autem ipſe Imperator tribus Coronis &c. Hujus Ottonis Epiſcopi tempore, ſcilicet Anno Domini MCXX. mota fuit gravis guerra inter Januenſes, & Piſanos. Januenſes igitur armaverunt Galêas LXX. (21) & naves portantes machinas, in quo exercitu magno ad viginti duo millia hominum & ſupra fuiſſe dicuntur. Euntes igitur Piſas per Arnum fluvium ſic terruerunt exercitum Piſanorum, quòd Piſani de menſe Septembris in Feſto SS. Cornelii & Cypriani de lite Corſicæ pacem in voluntate Communis Januæ juraverunt; ſed poſtmodum infideliter ſervarunt, pactum quoque Januenſes deſtruxerunt. Sequenti autem anno jugum cum magno exercitu militum & peditum tranſeuntes Flaconem, Petram-Luxariam, & quædam alia Caſtra prœliando ceperunt. Caſtrum verò Voltabii ab Alberto Marchione Gavii emerunt.

CAP. XX.

Sigefredus (22) Epiſcopus XIX. cœpit circa Annos Domini MCXXIII. (23) & vixit in Epiſcopatu annis VI. & vacavit Epiſcopatus anno uno. Tempore hujus Epiſcopi fuit Papa Calliſtus, qui Piſanos tamquam Eccleſiæ rebelles excommunicavit. Inſuper & Synodo vocata ibi ſynodaliter definitum, quòd Archiepiſcopus Piſanus de conſecratione Epiſcoporum Corſicæ nullatenus ſe intromitteret, & omnes Eccleſias Inſulæ Corſicæ ab ejus juriſdictione removit. Anno Domini MCXXIV. (24) cùm naves vigintiduæ Piſanorum de Sardinia onuſtæ multis mercibus venirent, & Galêas alias pro ſui ſecuritate haberent ſeptem Galêæ Januenſium ad eas properabant. Galêæ autem Piſanorum hoc videntes, protinus territæ effugerunt; Galêæ autem Januenſium omnes naves illas ceperunt, & Januam deduxerunt. De tali captione & inaudita victoria mirati & ſtupefacti ſunt univerſi. Tempore hujus Epiſcopi, ſcilicet anno MCXXV. (25) mota eſt iterum guerra dura inter Piſanos & Januenſes. Quocirca Januenſes armaverunt Galêas LXX. (26) & gathas XXXV. & naves quatuor machinas deferentes, & portum Piſanum intraverunt, deinde ad Civitatem per Arnum pergentes vexilla & tentoria in terra poſuerunt, & exercitum Piſanorum, qui erat in terra, fregerunt. Piſani igitur omnia, quæ Januenſes voluerunt, ſe facere promiſerunt. Quocirca Januenſes ad carceres properantes, & incarceratos ſuos accipientes, eos ſecum duxerunt; Caſtrum quoque Piumbinum ceperunt, & funditus deſtruxerunt, viros, mulieres, & pueros Januam ſecum ducentes. Prædictus Papa Calliſtus tamdem cum Imperatore pacem fecit, & Benedictum Hiſpanum, qui Papatum uſurpaverat, in Sutrio obſedit, & captum verſa facie à tergo camelo impoſuit, habentem caudam cameli in manu pro fune, & vervecis pellem pro manto in manu, & ſic ante ſe uſque Romam ire fecit, & in carcere recluſit, ubi etiam vitam finivit. Tam ſeveram autem juſtitiam Deo non credimus placuiſſe; væ enim nobis, ſi tam ſeverè Deus noſtra crimina vindicaret. Judex enim debet crimina punire, ſed tamen in ipſa punitione debet miſericordiæ memor eſſe juxta illud: *Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*. Quamvis enim nimia miſericordia habeat fatuitatem, & nimis ſevera juſtitia habeat crudelitatem, tutius eſt tamen de nimia miſericordia, quam de nimis ſevera juſtitia Deo reddere rationem. Tempore hujus Epiſcopi Sigifredi, ſcilicet Anno Domini MCXXV. (27) ædificata fuit Eccleſia Sancti Matthæi per Nobilem virum Martinum Auriæ, auctoritate & licentia Domni Honorii Papæ, qui Calliſto ſucceſſerat. Moderno autem tempore, ſcilicet Anno Domini MCCLXXVIII. Nobiles viri de Auria Eccleſiam ſuam illam antiquam deſtruxerunt, & pulchriorem in loco ulteriori ædificaverunt. Cùm verò in tribuna Imago pulcherrima Chriſti ab antiquo depicta eſſet, dolentes ſi talis Imago deberet deſtrui, taliter ſunt ingeniati, quòd illam trofimam (28) ſalvam & integram cum illa Imagine per brachia XXV. traxerunt, & eam in fundamento, ubi modò eſt, ſtabiliter collocarunt. Anno autem Domini MCXXIX. Januenſes Galêas XVIII. contra Piſanos armantes, uſque Meſſanam ad eos inquirendos iverunt, & cùm Burgenſes illi Piſanos adjuvarent, Januenſes ipſos Piſanos & Burgenſes extra Burgum Meſſanæ uſque ad Palatium Regis expulerunt, & ibi navem unam mercibus pretioſis onuſtam ceperunt, & Januam deduxerunt.

PARS XII.

Sequitur duodecima pars, in qua ponuntur nomina, tempora, & ordines omnium Archiepiſco-

(21) *Cod. Ambr.* LXXX.
(22) *MS. Ambr.* Singemfredus.
(23) *Cod. Ambr.* MCXXXIII.
(24) *Cod. Ambr.* MCXXXIV.
(25) *Cod. Ambr.* MCXXXV.
(26) *Cod. Ambr.* LXXX.
(27) *Cod. Ambr.* MCXXXV.
(28) *Cod. Ambr.* Cidtunam.

A piſcoporum, qui in Civitate Januenſi uſque ad noſtra tempora extiterunt. Et iſta pars habet tot Capitula, quot ibi ponuntur Archiepiſcoporum nomina ipſorum. Igitur Archiepiſcoporum nomina, & tempora per ordinem explicemus.

CAP. I.

SYrus Epiſcopus ultimus, & Archiepiſcopus primus cœpit circa Annos Domini MCXXX. & vixit in Epiſcopatu, & Archiepiſcopatu annis XXXIII. Iſte Syrus primus fuit Cardinalis, quem Innocentius Papa Secundus Januæ conſiſtens, cùm Sedes Epiſcopalis vacaret, in Januenſem B Epiſcopum conſecravit. Cùm autem dictus Innocentius à Januenſibus in Franciam deductus fuiſſet, & inde Januam rediiſſet, pro tam magnis ſervitiis, quæ à Januenſibus receperat, Archiepiſcopatum eis dare promiſit; & quia dictus Innocentius à Romanis fuerat expulſus, auxilio tamen Januenſium in ſuam fuit Cathedram reſtitutus, qui & dum Romam pergeret, Eccleſiam Portus Veneris conſecravit. Reſtitutus igitur in ſua Sede Innocentius, Cornetum ivit, & ibi inter Januenſes, & Piſanos, pacem fecit; ibique conſiſtens pro Syro Epiſcopo Januenſi miſit, & ibi Archiepiſcopum fecit, & inſignia Archiepiſcopalia ſibi dedit, ſcilicet C Anno Domini MCXXXIII. Tres quoque Epiſcopatus in Inſula Corſicæ, ſcilicet Maranenſem, Nebienſem, & Alerienſem ſibi ſuppoſuit. Duos autem Epiſcopos in partibus iſtis, ſcilicet Bobienſem, & Bruniacenſem, in Suffraganeos dedit. Nam Epiſcopum Albigaunenſem Archiepiſcopo Januæ ſuppoſuit Alexander Tertius Papa; Naulenſem verò ſuppoſuit Innocentius Quartus.

Tempore hujus Archiepiſcopi, ſcilicet Anno Domini MCXXXIV. factæ ſunt in Janua Compagniæ octo, cùm primitus non eſſent niſi ſeptem. Iſte Archiepiſcopus Syrus dedit Monaſterio Sancti Benigni de Fructuaria Eccleſiam Sancti Benigni de Capite Pharis, quæ olim Eccleſia D Sancti Pauli dicebatur, ita tamen, quòd Abbas ſemper de conſilio, & aſſenſu Archiepiſcopali eligatur, & Archiepiſcopus Monachos poſſit corrigere, & transferre. Et iſta omnia per Privilegium Domini Innocentii Papæ Secundi confirmata fuerunt. Anno quoque Domini MCXXXV. Galêæ XII. Januenſium Buaciam iverunt, & multos Saracenos ibi ceperunt, & navem quoque unam magnam & divitem ibi ceperunt, & Januam duxerunt. De pecunia autem & theſauro ibi inventis quælibet illarum Galêarum libras DCC. Januenſes habuiſſe dicitur. Anno verò Domini MCXLIII. Galêæ Januenſes Montem-Peſſulanum ceperunt, & Guilielmo de Monte-Peſſulano, ad quem de jure E ſpectabat, reddiderunt. Ipſe autem Guilielmus Januenſes in tota terra ſua liberos fecit, & omnia vectigalia eis remiſit, & fundicum Bruni, & Tholoſæ eis dedit. Hujus Archiepiſcopi tempore, ſcilicet Anno Domini MCXXXIX. moneta, quæ dicebatur Brunetorum, quæ tunc Januæ fiebat, ceſſata fuit; & Rex Conradus Teutonicus in Imperatorem electus monetam Januæ, quæ uſque modò expenditur, Januenſibus conceſſit, & Privilegium ſuper hoc cum Bulla aurea eis dedit. Primò enim in Janua expendebantur Papienſes, deinde Bruni, poſtea Bruneti, qui erant minores quàm Bruni, ultimò dicuntur Januini.

Anno Domini MCXL. cùm Vintimilienſes rebellaſſent, iverunt illuc Januenſes cum magno exercitu pedeſtri, equeſtri, & navali, & ipſam Civitatem per mare obſidentes potenter, eam ceperunt, & fidelitatem Januenſibus tam illos de Civitate, quàm illos de Comitatu in perpetuum jurare fecerunt. Anno Domini MCXLVI. Januenſes Galêas armaverunt XXV. & naves plures machinas portantes, & habentes milites centum cum equis ad prœlium præparatis, & ſic Majoricam perrexerunt, & per dies XXII. in ejus obſidione ſteterunt; ſed ſuperveniente hyeme Januam cum multis ſpoliis redierunt; totam autem illam Inſulam percurrerunt, terras capiendo, Saracenos occidendo, & ſpolia auferendo.

Anno Domini MCXLVIII. cùm Saraceni de Armaria Chriſtianis multas moleſtias inferrent, Januenſes ad preces Summi Pontificis armaverunt Galêas LXIV. & naves cum aliis lignis CLXIII. & omnibus ad bellum neceſſariis præparatis, Armariam profecti ſunt. Ad quorum auxilium Comes Barcelonìæ cum militibus ſuis vênit. Tunc Januenſes Galêas ſuas in plagia de Armaria traxerunt, & ſic machinas, & gatas, & caſtella cingentes ad Civitatem perrexerunt, & multiplici conflictu facto, & multo ſanguine hinc inde effuſo, Januenſes tandem victoriam habuerunt. Itaque illa die XX. millia Saracenorum occiſa fuerunt, & decem millia inter pueros, & mulieres, Januam reducta fuerunt. Et ſic peractâ victoriâ, Januenſes cum Galêis & navibus Barceloniam venerunt, & Galêas, & naves ad terram trahentes, ibidem hyemaverunt, ubi Galêas & naves reficientes, & omnia neceſſaria ad bellum præparantes, cum Comite Barcelonìæ Tortoſam venerunt, & in Calendis Julii flumen Tortoſæ cum toto exercitu intraverunt. Tentoria igitur in terra figentes, & vexilla elevantes, & machinas, & gatas, & caſtella erigentes, ad Civitatem acceſſerunt, & multis prœliis hinc inde congeſtis, tandem de menſe Decembri Civitatem ceperunt. Omnium autem bonorum, quæ ibi inventa ſunt, Januenſes tertiam partem habuerunt; duas autem partes Comes cum ſuo exercitu exportavit: & ſic Januenſes, poſt triumphum duarum Civitatum, cum multa gloria Januam redierunt.

Hujus etiam Archiepiſcopi tempore, ſcilicet Anno Domini MCLV. Federicus Imperator fidelitatem & obſides, & multa alia gravia à Januenſibus poſtulavit. Quæ cùm ſibi denegata fuiſſent, in furorem magnum accenſus eſt. Propterea viri, & mulieres, parvi, & magni, die ac nocte, ad faciendum muros, & fortilitias inſiſtebant; & tantùm infra octo dies de muro fecerunt, quantum infra unius anni ſpatium alia Civitas vix feciſſet. Quod audiens Imperator à ſuo propoſito deſtitit, & ſola fidelitate contentus fuit. Ipſi autem muri fuerunt poſtmodum Anno Domini MCLIX. feliciter conſummati, & infra ſpatium dierum LIII. perfecti. Eſt autem dictus murus Civitatis ſupra terram quinque millia quingenti XXII. pedes, in quibus etiam muris ſunt merli mille ſeptuaginta, qui ſunt ad decorem, & ad murorum fortitudinem, & ad Civitatis, & Civium munitionem.

Hujus etiam Archiepiſcopi tempore, ſcilicet Anno Domini MCLV. Januenſes cum Imperatore Conſtantinopolitano pacem taliter firmaverunt, quòd Imperator promiſit dare Communi Januæ annis ſingulis quingenta perpera, & duo pallia pretioſa, & Archiepiſcopo Januæ ſimiliter dare annis ſingulis LX. perpera, & unum

A pallium deauratum: quod quidem multo tempore fuit ab Imperatoribus obſervatum. Iſto tempore Tertiæ ab Uxoribus ſunt ablatæ. Conſuetudo enim erat Januæ, quòd mortuo Marito Uxor habebat tertiam partem omnium bonorum Viri ſui, ſive haberet prolem, ſive non haberet; & illud tale Jus Tertiæ, ſive Tertia dicebatur. Quocirca iſto tempore fuerunt ab Uxoribus ablatæ; & quoniam de hoc mulieres graviter murmurabant, & gravatas ſe nimium reputabant: ideo, ut placarentur, ordinatum fuit, quòd habeant antiſactum.

Anno Domini MCLVIII. cùm Mediolanenſes Federico Imperatori reſtiterint, Imperator congregato magno exercitu tam Teotonicorum, quàm Italicorum, Mediolanum obsêdit. B Mediolanenſes autem territi ad mandata Imperatoris venerunt, & novem millia marcharum argenti ſibi dederunt, & trecentos obſides ſibi dare ad conſtitutum terminum juraverunt, & ſic Imperator ab eorum obſidione receſſit.

Hujus etiam Archiepiſcopi tempore, ſcilicet Anno Domini MCLXI. magnum Schiſma in Eccleſia fuit, quod per annos XXIX. duravit; nam major & ſanior pars Cardinalium elegit Alexandrum in Papam, virum per omnia reverendum; tres verò ex Cardinalibus quemdam ex ſe ipſis nomine Octavianum elegerunt, & Victorem ipſum vocaverunt. Quo in brevi defuncto, elegerunt alium, quem Paſchalem appellaverunt. C Quo ſubitò mortuo, alium creaverunt, quem Calliſtum dixerunt. Quo ſimiliter defuncto, elegerunt alium, quem Innocentium vocaverunt. Omnes iſti quatuor à Papa Alexandro excommunicati mala morte perierunt. Januenſes autem Domino Alexandro ſemper adhæſerunt; Piſani verò ſemper ſibi contrarii ſteterunt. Imperator quoque Federicus illis quatuor Schiſmaticis adhæſit, & Alexandro contrarius ſemper fuit. Tamdem dum longa guerra, inter Papam, & Imperatorem fieret, divino motu ad pacem & concordiam apud Venetias devenerunt. Cùm autem Imperator ſe humiliter ad pedes Papæ proſtraviſſet, ut de tantis injuriis veniam peteret, Papa ſuper collum Imperatoris pedem poſuit, dicens: D *Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*. Cui Imperator dicitur reſpondiſſe: *Non tibi, ſed Petro*. Non enim iſtam humiliationem facio tibi ratione tui, ſed ratione Petri Apoſtoli.

Hoc etiam tempore, ſcilicet Anno Domini MCLXII. cùm Mediolanenſes Federico Imperatori iterum rebellaſſent, dictus Imperator maximo exercitu congregato Mediolanum per tres ferè annos obsêdit, & fame ac bello ſic eos attrivit, quòd in manu Imperatoris ſe totaliter poſuerunt, Civitatem, & omnia mobilia, & immobilia, & perſonas in ſua poteſtate ponentes. Imperator autem eis vitam pepercit, & E mobilia, & immobilia eis reſtituit, Civitatem totam deſtruxit, & in quattior Burgos eam diviſit, & quemlibet Burgum per duo milliaria à ſe ipſis diſtare fecit.

CAP. II.

HUgo Archiepiſcopus Secundus cœpit circa Annos Domini MCLXIII. & vixit in Archiepiſcopatu annis XXV. Iſte priùs fuit Archidiaconus, & poſtea electus eſt in Archiepiſcopum. Iſte fuit homo magnæ ſapientiæ, & quamdam magnam diſcordiam, de qua multa homicidia ſequuta fuerant, quæ erant inter illos de Avocatis, & illos de Caſtro, ad pacem reduxit. Iſte dedit Capitulo Sancti Laurentii Eccleſiam Sancti Marci de Modulo, & Eccleſiam Sancti Salvatoris de Sarcano. Ad procurationem iſtius Archiepiſcopi Monaſterium de Inſula Gallinaria ſuppoſitum fuit Archiepiſcopo Januenſi. Hujus etiam Archiepiſcopi tempore Clemens Papa Tertius conceſſit, & poſtea alii Summi Pontifices conceſſerunt, ut Archiepiſcopus Januæ habeat perpetuam largitionem, ut ultramarinam, quando illuc de octavo in octavum annum accedere volet cum aliquo Cardinali, vel Epiſcopo, ita tamen quòd habeat ibi plenam auctoritatem, ſicut Cardinalis Legatus habet; & de hoc plura Privilegia bullata in Archiepiſcopatus Palatio reſtant.

Anno quoque Domini MCLXIV. Federicus Imperator Barriſonem Judicem Arboriæ ad petitionem Januenſium Regem totius Inſulæ Sardiniæ fecit, & ipſum Piſanis contradicentibus iis Regem apud Papiam coronavit, qui & Januenſibus fidelitatem juravit, & in ſignum fidelitatis omni anno Communi Januæ libras centum, & Archiepiſcopo libram unam puri argenti dare promiſit.

Anno verò Domini MCLXV. Piſani Galêas XXV. armantes, Albinguam iverunt, & Civitatem capientes deſtruxerunt, & igne combuſſerunt. Quod cùm vidiſſent Januenſes, nimium doluerunt, & infra quatuor dies Galêis XL. armatis ad perſequendum Galêas Piſanorum iverunt; ſed altum mare petentes effugerunt. Verumtamen ſæva tempeſtas eos invaſit, ita quòd Galêæ XIII. cum hominibus ſuncribus perierunt. Sequenti anno Judex Sardiniæ de Callari Communi Januæ, & Archiepiſcopo fidelitatem juravit, & Communi Januæ libras centum, Archiepiſcopo libram unam optimi argenti dare promiſit.

Tempore hujus Archiepiſcopi, ſcilicet Anno Domini MCLXVIII. Alexandria de novo in Lombardia conſtruitur, quæ priùs Cæſarea dicebatur. Sed poſtea mutato nomine in honorem Alexandri Papæ Alexandria eſt vocata. Dictus enim Alexander Papa in partibus illis tunc conſiſtentes favorem dedit, ut illa Civitas ædificaretur. Unde cùm primò in honorem Imperatoris Cæſaream appellaſſent, poſtmodum in honorem Papæ Alexandriam vocaverunt: Dictus autem Alexander Epiſcopum eis dedit; quo mortuo, Epiſcopum non habuerunt; ſed illa Eccleſia ſubeſt Epiſcopo Aquenſi. Quia verò Papienſes Romanæ Eccleſiæ erant rebelles, ideo dictus Alexander Papa Epiſcopum Papienſem Pallio, & Crucis dignitate, quibus antea utebatur, ſententialiter ſpoliavit.

Anno Domini MCLXX. Piſani abſtulerunt à Lucanis Caſtrum Mutronis; ſed auxilio Januenſium ipſum ſequenti anno recuperaverunt, & ipſum à Piſanis multum deſtructum tam Lucani, quàm Januenſes reædificaverunt. Anno Domini MCLXXII. Oppizo Malaſpina, qui erat Vaſſallus Archiepiſcopi Januenſis, & Maruellus filius ejus, qui erat Vaſſallus Communis Januæ, congregaverunt circa CCCL. milites, & tria millia peditum, & Burgum Clavari, & Portum Sigeſtri intraverunt. Quod cùm à Januenſibus ſcitum fuiſſet, terra & mari omnes unanimiter cucurrerunt. Quod cùm dictus Marchio audiviſſet, fugere voluit; ſed vulneratus tamdem & mortuus fuit; & multi capti, & detenti; reliqui verò fugæ præſidio evaſerunt.

Anno Domini MCLXXV. cùm Mediolanenſes, qui fuerant per Baronias diſperſi, ad Civita-

vitatem ſuam rediiſſent, & foſſatis, ac muris, & portis eam muniſſent, Imperatori Federico, qui eos diſperſerat, diſplicuit vehementer. Ad hoc opus faciendum adjuverunt eos Brixienſes, Cumani, & multæ aliæ Civitates Lombardiæ. Imperator quoque Manuel multa perpera, & multa marmora eis miſit. Tunc Imperator magnò exercitu congregato, vênit Liguriam. Mediolanenſes autem, Brixienſes, & Cumani pergentes contra ipſum de campo turpiter ejecerunt. Hoc etiam anno Piſani pacem Januenſium fregerunt; ipſi enim cum exercitu Sardiniam aſcendentes, omnes Januenſes de toto Judicatu ejecerunt, & bonis omnibus eos exſpoliaverunt: propter quod Januenſes contra eos Galêas XX. armaverunt, & multa incommoda Piſanis intulerunt: Caſtrum quoque Bonifacii, quod Piſani conſtruxerant, ceperunt, & ipſum funditus deſtruxerunt.

Tempore hujus Archiepiſcopi, ſcilicet Anno Domini MCLXXVII. Fedeñcus Imperator inter Januenſes pacem fecit, & medietatem totius Inſulæ Sardiniæ Communi Januæ dedit. Qui etiam Imperator cum Beatrice uxore ſua, & Henrico filio ſuo Januam vênit, & ibi honorabiliter ſunt recepti, Anno ſcilicet Domini MCLXXVIII. His temporibus filia Regis Angliæ, quæ data fuit in uxorem Regi Siciliæ, Januam rediit, & ſuper Galêas Januenſium ad Virum ſuum honorabiliter eſt deducta. Poſtmodum vênit Januam filia Regis Franciæ, ut filio Manuel Imperatoris Græcorum in conjugem copularetur, quæ ſimiliter à Galêis Januenſium ad Virum ſuum honorabiliter deducta fuit. Hujus etiam Archiepiſcopi tempore, ſcilicet Anno Domini MCLXXIX. celebratum eſt à Domino Alexandro Papa Tertio in Eccleſia Lateranenſi Concilium generale, ad quod Concilium ſupradictus Archiepiſcopus Hugo acceſſit, quem aſſociaverunt Præpoſitus Sancti Laurentii, Magiſter Scholarum, & Nobiles viri Henricus Auriæ, Ibuelluonus de Camilla, Aſaldus Solia, & Arduinus de Lavania, qui omnes plenam fidem & ſufficientem probationem fecerunt Domino Papæ, & Cardinalibus, qualiter Reliquiæ Sancti Joannis Baptiſtæ fuerunt de Mirea Januam deportatæ. Propterea Papa ſtatuit, & approbavit, quòd in Civitate Januæ Corpus Sancti Joannis Baptiſtæ habetur; mandans, quòd ejus revelatio ſolemniter celebretur; ſcribens etiam per diverſas Provincias, quòd ad dictum Feſtum omnes conveniant, & venientibus Indulgentiam magnam fecit. Dictus etiam Alexander Papa conceſſit Magiſtro Scholarum de Janua, & ſucceſſoribus ſuis, ut mitra in magnis ſolemnitatibus poſſit uti. Albigaunenſem quoque Epiſcopum Archiepiſcopo Januenſi ſuppoſuit, & ſuffraganeum ejus fecit.

Iſtius autem Archiepiſcopi tempore, ſcilicet Anno Domini MCLXXXIII. Crux Sancta, quæ dicitur Crux Hoſpitalis Sancti Lazari Januam eſt delata, & quidem eo tempore, quo Saladinus Jeruſalem, & totum Regnum Syriæ cepit, excepta Civitate Tyri. Regem quoque Guidonem, qui tunc ibi regnabat, & Guilielmum Marchionem Montisferrati jam ſenem cum multis Baronibus in Damaſchum duxit captivos, veram etiam Crucem, quæ dicitur Crux Sancti Lazari, occupavit. Quod cum audiſſet Conradus Marchio Montisferrati, qui erat apud Conſtantinopolim, in quadam navi Januenſium in Syriam ivit, ut Civitatem Tyri defenderet. Quam quidem Civitatem dictus Marchio, adjuvantibus Januenſibus potenter defendit, & ad dictam veram Crucem recuperandam intendit. Propter quod dictus Marchio Conradus ſupradictam Crucem, quam à Saladino recuperaverat, Communi Januæ pro magno munere deſtinavit.

CAP. III.

BOnifacius Archiepiſcopus Tertius cœpit circa Annos Domini MCLXXXVIII. & vixit in Epiſcopatu annis XV. Iſte fuit primò Cardinalis Diaconus, & poſtea in Archiepiſcopum eſt electus. Iſte Archiepiſcopus primo anno ſui Archiepiſcopatus, præſente Domino Petro Placentino titulo Sanctæ Ceciliæ Presbytero Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato, elevari fecit Corpus Sancti Syri de ſubter Altare Sancti Laurentii, & ipſum ſuper Altare in archa venerabiliter collocari: ubi & Oſſa Sancti Felicis, & Sancti Romuli in alia archa fuerunt inventa. Tempore hujus Archiepiſcopi, ſcilicet Anno Domini MCLXXXVIII. Imperator Federicus cùm ad partes ultramarinas cum ingenti exercitu pro Terræ Sanctæ recuperatione per terram pergeret, & in partibus Antiochiæ conſiſtens fluvium Ferri ſatis parvum tranſiret, de equo cecidit, & ibi ſubmerſus fuit. Anno quoque Domini MCLXXXX. venerunt Januam Philippus Rex Francorum, & Ricardus Rex Angliæ, & Dux Burgundiæ, & in ſuccurſum Terræ Sanctæ ſunt profecti, cum quibus naves octoginta Januenſium onuſtæ peregrinis de portu Januæ in Syriam perrexerunt.

Hujus Archiepiſcopi tempore, ſcilicet Anno Domini MCLXXXX. deſierunt eſſe Conſules in Civitate Januæ, pro eo quòd omnes ad Conſulatum aſpirabant, & hinc multæ invidiæ & odia in Civitate creſcebant: propter quod voluerunt Cives regi potiùs per Poteſtatem; & ideo quemdam Civem Brixienſem nomine Manegoldum in Poteſtatem Januæ primitus elegerunt. Circa principium autem regiminis iſtius Poteſtatis illi de Caſtro Lanfranchum Piperem malitiosè occiderunt: propter quod dictus Poteſtas rubore & dolore perfuſus, parlamentum maximum congregavit, & armis militaribus indutus equum valenter aſcendit, & ad domus malefactorum viriliter accedens expugnando eas cepit, & funditus deſtruxit.

Tempore iſtius Archiepiſcopi, ſcilicet Anno Domini MCLXXXXI. cùm quidam nomine Tancredus feciſſet ſe Regem Siciliæ, Januenſes in ſervitium Henrici Imperatoris Galêas XXXIII. contra eum armaverunt. Anno quoque ſequenti, & alio ſequenti fuerunt in Civitate Januæ multa bella civilia, ita quòd homicidæ, & fures in Civitate dominabantur. Propter quod Conſules regimen reaſſumſerunt, deinde ipſum regimen dimiſerunt; ideoque electus eſt in Poteſtatem Obertus de Allevano Nobilis Civis Papienſis, qui per ſuam ſapientiam & induſtriam omnes ſeditiones & ſcandala removit, & omnes diſcordias ad pacem reduxit.

Hoc anno Henricus Imperator Januam vênit, petem à Januenſibus auxilium, ut poſſet recuperare Siciliæ Regnum, multa & magna Januenſibus promittens. Januenſes igitur magnum ſtolum Galêarum in ſuum ſervitium armaverunt, & ipſum viriliter adjuverunt. In quo ſtolo fuit Admiratus ſupradictus Poteſtas Obertus, qui tamen illo anno obiit. Prædictus igitur Henricus Imperator confirmavit ob . . . . Civitatem Siracuſanam Januenſibus cum omnibus ſuis pertinentiis per Privilegium aurea bulla mu-

munitum. Caſtrum quoque Gavii eis confirmavit, & Podium Monathi eis dedit.

Tempore quoque iſtius Archiepiſcopi, ſcilicet Anno Domini MCLXXXXV. vera Crux Chriſti, quæ Sancta Crux antonomaſticè dicitur Januam eſt delata. Ipſam quidem Sanctam Crucem Patriarcha Jeroſolymitanus ſemper in prœliis deferebat, & victoriam obtinebat. Accidit autem, peccatis exigentibus, quòd Saladinus Jeruſalem cum Patriarcha, & Sanctam Crucem cepit. Tempore autem procedente cùm Imperator Græcorum cum Saladino compoſuiſſet, remittebat dictus Saladinus ipſi Imperatori in quadam navi Crucem prædictam, quædam autem Galeæ Januenſium ſupradictam navem manu armata ceperunt; dum verò ſpolia dividerent, quidam Piſanus, nomine Fortis, Crucem illam latenter ſubripuit, & in Caſtro Bonifacii, quod olim Januenſes deſtruxerant, ſed ipſum reædificaverant, ſervandam repoſuit. Poſtmodum autem Fortis ſupradictam Crucem accipiens, & de ejus virtute confidens, ſuper mare tamquam ſuper terram ſolidam ire cœpit; & dum putaret ſe fugere, & à Caſtro ſe elongare, nutu Dei in Caſtro ſubitò ſe invênit. Poſtmodum autem tres naves, & quædam Galeæ Januenſes illud Caſtrum ceperunt: quod cernens dictus Fortis de virtute Sanctæ Crucis confidens ipſam pectori ſuo appoſuit, & per medios hoſtes tranſiens de Caſtro exivit, & in quadam ſylva ſe abſcondit. Sed tamdem ad Caſtrum rediit, & ipſam Crucem Communi Januæ dedit, & Civis Januæ effectus eſt: & ſic Januenſes Crucem illam accipientes Januam tranſmiſerunt.

Circa etiam hæc tempora, ſcilicet Anno Domini MCLXXXXVII. Drudus Marcellinus Civis Mediolanenſis Poteſtas Januæ turres altiores fecit deprimi, & ad menſuram LXXXX. pedum fecit redigi. Tempore hujus Poteſtatis ordinatum fuit, ut octo Nobiles ſemper eligerentur, qui Poteſtati adſiſterent: quod uſque ad tempora Capitaneorum obſervatum fuit; quamvis alibi legatur, quòd dicti octo Nobiles fuerunt primò electi ſub Domino Rambertino de Lovarello Bononienſi tunc Poteſtate Januæ Anno ſcilicet Domini MCCXVIII. Iſte Poteſtas, ſcilicet Dominus Drudus ſequenti anno confirmatus fuit, & quia devetum erat, ne aliqui in Siciliam irent, & quidam Nobiles cum Galêis ſuis iverant, ideo dictus Poteſtas domos eorum deſtrui fecit. Cùm autem illi rediiſſent, magna diſcordia inter ipſos, & Poteſtate exorta eſt, ita quòd auſi ſunt nocte ad domum Poteſtatis pontem erigere. Quod cùm Poteſtas didiciſſet, ſtatim ſummo mane parlamentum convocavit, & totum Populum armare fecit. Illi autem territi ad mandata Poteſtatis redierunt. Hujus Archiepiſcopi tempore, ſcilicet ultimo anno, Commune Januæ emit Caſtrum de Gavio à Marchionibus, dans pro omnibus juribus, quæ ibi habebant, libras tria millia & ducentas. Ipſi autem Marchiones facti ſunt Cives.

CAP. IV.

OTto natione Alexandrinus Archiepiſcopus Quartus cœpit circa Annos Dom. MCCIII. & vixit in Archiepiſcopatu annis XXXVI. Iſte fuit primò Epiſcopus Bobienſis, qui dum fama, & virtutibus polleret, & reverenda canitie & maturitate præditus eſſet, ad Archiepiſcopalem Cathedram eſt translatus. Hujus Archiepiſcopi tempore, ſcilicet anno ſecundo Comes Flandrenſis, & Bonifacius Marchio Montisferrati cum Duce Venetiarum Conſtantinopolim obſederunt, & tamdem ipſam urbem ceperunt. Dictus autem Marchio Imperatorem cum Uxore & filiis ad Montemferratum miſit, ut in cuſtodia ibi reſervaretur. Poſt captionem autem Conſtantinopolitanæ civitatis Sancta Crux, quæ dicitur Crux Sanctæ Helenæ, fuit Januam deportata. Dicitur autem Crux Sanctæ Helenæ, quia cùm ipſa Sancta Helena Crucem Domini repetiſſet, partem ejus laminis argenteis & aureis, & margaritis ornavit, & Conſtantinopolim ad ſuum filium deportavit. Verùm cùm Veneti Crucem illam cum multis aliis Reliquiis Venetias tranſmitterent, contigit quòd quidam Civis Januenſis, qui fuit de Fornariis nomine Dodeus, Galéas duas contra Venetos armaverat, ex eo quòd inter Januenſes & Venetos tunc diſcordia erat. Dictus igitur Dodeus mox navem illam cepit, & illam Crucem Sanctam cum certis Reliquiis Januam deportavit, quam quidam Crucem Communi Januæ, & Eccleſiæ Sancti Laurentii magno munere dedit, ceteras autem Reliquias ſibi retinuit, ſperans aliquo tempore ab aliquo Principe pro ipſis remunerationem non modicam habiturum. Sed quoniam Deus noluit, quòd tanto theſauro Januæ Civitas ſpoliaretur, ideo poſt multum temporis ad Fratres Prædicatores eædem Reliquiæ, nobis procurantibus, devenerunt, quæ in Eccleſia ipſorum Fratrum cum multa reverentia reſervantur, quas etiam nos fecimus duabus tabulis cum laminis argenteis venerabiliter collocari.

Anno quoque Domini MCCV. Electus eſt in Poteſtatem Januæ nobilis Dominus Fulco de Caſtro, qui fuit primus & ultimus Poteſtas, qui de gremio Civitatis eligeretur. Tempore iſtius Archiepiſcopi, mortuo Henrico Imperatore, Otto Dux Saxoniæ in Imperatorem eſt electus, & ab Innocentio Tertio ſolemniter coronatus, Anno ſcilicet Domini MCCVIII. Qui cùm jura Eccleſiæ ſe defenſurum juraſſet, totum contrarium poſtmodum fecit. Inſuper Campaniam intravit, & Capuam, deinde Neapolim fuit, volens contra Eccleſiæ voluntatem Regnum Apuliæ à Federico filio Henrici Imperatoris auferre. Propter quod Innocentius Tertius ipſum cum omnibus fautoribus ſuis excommunicavit, & creſcente ejus contumacia eum depoſuit, & Federicum Henrici procuravit filium eligi, Piſani verò in ſervitio dicti Imperatoris Ottonis Galéas XL. armaverunt, quas uſque Neapolim miſerunt. Januenſes verò timore excommunicationis nullum ſibi auxilium impendere voluerunt.

Hoc etiam Anno Comes Almanus, & Comes Henricus de Malea Januenſes natione cum navibus XX. Januenſium, quæ de ultra mari veniebant, & cum Galêis quibuſdam Siracuſam iverunt, & eam potenter obſederunt, & triumphaliter ceperunt. Dictus autem Almanus factus eſt ibi Comes, & juravit Civitatem ipſam ad honorem Communis Januæ tenere, & ſingulis annis pallium unum ſuper Altare Sancti Laurentii offerre. Sequenti Anno idem Comes Henricus Inſulam Cretæ prœliando cepit; poſtmodum Januam vênit, & auxilium poſtulavit. Commune autem dedit ſibi Galéas octo, & naves tres cum hominibus armatas, & tria millia librarum, & milites centum; & ſic de Janua gaudens receſſit, & multa prœlia geſſit. Ipſe enim . . . . prœliando cepit, ubi & Rainerium Dandulo Capitaneum Venetorum cepit, & cautè emancipavit. Et quoniam dictus Federicus metu Piſanorum, qui Ottoni favebant, exire de Sicilia non audebat, Januenſes ad preces Innocentii

Papæ

Papæ Galêas armaverunt, & ipſum Januam deduxerunt, ubi ad expenſas Communis per menſes tres moram contraxit. Et quoniam Piſani Eccleſiæ rebelles erant, ideo dictus Innocentius ipſos omnibus Feudis, Privilegiis, & Dignitatibus ſpoliavit; Archiepiſcopum quoque Piſanum juribus, quæ habebat in Inſula Sardiniæ, ſententialiter privavit. Tempore iſtius Ottonis Archiepiſcopi celebratum eſt ſub Innocentio Papa Tertio Concilium generale, Anno ſcilicet MCCXVI. ubi dicuntur interfuiſſe cum Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & aliis Prælatis ultra mille tercentos. Ad illud quoque Concilium ſupradictus Archiepiſcopus Otto perrexit, & rediens ſuum Provinciale Concilium celebravit, ubi illa, quæ fuerant ordinata, expoſuit, & ſervanda mandavit.

. Tempore iſtius Archiepiſcopi duo Ordines incœperunt, ſcilicet Ordo Prædicatorum, & Minorum. Ordinem Minorum confirmavit Innocentius; Ordinem verò Prædicatorum confirmavit ejus Succeſſor Honorius, Anno ſcilicet Domini MCCXVI. Innocentius quidem ſe confirmaturum promiſerat, ſed eodem anno morte præventus implere non potuit quod promiſit. Hujus Archiepiſcopi tempore, ſcilicet Anno Domini MCCXI. venit Januam quidam ſagaciſſimus latro, qui ignorantibus cuſtodibus in Eccleſia Sancti Laurentii intra crates, ubi repoſitæ ſunt Cruces Dominicæ ſe abſcondit, qui capſam, in qua dictæ Cruces ſervabantur, cum armis perforavit, & Januæ de Civitare exportavit. Cum autem hoc ſcitum fuit, magnus dolor cunctos invaſit, & magna triſtitia omnes abſorbuit. Miſſis tamen nunciis per loca diverſa prædictus latro fuit captus, & ſic Cruces recuperatæ fuerunt, gratias Deo agentibus univerſis. Prædictus verò latro ipſas Cruces cuidam Alexandrino nomine Nigro tradiderat reſervandas, quas Commune Januæ dans ultra libras quingentas ab eo redemit.

Anno quoque Domini MCCXVIII. Otto Marchiu de Carreto dedit liberè Communi Januæ Caſtrum Farii cum omnibus pertinentiis ſuis. Commune autem Januæ illud ſibi in Feudum reſtituit, & fidelitatem Communi Januæ inde juravit. Sequenti verò Anno Januenſes ædificaverunt Caſtrum Monachi, & turribus fortiſſimis & muris munierunt. Anno Domini MCCXVIII. homines de Capriata dederunt ſe Communi Januæ, & Commune Caſtrum illud accepit & munivit. Anno deinde MCCXX. capta fuit Damiata Civitas Saracenorum ab exercitu Chriſtianorum, ad quem exercitum Januenſes Galêas X. miſerunt. Circa hæc tempora, ſcilicet Anno Domini MCCXXI. orta eſt ſatìs gravis controverſia inter Archiepiſcopum, & Commune Januæ; nam Commune videbatur in S. Romulo jura Archiepiſcopatus indebitè uſurpare: propter quod Archiepiſcopus terram interdixit, & Papiam perrexit. Sed poſtmodum Papa Epiſcopo Parmenſi, & Abbati de Tilieto cauſam commiſit, qua definita Archiepiſcopus in ſuam Sedem rediit, & jura ſua recuperavit. Anno prædicto Vintimilienſes, qui Communi Januæ rebellaverant, diſcalceati, & cum funibus ad colla ad mercedem Communis Januæ venerunt. Anno Domini MCCXXII. de menſe Auguſti vênit Januam quidam Theotonicus nomine Nicolaus in habitu peregrini, quem ſequebatur multitudo magna peregrinorum tam magnorum, quàm parvorum, ac etiam infantum, & erat numerus eorum ultra ſeptem millia, & omnes habebant ſclavinas Crucibus inſignitas, & burdones, & ſcarſellas, dicentes, quòd mare debebat apud Januam ſiccari, & ſic ipſi debebant in Hieruſalem proficiſci. Multi autem inter eos erant filii Nobilium, quos ipſi etiam cum meretricibus deſtinarunt. Placuit autem Januenſibus, ut ipſi de Civitate recederent, tum quia credebant potiùs eos levitate duci, quàm neceſſitate, tum quia timebant ne cariſtia in Civitatem ducerent, tum quia propter tantam multitudinem metuebant periculum Civitatis: maximè quia Imperator tunc Eccleſiæ rebellis erat, & Januenſes contra Imperatorem Eccleſiæ adhærebant. Poſt modicum tempus totum iſtud negotium ad nihilum eſt redactum, quia ſuper nihilum erat fundatum.

Anno Domini MCCXXII. in die Nativitatis Domini fuit Januæ, & in tota ferè Italia tam vehemens terræmotus, ut ædificia caderent, & terra in multis partibus ſcinderetur: propter quod homines Civitates deſerebant, & in campeſtribus habitabant. Mortuo Honorio ſucceſſit Gregorius Nonus, qui Librum Decretalium per Fratrem Raymundum de Ordine Prædicatorum Capellanum ſuum utiliter compilavit; deinde quoque S. Dominicum, & B. Franciſcum, & S. Eliſabeth prædictus Papa canonizavit. Anno Domini MCCXXVII. cùm Savonenſes, & Albiganenſes Communi Januæ rebellaſſent, & Januenſes contra eos magnum exercitum feciſſent, venerunt tamdem omnes cum Crucibus in manibus ad mandata Communis Januæ. Hujus Archiepiſcopi tempore, ſcilicet Anno Domini MCCXXX. capti fuerunt piratæ quatuor, ſcilicet Recuperus de Portu Veneris, Guilielmus de Vintimilio, Durandus de Portu Veneris, & Fulcus de Murinello, qui omnes fuerunt ſuſpendio adjudicati per D. Spinum Poteſtatem Januæ. Tanta autem multitudo maximè Dominorum ad plateam S. Laurentii vênit, quæ volebat hos piratas liberari, quòd duci ad patibulum non valebant. Quocirca cùm D. Poteſtas equum aſcendiſſet, & huc & illuc diſcurreret, equus ſuus expaveſactus ſuper lapides juxta lapides S. Laurentii eum portavit, & ibi cadens crus & coxam ſibi fregit, de quo dolore mortuus eſt. Tamdem illi quatuor piratæ fuerunt ſuſpenſi; duo autem ex illis, ſcilicet Recuperus, & Guilielmus, Reliquiis S. Johannis Baptiſtæ, quæ in Eccleſia S. Laurentii reſervantur, ſe recommendaverunt, qui aliis jam defunctis mori per magnam horam non poterant, quouſque Nuncius ad Civitatem vênit, & hoc Poteſtati, qui adhuc non obierat, & Conſilio nunciavit. Cùmque Nuncius rediiſſet, adhuc vivi ſunt reperti. Depoſiti ergo narraverunt, qualiter S. Johanni Baptiſtæ ſe recommendaverant, qui eos vivos conſervaverat; & ſic liberi totaliter ſunt dimiſſi.

Anno Domini MCCXXXII. cùm Januenſes elegiſſent in Poteſtatem D. Paganum de Petraſancta Mediolanenſem contra mandata Imperatoris, in tantum Imperator turbatus eſt, quòd omnes Januenſes, qui erant in Regno capi fecit; & inſuper Mareſcalco ſuo, qui erat in partibus ultramarinis mandavit, ut omnes Januenſes ibi caperentur. Sed Januenſes decem Galêas, & naves duas illuc miſerunt, & totum maris dominium habuerunt. Imperator autem poſtea omnes, quos in Regno capi fecerat, dimiſit. Anno quoque Domini MCCXXXVII. Mediolanenſes apud Curtem novam fuerunt per Federicum Imperatorem debellati, atque devicti, & multi Nobiles in Apuliam in captivitatem ducti, ubi etiam ſuum Carrocium amiſe-

runt.

runt. Sequenti Anno Vintimilienſes, & Albi- A
ganenſes, & Savonenſes Communi Januæ rebellaverunt; Januenſes autem Galêas XIV. armantes Vintimilium iverunt, & in terram deſcendentes Civitatem ceperunt. Hoc etiam anno Imperator Federicus miſit Januam ſuos Ambaxatores cum ſuis literis petens ſacramentum fidelitatis & homagium; ſed Januenſes penitùs tale ſacramentum fidelitatis facere renuerunt, & nuncios Imperatoris vacuos remiſerunt. Tempore hujus Archiepiſcopi, ſcilicet Anno Domini MCCXXXIX. fuit tanta eclipſis Solis, ut nulla ætas meminerit tam magnam & tam tenebroſam aliquo tempore extitiſſe; Stellæ enim in die apparebant, quemadmodum conſueverunt noctè in ſereno aere apparere. Nos etiam, licèt an-
nos tunc pueriles ageremus, ipſas tunc Stellas B
in cœlo apparere conſpeximus radiantes. Iſto eodem Anno ſupradictus Archiepiſcopus Otto reverendæ memoriæ & famæ fuit ſimiliter eclipſatus, qui lucem corporalem perdidit, ſed lucem cœleſtem invênit.

CAP. V.

JOhannes de Cucurno Archiepiſcopus Quintus cœpit circa Annos Domini MCCXXXIX. & vixit in Archiepiſcopatu annos XII. Iſte erat Archidiaconus Januenſis, & unanimiter in Archiepiſcopum eſt electus, qui poſt ſuam electionem ſuper Galêam armatam cum duobus
Ambaxatoribus Communis Januæ ad Curiam ivit, C
ut munus conſecrationis à Summo Pontifice obtineret; qui tantam gratiam in conſpectu Papæ & Cardinalium reperit, quòd propter honorem Communis Januæ à Gregorio Papa Nono infra tres dies fuit totaliter expeditus. Iſte Archiepiſcopus fuit multum literatus, & maximè in Arte Medicinæ fuit valde peritus. Tempore hujus Archiepiſcopi, ſcilicet Anno Domini MCCXLI. pars Imperialis, quæ erat Januæ, quæ dicebatur Maſcarati, de Civitate receſſit, & D. Anſaldus de Mari factus eſt Admiratus generalis Federici Imperatoris. Supradictus autem Papa Gregorius contra Federicum Imperatorem Eccleſiæ perſecutorem Concilium convocavit; &
dum Prælati Romam ſuper Galêas Januenſium D
ducerentur, ſupradictus Federicus latenter in Regno & Piſis armare fecit multitudinem Galéarum, & ipſos Prælatos cepit, & in carcerem mancipavit. Quod cùm Januenſes audiſſent, infra paucos dies Galéas LXXXVIII. (29) potenter armaverunt, & ad inimicos perquirendos & perſequendos vivaciter profecti ſunt. Deinde dictus Federicus Romanorum Imperator ſic Romanos pecunia corrupit, quòd ipſum Papam de Urbe volebant expellere, & Imperatorem introducere. Quod Papa cernens capita Apoſtolorum Petri & Pauli in gremio cepit, & nudis pedibus cum Cardinalibus ea ad Eccleſiam S. Petri Apoſtoli deportavit, & illuc Po-
pulum Romanum convocavit; ibique capita Apo- E
ſtolorum nuda Populo cum lachrymis multis oſtendens, in tantum eos verbis furentibus animavit, quod ferè omnes contra Imperatorem Cruce-ſignati fuerunt. Cùmque Imperator circa Romam cum exercitu conſiſteret, in brevi ſe intraturum eſſe ſperabat. Audiens autem tantam Populi mutationem, inde receſſit. Poſt captionem autem dictorum Prælatorum Galêæ Imperatoris & Piſanorum ſæpe in Riperiam Januæ veniebant, & plures moleſtias inferebant. Propter quod Januenſes Galêas LXXXVI. armantes, omnes illas Galéas taliter fugarunt, quòd ultra accedere non præſumſerunt.

Hujus Archiepiſcopi tempore, ſcilicet Anno Domini MCCXLIII. (30) electus eſt in Papam Dominus Sigembaldus de Comitibus Lavaniæ, & Innocentius Quartus appellatus eſt. Verùm cùm à dicto Federico, & ejus militibus apud Sutrium nimium arctaretur, Januenſes Galêas XXII. (31) armaverunt, & ipſum Januam cum gaudio deduxerunt, Anno ſcilicet Domini MCCXLIV. qui poſtmodum Lugdunum per terram perrexit, & ibi ſupradictum Federicum ab Imperio depoſuit. Iſte Innocentius primus ordinavit, ut Cardinales capellos rubros deferrent. Iſto eodem anno, quo ſupradictus Papa Innocentius Januam vênit, inſpirante gratia Salvatoris, Ordinem Prædicaturum intravimus, ubi noſtra adoleſcentia uſque ad ætatem ſenilem fuimus enutriti, & maternis uberibus educati. Supradictus autem Federicus Civitatem Parmenſem tam potenter obſedit, ſcilicet Anno Domini MCCXLVIII. quòd quamdam Civitatem juxta illum ædificavit, quam Victoriam appellavit. Januenſes autem in adjutorium Parmenſium multos baliſtrarios deſtinarunt. Tamdem idem Federicus inde turpiter fuit expulſus, & theſauris omnibus exſpoliatus; milites enim Parmenſes, & Placentini, & Mediolanenſes, & baliſtrarii Januenſes, qui in Civitatem Parmæ convenerant, in Victoriam inſultum fecerunt, ita quòd Imperator cum toto exercitu ſuo fugit, & Cremonæ ſe recepit. Ibi autem fuerunt Coronæ Imperiales, theſauri magni & pretioſi, de quibus multi fuerunt valde ditati. Civitas autem, quam fecerat, & Victoriam vocaverat, fuit totaliter diſſipata. Imperator autem in Apuliam vadens miſerabili morte finivit. Eodem Anno D. Ludovicus Rex Franciæ ad partes ultramarinas transfretavit ſuper naves & Galéas Januenſium, habens in ſuo exercitu duos Januenſes Admiratos, ſcilicet D. Ugonem Lercarium, & D. Jacobum de Levanto, qui quamvis Damiatam cepiſſent, fuit tamen poſtmodum à Saracenis captus Rex, & multi Chriſtiani capti & vulnerati: propter quod Regina & ceteri Chriſtiani, qui remanſerant, Damiatam reſtituerunt, & ſic Regem recuperaverunt. Anno Domini MCCXLIX. Rex Henricus filius Federici Imperatoris à Bononienſibus fuit captus, & carceri mancipatus, ubi per multos annos permanens vitam finivit. Anno MCCLI. Savonenſes, qui rebellaverant, ad mandata Communis Januæ venerunt, & Januenſes, qui dicebantur Maſcarari, reſtituti fuerunt. Et D. Innocentius Papa Quartus de Lugduno rediens Januam eſt reverſus, & cum multa gloria receptus, qui per Lombardiam tranſiens Eccleſiam S. Dominici de Bononia conſecravit, deinde in Apuliam eſt profectus, & ibidem defunctus.

CAP. VI.

GUalterius de Vezano Archiepiſcopus Sextus cœpit Anno Domini MCCLIII. & vixit in Archiepiſcopatu annis XXI. & poſt mortem ſuam vacavit Archiepiſcopatus annis duobus. Fuit autem Archiepiſcopus factus per D. Innocentium Papam Quartum, cui multa familiaritate erat conjunctus; nam cùm priùs eſſet Archidiaconus Lunenſis, fecit prædictus Papa ipſum in Anconitana Marchia Marchionem, & poſtmo-

(29) *Cod. Ambr.* XLVIII.
(30) *Cod. Ambr.* MCCXLII.
(31) *Cod. Ambr.* XXV.

modum de Archiepiſcopatu Januæ providit eidem. Iſte fuit homo magnæ honeſtatis, pietatis, & gratiæ; & licèt eſſet nobilis genere, majorem tamen nobilitatem moribus præferebat. Fuit etiam in Jure peritus, & in omni virtute & bonitate conſpicuus. Tantæ etiam famæ in Curia Romana fuit, quòd aliquando vacante Sede Apoſtolica magnus tractatus inter Cardinales eſt habitus, ut in Summum Pontificem eligeretur. Anno Domini MCCLVI. Marchio de Callari miſit Communi Januæ, ut Galêas mitteret, & Caſtrum Callari armaret, quia Communi Januæ ipſum dare volebat. Miſſæ ſunt ergo Galêæ VI. & navis una cum multis bellatoribus, & baliſtrariis, & ipſum Caſtrum muniverunt. Et quoniam Piſani ipſum Caſtrum Callari moleſtabant, ideo Januenſes Galêas XXIV. armaverunt, & Galêas octo Piſanorum, quæ ibi erant, ceperunt. Eodem Anno Januenſes Galêas LXXXIV. armaverunt, & plures machinas paraverunt, & multos milites paraverunt, & Caſtrum Ullicis obſederunt, & ceperunt. Eodem etiam anno Galeæ Januenſium ceperunt naves ſex Piſanorum.

Hujus Archiepiſcopi tempore, ſcilicet Anno Domini MCCLVII. Guilielmus Bochanigra factus eſt Capitaneus Populi Januenſis, & tenuit dictum officium annis quinque. Anno autem ſecundo ſuæ Capitanariæ naves quatuor & Galêas XL. contra Venetos & Piſanos armavit, & in Acharon eas tranſmiſit, in quibus D. Rubeus de la Turca fuit Admiratus. Sed quoniam improvidè fuerunt armatæ, quia gente Lombardica erant repletæ, ideo quod improvidè factum fuit, improvidè fuit finitum, quia Galêæ XXVI. Januenſium fuerunt amiſſæ. Tamdem poſt longam diſcordiam compromiſerunt partes in D. Alexandrum Papam Quartum, qui inter eos treguam indixit. Sed durante tregua Veneti & Piſani turrim nobiliſſimam & fortiſſimam, quam Januenſes in Acharon ædificaverant, funditus deſtruxerunt. Iſte Archiepiſcopus impetravit à Sede Apoſtolica, quòd nullus Clericus Januenſis Diœceſis, maximè tempore guerræ, de diſtrictu Januæ obtentu aliquarum literarum pro aliqua cauſa extrahi poſſit; & ſuper hoc Privilegium in Archiepiſcopali Palatio reſervatur.

Tempore hujus Archiepiſcopi, ſcilicet Anno Domini MCCLXI. per totam ferè Italiam facta fuit generalis verberatio; nam magni & parvi, nobiles & ignobiles, depoſitis veſtibus nudi à cingulo ſupra, Civitates, Villas, & Caſtella ſic proceſſionaliter ſe verberantes ibant, Virginem glorioſam, & ceteros Sanctos cantilenis Angelicis implorantes. Horum quidam nobiles populares de Terdona Januam advenerunt, & cùm per Civitatem ſe verberantes incederent, tamquam fatui & deliri deridebantur. Sed ecce ſubitò nutu Dei tota Civitas eſt commota, ita quòd parvi & magni, nobiles & ignobiles die ac nocte de Eccleſia ad Eccleſiam ſe verberantes incedebant, & cantiones Angelicas, & cœleſtes decantabant; & qui fuerant principaliores in irridendo, fuerunt poſtea priores in ſe verberando. Multæ quoque inimicitiæ & guerræ novæ & antiquæ in Civitate Januæ, & ferè in tota Italia ad pacem & concordiam ſunt reverſæ ſive reductæ. Iſta tanta devotio à quibuſdam pauperibus & ſimplicibus in Tuſcia fuit inventa, & per totam Italiam diffuſa, & tam à parvis, quàm à magnis, tam à nobilibus, quàm ignobilibus obſervata. Ibant bini & bini per Civitatem ſe verberantes, præcedentibus Religioſis & Clericis cum Crucibus & vexillis.

A Multi quoque, qui homicidia commiſerant, cum gladiis denudatis ad hoſtes ibant, & in eorum manibus gladios nudos ponebant, ut de ipſis vindictam acciperent ſicut vellent. Sed illi gladios in terram projiciebant, & ſe ad pedes inimicorum proſternebant, flentibus & lachrymantibus cunctis, qui hoc videbant, propter devotionem, & cordis exultationem. Alii quoque verberabant ſe cum eis cum corrigiis ad hoc factis, aliqui cum ſpinis, aliqui cum manicis ferreis; & quod fuit mirabile, quamvis verberatio in media hyeme fieret, & homines nudi à cingulo ſupra, à mane uſque ad horam tertiam pergerent, non eſt tamen inventum, quòd aliquis fuerit frigore afflictus. Sed prima die
B alacriter ſe verberabant, ſecunda die alacriùs & faciliùs ſe verberabant. Nec mirum, ſi frigus exteriùs non ſentiebant, quia vehemens ardor amoris, qui intus erat, ardens in mente, omne frigus exteriùs arcebat, quod erat in corpore.

Hujus etiam Archiepiſcopi tempore, ſcilicet Anno Domini MCCLXIV. Stella comata apparuit trahens poſt ſe caudam maximam & ignitam, ſurgens a plaga Aquilonari & pergens ad plagam Orientalem. Incœpit autem apparere prima die Auguſti, & per XL. dies continuè ſurgens apparuit. Iſtam comatam ſæpe aſpeximus, & mirabamur quidnam Deus per tam inauditum & inſolitum portentum vellet innue-
C re, & an per ipſum vellet aliquod grande futurum ſignificare. In ipſo autem anno datum eſt ab Eccleſia Karolo Comiti Provinciæ Regnum Siciliæ & Apuliæ, qui Romam vadens Coronam accepit, & intrans Apuliam Manfredum natum quondam Federici Imperatoris, qui ſe Regem fecerat, & Eccleſiæ rebellaverat, in omnibus ſuperavit. Proceſſu autem temporis Conradinus nepos quondam Federici Imperatoris, adjuvantibus Piſanis, & ferè omnibus Gibellinis, cum magno exercitu vênit Piſas, volens Apuliam violenter intrare, & de manu Karoli Regnum auferre. Cùm verò omnes timerent, D. Clemens Papa, dum apud Viterbium in Eccleſia Fratrum Prædicatorum in Feſto Pentecoſtes ſo-
D lemniter celebraret & prædicaret, & ego tunc Prior Provincialis Fratrum Prædicatorum Lombardiæ, ibidem occaſione noſtri Capituli generalis præſens eſſem, dixit publicè coram omnibus nobis, ne timeremus, quia ſcimus, quòd iſte juvenis à malis hominibus ſicut ovis ducitur ad mortem, & tali ſcientia hoc ſcimus, qua poſt articulos Fidei major non eſt. Quod quidem verbum in admirationem maximam nos induxit. Sed quòd illud verbum fuerit ſpiritu prolatum, patuit per effectum. Dum inde dictus Conradinus Apuliam intraſſet, fuit à Rege Karolo cum toto ſuo exercitu ſuperatus, & omnino devictus, & dictus Conradinus ſententia capitali punitus.

E Anno Domini MCCLXVIII. Januenſes armaverunt Galêas XXVII. ut irent in Acharon contra Venetos & Piſanos, in quibus Lanfrancus Barbarius fuit conſtitutus Admiratus. Veneti autem habebant Galêas XXIV. Erat autem prædictus Lanfrancus corde pavidus, & in rebus bellicis inexpertus; & ideo improvidentia magna fuit facere talem Admiratum; Ducem enim exercitus eſſe oportet magnanimum animo, providum corde, & corpore robuſtum. Ille igitur viſis Galêis Venetorum apud Traponam toto fuit corde confractus, & viribus reſolutus; & ideo ſuper quamdam vachetam conſcendens aufugit, & exercitum dereliquit, &

ſic

ſic fugato Duce Galêæ fuerunt diſperſæ & captæ. A Et quamvis impoſita fuerit ſibi proditio, nos tamen credimus in ipſo magìs fuiſſe vilitatem animi, quàm proditionem. Iſtud verò cùm à Januenſibus ſcitum fuit, ſinè mora Galêas XXV. armaverunt, in quibus D. Ubertum Auriæ Admiratum conſtituerunt. Ille ergo hoſtes ubique perquirens, tamdem, quamdam Civitatem Venetorum, quæ eſt in Inſula Cretæ, nomine Terram-novam, bellando cepit, & totam ferro, igne, & ſanguine devaſtavit, & homines, quos ibi cepit, Januam captivos duxit. Hujus Archiepiſcopi tempore, ſcilicet Anno Domini MCCLXX. facti ſunt Capitanei Populi Januæ viri nobiles D. Ubertus Spinola, & D. Ubertus Auriæ, & per Annos XXII. Capitanariam & B regimen tenuerunt, excepto quòd dictus D. Ubertus Auriæ contra voluntatem populi in Anno XX. (32) reſignavit; ſed loco ſuo D. Conradus ejus filius inſtitutus fuit, qui per annos ſeptem officium Capitanei geſſit. Poſt autem hoc ſupradictus D. Gualterius Deo amabilis & hominibus gratioſus, dierum, virtutum, & bonorum operum plenus, ac bona ſenectute confectus, beato fine quievit, cujus fama odoriſera remanſit in Mundo, & anima bona regnat in Cœlo.

CAP. VII.

BErnardus natione Parmenſis Archiepiſcopus C Septimus cœpit circa Annos Domini MCCLXXV. & vixit in Archiepiſcopatu Annos X. & poſt ejus mortem vacavit Archiepiſcopatus Annis duobus. Hic primò fuit Narbonenſis Archidiaconus, deinde in Marchia Anconitana fuit Marchio conſtitutus, tamdem per D. Innocentium Papam Quartum fuit in Eccleſia Januenſi in honore Archiepiſcopali promotus. Hujus Archiepiſcopi tempore, ſcilicet Anno Domini MCCLXXVIII. Piſani armaverunt Galêas LXXII. contra Januenſes, non credentes quòd Januenſes tot armare poſſent. Tranſierunt ergo per mare Januæ, volentes Riperiam devaſtare, ſed non fuerunt auſi ad terram alicubi deſcendere, nec aliqua damna inferre. At Januenſes D cùm hoc cognoviſſent, Galêas XCVI. viriliter armaverunt, & ad hoſtes perſequendos, & inveniendos tam alacriter quàm potenter profecti ſunt. Cùmque Galêas Piſanorum ſuper portum Piſanum inveniſſent, audacter eas invadunt, ita quòd Galêas XXXIII. ceperunt, quibuſdam earum in mare demerſis, quibuſdam verò turpiter fugatis, & ſic Januam cum multo triumpho ad propria redierunt. Ab illo tempore citra Januenſes Piſanos ſic terruerunt, & domnaverunt, quòd uſque nunc Galêas ſuper portum eorum tenent, quæ ligna aliqua illuc intrare prohibent.

Iſte Archiepiſcopus fuit in Jure Canonico E valde peritus, & in omnibus operibus ſuis multum ſolicitus, & diſertus; circa res quoque Archiepiſcopatus promovendas fuit multum aſſiduus, & intentus; nam apud Januam Palatium Archiepiſcopatus multum melioravit; apud Molazanam Palatium magnum & pulchrum conſtruxit. Apud S. Romulum Palatium nobile per D. Gualterium incœptum ampliavit & melioravit, & multa alia bona opera fecit. Hic à D. Gerardo Sabinenſi Epiſcopo, qui ſibi attinebat, ad Romanam Curiam vocatus eſt, & dum ſperaret quòd deberet fieri Cardinalis, & per Ci- A vitatem Parmenſem tranſiret, ſenſit ſe ibi graviter infirmari. Ideo, itinere illo dimiſſo, Januam non ſinè magno corporis diſpendio eſt reverſus, malens in Civitate illa mori, ubi fuerat corporaliter generatus. Cùm ergo Januam adveniſſet, & invaleſceret morbus, per mortem Mundi de medio eſt ſublatus, & honorabiliter tumulatus.

Circa hæc tempora electi fuerunt tres Cardinales in Summos Pontifices, quorum vita brevis extitit, & intra dies pauciſſimos finita fuit. Primus fuit Innocentius Quintus de Ordine Prædicatorum, qui ſedit menſibus quinque. Iſte fuit homo multum famoſus, & in Theologia valde ſummus, qui etiam rexit Pariſiis in Theologia B multis annis. Iſte ſpecialem amorem ad Civitatem Januæ habuit, & pacem inter Regem Carolum, & ipſam Civitatem fecit. Alius fuit Adrianus de Comitibus Lavaniæ, qui ſedit menſe uno & diebus paucis. Iſte licèt eſſet magnæ ſapientiæ & experientiæ, tamen propter brevitatem temporis nihil inſigne vel notabile facere potuit. Gaudentibus autem de ſua ſublimitate parentibus & amicis, dixit eis: *Quare gaudetis? melius erat vobis unum Cardinalem vivum habere, quàm Papam mortuum*. Poſt modicum verò temporis infirmitatem incurrit, & in pace quievit. Alius fuit Johannes natione Hiſpanus, qui ſedit menſibus octo. Cùm enim quamdam domum ædificari faceret, ſubitò domo cadente C eum occidit, & ſic vitam finivit. De cujus morte modicum Eccleſiæ damnum fuit, quia licèt ſcientia Phyſicali & naturali multum eſſet repletus, tamen diſcretione & ſenſu naturali multum erat vacuus.

CAP. VIII.

OPizo de Fliſco de Comitibus Lavaniæ cœpit regere Eccleſiam Januæ Anno Domini MCCLXXXVIII. & rexit eam annis tribus & dimidio. Iſte fuit nepos D. Innocentii Papæ Quarti, & D. Adriani Papæ. Eſt enim magni honoris, & grande præconium, quod intra ſpatium XXXVI. annorum, vel circa, de D domo ſua duo Summi Pontifices prodierunt. Plures etiam Cardinales de domo eadem extiterunt. Supradictus ergo D. Innocentius prædictum D. Opizonem Patriarcham Antiochenum fecit, quem Patriarchatum multo tempore tenuit, & rexit, & in maxima dignitate ibi fuit. Tamdem peccatis exigentibus Antiochena Civitas tam nobilis & famoſa à Saracenis fuit capta, & omnia bona Patriarchatus occupata & devaſtata; & ideo oportuit dictum Patriarcham ad partes tranſmarinas tranſire. Eccleſia igitur Romana ſibi compatiens; & ei providere volens, dedit ſibi in curam Eccleſiam Tranenſem; poſt multos autem annos commiſit ſibi in curam tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus Eccleſiam E Januenſem. Poſtmodum autem Commune Januæ ad D. Papam Nicolaum Quartum ſolemnes Ambaxatores pro quibuſdam negotiis Communis Januæ deſtinavit. Supradicti autem Ambaxatores à Summo Pontifice humiliter poſtularunt, ut more ſolito eis Archiepiſcopum concedere dignaretur. Summus ergo Pontifex petitioni ipſorum condeſcendere volens, ſupradicto Patriarchæ ſufficienter & honorabiliter providit, & Civitati Januæ Archiepiſcopum conceſſit.

CAP.

(32) *Cod. Ambr.* XV.

CAP. IX.

FRater Jacobus de Varagine de Ordine Prædicatorum Archiepiſcopus Octavus cœpit Anno Domini MCCXCII. & vivet quantum Deo placebit. Iſte per D. Nicolaum Papam Quartum, qui fuit de Ordine Fratrum Minorum, Archiepiſcopus eſt creatus, qui quidem Papa ipſum per ſuas literas ad ſuam præſentiam vocaverat, ut ſibi conſecrationis dignitatem impenderet, & Pallium ſibi daret. Sed cùm Romam in Dominica de Ramis Palmarum intraſſet, reperit ipſum Summum Pontificem gravi & periculoſa ægritudine laborantem, ita quòd in Paraſceve animam Deo reddidit, & ſic credimus quòd in cœleſte palatium introivit. Collegium autem venerabile Cardinalium infra Octavas Paſchæ Conſiſtorium faciens, ordinavit, ut propter honorem Communis Januæ Archiepiſcopus ſuus in brevi debeat expediri: propter quod in Octava Paſchæ per venerabilem virum Patrem D. Latinum Oſtienſem fuit conſecratus, & in ipſa die, ſive hebdomada, palliatus; & ſic ad Civitatem ſuam cum gaudio eſt reverſus, & à populo reverenter exceptus. Hic cùm adhuc eſſet in Ordine ſuo, & poſtquam fuit in Archiepiſcopatu, opera plura fecit. Nam *Legendas Sanctorum* non uno volumine compilavit, multa adjiciens in eiſdem de Hiſtoria Tripartita, & Scholaſtica, & de Chronicis multorum Auctorum. Iſtius Operis Prologus ſic incipit: *Adventus Domini &c.* Fecit etiam duo volumina *Sermonum de omnibus Sanctis*, quorum Feſtivitates per anni circulum ab Eccleſia celebrantur. Unum volumen eſt multum diffuſum; aliud eſt magis breve & anguſtum. Utrumque volumen ſic incipit: *Veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus*. Fecit etiam *Sermones de omnibus Evangeliis Dominicalibus*, quæ per anni circulum ab Eccleſia leguntur, de quolibet Evangelio faciens tres Sermones ad honorem individuæ Trinitatis. Iſtud Opus poſt Prologum ſic incipit: *Præpara te in occurſum Dei tui Jeruſalem &c.* Fecit etiam *Sermones de omnibus Evangeliis*, quæ in ſingulis Feriis in Quadrageſima leguntur, ſcilicet à quarta Feria Cinerum uſque ad tertiam Feriam poſt Paſcha, de quolibet Evangelio faciens duos Sermones. Iſtud Opus ſic incipit: *Filia populi mei induere cilicio &c.* Fecit etiam Librum, qui dicitur *Marialis*, qui totus eſt de B. Maria compoſitus, & ſecundùm ordinem literarum Alphabeti diſtinctus. Iſte Liber poſt Prologum ſic incipit: *Abſtinentia multiplex eſt &c.* Præſentem etiam *Chronicam* compilavit hoc ſecundo anno ſui Pontificatus, ſcilicet Anno Domini MCCXCIII.

In Eccleſia S. Laurentii Provinciale Concilium celebravit, ubi interfuerunt Epiſcopus Albiganenſis, Epiſcopus Brumacenſis, Epiſcopus Naulenſis, Epiſcopus Maranenſis, & Epiſcopus Abienſis. Epiſcopus Bobienſis ſe excuſavit infirmitate & ſenectute gravatus, ſuum tamen Procuratorem, & Syndicum deſtinavit. Epiſcopus verò Dacienſis tunc vacabat. Interfuerunt verò Abbates Mitrati quamplures, ſcilicet Abbas S. Syri, Abbas S. Stephani, Abbas S. Fructuoſi, Abbas de Tyro. Abbas verò de Borſono, & Abbas de Inſula Gallinaria ſe excuſaverunt infirmitate & ſenectute gravati, ſuos tamen Procuratores & Syndicos deſtinarunt. Interfuerunt etiam Præpoſiti, & Archipresbyteri, Præſules, & cæteri Miniſtri in multitudine copioſa. In ipſo autem Concilio fuerunt multa utilia ſtatuta, & multæ Conſtitutiones editæ, quæ uſque hodie obſervantur. Ceterùm quia inter aliquos dubitatio videbatur oriri, an corpus S. Syri eſſet in archa marmorea, quæ ſubtus Altare S. Laurentii eſt collocata, voluimus ſuper hoc inquirere veritatem. Quocirca Concilio præſente, & præſentibus Poteſtate, & Capitaneo, Abbate Populi, & multis aliis Nobilibus Civitatis Januæ, archam illam fecimus aperiri, ubi invenimus archam ligneam incluſam, & diligenter firmatam, quam aperientes ibi invenimus laminam plumbeam, & tabulam marmoream, & cedulam in pixide quadam repoſitam, & utrobique erat literis exaratum, quòd in illa capſa oſſa S. Syri erant repoſita. Nos etiam illam capſam ſuper Altare S. Laurentii deduci fecimus, & ibi noſtris manibus inquirentes omnia oſſa invenimus, quæ ad compoſitionem humani corporis requiruntur. Inſuper poſt paucos dies adveniente ipſius S. Syri Feſtivitate, ipſam capſam ſuper magnum pulpitum Eccleſiæ S. Laurentii depoſitari fecimus, & ibi epitaſia oſſa populo oſtendimus evidenter, quæ ab omnibus fuerunt cum maxima devotione viſa, & ſuppliciter adorata. Ordinavimus autem, ut caput S. Syri in ſacriſtia ſervetur, & in thecis argenteis includatur.

Temporibus quoque noſtris, ſcilicet Anno MCCXCIV. fuit quidam Eremita nomine Frater Petrus de Morono de partibus Abrutii, qui per XL. annos vitam eremiticam duxit, & erat homo magnæ abſtinentiæ, ſanctitatis, & famæ. Cùm ergo Sedes Apoſtolica per annos duos & plures vacaſſet, & Cardinales concordari non poſſent, quadam die dum pro quodam negotio inſimul eſſent congregati, iſtius Fratris Petri fama vênit in medium. Tunc unus ex Cardinalibus dicitur tale verbum protuliſſe: *Quare non facimus iſtum Eremitam Papam?* Statimque in ipſum vota omnium ſunt unita, & ipſum unanimiter elegerunt, & Cœleſtinum vocaverunt. Iſte dum per unam diem Aquilam pergeret, in exemplum humilitatis, poſtquam fuit Summus Pontifex, aſinum equitavit. De Aquila vadens Neapolim noluit uti palafreno, ſed humili aſello. Iſte Papa primo anno ſuæ creationis duodecim Cardinales fecit de plenitudine ſuæ poteſtatis; poſtmodum fecit alium, tempore & modo debito non ſervato, de plenitudine ſimplicitatis, Archiepiſcopum Beneventanum, quem fecit Præſulem Cardinalem non temporibus inſtitutum, nec de conſilio Cardinalium, ſed ad ſuggeſtionem aliquorum. Dabat etiam Dignitates, Prælaturas, officia, & beneficia, in quibus non ſequebatur Curiæ conſuetudinem, ſed potiùs quorumdam ſuggeſtionem, & ſuam rudem ſimplicitatem. Multa quoque alia faciebat, in quibus non ſequebatur præcedentium Patrum veſtigia, nec eorum ſtatuta. Et quamvis non ex malitia, ſed ex quadam ſimplicitate hæc faceret, tamen in magnum Eccleſiæ præjudicium redundabant. Quocirca ipſe videns ſuam inſufficientiam, & inexperientiam, ſalubri ductus conſilio, Conſtitutionem fecit, quòd ſi aliquis Papa inſufficiens inveniretur, poſſet Papatum liberè reſignare. Quo facto cùm Papatum per ſex menſes vel circa retinuiſſet, in Feſto S. Lucæ liberè reſignavit, & habitum Eremiticum reaſſumens ad ſuam ſolitudinem eſt reverſus. Poſt cujus reſignationem, ſcilicet in Vigilia Nativitatis Domini D. Bonifacius de Anagnio virtutis magnæ, ſcientiæ, & experientiæ, in Summum Pontificem eſt electus, & Bonifacius Octavus nominatus.

Qualiter antem iſto Anno Galêæ XVIII. & duo ligna quorumdam Mercatorum de Janua debellaverunt Galêas XXIV. (33) & quatuor ligna Venetorum, dictum eſt ſuperiùs in Parte quinta Capitulo tertio.

Anno Domini MCCXCV. de menſe Januarii facta eſt pax generalis & univerſalis in Civitate Januæ inter illos, qui dicebantur Maſcarati, ſive Gibellini, & illos, qui dicebantur Rampini, ſive Guelfi. Inter quos quidem fuerant longo tempore maligno animo ſuſcitatæ multæ diviſiones & periculoſæ diſſenſiones, quæ quidem diſſenſiones, diviſiones, & partialitates per Annos LX. (34) & ampliùs duraverant. Sed favente gratia Salvatoris omnes ad pacem & concordiam ſunt redacti, ita quòd facta eſt inter eos una ſocietas, una fraternitas, & unum corpus. De quo tanta lætitia eſt ſecuta, quòd tota Civitas fuit plena jubilo, plena tripudio, plena gaudio immenſo. Nos quoque in publico Parlamento, in quo pax fuit inita, Pontificalibus induti propoſuimus verbum Dei, & ibidem cum Clero noſtro *Te Deum laudamus* cantavimus alta voce, habentes nobiſcum quatuor mitratos inter Epiſcopos & Abbates. Sumto verò prandio, tota militia nos ſequente, Pontificalibus induti ſuper palafrenum ſindone coopertum per totam Civitatem noſtram læti & gaudentes equitavimus, Dei benedictionem ac noſtram omnibus largiendo, & Deo gratias referendo. In ſignum quoque lætitiæ de tam nobili & inclyta pace Commune Januæ nobilem virum D. Jacobum de Carcano Civem Mediolanenſem tunc Poteſtatem Januæ Militem accinctum fecit, & ipſum multis honoribus & muneribus cumulavit. Sed quoniam in præſenti nulla bona ſunt pura, quia pura bona ſunt in Cælo, pura mala ſunt in Inferno, bona verò & mala ſunt mixta in hoc Mundo: ideo, proh dolor, cythara noſtra verſa eſt in luctum, & organum noſtrum in vocem flentium eſt mutatum. Eodem ſiquidem Anno de menſe Decembris, quinta ſcilicet die poſt Natalem Domini, Civibus noſtris de ſupradicta pace congaudentibus, pacis æmulus, & humanæ pacis inimicus in tantam diſcordiam & tribulationem Cives noſtros commovit, ut per vicos & plateas in manu armata confligerent; & diebus multis ad invicem hoſtiliter dimicaverunt. Ex quo ſecutæ ſunt neces & vulnera multorum, domorum incendia, rerum exſpoliatio & rapina. Et quoniam furor hoſtilis frenum non recipit, communis in tantum proceſſit cæca turbatio, ut turrem S. Laurentii habere poſſent, quòd auſi ſunt in Eccleſia S. Laurentii ignem apponere, & ejus tectum totaliter concremare. Duravit autem tam periculoſa ſeditio à quinta die poſt Natalem Domini uſque ad diem ſeptimam Februarii. Tamdem creati ſunt duo Capitanei, ſcilicet D. Conradus Spinula, & D. Conradus Auriæ, & ſic Civitas à prœliis quievit; & Capitaneus, qui de foris eligebatur, fuit ſublatus. De ſtolo autem glorioſo & magnifico, quem Januenſes Anno Domini MCCXCV. contra Venetos armaverunt, dictum eſt ſupra in Parte Quinta Capitulo Tertio. Sequenti verò Anno Veneti armaverunt ſtolum Galêarum, & Romaniam pergentes, quamdam Terram Januenſium nomine Peram, quæ erat juxta Conſtantinopolim, omnino immunitam, ceperunt; & quamdam Terram DD. Benedicti & Manuelis Fratrum de Zachariis nomine Foziam deſtruxerunt. Anno quoque Domini MCCXCVI. (35) Veneti armaverunt Galêas LXV. Januenſes verò armaverunt Galêas LXXV. Verùm tamen Galêas Venetorum invenire minimè potuerunt; & quoniam Galêæ Januenſium falsò audiſſent, quòd Galêæ Venetorum Venetias rediſſent, ipſi quoque cum Galêis ſuis Januam ſunt reverſi. Quod cùm audiſſent Galêæ Venetorum, quæ latuerant, in Siciliam ſunt profectæ, & plures naves Januenſium, quæ ibi erant, ceperunt, & ignibus combuſſerunt, de quo fuit Januæ turbatio magna valde. Eodem Anno ſupradictus D. Bonifacius Papa propter quoſdam graves exceſſus fecit contra illos de Columna tam Clericos, quàm Laicos graves proceſſus, & duos Cardinales de ipſis de Columna Cardinalatibus exſpoliavit. Ipſi verò in quibuſdam Civitatibus recluſerunt ſe Eccleſiæ rebellantes; ſed exercitus Eccleſiæ duas de ipſis Civitatibus cepit. Itaque illi in Civitate Præneſtina, quæ dicitur eſſe fortiſſima, ſe receperunt.

(33) *Cod. Ambr.* XXVIII.
(34) *Cod. Ambr.* LV.
(35) *Cod. Ambr.* MCCXCVII.

Explicit Chronica de Civitate Januæ edita à Fratre Jacobo de Varagine Ordinis Fratrum Prædicatorum Dei gratiâ Archiepiſcopo Januæ. Deo gratias. Amen.

STEPHANARDI
DE VICOMERCATO
ORDINIS PRÆDICATORUM

POEMA

DE GESTIS

IN CIVITATE MEDIOLANI
SUB

OTHONE VICECOMITE
ARCHIEPISCOPO;

Antea editum Tom. III. Anecdotorum

LUDOVICI ANTONII MURATORII;

Nunc verò collatum cum antiquo MSto Codice

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ,

Et novis adnotationibus ejuſdem Muratorii illuſtratum.

Digitized by Google

IN STEPHANARDI
DE VICOMERCATO
POEMA
DE GESTIS IN CIVITATE MEDIOLANI
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

OTho Vicecomes, cui potiſſimum ſuae magnitudinis & gloriae fundamenta debuit illuſtris Vicecomitum ſamilia, ad Archiepiſcopatum Mediolanenſem evectus ſuit Ann. Chr. 1262. Varia fortuna uſus, multiſque laboribus devoratis, ſedem ſuam tamdem An. 1277. & una cum ipſa imperium Mediolanenſis Urbis obtinuit, poſtquam inde Turrianos cedere coëgit. Ejus mors in Annum 1292. Gualvaneo Flamma teſte cadit, ſed ſtatuenda eſt in 1295 uti Corius io Hiſtoria Mediolanenſi oſtendit, relatis verſibus ejus ſepulcro ſub Johanne Vicecomite Archiepiſcopo inſcriptis. Atque ea ipſa tempora fuere, quibus floruit Stephanardus de Vicomercato, cujus nunc Poëma Hiſtoricum damus de rebus geſtis ſub Othone Vicecomite uſque ad memoratum Annum 1277. Scriptori buic Patria Mediolanum, ſamilia de Vicomercato, quae & nunc inter Mediolanenſes nobilitate ſua conſpicua eſt. Ordini Praedicatorum nomen dedit, atque Otboni Archiepiſcopo carus, inter vivos deſiit eſſe Anno 1297.

Exſtant Mediolani apud PP. Praedicatores Conventus Gratiarum Chronica MSS. Fratris Ambroſii Taëgii antiqui Scriptoris, de quo mentionem ſacit Leander Albertus Lib. IV. de Viris illuſtr. Ord. Praedic. Haec autem ibi ſcripta inveni ad Annum Chr. 1296. *Dominus Otto Vicecomes Mediolanenſis Archiepiſcopus praebendam centum Florenorum conſtituit pro Lectore Majoris Eccleſiae Mediolani, quae lectio data ſuit Fratribus noſtris, & uſque in praeſens perſeverat. Inſtituit autem dictus Dominus Archiepiſcopus pro Lectore dictae Eccleſiae Fratrem Stephanardum de Vicomercato Mediolanenſem, & obtinuit, qui legit Anno uno. Hic fuit in ſeculo bonorabilis Clericus, & magnus praebendatus, & doctus, qui compoſuit Chronicam, & Summam Juris Civilis, & multa, quae ſunt in Bibliotheca Conventus Mediolani D. Euſtorgii. Fuit quoque dicti Domini Archiepiſcopi amiciſſimus ac familiariſſimus* Haec Taëgius, qui & Anno ſequenti commemorat mortem Stephanardi.

Vidi inſuper in Ambroſiana Bibliotheca Tractatum MS. *de Irregularitate compilatum per Fratrem Stephanardum Ordinis Praedicatorum*. Ejus etiam nomen occurrit inter teſtes adhibitos in Proceſſu MS. confecto propter caedem S. Petri Martyris Ord. Praedic. cujus ſragmentum habetur in eadem Ambroſiana Bibliotheca, a Puricellio quoque memoratum. In Notis autem MSS. ad hanc ipſam Hiſtoriam, quam nunc edimus, Stephanardus alium libellum concinnaſſe dicitur Carmine Elegiaco. Ceterum praeter Paulum Morigiam Philippus Picinellius in Athenaeo Literator. Mediolan. refert a Stephanardo compoſitum *Dialogum de Apprebenſione, uti etiam Librum Periarchon Nominum, atque itidem Chronicon metricum ſuper Lucam*, quae numquam vidi. De hoc eodem Auctore videndi Leander Albertus de Vir. illuſtr. Ord. Praedic. Antonius Poſſevinos in Apparatu Sacro, Johannes Jacobus Friſius in Bibliotheca, & laudatus Puricellius in Vita Laurentii Littæ pag. 217. ut alios omittam. Frater vero *Gualvaneus de la Flamma* Ordin. Praedic. celebris circiter Ann. Cbr. 1330. Mediolanenſium rerum Hiſtoricus, cujus Opera MSS. adſervantur in memorata Ambroſiana Bibliotheca, ſaepe Stephanardum memorat, cujus etiam verſus ex hac eadem Hiſtoria deſcriptos in *Manipulum Florum* derivavit. Et heic emendandus Paulus Jovius, cujus verba ſunt in Vita Othonis Vicecomitis: *Refert Stephanardus Flamma, qui eam Hiſtoriam conſcripſit* &c. ubi vides cum Gualva-

neo

neo Flamma confundi Stephanardum noſtrum, quae res Gerardum Johannem Voſſium Lib. 2. cap. 62. de Hiſtoricis Latinis in ancipiti poſuit, num alius a *Stephanardo de Vicomercato* foret *Stephanardus ille Flamma*. Sed & ipſe Voſſius deceptus eſt, quum ibi ſcripſit, Manuſcriptum Chronicorum Stephanardi exemplar eſſe apud V. Cl. Laurentium Pignorium, atque inſcribi *Manipulum Florum*; nam Hiſtoria, cui hic titulus, non metrica, ſed ſoluta oratione compoſita eſt, & Gualvaneum Flammam, non verò Stephanardum noſtrum, Auctorem habuit, ut oſtendemus, quum ipſum *Manipulum Florum* evulgabimus.

Quod reſtat, Stephanardo neque ingenium, neque eruditio defuerunt; quare ejus Hiſtoriam, quam ex Cod. MS. Bibliothecae Ambroſianae Lit. S. num. 35. deſcriptam iterum juris publici facio, non ingratam eruditis futuram puto, quamquam in calce mutilam; neque enim eorum temporum Scriptorem mihi reperias, qui res ſub oculis ſuis in Inſubria geſtas uberius ac fidelius, quam Stephanardus, memoriae mandarit. Erant in MS. Codice lacunae quaedam, & ſphalmata non pauca. Quae in oculos incurrebant, ſuſtuli. Lectoris autem erit alia emendare, aut ſupplere, quibus inferre manum mihi non placuit. Notulas autem in poſtrema hac editione appoſui, ut caliginoſis quibuſdam locis aliquid lucis afferrem. Quod ſi omnia illuſtranda ſuſcepiſſem, quae parum perſpicua ſunt, toedio Lectoribus fortaſſe fuiſſem: ut autem gratior nova haec editio foret, curavi, ut hocce Poëma conferretur cum MSto antiquo eo Codice, quem a ſe repertum, cum in ordinem redigeret, indigeſtam MStorum molem Bibliothecae Ambroſianae, Clariſs. Vir *Joſeph Antonius Saxius* eidem Praefectus collocavit ſub Litera O. num. 161. in quarto; ejuſque Codicis adjumento, adnitente potiſſimum *Philippo Argelato* noſtro, plura ſuppleta ſunt, atque emendata.

STE-

STEPHANARDI
DE VICOMERCATO
ORDINIS PRÆDICATORUM
DE GESTIS
IN CIVITATE MEDIOLANI
SUB
OTHONE VICECOMITE
ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI
POEMA.

PROLOGUS.

Incipit Liber Primus de geſtis in Civitate Mediolani.

AD poſterorum cautelam geſta in Civitate Mediolanenſi tempore Domini Othonis de Vicecomitibus tunc ejuſdem Civitatis Archiepiſcopi, per quem etiam magna ſuerunt peracta negotia, cogitavi ſcribere metricè ad ornamentum operis; metri enim neceſſitas quamdam habet venuſtatem annexam. Nec declinavi à ſundamento Hiſtoriæ, licèt tantùm quædam majora proſequar, omittens minora quamplurima, arbitrans (a) ſingula colligere vanum, & ſinè fructu. Aliqua etiam, tam poeticæ, quàm rhetoricæ artis morem ſequendo, addita ſunt alicubi ornatus cauſa, non tamen veritati derogantia geſtorum. Quoniam verò ex auditu iſta percepi, quæ meo ſunt expleta tempore, (1) nunc me longè diſtante, plus fortè aliquid, vel minus ad meam devênit notitiam. ideo ſinè præjudicio veritatis hæc ſcripta accipiat, qui legerit: quoniam in hoc Opuſculo nec veritati detrahere intentio eſt, nec ſalſitati favere; fidelis enim ſcriptor velut æquus arbiter affectui privato renuntiare debet, & ipſis adhærere rebus. Ut autem ſubſequentium intelligentia ſe faciliùs offerat, proſaica dicendorum brevis explicatio præmittitur.

In duos enim Libros opus diviſi, quorum primus continet ea, quæ ante conflictus ſunt acta, licèt in eo unus conflictus, qui inter Cremonenſes, & Veronenſes fuit in Inſula Fulcherii, breviter percinatur (b). In ſecundo verò Libro plures deſcribuntur pugnæ, & aliqua etiam pauca, quæ pugnam ultimam ſecuta ſunt, tanguntur. In primo itaque Libro in principio prælibatio totius operis tangitur, cui invocatio, ſeu Divini auxilii imploratio annectitur. In primo paragrapho innuitur multiplex commendatio Civitatis Mediolani. In ſecundo paragrapho mutatione facta in pejus multiplex ejus mala conditio exprimitur, & maximè civile diſcidium ex ambitione aliquorum civium ſibi adverſorum, quærentium dominium in Civitate, quorum uni parti (2) Militia adhæret, alteri Populus. In tertio paragrapho prævalente populo, & ejus Duce in Civitate, Cremona fœderatur populo Mediolanenſi; ſed Verona Militiæ jungitur, cujus Princeps veniens in Militiæ Mediolanenſis ſubſidium, tranſito fluvio Abdua, citò eſt regreſſus, inſequentibus eum Mediolanenſibus; & pugnavit cum Cremonenſibus ei obviantibus, & vulneratus & captus ſuccubuit cum ſuo exercitu. Quo facto Militia Mediolanenſis patriis laribus ceſſit, & trans Abduam fluvium fugit, quæ ſtatim redire nitens in Caſtro Tebiago nomine capta fuit, & in duro carcere recluſa. Qui autem Caſtrum nòn intraverunt, ad loca ſeceſſerunt diverſa. In quarto paragrapho deſcribitur gemitus (c) eorum, qui capti ſuerunt. In quinto paragrapho ponitur querela Auctoris hujus operis ſuper ſui generis ruina. In ſexto paragrapho dicitur, quomodo vacante Sede Metropolitana Dominus Otho de Vicecomitibus Civis Mediolanenſis à Papa Urbano IV., duobus aliis excluſis, Eccleſiæ præficitur. Quo facto Prætor populi dominus in Civitate Mediolani, dolens de ſui fratris amotione, caſtra, & poſſeſſiones Archiepiſcopatus invadit. Sed dictus Dominus Otho Archiepiſcopus creatus jura repetit Eccleſiæ ſuæ à Papa Clemente IV. qui ſucceſſit Urbano, qui etiam multum fervens fuit pro reſtitutione facienda, & occupatores coram ſe citat. In ſeptimo paragrapho præfati Clementis ſublimatio à ſorore carnali propheticè præviſa, & eidem prædicta, cum recommendatione Ordinis Fratrum Prædicatorum, cui devota erat, inſeritur. In octavo paragrapho Legatos de Mediolano ve-

(a) *MS. Ambr.* non ſolùm difficile, verùm etiam ſinè fructu.

(1) Scribe: *tunc me*. In MS. Ambr. O. leg. *nec me*.

(b) *MS. Ambr.* percurratur.

(2) idest *Milites*, ſive Nobiles Civitatis Mediolanenſis. *Populus* vero Plebem & ignobiles ſignificat.

(c) *MS. Ambr. addit* amicorum.

veniſſe ad Papam Clementem docetur, qui & licentiavit eoſdem, niſi primo parêre jurarent; qui hoc recuſantes vadunt ad Regem Karolum dominum Apuliæ, qui ad eorum preces Legatum miſit, qui pro eis intercederet apud Papam. Ipſi verò cum Legato Regis redeuntes, à Domino Papa ſunt recepti, & audientia eſt eiſdem conceſſa. In nono paragrapho ponitur Oratio Legati Regis pro Mediolanenſibus. In decimo paragrapho Oratio Legati Communis Mediolani; & iſti duo contra Dominum Archiepiſcopum, & proſcriptos de Mediolano loquuntur, quorum primus breviter ſe expedit, ſed ſecundus prolixè obloquitur de eiſdem. In undecimo texitur Oratio Domini Archiepiſcopi, qui maximè intendit excuſationi ſuæ, & proſcriptorum, & aliqualiter contra Cives etiam de Mediolano aliqua allegat. In duodecimo paragrapho Oratio habetur Legati proſcriptorum, qui maximè Cives de Mediolano accuſat, & excuſat proſcriptos. In decimotertio paragrapho dicitur, quomodo concionibus quatuor præfatis coram Papa, & Cardinalibus recitatis, Dominus Papa non revocat ſententias excommunicationis, & interdicti latas in Civitatem Mediolanenſem, niſi Legati Communis Mediolani jurent obedire, qui cognitâ conſtantiâ Papæ juraverunt, & redierunt Mediolanum. In decimoquarto paragrapho ſubinſertur, quomodo Legatus Papæ ſequitur Legatos redeuntes, qui veniens Mediolanum coram Civibus proponit mandata Papæ, quæ recepta fuerunt, & juramenta obedientiæ patrantur à Civibus per plateas. In decimoquinto paragrapho ponitur Oratio Legati Domini Papæ in Conſilio generali recitata, in qua hortatur Cives ad amorem, & obedientiam Eccleſiæ, eos mirè laudans, & recipit juramenta, & relaxat omnes ſententias in Commune Mediolani latas, & omnia jura Eccleſiæ Mediolanenſis repetit, & recipit Domini Archiepiſcopi nomine.

LIBER II.

IN ſecundo Libro multa deſcribuntur bella. In primo paragrapho agitur de repullulatione iræ primatum Civitatis Mediolanenſis contra Dominum Archiepiſcopum, & contra eum injuſto Statuto edito, cùm iret per Placentiam Lugdunum ad Concilium generale ſequens Papam Gregorium X., qui Archiepiſcopus in reditu ſtetit Bugellæ in Diœceſi Vercellenſi, quia Papa rediens per Mediolanum noluit, quòd cum eo veniret. In ſecundo paragrapho narratur, quòd, Archiepiſcopo ſtante Bugellæ, Comes Guifredus de Languſco, Poteſtas Proſcriptorum, invaſit cum proſcriptis militibus Caſtrum Seprii, & arcem Engleriæ cum Burgo; & deſcriptio continetur Caſtri Seprii, & Engleriæ, & arcis ejus, & de exitu Civium Mediolanenſium contra dictum Comitem, & conflictu facto juxta fluvium Guaſſam nomine, in quo conflictu Comes & multi de militibus proſcriptis occiſi fuerunt, & alii in fugam converſi, & multi capitis ſententia plexi. In tertio paragrapho agitur de exhortatione, quam proſcripti milites faciunt Archiepiſcopo, ut veniat, & ei eorum Principem eſſe placeat; & de reſponſione Archiepiſcopi, & adventu ejus in Novariam, & inde in Caſtrum Seprii, & de exitu Mediolanenſium contra Archiepiſcopum, & expugnatione Caſtri, & de repulſa, & fuga Civium, & de fuga tandem Archiepiſcopi, & ſuorum in Cumas, & inde in (*) Zurigum. In quarto paragrapho agitur de adventu Archiepiſcopi de Zurigo in Canobium, & de præparatione claſſis contra hoſtes, & de bello navali habito juxta Zerminagam in Lacu Majori, & de victoria Archiepiſcopi & ſuorum, & eorum reditu ad Archiepiſcopum. In quinto paragrapho habetur de reparatione adhuc belli navalis, & de miſſione Symeonis de Locarno, quem Ducem fecit exercitus ad obſidionem Aronæ, & de adventu Domini Marchionis Montisferrati, & Novarienſium, & militum proſcriptorum, & Papienſium ad obſidionem eamdem, his obſidentibus ex parte terræ, & Symeone ex parte Lacus; & de ſubita fuga Domini Marchionis, & exercitus ejus, & Symeonis, & exercitus ejus ad adventum, ſeu ſuccurſum Civium Mediolanenſium, qui his, qui in Caſtro Aronæ erant obſeſſi, ſuccurrebant; & de ſpoliatione, quam fecerunt obſeſſi egredientes poſt hoſtes, & receſſu Symeonis ab obſidione, quæ erat ex parte Laci, & reditu Caſtrorum, & Locorum ad Civitatem, quæ rebellaverant; & item de intentione Symeonis, & ſtudio ad bellum campeſtre, qui in navali ſuccubuit cedendo ab Arona; & de exhortatione Archiepiſcopi, quam facit ad ſocios ſuos proſcriptos deſolatos ex fuga. In ſexto paragrapho recitatur de reditu Archiepiſcopi cum militibus proſcriptis in Novariam, & de ejus ſtudio iterum ad reditum in patriam ſuam; & de lite orta in Cumis, & bello civili Cumano, & victoria partis Archiepiſcopi. In ſeptimo paragrapho de introitu Archiepiſcopi in Cumas, & de ſubſidio ei à multis partibus veniente, de invaſione plurium locorum Diœceſis Mediolanenſis à Comite Ricardo facta, Duce militum proſcriptorum conſtituto, de ipſius Comitis reditu in Cumas. & de adventu ejus cum Archiepiſcopo in Deſium, & de prœlio ibi facto, & victoria ibi obtenta, & captione hoſtium. In octavo paragrapho de exhortatione, & Oratione, quam fecit Dominus Archiepiſcopus in introitu Civitatis poſt victoriam. In nono paragrapho de introitu ipſo in Civitatem, & lætitia Civium, quam oſtenderunt exeuntes obviam Domino Archiepiſcopo. In decimo paragrapho agitur de quadam exclamatione contra inſtabilitatem fortunæ, & commendationem Virtutis, quæ caducis non innititur, ſed ſemper manet. In duodecimo deſcribitur laus virtuoſi, ſcilicet Johannis Baptiſtæ, qui fortunæ non innitens, ſed virtuti, vivit adhuc in laudabili memoria hominum, & Herodes habitus eſt reprobus. Et hæc deſcriptio facta eſt per metrum Jambicum, quod maximè laudi convenit. Ultimo imponitur ſilentium ipſi Calliopæ, ut deſiſtat, & gratias (d) referat, cujus ope hoc opus eſt expletum.

(*) *Tigurum*, ſive Zurigum confugiſſe videtur Otho: ſed rectius in carmine pro *Zurigum* occurrit *Zurnigum*, de quo vide Notas. MS. Ambr. legit pariter *Zurnigum*; & ita ſemper.

(d) *MS. Ambr. addit* Deo.



INCIPIT LIBER

DE GESTIS

IN CIVITATE MEDIOLANI

EDITUS A FRATRE

STEPHANARDO

DE VICOMERCATO

DE ORDINE FRATRUM PRÆDICATORUM.

§. I.

MEtropolis lacrymas, civilis prœlia litis,
Præſulis exiliū dubium cedentis in orbem,
Militiæ (3) reducis partum mucrone triūphum,
Diva refer. Rupes vati Pegaſea faveto.
Heroicis (4) cedant Elegi, quia fata relinquo
B In patrios bacchata lares. Nunc geſta ſuperſunt
Mæonio pangenda metro. Pete Muſa Superni
Numinis afflatum, vires aſpiret amicas
Quod (e) metro: fient & ſic cudenda labori
A Pervia, Pierius percurret & obice moto
Ardor opus, litus contingent vela ſecundo
Flamine, pigra manus celerem vertetur in uſum.
Heroibus pollet populi fœcunda potentis
Urbs nota, & felix, longoque celebris ab ævo
Imperii quondam ſedes, ac æmula juris,
Lanea (5) ſus medio, quam prætulit eſſe futuram
Miram, viſa loco, quo ſtructor mœnia jecit,
Nactaque prodigio eſt divino nomen ab ipſo.
Ipſo ſive ſitu medio amnum condita, dives
Quin etiam ſcatebris arentes irrigat agros
Jugibus, ut gratos ſic dent pro gramine flores,
Deliciis miranda ſuis hæc plena decoris.
Hanc tenuit forti Gallorum Marte juventus,
Tuſcis (6) deletis, patriis priùs ipſa fugata
Sedibus, haud patiens fraterni pondera belli.
Urbs honor Italiæ, Liguriſque potentia ſævi,
B Ambroſii decorata fuit fulgoribus almis,
Juſtitiæ fomes, cœleſti ſedula cultu;
Conſilii radios Latium diffudit in omne,
Urbibus (7) & reliquis ſolita eſt præbere ducatum
Pru-

(3) Hoc eſt Nobilium Mediolanenſium, quorum factio poſt diuturnum exilium, ſuperata factione Populi ſive Plebis, victrix Mediolanum regreſſa eſt.

(4) In margine Codicis MSti ſcriptum erat: *Heroicis*, ideſt metris Hexametris, quae ſunt de Geſtis Nobilium: *Cedant Elegi*, ideſt metra Hexametra & Pentametra, quae ſunt de miſeria, quae Auctor hujus Operis fecit in alio libello.

(e) *MS. Amb.* Qui.

(5) Accipe Gloſſam, ut ajunt, in ejuſdem Codicis margine ſcriptam: *Lanea*, ſicut dicit Iſidorus Origin. Lib. 15. in loco, quo Mediolanum erat conſtruendum, apparuit ſus medio lanea; ex quo prodigio, quod apparuit, Civitas eſt dicta *Mediolanum*. *Ipſo ſive*, vel dicitur Mediolanum, quia eſt in medio duorum amnium, ſcilicet Ticini & Abduæ ſita,

(6) In margine Codicis additur: *Tuſcis deletis*. Secundùm Iſidorum Galli propter diſſidium habitum inter ſe quidam expulſi venerunt Mediolanum, & expulſis Tuſcis, quos ibi invenerunt, habitaverunt ibidem.

(7) Haec etiam in margine adduntur: *Urbibus*, ideſt ex Mediolanenſibus multi ſolent eligi in Poteſtates.

Prudentem, ingentes & opes effundere ſumtu
Magnifico, cujus victricia ſigna rebelles
Auditis tremuere minis, aciemque coruſcam
Armis innumero conſertam milite florens (8).

§. II.

Aſt (f) in ea fervent civilia jurgia, ſævit
Nuper livor edax, tractaot privata Coloni,
Et oeglecta perit res publica; jura Tribuni
Eſſe putant facinus, exlex regnatque voluntas.
Succumbit ratio, cædes viget, atque rapina.
Juſtitium infelix Urbis dominatur in aula,
Diripit ambitio immeritos temeraria faſces,
Gurges avaritiæ nullo ſatiabilis hauſtu
B Fundamenta quatit; titubant hinc mœnia, caſum
Inclinata gravem quaſi jam ruitura minantur.
Importuna ſitis, quamvis ſe proluat auro
Toto, ſemper avet; diſcrimina nulla veretur
Gloria; dulce malum dominandi ſæva cupido
Ad prærupta ſuos cives rapit, ardor ad ima
Præcipites quos ſæpe facit lugubris honoris.
Liber adeſt aditus ſceleri, correptio cedit,
Corruit excuſſo Superûm reverentia collo,
Cooſilium periit, ſuus eſt demeotia princeps;
Vix ibi quid tutum eſt; ſedes Aſtræa ſupernas
Secedens petiit; fraudes ſubiere, tumorque
Nulla fides veterum fidei, ſucceſſit & atrox
Infræniſque loco priſci moderaminis ira.
Delituere ſacræ leges, & jura, patrumque
C Abſtulit infelix claros oblivio mores.
Te ſuper adduxit vecors inimicaque pacis
Ambitio cladem (9), populi quæſita poteſtas,
Quam quoque civili plures petiere tumultu.
Vix etenim patitur conſors conſortis honores:
Hinc Urbs concutitur, hinc bellis acta tabeſcit,
Dantur (10) & adverſis ducibus confinia juſſis
Contemtis; repetit populi ſed mœnia Prætor (g)
Feſtinus, vicoſque capit, non obviat ullus.

§. III.

Arma ſilent, ſibimet Cremon7 fęedere junxit (11);
Militiæ Verona favet, dominuſque (12) vocatur
Ipſius, ad litem civilem milite ſeptus,
D Metropolis (13) qui invaſit agros. Concuſſa pavore
Corda tremunt Ligurum; vires animumq; reſumunt
At Cives, acies ut noruot eſſe paratas,
Fulgentemque armis celeri ſuccurrere greſſu
Cremonam, arma petunt, egreſſi bella minantur.

A Metropoli ſed terga dedit Verona ſequenti.
Cremonæ occurrit venienti; pila cohortes
Miſceot oppoſitæ; ceſſit Verona, ſugâque
Spem, Duce percuſſo, ſola poſuere ſalutis:
Non eteoim dudum eſt cunctatũ, Principe capto.
Confractas acies ut Miles vidit amicas
Metropolis, gratam gemebundus deſerit Urbem,
Noo hoſtile ferens robur, ſeceſſit & ultro
Ædibus à patriis, lacualem tranſiit amnem,
Abdua cui nomen: cooatur protinus inde
Ad reditum; ſed fata vetant. Capiuntur in arce
Nomine Tebiago (14) plures, quæ prominet undis
Lambri. Nobilium poſt prœlia dura ligatos
Plauſtra vehunt milites, clauduntur carcere duro;
Ignotas reliquos fatum diviſit (h) in oras.
B Nec ſævire (i) ferox ac implacabile ſemper
Ut cœpit miſeris, ſed oec deſiſtere novit,
Ni tandem innumeris craſſato cædibus enſe.

§. IV.

Gaudent victores, mœror perfundit amicos
Vinctorum, triſtes lachrymæ delubra frequentant
Liminibus devota ſacris, ac oſcula fundunt
Inſontes (K) animi. Nunc illic pectora fundunt,
Flectunt inde genu, nec immerguntur (15) ad aras;
Pulſant vota Deos, & munera templa coronant.
Gaudia ceſſarunt miſeris annalia ſatis,
Læta juventutis jam non conſortia florent,
Horrida mutata eſt jam ſerica veſtis io arma,
C Prœlia pro ludo ſraterna parantur equeſtri.
Milites occidit mutuæ jam ſplendor atroces
Gratus amicitiæ, patrii fomenta gemendi
Excidii; ceſſant jam Symbola (16); luctus in ædes
Funditur, ac riſus lugubri fugit ab ore.
Io te flagrantem pinum dejecit Erynnis,
Jamque Megera ſuæ demens nec immemor artis
Hoſpes adeſt, animi priſci ſurata rigorem,
Inde litigioſos vomuit clamoſa tumultus.
Theſiphooeq; tuis ululavit mœnibus (l) ultrix.
Impia bacchatur nullo ſatiata cruore,
Implevit laniata comas gemebunda theatra
Flebilis Alecto. Turbantis Regna cometis (17)
Sidus ſigna dedit caudam fundeotis ad Auſtrum,
Axe ſub Arctoo viſum, nam cladis amaræ
D Parte vel occidua micuit, quod nuper Ibero
Se mergens pelago, ſumumque effudit Eois,
Prodigium majoris erat ſtragiſque futuræ.

Pa-

(8) Non ita ſcripſerit Stephanardus, ſed Librarius. Si mihi liceret, reſtituerem:
——————— acieſque coruſcae
Armis innumero conſertae milite florent.

(f) *MS. Amb. ſic legit* Gaudebar, ſed ea civilia.

(9) Hoc eſt, populares ac ignobiles viri totum ſibi regimen Urbis uſurpare quaerunt. Quos tumultus, quas clades perpeſſa ſit ipſa Romanorum Reſpublica ex ejuſcemodi aemulatione ac diſcordia Nobilium & Populi, compertum eſt Eruditis. Hac etiam de cauſſa concuſſae Seculo Chriſtianae Aerae XIII. pleraeque Ita- E liae Urbes, ac potiſſimum Mediolanenſis, in cujus ſinu pullulavit haec peſtis vel ante duo Secula, teſte Landulpho Seniore Hiſtor. Lib. II. Cap. XXVI. Tom. IV. Rerum Italicar.

(10) Hoc eſt, in exilium aguntur principes utriuſque partis. *Mittere ad confinia* phraſis eorum temporum fuit. Martinus autem Turrianus, popularis factionis Praetor, profligatis adverſariis, in Urbem receptus eſt. In margine MSti haec ita explicantur: *Dantur*, nam capita partium fuerunt extra Civitatem miſſa. Sed qui erat Praetor ſeu Dominus Populi, rediit ad Civitatem non obſervato mandato Communitatis, & cepit Urbem.

(g) *MS. Amb. addit in margine* ideſt Martinus.

(11) ideſt Populi Praetor cum Cremonenſibus foedera percuſſit.

(12) Scilicet Veronae; crudeliſſimus nempe Eccelinus de Romano, cujus poſtrema acta & obitus heic breviter adumbrantur. Vide Rolandinum, Monachum Patavinum, ac alios Tom. VIII. Rerum Italicar. Haec ergo acta Anno 1259.

(13) Quo nomioe ſaepe Poeta Mediolanum ſignificat.

(14) Eſt adhuc Caſtellum in montibus Briantinis, & Comitatu Mediolanenſi. Ejus obſidio à Martino Turriano peracta pertinet ad Annum E 1261.

(h) *MS. Amb.* diſperſit.

(i) *MS. Amb.* Deſævire.

(K) *MS. Amb.* mœrentes.

(15) Corruptus locus. In ſubſidium ſcriberem: *facie merguntur*.

(16) Hilares conventus, comeſſationes &c.

(l) *MS. Amb.* in ædibus.

(17) Immanem Cometem Anno 1264. in coelo viſum, tradunt Monachus Patavinus, Ricordanus Malaſpina, Chronicon Regienſe, Andreas Dandulus, Stero, aliique Hiſtorici. Ricobaldus vero infra edendus, eum refert ad Annum 1265. & a ſe viſum teſtatur. Hunc ergo praenuntium quoque calamitatum, quae Mediolanenſem Urbem afflixere, Stephanardus cenſuerit.

§. V.

Patria proh miſerum læſiſti vulnere grandi
Vatem (18), conſpicuum quem fecit ſæva ruina;
Exitio nam fama ſuo fit notior ejus;
Fulmineo nomen Capanei civit (m) ut ictu,
Progenies facta eſt ſic hujus fabula vulgi,
Et pro cæde ſua lucrum ſuſcepit honoris.
Flebilis in læto patruelis flore juventus
Languit, ac geminos hinc tu ſolatia fratres
Cara recidiſti. Probitas ornaverat ambos,
Arridebat eis fallax fortuna, deditque
Præcipites, duro conſumſit carcere. Cadit
Semper ſucceſſus injuſto vulnere livor;
Sævior exarſit poſtremò, patre peremto
Jam ſene, quem mæror, quem jam confecerat ævum,
Longaque pauperies, quem triſte fugarat in urbes
Fatum, judicium quem tamdem perculit atrox.
Cur in tam miſeram gladium ſævire ſenectam
Non puduit? Canos heu non miſeratio juvit,
Non antiquus amor patriæ, non ſudor amicæ
Militiæ exhibitus & juvenilibus armis;
Infauſto nam nulla ſeni ſuffragia proſunt.
Spiritus æthereas cujus ſubvectus in auras,
Luciferas, præſtante Deo, conſcenderat ædes (n).
Ultima fortunæ non ſit ſententia concors,
Dii faciant, fato felici triſtia cedant.

§. VI.

Interea Divo cùm Sedes alma vacaret
Metropolis, natu clarus ſuſcepit honorem
Otho (19), flamineum quem prætulit Aula duobus
Electis (20); ſacris præfecit faſcibus ipſum
Urbanus, qui tunc faſtigia ſumma tenebat
Eccleſiæ. Præceps hic laxis fertur habenis
Ira potens Urbis Prætoris (21), & occupat agros
Protinus Eccleſiæ. Fit vis, menſuraque juris
Præſuleum pro fratre ſuo culmenque negatum
Quærit, ſed votis obſtat conſtantia Patrum.

§. VII.

Invaſas Antiſtes opes, fructuſque refundi
Otho petit raptos ſupplex. A ſede citantur
Metropolis Cives, Quartus parêreque juſſit
Clemens (22), juſtitia præcinctus, fata ſynedris
Quem poſuere ſacris, quem juſti ſecta Catonis
Extulit, huicque fidem faciunt reſponſa futuri
Numinis. Alma ſoror (23), ſtudiis intenta ſupernis,
Hæc prævifa refert. Fratrem vocat illa laborans
Extremo languore ſuum: Sermone (o) reconde,
A Inquit, quæ didici quondam luſtrata superni
Luminis afflatu, longo celata ſed ævo.
Conſilium cœleſte quidem reverentia ſervat
Interdum, fortaſſe ſuo ne vileat uſu;
At tumulis tamdem non id eum funere claudit,
Ne pereat divinus honos. Faſtigia, frater,
Te complura manent; virtus te, famaque faſces
Efferet ad lætos; conſcendes alta per almos
Ipſe gradus, mores pariter cum numine creſcent,
Virtutiſque datos ſtudio complebis honores.
Ordo (24) tibi bicolor doctrinæ ſemina ſpargens
Divæ carus erit. Superis hic ſedulus offert
Obſequium gratum; cœleſtia lumina vidi
Deſcendiſſe polo, ſubitò luſtraſſeque ſanctum
Ignem Cœlicolas, ac ipſos eſſe probatos
B Oſtendit famulos, & amoris plena calore
Almi divorum ferventia pectora Fratrum.
Phœbus & occiduas cùm jam contingeret undas,
Lucis adhuc terris ſplendore ſuperſtite, cùm jam
Antiphonam devota cohors cantaret in unum
Virginis excelſæ, ſolito de more ſalutans
Chriſtiferam Cœli Reginam, plebis aſylum,
Alma Dei genetrix coram me ſubſtitit, inquit:
A pedibus noſtris diſcedere filia noli,
Inde chorum laudes luſtravit utrumq; canentem,
Cuilibet inclinans, ſancti reverenter amoris
Signa dat, & placidè, demiſſo vertice, laudis
Cantica dant Fratres, & vocibus æthera pulſant;
Inclinata caput grates & Virgo rependit.
Singulus antidotum jubilans accepit honoris
C Exhibiti, dum ſic pia Mater viſitat omnes.
Denique maturo greſſu proceſſit ad aram,
Et delata ſtetit pauliſper lumina juxta;
Mox ſubitò ſedes petiit feſtina ſupernas,
Quam ſequor affectu mira dulcedine fuſo.
Viſio cœleſtis triduo me fovit eâdem
Horâ, Virgineam curam teſtata Deique
Erga Cœlicolas locupletes munere Divum.
Ut pater his aderis, jugique fovebis amore
Illos, hos ſerva, numquam fiducia deſit
His tua, jamdudum ſincero pectore fovi,
Quos ego; cum cara ſit idem tibi velle ſorore.
Hæc germana tulit, mox jam non fata morantur
Prævifas offerre viro cœleſtia Sedes.
Claviger aſſumtus nutu non jura ſuperno
D Non munire poteſt, non impugnare rebelles;
Quem ratio, quem lexque regit, naturaq; format
Ipſa rei; privatus amor, fortunaque cedit.
Nam nec honor, nec opes, nec vota domeſtica juſti
Judicium avertunt, caris amplexibus hæret
Qui quoque juſtitiæ, puro quam prætulit auro.

§. VIII.

Urbis Legati veniunt ad limina (25) miſſi
Judicis ætherei, qui ſunt à Sede repulſi,

Ni

(18) Hoc eſt, ipſum Poetam Stephanardum e nobili Familia *de Vicomercato* progenitum. Duos ejus fratres in obſidione Tebiagi captos carcer longus abſumſit: ejus vero parenti ſeni ex Praetoris Mediolanenſis ſententia abſciſſum eſt caput. Tantam Populi ſaevitiem Poeta deplorat & arguit.

(m) *MS. Amb.* crevit.

(n) *MS. Amb.* conſcendat in ædes.

(19) Vicecomes, a quo nobilis Familia potentiae ſuae exordium poſtea coepit. Uti prodit Catalogus Archiepiſcoporum Mediolanenſium editus part. II. Tom. I. Rer. Italicar. Leo Archiepiſcopus *obiit Anno MCLVII. die XIV. Octobris. Vacavit Sedes Annis IV. & IX. menſibus & VII. diebus.* Igitur Otho ab Urbano IV. Papa Anno 1262. electus fuit Archiepiſcopus, non autem Anno 1261., ut Corius, Ughellius, & longe ante eos Pipinus infra edendus, ſcripſere. Vide ejus Epitaphium apud ipſum Pipinum, unde Chronologia a me propoſita confirmatur. Otho enim e vita exceſſit Anno 1295. die 8. Auguſti, uti ex ipſo Epitaphio pleniore apud Corium habetur.

(20) Nempe Raimundo Turriano Martini Turriani fratre (Calchus nepotem perperam cenſet) & Huberto Septara in diſcordia electis, & a Summo Pontifice minime probatis.

E (21) Is fuit Martinus de la Turre, popularis factionis Princeps atque Defenſor, qui Archiepiſcopalia bona iratus invaſit.

(22) Quartus Papa Anno 1265. electus; ac proinde quae heic narrantur, poſt eum annum, ac potiſſimum Anno 1267. geſta ſunt.

(23) Germana videlicet ipſius Clementis IV. quae morti proxima Papatum fratri praedixit. Pontificis hujus virtutes Hiſtorici concordes extollunt. Sed qui hanc praedictionem enarret, nondum vidi.

(o) *MS. Amb.* Germane.

(24) Scilicet Praedicatorum.

(25) Ad Curiam Pontificis, tunc Romae agentis, miſſi fuere Anno 1267. *Legati Urbis* Mediolanenſis a Napo Turriano, qui tunc Civitati praeerat.

Ni parēre velint; renuunt ſed juſſa penatum.
Sceptra petunt Caroli (26), quærunt Regiſque favorem.
Regia Majeſtas miſit, qui numina flectat,
Legatum. Rediere ſimul, petiere ſynedras,
In quibus ima regens reſidet Clementia Præſul.
Jam datur acceſſus, permiſſa licentia ſandi eſt,
Non conceſſa priùs, tunc ſummus luce ſtatuta
Convocat Antiſtes claros ad ſceptra penates.

§. IX.

Conſedere patres (p) . . . .
Eminet æthereus. Caroli ſic nuntius orſus
Hæc ait: O mundi Sol Clemens, voſque verendi
Patres, prima, quibus funduntur lumina Phœbi,
Aures contingat brevis hæc oratio ſacras.
Sidera Phœbæis radiis perfuſa ſuperno
Infima vivificant dono, diſtincta per almos
Sic apicis probitas proceres hunc confovet orbem.
Urbi (27) vos igitur veſtræ conferte fideli
Præſidium, ſuperi doni ne ſola ſit expers.
Gratia præcellens, ac indelebilis ullo
Tempore, mente Patrum vivat, quam Sede jubente
Prona tulit parens dilectæ filia matri.
Nonne vias Regi gratas ad juſſa paravit
Pontificis, multi diſcriminis immemor, unde
Contigit Eccleſiæ libertas? Apula Regna
E manibus direpta Ducis (q), ſunt reddita . . . . (r)
Italiæ quæſita toga eſt, hæc ſola ſuperſtes
Subjiciet Ligures aulæ (28), ſervireque coget.
Non bene Metropolis gladios in viſcera mergens
Propria nobilitas . . . . . (ſ) cùm ſigna tyranni
Erigere in tanta vult formidabilis urbe,
Othoque præficitur. Cur Præſul ſanguinis alti
Sit, licèt invito populo, qui nominis (29) exſtat
Tanti, pro Superis qui ſemper tanta peregit?
Vota preceſque Ducis ſacris jam fundo potentis
Numinibus coram; Divæ Clementia Sedis
Metropolis precibus faveat, qui promtus in omni
Re parēre tamen vobis eſt, hocque placebit
Illi, quod ſemper decreverit alma poteſtas,
Dum non poſſe neget ſors, cui eſt velle paratum
Veſtrum juſſa dari Caroli complere peroptat
Sedes, cui numquam deerit fiducia Regis.
Hæc ait, & precibus demiſſo vertice ſedit.

§. X.

Alter Metropoli ſic fatur miſſus (30) ab ipſa:
Orbis apex, cui aſtra favent, quem terra veretur,
A Almi voſque Patres, conſortes culminis alti,
Vera loquar, patiens dignatio præbeat auſum.
Longa quidem ſeries brevibus conferta patere
Neſcit, cura tamen reſecare ſuperflua ſolers
Nunc erit, o Superi, nar . . . . (t)
Metropolis Ligurum, clarum cui nomen ab ævo
Multo, Numinibus (31) ſacris quæ ſemper adhęſit,
Sit memor Aula potens, quantos eſt paſſa labores.
Hoſtibus Eccleſiæ conſtanti lite rebellis
Quondam dira tulit, priſco quaſſataque numquam
Deſtitit a voto; nec enim olim matris amorem
Deſeruit, majora pati pro jure tuendo
Eccleſiæ, numquam vitabit damna, ſed unà
Vobiſcum gaudere cupit, ſentireque dira.
Sors ſemper communis erit, nec habere putaret
B Lætos ſucceſſus, ſi Numina diva jacerent.
Juſſa libens explet Superùm, decretaque ſervat,
Ut juſſere Patres. Gallorum nonne manipli
Pandit iter Sicula petentum (u) Regna, periclum
Contemſitque ſuum, quo fata dedere triumphum?
Nos (32) moveatque fides vos quædam pacta tyranno (x)
In propriam citiùs naturam ficta redivit,
Fœdere quæ rupto patrium revocavit amorem,
Non oblita ſui moris compulſa voluntas,
Cùm licet uſque ſtatum repetit matura vetuſtum
In ſcelus inviſum. Nam nos timor impulit ingens
Civibus infandis reliqui cùm dextra tyranni (33)
Se junxit, Syllam, nec non ſuperaſſe Neronem
Sanguine qui fertur, ferro deſævit iniquo.
C Hic pietatis inops: urbes populatus, & ipſas
Ingreſſus metas noſtræ regionis, ut Urbis
Mœnia non modico tremerent concuſſa pavore,
Speravit populos Ligures viciſſe, ſubacto
Robore Metropolis. Fuit obvia Cœlica virtus
Illi, libertas ne tunc Lombarda periret
Vulnere. Roma metus tanti non languit olim,
Vicinas Pœnus tranſcendit ut Annibal Alpes,
Innumero ſeptus plena tyrone cohorte;
Cæſar ut Heſperiis tumidus conſedit in arvis
Agmine Gallorum comitatus in arma furente,
Nobilis Urbs quanti ſubito (y) percuſſa . . . .
Internis exciſa dolis, nam vulnus amicum
Plura pericla parit, ſemper lethaliùs hærens.
In patrias leges quod Cives arte profani
D Commiſere ſcelus veſani mente parentes (*)
Arſuras in tecta faces, patriamque lareſque,
Igniferi dum caſtra viri, ſummæque rebellis
Aulæ, conducunt, nam nulla piacula poſcent (34)
Hoc delere nefas: ſuperat genus omne rigoris.
Non privata petunt hi, dum nituntur in Urbe
Tan-

(26) Provinciae Comitis, qui favente Eccleſia Romana, dejectoque Manfredo, Regnum Apuliae ac Siciliae praecedanti Anno ſibi ſubdiderat.

(p) *MS. Amb.*
Conſedere Patres, ac terme claviger alme

(27) Mediolanenſi, quae Interdicto premebatur, & Carolo ad Regnum Siciliae conquirendum viam aperoerat, inito foedere cum ipſo.

(q) *MS. Amb. addit in margine* ideſt Manfredi.

(r) *MS. Amb.* preſſa.

(28) Videlicet Romanae. Urbi enim Mediolanenſi tanta erat potentia, ut Ligures Gibellinos dejicere, ac morigeros Romanae Sedi potuiſſe efficere dicatur.

(ſ) *MS. Amb.* egit.

(29) Hoc eſt Caroli Siciliae Regis, celeberrimi, amici, ac potentis Principis vota ac preces coram ſacro hoc Senatu expono.

(30) A Mediolanenſi Populo adverſus Othonem Archiepiſcopum, eique junctam Nobilium factionem.

(t) *MS. Amb.* narrandaque plura ſilebo.

(31) Scilicet Apoſtolicae Sedi, erga quam Mediolanenſes tot ſigna fidei ac amoris antea dedere, & pro qua contra Henricos & Fridericos tanta conſtantia ſtetere.

(u) *MS. Amb.* petent eum Regna.

(32) Haec tenebroſa. Scriberem:
Non moveatque fides vos quaedam pacta Tyranno.
(*ſicut legitur in Ambr.*)
ſcilicet, neque nobis objicita, quod cum Siciliae Tyranno, & Eccleſiae Romanae hoſti Manfredo (ita quidem opinor ego, haeſitans tamen) aut cum Uberto Pelavicino Marchione, quoddam antea foedus inierimus. Nam brevi, recepto Carolo Sedis Apoſtolicae filio,
E antiquum & nos erga eam amorem ac ſtudium reſumſimus.

(x) *MS. Amb. addit in margine* Marchioni Pellavicino.

(33) Quo nomine certum eſt heic deſignari Eccelinum de Romano, immaniſſimum virum, qui parum abfuit, quin ſibi Mediolanum ſubjiceret. Haec nota, ac proinde progredior.

(y) *MS. Amb.* ſubito prævenra Quirite.

(*) Fortaſſe *veſana menta parantes*.

(34) Scribendum
————— poſſent
Hoc delere nefas —————
ideſt facinus a Gibellinis Mediolani Patritiis tentatum, qui Urbem ſaeviſſimo Eccelino prodere cupiebant.

Tanta devicto ſoli regnare Senatu, A
Non ſatis id facinus juncti voluere tyranno,
Quem quoque reppulimus ſceleri connectere
. . . . (z)
Tam pravos venia quis dignos judicet auſus?
Crimina quid tanta . . . . . (a) meruere penates?
In patrios agros jurata quis arma fovebit?
Excidium civile pium ſed cenſuit eſſe
Ambroſii (35) Succeſſor, opum, non Urbis amator,
Natalis veterum non degener ipſe ſuorum.
Illius in patrias ſemper conata ruinas
Eſt quoque progenies; damnato milite fultus
Nuper & ipſe ruit civilia fuſus in arva.
Arma ſacræ movere manus, non faſcibus apta
Nempe ſuis; ipſi maculam fuditque parentum
Impietas, potuit meritò qua à Sede repelli. B
Infames nec honor . . . . (b) cùm vota (*) ſororis
Eccleſiæ junxit comiti fideique rebelli.
Hinc exoſa dati plebs numen Præſulis horret
Ipſius adventum, potiùs paſtore carere
Quæ cupit, hoſtili quàm ſe ſupponere curæ.
Nobilitas (36) patriæ tutrix, fortuna ſuperno
Cui favit juſſu, ſuperûmque intenta favori,
Zelatrix Fidei, quæ debet munera tantis
Sumere pro meritis, Patres? Meruitne repelli
A pedibus ſanctis? propelli tamque ſevero
Divorum gladio? merces hæc debita tantis
Ergo viris? veteri patriæ, fideique, Deûmque
Pro cultu meritum numquid delebitur ingens?
Serpſerit incautus licèt illis error, at ipſi
Verberibus (37) poni patientia terga parantes, C
Ut libet à matris numquam vellentur honore.

§. XI.

Hæc ubi ſic fatus ſedit Legatus, utrinque
Inconcuſſa fides, alternaque murmura certant,
Majeſtas immota ſilet, ſed fata recondit
Pectore cœleſti. Mox ſupplex Otho ſedili
Aſtitit Antiſtes veneranda voce penates
Alloquitur ſacros: Vos, Orbis lumina, clari,
Ioquit, & in varios nutantis regula Mundi
Caſus juſtitiæ, fautores lora . . . . (c)
In præceps hominum ſermones exulis almæ
Suſcipiant aures. Affectu condita ſemper
Urbs nativa fuit tenero, communis honorque
Eſtque dolor, cujus tantùm mea portio major. D
Hoc caput o utinam civiles tollere clades
Damnatum poſſet, totius vulnera litis
Exciperem lætus, ſedarem jurgia cari
Ipſe libens populi, juguli finita cruore
Devoti. Data non hæc ſors; injuria ſaltem
Nulla fuit. Quis ſit læſus? niſi fortè (38)
Non placuere mihi cædes, nec mœnia quondam
Libera tam multis dominis ſervire, carebit
Quod numquam livore truci, qui ſemina belli
Profert civilis, ſemper merſere potentes
Quæ populos; degit nam Principe tuta ſub uno
Urbs omnis; ſi fortè biceps, diſciſſa fatiſcit.
Nutat in oppoſitos odio ſuccenſa tumultus
Civili, caſum citiùs triſtemque minatur.
Hinc odiſſe feror rectè patriam ne, ſalutem
Cujus ego totis amplector viribus exul?
Quid genus? Urbis onus noſtræ ſi fortè petatur
In teſtem, non plus ipſam delator amabit;
Non aliud mihi crimen erit, niſi fortè quòd olim
Paruerim Sedi, captis ut faſcibus audax
Judicer oblatis. Veniam concedite Patres,
Si qua tacenda loquor; potiùs me noſcite læſum.
Cùm petitur venerandus apex precibuſq; minuſq;
Aulaque diſſentit juris vallata vigore,
Præſul & inſtituor per Sedem, protinus ipſos
Invadunt fructus, inhibent & nomen honoris.
Poſt modò ſanguineas inhiant immittere palmas
In patrem, conceſſa mihi cùm miſſus ab almo
Jura peto ſolio, nam ſpes irritat honoris
Irrita quæſiti livorem. Bella parantur,
Impigre caſtra ſtruunt celeres, invador & ipſe
Præſul. In Arona (39) confligunt faſque nefaſque.
Heu fas ſuccubuit, quotiens Aſtræa ruinam
Suſtinet (d), & numquam cedit quæ more reſurgit
Antæi; præpes ſucciſum pullulat ejus
Germen, & in frondes ſuccreſcere novit.
Deniq; conveniunt patres (4), Caſtrumq; reliqui
Conceſſum, mediat fœdus, quia ſedula certat
Impietas auro ferroque, ſed acrius auro;
Nam foris inſultus, intus ſed munera pugnant.
Eruitur Caſtrum, mox Oppida (41) cetera ſtrage
Eccleſiæ celeri ſternuntur funditus, uno
Servato (42) colubris, idem (e) non incola novit.
Non arſere meis patrii popularibus agri;
Non in damna rui prædo; mea jura petebam.
Hæc grandis mea culpa fuit, quòd ſolus inermis
Non veni, fauces hoſtiles ſanguine fuſo
Ut ſic implerem. Quid ſi vicina renitens
In juga Nobilitas dudum fugitiva per Orbem,
Conjugibus, natiſque ſuis compaſſa volebat
Ad proprium remeare ſolum, num luctus eorum
Perpes erit? Crimen pœnitne piabitur umquam?
Sola quidem manuum neſcit damnatio finem.
Acer in extinctos cives (43) heu prœlia tamdem
Mo-

(z) *Cod. Amb.* crimen.
(a) *MS. Amb.* ob ſatius.
(35) Ideſt Otho Vicecomes, Nobilium factioni addictus, neque degener a majoribus ſuis, qui ad perniciem Urbis ſemper anhelarunt, quum & ipſe contra Cives nuper bella geſſerit.
(b) *MS. Amb.* tædæ.
(*) Non ſolum Othonis parentes, veluti impietatis ac haereſeos nota ſamoſos, Orator Turrianus traducit, ſed & illius *Sororem* inſimulat, quae *Comiti* cuidam nupſerat, *rebelli Eccleſiae ac Fidei.*
(36) Ideſt, ea pars Nobilium, quae Mediolani degens patriam tuetur, & religione ſua ſpectabilem ubique ſe praebet, num digna fuit, cujus Legati e Romana Curia pellerentur? Qui enim Nobiles proſcripti exulabant, ii fere omnes Capitanei, Valvaſſores, & Archiepiſcoporum Vaſſalli fuere. E
(37) Lego *prona* (*& ita legitur in Ambr.*)
(c) *MS. Amb.* libantum, *melius* labentum.
(38) Supplerem *quod illae*, in Ambr. leg. *quod urbis*.
(39) Oppidum inſigne in ora Verbani Lacus. Nunc ſubeſt Nobiliſſimae Borromaeorum Familiæ, atque eo me ſaepe advexit Illuſtriſs. & Excell. Comes Carolus Borromaeus, Eques aurei Velleris, Magnatum Hiſpanicorum albo inſcriptus, & pro Auguſtiſs. Caeſare olim Prorex Neapolis, nunc autem in Italia Plenipotentiarius, cujus erga me amorem ac beneficentiam, virtuteſque egregias teſtari quidem poſſum, depraedicare ſatis non poſſum. Anno 1263. obſeſſa a Populo Mediolanenſi Arona fuit, ac erepta Othoni Archiepiſcopo.
(d) *MS. Amb.*
Suſtinet at crebro recipit ſuperata vigorem
Sternitur, & numquam &c.
(40) Lubentius legerem *partes*, nempe obſidentium, & obſeſſorum (*ita leg. in Ambr.*)
(41) Videlicet Angleria, Brebia, & alia in Verbani tractu, & alibi ſubjecta ditioni Mediolanenſium Antiſtitum. Caſtrum Aronæ *eruitur*, ideſt exciditur.
(42) Hoc eſt, Vicecomitum Familiae, quae anguem in inſignibus praefert. Quodnam vero Oppidum tunc evaſerit iram Populi, incompertum mihi eſt, ſi tamen Poeta hoc voluit; vereor enim, ne ſcripſerit, nullum fuiſſe ſervatum.
(e) *MS. Amb.* id enim.
(41) Legatus Mediolanenſis Populi antea Othoni objecerat:
——— *ipſi maculam fuditque parentum*
Impietas, potuit merito qua a Sede repelli.
hoc eſt, notam quoque eidem Othoni inuſſit haereſeos culpa, qua ejus parentes infecti fuere. Nunc ejuſmodi infamiam a ſuis parentibus atque a Sorore Archiepiſcopus amolitur. MS. Ambr. non *cives* legit, ſed *cineres*.

Movit delator, fidei quos tramite lapſos
Aſſerit. Eſt teſtis, quæ matrem condidit, urna,
Quod poſtrema ſuæ concluſit tempora vitæ
Religio. Sed ego teſtis pro patre fideli.
Non fuit errori quondam germana ſceleſto
Tradita, ſed generi claro ſine labe favoris.
Non fuit (f) in patrem (44) tantum violenta poteſtas,
Quin in (45) ſumma tumet. Subjecto nonne Gygantum
Terrarum ſpatio turris veſtigia tentat
Impugnare poli? ſed tanto corruit auſu.
Proh (g) ſcelus, o ſuperi, ſimili num ſtrage carebit?
Det pœnas meritas, velania plexa rigorem
Sentiat æthereum, ſimilis ne prodeat error.
Libera quæ totum currunt (46) reſcripta per Orbem,
Non audent intrare ſuam quondamque fidelem
Metropolim; quid enim (*) perhibent edicta potentum?
Eccleſiæ ſpoliantur opes, exactio crebra
Nempe gravat Clerum, libertas debita ceſſit,
Aſtrixere pedes Clericorum (h) pondera ferri.
Sermones cuperet longos injuria grandis,
Pauca ſed ex gravida ſatis hæc ſint edita mole.
Colligat ex ſerie prudentia diva minori
Preſſuras reliquas. Miſeram defendite cauſam
Exulis, o Patres; auſus compeſcite diros.
Vulnera fortunæ veſtrum eſt injuſta mederi.
Hæc ait, & Patrum eſt ardor ſuccenſus ad almi
Præſulis auxilium, prolataque crimina damnat.

§. XII.

Ultima proſcripti (47) ratio eſt, quo ſtante rogavit
Orandi ſpatium: Tutum clementia reddit
Me Clemens, inquit, quamquam pavor irruat artus,
Me tantis adſtante viris. Expreſſit amorem
Urbis non totum, quem ſemper geſſit ad aulam,
Oppoſitus ſermo, potuit nam plura referre,
Audeo ſic fari, quoniam non ultima verax
Pars eſt ſermonis. Clades exercuit umquam
Quis tam ferales dilecta Civis in Urbe?
Aures nam veſtræ nuper ſtupuere penates
Cædibus auditis, quæ Diis ſemina, Cœlum
Quas pavet, & tellus, quas commiſere (i) parentes
Urbis in interitum, & Regalis dedecus aulæ.
O furor infelix, o quanta licentia! diri
Auſus immites violant ſacra, juraque calcant,
Publica res premitur, communia commoda vertunt
In proprios uſus, Clerique invaditur arvum.
Concives vellens caret obice læva voluntas,
Ædificant turres alienis ſumtibus altas,
Diripiunt & opes, plebejo robore fulti,
Lucra volunt ſoli, reliquis at damna refundunt;
Conſortes renuunt (48) ſoli dominantur, honores
Uſurpant ſoli, veteres bacchantur in urbis
Fautores, alios cogunt exire paternis
Ædibus, ac alios recludunt carcere tetro.

(f) *MS. Amb.* non furis.
(44) Ideſt, in me ſpiritalem eorum patrem, atque Paſtorem.
(45) Hoc eſt, in ipſum Pontificem maximum.
(g) *MS. Amb.* Par ſcelus.
(46) Bullae ac edicta Romani Pontificis.
(*) Potius *prohibent*.
(h) *MS. Amb.* Xporum.
(47) Is unus erat e Patritiis Mediolanenſibus, qui ab Urbe proſcripti in calamitates innumeras conjecti jam dudum fuerant.
(i) *MS. Amb.* potentes.
(48) Videlicet una Turrianorum familia.
(*) Carceres Mediolanenſes vivorum tenebroſa ſepulcra appellat; ſed quid hic *obſequium*?

A Exitii crudele genus, cùm vita negatur,
Et mors tarda venit, nam tetra vorago colonos
Affligit miſeros, dum lumen & aëra tollit,
Publica dona viris etiam conceſſa nefandis,
Quod (*) tegit obſequium vivos crudele ſepulchrum.
O ſtygiæ feritatis imago, ſtipendia p..... (K)
Proſcriptis opibus, nequeunt quæ reddere, cogunt
Solvere captivos, prohibentque cibaria vinctis;
Non licet & caris accedere; longa miniſtrat
Chorda dapes; fertur fuſo quandoque veneno;
Purgamenta vetat feces (miſerabile dictu)
Naribus infeſtas emitti carcere fœdo.
Heu miſeris vitæ ſolatia cuncta negantur,
Lætitiæque loco ſpes mortis ſola relicta
B Eſt ipſis, dulcem quam fecit carceris horror.
Hoc habet infelix oppreſſio muneris, atrum
Ne metuat funus; præſentes deſerit auras
Uſque libens, experſque metus. Hoc culmine gaudet
Longa nimis ſeries, non ingerat auribus almis
Tœdia, materia eſt grandis, noſcendaque vobis,
Qui ſcelerum juſta libratis pondera lance.
Curribus imponunt eductos carcere demum
Innocuos, luctus plenam vectantur ad Urbem.
Tempore quid longo miſeri meruere ſepulti?
Murmurat hinc gemitus, lachrymis ora inde rigantur,
Mœſta dies tanti maculam polluta rigoris;
Corda pavent, nullique audent obſiſtere cædi.
C Attamen inducti populi ceſſere tribuni,
Ne tribuat tanto ſceleri præſentia robur.
Vota metus reprimit, conducunt æra ſceleſtos
Ac odium ſpeciale, daturque licentia ferro,
Curritur ad facinus, vibratur mucro, bipennis
Illinc exeritur, plauſtrique in fruſta ſecantur.
Murmura non reſonant, non eſt audita querela,
Seu vox; fata manent taciti poſtrema, nec ictus
Declinant, gladiis ultro quin colla furori
Nuda parant; nec enim revocans miſeratio ferrum,
Excipiunt animo patiente volantia tela.
Impetitur facies, hinc cervix, indeque vertex,
Hinc feriunt guttur, illinc at brachia frangunt.
Servato nullo fit ſævior ordine cædes,
D Victa jacet pietas, ſtatuunt ferale macellum.
Funera (49) quinque quidem decies & quatuor una
Occubuere truci Primatum cæſa furore,
Quorum Diva (50) duos à mortis faucibus atræ
Sors rapuit, cladis teſtes, & ſigna ſceleſtæ.
Alter ego quorum, quem cernitis, alta reduxit
Exanimem virtus ad vitam, læva referrem
Hæc mox ut vobis, quibus eſt commiſſa ſuperni
Judicii cenſura, ſcelus ne impune lateret.
Sanguine Nobilium diffuſo terra madeſcens
Lubricat, & rivi diſcurrunt fluminis inſtar.
O dolor immenſus totam diffuſus in Urbem,
Viſceraq; inconcuſſa manent! res magna dol... (l)
E ..... cum miſeris & eorum vulnere cædi.
Cur impune ſcelus par eſt? Junxere (51) tyranno
Se

(K) *MS. Amb.* poſcunt.
(49) Calcho, Corio, & Jovio teſtibus, Anno 1266. immanem Patritiorum ſuorum carnificinam Mediolanum conſpexit ac indoluit, Napo Turriano in eos furente, quod Paganinum fratris filium Vercellis Nobilium exulum cœtus obtruncaſſet.
(50) Scilicet Deipara Virgo, quae unum Oratorem, atque alterum ejus ſocium, tam dirae caedi non ſine prodigio eripuit.
(l) *MS. Amb.* dolore
Divaque cum &c.
(51) Excuſat Orator quoſdam e Nobilibus, qui in partem Turrianorum ſeceſſerant, & Napuleoni ſive Napo ſuam obſtrinxerant fidem.

Se quoque damnati reliquo, junxereque dextram A
Cives, prima fuit quorum connexio; junctus
Proſcriptis ſocius patribus parêre ſpopondit.
Duratura fides nec erit ſecus; illa ſalubri
Conditione caret civilis pactio, matris
Immemor Eccleſiæ, contemnens (52) Sedis honorem.
Obvia quæ tamdem virtus intrare volenti
Mœnia Militiæ gladio dilecta cruento?
Lædere nobilitas detractis noluit Urbem
Nam Dominis, patriæ libertas ſola petita eſt.
Arguimur, quia dextra fuit data noſtra tyranno,
Qui dimiſit eos, cui verè ſœdere juncti
Inviſo fuimus: (53) natos ſecus ire neceſſe eſt
Rebus in ignotum vacuos cum matribus Orbem.
Si crimen, veniam tam triſtia fata merentur; B
Parcendum eſt; quem non placat miſerabile vulnus?
Numina nunc moveant clades, non flebilis error,
Quas non ſama ſilet, quid enim nam crimina clamant,
Murmura plura gemunt, violataque jura queruntur?
Civilis patitur timor omnia, viribus hauſtis
Nec fulcire poteſt illos promiſſa meatus
Libertas. Cûm tuta cohors data Regna petivit,
Gallica cùm Siculas acies tranſivit ad oras,
Montanæ (54) fuit Urbis opus, cui gratia dignè
Eſt reddenda.... (m) Comitis quæ fœdus inivit.
Regis & in faciem commiſſa protervia tanti
Obſequium vacuat, dum ſic contemnitur ejus C
Nuntius, enormis dum ſic præſumitur auſus,
Dum ſic bacchatur, dum ſic diſcerpitur ordo
Juris, non illos rettrahit reverentia Regis,
Aut amor, aut virtus, ſeu Regia magna poteſtas.
Non parvam maculam Siculæ invexere Coronæ (n),
Quæ nota eſt cunctis, & vix delebilis ullo
Tempore, dum titulus Regalis ſoverit illos.
O Patres, Urbi citiùs ſuccurrite veſtræ;
Non patet auxilium, preſſuræ fluctus inundat,
Turbo furit validus, laxatur rima carinæ,
Pars immerſa ratis periit, nutatque ſuperſtes,
Tempeſtate gravi caſum concuſſa minatur.
Pœniteat ſævos ſcelerum, tam perfida facta
Eventus ſolet iſte ſequi. D

§. XIII.

Sic fatus, ut horror
Invadit gelidos artus, cum monſtra perurgent
Cognita, ſuſpenſæ ſic obſtupuere coronæ
Aſtantis populi, ſic territa pectora Divûm
Cladibus auditis, quas nullum noverit ævum.
Quem priùs æthereum (55) gladium vibraverat Orbis
Claviger in cives ſontes, patriæque rebelles
Non revocat, ſubeant aulæ niſi lora potentis.
Germine cùm tellus, & ſidus luce carebit,
Piſce ſalum, ventis aer, ſeu flamma calore,
Summus apex Divûm tunc non curabit honorem E
Juſtitiæ, nec fautor erit, ſed jura negabit.

Ut norunt conſtans & implacabile pectus
Pontificis Summi, Cives diſcrimina cernunt;
Corda pavent, patriis & ſe ſubmittere juſſis
Coguntur concuſſa metu, gladiique rigore
Ætherei; licèt his ſors proſpera præbeat auſum,
Ambitione ſua vires ſenſere minores.
Ut nubes oriens radius diſpergit Eoas,
Aut Boreas ſubitò vehementes diffugat imbres,
Sic timor in vanum rediit (o) probitatis ad umbram,
Conſtantiſque animi pereunt faſtigia nutu.
Legati remanent (p), non illos æqua reduxit
Gloria, colla jugo referunt obnixa penatum.

§. XIV.

Nec mora, quos ſequitur ſolio Legatus (56) ab almo
Ad Ligures miſſus, domuit quos nulla poreſtas,
Non ſortuna potens, & inexpugnabile ſatum,
Non vis, colla ſacris vinclet qui ſi (*) juga loris,
Ambroſii celeri petiit qui mœnia greſſu.
Concilium generale vocat, mandataque pandit
Præſulis ætherei. Secum delata ſalutis
Nuntia, grata piis animis, vinctura rebelles
Suſcipiunt Cives, juſſis & in æthera latus
Aſcendit clamor, Sedi gaudetque ſubeſſe.
Uno conveniunt animo, non diſſidet ullus,
Confluit Urbs ſubitò, fit manè (q), & ſacra plateis
Juramenta fidem, quæ non exacta, ſed ultro
Edita, parendi votum teſtantur amicæ
Aulæ. Sic etiam pacis civilis amorem
Ac reditus Patris, qui longis abſuit exul
Temporibus, lætantur oves, quia Paſtor ovile eſt
Venturus nutrire ſuum, renovareque ſacra
Et quia Divinæ ſolvenda ſilentia laudis.
Mox exacta datur vicinis Urbibus ipſi
Cautio Legato, fidei ſit ſponſio factæ,
Ut rata ne violent titubantes juſſa Legati,
Poſtmodo facta ſibi dirimant ne patria lora.
Hinc ſuppreſſa diu ſolvuntur Cantica; lætum
Dant delubra melos, myſteria diva colonis
Redduntur, ſacras populi concurſus in ædes
Fit quoque. Ceu longa liquidos deſiderat hauſtus
Faux exuſta ſiti, ſic plebs diffunditur, hymnos,
Exhauſtura novos; jubilus jam pullulat ingens,
Et prope jam finis ſperatur adeſſe malorum.
Ut ſuffuſa genas lachrymis oppreſſa timore
Mater in interitu nati, complexa rigentes
Artus dilectos, oculiſque cadentibus hærens,
Febribus exhauſtum corpus repente calore
Anxia cùm ſentit vitali cedere morbum,
Lumina nectenti jam ſomno laſſa ſalubri,
Ad ſolitum vena callem redeunte tenoris,
Erigitur, ſperatque trucem vitare dolorem,
Reddendam citiùs priſcæ prolemque ſaluti,
Excutiturque prior facies, quæ nubila, plauſus
Exerit & lætos; Sic Urbs civilibus armis
Preſſa diu longo diri concuſſa pavore
Excidii, compaſſa ſuis & civibus actis,
Clade gravi gaudet, medicam non excutit artem
Quod

(52) Romanae, aut, ſi mavis, Ambroſianae, cujus Archiepiſcopum ejurare cogebatur quicumque Turrianis ſeſe adjungebat.

(53) Si ſecus factum fuiſſet, neque foedus cum Turriano percuſſiſſemus, actum erat de liberis noſtris, qui rebus omnibus ſpoliati, & e patria pulſi, panem emendicare in ignotis regionibus coacti fuiſſent.

(54) Sed quaenam haec Civitas, cui potius quam Mediolanenſibus tribuendus erat felix Gallicarum copiarum tranſitus in Siciliam? Ego nullum ferventiorem utilioremve Carolo Andegavenſi in ea rerum difficultate novi, quam Montiſterrati Marchionem. Num de eo ſub urbis *Montanae* nomine, an de aliqua ejus Civitate loquatur Poeta, decernere non auſim.

(m) *MS. Amb.* magis.

(n) *MS. Amb.* Sicula erexere Corona.

(55) Anathemata ac Interdictum minime Clemens IV. a Mediolanenſium urbe tunc ſuſtulit.

(o) *MS. Amb.*
Sic tumor in vanum cedit probitatis &c.

(p) *MS. Amb.* remeant.

(56) Quis ille fuerit, ex Cardinalium coetu ſelectus, proditum in Annalibus Mediolanenſium non legi.

(*) MS. Ambr. in margine *vinclet quis injuga loris*.

(q) *MS. Amb. pro* fit manè, *legit* firmant.

Quod vulnus; coeunt dudum diſciſſaque membra.
Jam ſperata ſalus ad gaudia corda reducit.
Hæc ubi ſigoa dari Legatus juſſit in Urbe;
Nobiliumque vocat pariter populique Senatum.
Pace reformari ſperantes mœnia Cives
Confluxere cito greſſu, quibus orſus ab ore
Pendenti eſt populo ſic fari.

§. XV.

Dedita ſacris
Hæc aulæ (r) uſque potens fama virtuteque fines
Orbis ad extremum diſtuodit nomina præpes
Libertas Ligurum, Patribus devotaque divis
Extitit Urbs olim multis ornata triumphis.
Conſilii decor eſt ejus diffuſus in omnem
Italiam. Erepta (ſ) novis erroribus altè
Corruit at nuper, moriſque oblita vetuſti
Se dedit in præceps, patrios deſpexit honores,
Io caros bacchata ſinus ſua contulit arma
Matris in opprobrium; radiis luſtrata ſupernis
Sed modò jam redit. Deflet confuſa priores
Exceſſus. Plenis jam votis lora reſumunt
Eccleſiæ. Veteres jam læta reducit amores;
Evigilant etenim lethali preſſa ſopore
Lumina, præteritam ſuperat nova gratia culpam.
Vos ad juſſa Patrum devotio magna paratos
Reddidit. Ut cerno, nihil eſt jam ponderis ultra,
Quod metuant animi devoti. Muneris ardor
Divini grave neſcit onus, ſed dulcia ſentit
Omnia; priſcus amor rediit, culturaque Divûm.
Jam quoque non vobis patriis parère moleſtum eſt
Juſſis, ad vitæ felix converſio callem
Devia peſtiferi erroris funeſta relinquens.

(r) *MS. Amb.* Urbs.
(ſ) *MS. Amb.* decepta.

A En ego jam fidens vobis mandata refundo
Præſulis eximii: video vos namque paternis
Obſequiis promtos, patrem cognoſcite veſtrum
Ottooem. Jubet hoc fas, & jus. Alta poteſtas
Hoc quoque decrevit; ne ſit fugitivus in Orbem
Ulteriùs, ſtatuere Patres. Ad ſceptra redibit
Collatæ ſedis; vos hinc parebitis illi.
Vos hinc ſubjecti dignos reddetis honores,
Prædia reddetis, conceſſaque jura tenebit
Præſul, & in Clerum proſcriptio facta linetur:
Reſtitueotur opes raptæ, fraudabitur ære
Nemo ſuo. Noo hinc Chriſtos injuria lædet.
Lex exacta meo ſaſtis delebitur omnis
Judicio, veſtræ ſi forſan matris honori
Obviet, in reliquo libeat ſi plura jubere
B Tempore, libertas mihi ſit ſervata. Loquutus
Hæc ſiluit. Cives una favere jubenti.
Ut jurata fides illos, & cautio juſſa
Edita junxeruot, his impiger omnia complens
Legatus connectit opus, repetitaque jura
Occupat Eccleſiæ. Traduntur jura petenti.
Corrigit & faſtos, ac liber redditus omnis
Cletus, deletur proſcriptio. Nulla moleſta
Jam lex, oulla premens exactio, oulla tyrannis
In Cletum. Nondum ſed pax ſperata ſequuta eſt
Civilis, cujus jamjam fiducia major;
Neſcit enim ſubitò conduci magna cicatrix,
Et ſemper languoris iners eſt cura vetuſti,
Artis ſi medicæ morbum primordia grandis
Non renuat cedens, pars eſt (t) parva ſalutis.
C Sic antiqua oequit dirimi, ſucceoſaque parvo
Tempore lis turgens; opus eſt conamioe longo,
Spem parit ingentem; cujus conveotio quamvis
Cœperit ex illis, ſed noo heu vota ſequuntur.

(t) *MS. Amb. addit* non.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

IN.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

§. I.

Pullulat ira latens ſub pectore, proditur ulcus
Exterius multis (a); iterato priſca tumore
Turget enim labes, intra mentita ſalutem,
Non exterſa priùs ſanie conducta cicatrix,
Sub cute ſordenti recidiva panditur unda.
Agmine Lugdunum ſacro properante penatum
Dum foret Antiſtes (57) ſummus, comitanſque caterva
Urbe Placentina, ſententia promitur atrox.
Metropolis ſtatuunt Cives, ut præmia dentur
Plurima, lethali ſi vulnere decidat exul
Archipater, propriam præſumens viſêre ſedem.
Dedecus hoc aulæ eſt, grandiſque injuria deni
Gregorii, tantum ſacinus qui ſidere clauſo
Diſſimulat (58), legi metuens obſiſtere ſævæ.
Deſerit Italiam feſtinus, tranſmeat Alpes.
Axe ſub Heſperio Rhodani pervênit ad undas,
Urbs quibus incumbit Lugdunum nomine, nuper
Acta (59) ubi divorum Patrum celebrata fuerunt.
In reditu celeri ſequitur quem Præſul: at ille
Ipſius renuit comitatum, ſtare Bugellæ (*)
Elegit profugus, Seprii (60) ſe fudit in arva.

§. II.

Hinc Comes arma petens Gufredus (61) nomine, clara
Ortus progenie, cuneo vallatus & enſe
Exule. Dux Equitis natali limine pulſi
Robore magnanimo, Caſtro conſedit Aronæ
Hærenti (62) rivo, pariter quod lucis ab Urbe
Diſtat, & eſt humili locus hic ſuſpenſus in arcem
Aggere, ceu ſedes illis quæ præminet (63) oris
Regia. Vaſta latus communit utromque vorago;
Clivus at à tergo præceps deſcendit in amnem.
A valvis aditus non arduus, atque vetuſto
A Frons ejus muro eſt olim munita, ruinam
Cujus congeries reficit nova. Protinus omnis
Plebs montana ſavet, parent & mœnia lati
Engleriæ (64) vicina laci; munitur & arcis
Præſidium. Ligures hæc quam tenuere coloni
Urbs (65) antiqua fuit, antiquis diruta bellis,
Ipſa redacta ſolo, pauco contenta colono,
Nobilitatis habens priſcæ veſtigia, ſervat
Delubra, quæ reficit, prope mœnia ſparſa per agros.
Cingitur Occiduis nunc (b), non Auſtralibus undis.
A Borea erigitur collis, qui culmina præſert
Invia, murali quondam præcincta corona:
Hoſtibus eſt ullis vix expugnabile caſtrum.
Planities illi ſpectabilis hæret ab Euro,
B Inde tamen locus eſt valle munimine tutus.
Hæc loca bina tenet tutiſſima Miles ab Urbe
Pulſus, & his patrias ædes ſe viſere ſperat.
Hæc ſpatii nimius non dividit oppida jactus,
Auxilium ſibimet properèque impendere poſſunt.
Urbs excita novis rumoribus exilit, ira
Infremuit, catulis ut ſæva leæna furore
Evehitur raptis. Micuerunt ſigna potentis
Metropolis, properat ſonipes phaleratus, & armis
Contectus Miles, pariter vexilla Quiritis (66)
Germani pretio conducti ad bella feruntur.
Engleriam invadunt ſeu fraudis ſive favoris (c)
Auxilio: ſplendens gladius vibratur in hoſtes.
Pars Comitis non dura ſerens molimina Martis,
Innumero cedens equiti ſeceſſit in arcem.
C Fama leves tendens alas ſe tollit in auras,
Non contenta ſolo, Comitis pervenit ad aures,
Engleriam captam eſſe, & amicos arce reclulos.
Tunc armis animoque potens Dux impiger agmen
Congerit, armatos Seprioque reliquit ephœbos
Caſtro, feſtinans obſeſſis marte potenti
Subſidium præſtare citum. Fit proximus undis
Stagni. Metropolis conſpexit Præſes ut hoſtes
Acceſſiſſe, parat promtas ad bella cohortes;
Obvius (67) egreditur, prope fit occurſus (d); utrinque

Amnis

(a) *MS. Ambr.* mentis.

(57) Gregorius X. Papa, vir ſanctitate morum celebris, electus Papa Anno 1271. quum ultra duos annos Romana Eccleſia novum Paſtorem deſideraſſet.

(58) Jovius in Vita Othonis Vicecomitis tradit, clandeſtinis conſiliis conſpiratum fuiſſe a Turrianis in vitam ipſius Archiepiſcopi: tum addit: *Refert Stephanardus Flamma, qui eam Hiſtoriam carmine conſcripſit, Pontificem ipſum (quod vix credibile eſt) nefarii conſilii conſcium fuiſſe.* Fallitur Jovius, Stephanardum *de Vico Mercato* confundens cum Gualvaneo *de la Flamma*, cujus Hiſtoriam ſuo loco proferam. Praeterea Stephanardus auctor eſt, non clam, ſed publico Mediolanenſium edicto, praemium propoſitum Othonem interficienti, ſi quando is *propriam viſere ſedem* auderet. Quod Gregorius Papa, opportuniora tempora opperiens, tam execrabile decretum omnibus notum, diſſimularit, hoc eſt impunitum dimiſerit, Stephanardo id minime probatur.

(59) Concilium Oecumenicum Lugdunenſe celebratum a Gregorio X. Anno 1274.

(*) Nunc *Biella*, Oppidum Vercellenſis agri.

(60) Olim Comitatus poſtea Mediolanenſi Urbi ſubjectus. Multis pagis & Oppidis florens a Ticino atque Olonna fluviis alluitur, & uſque ad Verbanum Lacum ſe protendit. Illuc Otho bellum intulit Anno 1276. poſtquam e vivis exceſſit Gregorius X. Papa.

(61) Hoc eſt Gothofredus, ſive Godefridus Comes de Languſco, vir ſpectatae nobilitatis, atque

inter Ticinenſes primates facile princeps.

(62) MStum Codicem Ambroſianum rurſus conſulendum curavi, ut quae heic mihi vitiata videntur,
D reſtitui poſſent: ſed nullum inde praeſidium obvenit. Fortè *paucis quod leucis ab Urbe*.

(63) Adhuc Oppidum Aronae arce in praerupto colle, ſive ſcopulo ſita munitur, ubi Sanctus Carolus Borromaeus in lucem editus eſt.

(64) Ipſum quoque inſigne Oppidum in oppoſita Verbani Lacus ora ſitum, *Statiana* olim appellatum, inclytae Borromaeorum ditioni ſuppoſitum. In vetuſtiſſima Arce, quae Oppido ſupereminet, inſra a Stephanardo deſcripta, & cujus ſtructuram neſcio quibus tabulis Jovius ipſi Othoni tribuit, vidi ego ſuperſtites adhuc picturas, ipſios Othonis Archiepiſcopi geſta referentes, rudes certe, quales nimirum rudis illa aetas ferebat.

(65) Apud Anonymum Raveonatem a Porchetonio editum *Stationa* Civitas memoratur. Scribendum *Statione*, quo nomine a vetuſtis Rerum Mediolanenſium Scriptoribus Angleria donata eſt.

E (b) *MS. Ambr.* nec non.

(66) Hoc eſt Rodulphi tunc Romanorum Regis, quem ſibi Napus Turrianus conciliaverat, atque ab eo validam Germanorum aciem impetrarat.

(c) *MS. Ambr.* pavoris.

(67) Proelium hoc ornate deſcriptum habes a Jovio & Sigonio ad Annum 1276. qui vix aliunde quam a Stephanardo noſtro rem hauſerunt. Calchum & Corium heic idonea veterum monumenta defecere.

(d) *MS. Ambr.* concurſus.

Amnis erat medius, parvis qui labitur undis, A
Sed nec ab Engleria ſpatium diffunditur ingens
Ad fluvium Guaſſam; dextras hortatur in hoſtes
Præſes belligeras, cui eſt fiducia major
Teutonicus miles; ſeries diſtincta, phalangas
Ordinat, umbones flavent, galeæque relucent,
Expanſæ fulgent Aquilæ, ſonipeſque furorem
Efflat, belligeroque tubæ ſpiramine clangunt.
Inde Comes patria proceres ad prœlia voce
Proſcriptos acuit, genus his proponit, & ædes,
Virtuteſque patrum, felices Urbis honores.
Audaces equites animo congeſſit in unum,
Ac pedites. Non ſic acies hæc ſplenduit armis,
Impar & hæc numero, ſed ſpe, quàm robore major;
Ipſa pericla cavens potuit nam cedere bellis, B
Sed ſuperare ſolet magni fiducia cordis
Conſilium. Clamor ſubitò miſcetur utrinque,
Penè leves agitat nubes. Conflictus initur.
At latus adverſæ Germanus tiro cohortis
Tranſiliens undas petiit; jam mixta geruntur
Prœlia, deſævit mucro, demittitur haſta,
Excipiunt ictus galeæ, configitur umbo.
Cæditur hinc miles, cadit alter & inde ſupinus;
Conſeruere manus, lethalia ſpicula miſcent;
Nunc hunc, nunc illum gladius conſumit atroci
Vulnere, bacchantur Mavortia tela viciſſim,
Armorumque fragor ſemotis funditur oris.
At Comes adverſos cuneos ferit, atque laboris
Belligeri patiens ſuſtentat pondera belli
Sævi, non hoſti parcit, ſtragemque minatur. C
Virtus tuta viri laxis audacter habenis
Obliquaque haſta medios prorumpit in hoſtes.
Ictu ſtratus eques poſtremo fata ſopori
Junxit; ſed Comitis ſonipes demerſus in unda
Limoſa cecidit; coram producitur hoſte
Detentuſque Comes, nomen qui nobile faſſus
Confoditur ſubitò diri mucrone furoris.
Tunc damnata cohors ceſſit, tam triſtia cernens
Fata ducis, latebras quærit, campumq; relinquit.
Eſt fuga divulſæ fiducia ſola phalangi;
Pars deſenſa manu ſeceſſit in abdita diva,
Poſtmodo Novaria quæ ſe collegit in urbe.
Pars jacet in frutices, pars triſti fune ligatur,
Quos ſubduxit atrox capitis ſententia luci.
Funera terna jacent decies, & quatuor icta D
Gutture. Cladigeri maduerunt flumine campi
Sanguineo, Galerate (68), tui; ſed in horrea mœſtæ
Luxuriant fruges, replentes aëra fletu
Ac gemitu lachrymis tantæ ſpectamine cædis.
Qui temere (69) ſuas redeunt ad mœnia Cives,
Victores gaudent, lætum referuntque triumphum.
Magnanimus Præſul mox linquens arva Bugellæ,
Vercellas petiit, dubiam ſuſpenſus in artem
Fortunæ, ſperans poſt triſtia fata beatos
Succeſſus, nec enim novit ſors ſixa morari.

§. III.

Advenit proſcriptus eques, ſuffragia poſcit,
Pontificemque rogat Damnatæ ſigna cohortis
Sumere: Divûm opus eſt, inquit, quod convenit almis
Hoc manibus macula purgare tyrannidis Urbem.
Juſtitium patriam oppreſſit, viduæque vagantur
Exulat incerto pupillus, & orphanus orbe,
Sacratæ ſpoliantur opes, latique cruore
Rivi civili maduerunt fluminis inſtar.
Trina quidem cædes quaſi bis centena peregit
Funera nobilium: pars bello concidit atro,
Judicii pars falce fuit (e) concisa ſceleſti.
Proh dolor! Engleriæ, Vercellis (70), geſta Carate (71)
Prœlia tam diræ cladis fecere ruinam.
Mors infauſta animum Gufredi tangat amici,
Infandi libeat juguli meminiſſe nepotis (72)
Cari. Nobilitas ſuſpenſis te manet armis;
Ipſa quidem patriæ te propter mœnia nutant,
Plebs cupit adventum Patris devota. Quid hæres?
Eja rumpe moras; te Cœli oracula poſcunt,
Ad vetitam te fata vocant felicia Sedem.
Tunc Antiſtes ait; Fuſi non ſanguinis ultor
Eſſe volo; ſacri non hoc patiuntur honores,
Faſces quippe jubent ſcelus omne remittere Divi.
Hæc vindicta mea eſt, cunctis ignoſcere culpis.
Iſta Sacerdotis plena eſt victoria. Pacem
Exopto patriæ, cives viduaſque reduci
Ad natale ſolum, primique ad jura redire
Urbem priſca ſtatus, & plenè libera reddi
Sacra. Paratus ero noſtrum patrare Ducatum
Sic vobis. Numen pariter cœleſte petamus,
Quod ſolet oppreſſis invictum ferre juvamen.
Non animos odium corrumpat: quiſque virilis
Miles erit, quemquam (73) armigerum ſuccendat ad arma
Fas, propriique lares. Tunc juſſit cuncta parari
Bellica. Novariam vênit, mox Oppida cepit
Plurima, qui (74) Seprii parva comitante cohorte
Mœnibus Antiſtes vicinis ſedit Aronæ;
Eſt etenim tutus locus hic, & nobile Caſtrum.
Aſt ubi fama citis Urbi denuntiat alis
Præſulis adventum, Boreales inſuper oras
Archipatri parere ſuo, reliquaſque paratas
Ad Patris amplexus celeres: formidine preſſi
Arma movent, & amica vocant ſuffragia Cives.
Hinc Cremona venit: ſuccurrit Lauda repente:
Parmaque tirones mittit; vaguloſque per arva
Ad prædam doctos equites dat Crema; Quiritis
Aſſiſtit mucro Germani Civibus audax.
Conductus pretio, Papia miles ab Urbe
Pulſus in auxilium, celer atque expertus in armis.
Metropolis phalerata acies non defuit illis.
Planities vallata jacet, tentoria figunt
Non longo ſpatii jactu prope (75) mœnia. Fultus
Præ-

E

(68) Oppidum nunc Seprienſis provinciae caput. Illic non *duo & viginti inſignes Patritii*, ut ſcribit Jovius, a crudeli victore capite multati, ſed *quatuor & triginta*, uti Stephanardus heic teſtatur. Neque inter eos *Languſcus ipſe Dux*: quod voluit idem Jovius. ille enim vix captus in proelio & cognitus, *ſubito* confoſſus cecidit; ſed quidem Theobaldus Othonis Archiepiſcopi nepos, Matthaei Magni Vicecomitis pater: quod Poeta commemorat infra.

(69) Videlicet, qui lacrymas ſuas continuere, ſcilicet populares victores.

(e) *MS. Ambr.* ruit.

(70) Eam Patritiae gentis caedem innuit ſupra Stephanardus num. 49. Anno 1266. factam.

(71) Commiſſam ibi pugnam, Nobilium factioni infauſtam, Jovius recte deſcribit. Corius autem rei geſtae ſeriem tempuſque confundit. Neque haec Calchus ſatis novit.

(72) Videlicet Theobaldi Vicecomitis, cujus filius Matthaeus ex rebus fortiter ſapienterque poſtea geſtis magni titulum ſibi conquiſivit.

(73) Scribo *quemque*: ideſt, unicuique e vobis arma gerenti animos addit juſta cauſſa, quae vos armavit, & cupido ac ſpes propriae Patriae recuperandae.

(74) Lego *quae Seprii*, hoc eſt Seprienſis Provinciae ſunt. Aut *quin Seprii*, ideſt, quin etiam Seprii Oppidum paucis adhibitis copiis expugnavit.

(75) Corius, Jovius, Sigonius, & alii Scriptores, concordi calamo ſcribunt, ac ipſe Poeta apertius in Praefatione, quam in Carmine, tradit, Seprium Caſtrum a Napo Turriano obſeſſum fuiſſe Anno 1276. ejuſque acies tamdem profligatam a Nobilibus proſcriptis. Corius tamen rerum ac temporum ſeriem turbat.

Præſul magnanimus non multo milite, forti
Spe tamen accincto, pedites congeſſit agreſtes
Munitos animo, pro libertate paratos
In gladios & bella ſuas committere dextras.
Plebejos lorica viros non plurima texit
Ferrea, diploidis (76) contentos agmine (f) ſolo.
Circuit Antiſtes ſolerti mœnia cura,
Et jubet excubias, vigili cuſtodeque ſervat
Caſtra. Trabes clauſere vias, ne callidus hoſtis
Irruat, ut requie ſolvuntur membra ſoporis,
Et ſubitò (77) madeant nocturno ſanguine feſſi.
Intrepidus celeri circumſpicit omnia motu
Præſul, moxque dato promtos ad prœlia ſigno
Convocat armatos, quos hortans voce paterna:
Hæc ait, o ſocii magnorum mole laborum
Preſſi, vos patriæ libertas, vos decus Urbis,
Vos natalis honos, Ligurum vos nobile germen,
Juſtitiæ titulus moveat jam pectus ad arma.
Non habeat ſervos ſinè vulnere ſedulus hoſtis,
Non vos ſervabit civilis mucro retentos;
Cervices celeri tingentur ſanguine triſtes.
Pro natis pugnare licet, pro conjuge cara,
Pro laribus, patriæque ſtatu, pro jure (g) paterno.
Geſta patrum moveant animos antiqua, timebat
Roboris Italici quos lata potentia, quorum
Grande fuit longo diffuſum nomen ab ævo.
Vos non degeneres thalami, non eſſeque prolem
Furtivi, non vos peregrino ſanguine (h) natos
Audax dextra probet. Patriæ probitatis imago
Teſtetur vos eſſe genus laudabile. Miles,
Quem mihi ſtravit (78) apex, veniat, mea ſigna ſequatur.
Feudali ſi jure cupit gaudere, relinquat
Impia Caſtra, meis vexillis pareat: omnem
Faſcibus antiquis privant mea juſſa rebellem.
Metropolis cuneos non multus transfuga (79) miles
Se patris expoſitis fato belloque maniplis
Jungens deſeruit: anceps fortuna timetur;
In civile pavet (80) Civis ſe opponere robur.
Nititur interea montes invadere ſacri
Militiæ pars magna ducis, quo pene relicto
In ſeriem jungunt (81) Cives, ad bella cohortes
Inſultum faciunt, ingens & ad æthera clamor
Tollitur, & tentant vacuatum irrumpere Caſtrum.
Exteriora cadunt munimina, ſtrata furoris
Raptu. Tunc miles dubia ſub ſorte duellum
Singulus aggreditur; cadit hinc adverſus, & inde
Alter confoditur; ſtrages contrivit utroſque,
Qui ſteterant. Populus tandem confugit (82) in arcem
Cuſtodire locum nitens, defendere vallum,
Impigra quod pugilum circumdat læta corona.
Spicula miſcentur, ſaxum hinc volat, inde ſagitta
Turbine rapta truci baliſtæ (83) morte relicta

A Lancea belligeris illinc excuſſa lacertis.
Hinc ruit armatus, vallique crepidine ſtrati
Ima petunt, pugnax miles cadit inde ſoluto
Arcu, ſanguineus mucro deſævit utrinque.
Dum multo geritur bellum diſcrimine, curſu
Militiæ (84) cuneus celeri redit, atque repentè
Currit in auxilium; reſonat tuba, ſigna coruſcant,
Incluſi gaudent, hoſtilia corda paveſcunt,
Archipaterque ſuos hortatur, currit ad arma
Quilibet, & vallum flaventia tela coronant.
Pontificiſque acies mox ut pervenit, equeſtris
Miles in arma fremit. Præceps dimiſit habenas,
In denſos agitur cuneos, quæritque per hoſtes
Tutus iter, pavidi ſubitò qui terga dederunt.
Incumbit gladius fugientibus, haſta perurget,
B Et ſonipes ſeſſore carens hinc inde vagatur.
Stratus eques rapidis pedibus calcatur equorum,
Alter inire fugam tentat ſudore pedeſtri,
Ejectis latebras armis deſiderat alter,
Et pars cæſa cadit, reditque ad caſtra ſuperſtes.
Ceſſit eques (85) campis, convertit fræna furoris
Heu pubes oblita ſui, gladiumque veretur
Militiæ ingentis, (i) nam ferrum ſanguine fumat
Cædibus impreſſum. Pietas commota paterna
Obviat, & jugulos fraterni ſanguinis (K) horret,
Civiles metuens clades, intecta furenti
Militiæ occurrens opponit pectora, tantæ
Bacchantes prohibet gladios inſiſtere cædi;
Ac odiis ad caſtra vocat civilibus actos,
Præcipites ne fraude ruant, in ſepta recludit.
C Reſtaurare jubet feſtino cuncta labore
Diruta, ſupponit ſacratos ipſe lacertos
Quin operi; largos aer licet eſſet in imbres
Denſatus, tonitrus crebros, & fulgura nubes
Funderet, hos animat, cuſtodes inſtruit, omne
Officium luſtrat, fit ſedulus omnia Præſul.
Felix illa dies ingenti læta triumpho;
Sed timor invaſit victores luce ſequenti;
Plebs etiam montana trucis diſcrimina pugnæ
Præteritæ timuit; quærit concuſſa pavore
Devia, pars latebras, pars ſe convertit ad Alpes.
Nobilitas prohibere fugam conatur, & enſes
Exerit; Antiſtes revocat, ſed transfuga claudit
Aures, præcipiti curſu quæritque ſalutem.
Plus valet enſe timor; vox ſacri Patris inanis
D Nil agit. Inde cohors omnis cum plebe (86) fugatur,
Atque petit Cumas; valvæ clauduntur in Urbis
Introitu, renuunt profugos admittere Cives.
Dum rogat ingreſſum ſibi ſupplex Otto patere,
Hunc ſequitur foribus (87) reſeratis tota caterva,
In quam civilis ſubitò furor arſit, & urbem
Cogunt Cumani laſſos exire Quirites.
Quin alios ſpoliant, alii cæduntur, in ædes
Pars latet. Antiſtes ſemotas ceſſit in Alpes,
Quem

(76) Pro *agmine* lego infra *tegmine*, hoc eſt contentos ſolo tegmine *diploidis*. Italice diceremus *in farſetto*.
(f) *MS. Ambr.* tegmine.
(77) Hoc eſt, & ne diurnis laboribus feſſi milites, & ſomno noctu indulgentes, ab hoſte inſiliente trucidentur.
(g) *MS. Ambr.* rure.
(h) *MS. Ambr.* ſemine.
(78) Quem Archiepiſcopalis dignitas, Feudis collatis, fecit mihi vaſſallum.
(79) Ad ſe acciverat Otho quotquot Nobiles jure feudali ſibi adſtricti in adverſo Turrianorum exercitu militabant, aut Mediolani ſeſe continebant. Sed pauci ad eum ſe contulere fortunae diffidentes.
(80) Lego *pavet*.
(81) Ideſt Turrianae ſive popularis factionis exercitus, ubi intellexit Caſtrum, detractis militibus, parum firmum eſſe & communitum, ad illud oppugnandum ſe convertit.
(82) Ergo Oppidum captum, & in arcem Othonia-

E ni ſe conferunt, quam ſubinde fortiter tuentur.
(83) Immo *more*.
(84) Hoc eſt Militum ſive Patritiorum.
(85) Equites Turriani.
(i) *MS. Ambr.* urgentis.
(K) *MS. Ambr.* vulneris.
(86) Concordes rerum Mediolanenſium Scriptores tradunt, altero prœlio fuſas Othonis Praeſulis copias. Poeta infortunium emollire videtur, multa reticens pro ſtudio ſuae partis.
(87) Ergo emendandi Corius, Jovius, Sigonius, & alii, qui ſcribunt, Comenſes noluiſſe intra Urbem recipere fugientem Othonem, praebuiſſe tamen *benigne & largiter commeatum, atque item ſarcinaria jumenta*. Auctor eſt Stephanardus, cui debita major fides, reſeratis portis Archiepiſcopum cum ejus comitatu Comi receptum; tum concepto pavore a Comenſibus propter Mediolanenſis Populi minas, coactum inde abſcedere, ejuſque comites ſpoliatos ac caeſos.

Quem quoque Nobilitas ſtimulo concuſſa doloris A
Flebilibus comitata oculis. Conſedit in ipſo
Zurnigi (88) Caſtro, valles ſibi ſubdere nitens,
Ac montes. Populum legit non pluribus armis
Tectum; pars arcum lævâ, pars miſſile dextrâ
Vulgus inerme gerit, caput arcta caſſide preſſum,
Cingitur enſe femur; vix puri (l) pondere ferri
Quis tegitur, cordis tamen omnes robore freti,
Diplois at reliquos artus tegit, umbo ſiniſtram.

§. IV.

Poſtmodo Canobium (89) Præſul ſe contulit; oris
Terricolis exire novus compellitur hoſpes.
Eſt ſuga ſola ſalus, ajunt, tecumque neceſſe eſt B
Ædes deleri patrias, quas incola reddis
Infauſtas. Fruſtra quid niteris omnia (m) legem
Non explere tuam? fatorum cede furori.
Perſequitur fortuna nocens tua numina; fatum
Te crudele premit, Superis tibi bella moventur.
Præſul ait: languent ingenti membra labore,
Sed nec abire queunt, requie niſi ſota leventur.
Sumere, vel biduo liceat confracta vigorem.
Conceſſere moram; laſſi reverentia Patris,
Eſt admiſſa loco, comitans excluſa caterva eſt.
Interea precibus tentat placare colonos.
Pars ad amicitiam trahitur clandeſtina blandis
Promiſſis; occulta petit munimina ſtatim;
Arma viroſq; vocat, clam nobile congregat agmen
Sedulus Antiſtes fuſum per plana, per Alpes. C
Nobilitas commenta ſacri Paſtoris obaudit,
Quæ citò belligero ſociata eſt robore Patri,
Canobio, ingentis quod (90) ſtagni fluctibus hæret,
Ac montis radice ſito de fonte Ticini
Quod ſcaturit, qui fit tamdem (91) genitoris origo.
Antiſtes jam tranſtra parat, violata bipenne
Robora cæduntur, claſſi remos & ſilva miniſtrat.
Roſtra ligant clavi, ſternuntur ſtagna carinis.
Protinus armorum ferrum laxatur ad uſus.
Ad bellum navale rates armavit ephœbis
Grandævisque ſimul. Reſidebat pervigil hoſtis
Engleriæ; locus hic extremo littore ſtagni
Eſt ſitus, impulſus declivi tramite gurges
Ad quem declinat; collecta claſſe propinqui
Littoris, armatis majori robore naves D
Munit (92), plure quidem conſtravit remige ſtagnum,
Amovit ſtatione rates, ſulcatque profundum
Gurgitis. Appropians vicinas contigit oras
Pontificis claſſi, ſtatuitque adducere prædam.
Sed pelago ingentes (n) orbi quum Phœbus Ibero
Induxit tenebras, & nox jam feſſa ſopori
Membra daret, molles lectos armata caterva
Quærit, deſertis ratibus, diffuſa per ædes.
Noxia mollities nimis eſt, ac diſſona bellis;
Prœlia pectus amant durum, patienſque laboris,
Eventus dubios vigili quod præcavet aſtu.
Zerminaga (93) viris luxum laqueoſque paravit;
Fama ſed expanſis errorem detulit alis
Pontifici, celeres qui naves invehit undis.
Currit ad arma; pedes ſubitò, mileſque carinas
Implet; non illos patrii ſecernit honoris
Gratia; communes faſces, communeque bellum,
Communis labor eſt, & opus commune; nec ullus
Juſſa manet. Remis pulſæ tremuere carinæ,
Per medias verruntur aquas; at celſior omni
Puppe preit reliquis armorum navis amictu
Reſplendens commiſſa (94) Duci. Non verbere grandi
Remorum fluxere rates, ne fortè ſepultos
Somno ſollicitet ſonus: omni voce remiſſa
Ora ſilent, dulces non reddit fiſtula cantus,
Conticuere tubæ, vaſto nec in æthere voces
Ullæ miſcentur, condicta ſilentia nullum
Admittunt ſtrepitum. Mediis inſtructa gregatim
Fluctibus invehitur Neptuni laſſa per agros
Claſſis, & appropians hoſtilia robora quærit.
Humentes nec dum tenebras ejecerat Orbe
Oceano perlata dies, nec lampada Phœbus
Protulerat, Stygiis nec dum ſeceſſerat umbris,
Ut claſſis vicina fuit. Fragor undique motus
Tollitur, & claſſem præciſo fune repertam
Littore ſejungunt, cuſtodum pectora remis
Pulſant, emiſſis texerunt aëra telis.
Æra ſonant, aucto clamoreque bella geruntur.
Hinc hoſtes in tranſtra cadunt, hinc cuſpide fixi
Puppibus exanimes hærent, hinc gurgite merſos
Accipit unda rubens, hoſtilis fitque ſepulchrum
Funeris; ac reliqui victrici fune ligantur.
Dum bello fluctus miſcentur, & æthera voces
Turbant, armorum concuſſio littora replet.
Experrecta gravi ſomno diſperſa juventus
Per thalamos ſurgit, diſcuſſa nube ſoporis,
Arma petit, ſed tempus abeſt; nam ſedulus hoſtis
Pugnam dimiſſo ratibus cuſtode pedeſtrem
Intentat, latebras, & lectos enſe cruento
Perquirit, nudos invadit; ſanguine rivi
Labuntur, ſinè Rege cohors diſperſa vagatur;
Eſt ſuga communis cunctis fiducia vitæ.
Victores redeunt, & raptæ grandia claſſis
Lucra Patri referunt, & ovant, viciſſeque ſtagni
Oppida totius fidunt. Mox eſſe paratos
Omnes eſſe (o) jubet, clypeos galeaſque rateſque
Inſtaurant, terſa lorica rubigine ſplendet.

§. V.

Copia conſeritur navalis Simone claſſi
Præfecto, ſtatuit cui cuncta negotia belli
Antiſtes, cui fidus erat; certaminis uſu
Expertus ſiquidem longo, jugiſque laboris.
Aronam (95) celeri jubet hunc invadere bello
Navali, juſſis qui conſerit agmina parens
Claſſica; ſignifera ſublimi puppe reſedit
Prætor, diducunt remos, dant carbaſa ventis
Nautæ, ſternuntur latè ſic navibus undæ.
Fluctibus in mediis labuntur robora claſſis.
Cun-

E

(88) Subalpinus pagus inter Verbanum & Luganum Lacus ſitum. *Orſenigo* eum Corius appellat. Sed eſt *Gornigo* ad oram Ticini fluentis in Verbanum. Hoc potius Stephanardo Zurnigum appellari putem.

(l) *MS. Ambr.* pluri.

(89) Inſigne ac opulentum Oppidum ad oram Verbani ſitum, cui nunc dominatur praeſtantiſſima ac potens Borromaeorum familia.

(m) *MS. Ambr.* omina.

(90) Ideſt Lacus Verbani, nunc il *Lago Maggiore*.

(91) Ticinus amnis ex Alpibus Helvetiis cadens, Verbanum Lacum prae ceteris fluviis illuc confluentibus inflat. Emiſſae deinde ex Verbano aquae rurſus fluvium longe priori nobiliorem, ac apud Inſubres celeberrimum, efformant, cui itidem Ticinus nomen.

(92) Praefectus Turrianorum navibus, & Angleriae.

(n) *MS. Ambr.* Se pelago mergens orbi.

(93) Pagus in ora Verbani, non longe ab Inſula ac Turri Vitaliana, quae non ſecus ac aliae amoeniſſimae, ac Regio cultu exornatae Inſulae, illic ſub ditione eſt Borromaeae gentis.

(94) Hoc eſt, *Simone Locarnate* e Muralta Familia, qui navalibus Nobilium proſcriptorum copiis praeerat. Ejus nomen infra Stephanardus exerit.

(o) *MS. Amb.* Otto.

(95) Antea quam huic Oppido bellum inferretur, Jovius, & ex eo Sigonius, tradunt receptam ab Othone *Angleriam*. Silet Stephanardus, & quidem, ut ſuſpicor, rem commemoraturus, ſi factam nuſſet.

Digitized by Google

A Cunctas præcedit naves Prætoria puppis,
Planities & operta lacus navalibus alis
Remigis intumuit concuſſis verbere lymphis.
Aronam propero venit conamine Simon
Navigio fultus grandi, virtute potenti.
Armigeris acies ſtetit undis claſſica juſſu
Prætoris modico diſtans prope mœnia jactu;
Spes omnis periit clauſo navalis ab hoſte.
Milite belligero ſtipatus (96) Marchio promtè
Ferrato de Monte venit, mileſque pedeſque
Urbis Novariæ, juncta his (97) proſcriptaq; virtus
Metropolis, nec non Papiæ nobile robur,
Qui cingunt lunare latus, quod collibus hæret;
Aggeris erecto tellus defoſſa coronat
Quod tumulo; crates denſos innexa ſudeſque
B Pro muro paries ſtat ligneus. Arma coruſci
Militis in gyro rutilant muniminis alti.
Una quidem clauſtris (p), clauſa eſt pars altera claſſe,
Nec patet egreſſus illis, & pabula deſunt.
Munitus vallo locus eſt in littore ſtagni
Hic ſitus; hinc altè ſceptrum ſupereminet arcis;
Miles ibi Germanus adeſt, montanaque turba
Metropolique equitum cuneus tranſmiſſus ab ipſa.
Pugna ferox agitur, nunc hinc, nunc inde feruntur
Exanimes; ſed dira fames infeſtiùs angit
Obſeſſos, quos fata juvant, dum juge redundat
Imbris diluvium, totuſque reſolvitur aër.
Effudit Neptunus opum ſinè lege ſuarum
Theſauros, Euro laxas dimiſit habenas
C Eolus, ac Auſtro, Zephyro, Boreaque recluſis
Carcere, caſtra natant, cœno jacuere jumenta,
Vixque boves alimenta trahunt, vix explicat alto
Seque luto ſonipes. Clauſis (98) civile propinquat
Robur in auxilium; metuuntur militis arma,
Metropolis grandis veoientis copia plebis.
Marchio concutitur, turbantur caſtra pavore,
Celatuſque timor denſi velamine nimbi
Quærit ab obſeſſis cedens vitare periclum.
Nobilis (99) obſtat eques, ſperans munimine victo
Mox patriam proprioſq; lares ſinè marte ſubactos.
Nititur at fruſtra, ſubitò nam caſtra leguntur,
Novariamque petunt macula ſuffuſa pudoris.
Quonam ſigna ferunt imbelli victa timore?
Læta cohors incluſa diu petit arma, foraſque
D Egreditur; ſtimulis ſonipes poſt terga cohortes
Impreſſis ſequitur, quæ oon revocantur ab hoſte.
Indeque regrediens acies diffuſa per agros
Spargitur, & redit ſpoliis intenta relictis.
Subſidium fit præda famis, dimiſſa reducunt
Plauſtra, & lætitiæ voces tolluntur in altum.
Claſſis abit triſtis, fit libera navibus unda,
Obſeſſæ plebis præciſo fune carina
Per medios fertur jam tuto remige fluctus.
Nec mora: Cuncta lacus Urbi mox litora parent,
Et naves. Fruſtrata Ducis fiducia ſtagno
Ceſſit, campeſtri vult ſe committere fato.

Jam remum mutare vacat tironis in haſtam,
Ac Cumanorum (100) pulſat prece vota latenti,
Præſidioque novo ſperat virtutis amicæ
Antiſtes, nullo belli diſcrimine motus,
Fortunam ſufferre potens; ſolatur amicos;
Quos dolor oppreſſit, ſpes quorum languit; inquit:
Noſtis an, o ſocii, dubii ludibria fati?
Humani eſt curſus ſemper mutabilis ordo.
Non idem fatis tenor eſt. Poſt dira ſequuntur
Omnia (q) ſucceſſus, emortua ſpeſque vireſcit.
Corda cadunt duris? paſſi graviora timetis?
Eſſe viros ultor ſcelerum patietur inultos?
Hoſtes, qui patriæ civili cæde foventur,
Non animos, frangat res iſta. Reſumite vires:
Jam vos ad proprias ædes remeare neceſſe eſt.

§. VI.

Hinc quoque Nobilitas (r) Patriis (t) congeſta ſub alis
Cum Patre Novariam petiit, tentatque redire
Ad natale ſolum, cujus dulcedinis umquam
Immemor eſſe nequit. Mentem inclinare laborat
Præſulis (2) Antiſtes Cumani fœdere. Pandit
Ingreſſum Cumis lis orta, & amica precantum
Sedulitas, & opus conſtantis Simonis, expers
Fraudis. Mox geritur bellum civile per urbem.
Archipatri pars una favet, pars altera civi
Hæret Metropolis. Cumanus Marte potenti
Bella (ſ) juvat Patris exulis. Arma fragores
Excutiuot, ictus crebreſcunt, omneque ferrum
Vulnere civili craſſatum ſanguine flavet.
Miſſile lethiferum, grave ſaxum, dira ſagitta
Aere concurrunt; & nubis more nitentes
Pæne tegunt radios, in cædes verſa feruntur
Deſcenſu ſociata ſuo, ſonus inde relictus
Vulnera vix ſuperat. Turres armata coronat
Plebs altas, humileſque domos, ac robore vici
Sternuntur denſo, pilis intexitur aër;
Ictibus arma ſonant crebris percuſſa, caduntque
Plures, alternis impletur vocibus æther.
Vim belli non paſſa trucis, pars (3) denique ceſſit
Oppreſſis adverſa viris, Patrique rebellis,
Omneque communi congeſſit robur in aula.
Munimen celeres tunc hoſtes denique cingunt;
Denſus at ex alto lapidum demittitur imber,
Omne nocens jacitur, & ſpicula fulguris inſtar;
Caſſis, & umbo (4) graves ac certos excipit ictus.
Sed labor ima petens ſtructuræ ſolvere muri
Tentat compagem ſolidi, foſſoria mergens,
Deſuper exceptæ contemnit ſpicula cædis.
Fundamenta quatit aries ſuſpenſus in altum,
Impulſuque ſuo forti muralia frangit;
Denique fumiferis explentur prœlia flammis,
Et bellatores captos munitio reddit.

§. VII.

E (96) Guilielmus Montisferrati Marchio, vir quietis impatiens, & bellicam fortunam ſibi ſecundam ſaepe expertus, ſed heic parum fortis, ut infra proditur.

(97) Pro *virtus proſcriptorum*, hoc eſt acies Mediolanenſium Nobilium exulum.

(p) *MS. Ambr.* Caſtris.

(98) Hoc eſt Turrianae factionis, Plebiſque Mediolanenſis exercitus.

(99) Quantis potuere viribus obſtitere Patritii Mediolanentes, ne obſidio ſolveratur. Sed Regulus Montisferrati tutiorem fugam cenſuit. Jovius proclium atrox ibi commiſſum ita deſcribit, quaſi proſpectaſſet. Sigonius vero auctor eſt, Guilielmum *nulla tentata pugna*, fugae ſe commiſiſſe, neque ſine ignaviae nota. Is cum Stephanardo facit.

(100) Rurſus Otho in ſuam partem trahere Comenſis Populi animos nititur, quae res ei proſpere ſucceſſit.

(q) *MS. Ambr.* Omina.

(r) Fortaſſe *patris*, ſcilicet Archiepiſcopi ipſius.

(t) *MS. Ambr.* Patris.

(2) Videlicet Comenſis, quem in ſuum foedus Otho allexit, illuc ablegato Simone Locarnenſi, viro non minus ob militarem ſcientiam, quam ob induſtriam praeclaro. Comenſi Eccleſiæ tunc praeerat Johannes ex Advocatorum gente, Gibellinae factioni addictus.

(ſ) *MS. Ambr.* Præſul bella.

(3) Scilicet in certamine ſuccubuit Comenſis Populi pars, quae Othoni Archiepiſcopo adverſabatur, ſcilicet Vitana factio, atque in Arcem confugit.

(4) In margine MSti legitur: *grues ac crates* bellicae artis machinamenta.
MS. Ambroſ. in textu legit *crates*.

§. VII.

Protinus adverſa bello virtute ſubacta
Archipater Cumas conſerto venit equeſtri
Robore, congeſſit peditumq; equitumq; catervas.
Exul Nobilitas Aquilis (5) collecta ſub almis
Exulis eſt Patris, properat mileſque Ticino
Novarienſis eques, Cumani roboris ingens
Virtus, lethiferas & turba accincta pharetras,
Ricardusque (6) Comes venit, qui ſigna ducatu
Sumto ſuſcepit profugæ dampnata cohortis.
Nobilis huic ortus, genitus de ſtirpe Lomelli,
Qui ſe montanæ fudit regionis in oras.
Quamcitiùs Clavate (7) ſubeſt, ac mœnia Leuci (8),
Vicinique lacus ſita littore caſtra patenti
Oppida multa Duci parent; & plurima ſpondent
Archipatris ſe ſigna ſequi, Comitique favere.
Rumor it, atque ſtatim magnus fit in Urbe tumultus;
Ingens civilis pugnæ ſuccenditur ardor,
Fraternæque acies ad bellum utrinque parantur.
Ad Patrem redit Comitis vexilla ſequuta
Nobilitas Cumas, ſe ut pugnatura maniplis
Jungat Cumanis, uno mox agmine pergat
Ut Præſul. Phalerata cohors at prodit Urbe
Ambroſii, Deſioque (9) ſtetit. Civilis utrinque
Sævit in arma furor; Procerum vexilla propinquant,
Archipatris Crux alma preit. Speculator ab alto
Proſpicit, atque (10) Duci feſtinos nuntiat hoſtes
Metropolis non eſſe procul, ſpirare furorem.
Cives concuſſi tunc contremuere pavore;
Attamen arma petunt, pugnax audacia texit
Incuſſumque metum: clypei cervicibus hærent,
Reſplendens galea obvolvit caput, haſta vibratur,
Enſiferique pedes equitis flectuntur in orbem;
Impatiens ſonipes phaleratus naribus iram
Efflat, & hortantur pavidi ſe ad bella viciſſim.
Sanguinis oblitus naturæ fœdera neſcit
Quilibet, in fratrem convertit vulnera frater.
Prævius accedens Deſii prope mœnia Præſul
Pectus inerme gerit, & munitus mente virili,
Magnanimus tanti Pater eſt diſcrimine belli
Tutus, nuda fuit cui Crux protectio fortis:
Humanæ non tam virtutis robore fidit,
Quàm divæ, Patris cui ſpes innititur almi.
Inſonuere tubæ, voces tolluntur in altum,
It fragor armorum diffuſus in aëra latè,
Pæne ſoni nubes agitantur verbere denſæ.

A Curritur ad bellum, ſolvuntur turbine magno
Baliſtæ, lapides jaciuntur grandinis inſtar.
Ad valli manibus correpunt culmina, molis
Fragmine lethiferæ galeis clypeiſque recepto;
Hoſtili cedente viam mucrone pararunt
Obice; terribili dant hoſtes terga furori.
Aggeris expulſo munimine mœnia fortes
Intrant armati, pugnæ concurſus utrinque
Fit trucis, at cedunt adverſi (11) Præſulis almi.
Agmine ſed redeunt converſo, pila vibrantes
Incumbunt victi dorſis fugientibus. Acris
Vi pugnæ fugiunt victores, fitque ruina.
Aggeris a ſummo per præceps uſque deorſum.
Hoſtis ab impulſu verſis cervicibus agmen
In ſe compreſſum declivi labitur orbe.
B Pugna ſub ancipiti fato committitur atrox.
Enſibus in faciem exactis revocatur ad arcem
Valli turba fugax; vice verſa mittit in hoſtes
Spicula propulſos. Deſii diffunditur oris
Alterius (12); fumo civilis ſanguinis exul
Mucro madet; ſoditur primo certamine Rector (13)
Metropolis, claruſque cadit victoribus obſtans
Civis magnanima dudum virtute rebellis,
Militiæ generiſque fuit decoratus honore,
Hinc quoq; litigera princeps & in Urbe ſecundus.
Milite cinguntur proſcripto mœnia; valvas
Fregit Cumanæ plebis violenta ſecuris,
Quæ Deſii vicis diſpergitur enſe cruento.
Hic cadit, ille pedes tremulos ad vincula tendit,
C Hicque fugam quærit fruſtra concluſus in arcto,
Nam vetuere ſures obſtrulæ robore firmo.
Conſilio periere ſuo, dum mœnia claudunt
Cives, dum vallum nullo violabile firmant
Ingenio, fit opus proprium ſic carcer eorum:
Sæpe ſagax in cæde ſua prudentia fiet
Infelix hominis, quotiens deluſa perire:
Auctores facit ipſa ſuos, traditque ruinæ!
Scrutatur latebras quiſquis, ſolaque ſalute
Contentus jacit arma pavens: fortuna ruina
Involvit varia Cives. Prætorius (14) inde
Plebis apex capitur, Dominus (15) qui primus in Urbe
Extitit; ingenuæ quem ſtirpis gloria fecit
Conſpicuum. Cæſo jacet hic; Antiſtes amicè
D Quem petit, ingrediens diri diſcrimina belli,
Quem patria pietate videns, oblitus amaræ
Cædis, dilecti quam colla tulere nepotis (16),
Infremuit, lachrymiſque genæ maduere ſolutis.
O fallax, inquit, quotiens fortuna revolvis
Imis ſumma gradu: nam ſidera ſplendida tangens
Vol-

(5) Ex Gibellinae factionis uſu, in cujus inſignibus Aquila Imperialis viſebatur.

(6) Nobiliſſimus Laumelli Comes, atque adeo Comes Palatinus apud Inſubres, quem infra Poeta ſcribit fratrem fuiſſe Godefridi de Languſco ſupra memorati, atque a Turrianis in pugna interemti.

(7) Ita in MSto. Indicatur heic pagus ad Orientem Comi ſitus, nunc *Crvate* ſeu *Civà*, prope Eupylum lacum in Praefectura Incini. Sed ſcribendum *Clevate*, ubi olim nobile Monachorum Monaſterium, cujus eſt mentio apud Landulphum a Sancto Paulo, Cap. XIV. Hiſtor. Mediolan. Tom. V. Rer. Italicar.

(8) Hoc eſt inſignis Oppidi in Larii Lacus ora, unde Abdua flumen emittitur.

(9) Pagus, *Decimi* nomen ſortitus, quod decimo lapide a Mediolanenſi Urbe diſtet, nunc *Deſio*: ubi Otho Archiepiſcopus in adoleſcentia Praepoſituram, aut Canonicatum fuerat conſequutus.

(10) Hoc eſt Napo, aut Franciſco Turriano, Mediolanenſis Populi ductori ac principi, aut Pontio Amato Praetori, qui & ipſe ad caſtra ſeſe contulerat. Sed animadvertendum eſt, ad pagum Decimum Turrianos fuiſſe cum imparibus copiis, ideoque facile oppreſſos.

(11) Hoc eſt, adverſarii Othonis, fracto Decimi vallo ab Othonianis, recedunt.

(12) Mendum heic latere video. Num *alterius*? num *altera pars*? Suſpectum quoque mihi eſt quod ſequitur *fumo*. Compone interea hoc in loco eum Stephanardi narratione Jovianam; & fortaſſe Jovium deprehendes ab hiſtoriæ veritate
E abſcedentem. Non apertis in campis pugnatum eſt, ſed intra Decimum, ubi Turriani incauti cum paucis militibus ab Othone ejuſque copiis intercepti fuere.

(13) Franciſcum Turrianum Napi fratrem innuit, ſi quidquam video, Stephanardus; eum enim infra appellat *principem in Urbe ſecundum*, ſcilicet poſt Napum.

(14) Non alium heic ſignificari unuſquiſque videt, quam Praetorem Populi Mediolanenſis, ſcilicet Pontium Amatum Cremonenſem. Jovius & ex eo Sigonius, imperterrite illum in pugna cæſum tradidere. Stephanardus tantummodo captum nobis exhibet.

(15) Scilicet Napus, ſive Napuleo, ex clariſſima familia de Turre, princeps Mediolanenſium, eorumque Antianus perpetuus ac Defenſor, uti ſcribit Auctor Chronici Regienſis, Tom. VIII. Rer. Italicar.

(16) Theobaldi Vicecomitis.

Volvitur ecce luto: flos eſt tua gloria vanus.
Inde ſupervenit fraterni ſanguinis ultor
Mucro nitens Comitis (17), petiit qui membra ſecari
Hoſtis humi luteæ reſidentis, verſus in iram,
Quod prohibet Præſul, ſed eum ſinè vulnere ſervat.
O bonitas immenſa Patris, quæ ſanguinis expers
Eximium victis putat indulgere triumphum!
Heu totum de Turre genus vel carcere (18) ſquallet,
Aut perit (19) gladio, patulum vel oberrat (20) in orbem,
Cujus fautores ſimili periere ruina.
Stirpis at infauſtæ majores vincula ſtringunt
Ferrea ſex numero. Spoliis ditantur amici
Archipatris. Veniunt Legati ſtrage peracta
Metropolis Deſium, vexilla reducere Patris.

§. VIII.

Tunc Antiſtes ovans ingentis lucra triumphi
Numine lata ferens ſupero, feſtinat in Urbem,
Accedens natale ſolum. Mucrone cruento,
Læta acies multis olim conata periclis
Ad proprios remeare lares, comitatur berile
Vexillum. Juſſit prope ſtare ad mœnia (t) cohortes
Præſul, amor patriæ cujus præcordia caræ
Commovit, qui ſic inquit: Jam vulnera ceſſent,
Sanguineo ſudore madens jam mucro quieſcat.
In fraterna rubet bacchans heu vulnera cædes,
Hinc trucis à gladii jugulis deſiſtite: finis
Quæratur bello civili: patria lucro
Sit fatis hæc veſtro, longo ſperata labore.
Hactenus hanc vetuit ſemper fortuna rebellis,
Quam modò corridens offert victricibus armis.
Jàm furor, atque minæ, jàm dira licentia ferri
Cedat, & ad lætos ſucceſſus hoſte ſubacto
Omine pax dudum adverſo quæſita reducat
Victores. Felix, ſocii, victoria non eſt
Roboris hæc veſtri, non armis parta, nec enſe:
E Cœlo micuit, vobis hanc fata dederunt
Legibus arcanis ſupero manantia nutu.
Ipſa manus opus eſt ſuperæ; cenſura rebelles
Cæleſtis ſtravit. Inſonti parcite plebi,
Non ædes ſpolietur inops, non horrea ditis:
Nullus lædatur, nullique injuria fiat
E populo, quem nos ulnis geſtamus amoris,
Quem colimus, titulis dignis efferre volentes,
Cui fuit antiquo venerabile nomen ab ævo.
Conducat (21) fraternus amor, quæ priſca tuliſtis,
Vulnera; præteritæ nullum meminiſſe jubemus
Offenſæ, cujus felix oblivio judex (u)
Optimus eſt: genus hoc vincendi nobile, clari
Nonne viri? fiet veſter ſic hoſtis amicus.
Irarum fluctus humili ſub pectore fervent
Omnibus infeſti; cui non eſt longa poteſtas,
Nec fortuna favens, ſubiti diſcriminis expers
Non erit in Cives aſper; propriæque ruinæ
Jam ſatis eſt; veniæ jam tempus; deſinat omnis
Impetus, & pietas expellat amica furorem.
Hinc odii civilis atrox diſcedat acredo.
Num ſcelerum rabies caræ dominabitur Urbi?
A Diſcurrent vicis num rivi cæde rubentes?
Sanguinea num læta dies maculabitur unda?
Quid ſi tecta gemant? madeant ſi delubra fletu?
Sive lares ululent, & ſparſo crine marito
Exanimis conjux incumbat? ſive parentes
Oſcula pignoribus fundant mœrentia cæſis?
Num ſceleri tanto Superûm miſcebitur ingens
Gratia? num tantis lachrymis, ſeu funere triſti
Gaudia lædentur dono conceſſa ſuperno?
Non erit hoc, proceres, non hoc felicibus aptum
Fatis; vobiſcum non hac comitabitur hora
Mœror in ingreſſu; non hæc ſunt conſona divis
Heroibus; nam vos vetus, & generoſa propago
Edidit, & venia eſt ſemper conjuncta triumpho.
Sic ſceleris gladium deponat læta juventus,
B Gratas jam tollat palmas ad ſidera miles.
Lætetur triſtem rugas poſuiſſe vetuſtas
Fortunam, facies cujus placabilis ad vos
Arridet; renovata novis ſucceſſibus ora
Nubila mutavit, veterem poſuitque rigorem.
O Pietas immenſa Dei, quæ ferrea tetri
Vincula cœleſti virtute reſolvit Averni,
Tempore quo longo Proceres gemuere ſepulti
Metropolis, ſed jam reſerantur clauſtra doloris.
Extulit ad Cœlum jam vos ſublime, nec ultra
Deſinet (x) auxilium Superûm, ſervata per ævum
Gratia ſi fuerit, memor aut ſi muneris hujus
Sit dampnatus eques, quem gloria tanta reducet.
Pacifice reſoneat fauces, donaria reddat
Quiſque Deo, ſolvat laudes, ac oſcula civi
C Offerat, & dudum Reſpublica preſſa levetur.
Jam tenor antiquus, patriæque modeſtia veſtræ
Urbi reddatur; ſuccedant jura profano
Juſtitio, propriis communia commoda lucris.
Exul in ambiguum redeat maturiùs orbem
Ad ſedes Aſtræa ſuas, orbataque dudum
Gaudeat aula potens ex nunc ornata decore
Juſtitiæ. Præſul ſic fatus. Nemo reſiſtit
Hortanti, monitis reverendi quilibet oris
Annuit, & votis patriis parere ſpopondit.

§. IX.

Submiſſos clamore cohors teſtatur alacri
Eſſe animos Patri, Dominoque, Ducique per omne
D Ævum. Antiſtes ait: Victricia ſigna movete.
Victaque mox celeri petierunt mœnia greſſu,
Præſulis ad juſſum victores enſe recluſo,
Mutatis animis jam non furor eſſe, nec ira
Cernitur in læſis; acclamant omnia pacem
Agmina. Felici pergunt ſic omine, jam non
Bello: ſic urbem properant invadere gratam.
Ante Patrem delata micant inſignia Regis
Æterni; Crux alma nitens veneratur ab omni
Occurrente ſibi populo, comitatur at ipſum
Nobilitas olim peregrinas exul in oras
Ad patrium revocata ſolum. Proh quanta cohortis
Lætitia eſt reducis! Reſonant hinc timpana, totus
Indeque concutitur æther clangore tubarum,
Et non ora ſilent lætas reſoluta per odas.
E Urbs Patris adventu feſtino mota tumultu
Occurrit gaudens, miſcetur ſexus, & ætas.
Confluxere ſenex, juvenis, mulierque, ſed agmen
Laudibus inſiſtit devotum voce canora.

Re-

(17) Ideſt Richardi Comitis Laumellenſis, cujus frater Godefridus de Languſco Turrianorum gladiis ceciderat ad Angleriam.
(18) Napus, Carnevarius (quem Cavernam Jovius appellat) Lombardus, Muſca, Guido, & Herecus, e ſobole Turriana, incluſi a Comenſibus in arce Baradella, perpetuo carceri ſunt traditi: Sex in vincula conjectos infra Poeta teſtatur.
(19) Franciſcus & Andreottus Turriani in proelio gladiis confoſſi.

(20) Scilicet Godefridus, & Caſſonus (*Caſtonum* potius fuiſſe illius nomen puto, eum vero appellatum *Caſſonum* a vulgo germani nominis corruptore.) profugi ſe contulere ad Raimundum Turrianum Patriarcham Aquilejenſem, eorum cognatum.
(t) *MS. Ambr.* prope mœnia ſtare cohortes.
(21) Ideſt vulneribus inducatur cicatrix, ſive injuriarum ac irarum veterum memoria oblitteretur.
(u) *MS. Ambr.* vindex.
(x) *MS. Ambr.* deſeret.

Religioſa cohors ſeries diſtincta per almas
Obvia, concentu modulaminis æthera læti
Pulſat, & adveniens dilecta Præſul in Urbe
Suſcipitur, viſitque priùs pia limina Sancti
Ambroſii (22), fuditq; preces dèmerſus ad aram.
Grata tulit genibus flexis donaria miles.
Mox Antiſtes adit ſperatam tempore longo
Sedem, ſicque domos reliqui petiere paternas.
Præſul at, ut veteri ſtatuatur in ordine juris
Publica res, ſatagit, priſcum revocentur ad uſum
Gaudia, Libertas, ac Symbola, ludus in unum
Conveniunt. Poſuere diem, celebremque Beatæ
Agnetis (23), Cives redeuntes lege perenni,
Qua micuit ſperata diu victoria Cœlo.
Lex antiqua redit, preſſuraque ceſſit ab Urbe.
Æger ut effœto languet, mortemque minatur
Corpore, quum labiū pallet, quum vena graveſcit,
Horreſcit facies, oculi ſternuntur, anhelum
Urgetur pectus, requieque repentè ſoporis
Erigitur morbi matura labe, vetuſtum
Motu rapta ſuo repetit natura tenorem:
Sic Urbs prolixi languoris preſſa dolore
Crimine purgato, divæ relevata vigore
Virtutis, fortique ſui medicamine Patris
Tendit ad antiqui curſum ſanata tenoris.

§. X.

Quàm dubio fortuna gradu mortalia ludis!
Heu quàm præcipites humana rotatur in orbes
Conditio! Nunc ſumma petit, nunc mergitur unus (y).
Vana quidem pereunt, tranſitque volatibus (z) ætas;
Rebus enim nitens (a) robur ruit omne caducis.
Sola manet Virtus puro rutilantior auro,
Æthereos ſuperat radios, Phœbæaque vincit
Lumina, tota nitet divis ſplendoribus orta.

(22) Ideſt Baſilicam Ambroſianam.
(23) Hoc eſt diem XXI. Januarii, quo celebris victoria, currente Anno 1277. parta eſt, ſubinde Mediolanenſes ſolemnem habuere. Durant adhuc veſtigia conſtitutae feſtivitatis.

A Huic quæ progenies? quod opus? quo pignore gaudet?
Aut quæ divitiæ? ſeu quo dotatur honore?
Eſt ejus ſublimis honos, quo cetera demto
Virtutis titulo clari privantur & ipſi,
Dum (b) quoque ſola decus probitas ſibi vendicat illud.
Hæ quæ augentur opes exhauſtæ pectore manant,
Hæ ſolæ comitantur herum, mors cetera perdit.
Huic cœleſte genus, quam mens enixa ſuperna eſt,
Fonteque proſiliens ſupero delabitur imis,
Mortales differre facit, quia clarior alter
Cui comes eſt reliquo, ſinè qua non (c) quiſque ferarum
Conditionis erit. Fiet diſtante decore
B Nonne pecus virtutis homo? qui celſior aſtris,
Hac famulante, choris compar cœleſtibus, altas
Aggreditur Deitatis opes, concorſque superni
Hæc animi ſublime ſuis lucratur alumnis
Nomen, ut almorum numerentur in agmina Divûm.
Quàm felix hæc eſt proles, quàm plena decoris!
Temperies ſiquidem, quæ blandimenta coërcet
Carnis, metitur rerum Prudentia fines;
Altera Juſtitia eſt harum non infima conſors.
Quid melius natura dedit? quid gratius? ortum
Siderea de ſede trahit, velut Heſpera fulget
In terris, etenim divinæ legis imago eſt,
Fœderis humani vinclum, morumque magiſtra
Expediens, rectumque docet, nihil utile quærit
C Ipſa ſibi, ſolers communem reſpicit uſum;
Nam cunctis prodeſſe cupit, nullique nocere.
Ipſa parens legum, vigil eſt cohibere nocentes,
Illius ad nutum pigreſcit nulla ſororum.
At poſtrema malis nullis concuſſa, flagellis
Diris arridet, duro certamine gaudet.
O Genus electum, proles divina, ſuperſtes
Germen, quod numquam conſumere tempora poſſunt!

(y) *MS. Amb.* imis.
(z) *MS. Amb.* volatilis.
(a) *MS. Amb.* Rebus & innitens.
(b) *MS. Amb.* Dii quoque.
(c) *MS. Amb.* ſinè qua nam quiſque.

Reliqua deſiderantur; quæ tamen nihil ad Hiſtoriam faciunt, ut patet ex ſumma capitum in Auctoris Prologo.



RICOBALDI
FERRARIENSIS
POMARIUM RAVENNATIS ECCLESIÆ,

SIVE

HISTORIA UNIVERSALIS
Ab Anno circiter DCC. uſque ad Annum MCCXCVII.

Nuper edita

A CLARISSIMO VIRO

JOHANNE GEORGIO ECCARDO,
Nunc verò ope Codicis MSti Eſtenſis purgatior & auctior.

ACCEDIT

COMPILATIO HISTORICA
Ab initio Mundi uſque ad Annum MCCCXIII.

AUCTORE RICOBALDO,
SIVE

ALTERO ANONYMO SCRIPTORE,

Qui tunc floruit.

AB EODEM ECCARDO ITIDEM EVULGATA.

DENIQUE

COMPILATIONIS HUJUS CONTINUATIO SUCCEDIT USQUE AD ANNUM MCCCCLXXIV.

AUCTORE

JOHANNE PHILIPPO
DE LIGNAMINE.

IN RICOBALDI POMARIUM

PRÆFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

FErrariam Urbem Patriam fortitus eſt Ricobaldus : tum Ravennam profectus, ibi inter Metropolitanae Eccleſiae Canonicos fertur cooptatus. Floruit autem ſub finem Seculi Tertii decimi, quum Hiſtorias ſuas perduxerit uſque ad Annum 1298. Haec de illo habet doctiſſimus Ravennatum rerum Scriptor Hieronymus Rubeus Lib. VI. ad Ann. 1292. *Gervaſius Ricobaldus Ferrarienſis, Canonicus Ravennas, hoc tempore, rerum Romanarum Ravennae ſcripſit Hiſtoriam, illiuſque alio Libro Epitomen : in qua cum nonnulla tractet de Eccleſia Urbeque Ravennati, illi titulum ob id fecit Pomerium Ravennatis Eccleſiae. Adſcribuntur autem ad calcem, Ravennatum nomina Archiepiſcoporum : iſque Liber hodie in Bibliotheca Vaticana manuſcriptus habetur* : Quibus tabulis fretus Ricobaldi nomini *Gervaſium* addiderit Rubeus, eumque praeterea Ravennatis Eccleſiae *Canonicum* inſcripſerit, profecto ignorare me fateor. Vetuſti Auctores, inter quos praecipue numerandus Gualvaneus de la Flamma, *Ricobaldum* dumtaxat nominant. Neque in MSto Codice Eſtenſi, quo ſum uſus, aliter ejus nomen effertur. Nempe ibi legitur : *Compilatum eſt hoc Opus Anno Chriſti MCCLXXXXVII. coeptum Februario, finitum infra menſem quintum, ſtudio & labore Ricobaldi Ferrarienſis, Anno Secundo Papatus Bonifacii VIII.* Ipſi Ricobaldo, ni fallor, tribuenda haec adnotatio; ac propterea, niſi clariora argumenta adſerantur, non faciet Rubeus, ut alio nomine, quam *Ricobaldi*, Scriptorem hunc appellem. Intelleximus, Rubeo teſte, hujus Hiſtoriae MStum exemplar adſervari in Vaticana Bibliotheca. Alterum, atque illud membranaceum in Sereniſſimi Ducis Mutinae Bibliotheca exſtat. Praeterea monet Gerardus Johannes Voſſius in praeclaro Opere de Hiſt. Latin. Lib. 2. Cap. 62. quum de Ricobaldo verba facit, ejuſdem Libri exemplar MStum ſuo tempore exſtitiſſe in Batavia penes Cl. V. Petrum Scriverium, qui & meditabatur editionem illius una cum Reginone, Sigeberto, aliiſque melioris notae Chronologis. Sed nihil ille praeſtitit. Chriſtophorus autem Sandius in Notis ad Voſſium de Hiſt. Latin. num. 187. ſcribit, ſe nondum diſcere potuiſſe, *quo devenerit nobilis ille Codex;* additque, ſibi a Johanne Georgio Graevio aſſertum, *illum jam defuiſſe, quum Bibliotheca Scriveriana celeberrima, auctione publica divenderetur*. Sed ille in Bibliothecam Guelferbytanam, ſive Vulphembitelenſem, ut infra dicam, tranſiit. Ejuſdem quoque Hiſtoriae Codicem MStum *etiamnum haberi in Bibliotheca Reginae Chriſtinae ex Gallia deportatum*, auctor eſt Henricus Wharton in Appendice ad Guilielmum Cave de Scriptorib. Eccleſiaſt. pag. 6.

Pomarium inſcripſi hoc Opus, non autem *Pomerium*, uti in Eſtenſi Codice, immo & in Vaticano atque Scriveriano legitur. *Pomerium* enim (quod jam monuerant Scriverius & Voſſius) ad ſignificandum locum, *ubi pomi feruntur*, Latinum minime eſt, ſed quidem *Pomarium*. Certe *Pomoerium* Latina vox eſt; at inſtituta ad aliud ſignificandum apud Latinos, quam quod Ricobaldus vellet. In Eſtenſi Codice nota haec MSta adjecta olim fuit ad titulum Libri hujus, neſcio utrum a Ricobaldo ipſo, an ab alio auctore. *Pomerium vero dicitur hoc Opus duabus cauſis. Una, quia ſicut Pomerium, quando conſeritur, ex plantis ex aliis Pomeriis acceptis plantatur, ita hoc Opus ex multis ſcriptis aliorum Librorum conſcriptum eſt. Secunda cauſa, quia ſicut Pomeria fiunt ad oblectamenta viſus & guſtus, ita hoc Opus editum ad oblectationem animi per fructus exemplorum Hiſtoriae, & ad jocunditatem & refectionem animi per fructus exemplorum rerum geſtarum. Nam jocundum eſt ſcire res geſtas, & fructuoſum eſt inſtrui per illas*. Vides, quae Ricobaldo mens fuerit. Atqui, ut in eodem Codice Eſtenſi adnotatur, manu tamen recentiori : *Qui hic ſcripſit, erravit, quia Pomarium ſcribere debuit, non Pomoerium*;

aliud enim ſignificat. Itaque licuerit mihi Libri Titulum, unicâ literâ immutatâ, ad mentem Ricobaldi ipſius emendare.

Suum vero Opus in ſex partes Ricobaldus diviſit. Prima ab Orbe condito exordium ſumens, Reges antiquiſſimos variarum gentium exhibet. Secunda a nativitate Abrahae uſque ad conditam Romam procedit. Tertia inde progreditur uſque ad Chriſti Nativitatem. Quarta complectitur res geſtas ab Imperio Caeſaris Auguſti ad tempora uſque Ricobaldi ipſius. Quincta ad Geographiam ſpectat, & brevem exhibet deſcriptionem orbis terrarum. Tamdem in Sexta breviter agit de ſepulturis Sanctorum tum Veteris, tum Novi Teſtamenti, & de Romanis Pontificibus, & de Epiſcopis Antiochenis, Hieroſolymitanis, Alexandrinis, & Ravennatibus, quorum exhibet nudum tantummodo Catalogum. En totius Operis conſpectum. Sed quo abiit, continuo petent Lectores, tot rerum, quas innuiſti, farrago, quando Ricobaldum heic habemus ab octingenteſimo ferme Anno Chriſtianae Epochae loquentem, & quidem non multa? Ego, ſit cum venia Lectorum, immo unius Ricobaldi, reliqua conſtantiſſime dimiſi, non alia in publicum efferenda ratus, quàm quae heic habentur. Rudium praecipue temporum ille mos fuit (quod ooo ſemel monui), ut qui Hiſtoriam ſibi conſcribendam ſumeret, ab orbis exordio ad ſua uſque tempora perduceret. Non immaoi Bibliotheca tunc opus erat, non immenſus labor obeundus. Triginta, viginti, aut etiam decem praecedentes rerum antiquarum Scriptores ſatis ſuprque erant, ut aliquis eorum monimentis in uſum ſuum translatis, Hiſtoriographus evaderet, & gloriam ſibi apud mirabundum vulgus conquireret. Neque deerat gloria. Quum rari eſſent Codices Librariorum manu ſcripti, & caro conſtaret multos emere: homines paucarum literarum bene de ſe meritum Scriptorem illum arbitrabantur, qui tum veris, tum fabuloſis narrationibus undique conſarcinatis Librum novum exhiberet, multos ex antiquis complectentem. Et certe Ricobaldus ſe ea elucubraſſe ait *quibuſdam mediocriter literatis*. Verum noſtris temporibus in tanta Scientiarum luce, in tam ſplendida Librorum copia, quotus quiſque eſt, qui paululum ſapiat, & ab Auctore Seculi XIII. Hiſtoriam veterum Hebraeorum & Romanorum petere velit atque ediſcere? Rivulos lutulentos nemo amat, ubi fontes puriſſimos ad manum habet. Quare quod chartae pepercerim, atque inutilibus ipſam onerare noluerim, neminem puto fore, qui mihi ſuccenſeat. Et ſane oibil in iis, quae praetermiſi, occurrit, quod non millies in aliorum Hiſtoriis repetitum ſit, & legere quiſque quum velit, noo poſſit in *Chronico Euſebii* (quod *Chronicam Beati Hieronymi* Ricobaldus appellat, & revera a Sancto Hieronymo Latio donatum, & ab ipſo continuatum fuit) atque in Libris *Proſperi*, *Iſidori*, *Eutropii*, *Pauli Diaconi*, *Rufini*, *Petri Trecenſis* (hoc eſt Comeſtoris) *Pauli Oroſii, & T. Livii Patavini*, quos Scriptores ſe ſequutum fuiſſe Ricobaldus ipſe fatetur. *Agnello* quoque Ravennate, cujus Hiſtoriam a Clariſs. Bacchinio ex Eſtenſi Codice editam, rurſus edidi Tom. II. Collection. bujus, uſus eſt Ricobaldus. Quemdam etiam *Miletum* memorat Hiſtoricum, ita ſcribens in Conſtantini Magni Vita: *Tradit Miletus in Catalogo ſuo Auguſtorum, quod hic ultimis vitae diebus ab Euſebio Epiſcopo Nicomediae baptizatus in Arrianum dogma delapſus eſt: quod non dicit is, qui Eccleſiaſticam ſcripſit Hiſtoriam*. Nihil heic novi Miletus ipſe adſert, quum ipſiſſima verba legantur apud Sanctum Hieronymum in Continuatione Chronici Euſebiani. Et quidem miror, cur Ricobaldus, omiſſo iſto Chronico, quod ante oculos habuit, & ſaepe exſcripſit, a recentiori Scriptore hanc de Baptiſmo Conſtantiniano laciniam petierit. Ceterum iſtius Mileti Hiſtorias laudat etiam Leander Albertus in Deſcriptione Mantuae: iiſque etiam uſus eſt Andreas Dandulus in ſuo Chronico elucubrando. Quod ſi fides Fortunato Ulmo habenda eſt in Hiſtoria Adventus Alexandri III. Papae, Miletus vixit poſt tempora Friderici I. Auguſti.

Audiamus nunc Hieronymum Rubeum Hiſtor. Raven. Lib. 2. ad Ann. 451. pag. 110. ubi de Attilae Hunnorum Regis adventu Ravennam loquitur: *De qua re Ricobaldus Ferrarienſis, Ravennatis Eccleſiae Canonicus Cardinalis* (olim in aliquot Eccleſiis Cathedralibus eo ipſo titulo Canonici utebantur) *graviſſimus Hiſtoriarum Scriptor, eo Libro, quem Pomerium inſcripſit. In adventu Athilae, inquit, de Ravenna ſic legi in Commentario Pontificio ejus Urbis: Ravennae Athila hoc pacto pepercit. Johannes urbis illius Epiſcopus, ſacris viris comitatus &c.* Ad haec aliquis dicat: en ut Ricobaldus, vel dum antiqua tempora deſcribit, quaedam adfert, quae aliunde fruſtra ſperentur. At monendi ſunt Lectores, haec eadem occurrere in jam edito Agnelli ſupra memorati Libro Pontificali, quem Ricobaldus ipſe laudat. Quod ſi Rubeus maluit heic Ricobaldi, quam Agnelli, fidem interponere, varietatis fortaſſe ſtudio, non neceſſitate id fecit. Supereſt igitur, ut nemo ſuſpicetur, ſibi deperiiſſe aliquid

ma-

magni momenti, quod quae in Ricobaldi Chronico Annum Chriſti DCCC. praecedunt, dimiſſa in membranis, publica luce minime donentur. Contra quae nunc evulgata Lector accipit, quamquam in Caroli Magni Vita, aliiſque in locis quaedam e Romanenſibus fabulis decerpta incautus admiſceat, pretio ſuo atque utilitate non caret; atque illa praecipue, quae ad ipſius Ricobaldi tempora accedunt. Nullus quippe eſt tam ineptus Hiſtoriarum Scriptor, qui dum ſuae aetatis res geſtas narrat, plurimum veri ad poſteros non emittat. Ac proinde quanto pluris faciendus erit Ricobaldus, vir ingenio, ſtilo, gravitate, & diligentia, prout ſua tempora ferebant, ſat commendandus? Illa vero potiſſimum cum voluptate legentur, quae *de rudibus Italicorum* moribus ad Annum Chriſti MCCXXXIV. noſter heic habet. Immo tanti fecere veteres etiam Hiſtorici, qui poſt ipſum Ricobaldum floruere, ut nonnulli haec ipſa in ſuos Libros eiſdem verbis tranſtulerint, qualis fuit *Gualvaneus de la Flamma* Mediolanenſis in Chronico Majori, quod MStum Ambroſiana Bibliotheca ſervat, & alter *Anonymus*, cujus Opuſculum oſtendebat olim mihi nobilitare non minus quam eruditione Clariſſimus Marchio Scipio Maphaeus Veronenſis. Scripſit autem Gualvaneus circiter Annum 1330. atque adeo paucis poſt Ricobaldum annis: quare intelligas, Ricobaldi foetum noſtra non exſpectaſſe tempora, ut in honore haberetur.

Haec autem, atque alia praefatus jam pridem eram, quum paraſſem proelo Ricobaldum ex Eſtenſi Codice depromtum; neque aliud ad emergendum ei reſtabat, niſi locus, quem Chronologicus ordo Auctorum, mihi quantum fieri poteſt, in Collectione iſta ſervatus, poſcebat. Quum ecce ad me deferuntur *Scriptores medii aevi* a Cl. Viro *Johanne Georgio Eccardo* collecti, ac duobus Tomis ante duos Annos, hoc eſt Anno 1723. Lipſiae editi, ad quorum conſpectum e veſtigio cognovi, praeoccupatum fuiſſe ab impigro viro conſilium meum, atque evulgatum in ſumme commendando illius Opere Tom. I. pag. 1150. Ricobaldum ex Codice Scriveriano, qui nunc adſervatur in Bibliotheca Sereniſſimi Ducis Guelferbytani. Poſtquam ergo mihi ab Amico celebri ereptum eſt bravium primi editoris, honorem tamen ſecundi mihi conquiram, rurſus eumdem Auctorem, & quidem cum aliquo foenore, edendo. Contuli enim cum MSto Codice Eſtenſi editionem ipſam Eccardi, & hauſtas inde Variantes Lectiones, nonnullaque additamenta cum nova hac editione compoſui. Praefationem praeterea praeliminarem Ricobaldi, quae apud Eccardum deſiderabatur, & partem quoque illam, in qua Ricobaldus Italicas Provincias deſcripſit, urpote non inutilem mercem, adjunxi, uſque adeo ut ſperem, meam hanc editionem tempore quidem, non autem utilitate poſteriorem eſſe habendam. Quum vero ſcribat doctiſſimus Eccardus, ſe neſcire, an ſuperſit *Rerum Romanarum Hiſtoria*, quam Rubeus a Ricobaldo conſcriptam, atque ad Annum circiter 1292. deductam teſtatur; monendus eſt mihi amicus vir, nihil aliud iis verbis a Rubeo deſignari, quam *Pomarium* ipſum Ricobaldi, cui, ut in lucem prodiret, obſtetricias manus ambo porreximus. Alterum praeterea Opus, quod memoratum mihi is ait in Antiquitatib. Eſtenſ. pag. 79. & Ricobaldo revera tribuitur, longe diverſum a Pomario, complectitur *Imperialem Hiſtoriam*, ſive *Romanorum Caeſarum Vitas*. Et quidem circiter Annum 1490. dum Annales Ferrarienſes elucubraret Peregrinus Priſcianus, Equeſtri Familia progenitus, & Vir aevo ſuo ſingulari commendatione dignus, ac propterea Officio *Conſervatoris Jurium Ducalis Camerae, & Communis Ferrariae* donatus, multa adſert ex hoc Ricobaldi Opere, quibus Eſtenſium Principum originem illuſtrari poſſe ſibi perſuadet. Eamdem vero Hiſtoriam ubi intellexi ego e Latina in Italicam Linguam fuiſſe translatam a viro magni nominis inter Italicos Poëtas, videlicet a Comite Matthaeo Maria Bojardo Ferrarienſe circiter Annum 1475., nullo intermiſſo labore tamdiu perquiſivi, ut eadem ſim demum potitus. Sed quid de illa ſentiendum ſit (neque enim hactenus legitimi foetus notas in ea deprehendi) tunc Lector accipiet, quum evulgare decrevero. An autem ſim evulgaturus, nondum ſtatui, & adhuc in mente mea deliberatur.

Porro alterum Opus, nimirum *Compilationem* quamdam *Chronologicam*, ab origine Mundi uſque ad Annum 1313. productam edidit ſupra laudatus Eccardus, eamque non ſecus atque *Pomarium*, Ricobaldo tribuit. Hanc ignorant Eſtenſes membranae. Equidem ſuſpenſo pede progrediendum puto in aſſerenda Ricobaldo *Compilatione* hujuſmodi. Potuit aliquis Ricobaldo poſterior ex ipſius Ricobaldi Chronico breviato *Compilationem* hanc inſtruere, eique additis multis, ac praecipue aliquot Annorum mantiſſa adjecta, ipſam perducere uſque ad Annum 1313. Quum enim Ricobaldus Anno 1297. ſuum Chronicon ad umbilicum duxiſſet ac evulgaſſet, ita ut ipſum in uſum ſuum vertere jam coeperit Anno 1314. *Frater Franciſcus Pi-*

Pipinus Ord. Praedicat. uti ex hujus Hiſtoria infra edenda patebit: vix veri videtur ſimile, Ricobaldum ipſum Anno 1313. alterum Chronicoo ſtruxiſſe, in quod congeſſerit tantam praecedentis Chronici materiem, ne uno quidem verbo ſacto de ipſo antecedente ſuo foetu. Accedit, quod quum ille jam *puer* Anno 1251. Innocentium IV. Papam Ferrariae ſermonem ad Populum facientem viderit, uti ipſe teſtatur, incertum eſt, an uſque ad Annum 1313. vitam ſuam traxerit; & ſiquidem traxit, an aetate adeo ingraveſcente amplius ureretur cupidine contexendi Libros. Denique ne ipſe quidem Codex, unde *Compilatio* haec deſumta dicitur, Ricobaldi nomen praefert; ſed illud tantummodo appoſuit idem Eccardus, conjectura ductus, quae tamen facile fallax eſſe potuerit. Quare mihi plane tutius videtur, hunc *Anonymum* potius, quam Ricobaldum appellare. Utcumque tamen ſit, gratiae Clariſſimo Eccardo habendae, quod Libellum in prima quidem parte nullius ferme uſus, at in poſtrema perquam utilem tenebris eripuerit, mihique viam ſtraverit, ut in majus Italicae gentis commodum recuderem. *Compilationem* iſtam pone ſequitur *Chronicon Johannis Philippi de Lignamine Meſſanenſis*, *Equitis Siculi*, *& Typographi Romani*, quod Romae editum Anno 1474. & Sixto IV. Pont. Max. dicatum, cui *Familiaris* erat idem Johannes Philippus, ſupra laudatus Eccardus operae praetium duxit rurſus aeneis typis conſignare. Non contemnendam Opellam & ego libens amplexus heic ſubjiciam, ne quid depereat, quod aliqua ex parte ad Ricobaldum pertineat, aut pertinere credatur.

IN

IN HISTORIAM RICOBALDI FERRARIENSIS PRÆFATIO JOHANNIS GEORGII ECCARDI.

RIcobaldus Ferrarienſis ex Hieronymi Rubei (lib. II. Hiſt. Ravennat.) indicio Ravennatis Eccleſiæ Canonicus Cardinalis fuit, quanquam huic ſententiæ adverſari videantur, quæ paragrapho ſequenti dicentur. Idem Rubeus eundem lib. VI. Gervaſii prænomine donat his verbis: Gervaſius Ricobaldus Ferrarienſis, Canonicus Ravennas, hoc tempore (Anno 1292.) rerum Romanarum Ravennæ ſcripſit hiſtoriam: illiuſque alio libro Epitomen: in qua cùm nonnulla tractet de Eccleſia urbeque Ravennate, illi titulum fecit, POMERIUM RAVENNATIS ECCLESIÆ: adſcribuntur autem ad calcem Ravennatum nomina Archiepiſcoporum: iſque hodie liber in Bibliotheca Vaticana manuſcriptus habetur. Quæ hìc nominatur HISTORIA RERUM ROMANARUM uſque ad annum 1292. producta, an adhuc ſuperſit, neſcitur. Citavere tamen eam ſub nomine Chronici Galvaneus Flamma, cujus hiſtoriæ circa annum 1320. compoſitæ MStæ aſſervantur in Bibliotheca Ambroſiana, ac Peregrinus Priſcianus in Annalibus Ferrarienſibus & Eſtenſibus anno 1490. conſcriptis. Teſtatur quoque Cl. Muratorius Antiquit. Eſtenſ. Part. I. pag. 79. Caſparum Sardum in Collectaneis MStis, in Bibliotheca Mutinenſi extantibus, ſæpe inde excerpta produxiſſe. Idem aſſerit, haberi Chronici hujus verſionem Italicam, olim à Comite Matthæo Maria Bojardo, authore Poëmatis egregii Orlando innamorato dicti, confectam. Pomerium verò, ſive rectiùs Pomarium Ricobaldi non ſolùm in Vaticana Bibliotheca, ſed etiam in Mutinenſi & Guelferbytana extat. Voſſius lib. II. de Hiſtoricis Latinis pag. 500. meminit etiam Codicis Scriveriani: Sed is ipſe eſt, qui jam Guelferbyti cernitur, emptus ab Auguſto Duce unà cum aliis libris & Codicibus à Scriverio relictis. Nitidiſſimè ſcriptum admirati ſæpius ſumus, & opus, quod continet, digeſtum eſt in ſex partes; Prima ab Orbe condito ad diluvium extenditur, & inde ad Abrahæ nativitatem; altera progreditur uſque ad conditam Romam; tertia ad natalem Chriſti, quarta continet hiſtoriam Cæſarum, ſed ita, ut ſubinde alia admiſceat; quinta ex deſcriptione Oroſii delineat Orbem terrarum; ſexta recenſet Pontifices Romanos, quibus addit Præſules quatuor illuſtrium Eccleſiarum, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ, Alexandrinæ, & Ravennatis. Nos inde excerpimus ex quarta parte Imperatores Germanico-Romanos à Carolo M. uſque ad annum 1298. & ſextam partem integram atque ad Pontificatum uſque Clementis V. extenſam. Finiente ergo Seculo XIII. opuſculum de Imperatoribus, & ineunte XIV. illud de Pontificibus abſolvit, & tunc jam ultra ſexageſimum ætatis annum progreſſus fuit. Anno enim 1251. teſtatur ipſe, ſe puerum vidiſſe Ferrariæ Innocentium Papam ad populum verba facientem, & ab eo tempore aut viſa, aut à fide dignis audita recenſet. Speciatim ſub anno 1269. dicit, ſibi circumſtantias mortis Conradini & Friderici violentæ, nec à Guidone de Sucaria JCto approbatæ, relatas eſſe à Joachim Judice, qui in comitatu Guidonis fuerit, & omnia coram exactè viderit. In antiquioribus rebus fabulas ſequioribus Scriptoribus communes habet, ex Pſeudo-Turpino hauſtas de Caroli M. expeditione in Terram Sanctam, de Rolando & cæteris: Eginhardi vitam Caroli M. ſub Alcuini nomine citat, quem errorem alicubi & Albericus commiſit: Berengarios Reges quatuor in Italia facit, cùm duo tantum fuerint: Henricum III. non filium Conradi Salici, ſed generum, & filium Liutpaldi, à Cantarellorum hymnis fabuloſis ſeductus, conſtituit, ut alia jam non attingam. Sed hæc compenſantur iis, quæ rectè dicta in ſequentibus profert. In recenſendis Pontificibus Romanis ſuccinctior eſt. Poſt Bonifacium VIII. alius quidam Catalogum eorum uſque ad Johannem XXIII. continuavit. Rectè igitur Raphaël Volateranus lib. XXI. Commentariorum Urbanorum ſcripſit, Ricobaldum vitas Pontificum ad annum 1300. perduxiſſe. Conſtantinopolitanos Patriarchas non exhibuit, quia illi non à temporibus Chriſti, ſed demum ſub Conſtantino Magno cœperunt. Epiſcoporum Antiochenorum, Hieroſolymitanorum, & Alexandrinorum ſola nomina ponit: Ravennatenſibus verò Archiepiſcopis brevem ſemper narratiunculam adjicit, eorumque recenſionem uſque ad Obizonem anno 1294. ordinatum perſequitur. Is, qui poſteriora appoſuit, Obizonis rebus hæc verba præmiſit: Uſque ad hunc Obizonem ſcribit Ricobaldus.

Duo

Duo itaque opera habemus à Ricobaldo nota hactenus, quibus ego tertiam addo Compilationem Chronologicam *ad annum uſque* 1312. *productam. Habuimus eam è Codice papyraceo Bibliothecæ Berolinenſis Regiæ, in quo Ivonis Carnotenſis & Hugonis Floriacenſis Chronicis ſubjuncta erat. Author quidem ſe non nominat in ea, ſed dicit ſolùm ;* Se relicta non ſponte genitalis ſoli dulcedine relegatum in urbe Ravenna degiſſe, & cum Canonicis Eccleſiæ majoris in choro ac eorum laribus frequenter converſatum: *hic ſe in Archivio Eccleſiæ aliquando inveniſſe* Chronica B. Hieronymi *à nativitate Abraham ad tempus Honorii res geſtas, viroſque illuſtres enarrantia: hæc ſe excerpſiſſe, multa addidiſſe, inſeruiſſe, ac eadem continuaſſe* uſque ad tempus Henrici Auguſti, qui obſeſsâ Brixiâ eam obtinuerit, *quod anno* 1312. *factum eſt. Omnia hic ſtrictim ſaltem enarrantur; præcipua tamen ratio habetur rerum Ferrarienſium & Ravennatenſium, ut authorem Ferrariæ ortum, & Ravennæ degentem ſuſpicari poſſit. Talis autem Ricobaldus fuit, qui tamen hic ſe Canonicum Ravennatenſem fuiſſe non prodit; ſed ſaltem ſe exulem in conſortio Canonicorum Ravennatenſium vixiſſe indicat, ut adeò eum Rubeus & alii non rectè Canonicum Ravennatem vocare videantur, niſi hanc dignitatem poſt annum* 1312. *& morti propinquus, nactus fuerit. In narratione de Imperatoribus & rebus ſui temporis iiſdem plerumque verbis utitur, quibus uſus eſt in Pomerio ſuo, quod etiam unum authorem prodit. Mores de cætero Clericorum ſua ætate viventium graviter taxat, & Cæſareis partibus favere videtur; unde credibile eum à Guelfis tunc adversùs Gibellinos in Italia debacchantibus Ferraria ejectum fuiſſe. Olim ſe Monaſterium Nonautulanum inviſiſſe refert alicubi, in Mutinenſi agro ſitum, nec adeò procul Ferraria. Fini Compilationis Ricobaldinæ adjunxit quidam cogitata ſua de natura Cometarum & earum ſignificationibus, & occaſione Cometæ, qui die* 11. *Februarii anno* 1402. *apparuerat. Quis ille ſit neſcitur: ipſe tamen prodit, ſe tunc* Vicarium in Mediolano *extitiſſe. Dum hæc ſcribo, incido in* Chronicon Johannis Philippi de Lignamine Meſſanenſis, Equitis Siculi, & Typographi Romani, Sixti IV. Summi Pontificis Familiaris, *Romæ anno* 1474. *impreſſum, & Sixto IV. dedicatum. Philippus hic inſinuat quidem illud ab alio conſcriptum, à ſe verò auctum; Sed quis ejus author ſit, non indicat. Interim id idem omnino eſt cum noſtra Compilatione, ſed adeò vitiosè impreſſum, integriſque periodis, lineis & verbis truncatum, vitioſèque deſcriptum eſt, ut nihil ferè diſtinctè in eo intelligere poſſis. Grata itaque erit noſtra editio iis, qui hiſce libellis uti norunt.*

Philippi *interim* de Lignamine continuationem *Chronici hujus adjicimus ab anno* 1316. *uſque ad annum* 1469. *extenſam. Notatu dignum eſt, Philippum, qui & ipſe Typographus erat, inventionem Typographiæ Jacobo Guttenbergio ejuſque adjutori Fauſto circa annum* 1459. *aſcribere, eumque patria Argentinenſem facere, ſed Moguntiæ degentem.*

PRÆ.

Digitized by Google

PRÆFATIO RICOBALDI
AD MICHAELEM
ARCHIDIACONUM RAVENNATIS ECCLESIÆ

Ex Codice MS to Bibliothecæ Eſtenſis nunc primùm eruta.

INſtantiæ tuæ, venerande Pater, ac Domine Michaël Sanctæ Ravennatis Eccleſiæ Archidiacone, abnuere nequeo, qui ut appetitui tuo ſatisfacias, me ad hoc impellis, ut quibuſdam mediocriter literatis elucubrare ſtudeam Chronicam Beati Hieronymi, opus quod in Archivo Ravennatis Eccleſiæ ſorduerat obſoletum, tum quòd artificiosè contextum, tum quòd ejus ſcripturæ pervetuſtæ unaquæque lineola una dictio videretur. Itaque in primis operi aliqua memoriæ digna inſeram, quæ legentium animos alliciant, dum leguntur; hoc enim mihi perſuadendo perſuades, operæ pretium fore, nos modernos, qui à priſcis viris tanta multiplicium rerum emolumenta percepimus, poſteritati aliquid utilitatis afferre. Quandoquidem majorum ſumtibus & laboribus noſtræ utilitati ſunt Urbium mœnia, Baſilicæ, ædes publicæ, derivationes fluminum, arborum ſationes, & liberalium Artium monimenta. En, inquam, tuæ obtempero juſſioni. Ceterùm quum ejus Codicis ſeriem intellectu difficilem, & ad transferendum membranis diſpendioſam viderem, ſeriei ordinem mutare decrevi, plura quæ non conferunt omittendo. Ex aliis quoque libris Hiſtorias habentibus ſpecioſa meſſui, ut legentium menti florem, & fructum novum Opus afferret; fecique uti qui ex multis Pomariis potiora eligendo unum conſevit. Si tamdem quibus ex Pomariis iſta delegerim, quæ conſevi, percontaris, ajo ex Pomariis virorum præſtantium Hieronymi, Proſperi, Mileti, Iſidori, Eutropii, Pauli Diaconi, Rufini, Petri Trecenſis, Pauli Oroſii, & T. Livii Patavini, quorum celebre nomen habetur. Sanè nec erubeſco animum tali occupaſſe labore, quum intueor tantos viros Chriſticolas Chriſticolarum duces hoc ſtudio laboraſſe; nec perhorreſco laborem, dum pareo ſuaſioni tuæ, quia mihi duxi præceptum; & oblector, dum ſcribo, ac fio peritior in agendis negotiis, caſus præteritorum contemplans. Ait enim Apoſtolus: *Quæcumque ſcripta ſunt, ad doctrinam noſtram ſunt ſcripta.* Cato etiam morum Magiſter:

Multorum diſce exemplo quæ facta ſequaris,
Quæ fugias: vita eſt nobis aliena magiſtra.

Cicero quoque ait: *Rerum imperiti, qui uniuſcujuſque rei de rebuſque geſtis ponere exempla nequeunt, hi facillimè delabuntur in fraudem.* Antiqui ſciunt, quid aliis acciderit: facilè poſſunt ex alieno eventu ſuis rationibus providere. Hoc ſiquidem Opere tuo punctum omne habetur, nam utile miſcet dulci. Proinde ſi qua eleganter dicta repereris, ſcito quòd non ex meo ingenio manaverunt; ſi qua verò ruditer dicta, mihi adſcribito. Nec mirum, ſi non eleganter ſunt dicta; tenuis eſt enim ingenii vena, & pluribus occupatum ad ea, quæ valuiſſem, defecit, quaſi præcipiti, & præpropero ſtudio ſcribendi. Sex igitur in partes ſcito præſens tuum Opus eſſe digeſtum, ut docibilior ſis ad totum. Prima namque à temporibus Adam, deinde à diluvio ſub Noë uſque ad natum Abraham, & ultimò Regnorum, & Regum ſucceſſiones per ordinem chronicæ loquitur. Secunda ab Abraham nativitate uſque ad Urbis Romæ conditæ tempora multiplicem Hiſtoriam, & tempora ſcribit. Tertia ab Urbe condita uſque ad Chriſti Nativitatem aliis interſertis ſuccinctè dicit Hiſtoriam. Quarta Romanorum Auguſtorum habet Hiſtoriam aliis ſpecioſis innexis. Quinta Orbis Provinciarum deſcriptiones ponit, quod nonnihil opis affert legentibus Hiſtorias ad hauriendam rerum ſcientiam. Sexta Pontificum Romanorum ſucceſſiones, & tempora ponit, oſtendens quid inſigne ab unoquoque eorum ſit editum. Poſtea ponitur, quibus in locis quieſcunt corpora Patrum tam novi, quàm veteris Teſtamenti. Ultimò ponit catalogum Pontificum quatuor Eccleſiarum illuſtrium, videlicet Eccleſiæ Antiochenæ, Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, Eccleſiæ Alexandrinæ, ac Eccleſiæ Ravennatis. Eccleſiæ autem Conſtantinopolitanæ Epiſcopi non ponuntur, nam ea Eccleſia tantùm exaltata fuit temporibus Conſtantini, quum primùm fuerit abſque aliarum Eccleſiarum primatu.

A creatione Mundi &c.

Digitized by Google



RICOBALDI
FERRARIENSIS
HISTORIA
IMPERATORUM ROMANO GERMANICORUM
A CAROLO MAGNO
Uſque ad Annum MCCXCVIII. producta.

Pipino primo ex Francis principe mortuo, Karulus Martellus ex concubina filius patri ſucceſſit in principatu, vir armis ſtrenuus, qui Saxones armis ſubegit, Lanfridum Alamannorum ducem devicit, Suevos & Bayverios debellavit, Eudonem etiam Aquitaniæ Ducem ſuperavit, Aquitaniam & Burgundiam ſibi ſubjecit. Hic cùm bellis vacaret, Eccleſias ſpoliavit, decimas militibus conferendo; cujus animam mox Sanctus Eleutherius Epiſcopus in inferno vidit torqueri. Ejus corpus apud Sanctum Dionyſium conditum eſt, ſed mox poſt tempora ejus ſepulchro aperto nihil in eo inventum eſt, niſi quidam maximus ſerpens. Mortuo Karulo Martel-

A lo ſucceſſit in principatu ejus, Karulus Magnus primogenitus & Pipinus Secundus; Karulus obtinuit in ſortem Turingiam & Auſtriam, Pipinus verò Burgundiam & Provinciam. Karulus anno quinto principatus ſui devotionis causâ ad limina Apoſtolorum Romam profectus eſt. Ibi coram Papa Zacharia Mundo renuntians factus eſt Monachus & ceſſit in montem Sirati, factoque Cœnobio in honorem Sancti Siluri (1) & alio Monaſterio Sancti Andreæ non longè ab eo Monte, & bene dotatis illis, ibidem religiosè converſatus eſt; ſed cùm multi Francorum & Theotonicorum Romam venientes eum inquietarent, tranſivit ad Montem Caſſinum ibique poſt laudabilem vitam quievit in Chriſto. (*)

B Eo tempore claret Beatus Bonifacius Maguntinus Archiepiſcopus, qui in ſilva Beetania (Buchonia) Cœnobium Vuldenſe fundavit in partibus Germaniæ, quod ceteris Monaſteriis extat præclarius. Igitur Karulo à ſeculo abdicato, Pipinus Secundus frater ejus illi in principatu ſucceſſit, qui propter ejus ſtrenuitatem vice Ilderici Regis Francorum deſidis & ignavi Regnum

(1) *Codex Eſtenſis* Sancti Silveri. *Scribe* Silveſtri.

(*) *In Codice Eſtenſi additur.*

DE MONASTERIO NONANTULANO.

Hoc tempore Anſelmus Dux frater uxoris Regis Aſtulfi, relicto ſeculo & pompis ejus, agro Mutinenſi Nonantulanum conſtruxit Monaſterium, & Eccleſiam ibi dedicavit ad honorem omnium Apoſtolorum. Id Monaſterium ex ſuis ditavit opibus, & ex aliis acquiſivit; in quo MCC. Monachis pater fuit. Qui mox ad Pontificem Romanum profectus, inter cetera ab eo obtinuit Corpus Beati Silveſtri Confeſſoris, quod in ea Eccleſia hodie conditum reſervatur, ubi etiam Adriani Papæ, & Martyrum Seneſii ac Theopompi Corpora in pace quieſcunt.

gnum gubernabat, & major in aula præ aliis habebatur. Miſit igitur ad Papam Zachariam, quis potiùs Rex eſſe deberet, an ille qui ocio deditus ſolo nomine regnabat, an ille, qui omne Regni onus portaret, cui Papa reſpondit, quòd potiùs regnare deberet, qui utiliùs Regno præeſſet. Mox Franci Rege ſuo Ilderico & uxore Monaſterio incluſis, Pipinum ſibi Regem conſtituunt, quem Sanctus Bonifacius Maguntinus Archiepiſcopus juſſu Papæ unxit in Regem. Mortuo Zacharia Papa Stephanus Secundus conſecratur in Papam. Hujus tempore Aſtulfus Longobardorum Rex inſcitus omnibus per vallem Spoletinam Romam pervênit, loca venerabilia populatus eſt igne ac ferro, cenſum capitis ab unoquoque exigendo. Stephanus igitur Pipinum ex Francia vocat, tunc in principatu Romanorum Pipinus electus eſt. Compreſſo per Pipinum Aſtulfo, ut ſuperiùs agitur, Pipinus in Franciam eſt regreſſus; ſed mortuo Aſtulfo, ejus filius Deſiderius Rex Longobardorum creatus eſt. Eo tempore corpus Beati Viti Martyris per Abbatem Sancti Dionyſii nomine Fulcandum à Roma defertur in Franciam. Finito bello Aquitanico, & in Arvernia, & Guaſconia, moritur Pipinus, & apud Sanctum Dionyſium tumulatur. An. Chriſti DCCLXVIII. Indictione ſexta, cui Karulus Magnus ejus filius in Regno ſucceſſit.

Conſtantinus Quintus Imperator convocata Synodo apud Conſtantinopolim depoſitiones imaginum juſſit, & Eccleſiam maximè infeſtat, ita ut videretur Diocletiani quondam Imperatoris in perſequendo Eccleſiam eſſe vicarius. Idem Conſtantinus cum Leone filio ſuo, & Pipino Rege Francorum, & Patricio Romanorum, ejuſque filiis Karulo & Karulomagno annis XVI. imperavit. His temporibus Imperator Conſtantinopolitanus ſolo nomine imperabat, quòd in Oriente & Meridie Saracenorum gens premebat Provincias; unde cùm fideles ibi nomen Maumeti blaſphemarent, maxima perſecutione afflicti ſunt & plurimi martyrio coronati. Regnante in Francia Karulo Adrianus Primus Roman. Pontifex propter moleſtias Deſiderii Regis Longobardorum Karulum ad ſubſidium vocavit Eccleſiæ, Karulus copioſum in Italiam duxit exercitum, Deſiderium in Papia obſeſſum in deditionem accepit; Regem, uxorem, liberos ac quoſdam ejus proceres captos miſit in Gallias. Cuncta, quæ Longobardi acceperant, Eccleſiæ ſuæ reſtituit. In cujus exercitu erant amiciſſimi ſodales Amicus & Melius, quorum miri actus leguntur, qui apud Mortariam, ubi prœlio conflixit Karulus, ceciderunt cum Longobardis pugnando. Capto Deſiderio Rege terminatum eſt Regnum Longobardorum; nam demum (2) cum Regem habuerunt, quem Cæſares eis dederunt. Karulus mox Romam pergit, cujus inſtantia Papa Adrianus Synodum eorum Epiſcoporum (3) CCCLIII. habuit, qua Synodo conceſſum eſt jus Karulo eligendi Urbis Epiſcopum, & ordinandi Apoſtolicam Sedem, & diffinitum eſt Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas Provincias ante conſecrationem inveſtituram ab ipſo recipere, filii quoque ejus in Reges ſunt uncti, Pipinus ſuper Italiam, & Lodovicus ſuper Aquitaniam. Sed mox Pipinus de conjuratione contra patrem facta convictus Monaſterio intruditur, & ibi conſecratur. Eo tempore Alchuinus (4) Philoſophus præceptor Karuli illuſtris habetur, quorum opera ſtudium Philoſophiæ, quod à Græcis Romam tranſlatum (5), Roma Pariſios eſt tranſlatum. Defuncto Adriano Papa, ut traditur, apud Spinam Lamberti agro Mutinenſi, & ejus corpore ſecundùm ejus diſpoſitionem locato Monaſterio Nonantulano, Leo illi ſucceſſit, vir per omnia reverendus; cujus ſublimationem propinqui prædeceſſoris ejus indignè ferentes, cùm letanias majores ageret, contra eum populo concitato ei oculos eruerunt, & linguam præciderunt. At Deus illi linguam mirabili indulgentia viſumque reſtituit; qui mox confugit ad Karulum, ille verò eum in ſua ſede reſtituit, & ſontes punivit.

Anno Nativitatis DCCLXXXIV. Romani populo ſuadente, & omnium aſſenſu relicto Imperio Orientali, cujus ſedes erat Conſtantinopoli, Imperatorias laudes Karulo acclamantes Cæſarem & Auguſtum appellant, qui mox per manus Papæ Leonis Tertii diadema ſuſcepit. Tunc Imperium Romanum diviſum eſt, ut Imperium Occidentale diceretur Romanorum, illud verò Orientalium; nec de cetero eſt unitum; hoc verò ceſſit in Franciæ Reges, principe Karulo. Conſtantinus verò huic Imperio cedens in Oriente imperabat, qui, ut ſcriptum invenitur, excæcatus fuit à matre anno Chriſti DCCXCVI. quarta Indictione; qui mox annis ſex ſupervixit. Irene verò mater ejus poſt hæc imperavit in Oriente; poſt eam Nicephorus, poſt illum Michael; ſed de iis, qui poſt hos imperaverunt, in Oriente non fit ſermo in catalogo Romanorum Auguſtorum.

Leo Quartus dictus Mecazarus (6) filius Conſtantini Quinti, imperavit annis quinque. Hic cum inſaniret, concupivit cujuſdam Eccleſiæ coronam habentem carbunculos, quam cùm portaret capite, moritur febre correptus.

Conſtantinus Sextus Leonis filius cum Irene matre ſua imperavit annis decem. Hoc tempore quidam in via publica fodiens, arcam invênit lapideam, quam cùm aperuiſſet, comperit cadaver conſumtum, & literas ſic dicentes: *Chriſtus naſcetur ex Maria Virgine, & credo in eum, ſub Conſtantino, & Irene Imperatoribus o Sol iterum me videbis*. Conſtantinus poſt hæc matrem privavit Imperio, & annis ſeptem regnavit, (7) Mater ejus fœmineo ſtimulata dolore filium exoculavit, & ſola quinque annis regnavit. Per hoc tempus Sol XXVII. diebus obſcuratus non apparuit, ita ut multi dicerent propter excœcationem hoc accidere. Irene autem ut ſecuriùs regnaret, oculos filiorum Conſtantini fecit evelli, ne quid mali adversùs eam propter patris excœcationem, quam mors ſecuta fuerat, machinarentur.

Taururius Irene filius poſt matrem in Conſtantinopolim annis duobus regnavit.

Nicephorus Imperator in Conſtantinopolim poſt hæc annis VII. regnavit. Cujus tempore Imperium Orientale in nihilum eſt redactum.

Michaël Imperator in Conſtantinopolim annis duobus regnavit, vir orthodoxus, amabilis omnibus, qui omnes, quos Nicephorus læſerat, conſolatus eſt, & omnes rectæ fidei adverſarios conabatur extinguere. Hic verò tempore Lodovici imperavit, ut infra dicetur.

Anno Chriſt. Nat. DCCXCVI. quarta Indictio-

(2) *Cod. Eſtenſ.* nam deinde cum.
(3) *Cod. Eſtenſ.* Synodum Epiſcoporum.
(4) *Cod. Eſtenſ.* Alchuinus Philoſophus.
(5) *Cod. Eſtenſ.* Romam tranſlatum fuerat, Roma Pariſius &c.
(6) *Cod. Eſtenſ.* dictus Methazatus.
(7) *Cod. Eſtenſ.* Annis ſeptem regnavit, quinque ſine miſericordia ſolus regnavit. Mater &c.

ctione excæcatus eſt Conſtantinus Imperator, qui mox cæcus annis ſex ſupervixit, matre imperante.

Sermo de diviſione Imperii.

QUatuor regna maxima habuit præſens ævum primum in Oriente, quod dictum eſt Regnum Aſſyriorum ſive Medorum ſeu Perſarum, quæ gentes habitant regionem ſitam inter Indum & Tygrim flumina, montem Caucaſum & ſinum Perſicum maris Rubri. Secundum in Septentrione, quod dictum eſt Regnum Macedonum ſeu Græcorum; In quo monarcha fuit Alexander Philippi: Tertium fuit Karthaginenſium in Meridie, qui poſt Græcos regnarunt, præſertim in Libia: Quartum Romanorum, quod fuit in Occidente, & hoc fuit robuſtius ac diuturnius aliis. Regnum hoc à populo Romano cœptum eſt, & auctum poſt Punica bella, & Macedonicum, Rep. Romana libera exiſtente; poſt bellum civile inter Cæſarem & Pompejum, Cæſar victor ſe dominatorem fecit invito Senatu, quòd Dictatura magiſtratus erat poteſtatis pleniſſimæ, nec ſe Cæſar ab illo officio abdicabat, quamobrem Cæſar è Senatorum conſpiratione occiſus, ut libertate ſolita potirentur, Marcus Antonius cum exercitibus Cæſaris, & favore plebis inſurgens cœpit perſequi Cæſaris occiſores, Senatus timens illum ſibi adverſum, illius cœptis obviare decrevit. Et conſultò Octavianum nepotem Cæſaris & hæredem, ut inter eos, qui ad vindictam Cæſaris ſtudebant, eſſet diſſidium, principem elegerunt. Octavianus igitur & Senatus judicaverunt Antonium hoſtem publicum, quòd Senatus decreta calcaret, perſequens Cæſaris occiſores. Mortuis Conſulibus apud Mutinam (8) bellum inſcrebatur contra Antonium, Octavianus principatum legionum accepit. Tandem operâ Lepidi, qui fuerat magiſter militum Cæſaris, Octavianus & Antonius in concordiam devenerunt. Et perditi occiſoribus Cæſaris diviſerunt inter ſe Romanum Imperium, ut Octavianus Occidentale, Antonius Orientale teneret Imperium. Mox diſcordantibus illis facti ſunt hoſtes, Octavianus ſuperato Antonio, & à ſe ipſo occiſo, Romam rediit an. XII. quòm fuerat princeps electus, tunc ei à populo & Senatu Romano collata eſt dignitas Auguſtalis, & eſt factus Monarcha: hoc eſt principium Romanorum Auguſtorum, & ab hoc alii nominati Auguſti. Hactenus erat Cæſar Octavianus, nunc autem Auguſtus. Et majus eſt eſſe Auguſtum, quàm Cæſarem. Cæſar eſt ab exercitu Princeps electus, Auguſtus eſt, cui Senatus Romanus conſenſum & autoritatem contulerit. Auguſtus Cæſarem poteſt creare, non Cæſar Auguſtum; & Auguſtus Auguſtum creare poteſt, ut Diocletianus Maximianum Auguſtum & Cæſares Galerium & Conſtantium: Auguſtus quoque ſucceſſorem unum & plures Imperio inſtituebat, ut Auguſtus Tyberium, Tyberius Gajum, Theodoſius filios, Tyberius Secundus Mauritium generum. Si Auguſtus ſucceſſorem non reliquerat, aut culpis majorum deſcendentes ex genere Auguſtorum Romani reſpuebant, tunc exercitus eligebat Cæſarem, & Senatus, ſi ſibi placebat, illum appellabat Auguſtum, & licet interdum duo vel plures eſſent Auguſti, tamen Imperium unum erat; ſed Auguſti, ut faciliùs poſſent comprimere Barbaros Orientis, ſecundam à Roma Sedem poſuerunt in Thraciæ urbe Conſtantinopoli, & ibi plurimum habitabant; ſed cùm temporibus primi Adriani Papæ Romanis preſſis à Longobardis opem non ferrent Auguſti in Oriente morantes, Romani conſenſu Imperatoris & operâ Pontificis Urbis, dividentes Imperium, ſibi Imperatorem in Occidentis Imperio, quod dicitur Romanorum Imperium creaverunt. Et primò Karulo Pipini filio Franciæ Regi & in ſucceſſores illius Imperialis dignitas eſt collata, & ab hoc tempore diviſum eſt Imperium Romanum in duo Imperia, nec ulteriùs eſt unitum, & ſucceſſit in Imperio proles Karuli uſque in Lodovicum tertium Arnulphi filium; tunc illius ignaviâ hoc Imperium Occidentis partitum eſt aliquo tempore, ut aliqui imperarent in Gallia, aliqui in Italia, aliqui in Theotonia uſque ad primum Othonem Theotonicum genere. Nam Theotonici meritis eorum, deficientibus Francis & Italicis ad opem Eccleſiæ Romanæ, obtinuerunt jus & poteſtatem eligendi Auguſtum. Sed cùm olim de inſtitutione ſuccederet Imperator voluntate decedentis, nunc per electionem Procerum jus in hoc habentium Imperator eligitur. Quæſitum eſt horum duorum Imperiorum utrum dignius. Nam quidam dicunt, quòd Orientis Imperium, quòd potentiores Romani tunc Monarchæ eam portionem Imperii ſibi præelegerunt potiſſimum; Occidentali parti renunciantes, & Auguſtus integer in Oriente remanſit. Mea quidem ſententia eſt, hoc Occidentale dignius illo fore, quippe Romanus populus & Senatus Imperium conſtituêre Romanum; & ubi Roma & Senatus, ibi eſt ſtipes Imperii; In Conſtantinopoli verò eſt ramus. Occidentale Imperium pater eſt, Orientale eſt filius, & quòd ex patre filius eſt, & non pater ex filio, pater digniùs approbat (9) Occidentis ſive Romanorum. Imperator populi & Senatus Romani ac Romani Pontificis auctoritate fulctus eſt. Hic eſt ſtipes & radix Imperii. In Oriente eſt truncus, & ubi radix, ibi vigor; ramus à ſtipite cæſus areſcit, abſciſſo ramo viret ſtipes & pullulat; quamobrem hoc Orientali eſt dignius judicandum.

Karulus Magnus.

ANno Nativitate Chriſti DCCCII. anno verò octavo Pontificatus Leonis Tertii Papæ, qui ſedit in Romana Sede primùm Anno Chriſti DCCXCIV. Karulus Magnus Imperio Romano potitus eſt & à Leone Tertio Papa coronatus eſt. Tunc diviſum eſt Romanum Imperium, nec ulteriùs eſt unitum. Nam Karulus Romanorum Imperator eſt dictus, Conſtantinus verò ſextus & ejus ſucceſſores Orientalis Imperii Cæſares appellati ſunt. Karulus antequam Imperator eſſet, Deſiderium Regem Longobardorum, ut ſupra legitur, cepit. Ejus tempore fuerunt Comites Palatini Rotholandus ejus ſororis filius & alii, de quibus geſta habentur, qui in Hiſpania perierunt. Karulus bis ſubegit Hiſpanos; Saxones ſubjugavit & gentem Germanorum: ſuper Rhenum duos pontes conſtruxit.

Romam pergens longè ab urbe milliario pedes acceſſit in urbem, loca urbis venerabilia pedes viſitavit, poſtes Eccleſiarum humiliter oſculando, & munera larga largitus eſt. Omnia quæ pater ſuus Pipinus pro Eccleſia ſtatuerat, confirmavit, addito Ducatu Spoleti. Hic etiam Terram-Sanctam à Saracenis occupatam, comitatus

(8) *Cod. Eſtenſ.* apud Mutinam, ubi bellum &c.

(9) *Cod. Eſtenſ.* digniùs approbatur Occidentis, ſive Romanorum, Imperator &c.

tatus Legatis Imperatoris & Patriarchæ Conſtantinopolitanorum, vendicavit cultui Chriſtiano. Mox ad ipſum Imperatorem pervênit, qui Karulo aurum & gemmas multas obtulit. Sed eis ſpretis Karulus ab Imperatore ſolùm voluit ſacra donaria. Recepit itaque ab illo (10) partem etiam Crucis Dominicæ, Sudarium Domini, Camiſiam Beatæ Mariæ, & Brachium Sancti Symeonis, quæ omnia ſecum detulit in Europam. Karulus barbam prolixam ad pectus ferebat, formoſo corpore, viſu ferus, octo pedum ejus fuit ſtatura, facies ejus palmum & dimidium habebat, frons pedis unius. Equitem & equum uno ictu ſpada armatum diſſecuit, quatuor ferramenta pedum equorum manibus extendebat. Militem armatum ſtantem ſuper manum ſuam à terra ad caput ſola manu velociter elevabat. Leporem integrum aut duas gallinas vel anſerem una refectione edebat, parcus in potu raró ultra ternam vicem potabat in cœna, ſatis literis doctus, (11) in quibus per ſingulos ſtudebat; Monaſteria multa conſtruxit. Inter quæ Eccleſia Beati Jacobi in Gallecia. Tot autem Monaſteria conſtruxit, quot eſt numerus literarum. In ſingulis eorum in crepidine ſeu fornice ſuper altaria unum ex elementis aureum fecit impingi & primò quidem A. ſecundò B. tertiò C. ſicque de ceteris, propter quod poteſt diſcerni, quotum fuerit in conſtruendo quodlibet eorum Cœnobiorum. De hoc tanto viro mirabile dicitur, quòd nullam duarum filiarum, quamdiu vixit, conjugio tradere voluit: dicebat ſe earum contubernio carere non poſſe, & ut Alcuinus ejus Doctor ſcribit de eo, licèt aliàs felix eſſet, in hoc adverſæ fortunæ malignitatem expertus eſt. Satis declarans quid ſuper hoc vellet dicere, quod tamen Imperator ita diſſimulavit, ac ſi de eo nulla haberetur ſuſpicio, quamvis de eo multus ſermo haberetur per homines. Unde quicunque iter faciebat eas ſibi comites ſuæ profectionis (ſumebat). Karulus primogenito filio ſuo Ludovico coronato & de Regno diſpoſito moritur & Aquiſgrani in Baſilica Beatæ Mariæ, quam conſtruxerat, ſepelitur. Ante verò quam moreretur advocatis Prælatis, quos habere potuit, omnes theſauros ſuos tradidit per Eccleſias diſtribuendos. Mortuus eſt autem ætatis Anno LXXI. Quinto Kal. Febr. Anno regni Francorum XLVII. Italiæ ſubactæ Anno XLIII. Anno Imperii XIV. Scribit Torpinus Epiſcopus Remenſis, quòd in Caſtris Karuli dum eſſet in Hiſpania, Miles quidam moriens cuidam commilitoni propinquo ſuo in fide commiſit, ut equos ejus & cum armis utenſilia venderet, & pretia piè pauperibus erogaret. Acto funere ejus ille avaritia tentus ſibi ea tenebat, cùm autem pluries in ſomnis eſſet increpitus de perfidia, nec tamen ea, quæ malè tenebat vellet exhibere, ut in fide promiſerat, de die à dæmonibus, omnibus videntibus, de Caſtris ereptus eſt, & licèt clamaret in aere & dæmones rugitus ederent, abſportatus eſt longè illinc. Ejus cadaver diſcerptum mox inventum eſt inde eminus ſpatio quatuor dietarum.

De adinventionibus Divini Officii.

HUjus Imperatoris tempore, eo ſuadente, omiſſum eſt Officium Ambroſianum, & Gregorianum vênit in uſum. Nam Ambroſius mœrore affectus perſecutione Juſtinæ Auguſtæ matris Gratiani Auguſti, Arrianæ, in ſolatium Eccleſiæ inſtituit Hymnos & Pſalmos ſecundùm morem Orientalium decantari, qui mos per ceteras repſit Eccleſias. Gregorius ſuperveniens plura mutavit, demovit, & addidit: Sancti enim primi ſtatim omnia ad decorem Eccleſiæ videre non potuerunt, ſed diverſi diverſa addiderunt. Nam Miſſæ inceptio tres habuit varietates; priùs enim à lectione inchoabatur, ſicut Sabbato ſacro adhuc. Poſt Cœleſtinus Papa Pſalmos ad introitum Miſſæ cantare inſtituit; Gregorius verò introitum Miſſæ in cantu ordinavit, & illum verſum ex illo Pſalmo, qui cantatur, cantari retinuit: Pſalmos enim olim circa aram in modum coronæ circumſtantes concorditer concinebant. Eoque dictus eſt chorus: Sed Flavianus & Theodorus: quòd alternatim cantarentur, inſtituerunt, ab Ignatio hoc habentes, qui ſupèr hoc divinitus doctus fuit. Hieronymus Pſalmos, Epiſtolas, Evangelia, & ex magna parte Officia Divina, & Nocturna præter cantum ordinavit. Gelaſius & Gregorius orationes & cantus addiderunt & Lectionibus & Evangeliis coaptaverunt. Gradualia, Tractus & Alleluja Ambroſius, Gelaſius, & Gregorius ad Miſſam cantari inſtituerunt. Hilarius addidit ad Gloria in excelſis Deo, *Laudamus te*, & quæ ſequuntur. Notherius Abbas Sancti Galli Sequentias pro neophytis (12) ipſius Abbatiæ compoſuit. Sed Nicolaus Papa ad Miſſam eas cantari conceſſit. Hermannus Contractus Theotonicus fecit: *Rex Omnipotens, & Ave Maria,* ⁊ *Sancti Spiritus adſit nobis gratia*, & Antiphonam, *Alma Redemptoris* & *Symon Bariona.* Quidam ſcripſit, quòd Robertus Rex Franciæ fecit *Sancti Spiritus nobis adſit gratia*. Petrus verò de Compoſtella Epiſcopus edidit *Salve Regina Maria* (13) &c.

Lodovicus regnat Annis XXV.

ANno Nativitatis Chriſti DCCCXVI. Lodovicus Karuli filius ſuccedit Imperio, qui Annis XXV. imperavit. Hic duos fratres habuit, unum, qui Theotoniam regebat, alium qui Hiſpaniam; hos ambos ſibi adverſantes ſuperavit (14), ultimò malo fine vitam finierunt. Ludovico tres nati fuerunt, ſcilicet Lotharius, cui Cæſari facto pater Italiam commiſit regendam; Karulus Secundus filius à patre Aquitaniæ Rex factus eſt, Lodovicum filium tertium Bavariæ & Germaniæ principari fecit. Hujus tempore in Territorio Tullenſi puella annorum XII. poſt Sacram Communionem à Sacerdote in Paſcha ſuſceptam per menſes ſex pane & aqua; deinde ab omni cibo & potu per triennium abſtinuit. Hujus tempore in Gallia ante ſolſtitium æſtivale orta tempeſtate cum grandine ingens fragmentum glacici de cœlo cecidit, cujus latitudo ſex pedum & longitudo XV. altitudo duorum fuit. Huic Michael Imperator Conſtantinopolitanus inter cetera munera miſit Libros Beati Dionyſii de Hierarchiis Angelorum in latinum tranſlatos, qui cum gaudio ſunt recepti, & ea nocte in ejus Eccleſia XIX. infirmi curati ſunt.

Tempore Ludovici Clementiſſimi Principis Epi-

(10) *Cod. Eſtenſ.* ab illo partem Coronæ Domini, clavum unum paſſionis Domini, partem etiam &c.

(11) *Cod. Eſtenſ.* ſatis literis doctus, in quibus per ſingulos dies ſtudebat. Monaſteria &c.

(12) *Cod. Eſtenſ.* pro nueniis (*fort.* ſolempniis) ipſius Alleluja primus compoſuit.

(13) *Cod. Eſtenſ.* Salve Regina &c.

(14) *Cod. Eſtenſ.* ſuperavit, qui ultimo &c.

Digitized by Google

Epiſcopi & Clerici veſtes exquiſitas & auro tectas aliaque ornamenta ſecularia depoſuerunt. Ludovicus Theophilum Aurelienſem (15) Epiſcopum falſo accuſatum Andegavis cuſtodiæ mancipavit. Cùm die Palmarum Clerus, & Imperator cum Proceſſione pergerent, eò ubi erat domus cuſtodiæ, idem Theophilus aperta feneſtra, factoque ſilentio pulcherrimos illos verſus à ſe editos præſente Imperatore cantavit ſcil. *Gloria laus & honor tibi ſit Rex Chriſte &c.* qui in tantùm Imperatori placuerunt, quòd eum abſolvit à vinculis, & in propria Sede reſtituit. Moritur Ludovicus relictis tribus liberis Lothario, Karulo, & Lodovico.

Reg. Lotharius Primus Ann. XI.

Lotharius ſenior Lodovici filius patri ſuccedit uſurpando Imperium. Ejus fratres id ægrè ferentes, in eum armis contendunt & in pago Altiſiodorenſi prœlio ſunt congreſſi tanta ſtrage utrinque acta, quòd ante in gente Francorum tanta non fuit; & cùm attenuatis viribus adverſariis eorum non poſſent reſiſtere, poſt damna componunt, Regnum dividunt: Ludovicus obtinuit Germaniam, Karulus Franciam, Lotharius Italiam & partem Franciæ, quæ dicitur Lotharingia. Lotharius mox cum filio ſuo Ludovico Annis V. imperavit, Anno Imperii XV. partito inter filios regno, renuntiavit ſeculo, & in Prumia Monaſterio ſuſcepto habitu Monachali obdormivit in Chriſto. De cujus anima maxima inter Angelos & dæmones altercatio fuit, ita ut cunctis aſſiſtentibus corpus diſtrahi videretur; ſed orationibus Monachorum dæmones fugati ſunt. Anno IX. Imperii ejus, Corpus Beatæ Helenæ Matris Conſtantini majoris, quod Romæ in Eccleſia Sanctorum Marcellini & Petri conditum erat, in Franciam eſt tranſlatum, & in Diœceſi Remenſi excolitur.

Reg. Ludovicus Secundus annis XXI. Anno Chriſti VIIICL.

Lodovicus Secundus Lotharii filius poſt patrem annis XXI. imperavit, qui à Sergio Secundo Papa coronatus eſt. Hujus tempore in Brixia Italiæ tribus diebus & totidem noctibus ſanguis fertur de cœlo pluiſſe. Per idem tempus locuſtæ innumerabiles in Galliis apparuerunt alas ſenas habentes, ſenos pedes & dentes duos duriores lapillis, turmatim volantes, ut acies caſtrorum, ſpatium diurni itineris (16) & quatuor aut quinque milliûm per amplum extendentes omnia viridia herbarum & arborum devorantes, ad mare Britannicum tandem pervenientes ventorum flatibus immerſæ ſunt mari; ſed cùm fluctuum æſtus eas rejeciſſet in litus, earum fœtore aerem corrumpunt, eoque tantæ internecionis lues ſubſecuta eſt, ut ferè tertiam hominum partem deleverit. Hujus Lodovici filius Karulus per tres dies in patris & optimatum (conſpectu) vexatus eſt dæmone, qui mox faſſus eſt, hoc ſibi accidiſſe, quòd conjuraverat contra patrem. In Parochia quoque Maguntina malignus ſpiritus domorum parietes quaſi malleis pulſans manifeſtè loquens, & diſcordias ſeminando, adeò vexabat homines, quòd quòcunque intraſſet, ſtatim domus illa exurebatur, Presbyteris Letanias agentibus & aquam benedictam aſpergentibus lapides jactabat, & aliquos cruentabat, tandem confeſſus eſt, quòd dum aqua illa aſpergeretur, latitabat ſub cappa unius ex illis ſacerdotibus ſui familiaris, qui filiæ ſui procuratoris ſtuprum intulerat. Per hæc tempora quidam Rex (Bulgarorum) ad Fidem converſus tantæ perfectionis fuit, ut, tradito regno primogenito, ipſe Monaſterio ſe dicarit; cùm autem filius ejus Rex Gentilium cultum tenere cœpiſſet, pater re comperta habitum monachalem depoſuit, & proſecutus filium cepit, & effoſſis oculis eum truſit in carcerem. Mox regno tradito filio juniori habitum monachalem reſumpſit. Sarraceni per Italiam diſcurrentes Eccleſiam Beati Benedicti incenderunt tempore Johannis octavi Urbis Epiſcopi. Lodovicus in Italia moritur, cui patruus ejus Karulus ſucceſſit Imperio.

Regnat Karulus Secundus anno I. menſ. VIIII. Anno Chriſti VIIICLXXI.

Karulus Secundus dictus Calvus primi Lodovici filius & frater Lotharii ſuperioris ſucceſſit Imperio, qui imperavit anno uno & menſibus novem. Hic Romam pergens, Johannem octavum Papam & Romanos placavit muneribus, à Papa (17) Imperium obtinuit. Multa in Italia & in Francia conſtruxit Cœnobia, & demolita reſtauravit, ac largis poſſeſſionibus ampliavit. Ejus tempore Sarraceni pelluntur Sicilia.

Regn. Karulus Tertius ann. XII. Anno Chriſti VIIICLXXIII.

Karulus Tertius dictus Groſſus vel Simplex ſuccedit, qui regnavit annis XII. Hic anno ſecundo Imperii à Johanne VIII. Papa coronatur, qui Galliam & Germaniam poſſedit pacificè. Hujus tempore quinque millia Romanorum & ultra à Gallicis perimuntur. Anno Chriſti DCCCLXXXV. Rollo cum gente de Dania vênit in locum, ubi nunc eſt Normandia. Karulus Simplex Rex Franciæ facto fœdere poſt bellum illis eam terram conceſſit, ac filiam ſuam Rollo in conjugem dedit, qui baptizatus eſt anno Chriſti DCCCC. & vocatus eſt Robertus: qui primus fuit Principum Romanorum, (18) qui obtinuerunt Apuliam, ex quibus fuit Robertus Guiſcardus, qui vicit Alexium Imperatorem Conſtantinopolitanum in MLXXXVIII. Gregorio VIII. Papa.

Regnat Arnulphus annos XI. anno Chriſti VIIICLXXXV.

Arnulphus poſt, annis XI. imperavit, qui longa lue pediculorum correptus adjuvari non potuit, quin ab eis conſumeretur. Arnulpho ſucceſſit filius ejus Lodovicus, ad coronam tamen Imperii non pervênit.

Regnat Ludovicus Tertius ann. VI. Anno Chriſti VIIICLXXXXVI.

Lodovicus Arnulphi filius, annis ſex, vel quatuor, ſecundùm alios, imperavit: hic coronatus non fuit Imperio, & ultimus fuit ex progenie Karuli & Pipini, qui regnavit in Francia & Imperium gubernavit. Hoc regnante tranſlatum eſt Imperium ad Italicos & diviſum eſt,

(15) *Cod. Eſtenſ.* Aurelianenſem &c.
(16) *Cod. Eſtenſ.* itineris in longum, & quatuor &c.

(17) *Cod. Eſtenſ.* muneribus: propter quod Imperium obtinuit.
(18) *Cod. Eſtenſ.* Principum Normannorum, qui &c.

A eſt, ita ut aliqui in Italia, aliqui in Alamannia imperarent uſque ad tempora primi Otthonis, qui utrobique imperavit Imperium ſolidando.

Imperat in Italia Berengarius Primus.

BErengarius Primus in Italia imperat annis quatuor, vel VI. ſecundùm alios; hic in armis ſtrenuus cum Romanis bellatus eſt. Hoc tempore à Guilielmo pio Principe Burgundiæ Cluniacenſe Monaſterium eſt fundatum.

Conradus eo tempore in Alamannia annis ſeptem imperavit. Hic inter Imperatores non ponitur, quòd benedictionem non habuit Papalem, nec in Italia imperavit. Hoc tempore Sarraceni Siciliam, Apuliam, & penè totam Italiam op- B preſſerunt.

Berengarius annis duobus vel quatuor in Italia imperavit.

Henricus Saxo annis XVIII. in Alamannia imperavit, unde inter Imperatores non ponitur, quòd nec coronatus fuit à Papa, nec in Italia imperavit. Hoc tempore Spitigeus Dux Boemorum ad Fidem convertitur, qui religiosè, licèt Rex eſſet, converſatus eſt, cui ſucceſſit in Ducatu filius ejus Hyenceslaus vir pollens juſtitia, in ſanctitate conſpicuus. Hunc frater ejus ſtimulatus invidia occidit anno primo Otthonis primi, & principatum fratris invaſit. Ottho Imperator annis XIIII. hunc perſecutus eſt fratris ultione & cum magna ruina proſtravit. Sanctus C itaque Hyenceslaus unicus tantæ humilitatis fuit, licèt eſſet princeps & dominus, quòd cum uno ſervo clam de nocte ad primam ſilvam ibat, de qua lectis lignis ea propriis humeris ad fores viduarum relinquebat & pauperum. De agro quoque proprio ſpicas legebat, & granis propriis manibus, excuſſis ex eis hoſtias conficiebat, & per Eccleſias diſpertiebatur humiliter. Hic poſt annos CCC. (19) ſuæ paſſionis, Regi Dacorum Henrico quieſcenti per viſum apparuit, eique cum ſuo genere mortis moriturum eſſe revelavit, præcipiens ei, ut in honorem ipſius, qui Hyenceslaus dicebatur, Monaſterium faceret. Rex à ſomno conſurgens, de viſione ſtupefactus, de Sancto, de quo nun- D quam audiverat, ab Epiſcopis & aliis cœpit exquirere, & audito, quòd fuiſſet Princeps Boemiæ, & à fratre occiſus, cœpit illi ad honorem illius, & nominis illius in Ralba Ciſterciensis Ordinis Monaſterium magnis prædiis addotatum; ſed antequam opus perficeret, fratre ſuo dicto Abel procurante, ſicut revelaverat, (20) eſt peremtus.

Ugo Rex primus Franciæ, qui regnavit poſt deſcendentes à Karulo his temporibus in Galliis annis XXVII. imperavit. Hujus tempore Ungari uſque in Hiſpaniam tranſierunt, armis omnia opprimendo.

Berengarius Tertius annis ſeptem in Italia imperavit, cujus tempore fuit in Italia magnum E ſchiſma.

Lotharius Secundus annis imperavit duobus in Italia. Hujus tempore Sol factus eſt ſanguineus; mox poſt paucos dies lues hominum eſt ſecuta.

Berengarius Quartus in Italia cum Alberto filio annis undecim imperavit. Hic nimia feritate preſſit Italiam, Davildamque (Adeleidam) uxorem Lotharii Imperatoris carceri incluſam ſervavit, quam mox Ottho primus Imperator à vinculis liberavit, eamque ſibi conjugem accipiens Natalis Domini feſtum celebravit Papiæ; mox Ottho Berengario recepto in gratiam, ei Longobardiam reſtituit, exceptis Marchia Treviſina & Veronenſium & Aquilegia. Deinde poſt modicum à Papa & Longobardis ad Otthonem Legati veniunt, de tyrannide Berengarii conquerentes. Ottho ergo pro corona Imperii Romam pergens à Longobardis reverenter excipitur, & in Baveriam relegato (Berengario) Romam profectus eſt; ubi à Papa, & à Romanis devotè recipitur. Hoc tempore duæ mulieres in Guaſconia viſæ ſunt, unum corpus ab umbilico infra habentes, quarum altera dormiente, altera manducabat, nec tamen uno die defunctæ ſunt vita.

Ottho Primus annis XII. Anno Chriſti DCCCCL.

OTtho Primus Henrici Regis ſuperioris filius primus ex Theotonicorum gente Imperium Occidentis ſolus obtinuit, qui imperavit annis XII. Hoc imperante deſierunt Italici imperare. Hic cùm multa potentia in Saxonia regnaſſet, propter malum ſtatum Papæ Johannis XII. à quibuſdam Cardinalibus clam vocatus eſt, ut neceſſitati Romanæ Eccleſiæ ſubveniret, & Imperii gubernacula poſſeſſurus adiret. Iter ergo faciens per Longobardiam & Thuſciam Romam pervênit, ubi à Papa & à populo in Urbe honorificè ſuſceptus diadema Imperiale adeptus eſt, & multa donaria Eccleſiis eſt largitus.

Ottho Secundus regnat annis IX. Anno Chriſti DCCCCLXII.

OTtho Secundus ſuperioris filius cum Otthone filio ſuo annis novem imperavit. Hic, dum Italici pacem ſæpe violarent, Romam vênit apud gradus Eccleſiæ Pontificibus & Proceribus grande paravit convivium, quibus epulantibus, latenter omnes cingi fecit armatis militibus, mox de violata ſæpe pace querimoniam profert, & nomina eorum, qui ſontes erant, fecit edici, quibus nominatis, ſtatim eos decapitari fecit, alios epulari juſſit. Ottho dum Græcos Calabria incautè proſequitur, amiſſis militibus, de navi exiliens evaſit: mox collecto exercitu Beneventum obſedit, quo capto, Beati Bartholomæi Apoſtoli oſſa inde aſportavit, & in Inſula collocavit in tumba, ut ea inde tranſferret in patriam. Sed eo ibi in brevi defuncto pretioſus theſaurus oſſium Romæ remanſit uſque in diem præſentem. Hic Imperator bellicoſus (21) adeò, ut ſit nominatus Pallida mors Sarracenorum.

Regnat Ottho Tertius ann. XIX. Anno Chriſti DCCCCLXXI.

OTtho Tertius filius Otthonis Secundi imperavit à tempore Papæ Benedicti Sexti, uſque ad tempora Silveſtri Sexti (22) Papæ annis XIX. Hic Romam veniens à Papa Gregorio Quinto coronatus eſt. Mox ordinatâ Italiâ per Galliam in Saxoniam eſt reverſus. Creſcentius verò Romanorum Conſul fugato Gregorio Papa Johannem Græcum Placentinum Epiſcopum pecunioſum ordinavit in Papam, quod audiens Imperator Romam cum furore re-

(19) *Cod. Eſtenſ.* poſt annos CC.
(20) *Cod. Eſtenſ.* ſicut Sanctus revelaverat.

(21) *Cod. Eſtenſ.* bellicoſus fuit & ſtrenuus adeò, ut &c.
(22) *Cod. Eſtenſ.* Silveſtri Secundi.

reverſus, Creſcentium tam diu in caſtro Sancti Angeli obſedit, quo uſque caſtro & homine eſt potitus. Creſcentium captum decapitavit. Ipſum verò Pontificem exoculatum priùs, debilitatos & membris alios nobiles ſontes ſecum traxit in Saxoniam, mox brevì migravit à ſeculo. Hic ob ſui ſtrenuitatem dicebatur Mirabilia Mundi. Hic, ut habetur in hiſtoriis, conjugem habuit, quæ cuidam Comiti Imperatoris voluit commiſceri. Ille aſpernatus eſt ſcelus. Illa cœco furore ſtimulata in odium illius viro detulit, quòd eam ille ad turpitudinem ſollicitabat, propter quod juſſu Imperatoris decollatus eſt. Sed priuſquam morti traderetur, rogavit uxorem, ut judicio candentis ferri eum probet innocentem: adeſt dies, quo Imperator in auditorio ſe offert, pupillis & viduis audire delata; affuit & vidua, mariti caput habens in ulnis, quæſivitque ab Imperatore, qua morte dignus eſſet, qui aliquem injuſtè occidiſſet. Qui reſpondit capitis abſciſſione; tu, inquit, es ille, qui virum meum innocentem uxoris tuæ ſuggeſtione occidi feciſti; ut me verum aſſerere comprobes, hoc candentis ferri judicio approbabo; quod audiens Imperator obſtupuit, & in manus fœminæ, quod receperat, caput ſepeliendum dedit, interventu tamen Pontificum & Procerum dierum decem, mox octo, tertio, ſeptem, quarto, ſex à vidua recepit inducias. Examinatâ demum cauſâ, & veritate comperta, uxorem Vitam vivam fecit igne cremari, pro ſui verò redemtione viduæ quatuor caſtella exhibuit, & vocantur inducus dierum Decimum, Octavum, Septimum, & Sextum.

Henricus Primus regn. ann. XII. menſ. VI. anno Chriſti DCCCCXCVII.

HEnricus Primus, Dux Bavariæ, imperavit ann. XII. menſ. ſex, qui Imperium orſus eſt tempore Silveſtri Secundi Urbis Epiſcopi uſque ad tempus Benedicti Octavi Romani Epiſcopi. Hic Henricus Primus dictus eſt inter Imperatores, quòd ſuperior Henricus non computatur inter Auguſtos; in regno autem Alamanniæ nominatur Secundus. Hujus tempore Luna viſa eſt colore cruento. Hic Henricus ſororem ſuam, nomine Gallam (Giſlam) in conjugium dedit Regi Ungariæ adhuc gentili, propter quod ipſe Rex & ejus gens ad Chriſti Fidem converſi ſunt; qui Rex Stephanus tantæ virtutis fuit, ut multorum miraculorum illuſtrem Deus illum reddiderit. Henricus verò Cæſar & ejus uxor Kunegundis virgines permanſerunt, & vitam agentes cœlibem, fato conceſſerunt, poſt cujus initium annis duobus vacavit Imperium. Robertus Rex Franciæ vir Sanctus agnoſcitur, quo orante in Eccleſia, muri caſtelli, quod obſidebat, corruerunt.

Regn. Conradus Primus ann. XX. Anno Chriſti MXIX.

COnradus Primus Dux ex Francorum genere vir, nepos ſuperioris Henrici ſucceſſit Imperio, qui annos XX. imperavit. Hic pacem in terra ſervare cupiens, ſtatuit: qui pacem violaret, capite puniretur. Hujus tempore viſa eſt trabs ignea in cœlo miræ magnitudinis currere ſuper Solem jam ad occaſum vergentem, & in terram cadere. Hic Imperator quoſdam Epiſcopos de Italia conjecit in vincula, & quòd Epiſcopus Mediolanenſis aufugerat, ejus civitatis igne conſumpſit ſuburbia: die ergo Pentecoſtes, dum Imperator apud Romam coronaretur ad Miſſam, tam gravia tonitrua ſunt audita, & fulgura viſa ſunt, ut aliqui mente excederent, aliqui ſpiritum exhalarent: Bruno Epiſcopus, Auguſti familiaris, qui Miſſam celebrabat, & alii dixerunt, ſe Beatum Ambroſium tunc ibidem vidiſſe Imperatori fortiter comminantem. Hujus Auguſti tempore Comes Lupuldus iram Regis metuens cum uxore in ſilvæ tugurio latitabat, in qua ſilva, dum Imperator venaretur, nocte ſuperveniente in eo tugurio eum oportuit hoſpitari, cui hoſpita prægnans, vicina partui, decenter, ut potuit, miniſtravit & lectulum ſtravit. Ea nocte mulier maſculum peperit, Cæſar tertiò vocem ad ſe venientem audivit hoc modo: *Conrade hic puer nunc genitus gener tuus erit.* Mane ergo ſurgens duos armigeros ſibi ſecretarios vocat. *Ite*, inquit, *confeſtim & puerum illum de ſinu matris ereptum per medium ſcindite, & illius cor mihi afferte.* Illi conciti Regis mandatum explere feſtinant, de ſinu matris infantulum eripiunt, quem videntes elegantis vultus, miſeria (23) moti ipſum ſuper quandam arborem, ne à feris devoraretur, apponunt, & cor leporis Cæſari detulerunt. Ea die Dux quidam eà iter faciens, quà erat puer, audivit puerum vagientem, eum ad ſe portari imperat, & dum liberis orbus eſſet, illum nutriri mandavit, confingens illum ex uxore progenitum, eumque vocavit Henricum. Igitur cùm puer eſſet adultus, erat corpore elegans, ore facundus & omnibus gratioſus, quem Imperator tam prudentem & decorum videns à patre expetiit, ut illum ſibi haberet miniſteriis aſſiſtentem. Cùm autem illum cunctis amabilem cerneret, & ab omnibus commendari, dubitare cœpit, ne hic eſſet ille, quem occidi præceperat, & qui poſt eum regnaret. Volens igitur his occurrere, manibus ſuis literas ſcribit uxori, in hunc modum: *In quantum vitam caram habes, mox ut literas iſtas receperis, puerum iſtum perimi facias.* Dum ergo puer literarum gerulus iter faciens, in quadam Eccleſia labore feſſus quieſceret & dormiret ſuper banchum decubans, loculus, quo ſervabat literas, dependebat; Sacerdos curioſus loculum aperit, literas Regis ſigillo ſignatas aperit atque legit, quas cùm legiſſet, ſcelus obhorruit, & radens ſubtiliter, ubi dicebant: *hunc perimes*; ſcripſit ſic: *Filiam noſtram dabis*: abiit juvenis & literas Auguſtæ porrexit, quæ cùm literas Imperatoris & ſigillum vidiſſet, convocatis Principibus nuptias celebravit, & filiam illi matrimonio copulavit, quæ Aquis-grani celebratæ ſunt; quæ cùm Imperatori nunciata ſunt, obſtupuit, & ſciſcitatus ab armigeris rei veritatem & à Duce & Sacerdote & comperto omni negotio, ordinationi Dei non eſſe reſiſtendum profeſſus eſt, & mittens pro puero, in generum tenuit, & moriens Imperio ſucceſſorem inſtituit. Loco autem ſilvæ, ubi fuit Henricus, mox conſtructum eſt Monaſterium nobile, quod uſque in hodiernum diem Urſana vocatur.

Rom. Princ. Henricus Secundus regnat an. XVII. Anno Chriſti MXXXIX.

HEnricus Secundus Conradi gener ſucceſſit Imperio tempore Papæ Benedicti Noni, qui imperavit ann. XVII. ſecundùm alios ann. XI.

(23) *Cod. Eſtenſ.* miſericordia moti.

XI. Henricus omnes joculatores à Curia ſua removit, & , quæ eis dari debebant, pauperibus erugabat. Hujus tempore Normanni Romam vi ſunt ingreſſi. Eo quoque tempore Romæ corpus cujuſdam Gygantis incorruptum inventum eſt, cujus vulneris hiatus ſuerat quatuor pedum & ſemis , altitudo verò corporis altitudinem muri vincebat . Lucerna quoque ad caput ejus ardens inventa eſt , quæ flatu extingui non poterat , nec liquore , ſed cum ſtilo ſacto ſoramine ſubter flammam , extincta eſt , per illud foramen aëre introducto. Ajunt quòd Turnus hunc occiderit, & hoc ipſius erat epitaphium: A

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit , more ſuo jacet hic.

Hoc tempore in Apulia erat ſtatua marmorea circùm caput habens circulum cum literis hujuſmodi: *Kalendis Maji oriente Sole habebo caput aureum*. Quod quidam Sarracenus à Roberto Guiſcardo captus intelligens quid loqueretur, in Kalendis Maji oriente Sole, termino migrante illius, theſaurum infinitum reperit, quem pro ſui redemptione exhibuit . Hujus Henrici tempore fuit in Eccleſia magnum ſchiſma, quòd tunc tres eſſent Romani Pontifices. Quidam tamen Gratianus Presbyter multa pecunia Papatum obtinuit . Dum Imperator pro hoc negotio Romam pergit, Gratianus ei occurrens auream illi coronam obtulit , Imperator convocata Synodo Gratianum de ſymonia convicit & illum aliis ſubdidit . In libro tamen Deoniti, (*alia manu ſuperſcriptum BONICI*; *an forte : Donizi ſeu Donnizonis*) quem miſit ad Comitiſſam Mathildam, dicitur , quòd cùm dictus Presbyter ſimplicitate ductus Pontificatum ſibi per pecuniam acquiſiviſſet , ut ſchiſmati obviaret , ipſe mox errorem ſuum cognuſcens, ſuadente Imperatore, ſe abdicavit officio. B C

Henricus Tertius regnat annis XXXIX. Anno Chriſti MLVI.

HEnricus Tertius ſuperioris filius ſuccedit Imperio , qui imperavit ſecundùm quoſdam annis XLVIII. Hujus tempore Bruno in Papam eligitur, qui Leo Nonus eſt dictus, qui dum iret ad ſedem obtinendam , audivit voces Angelorum canentium : *Dicit Dominus Ego cogito cogitationes pacis* . Hic de multis Sanctis cantus compoſuit. Hoc tempore Lanfrancus prior Boccenſis Anſelmi Cantarienſis (24) magiſter, inſignis doctor habetur, qui ſibi in prioratu ſucceſſit. Hoc tempore oſſa Beati Nicolai ad Barenſem urbem transferuntur. Hoc tempore qui iam potens, dum ſederet in convivio, repentè à muribus impetitus eſt , quorum maxima multitudo nihil præter illum appetebant , ſed cùm à muribus deſendi non poſſet , in pelagus ductus eſt navi , mures quoque ipſam navim inſecuti ſunt, & rodebant omnino ; in terram tandem ductus totus à muribus dilaceratus eſt & conſumptus. Hoc illi traditur eveniſſe propter ejus nimiam avaritiam . Nam annonam colligebat avide & ſervabat uſque quo maximo vendebatur . Hic Henricus creditur fuiſſe genitor matris Comitiſſæ Mathildæ, quæ virgo aufugit à patre cum juvene, ex quo , qui nominatus eſt Boniſacius Marchio, ipſa concepit Mathildam . Imperator verò filiam ſuam marito promiſit , & illi magna in Italia contulit, quibus mox Mathilda ſucceſſit, D E

(24) *Cod. Eſtenſ.* Prior Beccenſis , Anſelmi Cantuarienſis Magiſter &c.

(25) *Cod. Eſtenſ.* Anno Chriſti MCXI. Henricus Paſchalem &c.

Henricus IV. ann. XV. Anno Chriſti MCCV.

HEnricus Quartus patri ſuccedit, qui annos XV. imperavit , qui patrem ſuum cepit & mori ſecit in vinculis . Ideo Dei judicio ſinè liberis deceſſit, cui ſucceſſit Lotharius Dux Saxoniæ. Anno Chriſti MXCVI. Tempore Papæ Urbani Secundi Chriſticolæ Cruce-ſignati duce Boamundo trans mare profecti ſunt per Conſtantinopolim & Nicæam . Anno MXCVIII. capta eſt Antiochia ab ipſo exercitu Chriſtiano. Anno ſequente capta eſt urbs Jeruſalem , quæ mox fuit in poteſtate Chriſticolarum uſque ad tempus Saladini Soldani, quam habuit anno Chriſti MCLXXXVI. & manſit uſque in præſens tempus . Per hæc tempora ſames & mortalitas ingruit toto Orbe.

Anno Chriſti MCI. Comitiſſa Mathilda obſedit Ferrariam , quæ mox poſt annum XIV. migravit à ſeculo . Temporibus dictæ Comitiſſæ Ildebrandus prior Cluniacenſis (*imò* Archidiac. Rom.) ſactus eſt Urbis Epiſcopus . Hic ante Papatum Apoſtolicæ Sedis Legatus apud Lugdunum Archiepiſcopum Ebronienſem (*forte*: Ebroinum) de ſymonia miraculosè convicit . Nam cùm idem Archiepiſcopus omnes accuſatores convinceret, nec poſſet convinci , Legatus imperavit, ut diceret *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*; dixit : *Patri & Filio*; ſed Spiritui Sancto dicere non poterat; quippe quòd in Spiritum Sanctum peccaverat ; qui mox peccatum ſuum confitens, ut privatus eſt officio, Spiritum Sanctum expeditè nominavit . Hoc miraculum refert Bonizo (*fortè* Donizo) in libro ad Comitiſſam Mathildam . Anno Chriſti MCVI. apparuit ſtella Cometes. Per hæc tempora Robertus Guiſcardus vicit Alexium Imperatorem Conſtantinopolitanum . Anno Chriſti MXI. (25) Henricus Paſchalem Papam cum tota Curia cepit & conjecit in vincula , quos cùm dimiſit , exegit ab eis Epiſcoporum inveſtituram & Abbatum per baculum . Per hæc tempora Robertus Monachus cum aliis XXI. egreſſi de ſuo Monaſterio pro voto, mutato habitu nigro in album, Monaſterium Ciſtertii ſundaverunt , ut vitam agerent arctiorem , qui Ordo à Deo auctus eſt in tantum , ut ſub ſe habeat illud Monaſterium Abbates mille ducentos & plures.

Anno Chriſti MCXV. moritur Comitiſſa Mathilda. Hoc tempore Beatus Bernardus cum fratribus germanis Monaſterium eſt ingreſſus; & in patria Legienſi (26) porca porcellum enixa eſt ſaciem hominis habentem . Mortuo Henrico Quarto, Spiræ cum patre ſepelitur, cui eſt iſtud epitaphium:

Filius hic, pater hic , avus hic , proavus jacet iſtic.

Lotharius IV. regnat annis XI. Anno Chriſti MCX.

LOtharius Quartus Dux Saxoniæ annis XI. imperavit , temporibus Honorii Secundi & Innocentii II. Urbis Epiſcoporum : hic zelo Dei & Eccleſiæ verus catholicus fuit , & Eccleſiæ advocatus. Hujus tempore in Francia tanta fuit ſiccitas, ut flumina , lacus , fontes , ut & putei ſiccarentur. Ignis quoque primas(27) (f. prunas) ſubintraverat , ut nec biennio, frigore , imbribus vel alia poſſet

(26) *Cod. Eſtenſ.* & in Parochia Legienſi &c. cum patribus ſepelitur.

(27) *Cod. Eſtenſ.* ignis quoque per rimas &c.

ſet arte extingui. In Hiſpania quoque mulier gemini monſtrum corpori. eſt enixa in ſpeciebus diverſis averſis vultibus ſibi corpora celebrabant, (28) in parte anteriori facies hominis erat integro corpore & membrorum miro ordine tota compago; retro verò canis facies & integra proprietas corporis & membrorum. Poſt hæc tempora (29) Ordo Hoſpitalis Sancti Johannis Baptiſtæ in Jeruſalem ordinatur. Anno Chriſti MCXXIV. Tyrus à Chriſtianis eſt capta. Anno Chriſti MCXXVIII. ordinatus eſt Ordo Militum Sanctæ Mariæ de Templo per Honorium Secundum Papam, qui mox ab Eugenio Tertio Papa ſignum Crucis rubræ obtinuerunt Anno Chriſti MCXLVIII.

Conradus Secundus regnavit annis XV.

CОnradus Secundus ſuccedit Imperio, qui annis XV. Imperio potitus eſt, temporibus Pontificum Romanorum Innocentio Secundo, Cœleſtino Secundo, Lucio Secundo, Eugenio Tertio. Tempore dicti Conradi & Innocentii Secundi quidam magiſter Arnoldus in Urbe prædicavit, reprehendens ſuperfluitates Clericorum, cujus dicta multi Optimates Romani laudabant: tandem à Clericis captus morte ſuſpendii eſt damnatus. Eo quoque tempore fames validiſſima fuit in Orbe, ita ut parvus ſextarius frumenti X. ſol. groſſis venum venderetur. Aſcalonia urb Palæſtinæ à Chriſtianis eſt capta. Anno Chriſti MCXXXIX. defunctus eſt Johannes de Temporibus, qui annis vixit CCCLXI. cùm armiger fuerit Karuli Magni filii Pipini. His temporibus moritur Ugo de Sancto Victore doctor egregius, qui cùm in ultimis eſſet, & vomitu laſſaretur, Euchariſtiam poſtulavit; Fratres ut ei ſatisfacerent, cùm Dominicum Corpus propter vomitum ei dare non vellent, ſimplicem hoſtiam obtulerunt, quod ille cognoſcens ait: *miſereatur veſtri Deus, cur mihi voluiſtis illudere? hic non eſt Dominus meus*: Fratres mox ei veram hoſtiam obtulerunt; cùm verò videret illam non poſſe percipere, ait manibus ſublevatis: *Aſcendat filius ad Patrem & ſpiritus ad Deum, qui fecit illum*; interea ſpiritum emiſit & Corpus Dominicum diſparuit. Anno Chriſti MCXLVII. Hujus Imperatoris tempore Innocentius Papa Concilium Laterani habuit, Gilbertus quoque Porrectanus magnus magiſter agnoſcitur. Anno Chriſti MCXLVII. Conradus Imperator & Rex Franciæ pro voto trans mare profecti ſunt. Anno MCXLVIII. Beatus Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus in Eccleſia apud Altare occiditur juſſu Regis Angliæ. Eugenius Tertius Papa Urbe pulſus à Senatoribus, alio Papa ſuffecto, in Gallias eſt profectus, & Bernardum Monachum Ciſtercienſem ante ſe præmiſit, qui viam Domini prædicabat, & mira multa Deus per illum agebat. Eugenius Tertius ſignum Crucis indulget Militibus Sanctæ Mariæ de Templo. Senatus Romanus innovatus eſt Anno Chriſti MCLI. Gratianus Monachus de Claſſa civitate Thuſciæ natus Decretum compoſuit apud Bononiam Monaſterio Sancti Felicis.

(28) *Cod. Eſtenſ.* corpora cohærebant &c.
(29) *Cod. Eſtenſ.* Per hæc tempora &c.
(30) *Cod. Eſtenſ.* Pontem Porcum invadunt, & tot à nona hora &c.

Fridericus Primus regnat annis XXXVIII. Anno Chriſti MCLVII.

FRedericus Primus nepos Conradi ſuccedit Imperio, qui annis XXXVII. imperavit, ſedentibus in Sede Apoſtolica Eugenio Tertio, Anaſtaſio Quarto, Adriano Quarto, Alexandro Tertio, & Lucio Tertio. Hic Imperator largus fuit & ſtrenuus ac triumphator. Hic Spoletum deſtruxit & anno Chriſti MCLIII. Terdonam oppidum ſubvertit. Anno Chriſti MCLVI. inventus eſt Sanguis Domini Jeſu Chriſti Mantuæ. MCLVIII. Cremonam urbem obtinuit, cujus plateam arari fecit, & Laudæ oppidum & Cremonam ædificavit. MCLXII. menſe Martii Mediolanum ſubvertit cum LXXXII. millibus hominum. Alexander Tertius Papa Concilium contraxit. Contra Alexandrum Papam Octavianus Johannes Cremenſis Tituli Sancti Calixti & Johannes Strumenſis ſucceſſivè eliguntur in Papas, & Imperatoris fulciuntur favore: duravit hoc ſchiſma annis XVIII. Infra quod tempus Theotonici, qui apud Tuſculum pro Imperatore morabantur, Romanos apud pontem Porcam (30) invadunt & tot ab hora nona in veſpertum cædunt, ut tot vix unquam ulla ætate occiſi ſint. Anno Chriſti MCLXX. moritur Rugerius Rex Siciliæ & Argenta oppidum Eccleſiæ Ravennenſis primùm a Ferrarienſibus capitur. Anno Chriſti MCLXXI. Vicentia urbs magno incendio eſt cremata. MCLXXXI. moritur Emmanuel Imperator Conſtantinopolitanus. Per hæc tempora Petrus Lombardus territorio Navariæ (31) agnoſcitur, clarus ingenio, qui librum Sententiarum compoſuit, vir peritus & humilis. Hic cùm eſſet Epiſcopus Pariſinus, quidam Optimates illius pagi, quo fuerat genitus, eum ſalutandi (32) cum matre illius, quam cum eis ducebant, Pariſius ſunt profecti; & quòd mater paupercula erat, eam, ut decere opinabantur, veſtibus ornaverunt, quibus illa ait: *Ego novi filium meum, qui non gaudebit hoc cultu.* Profecti ergo ad Epiſcopum Petrum, matrem offerunt, quam ille intuitus ait: *hæc mater mea non eſt; nam ego fui pauperculæ filius*, & oculos avertit ab ea; mater tandem comitibus viæ dixit: *Vobis dixi, novi filium meum, & mores ejus, date mihi, ut veſtiar veſtes ſolitas, tunc me noſcet.* Reſumto ergo ſolito cultu ad filium reducitur. At Petrus, ubi eam ſic aſpexit, ait: *Hæc mater mea eſt; hæc eſt paupercula mater, quæ me genuit, lactavit, fovit, & educavit*, & ſurgens eam ſinu ſuo ſuſcepit, & ſe juxta fecit ſedere: Hic etiam Pauli epiſtolas utiliter compilavit. Per hæc tempora Guilielmus de Marcheſella agnoſcitur vir princeps in populo Ferrarienſi, qui pio voto Terram-Sanctam adivit; hic ſtudioſus fuit ad opus majoris Eccleſiæ in Ferraria. Hic ſinè liberis obiit. Ex fratre ejus Thedelgardo ſuperſtes fuit filia Marcheſella, quam fraude Petrus Traverſaria de Ravenna de domo Sallinguerræ (eduxit) conſilio adverſariorum Sallinguerræ, & ex compoſito eam tradiderunt, virginem ferè octennem, Azoni Marchioni Eſtenſi, qua habita Marchio hæreditatem illius adeptus eſt, & in Ferrariam venit capitaneus partis ejus, quæ foverat Guilielmum, qui Marchionibus adverſarius fuerat. Obiit Marcheſella ante tempus nuptiarum, ante tempus con-

(31) *Cod. Eſtenſ.* Territorio Novariæ agnoſcitur clarus ingenio, qui &c.
(32) *Cod. Eſtenſ.* cauſa ſalutandi &c.

condendi teſtamentum. Joculi nobiles cives Ferrarienſes, qui jure ſuccedebant in hæreditate, eam vendicare noluerunt, licet adjutores haberent, contenti ut eam Marchiones haberent, & capitanei ſuæ partis eſſent Ferrariæ. Ejus Guilielmi habitatio fuit Ferrariæ parochia Sancti Petri ſecus Padum. His temporibus viſæ ſunt tres Lunæ, & in medio ſignum Crucis, nec multo poſt tres Soles viſi ſunt. Per hæc tempora Lucii Tertii Papæ agnoſcitur Petrus Comeſtor, qui Hiſtorias utriuſque Teſtamenti utiliter digeſſit, libro, qui dicitur *Hiſtoria Scholaſtica*. His temporibus viri agnoſcuntur illuſtres, ſcilicet Guilielmus Rex Siciliæ, Philippus Rex Franciæ, Ricardus Rex Angliæ, Conradus Marchio Montis-ferrati. Tempore Alexandri Tertii Papæ nimis terræ-motibus attritæ ſunt urbes Antiochia, Tripolis, & Damaſcus in Syria, in Sicilia Cathanienſis urbs penitus eſt everſa, & ultra XX. millia hominum perierunt ea clade. Mare quoque ultra ſolitum concuſſum, ita quòd in Sicilia quinque millia hominum ſunt extincti. Anno Chriſti MCLXXXVI. Indict. V. Saladinus civitatem Jeruſalem in poteſtatem ſuam redegit, multis Chriſtianis peremtis, & omni illa regione Palæſtinæ & Phœnicis potitus eſt, Acon & Biblin in deditionem habuit. Acon autem modico poſt obtinuerunt Chriſtiani uſque ad tempus everſionis ejus, MCCXCII. factæ: Jeruſalem autem uſque ad præſens tempus non parum Chriſtianis. Fuit verò Saladinus Princeps Sarracenorum, vir ſine Fide Catholica tantæ præſtantiæ & virtutis, ut etiam ore Chriſticolarum inclytus habeatur; nec quiſquam illi probitate præferatur, adeò fuit nobilis ingenii & præſtantis. Per ea tempora nix alta fuit pedibus octo & ultra tempore Lucii Tertii; cujus etiam tempore dicitur fuiſſe Primas verſificator egregius ultra humanum ingenium. Fridericus Primus tranſiens per Thraciam in ſubſidium Terræ-Sanctæ flumine Ferro (33) ſuffocatus interiit, relictis duobus filiis Henrico ſeu Friderico Secundo primogenito, & Philippo illo juniori. Per hæc quoque præterita tempora agnitus fuit Guilielmus de Marcheſella Princeps Ferrarienſis, cujus hæreditas per filiam fratris illius Marcheſellam devênit in Marchiones Eſtenſes.

Henricus Quintus regnat VII. annis menſ. V. Anno Chriſti MCXC.

HEnricus Quintus ſuperioris filius ſuccedit Imperio annis VIII. menſ. V. Hic à quibuſdam dictus eſt Fridericus Secundus. Hic à Cœleſtino tertio dicitur coronatus fuiſſe die ſecundo Pontificatus illius menſis Aprilis, feriâ ſecundâ poſt Paſcha, quo anno nono Kalendas Julii facta eſt Solis eclipſis ferè à tertia uſque in nonam. Henricus iſte Neapolim obſedit, ſed morbis affecto exercitu inde diſceſſit, & in Alemanniam eſt profectus. Mox anno Imperii IV. rediens totum regnum Siciliæ ſubjugavit, rebelles pœnis affecit, filium Tancredi Regis Siculorum cum matre & Margarito Rege Epirotarum ſecum in Germaniam traxit captivos. Mox Eccleſiæ fuit infeſtus, eoque Innocentius Tertius, qui illi Cœleſtino ſucceſſit, mortuo Henrico dedit operam, ne frater ejus Philippus illi ſuccederet, ſed prælegit Othonem Ducem Saxoniæ, eumque apud Aquaſgrani fecit coronari in Regem. Hujus Henrici tempore tantæ aëris tempeſtates fuerunt, quòd nulla ætas tantas meminerit. Nam pluviæ, tonitrua & fulgura crebra fuerunt, grando quadrangula ad quantitatem ovorum cum pluvia mixta de cœlo cecidit & vineas & ſegetes & arbores profligavit & homines plures occidit. Per hæc quoque tempora Hugutio Epiſcopus Ferrarienſis librum derivationum compoſuit. Hujus Innocentii Tertii tempore Concilium coactum eſt (in) Eccleſia, quæ dicitur Conſtantiniana (Conſtantiniana, ideſt Laterana.) Hic ædificari fecit, ut ajunt, turrim mirabilem Romæ, quæ nunc dicitur Turris Comitis Johannis Pauli, ſumptibus Eccleſiæ. Ob cujus rei ſatisfactionem conſtrui fecit Hoſpitale Sancti Spiritus Romæ; renovavit etiam Eccleſiam Sancti Sixti. Compoſuit librum Decretalium, librum de miſeria hominis, ſermones: Huic ſcripſit Gualfredus librum, qui dicitur *Poitria novella*, Orator Regis Angliæ, & alium librum de Officialibus Romanæ Curiæ, qui incipit: *Paſtor Apoſtolicus*

Anno Chriſti MCXCVIII. moritur Henricus relicto filio Friderico, qui mox fuit inclytus Imperator. Anno MCCIV. urbs Conſtantinopolis capitur à Francis & à Venetis ac aliis Principibus petentibus Terram-Sanctam, Duce Balduino Comite Flandriæ, qui mox fuit Imperator in ea.

Ottho IV. Dux Saxonum regnat annis II. Anno Chriſti MCCIX.

OTtho Quartus Dux Saxonum Romæ in Eccleſia Beati Petri ab Innocentio Tertio coronatur Imperator, exacto juramento, ut jura Eccleſiæ tueretur. Ipſe verò ea die irritum habuit juramentum. Nam Romipetas ſpoliavit, & regnum Apuliæ invaſit contra voluntatem Eccleſiæ, eoque ſtatim anathemate percuſſus eſt, & Imperio eſt privatus, & ideo anni Imperii non computantur eidem, quia ſtatim fuit privatus Imperio. Anno Chriſti MCCXI. Indictione nona Fridericus Henrici filius ſuffragio Eccleſiæ à Principibus Alemanniæ Imperator eligitur. Per hæc tempora Elyſabeth filia Regis Ungariæ, quæ Langravii conjux fuerat, vitâ ſanctiſſimâ, miraculis coruſcavit, cujus meritis Deus mortuos ſuſcitavit, & hominem natum cœcum illuminavit, de cujus corpore uſque in diem hodiernum oleum effluere dicitur. An. MCCXII. moritur Azo Eſtenſis, qui ſepultus eſt Monaſt. Vangadiciæ, pago, qui dicitur Abbatia, Diœceſi Adrienſi; hic Azzo primus fuit Marchionum Eſtenſium, qui vi (34) principatum Ferrariæ habuit. Nam huic nupſerat Marcheſella filia fratris Guilielmi de Marcheſella viri optimi, Summatis in Ferraria. Eo quoque anno moritur Comes Sancti Boniſacii, pater Ricardi. Anno MCCXIII. Cremonenſes prœlio ſuperant Mediolanenſes. Anno MCCXIV. mortuo Innocentio Tertio Honorius Tertius ordinatur Urbis Epiſcopus. Anno MCCXV. Paduani turrim Baybæ obſederunt, ſed imperfecto opere inglorii ſunt regreſſi. Anno MCCXVI. Ordo Prædicatorum cœptus eſt à Beato Dominico, & modico poſt Ordo Minorum à Beato Franciſco ſubſecutus eſt. Anno MCCXX. à Chriſticolis capitur Damiata, quæ tertio anno ſequente devênit in poteſtatem Sarracenorum.

Fri-

(33) *Cod. Eſtenſ.* flumine Ferro &c.

(34) *Cod. Eſtenſ.* qui imprincipatum (ita ibi).

Fridericus Secundus annis XXX. anno Chriſti MCCXX.

FRidericus Secundus Henrici Imperatoris filius anno Chriſti MCCXX. Romæ in Eccleſia Beati Petri ab Honorio Tertio coronatur, qui mox ann. XXX. regnavit. Hic inſuper Rex erat Siciliæ & Jeruſalem ac Sueviæ Dux. Anno ſequente perdita eſt Damiata, eam vendicantibus Sarracenis. Anno MCCXXII. apparuit ſtella cometes, & obiit Rex Franciæ Lodovicus, cui ejus filius alter Lodovicus ſucceſſit, qui mox Sanctus eſt habitus. Anno MCCXXIII. die Natali Chriſti, horâ prandii, fuit ingens in Italia terræmotus, qui civitatem Brixiam vexavit potiſſimum. Anno MCCXXIV. Marchio Eſtenſis cum Mantuanis, & Ricardus Comes (35) cum Veronenſibus caſtra poſuerunt apud Ferrariam Pado medio exiſtente. Acto de pace receptus eſt Comes cum Veronenſibus in Ferrariam: Sed cùm matronis dicerent qui eos habebant hoſpitio, *facite bonam cœnam, quod novas nuptias hac nocte habebitis*, Sallinguerra princeps alterius partis hoc audiens, jubet arma corripere. Veniens ergo manu armata in regione Occidentis, cum Veronenſibus pugnam conſerit, quos fugat, capit & ſpoliat, tunc Comes captus eſt apud Eccleſiam Sancti Johannis. Sallinguerræ conjux, cujus idem Comes privignus fuerat, eum ſuæ aſſumpſit tutelæ ac domum ſuam perduxit. Anno MCCXXVII. moritur Honorius, cui ſucceſſit Gregorius Nonus. Eo anno magna in Italia fuit annonæ caritas. Orta inter Fridericum & Gregorium Papam diſcordia magnarum cladium fuit initium. Ajunt quidam hanc fuiſſe cauſam diſſidii: Gregorius, ut ajunt, affinitatem cum Friderico contrahere voluit, ut ejus neptem pro filio ſuo Imperator aſſumeret, perſuadere filiis non potuit, ut id eis placeret: Imperfectum ergo eſt incœptum. Papa Imperatori mandavit, ut cum exercitu ſuccurreret Terræ-Sanctæ; Imperator mandatum executus eſt; dum ageret contra (36) hoſtes Chriſti, Papa per Ducem ſuum quaſi totam Apuliam de poteſtate illius eripuit, quo audito Imperator de treuguis cum Sarracenis compoſuit, & celeriter una galêa trans mare vectus recepit pauca oppida, quæ ſuis non paruerant adverſariis. Mox omnem regionem recepit vel expugnat; dehinc fuit hoſtis Summi Pontificis. Anno MCCXVIII. (37) Rex Caſtellæ Sarracenos pellit Hiſpania. Et Rex Arragonum armis obtinuit inſulas Majoricam, Minoricam, ac Valentiam. Anno MCCXXXI. Fridericus Henricum filium ſuum primogenitum carcere truſit, quòd (38) contra patrem res novas moliens, cum Papa tractaverat, abjecto patre, potiri Imperio, qui in carcere vitam finivit. Hoc quoque anno Beatus Antonius de Ordine Minorum defunctus eſt vita ſeculi, urbe Padua, ubi corpus ejus coruſcat miraculis. Inter cetera Ego Ricobaldus Ferrarienſis an. Chriſti MCCXLIII. (39) Paduæ aderam veſperis ſolennitatis, quando vir natus mutus, ut omnium civium erat aſſertio, dum oraſſet veſperis ſub illius ſepulchro, loquelam & auditum recepit, quem vidi & audivi loquentem; ſed neſciebat loqui, niſi quòd verba, quæ audierat, recitabat.

Anno MCCXXXII. Imperator tranſiens per Venetiam, in Forum-Julii cum Eccelino ibi fœdus contraxit. Anno MCCXXXIII. Frater Johannes de Ordine Prædicatorum multos populos convenientes in unum, in agrum Brixiæ contraxit cum eorum Carrociis, & paces plures inter eos firmavit. Hic vir fuit plenâ gratiâ in ſermone, ut facilè homines quæ unque perſuaderet, amplecterentur. In Montanis Bononiæ Italiæ viſæ ſunt duæ puellæ uno corpore infra umbilicum, quæ diverſis diebus ſunt mortuæ. Per hæc tempora Michael Scottus agnoſcitur Aſtrologus, Imperatoris Friderici familiaris, qui uſum invênit armaturæ capitis, quæ dicitur Cervileſium. Anno MCCXXXIV. hyems fuit aſperrima. Nam aruit Pinetum Ravennæ, ficus, vites, & olivæ. Plurimi anno ſequente conviviæ nuptiarum agentes vini defectu aquæ potum ponebant.

De rudibus moribus in Italia.

PEr hujus Imperatoris tempora rudes erant in Italia ritus & mores; nam viri infulas de ſquamis ferreis capite geſtabant inſutas biretis, quas appellabant Majatas. In cœnis vir & uxor una manducabant paropſide; uſus inciſoriorum lignorum non erat in menſis; unus vel duo ſcyphi in familia erant: nocte cœnantes lucernis vel facibus menſas illuminabant, facem tenente uno puerorum, vel ſervo; nam candelarum de ſebo vel de cera uſus non erat; Viri chlamydibus pelliceis ſinè operimento, vel laneis ſinè pellibus & infulis de Pignolato utebantur; mulieres tunicis de Pignolato, & quando (40) veniebant ad nuptias viris ſuis & conjugatæ. Viles tunc erant cultus virorum & mulierum, aurum & argentum rarum vel nullum erat in veſtibus, parcus quoque erat victus; plebeji homines ter in ſeptimana carnibus recentibus veſcebantur. Tunc prandio edebant olera cocta carnibus; cœnam autem ducebant ipſis carnibus frigidis reſervatis; non omnibus erat uſus vini æſtate; modica denariorum ſumma ſe locupletes habebant. Parvæ tunc erant cellæ vinariæ, orca enim (41) ampla promptuariis contenti. Modica dote nubebant fœminæ, quòd earum cultus erat parciſſimus, virgines in domibus patrum tunica de Pignolato, quæ appellatur Sotanum & paludamento lineo, quod dicebant Xoccam, erant contentæ; ornatus capitis non pretioſus erat virginibus aut nuptis. Conjugatæ latis vittis tempora & genas ſub mentum vittabant. Virorum tunc erat gloria eſſe in armis & equis commodos. Nobilium locupletum erat gloria turres habere, quo tempore urbes Italiæ ſingulæ multis turribus inclytæ viſebantur. Anno MCCXXXV. Beatrix nata Aldrovandini Marchionis Eſtenſis & Anconitani, Andreæ Regi Ungariæ jam grandævo matrimonio traditur. Anno ſequenti moritur Rex, Uxor ejus habens in utero, in Alemanniam fugit, timens inſidias privignorum. Ibi peperit filium, quem nominavit Andream; hic conjugio habuit neptem Pauli Traverſarii de Ravenna, quæ moriens filium ſuperſtitem reliquit, qui patri præmortuus eſt. Idem Stephanus mox migravit Venetias, ibique conjugatus eſt Thomaxinæ de Muriſinis, quæ illi peperit filium Andream nomine, qui hodie Unga-

(35) *Cod. Eſtenſ.* Ricardus Comes de Sancto Bonifacio &c.

(36) *Cod. Eſtenſ.* dum bellum ageret contra Chriſti hoſtes.

(37) *Cod. Eſtenſ.* Anno MCCXXVIII.

(38) *Cod. Eſtenſ.* in carcerem truſit, quia contra &c.

(39) *Cod. Eſtenſ.* Anno Chriſti MCCXCIII. &c.

(40) *Cod. Eſtenſ.* etiam quando veniebant ad nuptias viris ſuis conjugatæ.

(41) *Cod. Eſtenſ.* horrea non ampla, &c.

gariæ Regno potitur. Anno MCCXXXVI. Guidottus Parmenſis, proſapia de Carrigia, (42) Epiſcopus Mantuanus die Rogationum, dum cum populo eſſet in Eccleſia Beati Andreæ ſecundùm morem orando, ab Advocatis nobilibus viris Mantuæ eſt occiſus, quamobrem urbe illa exterminati ſunt, nec unquam ulteriùs ſunt admiſſi, perpetuò exulantes. Anno ſequente Imperator Vicentiam urbem in Venetia occupat & in Alemanniam tranſit. Anno MCCXXXVII. Imperator Alemannia rediens contra Mediolanenſes duxit exercitum, quos fortiter expugnavit. Eorum rectorem filium Ducis Venetiæ familia Teupoulonum bello captum ſuſpendio perdidit; Carrocium eorum captum Romam in ſignum victoriæ titulo tali tranſmiſit:

Urbs decus orbis Ave, victus tibi deſtinor ave;
Ave currus ab Auguſto Friderico Cæſare juſto,
Fle Mediolanum, jam ſentis ſpernere vannum,
Imperii vires proprias tibi tollere vires;
Ergo triumphorum potes urbs memor eſſe priorum,
Quos tibi mittebant Reges, qui bella gerebant.

Anno MCCXXXVIII. Imperator Brixiam obſidione cinxit, ſed ea potiri nequivit. Eo etiam anno Eccelinus de Romano in Marchia Treviſii tyrannus obſedit Montagnanam (43) inde fuga diſcedente Azzone Marchione Eſtenſi. Anno MCCXXXIX. in Burgundia Imperiali circiter quinque millia hominum ſuffocati ſunt ruina unius montis ab aliis ſciſſi, cujus partes per plura millia paſſuum per vallem unam dilapſæ ſunt, & plurimas caſas villarum operuerunt. Tempore quoque hujus Imperatoris & Ferandi Regis Hiſpaniæ in Toleto Judæus quidam rupem ſaxeam comminuens pro vinea amplianda, in medio ſaxi concavitatem invênit, nulla apparente ſciſſura, in qua concavitate librum reperit Pſalterii magnitudine quaſi folia lignea habentem ſcriptum literis Græcis, Hæbraicis, & Latinis. Loquebatur autem liber de triplici Mundo ab Adam uſque ad Antichriſtum, cujuſque Mundi proprietates loquendo: Principium verò tertii Mundi poſuit, de Chriſto, ſic dicens: In tertio Mundo filius Dei naſcetur ex Virgine Maria & pro ſalute hominum patietur; quod ut Judæus percepit, cum tota domo ſua Baptiſmate eſt renatus. In illo libro ſcriptum etiam erat, quòd tempore Ferandi Regis Caſtellæ, liber ille inveniri debebat. Simile inventum eſt tempore Conſtantini Quinti Imperatoris dicens: quòd quædam lamina aurea in Conſtantinopoli inventa eſt, in quodam ſepulchro cum defuncto ibi jacente cum tali ſcripto: *Chriſtus naſcetur ex virgine & credo in eum.* Anno MCCXXXIX. Imperator Paduam vênit, Papa autem Gregorius Nonus contra eum ſententiam excommunicationis promulgat, & Proceres omnes abſolvit à juramento fidelitatis, quod præſtiterant Imperatori. Gregorium quoque de Monte-Longo Legatum conſtituit in Italia, ut totis niſibus Imperatori obſiſtat. Imperator cum Eccelino & Sallinguerra confœderatur, ſpretis Marchione Eſtenſi & Comite Veronæ, quos priùs habebat præcipuos. Hoc anno menſe Junio feriâ ſextâ, horâ noni Solis facta eſt eclipſis, & cœlum diu viſum eſt ſtellatum, ut horis nocturnis.

De obſidione Ferrariæ.

ANno Chriſti MCCXL. Gregorius Legatus Eccleſiæ, Dux Venetiæ, Bononienſes, Mantuani & exules Ferrarienſes obſederunt Ferrariam à Feſto Purificationis uſque ad primam hebdomadam Junii. Sallinguerra præſidio quingentorum equitum ab Imperatore datorum urbem eam tutabatur: diu prœliis actum eſt navalibus maximè & machinis. Seductus tandem Ugo de Kanbertis (44) in ſpem pacis dixit, omnino pacem habere velle, ne & ſegetes inſtantis anni perderet & præſidium parvum, quod habebat in Agris Caſtelluio. Cui Sallinguerra: *Nam & ego pacem præopto maturam, ſed non eam, qua hoſtes ſuperiores nobis freti tot præſidiis inimiciſſimis hac urbe potiantur, eo animo, ut ſe victores putantes audeant impunè quodcunque ira, odium, aut libido perpetrandum ſuaſiſſet:* (45) *Ceterùm ſi pares viribus nobis admitterentur in urbe concives exules, mihi non eſſet timori.* Tum ille, qui ab illo ſecundus eſſet in principatu in urbe, illectus pollicitationibus multis ab iis, quorum intererat, ut voti compotes eſſent, montes aureos polliceri: *Volo*, inquit, *prorſus hanc urbem pace gaudere:* Cui Sallinguerra: *ſi hanc pacem præoptas, ego nec abnuere poſſum. Nam hoſtes potentiſſimi, plurimi civium cohabitantium hoſtibus animo faventes, tu, qui hactenus propugnator es, deficis: fiat igitur, ſicut optas. Verùm ſcire tibi expedit, quòd hujus pacis gladio mihi genitalia, tibi verò nares abſcindis. Ego quidem genitalibus operimentum honeſtè prætendam. At tu deformata naſo facie id operimento velare non poteris.* Acto igitur de fœdere, Sallinguerra vênit in caſtra, ſtipulationibus pacta firmantur. Cùm mox Legatus cum ceteris agerent irrita promiſſa ducere, Azzo Marchio ſcelus perfidiæ horrens, deteſtabatur efficere aliquid contra fidem; cui Legatus perſuaſit, ut calcato honeſto & juramento, amplecterentur quod utile ſibi foret, ut ſcil. urbe potiretur, illo excluſo. Secundùm igitur pacta Legatus, Dux Venetiæ, Poteſtas Bononiæ, & Azzo Marchio cum omni comitatu caſtrorum ſecum Sallinguerram jam octuagenarium quaſi, ducunt in urbem, & atria ejus Sallinguerræ petunt directè, ut fidem ſervarent, qua promiſerant, eum incolumem in domum ſuam traducere & ſervare. Cuncti igitur aula diſcumbunt, vina, ut moris eſt, miſcentur, fit aliquamdiu ſermo feſtivus. Mox Paulus Traverſaria ſurgit, orat, Sallinguerram in multis accuſat; quo verbis finem dante, Sallinguerra mox ſurgit, purgatque ſe ab objectis: tum multi pedibus ſtrepere, iterum & iterum, ut ne ille poſſet audiri; quod, ut Sallinguerra notavit, æger animo certus ad mô. (46) eo quod ſuſpicabatur, locum ſeſſionis petit; tamen omnes ſubſellia & aulam deſerunt, ſecum ducunt Sallinguerram ad flumen, & navi eum Veneti imponentes traduxerunt Venetias, & carcere ſervant, ubi etiam vitam finivit. Ugo pacis ſuaſor in urbe remanſit, ſed cùm poſt paucos dies conſiliis ſecretis non admitteretur, animo tabuit. Ruri tandem relegatur. Inde metu mortis abſceſſit & proſcriptus, judicatus eſt hoſtis. Ceteri ejus factionis conſortes conſternati diffugiunt, aut ſupplices ſe regnantibus ſubjiciunt.

Eo anno menſe Auguſto Fridericus Imperator Ravennam obtinuit, defuncto Paulo jam dicto. Anno MCCXLI. Fridericus Imperator obſedit Faventiam, quam tandem obtinuit. Eo anno mortuo Gregorio Papa, Cœleſtinus ſuccedit, qui

(42) *Cod. Eſtenſ.* Guidoctus Parmenſis de proſapia de Corrigia &c.
(43) *Cod. Eſtenſ.* Montagnanam &c.

(44) *Cod. Eſtenſ.* de Rambertis.
(45) *Cod. Eſtenſ.* perpetrandum ſuaſerit.
(46) *Cod. Eſtenſ.* certus amodo de eo, &c.

A qui dies paucos ſedit Pontificatu, genſque Tartarorum Ungariam profligavit. Anno Chr. MCCXLII. Innocentius Quartus genere Januenſis Pontificatu eligitur ex Cardinali. Nam cùm quidam Imperatori congratularentur, eo quòd hic, qui eum favebat, ſublimatus eſſet Papatu, ægro vultu ait; *amicum perdidi; qui quondam mihi amicus fuit, adverſarius dirus erit*. Nec falſum locutus eſt; nam vix biennio latuit inter eos ſimultas, mox apertè infenſi fuerunt in alterutrum. An. MCCXLIV. cùm jam Imperator duos ex Cardinalibus ſervaret in vinculis, Papa cùm in Italia Imperatori non poſſet obſiſtere, Januam petit, inde Lugdunum, quo Concilium convocavit. Imperator Cardinalibus aliquot & B Curiæ Romanæ ad Concilium pergentibus tetendit mari inſidias, quos & cepit: Citatus igitur Imperator eo anno, ut perſonaliter adeſſet eo Concilio, ire contempſit. Anno Chriſti MCCXLV. Lugduni celebratur Concilium, quo contra Imperatorem fertur ſententia, qui tanquam malè de Fide ſeotiens, privatur Imperio. Anno altero ſequente Laogravius Princeps in Alamannia opera Romanæ Eccleſiæ electus Imperator contra Conradum Friderici filium duxit exercitum. Anno ſequente Langravius fato conceſſit, poſt quem eligitur Guihelmus Comes Holandiæ, qui mox in brevi à Frixonibus eſt occiſus. Fridericus verò de Apulia vênit in Lombardiam civitati Parmenſium infeſtus.

C

De obſidione Civitatis Parmæ.

ANno Chriſti MCCXLVIII. Fridericus maximo exercitu Parmam cinxit, ſtatuens animo eam urbem ſubvertere, unde in ſuburbiis, ubi caſtra poſuerat, civitatem foſſi & vallo ædibuſque conſtruxit, quam nominavit Victoriam. Ducens animo, urbe Parmæ ſubverſa, eam inclytam & populoſam facere multitudine civium urbis ſubverſæ. Et maximè Cremonenſes erant ſubſidio. At Mantuani, Ferrarienſes & ceteri, qui adverſabantur Friderico, Parmenſibus erant auxilio. Interea dum Fridericus ſolatio aucupii abeſſet à caſtris, cives Parmenſes uno agmine portis erumpunt. Novam civitatem D impugnant, capiunt, diripiunt, & incendunt. In qua opima ſpolia habuerunt, Currum quoque Cremonenſium in eorum urbem traxerunt captivum. Fridericus viſo eminus fumo, & re comperta Cremonam aufūgit.

Rex Hentius à Bononienſibus capitur.

ANno Chriſti MCCXLIX. Bononienſes in agrum Mutinenſem duxerunt exercitum, Heotius Rex Sardiniæ Friderici filius ex concubina, de Cremona illò repentinum duxit equitatum, & modica requie laſſis equis indulta Mutinæ, Bononienſium petit exercitum, conſertâ itaque pugnâ Hentii exercitus vincitur. Ipſe E Rex captus longâ carceris honeſtâ cuſtodiâ Bononiæ terminum vitæ dedit.

Capitur Damiata.

EO anno Lodovicus Rex Franciæ cum Cruce-ſignatis trans mare ducto exercitu Damiatam urbem in deditionem accepit, quam anno ſequente ipſe captus à Sarracenis pro redemptione ſui & ceterorum Sarracenis reſtituit, & domum reverſus eſt fœdere adjuratus.

De morte Friderici.

ANno Chriſti MCCL. feſto Beatæ Luciæ Virginis moritur Fridericus in Regno anno coronationis ejus XXX. ætatis ſuæ anno LVII. relictis liberis Conrado Rege, & duobus filiis Henrici ſui primogeniti carcere mortui, Hentio quoque Rege Sardiniæ incluſo carcere Bononiæ, & Manfredo Principe Tarentino, & aliis ſexus promiſcui. Fridericus ex prima conjuge genuit Henricum primogenitum jam prænominatum; ex ſecunda filia Regis Johannis Conradum genuit, propter quam regnum Jeroſolymitanum habuit; ex tertia filia Regis Angliæ etiam ſobolem vidit; Ex ſorore verò Marchionum Lanzonum ejus concubina Manfredum genuit, qui mox injuſtè regnavit.

De moribus & gloria Friderici.

FUit autem Fridericus non procerus, obeſo corpore, ſubruffus, ſuper homioes prudens, ſatis literatus, linguarum doctus, omnium artium mechanicarum, quibus animum adverrit, artifex peritus. Aucupus avium maximè delectabatur, ſatis liberalis dignis, non profuſus donando, opibus exuberavit. Nam præter Imperii jura, Rex erat Siciliæ per genus maternum, Rex Jeruſalem per conjugem, Rex Alamanniæ per electionem, Dux Sueviæ jure proavorum. Muliebrium amplexuum amator nimius; nam ſpecioſarum fœminarum gregem ſervabat, modicæ clementiæ in offenſos, beneficus in familiares dilectos, quos plurimùm ſibi perfidos eſſe comperiit, io prole inclytus, nam inter ceteros Conradus alter Abſalon judicatus eſt, Hentius in armis ſtrenuus & nobilis indolis, quem & omnes adverſarii laudabilem virum teſtantur. Manfredus, qui regnans omnes una & ſumma liberalitate reſpexerit, qui Tito Veſpaſiani Imperatoris filio ingenio in omnibus arguto, & cunctis benefico videtur jure poſſe conferri.

Imperii vacatio annis circiter XXIV.

ANno Chriſti MCCLI. vacavit Imperium annis circiter XXIV. uſque ad Pontificatum Gregorii Decimi. Igitur Innocentius Papa hoc anno cognita morte Friderici in Italiam vênit divertens Januam, mox Mediolanum, menſe tandem Octobri feſto Beati Franciſci Ferrariam appulit, ubi, ut vidi puer, populo prædicavit, deinde per Bononiam in Thuſciam eſt profectus. Hoc anno Conradus Friderici proles Jeruſalem & Siciliæ Rex per Veronam de Alamannia veniens in Apuliam pergit. Anno ſequente Gregorius de Monte-Longo Patriarcha Aquilegiæ ordinatur. Anno MCCLIV. XIII. Kalendas Junii moritur Rex Conradus, cùm annis duobus regnaſſet. Opinio plurimorum eſt, quòd fraude Manfredi fratris ejus fuerit venenato extinctus. Hoc anno moritur Innocentius, Alexander Quartus ſuccedit.

De obſidione Mantuæ & captatione Paduæ (47).

ANno Chriſti MCCLVI. Eccelinus de Romano inhumanus tyrannus, qui tunc dominabatur Veronæ, Vicentiæ, ac Paduæ, ad obſidendum Mantuam maximas copias traxit, cui auxilio erant Cremonenſes cum duce ſuo, Uberto Mar-

(47) *Cod. Eſtenſ.* & captione Paduæ.

Marchione Palavicino. In ea quoque obſidiooe (48) XI. millia Paduanorum in armis. Suburbia igitur Mantuæ igne populatur, & ferro. Inicrea Alexander Papa Philippum Ravennatem Archiepiſeopum Legatum præfecit contra tyrannum, qui congregato exercitu Cruce-ſignatorum, Venetorum, Ferrarienſium, & exulum, Paduam petit, levi impugnatione, qui præſidio ejus urbis relictus fuerat, urbem deſerit, qua ſinè conflictu victor potitur exercitus die XI. exeunte Junio. Ea urbs ſummè opibus eſt exhauſta. Ecclinus Mantuam obſidens, audito elam nuntio, repentè motis caſtris, Veronam traxit, exercitum XI. millium (49) virorum Paduanorum inermium io ædibus quieſcentium capit, & carcere trudit. Mox omnes inedia & igne conſumſit. Inde petiit Paduam, ſed nihil profecit.

Anno Chriſti MCCLVII. feſto Beati Simonis Apoſtoli maxima tempeſtas fuit mari, claſſis Clugienſis rediens de Marchia bonis multis onuſta io portu Clugiæ eſt paſſa naufragium. Naves fractæ, opes perditæ, viris undis ſubmerſis. Eo anno Philippus Archiepiſcopus Ravennenſis Legatus Sedis Apoſtolicæ à Brixienſibus eſt urbe receptus, qui mox eorum fraude, Ecclino ea urbe recepto, captus apud Furriſelas (50) eſt, & in vincula truſus. Ipſo quoque anno Laurentius Teupulo dux navalis exercitus Venetorum in mari cum exercitu Januenſium confligunt. Victor Venetus exercitus Januenſes urbe Acon expellunt, & eorum turrem mirabilem à fundamentis evertunt.

Anno Chriſti MCCLVIII. Veneti apud Padum, diſtrictum Ravennenſium, Caſtellum de lignis conſtruxerunt, quod ipſi Caſtellum Sancti Alberti appellant, ab aliis dicitur MacKamoy (51) ſitum eo loco, quo fluentum Capitis Urcei in Padum labitur longè à mari circiter quinque milliaria vel ſex. Eo anno æſtate fuit hominum magna mortalitas. Per hæc tempora moritur Accurſius Legum commentator bonus, (52) natione Thuſcus, urbe. Cui paucis annis ſupervixit Odofredus natione Bononienſis Jurisperitus Accurſio non inferior. Hi ambo ſepulti Bononiæ apud Fratrum Minorum Eccleſiam, quibus fabricatæ ſunt in ſepulchra pyramides ſpecioſæ in operimentum mauſolæi.

De morte Eccelini de Romano.

ANno MCCLIX. facta confœderatione contra Eccelinum tyrannum per Cremonenſes, ducibus eorum Uberto Marchione Pellavicino, & Boſio de Duaria ex una parte, & Mantuanis, & Ferrarienſibus, duce eorum Azzone Marchioue Eſtenſi ex altera. Eccelinus cum magno exercitu equite Mediolanum tendebat ſibi promiſſum. Rediens ergo inde ſpe caſſus ad flumen Adduam pervênit, ſperans traoſitum facere per pontem, cui præſidium impoſuerat: Pontem igitur invênit ab hoſtibus occupatum, & ibi prope numeroſum exercitum Cremonenſium, Mantuanorum ac Ferrarienſium inſidentem. Eccelinus tunc ibi pede ſpiculo ſauciatur. Brixienſis equitatus, qui cum eo erat, primus flumen vadavit, die quarta exeunte Septembri. Mox confeſtim Eccelino relicto motis ſignis propero greſſu aufugiunt, deinde Eccelinus equitatum per vadum trans flumen traducit, quibus hoſtes inſequuntur. (53) Capitur Eccelinus clava ictus in capite, paucis poſt diebus moritur, & ſepelitur apud Palatium Sulcim (54) territorio Cremonenſi, cùm jam annis XXXIV. in Marchia Trevisana tyrannidem exercuiſſet infamem. Hic ultra tyrannos ſanguinarius fuit. Crudelis, ſontes, & inſontes nullis cauſis perdebat. Carceres plenos pueris & mulieribus ſingulis habebat in urbibus, parvulos excœcabat, & peremptis patribus, filios genitalibus privabat; fratrem ejus, quòd pius eſſet, & illius immanitates horreret, carcere truſum peremit, ſororis filium, qui nomen ejus gerebat, conſumpſit in vinculis. Ejus impia acta vix ſufficerent ad exponendum facundo poetæ. Horreo multitudine & magnitudine truculentiæ ejus de ipſo ampliùs ſcribere, victus mole immanitatis illius.

De morte Alberici de Romano.

ANno Chriſti MCCLX. Albericus de Romano, Eccelini germanus, cùm jam diu ſævam tyrannidem exercuiſſet in Treviſio, adeò ut omnia abraſiſſet, cognita fratris nece, cum uxore & quatuor liberis io Caſtellum Sancti Zenonis aufugit. Paduani, Treviſini & Azzo Marchio Eſtenſis obſidione cingunt caſtellum. Cùm diu obſeſſum eſſet, & rebus incluſi deficerent: Ii, qui erant præſidio, loci deditionem faciunt, invito Alberico. Eductus ergo Albericus cum uxore & filiis, in ejus aſpectu primò filii trucidantur, Matri tyrannæ veſtes tenus inguina abſcinduntur, ita ut obſcœnæ partes paterent, demum rogo crematur cum filia. Ultimus Albericus pulſatus faciem membris natorum tantæ cladis ſpectator in fruſta ſecatur. Judex quoque ejus aſſeſſor, ſcelerum illius adjutor, eodem calice eſt potatus: hic licèt minùs debaccharetur in ſanguinem innocentium, injuſtior tamen fratre ejus Eccelino aſſeritur. Nam nemo ſub hujus tyrannide vivere potuit, niſi mendici, quibus non erat facultas patriam deſerendi.

De verberamento hominum piè acto.

EO anno inaudita novitas fuit per omnes Italiæ partes. Nam omnes prima hyeme nudi longo agmine bini euntes tecto corpore infra umbilicum per urbes, vicos, & villas villicolæ incedebant, ſe flagellis & loris cædentes & pſallentes Dei laudes & Beatæ Mariæ, clamitantes: *Pax, pax*. Eo infinitæ diſcordiæ & hoſtilitates pacatæ ſunt; Mulieres in turmis hoc noctibus faciebant; ſacrilegus habebatur quicunque id oon ageret, ſed poſt Januarium paulatim defecit ea novitas, quæ appellata eſt Verberamentum.

De clade Florentinorum apud Montem-apertum.

ANno Chriſti MCCLXI. Florentinis & Luceoſibus cum maximis copiis euntibus ad ſubveniendum oppido Montalcino per agrum Senenſium; Ipſi Senenſes apud locum, qui dicitur Mons-apertus magnam cladem intulerunt. Gibellini tunc Florentia ſunt potiti. Auxilio Senenſibus eraot equites Regis Manfredi, duce illis Comite Jordano, & exules Florentini in exercitu Florentinorum fuiſſe tunc dicuntur ad LX. ju-

(48) *Cod. Eſtenſ.* Marchione Pelavicino. In ea quoque obſidione erant XI. millia &c.

(49) *Cod. Eſtenſ.* Veronam traxit exercitum. XI. millia virorum &c.

(50) *Cod. Eſtenſ.* apud Turriſellas &c.

(51) *Cod. Eſtenſ.* Marchamoy &c.

(52) *Cod. Eſtenſ.* Commentator Bononiæ &c.

(53) *Cod. Eſtenſ.* quibus hoſtes occurrunt. Eccelinum fugientem hoſtes inſequuntur.

(54) *Cod. Eſtenſ.* Palatium Sulcini &c.

jumentorum (55), quæ appellant Salmarios. Eo anno Imperator Balduinus & Veneti de urbe Conſtantinopoli ſeceſſerunt. Alexander IV. Papa Viterbii moritur, cùm jam annis ſex & menſibus totidem ſediſſet. Eo quoque anno die octavo Octobris Ferrariæ magna ſeditio. Nam Ubaldinus de Fontana & complices ea urbe pelluntur. Ipſo anno feſto Beati Nicolai audita ſunt magna tonitrua. Anno Chriſti MCCLXIV. XVI. Februarii moritur Azzo Eſtenſis, Marchio Ferrariæ, & ea urbe apud Minorum Eccleſiam eſt ſepultus, in cujus funere, & qui (56) qui adverſarii erant factione partium, non lachrymas aut gemitus continebant. Vir liberalis, innocens, tyrannidis inſcius, quem ſummè pudebat quicquam poſtulantibus non præbere. Cui ſucceſſit Obizo filii filius, qui anno præcedente in uxorem duxit neptem Cardinalis Otthoboni de Fliſco Januenſis, nomine Jacominam. Hoc anno Alphonſus Rex Caſtellæ Sarracenos, qui in Hiſpaniam tranſierant, prœlio ſternit & ſuperat. Ipſo quoque anno feſto Beatæ Luciæ menſe Decembri civitate Mutina ſeditio facta eſt, qua pars, quæ appellatur Graſulſorum, eſt ea urbe extruſa.

De adventu Karuli Regis in Italiam.

ANno Chriſti MCCLXV. menſe Januario Karulus Comes Provinciæ, frater Lodovici Regis Franciæ, vocatus ab Eccleſia Romana parvo comitatu navi per mare clam Romam appulit. Hoc anno magna fuit in Italia boum interitio. Menſe Septembri diu apparuit ſtella cometes, quam vidi ſæpiſſimè in aurora, in regione cœli, qua eſt Sol horâ tertiâ lucis, cui ſtellæ ab Occidente erat cauda fumea deſinens in acutum, longitudine haſtæ militis equitis. Eo anno menſe Decembri exercitus Francorum duce Comite Flandriæ per Ferrariam tranſivit Bononiam, inde ad Karulum apud Urbem morantem.

De prœlio inter Karulum & Manfredum.

ANno Chriſti MCCLXVI. primâ ſextâ feriâ menſe Martii Karulus quondam Regis Franciæ filius & Manfredus Friderici Imperatoris proles, qui uſurpatione Siciliæ regnum nactus eſt, apud Sanctum Germanum agro Beneventano acie pugnant, in ipſo conflictu Comes de Caſerto, & Thomas Comes de Certa (57) cum ſuis aciebus relicto Manfredo, ut compoſitum erat, licèt Sororum Manfredi viri eſſent, à bello aufugiunt. Manfredus, cui perſuadebatur, ut fugere conſuleret: *potius*, inquit, *hodie volo mori Rex, quàm vivere exul & miſer*; & procedens cum ſuis fortiſſimis pugnando aliquamdiu hoſtibus obſtitit. In ipſa pugna equus, cui inſidebat Manfredus, transfixo pugione oculo, dolore inſurgens ſuper circumſtantes equos defertur. Rex ipſe alio confoſſus pugione, equo delabitur, pedibuſque equorum proteritur: dehinc pugna declinat. Victor Karulus hoſte cædit & fugat, partâ victoriâ, cadavera ſpoliantur, edicto, ne quis cadavera ſepeliat, donec de Manfredo aut vivo aut mortuo veritas haberetur. Tertia dehinc die cadaver Manfredi nudum à ſervo ſuo indice monſtratur. Allatum ergo in caſtra Karuli agnoſcitur, & ignobili ſepulturæ mandatur. Nam Rex Karulus juſſit terrotem (58) (*fortè*: un tertre, terræ elevationem) fieri ſecus Pontem Sancti Germani, & ibi ejus corpus condi, ſecundùm ritum vilium hominum. Karulus confeſtim toto Regno potitus eſt, fortiſſimos pugnatores Manfredi, Comitem Jordanem, Petrum Aſinum de Ubertis, Bernardum Caſtaneam captos prœlio in Galliam dirigit. Ibi cùm jamdiu carcere macerati eſſent, fugam de carcere meditati cuſtodes occiderunt; fugientes ergo ſunt comprehenſi, & ſignificato Regi negotio, Rex ipſe mandavit, ut ſingulis pes unus & manus una abſcinderetur & oculi evellerentur, quod cùm factum eſſet, mortem ſibi inedia conſciverunt. Italici exinde Francorum uti cœperunt pugionibus hoc tempore, & enſes obſoleti ſunt.

De bello inter Karulum & Conradum.

ANno Chriſti MCCLXVII. ultimo Auguſti Conradus Secundus Conradi filius, filii Friderici quondam Imperatoris, hæres ejus in regnis Jeroſolymitano & Siculo cum exercitu Theotonicorum Veronam pervênit, & ea hyeme ibi manſit, tum Karulus Rex cum electo exercitu obſidione vallavit oppidum Thuſciæ, quod Podium-Bonici dicitur. Eò ſe contulerant univerſi Optimates factionis Gibellinæ, cùm obſeſſos fames & obſeſſores hyemis ſævitia premeret, tandem actum eſt, ut milites incluſi cum equis & armis, & omni eorum ſuppellectile oppido dedito incolumes poſſent abſcedere. Rex potitus eſt oppido, obſeſſi liberi ſunt digreſſi. Eo anno Amatinus de Amatis cum complicibus Cremonenſibus, Legato agente, ea urbe pace recepti ſunt, & Boſius de Duaria alterius partis Princeps cum ſuis ejus Legati operâ expulſi ſunt, menſe Februario. Ipſo anno die Reſurrectionis menſe Martio Guelfi de Florentia Gibellinos expellunt.

De prælio inter Karulum & Conradum Reges.

ANno Chriſti MCCLXVIII. Rex Conradus cum exercitu ſuo relictâ Veronâ Papiam pervênit, mox Piſas per mare, Romam deinde. Ibi Henricus frater Regis Caſtellæ Urbis erat Senator. Hic cùm priùs Karulum multa pecuniæ ope & manus in prœlium validæ plurimùm adjuviſſet, nec ei Rex Karulus creditam pecuniam redderet, nec promiſſa adimpleret, erga Karulum animum gerebat hoſtilem. Ergo Conradum confœderatur (59) in Karulum. Menſis ergo Auguſti XXIII. die juxta flumen, quod campo Palatino proximum eſt, prœlium conſerunt, Conrado copioſior erat exercitus. Nam cum eo erant Theotonici, Romani, Lombardi, & Thuſci; Karulus ſe numero imparem cernens, uſus eſt artibus, delegit ergo ex communi exercitu ſuo equites quingentos probatiſſimos ad certamen, ceteros equites aciebus inſtructis ad prœlium conſerendum præmittit. Arma quoque ejus & inſignia induit quendam militem in acie prœliantem. Confertâ pugnâ diu cædes utrinque aſperrima; cæduntur tandem milites, Franci ſternuntur, non valentes hoſtium impetum ſuſtinere, ipſe quoque vir regiis armis ornatus notatus in acie ab Hiſpanis & eorum duce

(55) *Cod. Eſtenſ.* & exules Florentini. In exercitu Florentinorum fuiſſe dicuntur IX. millia jumentorum.

(56) *Cod. Eſtenſ.* etiam qui adverſarii &c. non lacrymas, ſed gemitus &c.

(57) *Cod. Eſtenſ.* de Cerra &c.

(58) *Cod. Eſtenſ.* juſſit fieri &c.

(59) *Cod. Eſtenſ.* Igitur Conrado confœderatur.

ce Henrico occiditur, fuſis hoſtibus & proſtratis, Conradi milites, maximè Germani diffunduntur ad prædam; Conradus in acie integra eminus prœlii ſpectator erat. Interea Karulus in Officiu Miſſæ ſupplex orabat, ubi verò ab iis, qui in ſpeculis montium erant, audivit ſuas acies eſſe cæſas & ſtratas, cum quingentis optimis equitibus de monte digreditur, quod, ut hoſtes diffuſi viderunt, magno ſunt metu perculſi videntes Karulum adventare, quem putabant interemptum in campo jacere. Karulus igitur diſperſos aggreditur; ſed cùm tempus inſtaurandi acies non daretur, feſſi prœlio & incompoſiti, licèt numero plures, aciem integram & vegetorum virorum impetum ſuſtinere minimè potuerunt. Conrado cum Karulo volenti confligere oblatum eſt conſilium, ne ſe pugnæ committeret cum viris fortiſſimis, quos rerum deſperatio fortiores agebat, quam id in ancipiti eſſet eventu, ſed diſpoſitis rebus aliàs cum Rege multùm in opere (60) congrederetur, à quo Siculi regni pars magna deſciverat. Conradus cum maxima parte ſui exercitus inde digreditur. Henricus Hiſpanus Urbis Senator prœlio captus eſt integer. Karulus cruentam victoriam habuit. Nam penè omnis exercitus (61) prœlio cecidit. Conradus igitur cum Duce Auſtriæ ac paucis nobilibus ſtatuit furtivo aditu in Regnum prodire, quod pro majori parte in Karulum ſe creſerat (62) (croiſaverat.) Præmittunt ergo nuntium ad caſtellum maritimum, qui conducat liburnam, qua vehantur in Regnum. Et quòd non parvi conducta eſt navis, ſuſpicio fuit caſtelli domino, quòd magnæ fortunæ viri hanc furent aſcenſuri; debiles ergo remiges eidem navi aſſignati ſunt, fortiores alia navigaturos ſervavit. Conradus cum comitibus plebejo habitu navim aſcendit, & in altum remigant, confeſtim altera liburna, qua vehebatur caſtelli dominus ſubſequitur: nec mora, ut ad Primum appropinquant, imperat is remigibus, ut egrediantur confeſtim. Conradus & ſocii ſciſcitantur quiſnam ſit is, in cujus poteſtatem pervenerint. Ut autem audiverunt eſſe de gente Romana, familia Francipanum, quæ quondam Friderici Imperatoris fuiſſet amiciſſima, clam illum affantur; hunc eſſe Conradum produnt, qui in paternum & avitum regnum poſſeſſurus accedat; orant, ne impediat cœptum iter. Ipſe quoque adjuvet, & cum eis veniat, præmia grandia poſſeſſurus, tum veteri amicitia, tum beneficio novo. Excluſis precibus prædo maris eo in caſtellum reducit, res diſfunditur. Karulus hoc comperto, illò cum ſuo parvo properat equitatu captos petit & recipit, ac inde abducit. Sunt qui dicant, per Pontificem & Cardinales, ut Conradus & ceteri in eorum poteſtatem & carcerem venirent, fuiſſe decretum. Clemens Quartus Karuli amiciſſimus tunc erat Urbis Epiſcopus, quod ne accideret Karulus fategit. Convocat ergo Juriſperitos, quos conſulit, ſi Conradum & ceteros legitimè poſſit morti damnare, allegans, quòd contra eum juſtum Regem arma moverint, & quòd Monaſteria prædaverint, & quoddam ſuccenderint: diu de eo judicio acto plurimorum erat ſententia, & maximè Guidonis de Sucaria eo tempore præſtantiſſimi Legum Doctoris, Conradum non eſſe mortis reum; captum fugiendo à prœlio, tum etiam quòd regnum, quod paternum & ſui juris credebat, armis peteret, ut eo poſſet potiri, & cùm Karulus inſiſteret, ajens: *ii Monaſteria incenderunt*. Reſpondebatur; *non conſtat, quòd hi juſſerint id fieri, cùm ſæpè prophani homines, qui caſtra ſequuntur, talibus oblectentur*. Quidam Juriſperitus hoc poſſe juſtè fieri, quod Karulus allegabat, aſſeruit. Karulus hujus conſilium amplexus, Conradum & ceteros morti addixit. Ludente ergo ſchachis Conrado, ei defertur Regis judicium, & modicum temporis aſſignatur, ut animæ ſaluti poſſit conſulere. Condito igitur teſtamento & confeſſione acta, VI. Kalendas Novembr. urbe Neapoli in litus ducitur, mortis ſententia legitur, Conradus ſuperius veſtimentum exuit, & genibus flexis orato, cervicem lictori porrexit, hanc ultimam vocem edens: *ah genitrix! quàm profundi mœroris nuncium ex me ſuſcipies*. Dux Auſtriæ, ut vidit Conradi propinqui cervicem feriri, quanta potuit indignantis animæ voce rugitum emiſit, & doloris deſperatione, nec erga Deum culpam voluit profiteri: & cæſi ſunt deinde Dux Auſtriæ, Comes Gerardus de Piſis filius Galvagni Comitis, quem Karulus, hujus rei ſpectator, juſſit in ſinu patris occidi, ultimò ipſe Galvagnus. Pauci ſpectatores lachrymas continebant, præſertim equites Franci, qui, quòd timebant minus, Regis Karuli deteſtabantur ſævitiem. Cadavera maris litore ſunt humata more cadaverum pelago ejectorum; nec licuit cuiquam religioſo ea cymiterio condere. Hæc ego, quæ ſcripſi, accepi à Joachimo Judice cive regio, (63) tunc in comitatu & familia jam dicti Guidonis de Sucaria, qui his præſens, ut dixit, ſe hæc audiviſſe & vidiſſe, mihi retexuit. At verò hujus pii Karuli nutu, ſuperioris Karuli filii, ſuper illorum tumulos conſtructa eſt Eccleſia, quam fratres de Carmelo concelebrant. Hoc anno Tartari cum Sarracenis confligunt in Parthia, & ſuperatis Sarracenis urbe Baldach ſunt potiti. Anno MCCLXIX. Karulus Rex Nuceriam obſidione in deditionem recepit. Tunc magni terræmotus & mons Anconæ ſciſſo in mare diſſolvit (64).

De exercitu apud Karthaginem.

ANno Chriſti MCCLXX. Rex Franciæ Lodovicus vir ſanctus, Rex Siciliæ Karulus ejus frater, Rex Navarræ, & Rex Angliæ Odobardus caſtra in litore Karthaginis poſuerunt, ut Tunitio potirentur. Ibi tandem Rex Franciæ ac Rex Navarræ deceſſerunt, & maxima hominum interitio fuit in caſtris. Facta demum pactione & auro recepto à Barbaris diſceſſit exercitus Chriſtianus. In reditu circa portum Trapani naufragium triſte fuit, hominibus & navibus punto merſis. Rex Angliæ à caſtris navigavit Acon ſubſidio Terræ-Sanctæ, ibique quaſi manſit triennio, qui mox cum Sarracenis acto de belli induciis per Italiam regreſſus eſt eques. Eo anno menſe Julio moritur Aldigerius de Fontano (65), qui dominium Ferrariæ contulerat Obizoni. Eo menſe Feſto Beati Alexii, frater & filius ejus Aldigerii (66) ac plurimi potentes illius factionis res novas molientes, nec valentes efficere, Ferrariæ aufugerunt. Ipſo anno Autumno, Bononienſes in portu Primarii territorio Ravennate, conſtruxere caſtellum. Veneti in altera ripa fluminis Padi caſtra ponentes machinis,

(60) *Cod. Eſtenſ.* quoniam id in ancipiti &c. cum Rege militum inope congrederetur.
(61) *Cod. Eſtenſ.* Tunc penè omnis ejus exercitus &c.
(62) *Cod. Eſtenſ.* ſe etexerat. Præmittunt igitur &c.
(63) *Cod. Eſtenſ.* a Joachino Judice cive Regino &c.
(64) *Cod. Eſtenſ.* ſciſſus in mare diſſiluit.
(65) *Cod. Eſtenſ.* de Fontana.
(66) *Cod. Eſtenſ.* Aldigerii, Turcli, ac plurimi &c.

nis, ne id fieret, obſtiterunt, poſt multos labores, cùm viri, qui ibi erant præſidio, interirent, Bononienſes opus imperfectum liquerunt. Per hæc tempora viri illuſtres nominantur Magiſter Albertus Theotonicus de Ordine Prædicatorum Philoſophus in ſcripturis mirabilis; Thomas de Aquino ejus Ordinis ingenio & ſcientia alter Origenes; Bonaventura de Bagnareto, de Ordine Minorum, Generalis miniſter, vir magnæ præſtantiæ, quem Gregorius X. in Cardinalatum aſcivit, quo brevi tempore functus eſt.

Initium cladis Bononiæ.

ANno Chriſti MCCLXXII. ſeditio magna Bononiæ, cùm una partium ſecundùm decretum ſuum, quod in petra ſcripſerant, exercitum vellent ducere in Mutinenſes, ut exules ſuos reciperent, quemadmodum actum fuerat tempore pacis præteritæ; & altera pertinaciter prohiberet; obtinuit tandem pars Jeremiarum & egit, ut petra illa, quæ decretum continebat, de muro evulſa confringeretur omnino. Et Forlivienſes (67) viſi ſunt animo favere parti Lambertatiorum, propoſitæ ſunt duræ conditiones Forlivienſibus in parendo communi Bononienſi; Forlivienſes potiùs bellum pati ſtatuerunt, quàm eas conditiones ſubire, cùm ſervitutis jugum ſibi viderentur (68). Igitur anno ſequenti MCCLXXIII. pars Jeremiarum, altera parte obtinuit exercitum apud Forlivium ſiſtere, ubi caſtris poſitis Rex Angliæ Odovardus rediens Acon, dum iter per Italiam faceret, ad ea caſtra pervênit; qui, auditâ belli causâ, de compoſitione tractavit, ſed infecto abſceſſit negotio, cùm nullo modo partes bellum agentes de fœdere conveniretur (69).

Mantuæ ſeditio.

EO anno menſe Julii Mantuæ magna ſeditio; Factio, quæ Marchioni ſavebat, extruſa; eo quoque menſe, ultimâ horâ diei ultimi, ſeditio magna Ferrariæ inter Obizonem Marchionem, & Fontanenſes; ea ſeditione periit Ubaldinus de Fontana, reliqui aufugerunt.

Rodulfus Comes eligitur Imperator, qui regnavit ann. XX.

ANno Chriſti MCCLXXIV. Rodulfus Comes, Alamannus genere, eligitur Imperator, qui regnavit in Alamannia annos circiter XX. Hic Regem Boemiæ ſibi obſiſtentem prœlio ſuperavit, quo etiam eſt occiſus; ejus filio Rodulfus pacem reddidit, quem fecit & generum. Hic jura Imperii in Alamannia vendicavit. Fuit autem vir juſtus, ſimplex & Deum timens, civilis & parcus, quo mortuo in ejus locum eligitur Adulphus in regno.

De Concilio apud Lugdunum.

GRegorius Decimus ipſo anno apud Lugdunum Concilium habuit, vir dignus Pontificatu Urbis, utpote juſtus. Inter cetera eo Concilio actum eſt, ut Chriſticolæ Terram-Sanctam vendicarent cultui Chriſtiano, ob hoc cenſus maximus Eccleſiis indictus eſt per annos plurimos, ex quo inæſtimabilis argenti quantitas eſt congeſta; Sed cùm parvo poſt tempore fato conceſſiſſet, ea pecunia eſt expenſa, ut ſucceſſoribus placuit, ubi non dico. Hic Gregorius præſtantes quatuor ſapientia viros ſecundùm ejus opinionem & conſilium captum ad Cardinalatum aſcivit, quorum conſilio agebatur; ſcilicet quemdam Magiſtrum in Ordine Prædicatorum, qui ſibi in Papatu ſucceſſit; Magiſtrum Ordinis Minorum Fratrem Bonaventuram de Bagnareto; Magiſtrum Petrum Hiſpanum, qui mox Papatu eſt functus dictus Johannes XXI. Et quartum alium virum ſcientia æquè perſimilem.

De exterminio Lambertatiorum à concivibus Bononiæ.

ANno Chriſti MCCLXXIV. Bononiæ diſſidentibus partibus miſerrima clades fuit. Nam pars Jeremiarum decreto ſuæ urbis obtinuit, ut iterum urbem Forlivium obſiderent, & eorum currum in plateam adduxerunt: altera pars Lambertatiorum ajebat non ſic, ſed potiùs exercitum debere duci in Mutinam, ut exules ſuos reciperent, ſicut pacis fœdere tenebantur. Hac cauſa bellum inter cives eſt captum XL. diebus continuis, die noctuque ferro, machinis, & igne pugnatum eſt; multi peremti, ædes plurimæ ſuccenſæ, vix quies dabatur ad ſomnum. Ipſæ matronæ ſuccinctæ pugnantibus ferebant ſuppetias. Plurimæ tabeſcebant ſumma mœſticia (70), cùm hinc patrem & fratres, illinc virum & filios pugnantes viderent. Tribuni plebis tandem dolo decernunt, ut deni Optimates ex partibus conveniant in palatium, nec inde diſcedant, niſi rebus compoſitis. Vocati igitur decem & decem ſuo parent poteſtati. Ubi verò convenerunt, dimiſſi ſunt decem ex factione Jeremiarum, reliqui decem retenti, inter quos erat ejus partis princeps, Caſtellanus de Andalais civis illuſtris. Pugna demùo inſtauratur. Convocant ſubſidia hi & illi: cùm tandem impares eſſent Lambertacii, urbem deſerunt & Faventiam fugiunt. Hæc acta ſunt menſe Majo & Junio. Ejus Autumno anni pars victrix obſidione cinxit Faventiam machinis maximè oppugnantes, ſed defenſa urbe vi exulum Bononienſium, fuit negotium imperfectum. Bononienſes domum tandem ſunt regreſſi.

De clade Bononienſium apud Sanctum Proculum.

ANno Chriſti MCCLXXV. menſe Junio Bononienſes cum eorum ſubſidiis ad populandos agros Faventiæ maximum ducere exercitum. Eis Dux erat Malateſta de Arimino; Forlivienſes ſibi ducem præfecerant Guidonem de Monteferetro, virum bellandi peritum. Ad defenſionem ergo Faventiæ properant: die ergo Beati Antonii Bononienſes ultra pontem Sancti Proculi copias educunt, & miſſis populatoribus, qui falcibus ſata ſecarent, acies equitum inſtructas in conſpectu urbis duxerunt (71), peditum verò globus maximus illinc magna intercapedine aberat. Guido Dux Forlivienſium & exulum Bononienſium copias longè numero impares ex urbe educit, aciem unam ex omni equitatu cum peditibus inſtruit, & in hoſtes procedit, quos ubi appropinquare viderunt ſtipendiarii equites locum deſerunt. Ita metu concuſſus omnis equitatus fugæ ſibi conſulit. Jam acies

(67) *Cod. Eſtenſ.* Et quia Livienſes &c.
(68) *Cod. Eſtenſ.* ſibi viderent innecti &c.
(69) *Cod. Eſtenſ.* fœdere convenirent.
(70) *Cod. Eſtenſ.* illinc virum &c.
(71) *Cod. Eſtenſ.* Urbis direxerunt &c.

acies populi Bononienſis adventabat; ſed cùm ſuos equites fugere viderent, ſiſtunt gradum, hoſtes ſupervenientes petunt, ut priùs ſe dedant, quam cæde pereantur. Abnuunt deditionem facere. Conglobati igitur ſiti, metu, & mœrore tabeſcentes fixi perſiſtebant; tum adductis balliſtis ſternuntur. Conſtipatione porrò potiùs, quàm ferro hoſtium ſeſe conficiunt, inanes demum cùm nec vires ad gladios vibrandos haberent, cæduntur: nulli illic hoſtilis humanitas, omnes devorat gladius. Potiùs ſileo, ne narrando etiam hodie animi irritentur male pacati, hoſtes ex hoſtium ſpoliis locupletati ſunt. Eo anno Ravennæ ſeditio. Guido minor de Polenta præſidio ſibi delato Arimino adverſarios cives prævênit, & ejus urbis potitus eſt. Per hoc tempus Papa Nicolaus IV. fratrem ſuum Bertholdum de Urſinis Romanum in Romaniolam primum Comitem miſit, ut pacaret provinciam, Latinum quoque Cardinalem & propinquum Legatum cum eo direxit; qui ea legatione decrevit, ut non liceret mulieribus per publicum incedere, niſi capite velo operto. Nam priùs nurus, & matronæ vitris aut ſericis funiculis crines compoſitæ per publicum incedebant.

Anno Chriſti MCCLXXIX. Exules Mediolani contra illos de Turri bellantes Franciſcum de Turri apud oppidum, quod Deſium dicitur, occiderunt, cujus caput abſciſſum, Mediolanum pilo, & per eam urbem portatum eſt, & ea die Mediolano potiti ſunt, captis plurimis de Familia eorum, & in carcerem truſis. Reliqui aufugerunt. Per hæc tempora Anthonica (72) mulier Mutinenſis ante annum ætatis ejus XL. filios XLII. peperit ex viro exule Mutinæ: decies & pluries gemellos peperit, pluries quaternos, interdum ſex, interdum vero tres. Bonifacius Archiepiſcopus Ravennenſis inductis in Argentam Albertino & Guilielmo de Fontana exulibus Ferrarienſibus contra Obizonem Marchionem bellum egit; poſt paucos menſes pax acta eſt inter eos.

An. Chriſti MCCLXXIX. operâ Bertholdi primi Comitis, in Rumaniola pro Eccleſia Romana pax immatura acta eſt inter Bononienſes cives & exules, & in Bononiam ſunt reducti. Eo anno poſt paucos menſes, Vigilia Nat. Natalis Domini, bellatum eſt Bononiæ in platea; diu Lambertatii obtinuerunt plateam pugnantes viriliter; cedunt tandem multitudini prœlium capeſcenti. Fuſi igitur diffugiunt urbe relicta, licet fortiter iterum vigerent. Plurimi diffugientium per concivium domos ſervati, & humanitate tractati, & ad loca tuta perducti. Anno MCCLXXX. facta eſt fovea & agger inter Argentam & agros de Conſandalo à flumine Pado uſque in paludes per millia paſſuum plurima. MCCLXXXI. Filia Rodulfi Imperatoris nupta filio Regis Karuli tranſivit ad virum Ferraria. Veneti contra Anconitanos bellantur, mari eam urbem obſidentes, & machinis ex navibus eam urbem vexantes: pax tandem acta inter eos, poſtquam utroſque belli pertæſum eſt.

Prœlium apud Forlivium.

ANno Chriſti MCCLXXXII. Martino Tertio Papatu fungente, Johannes de Appia Comes in Romaniola Faventiæ inclytum congregavit exercitum. Nocte igitur præcedeate Kalendas Majas in ſuburbium Forlivii, licèt foſſa & vallo munitum, traxit exercitum. Manè exeunt Forlivienſes Duce Guidone de Monte-feretro, qui in acie communibus latebat in armis, altero milite cum ſuis armis expoſito tunc peremptio. Impletâ foveâ, quæ media erat inter acies adverſas, pugna conſeritur. Primo congreſſu utraque pars vincit & vincitur; pugna diu duriſſima fuit, tandem victores Forlivienſes præda hoſtium potiti ſunt. In hoc Johannes Comes (73) poſt ſtrages ſuorum cum XXI. equitibus aufugiens campum deſeruit & pervênit Faventiam. Ipſo anno Siculi (74) à Rege Karulo deſciverunt occiſis omnibus Francis, qui erant in regno, Monachi quoque ejus gentis caſum ſimilem ſunt experti. Mulieres Siculæ prægnantes ex Fraocis evacuatæ ſunt fœtibus, ferro uteros diſſecante, & Petrus Rex Arragonum in Siciliam eſt ingreſſus. Piſanus exercitus navali prœlio mari Piſano a Januenſibus ſuperatus eſt, XIII. mille capti, III. mille verò in pugna perierunt ferro & undis. Anno Chriſti MCCLXXXIII. civitas Forlivium Comite Romaniolæ Johannes (75) de Appia, viro in armis ſtrenuo & ſtudio Papæ Martini, deditionem ſui faciens, in poteſtatem Eccleſiæ ceſſit: foſſæ & aggeres æquati ſunt, portarum poſtes ablati; licentiati de eo ſunt Guido de Monte-feretro & Lambertatii exules Bononiæ.

Ipſo anno Gerardus de Camino invaſit Terviſium & extruſo adverſario ejus Girando (76) de Caſtellis principe adverſæ partis, dominio ejus urbis potitus eſt, tyrannus æquiſſimus & tolerabilis ſatis. Tunc in Romaniola & Lombardia magna boum interitio. Anno Chriſti MCCLXXXIV. Karulus princeps, filius Karuli Regis Siciliæ à Siculis captus eſt cum claſſe ſua apud portum Neapolis, cum eo capta eſt magna Procerum multitudo & adducti in Siciliam. Servato ipſo Karulo cum aliis novem, quos elegit arbitrio, reliqui Proceres numero CC. & ultra gladio cæſi ſunt in vindictam Conradi Regis. (77) Multitudo plebeja claſſe cum eo capta malè perdita eſt. Eo anno Venetus aquarum magna inundatio, naves per plateas ductæ, inde damna multa.

Anno Chriſti MCCLXXXV. Rex Franciæ in Arragoniam duxit exercitum, & urbem Girundam vi cepit, fame tandem & lue muſcarum quaſi defecit exercitus. Ipſe Rex Franciæ in caſtris morbo periit. Poſt modicum moritur Petrus Rex Arragonum parvo vulnere, quod in prœlio habuit. Anno ſequente menſe Januario, Rex Karulus morbo periit in regno ejus. Ajunt, quòd mœrore rerum adverſarum ſibi ingruentium apocopata ſit vita ejus; nam princeps Karuli (78) primogenitus ejus captus ab hoſtibus tenebatur, theſauri & pecunia ejus in belli ſumptus exhauſti, CC. nobiles capti cum filio in vindictam necis Conradi Regis, quem occiderat ipſe, gladio diſſecti nunciati erant. Menſe Martio ſequente moritur Papa Martinus domitor Forlivii, cui ſucceſſit Honorius Quartus, qui tribus annis Papatu eſt functus. Anno Chr. MCCLXXXVIII. Nicolaus Quartus in Papam eligitur, genere Eſculanus, Ordine Minorum, cùm jam diu Cardinalatu functus fuiſſet. Eo anno menſe Decembri

(72) *Cod. Eſtenſ.* Antonia mulier &c.
(73) *Cod. Eſtenſ.* In hoc prœlio ceciderunt fortiſſimi bellatores. Ipſe Johannes Comes &c.
(74) *Cod. Eſtenſ.* Ipſo Anno MCCLXXXII. Siculi &c.
(75) *Cod. Eſtenſ.* Johanne de Appia &c.
(76) *Cod. Eſtenſ.* Girardo de Caſtellis &c.
(77) *Cod. Eſtenſ.* quondam Conradi Regis &c.
(78) *Cod. Eſtenſ.* Nam Princeps Karolus primogenitus &c.

bri Obizo eligitur Mutinæ dominus. Anno ſequenti Aretini apud Bibena (79) à Florentinis ſuperantur prœlio, ubi fortiſſimi viri perierunt, & Epiſcopus Aretinus ibi armatus occubuit. Anno Chriſti MCCXC. civitas Syriæ Tripolis à Sarracenis ſubvertitur, Chriſtianis, qui ibi erant, cunctis peremtis. Eo anno Marchio Montisferrati ab Alexandrinis dolo capitur, & truſus carcere ibi veneno periit. Stephanus quoque de Divazano (80) Romanus, Comes Romaniolæ pro Eccleſia, Ravennæ captus eſt ab Euſteraſio (81) & Lamberto filiis Guidonis de Polenta, tunc Poteſtatis Florentiæ; ſervatus eſt in carcere ibi diu, donec habita juſſione & remiſſione ab Apoſtolica Sede relaxatus (82).

De ſubverſione Acon.

ANno Chriſti MCCXCI. Civitas Acon à Sarracenis funditus eſt ſubverſa, bello pertinaci jam victa, quam urbem infinita Barbarorum manus diebus XLII. ſagittis & machinis impugnavit, Anno MCCXCII. Paduani apud flumen Aticen Caſtellum Baldum condiderunt. Anno Chriſti MCCXCIII. Obizo Eſtenſis Marchio Ferrariæ moritur menſe Februarii, poſtquam dominium tenuerat ann. XXIX. Anno Chriſti MCCCIV. (83) Paduani bellum moverunt Azoni Marchioni filio Obizonis, & pace facta obtinuerunt pagum Abbatiam & tertiam portionem Lendenariæ jure ſibi ceſſo ab Aldrovandino filio tertio ipſius Obizonis Marchionis. Eo anno Cœleſtinus, vir anachorita, Papa eligitur, qui anno ſequente, circa quadrageſimam, ut liberius Deo vacaret, Papatu ſe abdicavit. In cujus locum eligitur Bonifacius VIII. qui hodie ſedet.

Adulphus Rex Alamanniæ eligitur, qui hodie regnat.

ANno Chriſti MCCXCV. Adulphus Comes, Alamannus genere, Rex Alamanniæ & Imperator eligitur, qui hodie regnat. Hoc anno morbo defecit Bononiæ magiſter Thadeus, Medicorum magiſter peritiſſimus, Thuſcus natione,

(79) *Cod. Eſtenſ.* apud Bibenam &c.
(80) *Cod. Eſtenſ.* de Dinazano &c.
(81) *Cod. Eſtenſ.* ab Euſtaſio &c.
(82) *Cod. Eſtenſ.* Sede relaxatus eſt.
(83) *Cod. Eſtenſ.* A. C. MCCXCIV.
(84) *Cod. Eſtenſ.* Cuvriacum &c.
(85) *Cod. Eſtenſ.* Imolam occupavit &c. Mox ipſam Bononiam bello &c.

A & apud locum Minorum conditus eſt ſepulchro. Anno MCCXCVI. Marchio Azzo expulſis Parma viris ſuæ partis, qui caſtellum Ciuriacum (84) habebant, ipſos Parmenſes bello aggreſſus eſt, præſtantibus Bononienſibus opem Parmenſibus ſibi confœderatis: ipſe Marchio confœderatur Nobilibus Romaniolæ, qui præerant Faventiæ, Forlivii, & Ceſenæ, & eorum ope Imolam occupant, (85) ubi erat præſidium Bononienſium. Mox ipſos Bononienſes bello aggreſſus eſt, & Baſſanum (86) caſtellum quondam dirutum reſtauravit, quod eo anno Bononienſes obſidione in deditionem receperunt, abeuntibus cum equis & armis obſeſſis. Hoc tempore Guido Comes de Monteferetro, Dux bellorum ſtrenuus, quondam contra Bononienſes Forlivienſibus ductor belli, & Piſanorum poſt clades reparatorum (87),
B depoſitis honoribus ſæculi, Minorum Ordinem ingreſſus eſt, ubi hodie militat in caſtris Francisci. Anno Chriſti MCCXCVII. magna Romæ ſeditio inter Bonifacium Papam & duos Cardinalium de Columna, quibus mandavit, ut pileos deponerent Cardinalatus inſignia. Eos quoque, cùm non parêrent, ac ceteros Clericos illius generis uſque in quartam generationem privavit eccleſiaſticis beneficiis & honore; Palatia quoque eorum dirui fecit in Urbe; Caſtella eorum impugnari fecit, & quæ vinci non potuerunt, perpeſſa ſunt populationem agrorum, hinc cædes in urbe & prœlia. Nepam & Columnam poſtea obſidione ſubactas duces belli in deditionem receperunt (88). Hoc anno operâ ejus Bonifacii facta eſt pax inter Karulum Secundum Regem, & Regem Arragonum triplici nodo affinitatis hinc inde firmato.

C MCCXCVIII. Bonifacius Papa ſextum librum Decretalium edidit, quo multa utilia ſunt congeſta.

Oppidum Columna diu obſeſſum muris ſubfoſſis in deditionem habitum; liberatis obſeſſis, oppidum eſt ſubverſum.

Hoc anno quarto die Julii Bonifacius Papa Karulum fratrem Philippi Regis Franciæ & filium alterius Philippi elegit & confirmavit dominum & Rectorem Romaniolæ, Marchiæ Anconæ, Ducatus Spoletani & Patrimonii Sancti Petri.

(86) *Cod. Eſtenſ.* Bazanum caſtellum &c.
(87) *Cod. Eſtenſ.* poſt clades reparator &c.
(88) *Cod. Eſtenſ.* receperunt. Eodem Anno Paduani ſalinas habere incipiunt. Bonifacius Papa canonizavit Ludovicum Regem Franciæ, qui interierat apud Carthaginem. Hoc Anno opera &c.

Explicit Hiſtoria Imperatorum Romano-Germanicorum.

Digitized by Google

RICOBALDI FERRARIENSIS HISTORIA PONTIFICUM ROMANORUM.

INCIPIT HISTORIA EPISCOPORUM URBIS ROMÆ

Succeſſorum Petri Apoſtoli Vicarii Chriſti anno XLV.

PEtrus, Apoſtolus, Johannis filius, Provinciæ Galileæ de vico Bethſaidæ in urbe Roma primus Epiſcopus fuit, ubi ſedit annis XXV. menſibus VII. & diebus VIII. temporibus Claudii & Neronis Imperatorum; Coronatus eſt, ad martyrium (1) per crucem à Nerone anno Imperii ejus XIV. ætatis ejus anno LXX. & Romæ quieſcit. Dum vivebat Eccleſiam Lino commendavit & Cleto, quos Epiſcopos ordinavit. Ipſe verò prædicationi Verbi vacabat. In morte Cathedram commiſit Clementi. Hic ſcripſit duas Epiſtolas, quæ Canonicæ nominantur, & Marcum filium ſuum probatiſſimum & auditorem de Evangelio inſtruxit. Ordinavit quoque Epiſcopos quinque, Presbyteros decem, & Diaconos ſeptem.

Anno Chriſti LXX.

LInus, natione Thuſcus, Eſculano, ſedit annis XI. vel IX. menſibus III. diebus XIII. Imperantibus Galba, mox Veſpaſiano & poſt Tito. Hic ex præcepto B. Petri conſtituit, ut mulieres Eccleſiam intrarent capite velato. Coronatus eſt Martyrio nono Kalendas Octobris & quieſcit in Vaticano juxta Corpus B. Petri. Dicunt quidam, qui diligentiùs perſcrutati ſunt verum, quòd Linus & Cletus non ſederunt Pontifices, ſed ut Summi Pontificis coadjutores, quibus credidit in vita ſua B. Petrus * unam Eccleſiarum credidit & rerum diſpenſationem. Ipſe verò tamen (2) orationi & prædicationi vacabat. Imò propter tantam auctoritatem meruerunt in Catalogo poni Pontificum. Clementem verò ipſe B. Petrus ſibi ſucceſſorem conſtituit.

Anno Chriſti LXXXI.

CLetus, natione Romanus Vico Patricio, ſedit annis XII. menſibus I. diebus XI. Hic præcepto B. Petri XXI. Presbyteros ordinavit Romæ: ſepultus eſt autem juxta Beatum Petrum VI. Kalendas Maji, & ceſſavit mox Epiſcopatus diebus XXXV. Hic Pontifex populis ſcribens approbat & commendat peregrinationes ad Sanctos, maximè ad limina Beatorum Petri & Pauli, addens, quòd validior ad ſalutem eſt Sancti Petri viſitatio, quàm duorum annorum jejunium.

Anno Chriſti LXXXX.

CLemens, natione Romanus, monte Celio, ſedit annis IX. menſ. II. dieb. X. imperantibus Domitiano, mox Nerva. Hic, quamvis à Petro eſſet electus, tamen coegit Linum & Cletum ante ſe pontificari primus poſt Petrum per electionem, per gradum verò tertius. Unde ipſe ad Beatum Jacobum epiſtolam Jeruſalem ſcribens dixit: „ Symon Petrus tempore, „ quo vitæ ſuæ finem imminere ſenſit, in conventu Fratrum poſitus, apprehenſa manu mea „ ſic dixit: *Fratres hunc Clementem Epiſcopum Urbis ordino, qui ab initio uſque in finem comes in omnibus mihi fuit*. Cùmque „ ego ad pedes ejus procidens declamarem honorem cathedræ, reſpondit: *Tu peccati periculum timens fugis cathedram; certus eſto, quòd ampliùs peccas, qui populum Dei juvare cùm poſſis, velut in fluctibus poſitum ſubterfugis; Tui tantummodo conſiderationem habens, & non quod in commune expedit, providens*. „ Hujus corpus circa Cerſonara, (3) ubi relegatus fuerat exilio, in mare Ponticum diu projectum jacuit: Tempore autem primi Nicolai Papæ Beatus Cyrillus Epiſcopus illud corpus Romam tranſtulit, & in Eccleſiam S. Clementis per Papam & populum Romanum honorificè conditum eſt, ubi & Beatus Cyrillus tumulatus eſt. Hic Clemens conſtituit, ut Cathedra Epiſcopalis in eminentiori loco ſtatui debeat, ut in ea ſtans Epiſcopus omnes poſſit conſpicere, & ab omnibus circumſpici.

Anno Chriſti LXXXXIX.

ANacletus, natione Græcus Athenienſis, ſedit annis IX. menſ. II. diebus X. & ceſſavit diebus III. imperante Trajano. Hic conſtituit, ut Clerus nec comam nutriret nec barbam, & per Epiſtolam monuit omnes Fideles, ut Presbyteri præ ceteris honorentur, dicens: quòd Deo ſacrificantes non debent vexari, ſed portari atque ab omnibus venerari, & quòd Presbyteri, quatenus ſacrificant (4) teſtes ſecum habeant, maximè Epiſcopi, ut Domini ſacrificare perfectè probentur. Hic compoſuit vitam Beati Petri, & juxta eum ſepultus eſt.

Anno

(1) *Cod. Eſtenſ.* coronâtus eſt autem martyrio.
(2) *Cod. Eſtenſ.* ipſe verò tantum.
(3) *Cod. Eſtenſ.* circa Cerſonam &c.

(4) *Cod. Eſtenſ.* quando ſacrificant, teſtes ſecum habeant, maximè Epiſcopi, ut Domino &c.

Anno Chriſti CVIII.

EVariſtus, natione Græcus, patre Judæo, nomine Juda de civitate Bethelem ſedit annis IX. menſibus II. diebus V. & ceſſavit Epiſcopatus dies XVIII. imperante Trajano & poſt Adriano. Hic titulos Romæ diviſit, & ſeptem Diaconos ordinavit, qui cuſtodirent prædicantem propter ſtylum veritatis, & conſtituit, ut conjugium publicè præſentibus parentibus fiat, & quòd benedictionem à Sacerdote recipiant. Coronatus Martyrio apud B. Petrum quieſcit.

Anno Chriſti CXIX.

ALexander Primus, natione Romanus, regione Capuanus, ſedit annos X. menſes VII. & ceſſavit diebus VII. imperante Ælio Adriano. Hic conſtituit aquam cum ſale benedici & per domos aſpergi. Hic addidit in Miſſa, *qui pridie quàm pateretur*, uſque ad *Hoc eſt corpus meum*. Hic & conſtituit hoſtiam modicam ex azymo fieri.

Anno Chriſti CXXVII.

SIxtus, natione Romanus, de regione Vialata, ſedit annos X. menſes II. diem I. & ceſſat II. imperante Adriano & mox Antonino. Hic conſtituit dici in Miſſa: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, Deus Sabaoth*; & conſtituit, ut miniſteria ſacrata non tangantur, niſi à miniſtris, & ut mulier vaſa altaris & pallia non tangat; & ut corporale non fiat ex ſerico, ſed ex lino mundiſſimo non tincto, & quòd quicunque Epiſcopus vocatus eſſet ad Sedem Apoſtolicam non reciperetur rediens (5) cum literis Papalibus. Decollatus extra portam Appiam, ubi Dominus apparuit Petro, quatenus quondam dixit: (6) *Domine quò vadis*. Ejus corpus juxta Beatum Petrum quieſcit.

Anno Chriſti CXL.

TEleſphorus, natione Græcus, ſedit an. XI. menſ. III. dies XXII. & ceſſavit diebus VII. imperante Antonino. Hic conſtituit jejunium XL. dierum ante Paſcha & in Natali Domini tres Miſſas dici ſecundùm morem præſentem, & Miſſam celebrari ante tertiam, & in Miſſa dici hymnum ſcilicet: *Gloria in excelſis Deo &c.* Coronatus Martyrio juxta Beatum Petrum quieſcit.

Anno Chriſti CLI.

HYginus Athenienſis ſedit annos IV. menſes III. dies VI. & ceſſat dies III. imperante Antonino. Hic conſtituit, ut Patrinus vel Patrina ſuſcipiat levatum à fonte Baptiſmatis vel in Confirmatione, vel cathecizatione (7) Clerum oppoſuit & diſtribuit gradus. Martyr apud B. Petrum quieſcit.

Anno Chriſti CLV.

PIus, natione Italicus, urbe Aquilegia, ſedit annos XIX. (8) & ceſſat dies XIV. imperante Antonio. Hic ſanxit, ut Paſcha Domini die Dominico celebretur. Nam aliquibus ſuper hoc dubitantibus Angelus habitu paſtorali apparuit Beato Hermeti, dicens ut dies Paſchæ celebretur Dominico die, quod ipſi Epiſcopo
A Urbis nuntiavit. Conſtituit etiam ut hæreticus Judæus ſuſcipiatur, & baptizetur. Hoc tempore fuerunt duæ virgines Potentiana, & Praxedis. Hermes etiam tunc librum edidit Paſtoralem. Jacet apud Beatum Petrum idem Pius.

Anno Chriſti CLXVI.

ANicetus, natione Syrus, ſedit annos XI. menſes IV. dies III. imperante Antonino & poſt Lucio Commodo. Hic conſtituit, ut Clerici coronas portent in modum ſphærulæ: ut Epiſcopus non ſacretur, (9) niſi tres Epiſcopi affuerint, & quòd, quando Archiepiſcopus conſecratur omnes Epiſcopi Provinciales ibi adſint, ſicut omnes ei obedire tenentur. Appiâ viâ
B Cœmiterio Caliſti quieſcit.

Anno Chriſti CLXXVI.

SOther, natione Campanus, ſedit an. IX. menſ. III. diebus XXI. & ceſſat dies XXII. imperante Marco Antonino cum fratre ſuo Lucio Commodo. Hic conſtituit, ut nulla Monaca pallia ſacrata tangeret, nec incenſum in Eccleſia poneret, & ut velum portarent, & ut uxor non habeatur legitima, niſi fuerit à Sacerdote benedicta, & à parentibus ſolenniter tradita, & à Paranymphis etiam cuſtodita. Viâ Appiâ jacet Cœmiterio Caliſti.

Anno Chriſti CLXXXV.

C ELeutherius, natione Græcus, oppido Nicopolis, ſedit an. XV. menſ. III. dies II. & ceſſat VI. dies, imperante Commodo & poſt Ælio Pertinace & Severo. Hic conſtituit, ut nulla eſca uſuralis (10) Romanis & humana à Chriſtianis repudiaretur, & Lucium Regem Britanniæ Chriſtianum fieri fecit. Coronatus Martyrio juxta Beatum Petrum quieſcit.

Anno Chriſti CC.

VIctor, natione Afer, ſedit annis X. menſ. II. diebus X. & ceſſat dies XII. imperante Pertinace Severo. Hic Concilium habuit in Alexandria Palæſtinæ, ubi fuit Narciſus Patriarcha Jeruſalem, & Theophilus Epiſcopus Cæſa-
D reæ, & ibi firmatum eſt Paſcha debere celebrari die Dominico (11). Anno XIII. Lunâ Martii uſque ad XXII. Aprilis, & conſtituit poſſe baptizari flumine, mari, vel fonte ob neceſſitatem. Juxta Beatum Petrum jacet.

Anno Chriſti CCX.

ZEferinus, natione Romanus, ſedit an. IX. menſ. VI. diebus X. imperante Severo, & poſt Antonino Caracalla. Hic conſtituit, ut in præſentia omnium Clericorum & Laicorum Fidelium quilibet annorum XII. vel plurium Euchariſtiam die Paſchæ accipiant, & quòd omnia vaſa altaris eſſent vitrea, vel ſtagnea. Sepultus Cœmeterio Caliſti.

E

Anno Chriſti CCXX.

CAliſtus, natione Romanus, ſedit annis VI. menſ. II. diebus X. imperante Macrino, & poſt Antonino & Alexandro. Hic conſtituit jejunia quatuor temporum, & fecit Baſilicam Sanctæ Mariæ trans Tyberim. Sepultus viâ Aureliâ III. ab urbe milliario.

Anno

---

(5) *Cod. Eſtenſ.* non reciperetur rediens niſi cum &c.
(6) *Cod. Eſtenſ.* Petro, quando dixit &c.
(7) *Cod. Eſtenſ.* catechizatione, Clerum compoſuit, & diſtribuit gradus martyrio &c.
(8) *Cod. Eſtenſ.* annis XIX. menſibus IV. diebus III. vel XXI. & ceſſavit dies XIV. imperante Antonino.
(9) *Cod. Eſtenſ.* & ut Epiſcopus non ſacretur, niſi tres Epiſcopi affuerint &c.
(10) *Cod. Eſtenſ.* ut nulla eſca uſualis &c.
(11) *Cod. Eſtenſ.* die Dominico a decima quarta Luna Martii &c.

Anno Chriſti CCXXVII.

URbanus natione Romanus ſedit a. IIII. menſ. X. dies XI. & ceſſavit diebus XXX. imperante Alexandro. Hic conſtituit vaſa Altaris eſſe debere aurea vel argentea, vel ſaltim ſtannea. (12) Hic multos nobiles ad Fidem convertit, inter quos Valerium ſponſum beatæ Ciciliæ, quos etiam ad martyrium perduxit. Viâ Appiâ cœmiterio Prætextati quieſcit.

Anno Chriſti CCXXXV.

POntianus natione Romanus ſedit ann. IX. menſ. V. dies II. & ceſſavit diebus X. imperante Maximino & poſt Gordiano. Hic in Sardinia exulavit, mox martyrio coronatus Cœmiterio Calliſti.

Anno Chriſti CCXL.

QUidam ſcribit de Ordine Prædicatorum, quòd Cyriacus Papa ſucceſſit Pontiano, & ſedit an. I. hebdomad. XI. mox renuntians officio cum beata Urſolina & XI. millibus virginibus coronatus eſt martyrio.

Anno Chriſti CCXL.

ANteros natione Græcus ſedit an. XII. vel III. menſ. I. dies XII. imperante Maximino. Hic geſta Martyrum ſecit colligi per Notarios, & in Eccleſia recondi. Conſtituit etiam ut Epiſcopus ad aliam ſedem poſſet transferri. Martyrio obiit, & jacet Calliſti cœmiterio.

Anno Chriſti CCXLIII.

FAbianus natione Romanus ſedit annos XIIII. menſ. XI. dies XI. & ceſſat dies VII. imperante Gordiano & poſt Philippo cum filio ſuo Philippo. Hic conſtituit ſanctum Chriſma fieri ab Epiſcopo ſancto die Cœnæ Domini. Regiones diviſit Diaconorum, & per Notarios etiam geſta Martyrum invênit. Iſte cùm, Papa defuncto, inter Epiſcopos loqueretur de Epiſcopi Urbis electione, ſubitò columba candida ſuper caput ejus deſcendit de Cœlo dicens: Romæ ordinabis Clericos. (13) Laodabiliter gubernavit; poſt vitam laudabilem mox pro Fide à Decio decollatur, Cœmiterioque Calliſti quieſcit.

Anno Chriſti CCLVII.

COrnelius natione Romanus ſedit ann. III. menſ. II. dies X. imperante Decio. Hic conſtituit, ut Sacerdos, ſi vellet, pro certa cauſa poſſit jurare. Hic corpora Apoſtolorum de Catacumbis levavit, Paulum poſuit via Hoſtienſi Perſecutio VII. ubi decollatus eſt. Petrum verò juxta locum, ubi fuit crucifixus, inter corpora Sanctorum Epiſcoporum, in templum Apollinis, in monte aureo, in Vaticano, Palatio Neroniano. B. Agatha ſub Decio martyr facta eſt.

Anno Chriſti CCLX.

LUcius natione Romanus ſedit an. III. menſ. III. imperante Gallo cum Voluſiano. Hic conſtituit, ut duo Presbyteri, & tres Diaconi ſemper ſint cum Epiſcopo omni loco propter teſtimonium Eccleſiaſticum. Martyrio coronatur tempore Valerii, capitis truncatione.

Anno Chriſti CCLXIII.

STephanus Primus natione Romanus ſedit annos VI. menſ. VII. dies II. imperante Valeriano cum Gallieno. Hic conſtituit Sacerdotes, & Levitas non uti veſtimentis ſacerdotalibus, ad uſus communes; Decollatione martyr factus eſt, & ſub Valetiano Cœmiterio Calliſti quieſcit.

Anno Chriſti CCLXVIII.

SIſtus II. natione Græcus ſedit an. II. menſes XI. dies VI. & ceſſavit dies XXII. Hic conſtituit Miſſam celebrari ſuper altare. Hic cum Feliciſſimo, & Agapito Decio præſentati capite ſunt puniti, quos B. Laurentius, & Hypolitus, & alii ſunt ſecuti. Cœmiterio Calliſti jacet.

Anno Chriſti CCLXX.

DIonyſius ex Monacho ſedit an. II. menſ. II. & ceſſavit dies VIII. imperante Valeriano. Hic ordinavit & diviſit Cœmiteria & Parochias Sacerdotibus & Levitis, & terminos Parochiis poſuit, & quòd quilibet eſſet contentus ſua Parochia. Martyr cum aliis jacet.

Anno Chriſti CCLXXII.

FElix natione Romanus ſedit an. IV. menſes III. dies XXV. Hic conſtituit Miſſam cantari ſuper memoriam Martyrum. Jacet martyr Eccleſia, (14) quam fecerat, viâ Aureliâ ferè milliario ab Urbe.

Anno Chriſti CCLXXV.

EUticianus natione Tuſcus ſedit an. I. menſ. I. diem I. Hic conſtituit uvas & fruges benedici ſuper altare: ſuis manibus ſepelivit Martyres CCCXLII. Conſtituit, ut nullus Martyrem ſepeliret abſque dalmatica vel collobio. Martyr coronatus quieſcit viâ Appiâ Cœmiterio Calliſti: paſſus VIII. Kalendas Auguſti.

Anno Chriſti CCLXXVII.

GAjus natione Dalmata ex genere Diocliani, ſedit an. XI. menſ. IV. dies VIII. & ceſſavit dies XI. imperante Probo, mox Floriano, deinde Caro cum Carino filio, poſt Diocletiano & Maximiniano. Hic conſtituit, ut gradatim Clericus per ordines aſcendat; & ut nemo Epiſcopum aut Clericum accuſet ápud Judices ſeculares. Sub Diocletiano martyr jacet Cœmiterio Calliſti.

Anno Chriſti CCLXXXVIII.

MArcellinus natione Romanus ſedit an. IX. menſ. II. dies VI. & ceſſavit Epiſcopatus an. VII. menſ. VI. dies XXV. imperante Diocletiano & Maximiniano. Hic compulſus à Diocletiano incenſum diis poſuit idolis. Mox Synodo facta in Campania pœnituit coram Epiſco-

(12) *Cod. Eſtenſ.* Hic poſitus fuit in exilio Sardiniæ. Hic multos &c.

(13) *Cod. Eſtenſ.* Romæ Epiſcopus ordinaberis. Clericos laudabiliter &c.

(14) *Cod. Eſtenſ.* Jacet Martyr in Eccleſia.

ſcopis CLXXX. cinere caput aſperſus pœnitentiam poſtulavit pro errato, dicens ſe obediturum quicquid mandaretur. Illi reſponſum eſt: abſit, ut Summus Pontifex ab aliquo judicetur: Negaſti tu, negavit & Petrus tuus Magiſter, & quis Apoſtolorum auſus eſt eum judicare? Sed egreſſus flevit amarè; tu ergo in te ipſo corrige cauſam tuam, & ore proprio te ipſum judica. Ad hæc Marcellinus ob ſcelus, inquit, Idololatriæ me judico deponendum, & anathematizo etiam quicumque corpus meum tradiderit ſepulturæ, & flens dixit: Heu me avarum aurum corrupit, & non poſſum Sacerdotio fungi. Sicque pergens ad Diocletianum confitens ſe Chriſtianum eſſe, capitalem cum Claudio & Quirino accepit ſententiam. Et iratus Diocletianus præcepit illius corpus non ſepeliri in metum Chriſtianorum. Cùmque illius corpus per dies XXX. inhumatum ſtetiſſet, nocte apparuit Petrus Apoſtolus Marcello, qui illi ſucceſſit, qui dixit illi: Marcelle, quare corpus meum inhumatum non ſepelis? Ego Petrus ſum; & dedit intelligere, quòd de Marcellini corpore diceretur, & addidit: Nonne legiſti, quod qui ſe humiliat, exaltabitur? multum ſe humiliavit, qui ſe indignum ſepultura judicavit; Vade igitur & ſepeli eum juxta me, ut quos juſtificavit gratia, non dividat ſepultura. Hoc tempore paſſus eſt apud Valentiam in Hiſpania Beatus Vincentius Levita.

Anno Chriſti CCC.

MArcellus natione Romanus regione Via-lata, ſedit an. VI. menſ. VIII. dies XXV. & ceſſavit dies XV. imperante Diocletiano cum Maximiniano, & poſt Gallerio. Hic conſtituit in Urbe Cardinalatus XV. vel XXV. propter hominum ſepulturam & Baptiſmum tempore Maxentii. Paſſus eſt via Salaria.

Anno Chriſti CCCVII.

EUſebius natione Græcus ex Medico. Sedit an. II. menſ. II. dies XXV. imperante Conſtantino. Hujus tempore inventa eſt Sancta Crux. Immo ipſe inſtituit inventionem Crucis celebrari. Cœmiterio Calliſti quieſcit.

Anno Chriſti CCCXIX.

MElchiades natione Afer ſedit an. IV. menſes II. imperante Conſtantino. Hic conſtituit, ut nulla ratione die Dominico vel Jovis jejunium ageretur, quòd Pagani eos dies quaſi ſacrum jejunium celebrant.

Anno Chriſti CCCXXIII.

SIlveſter natione Romanus ſedit ann. XXIII. menſes X. dies II. & ceſſavit diebus XII. tempore Conſtantini. Hic in Nicea Bithiniæ congregavit Concilium. Ibi expoſita eſt Fides Catholica, & multa ſunt acta decreta. Hic conſtituit, ut nullus Laicus crimen Clerico inferre audeat, & ut Chriſma ſanctum tantùm ab Epiſcopo conficiatur, & ut Diaconus Dalmatica utens in Eccleſia linea pallia læva contegant; nec Clericus qualibet cauſa in Curia juret, nec ante Judicem cinctum cauſam diceret, niſi in Eccleſia, & ut Sacrificium Altaris non in ſerico nec panno tincto, ſed lineo terreno celebrari, ſicut Corpus Domini in Syndone munda ſepultum eſt. Hic baptizavit Conſtantinum Imperatorem; In Dei virtute à lepra mundavit. Hoc tempore Conſtantinus via Tyburtina ædificavit B. Laurentio Baſilicam in agro Verano, & hoc tempore multi ad Fidem converſi, unde libertas data eſt Eccleſiæ. Cœmiterio Priſcillæ ſepultus fuit, cujus corpus nunc Monaſterio Nonantulæ eſt conditum.

Anno Chriſti CCCXLVII.

MArcus natione Romanus ſedit an. II. menſes VII. dies XXI. & ceſſavit dies XX. imperante Conſtantio & fratribus. Hic conſtituit, ut Epiſcopus Hoſtienſis, qui Romanum Pontificem conſecrat, pallio uteretur, & ut Symbolum in Miſſa alta voce cantaretur. Via ardeatina in Eccleſia, quam fecit, ſepultus eſt.

Anno Chriſti CCCXLIX.

JUlius natione Romanus ſedit annos XV. menſes II. dies VIII. & ceſſavit VIII. diebus imperante Conſtantio & fratribus. Hujus tempore celebrata eſt ſacra Synodus apud Niceam Epiſcoporum CCCXVIII. qua damnata eſt hæreſis Arriani, qui aſſerebat Filium minorem Patre. (15) His temporibus fuerunt B. Nicolaus Epiſcopus, Euſebius Epiſcopus, S. Hilarius Pictavienſis. B. Epiphanius & Griſogonus, Coſmus & Damianus gemelli florent, Julius Papa viâ Aureliâ Cœmiterio Calopodii jacet.

Anno Chriſti CCCLXIV.

LIberius natione Romanus ſedit annos VI. menſes III. dies IV. & ceſſavit dieb. XXV. imperante Conſtantio. Hic conſtituit conjugium benedici à Sacerdote. Qui in exilium miſſus eſt à Conſtantio, quia hæreſi Arrianæ noluit conſentire. Clerus Romanus de conſilio Liberii ordinaverunt Felicem in Papam venerabilem Presbyterum, quo celebrante Concilium invênit intereſſe duos Presbyteros Arriana lue infectos, & familiares Conſtantii Imperatoris, ſcilicet Urſatium & Valentem, quos de Concilio XLVIII. Epiſcoporum ejecit. Illi contra Felicem excitati operam dederunt cum Conſtantio, ut Liberius magis eis conſentaneus de exilio revocaretur. Liberius verò Imperatori conſentiens revocatus eſt. Imperator convocato Concilio cum Urſatio & Valente Felicem Catholicum de Papatu deponunt. Liberium verò Arrianis aſſentientem in Papatum reſtituunt, qui poſt Felicem Papatum tenuit annis quinque. Clerici multi Liberio contrarii paſſi ſunt martyrium, præſertim Euſebius, qui Liberium Arrianum dicebat; Liberius ſepultus eſt Cœmiterio Priſcillæ.

Anno Chriſti CCCLXX.

FElix Secundus natione Romanus ſedit an. I. menſes III. dies II. imperante Conſtantio. (16) Hic declaravit Conſtantium eſſe hæreticum Arrianum, & ſecundò rebaptizatum ab Euſebio Nicomediæ Epiſcopo, propterea quod de Papatu ejectus capitis truncatione martyrio coronatus eſt, & via Aurelia eſt ſepultus in Eccleſia, quam Presbyter conſtruxerat.

Anno

(15) *Cod. Eſtenſ.* minorem Patre. Hic conſtituit, ut nullus Clericus ageret cauſam in publico in Eccleſia. His &c.

(16) *Cod. Eſtenſ.* Conſtantio. Hic conſtituit, ut ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, ad Concilium vocatus venire debeat. Hic declaravit &c.

Anno Chriſti CCCLXXI.

DAmaſus Hiſpanus natione ſedit annos XVIII. menſes III. dies XI. & ceſſavit XXXI. diebus imperante Juliano Apoſtata, poſt Joviano, poſt Valentiniano, poſt Valente ejus fratre, ultimò Gratiano, & Valentiniaho Secundo, & Theodoſio Primo. Hoc tempore B. Ambroſius Epiſcopus Mediolani ordinatur. Florent etiam tunc Baſilius Cæſarienſis; Gregorius Nazianzenus; B. Martinus. Hieronymus correxit Pſalterium LXX. Interpretum, quod in omnibus Eccleſiis cantabatur. Damaſus Papa rogatu Beati Hieronymi inſtituit, ut in fine Pſalmorum di-
B ceretur in Eccleſia: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Viâ Ardeatinâ quieſcit cum matre & germanis in Eccleſia, quam fecit. Alii ſcripſerunt, quòd jacet in Eccleſia Sancti Petri. Urſinus Diaconus in tantam prorupit audaciam, ut contra Damaſum ſe Urbis Epiſcopum faceret. Inde orta ſeditione magnæ cædes factæ ſunt in Urbe & Eccleſiis.

Anno Chriſti CCCLXXXIX.

SIricius natione Romanus ſedit ann. XV. menſ. XI. dies XXV. & ceſſavit diebus XX. imperante Theodoſio cum Honorio. Hic ſecundam Synodum congregavit apud Conſtantino-
C polim CCCL. Epiſcoporum. Hic conſtituit Manichæum (17) ad Eccleſiam non debere communicari, niſi in morte, & hæreticum per manus impoſitionem recipi, præſente cuncta Eccleſia. Jacet Cœmiterio Priſcillæ. Hoc tempore B. Hieronymus tranſtulit Bibliam de Hebræo in Latinum. Tunc Ruffinus Presbyter Aquilegenſis agnoſcitur. In Caſtello Emaus nati ſunt duo pueri uno corpore infra umbilicum, quorum uno dormiente alter comedebat, qui annis duobus vixerunt, & triduo alter alteri præmortuus eſt.

Anno Chriſti CCCCIV.

D ANaſtaſius natione Romanus ſedit ann. III. dies X. imperantibus Archadio & Honorio. Hic conſtituit hominem membro carentem non fieri Clericum, & nullum Clericum ad ſuperiores Ordines promoveri, niſi de licentia ſui Epiſcopi; & quotiens Evangelium recitatur, Sacerdotes non ſedere ſed ſtare, Romæ ſepultus.

Anno Chriſti CCCCVI.

INnocentius Primus natione Albanus ſedit annis XV. menſ. II. diebus XII. imperante Archadio cum Honorio, & mox Theodoſio ſecundo. Hic conſtituit natum de Chriſtiano renaſci Baptiſmate, & jejunium Sabbatho, quia
E Dominus poſitus erat Sepulchro & jejunaverunt Diſcipuli; & quòd homo carem membro aliquo non poſſit Clericus fieri. Hic conſtituit Oleo conſecrato uti ad infirmorum (18) non tantùm Presbyteris ſed & aliis Chriſtianis. Hoc tempore B. Alexius vixit in carne.

Anno Chriſti CCCCXXI.

ZOſimus natione Græcus ſedit ann. I. menſ. IX. & ceſſavit dies XXVI. imperantibus
A Honorio & Theodoſio Archadii filio. Hic conſtituit Cereum benedici in Paſcha per Parochias; & Diaconos lævam tectam habere de palliis linoſtinis, & Clericum in publico non uti poculo, & quòd nullus ſervus ullo modo Clericus fiat.

Anno Chriſti CCCCXXIII.

BOniſacius Primus natione Romanus ſedit annos III. menſ. VIII. dies VII. imperante Honorio & Theodoſio, poſt cum Valentiniano genero ſuo. Hic conſtituit, ut nulla Monacha vel Mulier pallia ſacrata tangeret, nec ſervum fieri Clericum, vel obnoxium Curiæ, vel cuilibet
B rei.

Anno Chriſti CCCCXXVII.

COEleſtinus Primus natione Romanus ſedit annis IX. menſ. X. diebus XVII. & ceſſavit diebus XXI. imperantibus Theodoſio II. & Valentiniano tertio genero ſuo, jacet Cœmiterio Priſcillæ. Hic conſtituit, ut Pſalmi David ante Sacrificium cantarentur, & Antiphonarium ex Pſalmis, quod antea non fiebat; ſed legebantur tantùm Epiſtolæ Pauli & Evangelium. Hic miſit S. Patricium filium Chotes ſororis S. Martini Turonenſis in Hiberniam, & omnes ad Fidem convertit.

C

Anno Chriſti CCCCXXXVI.

SIſtus Tertius natione Romanus ſedit ann. IX. dies XXVIII. & ceſſavit dies XXII. imperante Theodoſio II. Jacet juxta corpus B. Laurentii. Hic conſtituit, ut nullus Clericus in alterius Parochia ordinari præſumat.

Anno Chriſti CCCCXLV.

LEo Primus natione Thuſcus ſedit an. XXII. menſe I. diebus XVII. imperante Theodoſio & Valentiniano, & poſt Martiano. Jacet Eccleſiâ B. Petri. Hic tertiam Sacram Syno-
D dum Chalcedoniæ celebravit Epiſcoporum CC. & defendit contra Eutichen & Neſtorium duas in Chriſto eſſe naturas. Hic ſcripſit ad Martianum Imperatorem Epiſtolas XII. ad Leonem Imperatorem Epiſtolas XIII. & ad multos alios Epiſcopos. Hic mitigavit Atilam, mox Genſericum Regem Vandalorum. Hujus Notarius fuit Beatus Proſper, mox Reginus Epiſcopus. Leonis Papæ natalis agitur Vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli.

Anno Chriſti CCCCLXVI.

HIlarius natione Sardus ſedit ann. VI. menſ. III. dies X. & ceſſavit dies X. imperante
E Martiano, cum Valentiniano, & poſt Leone. Hic conſtituit, ut nullus Clericus inveſtituras accipiat à Laicis; & confirmavit tres Synodos. Jacet ad Sanctum Laurentium. Hujus tempore in Britannia regnabat Arthurius, qui ſua probitate ac benignitate Franciam, Flandriam, Norvegiam, Daciam & cæteras inſulas ejus regionis ſuo ſceptro regebat. Idem in prœlio vulneratus pro curando vulnere ſeceſſit in quandam Inſulam, nec ultra apparuit.

Anno

(17) *Cod. Eſtenſ.* Manichæum redeuntem ad Eccleſiam.

(18) *Cod. Eſtenſ.* uti ad uſum infirmorum.

Anno Chriſti CCCCLXXII.

SImplicius natione Tiburtinus ſedit ann. XV. menſ. I. dies VII. & ceſſavit diebus VI. imperante Leone, & poſt Zenone. Hic conſtituit, ut nullus inveſtituras à Laicis accipiat, nullus Pontifex ſucceſſorem conſtituat. Jacet Eccleſiâ Sancti Petri. Hoc tempore Merlinus propheta in Britannia natus eſt ex filia Regis Sanctimoniali, & incubo dæmone. Nam mater ejus filia Regis Metiæ inter Monachas degebat in Eccleſia Sancti Petri in urbe Kamuloduno, quæ aſſeruit ſe nunquam virum cognoviſſe, ſed quidam in ſpecie pulchra nimis ipſam frequenter deoſculans & evaneſcens & rurſum apparens & eam amplectens ipſam prægnantem reliquit. Cùm verò Rex Britanniæ miræ magnitudinis ædificium ſtrueret, & nocte evaneſceret quod die ædificabatur; admirans Rex reſponſum à Magis accepit, quòd ædificium non perficeret, niſi calx cum cruore unius nati ſinè patre miſceretur. Cùm autem talis quæreretur per Regnum, Merlinus puer ab alio puero ſecum contendente talis notificatur. Merlinus captus, Magos dixit eſſe mentitos, & oſtendens ſub terra voraginem dixit, ibi eſſe duos Dracones, qui opus demoliebantur, & ita inventum eſt. Propter quod Merlinus à morte evaſit.

Anno Chriſti CCCCLXXXVIII.

FElix Tertius natione Romanus ſedit an. VIII. menſ. XI. dies XXVII. & ceſſavit diebus quinque. Imperante Zenone mox Anaſtaſio. Jacet Eccleſiâ Beati Pauli. Hic conſtituit Eccleſias eſſe conſecrandas (19), & damnavit Petrum Epiſcopum Alexandrinum & Achatium Epiſcopum Conſtantinopolitanum Eutichianiſtas. Hic etiam conſtituit, quòd accuſato dandæ ſunt induciæ, ut ſe poſſit defendere, & quòd accuſatores & Judices tales ſint, qui omni careant ſuſpicione.

Anno Chriſti CCCCIC.

GElaſius Primus natione Afer ſedit ann. IV. menſes IX. Jacet Eccleſiâ Sancti Petri; qui ſedit imperante Anaſtaſio. Hic in Miſſa addidit: *verè dignum, & juſtum eſt &c.* Hymnos & libros compoſuit, ſicut Ambroſius. Hujus tempore regnabat Theodoricus Rex Gothorum in Italia, & Boetius florebat, & hoc tempore facta eſt inventio Cryptæ Sancti Michaelis.

Anno Chriſti DI.

ANaſtaſius Secundus natione Romanus ſedit ann. II. menſ. XI. dies XXIII. & ceſſavit diebus IX. imperante Anaſtaſio. Jacet in Eccleſia Sancti Petri. Hic conſtituit, ut nullus Clericus omittat ſuum Officium propter iram vel rancorem, præter Miſſam. Tempore Theodorici Regis Gothorum fuit.

Anno Chriſti DIV.

SYmmachus natione Sardus ſedit ann. XV. m. VII. dies XXVII. & ceſſavit Epiſcopatus diebus VII. imperante Anaſtaſio. Jacet in Eccleſia Sancti Petri. Hic conſtituit, ut diebus Dominicis, & ſolemnibus diceretur in Miſſa: *Gloria in excelſis Deo*, quod ante non fiebat. Hoc tempore Childericus Rex Franciæ propter inſolentem vitam & luxurioſam de regno ejectus à ſuis octo annis manſit apud Baſinum Regem Turogorum, quo revocato in dominium ſuum, Baſina uxor Baſini Regis ſecuta eſt illum Adericum, qui eam accipiens in uxorem, ex ea genuit Clodovæum, qui mox baptizatus eſt per Sanctum Remigium, & effectus Chriſtianiſſimus martyrio coronatus eſt. Beati verò Remigii filius fuit per Spiritum Sanctum Leonardus.

Anno Chriſti DXIX.

HOrmiſda natione Campanus ſedit ann. IX. dies XVII. & ceſſavit diebus VI. imperante Anaſtaſio, poſt Juſtino. Et jacet Eccleſiâ Sancti Petri. Anaſtaſius hæreticus hujus Nuncios ad ſe miſſos rejecit, & ſtatim fulmine periit; mox miſſi ad Juſtinum Imperatorem, ab eo gratanter recepti ſunt: unde Græcos, qui excommunicati erant, Papa abſolvit, & bonus bona multa operatus eſt.

Anno Chriſti DXXVIII.

JOhannes Primus natione Thuſcus ſedit ann. II. menſes IX., & ceſſavit diebus octo, imperante Juſtino. Hunc Theodoricus fecit occîdi, quòd eum Miſſum ad Imperatorem ipſe Imperator devotè ſuſceperat. Hoc tempore Boëtius occiditur, & Symmachus ejus ſocer Romanus illuſtris. Et Francia ad Fidem convertitur.

Anno Chriſti DXXX.

FElix Quartus natione Sabinus ſedit annis IV. menſ. II. dies XIII. & ceſſavit dies XLV. imperante Juſtiniano. Jacet Eccleſiâ Beati Petri. Hic atavus fuit Beati Gregorii Papæ magni Doctoris.

Anno Chriſti DXXXIV.

BOniſacius Secundus natione Romanus ſedit annis II. menſ. III. & ceſſavit dies VI. tempore Juſtiniani & Athalarici, filii filiæ Theodorici Regis Gothorum. Hic conſtituit, ut Clerici ſint diviſi à Laicis, dum Miſſa celebratur. Jacet Eccleſiâ Sancti Petri.

Anno Chriſti DXXXVI.

JOhannes Secundus natione Romanus, qui Mercurius diccbatur, ſedit ann. II. menſ. III. dies VII. & ceſſavit diebus VII. imperante Juſtiniano, & tempore Athalarici. Jacet Eccleſiâ Sancti Petri. Hic damnavit Anthemium Epiſcopum Arrianum. Huic Papæ Juſtinianus per Ypaticum (20) Epiſcopum chirographo Fidem ſuam Catholicam miſit. Hoc tempore florent Beati Benedictus & Maurus ejus diſcipulus.

Anno Chriſti DXXXVIII.

AGapitus Primus natione Romanus ſedit menſes XI. dies XVIII. Hic conſtituit Proceſſiones fieri die Dominico. Hic miſſus eſt ad Juſtinianum à Theodato Rege Gothorum culpato, quòd occidi fecerat Amalaſiuntam Reginam

(19) *Cod. Eſtenſ.* Eccleſias eſſe ab Epiſcopis conſecrandas.

(20) *Cod. Eſtenſ.* per Ypatium & Demetrium Epiſcopos chirographo.

ginam matrem Athalarici, quæ eum in Regnum conſociaverat, ut Imperatorem placaret. Imperator hujus precibus removit Anthemium ab Epiſcopatu Conſtantinopolitano, & Mennam ſubrogavit. Papa ibi mortuus eſt, & corpus ejus adductum Romam. Jacet Eccleſiâ Sancti Petri.

Anno Chriſti DXXXIX.

SIlverius natione Romanus ex patre Hormiſda Epiſcopo ſedit ann. I. menſ. V. dies XI. Hic à Juſtiniano in Pontum fuit relegatus, quòd revocare noluit Anthemium hæreticum Epiſcopum depoſitum, ubi eſt confeſſor mortuus & ſepultus.

Anno Chriſti DXL.

VIgilius natione Romanus ſedit annis XVII. dies XXVI. & ceſſavit menſ. III. & dies V. imperante Juſtiniano. Theodora Imperatrix fautrix Anthemii perſecuta eſt Vigilium, & de mandato ejus ductus eſt Vigilius in Conſtantinopolim. Ibi cùm Anthemium non vellet reſtituere, alapis cæſus, de Eccleſia Sanctæ Sophiæ, quò confugerat, eſt extractus, ſed per gratiam populi Romani revocatus, & rediens Syracuſis mortuus eſt; cujus corpus Romæ conditur viâ Salariâ apud Sanctum Marcellum. Hujus tempore Roma à Gothis eſt capta, & quinta Synodus facta contra Theodorum & alios, qui dicebant Chriſtum ſolum hominem.

Anno Chriſti DLVII.

PElagius Primus natione Romanus ſedit ann. XI. menſ. X. dies XVIII. & ceſſavit menſ. III. & diebus XXV. imperante Juſtiniano. Hic conſtituit, ut Hæretici comprimerentur per Judices Seculares. Culpatus quoque de morte Vigilii Papæ coram omni populo tacta Cruce Evangelio ſe purgavit. Hoc tempore Sanctus Brandanus in Scotia clarus habetur. Oſſa quoque Beati Stephani Protomartyris Romam allata ſunt, & locata cum corpore Beati Laurentii.

Anno Chriſti DLXVII.

JOhannes Tertius natione Romanus ſedit a. XII m. XI. d. XXVI. & ceſſavit diebus XXXIII. imperante Juſtiniano & poſt Juſtino ſecundo. His temporibus Fortunatus Poeta vir ingenio & vita laudabilis de Italia Turonum veniens geſta Beati Martini Epiſcopi conſcripſit, mox demum fuit Epiſcopus Pictavenſis. Hoc tempore moritur Sanctus Maurus diſcipulus Beati Benedicti. Hoc etiam tempore claret Sanctus Germanus Epiſcopus Pariſienſis, Johannes Papa cœmiteria conſtituit, & reſtauravit Eccleſiam Apoſtolorum, in qua corpus ejus eſt conditum.

Anno Chriſti DLXXVIII.

BEnedictus Primus natione Romanus ſedit a. III. menſ. I. d. XIX. & ceſſavit menſes III. & dies X. imperante Tiberio Secundo. Hujus tempore Longobardi in Italiam ſunt ingreſſi, comitante multa fame & peſte; quibus laboribus obiit idem Papa, qui Eccleſia Beati Petri quieſcit.

(21) *Cod. Eſtenſ.* imperante Mauritio cœpit ſedere.

Anno Chriſti DLXXXI.

PElagius Secundus natione Romanus ſedit annos X. menſes II. dies X. & ceſſavit menſes VI. & dies XXV. Imperante Tiberio, & poſt Mauritio. Hic fecit domum ſuam Zenodochium pauperum. Jacet Eccleſiâ Sancti Petri. Hujus tempore Tyberis in tantum intumuit, ut aquæ aſcenderent muros Urbis, & ſecum traxerunt in mare innumerabiles ſerpentes cum ingenti Dracone, quibus mari necatis facta corruptione aëris multi perierunt, inter quos Papa, qui Beatum Gregorium ſuum Apocriſarium in Conſtantinopolim legaverat ad Auguſtum.

Anno Chriſti DXCI.

GRegorius Primus natione Romanus ſedit annos XIII. menſ. VI. dies X. & ceſſavit Epiſcopatus menſes V. d. XVI. cœpit ſedere (21) IV. Idus Martii. Hic Doctor eximius divinarum Scripturarum fuit, & Pontifex manſuetus. Hic fecit Homelias XL. Job & Ezechielem moraliter & mire expoſuit. Regiſtrum Paſtoralem ſcripſit pro eruditione Maureliani Epiſcopi Ravennatenſis. Dialogum etiam compoſuit. Primò Monachus domum ſuam fecit Monaſterium. Ejus ſtudio gens Anglorum ad Fidem converſa eſt. Addidit in Miſſa: *& dies noſtros in pace diſpone*. Et licèt tantis ſcientia & ſanctitate fuit, multos tamen adverſarios habuit, maximè poſt mortem, adeò, ut propter detrectationem ipſius, omnes libros ejus vellent facere cremari, niſi Petrus ejus Diaconus per Spiritum Sanctum, quem in Columbæ ſpecie viderat ſuper ipſum ſediſſe, libros ſcripſiſſe juramento, & mortis ſuæ, quam prædixit, termino, ſive legendo (22) in publico Evangelium confirmaſſet. Jacet igitur in ſecretario Beati Petri.

Anno Chriſti DCV.

SAbinianus natione Thuſcus ſedit a. I. menſ. V. dies IX. & ceſſavit m. I. & diebus XXV. imperante Phoca. Jacet Eccleſiâ Sancti Petri. Hic conſtituit, ut horæ diei per Eccleſias pulſarentur.

Anno Chriſti DCVII.

BOnifacius III. natione Romanus ſedit menſ. IX. d. XXI. Imperante Phoca. Hic conſtituit, ut vivente Epiſcopo, non eligat ſuperſtitem, & quòd mundus pannus ſuper Altare ponatur.

Anno Chriſti DCVIII.

BOnifacius IV. natione Marſorum, de civitate Valeria ſedit a. VI. menſ. VIII. dies XII. Imperante Phoca. Hic obtinuit ab Imperatore, ut Romana Eccleſia caput haberetur omnium Eccleſiarum. Nam Eccleſia Conſtantinopolitana ſe primam ſcribebat. Hic etiam obtinuit ab Imperatore, ut templum Pantheon conſecratum ad honorem Cybeles matris Deorum, ubi ſæpe Chriſtiani à Dæmonibus percutiebantur, conſecraretur ad honorem Dei & Sanctorum, quod nunc dicitur Sancta Maria Rotunda. Conſecravit igitur illud ad honorem Bea-

(22) *Cod. Eſtenſ.* ſcilicet legendo in, *& infra*. Jacet Gregorius in Secretario.

A Beatæ Mariæ & omnium Sanctorum Kalendis Novembris, & conſtituit, ut ea die Pontifex Romanus ibi Miſſam celebret, & populus accipiat Corpus & Sanguinem Domini Jeſu Chriſti, ſicut in die Natalis Domini: & dies illa ſit celebris Beatæ Mariæ & omnibus Sanctis, & populus Chriſtianus feſtivitatem agat; ſequenti verò die pro fidelibus defunctis quoque per omnes Eccleſias ſacrificium fiat.

Anno Chriſti DCXV.

DEusdedit natione Romanus ſedit a. III. dies XXI. & ceſſavit menſ. I. diebus XXVI. imperante Eraclio. Hoc oſculante leproſum, ſtatim mundatus eſt idem leproſus. (23) B

Anno Chriſti DCXVIII.

BOniſacius V. natione Campanus urbe Neapoli, ſedit a. V. d. XIII. & ceſſavit menſ. VI. diebus XIII. imperante Eraclio. Hic conſtituit, ut ſures Eccleſiarum anathematizentur, & ut Acolythus reliquias Martyrum non audeat levare.

Anno Chriſti DCXXIII.

HOnorius Primus natione Campanus ſedit a. XIII. menſ. XI. d. XVII. & ceſſavit m. VII. dies XVIII. imperante Eraclio. Hic conſtituit, ut omni Sabbatho procederent Letaniæ ad Sanctum Petrum. Hoc tempore Sanctus Anaſtaſius Monachus coronatur martyrio. C

Anno Chriſti DCXXXVI.

SEverus natione Romanus ſedit a. II. & ceſſavit m. IV. d. XXVIII. imperante Eraclio. Hic fuit ſanctus & benignus amator Cleri, ac pauperum. Jacet apud Eccleſiam Sancti Petri.

Anno Chriſti DCXXXVIII.

JOhannes IV. natione è Dalmatia ſedit an. I menſ. X. d. XIX. & ceſſavit menſ. I. dies XLII. imperante Eraclio. Hic de Theſauris Eccleſiæ multos captivos redemit, qui per Yſtriam & Dalmatiam ſerviebant. D

Anno Chriſti DCXL.

THeodorus Primus natione Græcus ex patre Theodorico Epiſcopo de civitate Jeruſalem ſedit a. VI. menſ. V. dies XVIII. & ceſſavit diebus LII. imperante Conſtantino Tertio. (24) Hic dum Miſſam celebraret, Olybrii ſpatarius ab illo miſſus eum voluit occidere, ſed ut enſem levavit, ſtatim ſactus eſt cœcus. (*)

Anno Chriſti DCLIII. E

EUgenius Primus natione Romanus ſedit an. II. menſ. IX. d. XXII. & ceſſavit menſ.

A uno, dies XXIX. imperante Conſtantino III. Hic in omnibus fuit bonus. Jacet Eccleſiâ Sancti Petri. His temporibus Eccleſia Ravennatenſis Eccleſiæ Romanæ omnino non obediebat.

Anno Chriſti DCLVI.

VItalianus Primus natione Campanus civitate Signenſi, ſedit an. XIV. menſes VI. & ceſſavit menſ. II. & diebus XIII. imperante Conſtantino III. Hic cantum Romanum compoſuit, & dulciſono organo concordavit. Hic Papa Ferrariæ primum Epiſcopum contulit Marinum fratrem Cardinalem natione Romanum.

B *Anno Chriſti DCLXX.*

DEodatus natione Romanus ex Monacho ſedit a. IV. menſ. II. dies V. imperante Conſtantino IV. filio Conſtantini Tertii. Hic tantæ benignitatis fuit, ut omnem hominem ad ſe venientem conſolatum dimitteret, & dum oſcularetur leproſum ſtatim mundatus eſt à lepra. Jacet apud Sanctum Petrum. Hujus tempore translatum eſt corpus Beati Benedicti à monte Caſino ad cœnobium Floriacenum in Aureliana ditione. (25)

Anno Chriſti DCLXXIIII.

C DOnus natione Romanus ſedit a. I. menſ. V. d. X. & ceſſavit menſ. II. diebus XV. imperante Conſtantino IV. (26) * Hoc ſedente Ravennas, qui diu non obedierat Pontifici Romano, ad obedientiam Eccleſiæ Romanæ devênit, Theodato Archiepiſcopo Ravennatenſi; & defuncto Epiſcopo, Ravennatenſis Electus in Curiam Romanam venerat, ordinandus ab Epiſcopo Romano. Hoc tempore ſexta Synodus acta Conſtantinopoli eſt.

Anno Chriſti DCLXXVIII.

LEo Secundus natione Siculus ſedit menſ. X. dies XVII. & ceſſavit menſibus XI. dieb. D XXII. imperante Conſtantino IV. Hic fuit eruditus apprimè Græcis literis & Latinis eloquentiſſimus, qui conſtituit in Miſſa poſt *Agnus Dei* paçem dari inter Chriſtianos.

Anno Chriſti DCLXXIX.

BEnedictus natione Romanus ſedit a. X. dies XII. & ceſſavit menſibus II. & diebus XV. imperante Conſtantino IV. Hic vita ſanctus & bonus jacet apud Eccleſiam Sancti Petri.

Anno Chriſti DCLXXXIX. E

JOhannes V. natione Syrus urbe Antiochia, ſedit an. I. dies IX. imperante Conſtantino IV.

(23) *Cod. Eſtenſ.* leproſus. Hic filius fuit Stephani Subdiaconi.
(24) *Cod. Eſtenſ.* imperante Conſtantino Tertio cum Heracleona fratre ſuo. Hic conſtituit benedictionem Cerei Sabbato Sancto.
(*) *Anno Chriſti DCXLVII.*
Martinus Primus natione Tuſcus, civitate Tudertina ſedit ann. VI. menſ. I. & ceſſavit diebus XXVIII. imperante Conſtantino III. Hic dum Miſſam &c.
(25) *Cod. Eſtenſ.* in Aureliana Diœceſi.
(26) *Cod. Eſtenſ.* imperante Conſtantino IV. Hic fecit locum ante Sanctum Petrum, qui dicitur Paradiſus.
Anno Chriſti DCLXXV.
* Agatho natione Siculus ſedit annis II. menſibus VI. diebus III. & ceſſavit anno I. menſibus VII. diebus XV. imperante Conſtantino IV. Hoc ſedente Eccleſia Ravennas, quæ diu non obedierat Pontifici Romano, ad obedientiam Eccleſiæ Romanæ devenit, Theodoro Archiepiſcopo Ravennate, qui defuncto Epiſcopo Ravennate electus.

IV. (27) * Hic vita commendabilis jacet apud A
Sanctum Petrum.

Anno Chriſti DCXCI.

SErgius Primus natione Syrus urbe Antiochia, ſedit a. IX. menſ. VIII. d. XXIII. & ceſſavit menſ. I. diebus XX. imperante Juſtiniano Secundo. (28) * Hic per Patricium Romanorum factus eſt Papa, unde aliqui eum non ſcribunt Papam propter malum introitum; & ſequens Leo appellatur Leo Tertius etiam in Decreto.

Anno Chriſti DCCIII.

JOhannes VI. natione Gracus ſedit a. III. m. B
II. d. XXIII. & ceſſavit m. I. & d. XVIII. imperante Leone II. & Tiberio III. Poſt hic martyr jacet in Catacumbis Eccleſiæ S. Sebaſtiani.

Anno Chriſti DCCVI.

JOhannes VII. natione Romanus ſedit an. II. menſ. VII. d. XXVII. & ceſſavit m. IX. imperante Tiberio III. Hic fuit ſcientia eruditus & facundus eloquio.

Anno Chriſti DCCVIII.

SIſinius natione Romanus ſed. d. XX. & ceſ- C
ſavit m. VI. imperante Tiberio. Hujus tempore magnum ſchiſma fuit in Eccleſia.

Anno Chriſti DCCVIIII.

COnſtantinus natione Syrus ſedit an. VII. d. XV. & ceſſavit d. XL. imperante ipſo Tiberio, & poſt Juſtiniano iterum: jacet in Sancto Petro.

Anno Chriſti DCCXVI.

GRegorius Secundus natione Syrus ſedit an. XVI. menſ. II. dies XXII. & ceſſavit d.
XXV. imperante Philippo Secundo, & poſt D
Anaſtaſio Secundo, & poſt Theodoſio Tertio, & poſt Leone Tertio, cum Conſtantino ſuo filio. Jacet Eccleſiâ S. Petri. Hic per Bonifacium Epiſcopum Maguntinum Germanos ad Fidem convertit, & conſtituit quintam feriam jejunari, ut quadrageſimam, quod non ante fiebat.

Anno Chriſti DCCXXXII.

GRegorius III. natione Romanus ſedit an. X. m. VIII. d. XXII. & ceſſavit diebus IX. imperante Leone, cum filio ſuo Conſtantino. (29) Hic cùm Roma obſideretur à Rege Longobardorum miſit navigio ad Karolum patrem
Pipini claves Confeſſionis Beati Petri rogans, ut E
Romanam Eccleſiam liberaret à Longobardis.

Anno Chriſti DCCXLII.

ZAcharias natione Græcus ſedit an. X. m. II. d. XV. & ceſſavit dies II. imperante Leone IV. cum filio ſuo Leone & Conſtantino VI. poſt cum Irene matre ſua. Hic pacem fecit cum Longobardis, & librum Dialogorum tranſtulit in Latinum de Græco. Hic Karulum Magnum (Carolomannum) fratrem Pipini fecit Monachum, & eum miſit in Caſinenſe Cœnobium, ut Monachus fieret. Cui Monaſterio dona & privilegia Apoſtolicæ Sedis contulit. Hujus monitione Rachis Rex Longobardorum cum uxore & filiis, relicto ſeculo, Monaſterium eſt ingreſſus. Ad hunc Papam Monachi montis Caſini adjuncto ſibi fratre Karulo Magno Romam venerunt, rogantes Papam, quatenus Pipino Regi Francorum literas dirigeret, ut corpus Beati Benedicti, quod Floriacenſes Monachi furtim habuerant, loco Caſinenſi reſtituerent. Rex Pipinus mandavit Monachis Florianæ, (30) ut illud reſtituerent jejunantibus & flentibus. Nuncii verò, qui corpus auferre debebant, ſunt cœcitate percuſſi, & hoc cognito ibidem remanſit. Zacharias Papa moritur omni virtute ornatus. Hoc tempore corpus Beatæ Mariæ Magdalenæ à Gerardo Comite Burgundiæ Urgiliatum (31) translatum eſt: quinque alii ſcribunt id eſſe apud Epheſum.

Anno Chriſti DCCLII.

STephanus Secundus natione Romanus ſedit a. V. menſe uno diebus XXVIII. imperante Conſtantino V. (32) Hic ob infeſtationem Aſtulfi Regis Longobardorum pergens in Franciam unxit Pipinum in Regem Francorum, cui occurrit Pipinus pedes per tria millium paſſuum & officium ſtratoris exhibuit, illius equum per habenas dirigens uſque in aulam ſuam. Hic ultimo anno ſui Pontificatus Romanum Imperium in Francos tranſtulit, in perſonam Karuli filii Pipini, de qua translatione tangitur codice Decretalium.

Anno Chriſti DCCLVII.

PAulus oatione Romanus ſedit an. X. menſ. I. & ceſſavit anno I. menſ. I. imperante Conſtantino cum filio ſuo Leone. Hujus tempore S. Gengulfus in Burgundia claret, qui cùm uxorem adulteram ſpreviſſet, à Clerico adultero eſt occiſus, qui miracula ejus, vita laudabili coruſcabat, uxor ejus miraculis derogans ait: *ſi Gengulfus facit miracula, meus anus cantet*, id quidem mox completum eſt. Nam ſemper ea loquente anus ei cantabat.

DCCLXVII.

COnſtantinus Secundus natione Romanus ſedit annum I. menſ. I. imperante Conſtantino

(27) *Cod. Eſtenſ.* imperante Conſtantino IV. & ceſſavit diebus II.

Anno Chriſti DCXC.

* Conon natione Romanus ſedit menſibus XI. diebus IX. & ceſſavit menſe I. diebus XIX. imperante Conſtantino IV. Hic vita commendabilis.

(28) *Cod. Eſtenſ.* imperante Juſtiniano II. Hic vita laudabilis conſtituit dici in Miſſa ter *Agnus Dei*.

Anno Chriſti DCC.

* Leo Tertius natione Romanus ſedit annis II. menſibus XI. & ceſſavit menſ. I. & diebus XVIII. imperante Juſtiniano II. Hic per Patritium &c.

(29) *Cod. Eſtenſ.* filio ſuo Conſtantino. Hic addidit in ſecreta; *vel quorum ſolemnitas hodie celebratur*. Hic cum Roma obſideretur.

(30) *Cod. Eſtenſ.* mandavit Monachis Floriacenſibus.

(31) *Cod. Eſtenſ.* Burgundiæ Virgiliacum.

(32) *Cod. Eſtenſ.* imperante Conſtantino V. Ceſſavit menſ. I. dies V. Hic ob &c.

tino VI. Hic ex laico ſubitò factus Presbyter & tyrannica ambitione invaſor magno ſcandalo Eccleſiæ fuit, ſed zelo Fidelium ab Eccleſia eſt deturbatus.

DCCLXVIII.

STephanus Tertius natione Siculus ſedit an. III. menſ. V. dies XXVIII. & ceſſavit diebus VIII. imperante Conſtantino VI. Pipinus moritur. Hic Papa convocata ex Gallia in Italia Synodo cuncta ordinata per Conſtantinum Papam exauctoravit præter Baptiſma & Chriſma, & omnes per illum ordinatos degradavit.

DCCLXXI.

ADrianus I. natione Romanus ſedit an. XXIIII. menſibus IX. diebus XXVIII. & ceſſavit dies III. imperante Irene matre Conſtantini cum Leone filio ejus Conſtantini, & poſt Nicephoro, poſt Michaële. Hujus precibus Karulus vocatus obſedit Papiæ Regem Longobardorum Deſiderium cum uxore & filiis, quos captivos duxit in Franciam. Inde Romam perrexit, & confirmavit Eccleſiæ omnia acta per Pipinum, addito etiam Ducatu Spoletino & Beneventano, propterea quod Romanus Patricius factus eſt. Hic Papa reſtauravit Eccleſiam S. Anaſtaſii ad Aquam ſalviam, poſt incendium muros quoque & turres urbis Romæ ædificavit; portas æreas Beato Petro Papæ dedit. Hujus tempore celebrata eſt Conſtantinopoli VII. Synodus Epiſcoporum CCC. aliam quoque Synodum Romæ celebravit, præſente Karulo, Epiſcoporum CLIIII. & aliorum Prælatorum, qua Synodo datum fuit Karulo jus eligendi Pontificem Romanum & Sedem Apoſtolicam ordinandi, & ut Archi-Epiſcopi per omnes Provincias ab ipſo Karulo inveſtituras reciperent; & anathematizati ſunt omnes huic decreto rebelles, niſi reſipiſcerent, & eorum bona confiſcata. Hoc tempore claret Alcuinus Anglicus Philoſophus non ſolùm ſcientia, ſed & vitæ honeſtate præclarus, qui præceptor Karuli perſuaſit eidem ab urbe Roma in Franciam Philoſophiæ ſtudium transferri, quod à Græcis fuerat Romam translatum. Alcuino Karulus Monaſterium Domini Turronis (33) regendum commiſit. Nam Monachi prætéritæ Religionis obliti adeò deflexerant, quòd ſericis indumentis incedebant, & deauratis calceamentis, carnis oblectamentis vacando. Unde uno Monacho vidente duo Angeli dormitorium intrantes omnes Monachos extinxerunt, uno excepto, qui Angelos videbat, qui ne occideretur, ſed ad pœnitentiam agendam reſervaretur, vix ab Angelis obtinuit: poſt laudabilis Alcuinus ejus Monaſterio tumulatus eſt (34).

DCCXCIIII.

LEo III. natione Romanus ſedit an. X. menſ. V. dies XVI. & ceſſavit diebus III. Tunc Conſtantinus Sextus Imperator excœcatus eſt. Marmedus (35) Viennæ Epiſcopus ob imminentem cladem ante diem Aſcenſionis Domini per tres dies Letanias inſtituit. Leo Papa dum die S. Marci cum Litaniis, quas ipſe conſtituerat, ante Aſcenſionem ad S. Petrum pergeret, captus eſt & excœcatus, linguâ præciſâ; ſed Deus illi reddidit loquelam & viſum. Mox ad Karulum profectus in Franciam magno ab illo honore ſuſcipitur. Inde Romam cum eo Rege devênit, & facta eſt ex inimicis ejus vindicta. Idem Rex Karulus tunc ab eo coronatus eſt Imperiali diademate anno Chriſti DCCCII. Hic Papa fecit conſtrui porticum S. Petri & civitatem Romam muris cinxit, propter Saracenorum incurſum.

DCCCXIV.

STephanus IV. natione Romanus ſedit menſ. VIII. & ceſſavit diebus XVIIII. Hic honorificè ab Imperatore Lodovico in Gallia ſuſceptus eſt, & captivos multos per Franciam redimens Romam reverſus ibi ſepultus eſt Eccleſiâ Sancti Petri.

DCCCXV.

PAſchalis Primus natione Romanus ſedit an. VII. dies XVII. & ceſſavit diebus XVIII. Imperante Lodovico. Hic ante aditum ad corpus Sancti Petri oſtia ærea & Altare conſtruxit, & ibi corpus Sancti Sixti Primi recondit.

DCCCXXII.

EUgenius II. natione Romanus ſedit ann. IV. menſ. VIII. imperante Lodovico. Hic per Laicos Romanos cœcatus eſt martyrio coronatus. Jacet etiam Eccleſiâ Sancti Petri.

DCCCXXVII.

VAlentinus I. natione Romanus ſedit dies XL. & ceſſavit d. III. Lodovico imperante.

DCCCXXVII.

GRegorius IV. natione Romanus ſedit ann. XVI. (36) imperante Lodovico & poſt Lothario. Hujus tempore orta turbatione inter Chriſtianos, quidam ſcelerati miſerunt ad Soldanum Babiloniæ, ut in Italiam accederet, eam poſſeſſurus; propter quod Saraceni per portum Centuncellenſem intrantes, ut locuſtæ impleverunt ſuperficiem terræ. Roma obſeſſa capitur, Eccleſia B. Petri ſpoliatur, & equorum fit ſtabulum; omnis enim Thuſcia in ſolitudinem redacta eſt. Tandem ad petitionem hujus Papæ Guido Marchio cum Longobardis veniens, poſt Lodovicus cum Gallicis, cum multa ſanguinis Chriſtianorum effuſione fugati ſunt. Ipſi etiam Saraceni Apuliam & Siciliam fuerant populati. (37) Hic Papa jacet Eccleſiâ Sancti Petri.

DCCCXLIII.

SErgius II. natione Romanus ſedit annos III. menſ. II. (38) imperante Lothario. Hic vocabatur Os porci, unde mutatum eſt nomen abinde omnibus Romanis Epiſcopis. Hic Sergius Lotharium coronavit in Auguſtum.

Leo

(33) *Cod. Eſtenſ.* Karulus Monaſterium Sancti Martini Turonenſis.

(34) *Cod. Eſtenſ.* poſt vitam laudabilem Alcuinus ejus Monaſterio tumulatus eſt.

(35) *Cod. Eſtenſ.* Mamertus Viennæ.

(36) *Cod. Eſten.* ſedit annis XVI. & ceſſavit menſ. VI. & dies VII.

(37) *Cod. Eſtenſ.* fuerant populati. Hic renovavit Eccleſiam Sancti Martis. Hic Papa &c.

(38) *Cod. Eſtenſ.* annos III. & menſ. II. & ceſſavit menſes duos, dies quindecim imperante.

DCCCXLVI.

A LEo IV. natione Romanus ſedit annis VIII. menſibus III. diebus V. (39) imperante Lothario & poſt ſuo filio Lodovico. Hujus tempore Adulphus Rex Anglorum, qui primus Angliæ obtinuit Monarchiam, devotionis causâ Romam veniens coram Leone Papa tributum obtulit Beato Petro de unaquaque domo annuum nummum argenteum, & hoc tributum hodie perſeverat. Hic ornatus multis virtutibus, vigiliis, & orationibus erat intentus, & Scripturarum ſedulus perſcrutator. Hic à parentibus ob ſtudia literarum poſitus fuit apud Monaſterium S.
B Martini Confeſſoris, juxta Eccleſiam Beati Petri Apoſtoli. Hic non ſolùm ſcientia, ſed ut perfectus Monachus converſatione apparuit. Hunc mox Sergius Presbyterum faciens titulo Sanctorum quatuor aſſignavit, quo mortuo nec ſepulto, omnis Clerus & Populus Romanus una voce Leonem in ſuum Pontificem elegerunt, qui factus Epiſcopus Romanus omnes Eccleſias, quas Saraceni deformaverant, honorificè reſtauravit. Hic pro Neapolitanis contra Saracenos orando fecit orationem: *Deus, cujus dextra Beatum Petrum ambulantem in fluctibus &c.* Saraceni autem, qui locupletati ſpoliis Italicis redibant in Africam, Eccleſiis exſpoliatis, in mari ſunt merſi. Leo Papa moritur Romæ & ſepelitur
C Eccleſiâ Sancti Petri, cujus feſtum agitur XVII. Calendas Auguſti.

DCCCLIV.

POſt hunc Leonem Johannes Anglicus natione ſedit an. II. menſ. V. d. IIII. & Romæ mortuus eſt, & ceſſavit Epiſcopatus menſe uno. Hic, ut aſſeritur, fœmina fuit, & in puellari ætate à quodam ſuo amaſio in habitu virili Athenis ducta ſic in diverſis ſcientiis profecit.

DCCCLVI.

D BEnedictus III. natione Romanus ſedit an. II. menſ. V. & ceſſavit diebus XV. imperante Lodovico Secundo. Hic conſtituit Clericos honeſtè incedere. Jacet Eccleſiâ S. Petri.

DCCCLIX.

NIcolaus Primus natione Romanus ſedit annis IX. menſibus II. diebus XX. (40) imperante Ludovico II. Hic poſt Beatum Gregorium in Sede Romana parem non habuit, cujus orationem idem Ludovicus II. Imperator ſua præſentia honoravit. Hujus tempore orta Coloniæ tempeſtate populo in Baſilica confugiente, ſubitò fulmen inſtar ignei draconis cecidit, ſcindens Baſilicam, & tres homines diverſis locis oc-
E cidit, & ſex ſemivivos reliquit (41). Tempore hujus Sanctus Cyrillus penè omnium Sclavorum Apoſtolus corpus Beati Clementis Papæ à Creſoa, ubi in mare Ponticum projectum fuerat, mari excitato Romam adduxit, quod per Papam & Romanos reconditum eſt Eccleſiâ Sancti Clementis, ubi idem Cyrillus mox ſepelitur
A miraculis coruſcando. Nicolaus Papa Eccleſiâ S. Petri tumulatur.

DCCCLXVIII.

ADrianus Secundus natione Romanus ſedit an. V. imperante Lodovico Secundo. Hic poſt multa bona, quæ fecit, apud. S. Petrum ſepelitur.

DCCCLXXIII.

JOhannes VIII. (42) ſedit an. X. diebus V. imperante Karulo Secundo, & poſt Karulo Tertio. Hujus tempore Saraceni per Italiam
B diſcurrentes Eccleſiam Beati Benedicti in monte Caſino ſitam incenderunt.

DCCCLXXXIV.

MArtinus Secundus ſedit a. I. menſ. V. & ceſſavit dieb. II. Karulo III. imperante. (43)

DCCCLXXXIV.

ADrianus Tertius natione Romanus ſedit anno uno, menſibus IV. imperante Karulo III.

DCCCLXXXV.

C STephanus V. natione Romanus ſedit an. VI. d. IX. & ceſſavit dies V. imperante Arnulfo. Hujus tempore timore Normannorum, qui Dacis ſibi junctis populabantur Galliam, corpus Beati Martini de Turone Altiſſiodorum eſt portatum, ſed Monachis propter oblationes litigantibus, & aſcribentibus ſuo Sancto miracula, quæ fiebant, pro determinatione Leproſus inter corpora illorum Sanctorum poſitus eſt, qui ea parte, qua cohærebat Beato Martino, curatus eſt, alia nocte aliam partem applicuerunt (44) corpori Beati Martini, & ab eodem eſt curatus. Non propter impotentiam Beati Germani, ſed Martinum hoſpitem honoravit Germanus.

DCCCXCI.

D FOrmoſus Epiſcopus Portuenſis ſedit ann. V. menſ. VII. & ceſſavit diebus II. imperante Arnulfo. Hic per picturas renovavit Eccleſiam Sancti Petri Apoſtolorum Principis. Hic aliquando timore Johannis Papæ fugiens Epiſcopatum Portuenſem dereliquit, poſt verò cùm revocatus redire nollet, anathematizatus eſt. Sed poſt ad Papam in Galliam veniens, uſque ad ſtatum laicalem degradatus eſt. Inſuper juravit, nec ad Epiſcopatum, nec Romam ſe venturum. Poſt à Martino ſecundo ſucceſſore Johannis VIII. contra juramentum reſtitutus, non
E ſolùm Romam reverſus eſt, ſed & Papatum ſuſcepit; propter quod ſeditiones multæ fuerunt, ut infra agitur.

DCCCXCVI.

BOnifacius VI. natione Thuſcus ſedit diebus XV. imperante Lodovico III.

Ste-

(39) *Cod. Eſtenſ.* diebus V. & ceſſavit menſes duos, dies quindecim, imperante.

(40) *Cod. Eſtenſ.* diebus XX. & ceſſavit diebus XV. imperante.

(41) *Cod. Eſtenſ.* reliquit. Hic conſtituit poſt mortem Papæ, quòd Cardinales conveniant ad eligendum Papam. Tempore, *& infra* a Creſoa. *Cod. Eſtenſ.* à Ceſona, *& infra* mari excitato. *Cod. Eſtenſ.* mari exſiccato.

(42) *Cod. Eſtenſ.* Johannes VIII. natione Romanus ſedit &c.

(43) *Cod. Eſtenſ.* Martinus II. natione Romanus ſedit &c.

(44) *Cod. Eſtenſ.* aliam partem non curatam applicuerunt.

DCCCXCVI.

STephanus VI. natione Romanus ſedit an. I. menſ. III. & ceſſavit diebus III. imperante Lodovico III. Hic à Formoſo Papa ordinatus Epiſcopus Anagn. ipſum Formoſum perſecutus eſt, & omnes illius ordinationes irritas eſſe decrevit. Legitur etiam, quòd ipſe corpus Formoſi in Concilio poſitum, & Papali veſte exutum induit laicali, & duobus digitis dextræ ejus abſciſſis manus ejus in Tyberim jactari præcepit.

DCCCXCVII.

ROmanus natione Romanus ſedit menſ. III. dies XXII. imperante Lodovico Tertio.

DCCCXCVII.

THeodorus natione Romanus ſedit diebus XX. imperante Lodovico III.

DCCCXCVII.

JOhannes IX. ſedit ann. II. dieb. XV. imperante Lodovico Tertio. Hic cum Romanis pugnavit. Synodum quoque Ravennæ habuit ad confirmandam Formoſi ordinationem. Ubi reprobata eſt Synodus, quam Stephanus contra Formoſum Papam fecit.

DCCCXCIX.

BEnedictus IV. natione Romanus ſedit ann. III. menſ. II. & ceſſavit diebus VI. imperante Lodovico III.

DCCCCII.

LEo V. ſedit dies XL. imperante Lodovico Tertio; poſt dies XL. præſulatus ejus, Chriſtophorus ejus Presbyter hunc capiens & carcere trudens ſibi rapuit præſulatum, qui cùm ei menſibus ſeptem præfuiſſet, à Sergio Papa dedeponitur, & in carcerem tanquam invaſor retruditur.

DCCCCIII.

CHriſtophorus (45) ſedit menſes VII. imperante Berengario Primo. Hic de Papatu ejectus factus eſt Monachus.

DCCCCIV.

SErgius Tertius Romanus natione ſedit ann. VII. menſ. III. dies XVI. & ceſſavit diebus VII. imperante Berengario Primo, poſt Conrado Alamanno. Hujus tempore Eccleſia Lateranenſis corruit, quam Papa à fundamentis reparavit. Hic Sergius Diaconus à Papa Formoſo reprobatus à Papatu, tandem Papa factus ad Francos ſe contulit, quorum auxilio Chriſtophorum invaſorem Papatus incarcerans, Romam ingreſſus Papatum obtinuit & in ultionem ſuæ repulſæ Formoſum de ſepulchro extractum & in Sede Pontificali Sacerdotaliter indutum decollari præcepit, & jactari in Tyberim. Omnes quoque Ordinationes per illum factas exauctoravit. Formoſi corpus à Piſcatoribus inventum & in

(45) Cod. Eſt. Chriſtophorus natione Romanus ſedit &c.

A Baſilica Beati Petri poſitum, quædam imagines adoraſſe & venerabiliter ſalutaſſe palàm omnibus viſæ ſunt.

DCCCCXI.

ANaſtaſius III. natione Romanus ſedit ann. II. menſ. II. & ceſſavit diebus II. imperante Berengario II.

DCCCCXIII.

LAndo natione Romanus ſedit menſ. VI. & ceſſavit menſ. I. imperante Berengario II.

B

DCCCCXIV.

JOhannes X. ſedit ann. XIII. menſes II. dies III. imperante Henrico. Hic fuit filius Sergii Papæ & Epiſcopus Eccleſiæ Ravennatenſis, qui invaſor Eccleſiæ fuit, & depoſitus ab omni populo Ravennatenſi. Hujus conſilio & auxilio Saraceni, qui tunc in Italia dominabantur, primò prope Urbem victi ſunt, demum ipſe Papa cum Marchione Alberico intrans Apuliam contra Saracenos apud Garilianum dimicavit duriſſimo prœlio, & in pugna obtinuit. Poſt victoriam à populo Romano cum gaudio ſunt recepti, mox diſcordante cum illo Marchione Urbe depellitur.

C

DCCCCXXVII.

LEo VI. natione Romanus ſedit menſ. VII. dies XV. & ceſſavit dies X. imperante Henrico Theotonico.

DCCCCXXVIII.

STephanus VII. natione Romanus ſedit ann. II. menſ. I. diebus XII. & ceſſavit diebus II. imperante Henrico Theotonico.

DCCCCXXX.

D JOhannes XI. natione Romanus ſedit ann. IV. menſ. X. dies XV. Hujus anno primo in Januenſium Urbe fons olei largiſſimè effluxit, fortè portendens ipſius cladem imminentem. Nam eodem anno à Saracenis ex Africa venientibus capta eſt, & hominibus atque theſauris exhauſta.

DCCCCXXXV.

LEo VII. natione Romanus ſedit ann. III. menſ. VI. dies X. & ceſſavit menſe uno, imperante Berengario Tertio, poſt Lothario.

E

DCCCCXXXVIII.

STephanus VIII. ſedit annos III. menſ. IV. dies XV. & ceſſavit dies X. imperante Berengario III. poſt Lothario II.

DCCCCXLII.

MArtinus III. natione Romanus ſedit ann. III. menſ. VI. dies XIV. & ceſſavit diebus III. imperante Berengario IV.

Aga-

DCCCCXLVI.

A Gapitus II. natione Romanus ſedit ann. VIII. menſ. VI. dies X. & ceſſavit dies XII. imperante Berengario IV. & poſt Ottone Primo. Hujus tempore Oddo Abbas Primus Monaſterii Cluniacenſis obdormivit in Chriſto.

DCCCCLIV.

JOhannes XII. de regione Via-lata ſedit ann. VII. menſ. X. dies V. & ceſſavit dieb. XII. imperante Ottone Primo. (46)

DCCCCLXII.

B BEnedictus V. ſedit menſ. II. dies V. & ceſſavit diebus XX. imperante Ottone II. Hic vivente Johanne Papa à Romanis eligitur, propter quod Imperator Otto cùm Romam obſideret, traditur Benedictus.

DCCCCLXII.

LEo VIII. ſedit ann. I. menſ. IV. & ceſſavit diebus VII. imperante Ottone II.

DCCCCLXIII.

C JOhannes XIII. ſedit ann. VII. menſ. XI. dies XV. & ceſſavit diebus XIII. imperante Ottone II. (47)

DCCCCLXX.

BEnedictus VI. ſedit ann. I. menſ. VI. imperante Ottone II. & poſt Ottone III. (48)

DCCCCLXXII.

DOnus ſedit ann. II. menſ. VI. imperante Ottone III.

DCCCCLXXIV.

D BOnifacius VI. ſedit menſ. I. diebus XII. & ceſſavit diebus XX. imperante Ottone Tertio.

DCCCCLXXIV.

BEnedictus VII. (49) ſedit annos VIII. menſ. VI. & ceſſavit diebus V. imperante Ottone Tertio. Hujus tempore in Remenſi Eccleſia fuit Archiepiſcopus vir honorabilis nomine Rodulſus proſapia Karuli magni genitus, cujus genus regnare in Francia ceſſaverat. Nam Ugo prior extra genus Karuli regnavit in Francia. Ugo igitur Rodulſum odio habens, convocatis Epiſcopis (E) allegans eum non eſſe legitimum deponi procuravit; Gilbertum verò Philoſophum & Nigromanticum ſubſtituit. Quod Papa Romanus audiens Legatum miſit, & Remis convocato Concilio Gilbertus deponitur, & Rudolphus reſtituitur. Gilbertus depoſitus ad Ottonem Tertium, quem erudierat, ſe contulit, & nacta opportunitate, primùm Epiſcopum Ravennatem, poſt Romanum Epiſcopum Diabolo inſtigante fieri procuravit, qui infra dictus eſt Silveſter Secundus.

DCCCCLXXXII.

JOhannes XIV. ſedit menſ. VIII. & ceſſavit diebus X. imperante Ottone III.

DCCCCLXXXIII.

JOhannes XV. natione Romanus ſedit menſ. IV. & ceſſavit die I. imperante eodem.

DCCCCLXXXIII.

B JOhannes XVI. natione Romanus ſedit ann. X. menſ. II. dies X. & ceſſavit diebus XII. imperante Ottone III.

DCCCCXCIV.

GRegorius V. (50) ſedit ann. II. menſ. VI. & ceſſavit diebus XV. imperante Ottone III. Hic primò dictus Bruno ad inſtantiam ipſius Imperatoris factus eſt Papa, ſed poſt Imperium Creſcentius Conſul Urbis Epiſcopum Placentinum de legatione cum magna pecunia redeuntem in Papatum inſtituit, ſed hoc factum per Imperatorem mox eſt graviter vindicatum.

C *DCCCCXCVII.*

JOhannes XVII. ſedit menſ. X. & ceſſavit diebus XX. Hic natione Græcus Placentinus Epiſcopus, vivente Papa Gregorio per Conſulem Urbis Papatum habuit, qui mox per Imperatorem exoculatus eſt.

DCCCCXCVIII.

SIlveſter Secundus ſedit ann. IV. menſ. I. dies VIII. & ceſſavit diebus XXIIII. imperante Ottone III. & poſt Henrico Primo. Hic natione Gallicus nomine proprio Gilbertus, mortuus fuit (D) Romæ ad Sanctam Crucem in Jeruſalem. Hic primùm juvenis Cœnobii Floriacenſis Monachus fuit, mox omiſſo Monachatu Diabolo fecit homagium, ut voti ſui compos à Diabolo fieret, & Diaboli familiaris alloquio multum per ipſum obtinuit. Studuit itaque in Hiſpali Hiſpaniæ, & in tantum profecit in Nigromantia, quod ſua doctrina maximis placuit. Habuit quoque Ottonem Imperatorem diſcipulum & Robertum Regem Franciæ, qui inter alia compoſuit ſequentia: *Sancti Spiritus adſit nobis gratia &c.* & Neothericum, qui mox fuit Archiepiſcopus Senonenſis. Cæterùm idem Gilbertus nimiùm honores ambiebat. Diabolus verò eum voti compotem fecit. Fuit enim primò Archiepiſcopus Remenſis, (E) poſt Ravennas, & tandem Urbis Epiſcopus. Et Papatu fungens quæſivit à Diabolo, quamdiu viveret in Papatu? reſponſum habuit; quamdiu non celebraret in Jeruſalem. Tunc valde gaviſus, ſperans multum à morte abeſſe, ſicut multùm longè aberat à voluntate peregrinationis in Jeruſalem ultra mare. Cùm autem in Quadrageſima ad Eccleſiam,

(46) *Cod. Eſtenſ.* imperante Ottone Primo. Hic fuit filius Alberici Principis Romanorum.

(47) *Cod. Eſtenſ.* Ottone II. Hic fuit a Petro Præfecto captus, & in Caſtello S. Angeli incarceratus.

(48) *Cod. Eſtenſ.* Ottone III. Hic captus à Mario Stephani, nocte Natalis Domini ſtrangulatur.

(49) *Cod. Eſtenſ.* Benedictus VII. natione Romanus ſedit &c.

(50) *Cod. Eſtenſ.* Gregorius V. natione Sabinus ſedit &c.

A ſiam, quæ dicitur in Jeruſalem apud Lateranum celebraret, per ſtrepitum Dæmonum ſenſit mortem adeſſe. Suſpirans igitur ingemuit; & licèt eſſet ſceleratiſſimus, de Dei miſericordia non deſperans coram omnibus peccatum ſuum confeſſus eſt, & membra omnia, quibus Diabolo obſequium fecerat, ſibi juſſit præcidi, & demum truncum corporis ſui exanimem ſuper bigam poni, & quòcumque animalia illud perducerent, ibi ſiſterent, atque ibi ſepeliretur; quod factum eſt. Sepultus eſt igitur in Lateranenſi Eccleſia in miſericordiæ ſignum, (51) cùm ad tranſeuntes ſepulchrum ipſius tam ex tumultu oſſium, quàm ex ſudore præſagium eſt morituri Papæ; ſicut eodem ſepulchro eſt literis exa-
B ratum.

MIII.

JOhannes XVIII. ſedit menſ. V. dies XXV. & ceſſavit diebus XIX. imperante Henrico Primo. Hic nihil conſtituit.

MIV.

JOhannes XIX. Romanus natione ſedit ann. V. & ceſſavit diebus XXX. imperante Henrico I. Hujus tempore floruit Robertus Rex Franciæ vita & ſcientia præclarus, qui tantæ devotionis fuit, quòd in Feſtis in aliquo Monaſterio propter Officium eſſe voluit, & non ſolùm cum
C Monachis cantabat, ſed etiam Capa ſirica erat indutus. Chorum regebat, unde cùm quoddam Caſtellum obſideret, dimiſſo exercitu propter Feſtum Sancti Damiani Aurelianis vênit, & cùm ibi etiam chorum regeret, alta voce cantando *Agnus Dei*, genibus poſitis, muri Caſtelli, quod obſidebat, funditus corruerunt.

MIX.

SErgius IV. ſedit ann. II. menſ. IV. imperante Henrico I. Hic fuit vita laudabilis.

MXI.

D BEnedictus VIII. natione Tuſculanus ſedit ann. XII & ceſſavit ann I. imperante Henrico I. & poſt Conrado I. teſtante Petro Damiano, de Papatu fuit ejectus, & alius ſubſtitutus, propter quod fuit magnum ſchiſma. Hunc Benedictum mortuum quidam Epiſcopus equo nigro inſidentem vidit, & ait illi. Nonne tu es Benedictus Papa? qui reſpondit: Ego ſum ille infelix. Et ille ait: qualiter tibi eſt? Graviter, inquit, torqueor, ſed de miſericordia Dei non deſpero, ſi mihi adjutorium præbeatur. Vade igitur ad ſucceſſorem meum Johannem Papam, & dic ei, ut in tali theca ſummam pecuniæ accipiens in pauperes diſtribuat, quòd quicquid antea per me datum eſt pauperibus, nihil mihi
E adjumento fuit, quia de rapinis fuit congeſtum; qui Epiſcopus fideliter explevit mandatum; & Epiſcopatu cedens Monaſterium eſt ingreſſus.

MXXIII.

JOhannes XX. ſedit ann. IX. imperante Conrado I. Hujus tempore Almericus filius Sancti Stephani primi Regis Ungarorum virgo cum ſponſa ſua obiit miraculis coruſcando.

(51) *Cod. Eſtenſ.* in memoriæ ſignum.

(52) *Cod. Eſtenſ.* ſpoliabantur quaſi omnes. Eos Papa, & *infra* ablatorum. *Cod. Eſtenſ.* oblationum.

A

MXXXII.

BEnedictus IX. natione Tuſculanus ſedit a. XIII. imperante Conrado, & poſt Henrico II. Iſte ejectus eſt de Papatu, & factus eſt Sabinenſis Epiſcopus, qui infra vocatus eſt Silveſter Tertius, & iſte etiam ejectus, & Benedictus recuperavit Papatum; & iſte mox ejectus eſt, & datus eſt Papatus Johanni Archipresbytero S. Johannis ante Portam Latinam, qui infra dictus eſt Gregorius VI. & hic, cùm eſſet literarum rudis, alterum in Papam ad vices eccleſiaſtici officii exequendas ſecum conſecrari fecit, qui cùm multis non placeret, tertius ſu-
B perinducitur, qui ſolus vices duorum impleret. Unus itaque contra duos Romam contendit, & eis Canonica & Imperiali cenſura depoſitis, Svidegerum Bambergenſem Epiſcopum, qui infra dictus eſt Clemens II. in Papatu per vim ſubſtituit, à quo Henricus Imperator coronatus eſt. Romanis illi promittentibus & jurantibus ſe ſinè ipſius conſenſu nunquam Romanum Pontificem electuros. Iſte Benedictus nepos ſuperioris Benedicti apparuit juxta molendinum cuidam in ſpecie cujuſdam monſtruoſi animalis, cujus caput & cauda erat aſini, reliquum corpus ut urſus. Cùmque conſpector aufugeret, clamans monſtrum poſt ipſum dixit. Noli me expaveſcere; ſcito me hominem fuiſſe, ſicut tu es.
C Sed ſic me repræſento, ſicut olim infelix Papa beſtialiter vixi.

MXLV.

SIlveſter Tertius ſedit diebus LVI. imperante Henrico II.

MXLVI.

GRegorius VI. de S. Johanne ad Portam Latinam ſedit a. II. m. VII. Hic cum Henrico Imperatore bellum habuit. Hunc Guilielmus dicit virum ſanctum fuiſſe in ſuis Chronicis. Hujus tempore propter incuriam prædeceſ-
D ſorum ſuorum peregrini Romam euntes à prædonibus ſpoliabantur. (52) Quare eos omnes Papa primò admonuit, mox excommunicavit, tertiò quòd contemtores erant, eis manum armatam oppoſuit. Et primò raptores ablatorum Sancti Petri aut penitùs extinxit, aut fugavit. Occiſis itaque raptoribus, prædia & oppida amiſſa vendicavit. Tunc omnes eum homicidam & ſanguinarium Papam dicebant. Cardinales quoque, cùm illi dies mortis inſtaret, indignum dixerunt eſſe in Beati Petri Eccleſia ſepeliri, qui tot mortibus hominum ſacerdotium fœdaſſet. Tunc Papa reſumpto ſpiritu eis longum ſermonem dixit, aſſerens, eos ſtultè fuiſſe locutos, & ſe benefeciſſe, allegans illud,
E quod Ezechiel improperavit Sacerdotibus, qui ſe non opponebant murum pro domo Iſraël, & alia multa dixit, demum ſubjunxit ſic: cùm mortuus fuero, corpus meum ante fores Eccleſiæ ſiſtite, Januas quoque Eccleſiæ ferreis vectibus obſirmate, & ſi voluntate divina portæ aperientur corpus inferte, alioquin de ipſo pro placito facite. Cùm eo mortuo ſic factum eſſet, turbo divinitus veniens portas Eccleſiæ firmatas non ſolùm aperuit, ſed cum magno fragore uſque ad parietes deportavit.

Cle-

A

MXLVIII.

CLemens V. (53) ſedit menſ. IX. imperante Henrico Secundo. Hic fuit invaſor Eccleſiæ, & per vim Papatum obtinuit, & ceſſavit diebus XX.

MXLIX.

DAmaſus II. ſedit diebus XXVI. & ceſſavit diebus XI. imperante Henrico Tertio. Hic fuit invaſor Apoſtolicæ Sedis, & ſubitò eſt defunctus.

B

MXLVIIII.

LEo IX. genere Alamannus ſedit a. V. m. II. d. VI. imperante eo Henrico.

MLIV.

VIctor II. genere Alamannus ſedit a. II. menſibus III. & ceſſavit diebus III. imperante ipſo Henrico. Hic timore Imperiali factus eſt Papa, qui Synodum apud Florentiam celebravit, ubi multos Epiſcopos propter ſimoniam & fornicationem depoſuit, mox in Galliam veniens ab Henrico Imperatore glorioſè ſuſcipitur.

C

MLVI.

STephanus IX. ſedit menſ. XI. d. XXVIII. Hic natione Lotheringus, in Thuſcia Florentiæ eſt ſepultus, imperante Henrico Tertio.

MLVII.

BEnedictus X. ſedit m. XI. (54) Hic mitius nomine per vim factus Papa, mox ſponte Papatui ceſſit.

MLVIII.

D

NIcolaus II. natione Burgundio ſedit a. II. menſ. VI. dies XXVI. & ceſſavit diebus X. imperante Henrico III. Hic primò Florentinus Epiſcopus apud Senam à Cardinalibus eſt electus concorditer, mox Romæ celebrando Concilium eſt defunctus.

MLX.

ALexander (55) natione Mediolanenſis ſedit a. XI. menſ. VI. dies XXV. imperante Henrico Tertio. Hic cùm eſſet Lucanus Epiſcopus, concorditer à Cardinalibus eſt electus. Contra hunc fuit Cadolus (56) bis Romam veniens, cum magno comitatu Papatum voluit obtinere, ſed nequivit. Alexander deinde ad inſtantiam Henrici Imperatoris in Lombardiam E devênit, & celebrato Mantuæ Concilio omnibus pacatis poſtquam vênit Romam ibi defunctus eſt, & in Lateranenſi Eccleſia tumulatus. Eo tempore Normanni, qui contra voluntatem Apoſtolicæ Sedis Apuliæ Regnum occupaverant, fines Campaniæ populantur, cum quibus ea cauſa congreſſi ſunt bello Dux Spoletanus, Godofredus ac Comitiſſa Matilda adeò potentiſſima, quòd etiam bello cum Imperatore certavit duriſſimo, quæ cùm ampliſſimis poſſeſſionibus abundaret, totum ſuum patrimonium ſuper Altare Sancti Petri obtulit, & hoc quod obtulit uſque in hodiernum diem dicitur Patrimonium Sancti Petri.

MLXVII.

GRegorius VII. ſedit an. XII. menſ. I. diebus IV. imperante Henrico III. Hic Thuſcus natione captus eſt à Centhio nocte Natalis. Hujus tempore Henricus vênit Romam primùm, & Robertus Guiſcardus Romam intravit. Tunc magna fames & mortalitas. Papa mortuus eſt Salerni.

MLXXIX.

VIctor III. ſedit anno uno, diebus VIII. Hic proprio nomine vocatus eſt Deſiderius Abbas Caſſinenſis. Hoc tempore incipit Ordo Cartuſinus.

MLXXX.

URbanus II. ſedit an. XI. menſ. IV. & ceſſavit diebus XVI. imperante Henrico III. Hujus tempore Dux Boamundus cum Chriſtianis recuperavit ſepulchrum Chriſti anno Chriſti MXCVIII. (57) & caſtrum S. Angeli à Romanis eſt captum.

MXCI.

PAſchalis II. ſedit ann. XVIII. menſ. V. diebus VIII. imperante Henrico III. & poſt Henrico IV. Hujus anno primo Comitiſſa Matilda obſedit Ferrariam. Henricus IV. Rex Theotonicorum cum magno exercitu vênit in Thuſciam, ut coronaretur Imperator. Mox bellum fuit inter eum & Papam. Unde Papam cum tota Curia cepit anno Chriſti MCXI. Ejus tempore ſcilicet anno MCVI. apparuit ſtella Cometes. Hic Papa Thuſcus jacet Laterani.

MCXIII.

GElaſius Secundus natione Campanus urbe Gajeta ſedit an I. d. VI. & ceſſavit diebus XXIV. imperante Henrico IV. Hic propter Henricum IV. cum Cardinalibus Gajetam receſſit, inde per mare pergens in Franciam pervênit in Caniacum vel Cluniacum, ibi obiit, & ſepultus eſt.

MCXIV.

CAliſtus II. Archiepiſcopus Viennæ ſedit an. V. menſ. X. d. XIII. & ceſſavit diebus XXIV. (58) Henrico IV. imperante. Hic natione Burgundius, filius Comitis, in Cluniaco à Cardinalibus concorditer eſt electus. Burdinus quidam per Imperatorem factus fuerat Epiſcopus Urbis, qui audito adventu Papæ Caliſti, in Sutrio ſe recepit, quâ obſeſſâ, Papæ & Romani cùm habuiſſent poſitum in camelo verſa facie

(53) *Cod. Eſtenſ.* Clemens II. ſedit &c.
(54) *Cod. Eſtenſ.* ſedit menſ. IX. Hic Mincius nomine.
(55) *Cod. Eſtenſ.* Alexander Secundus natione &c.
(56) *Cod. Eſtenſ.* Cadolus, qui fuit Parmenſis Epiſcopus, & fere ab omnibus Epiſcopis Lombardiæ in Papam eſt electus. Aſſerebant enim Papam non debere eligi niſi de paradiſo Italiæ. Cadolus bis Romam.
(57) *Cod. Eſtenſ.* Anno Chriſti MXCIX. & Caſtrum.
(58) *Cod. Eſtenſ.* ceſſavit dies V.

cie ad tergum, caudam etiam cameli pro fræno habentem duxerunt per publicum. Mox in arce Fumonis retruſus eſt, & Papa verò cum Imperatore concordato Laterani obiit.

MCIX.

HOnorius II. ſedit ann. V. menſ. II. d. III. imperante Henrico IV. & poſt Lothario IV. Hic fuit patria Bononienſis. Hic devênit Aquilam urbem vocatus à Proceribus, ut eam tueretur à Rugerio Comite Siculo, qui juris eſt S. Petri. At Papa videns perfidiam Procerum, Rugerium recepit in gratiam, & facta fidelitate, ipſum Rugerium de Ducatu Apuliæ inveſtivit. Hic per Legatum Cardinalem duos Patriarchas depoſuit ſcilicet Aquilegienſem (59) .... Hujus tempore Ordo S. Mariæ de Templo in Jeruſalem ordinatur.

MCXXX.

INnocentius II. natione Romanus ſedit an. XIII. menſ. VI. d. VIII. imperante Lothario, poſtea Conrado II. Jacet Laterani. Hoc tempore fuit maxima fames. Synodum etiam Romæ habuit hic Papa, qui contra Regem Siciliæ ducem Apuliæ duxit exercitum cum Romanis; ſed ab Imperatore proditione captus eſt. Hujus tempore Magiſter Arnaldus patibulo ſuſpenſus eſt Romæ, quòd contra Clericos prædicabat, reprehendens eorum ſuperfluitates & pompas.

MCXLIII.

COEleſtinus II. ſedit menſ. V. d. XIII. imperante Conrado II. Laterani jacet.

MCXLIV.

LUcius II. natione Bononienſis ſedit menſ. VI. d. IV. (60) imperante Conrado. Jacet Laterani. Hic ante Presbyter Cardinalis Sanctæ Crucis totam Eccleſiam & Clauſtrum à fundamentis renovavit.

MCXLV.

EUgenius III. natione Piſanus ſedit an. VIII. menſ. IV. d. XX. imperante Conrado II. & poſt Friderico I. Hoc tempore anno Chriſti MCXLVII. Imperator Conradus & Rex Franciæ Cruce-ſignato exercitu transfretarunt.

MCLIV.

ANaſtaſius IV. natione Romanus ſedit anno uno, menſ. IV. d. XXIV. & ceſſavit d. XX (61) imperante Friderico. Hic apud Sanctam Mariam Rotundam Romæ conſtruxit novum Palatium, & Eccleſiæ Laterani dedit penſantem (62) marchas XX. & alia plurima dona. Jacet ibidem petrifico (63) lapide.

MCLVI.

ADrianus IV. natione Anglicus ſedit an. IV. & ceſſavit an. I. imperante Friderico I. Jacet in Vaticano. Hic primùm Epiſcopus Albanienſis in legationem miſſus Cormatiam pro Verbi prædicatione; qui eam gentem barbaram de lege Dei inſtruxit.

(59) *Cod. Eſtenſ.* ſcilicet Aquilejenſem & Venetum.
(60) *Cod. Eſtenſ.* ſedit menſ. XI. dies IV. imperante Conrado II.
(61) *Cod. Eſtenſ.* ceſſavit diebus XXIV.
(62) *Cod. Eſtenſ.* dedit Calicem penſantem.

MCLX.

ALexander III. natione Thuſcus urbe Sene ſedit an. XI. d. XI. (64) Hic Concilium Laterani habuit, aliud Turoni. Hic Fridericum Imperatorem Romanum & Emanuelem Imperatorem Conſtantinopolitanum & Guilhelmum Regem Siculum & Lombardos ad concordiam revocavit. Poſt XX. annos ſuæ ſedis fuerunt immenſi terræ motus. Antiochia, Damaſcus, & Tripolis urbes Syriæ maximè ſunt vexatæ. In Sicilia urbs Catanienſis (65) penitùs everſa, in qua perierunt homines ultra viginti millia: mare etiam concuſſum, unde quinque millia hominum ſunt ſubmerſi. Hujus tempore maximum ſchiſma fuit.

MCLXXXI.

LUcius III. natione Thuſcus ſedit an. IV. menſ. II. d. XVIII. & ceſſavit diebus XVIII. imperante Friderico. Hujus tempore floruit Petrus Comeſtor, qui utriuſque Teſtamenti hiſtorias ordinavit, & Primas verſificator egregius. Hic Papa Veronæ obiit & ibi ſepultus eſt.

MCLXXXV.

URbanus III. natione Mediolanenſis ſedit an. I. menſ. X. d. XXV. imperante Henrico V. Hujus tempore capta eſt Jeruſalem per Saladinum Soldanum Anno Chriſti MCLXXXVI. quo dolore obiit Papa, & Ferrariæ jacet majori Eccleſia.

MCLXXXVI.

GRegorius VIII. natione Piſanus vel Beneventanus ſedit an. I. d. XX. imperante Henrico filio Friderici. Hic zelando pro Terra Sancta pacem fecit inter Piſas & Januam. Piſis mortuus ibi jacet.

MCLXXXVII.

CLemens III. natione Romanus ſedit an. III. d. XVI. imperante ipſo Henrico. Hic ordinavit Clauſtrum apud Sanctum Laurentium foris muros Romæ, & Laterani fecit palatium altius & picturis ornatum; equum quoque circum (66) fecit fieri.

MCXC.

COEleſtinus III. natione Romanus ſedit an. VI. menſ. IX. dies XI. Hic ſecundo die ſui Pontificatus coronavit Henricum filium Friderici dictum à quibuſdam Fridericum Secundum. Ugutio Epiſcopus Ferrarienſis per hæc tempora librum derivationum edidit.

MCXCVII.

INnocentius III. natione Campanus conſecratus feſto Cathedræ Sancti Petri, ſedit ann. XVIII.

(63) *Cod. Eſtenſ.* porphyretico lapide.
(64) *Cod. Eſtenſ.* dies XI. & ceſſavit dies IX. Hic Concilium.
(65) *Cod. Eſtenſ.* Urbs Catanenſis.
(66) *Cod. Eſtenſ.* equum quoque æreum.

Digitized by Google

XVIII. menſ. IV. dies XXIV. imperante Henrico, & poſt Othone IV. Hic conſtruxit Hoſpitale S. Spiritus; renovavit Eccleſiam S. Siſti, Decretalium librum ordinavit, compoſuit librum de miſeria hominis. Singulis Eccleſiis Romæ unam libram argenti contulit pro calicibus faciendis, ea conditione, quòd eos vendere non liceat. Hic, ut dicitur, ædificari fecit in Urbe turrim omnium pulcherrimam, propter quod mox fecit jam dictum Hoſpitale. Huic ſcripſit Gualfredus Poëtriam novellam, hic etiam coronavit Othonem, & depoſuit ejus exceſſibus (motus.) Hujus tempore capta eſt à Francis, & à Venetis Conſtantinopolis. Anno Pontificatus ejus XVII. Romæ celebravit Concilium generale pro ſubſidio Terræ-Sanctæ Prælatorum MCCXV. Obiit Peruſii, & ibi ſepultus eſt, & ceſſavit Papatus die una, civibus illius urbis arctantibus Cardinales ita, ut coacti elegerint Honorium.

MCCXVI.

HOnorius III. natione Romanus ſedit an. X. menſ. VIII. dies XXIII. Othone depoſito. Hic apud Sanctum Laurentium foris muros Romæ coronavit, * (67) & Fridericum Henrici filium Imperatorem Romanum in Eccleſia Beati Petri. Anno Chriſti MCCXX. Moxque eum invênit ſibi adverſarium, anathematizavit, & abſolvit à fidelitate ipſius Barones. Honorius anno primo ſui Pontificatus confirmavit Ordinem Prædicatorum procurante Beato Dominico Hiſpanienſi ejus Ordinis inventore. Nam Innocentius ſuperior Papa, qui ſibi in hoc fuerat durus habita viſione, quòd Beatus Dominicus Lateranenſem Eccleſiam cadentem humeris ſubſtentaſſet eum Ordinem confirmare voluit, ſed morte præventus non potuit. Hujus tempore à Chriſtianis capitur Damiata. Honorius Romæ moritur & ſepelitur, apud Sanctam Mariam Majorem.

MCCXXVII.

GRegorius IX. natione Campanus ſedit ann. XIV. qui vocabatur Ugolinus Epiſcopus Hoſtienſis. Hic Sanctam Eliſabeth filiam Regis Hungariæ, & uxorem Langravii Lotharingiæ canonizavit, ut Sanctam. Hic etiam ſententiam latam contra Fridericum Imperatorem roboravit. Dum hic Romæ Concilium celebrare ſtudet, aditus veniendi Romam terra marique arctantur, duo Cardinales & Prælati plurimi ad Concilium venientes à fautoribus Imperatoris capiuntur. Gregorius Urbe ab Imperatore obſeſſus, videns Romanos pronos ad Imperatoris obſequium, Proceſſionem cum Clero faciens, capita Apoſtolorum geſtando ab Eccleſia Lateranenſi uſque ad Sanctum Petrum, Romanorum animos ad ſe revocavit, ut penè omnes contra Fridericum crucem aſſumerent. Hoc audito Imperaror ab Urbe procul abſceſſit. Gregorius tribulationibus tantis concuſſus anno Pontificatus ſui XIV. menſe Auguſto Romæ obiit; Qui anno Chriſti MCCXXXIII. canonizavit Beatum Dominicum à confirmatione Ordiois anno XVIII. ab obitu ejus Sancti Dominici anno XI.

MCCXLI.

COEleſtinus IV. natione Mediolanenſis ſedit dies XVIII. & vacavit Epiſcopatus anno uno, menſ. X. jam depoſito Friderico Secundo filio Henrici. Hic Epiſcopus Sabinienſis vita & ſcientia laudabilis, ſenex & infirmus electus citò moritur, & in Eccleſia Beati Petri ſepelitur.

MCCXLII.

INnocentius IV. natione Januenſis ſedit an. XI. menſ. (68) Hic dum Cardinalis erat, fautor erat Friderici Imperatoris; cui cùm nunciatum eſſet, amicum ſuum factum eſſe Papam, diu mœſtus tacuit; tandem ait: Amicum magnum perdidi, qui hactenus mihi fuit amicus, at mox hoſtis erit: nec aliter dixit, quàm evênit. Nam factus adverſarius Friderico de Italia in Gallias perrexit, & Lugdunum convocavit Concilium, ubi Fridericum hoſtem Eccleſiæ pronunciavit, & contra eum ſententiam protulit, quo de Imperio depoſito procuravit eligi Imperatorem Landgravium; quo brevi mortuo eligi fecit in ejus locum Guilielmum Comitem Olandiæ; qui etiam non diu ibi vixit. Mortuo Friderico Innocentius vênit in Italiam tranſiens per Franciam Bononiam. (69) Inde cùm perveniſſet Neapolim, ibi moritur & ſepelitur.

MCCLIV.

ALexander IV. natione Campanus ſedit an. VI. menſ. VI. & ceſſavit menſ. III. dies IV. nemine imperante. Hic bellum geſſit contra Manfredum filium non legitimum Friderici, qui uſurpatione regnum tenebat Siciliæ. Hic Papa eanonizavit Beatam Claram, quæ fuit Ordinis S. Damiani. Hujus Papæ tempore Electores Imperii in Alemannia diſſidentes elegerunt alii Alfunſum Regem Caſtellæ, alii Ricardum Comitem Cornubiæ fratrem Regis Angliæ, & neuter Imperio eſt potitus. Hic Papa reprobavit duos peſtiferos libellos, quorum unus damnabat religioſos eleemoſynis viventes: alter verò aſſerebat, quòd Evangelium Chriſti, & Novi Teſtamenti doctrina neminem ad perfectum perduxit, & evacuari debere, & debere inchoari doctrinam Joachim, quam conditor libri Evangelium æternum nominavit, totam perfectionem hominum ſalvandorum in illa ponendo. Hos libellos Alexander Viterbii * (70) & ibi in Eccleſia B. Laurentii tumulatur anno Chriſti MCCLXI.

MCCLXIII.

URbanus IV. natione Gallicus ſedit an. III. menſ. I. dies IV. & ceſſavit menſ. V. nemine imperante. Hic Concilio Cardinalium vocavit Karulum Comitem Provinciæ, fratrem Regis Franciæ Lodovici contra Manfredum, qui regnabat in Regno Siculo. Papa idem Peruſii moritur & tumulatur.

MCCLXV.

CLemens IV. natione Provinciæ de Villa Sancti Ægidii ſedit an. III. menſ. IX. d. XXI. &

(67) *Cod. Eſtenſ.* Romæ coronavit Imperatorem Conſtantinopolitanum Petrum Comitem Altiſſiodorenſem: coronavit etiam Fridericum, *& infra*. Moxque eum. *Cod. Eſtenſ.* Mox quia eum &c.

(68) *Cod. Eſtenſ.* annis XI. menſibus VI. Hic dum &c.

(69) *Cod. Eſtenſ.* per Ferrariam, Bononiam.

(70) *Cod. Eſtenſ.* Alexander irritos & frivolos duxit, Alexander moritur Viterbii, & ibi &c.

& ceſſavit an. III. menſ. II. d. X. Hic anno Chriſti MCCLXV. mortuus eſt Viterbu, & ſepultus Prædicatorum Eccleſiâ. Hic primùm uxorem, & liberos habuit, qui erat verus Advocatus, & Juriſconſultus, mox Regis Franciæ Conſiliarius. Is conjuge defunctâ factus eſt Clericus, & primò propter laudabilem vitam fuit Epiſcopus Podienſis, mox Archi-Epiſcopus Narbonenſis, poſt Sabinienſis Epiſcopus Cardinalis. Eo fungens officio ab Urbano Papa in Galliam legatus mittitur, ubi exercens legationis officium, mortuo Papa à Cardinalibus Epiſcopus Romanus abſens eligitur, cui ita præfuit, ut nullo digniori Epiſcopo ea ætate Eccleſia Romana gubernata ſit penitùs. Hoc ſedente Karulus expugnavit, & occidit Conradinum Friderici cujuſdam (71) Imperatoris nepotem, qui cum exercitu venerat ex Alemannia pro vendicando Regnum avitum Siciliæ.

MCCLXXII.

GRegorius X. natione Placentinus ſedit an. IV. dies X. (72) Hic dum eſſet in Terra-Sancta fidei devotione à Cardinalibus abſens eligitur. Hic vir timoratus & juſtus, qui quantocius potuit, ut Terræ-Sanctæ ſubveniretur, Lugduni Concilium congregavit, pro Paſſagio decimas ab Eccleſiis colligi fecit; Mox inde rediens morte præventus jacet Aritii. In eo Concilio affuerunt legati Græcorum, qui Symbolum cum Latinis concorditer cantaverunt. Affuerunt quoque Tartarorum legati, qui baptizati & concordati cum Papa ad propria ſunt regreſſi.

MCCLXXVI.

INnocentius V. natione Burgundio ſedit menſ. V. & dies II. & ceſſavit diebus XVIII. Rodulfo Rege electo in Imperatorem. Hic de Ordine Prædicatorum Doctor fuit in Ordine & libros compoſuit; mox Archi-Epiſcopus Lugdunenſis: demum à Gregurio X. factus eſt Cardinalis cum aliis tribus viris ſummæ præſtantiæ. Innocentius Romæ moritur, & Laterani ſepelitur.

MCCLXXVI.

ADrianus V. natione Januenſis ſedit diebus XXXIX. Romæ electus moritur Viterbii, & ibi ſepelitur. Hic Cardinalis dicebatur Othobonus de Fliſco, nepos Innocentii IV.

MCCLXXVII.

JOhannes XXI. natione Hiſpanus ſedit menſ. VIII. dies I. & ceſſavit menſ. VII. dies VII. Hic electus fuit Cardinalis à Gregorio X. Hic magnus Magiſter, in ſcientiis plus delectabatur, quàm omnibus reliquis in negotiis, cui nomen fuit Magiſter Petrus Hiſpanus, qui tractatus in Logica compoſuit. Dum hic longo vitæ ſpatio gauderet, quod ſibi & affuturum jactabat, dumque novâ camerâ legeret, quam ſibi circa palatium Viterbii paraverat, (73) eo præſente palatium corruit, & ſolus inter ligna & lapides attritus die quinto ſupervixit, & munitus Sacramentis Eccleſiaſticis migravit è ſeculo, & ſepultus eſt Viterbii Eccleſiâ Sancti Laurentii.

(71) *Cod. Eſtenſ.* Friderici quondam Imperatoris &c.
(72) *Cod. Eſtenſ.* annis IV. dieb. X. & ceſſavit dies X. Hic dum &c.
(73) *Cod. Eſtenſ.* paraverat, repentè &c.

MCCLXXVIII.

NIcolaus III. natione Romanus familia Urſinorum ſedit a. (74) - - - Hic Cardinalis eſt dictus Gaytanus vir prudens, & ſummæ honeſtatis aſpectu, multum ſtudens ad amplificationem ſui generis paterni.

MCCLXXXI.

MArtinus IV. natione Gallicus ſedit an. IV. Hic magnis ſumtibus bellorum ſubegit Forlivium, & Guidonem de Monte Feretro Ducem Gibellinorum in Romaniola: multam quoque impenſam fecit ex pecunia, quam paraverat Cardinalis, in levando caritatem annonæ, qua gravabantur ii, qui Curiam ſequebantur, emens majoris, & vendens minoris. Obiit Peruſii & ibi jacet.

MCCLXXXV.

HOnorius IV. natione Romanus. Hic Cardinalis dictus eſt Jacobus Sabellius, pedibus ægrotus, ut nec ambularet, ſedit an. III.

MCCLXXXVIII.

NIcolaus IV. natione Eſculanus de Ordine Minorum ſedit a. - - - Hic Miniſter Generalis ejus Ordinis factus eſt Cardinalis, Hieronymus nomine. Hujus tempore capta eſt Tripolis, & altero anno ſubverſa eſt Acon urbes Syriæ. Hoc mortuo diu fuit vacatio.

MCCLXXXXIV.

COEleſtinus V. ſedit minus anno uno. Hic vir Anachorita electus eſt à Cardinalibus in alius electione non convenientibus. Vir ſimplex & Deum timens, contemnens ſeculum & Deo ſtudens placere: cùm huic moleſtum eſſet fungi Papatu, cùm talium rerum prudens non eſſet, de ſuæ conditionis ſtatu querebatur, perſuaſo ſibi tandem à quibuſdam ex fratribus Cardinalibus, celebratâ Miſſâ coram populo, depoſitis inſigniis Pontificatus, ſe abdicavit officio & clam profectus eſt peregrè.

MCCLXXXXV.

BOniſacius VIII. natione Campanus Anania oppido, ſedit ann. --- Hic Cardinalis dicebatur Benedictus, vir prudens in agendis negotiis. Hic multa irritavit à Cœleſtino acta, & conſtituit, ut Feſta Apoſtolorum & Evangeliſtarum, & quatuor Doctorum Eccleſiæ, ut Paſchalia celebrentur. Lodovicum Regem Franciæ, qui obiit apud Karthaginem, taxavit (addendum) Sanctorum catalogo. Celebritatem quoque inſtituit menſe Junio fieri pro veneratione Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti. Compoſuit quoque inter Regem Karulum, & Regem Aragonum diu inimicos. Anno Chriſti MCCXCVIII. edidit ſextum librum Decretalium. Eo quoque anno compoſuit inter Philippum Regem Franciæ, & Obdoardum Regem Angliæ. Karulum quoque fratrem Regis Franciæ elegit, & confirmavit in Dominum & Recto-

(74) *Cod. Eſtenſ.* ſedit annis II. menſ. VIII. diebus XXVII. & ceſſavit menſ. VI. Hic Cardinalis dictus eſt Johannes Gajetanus.

Digitized by Google

A ctorem Romaniſtæ (75), Ducatus Spoleti, Marchiæ Ancon-tanæ, & Patrimonii Sancti Petri.

Benedictus XI. Fratrum Prædicatorum de Trivixio obiit Peruſii. (76)

Clemens V. Archiepiſcopus Burdegallonenſis de Guaſcogna tranſit Curiam Romanam ultra montes, & adhuc eſt ibi, & multa fecit. (77)

Johannes XXII. de Chaturſio obiit Avinione, multa fecit. (78)

Benedictus XII. de Ordine Ciſtercienſi obiit Avinione. (79)

Clemens VI. Monachus niger de Ordine Sancti Benedicti. (80)

Innocentius VI.
Urbanus V.
B Gregorius XI.
Urbanus VI. Hujus tempore cœpit ſchiſma.
Bonifacius IX.
Innocentius VII.
Gregorius XII.
Alexander V.
Johannes XXIII.

Catalogus Epiſcoporum Eccleſiæ Antiochenæ.

Petrus Apoſtolus.	Babyla.	
Evodius.	Fabianus.	
Ignatius.	Demetrianus.	
Hero.	Paulus Samoteenus.	
Cornelius.	Domnus.	C
Hero.	Tymæus.	
Theophilus.	Quirillus. *ſeu Cyrillus.*	
Maximus.	Dorotheus.	
Serapion.	Tyrannus.	
Aſclepiades.	Eudoſio.	
Filetus.	Meletius. (81)	
Chabenus.		

Catalogus Epiſcoporum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ.

Jacobus frater Domini.	Judas. Hi omnes ſuperiores ex Judæis fuerunt.	
Simon Juſtus.		
Juſtus.		
Zachæus.	Marcus primus ex Gentibus.	D
Tobias.		
Benjamin.	Caſſianus.	
Johannes.	Publius.	
Matthias.	Maximus.	
Philippus.	Julianus.	
Seneca.	Cajanus.	
Juſtus.	Symmachus.	
Levi.	Gajus.	
Effren.	Julianus.	
Joſeph.	Capito.	
Maximus.	Alexander.	
Antonius.	Mazabanes.	
Valens.	Nyrenius.	
Dulcianus.	Irenæus.	
Narciſſus.	Gabdas.	
Dyus.	Hermo.	
Germanio.	Maximus.	
Gordius.	Cyrillus.	
Narciſſus iterum.	Johannes.	

Catalogus Epiſcoporum Eccleſiæ Alexandrinæ.

Marcus Evangeliſta.	Maximus.
Anianus.	Theonas.
Abilius.	Petrus.
Cerdon.	Achillas.
Primus.	Alexander.
Juſtus.	Athanaſius.
Heumenes.	Georgius Arrianus nequam.
Marcus.	Lucius.
Celadion.	Dydimus.
Agrippinus.	Petrus.
Julianus.	Timotheus.
Demetrius.	Theophilus.
Heraclas.	
Dionyſius.	

Catalogus Epiſcoporum Eccleſiæ Ravennatis.

Apollinaris Antiochenus primus Epiſcopus miſſus à Petro Apoſtolo.

Aderitus à Beato Apollinare ordinatus eſt Presbyter: jacet Claſſi.

Eleucadius ordinatus Diaconus à Beato Apollinare. Hic cantum edidit Eccleſiæ Ravennatis.

Martianus ordinatus Diaconus à Beato Apollinare, ſepultus cum ipſo Eleucadio extra muros Claſſis.

Calocerus miraculis inſignis, utilis prædicatione, jacet Eccleſiâ Sancti Probi.

Proculus prædicator egregius jacet cum Caloceto.

Probus per quem Deus ſanabat languores. Jacet infra civitatem Claſſis.

Datus animarum Piſcator.

Liberius Philoſophus caritate plenus.

Agapitus eleemoſynator.

Marcellinus vir juſtus.

Severus vir ſimplex; jacet Eccleſiâ ſui nominis extra Claſſem. Hi omnes XI. electi fuerunt à Deo columba indice miſſa cœlitus, & requieſcunt juxta Claſſem, vel extra eam regionem.

Liberius II. pater orphanorum.

Probus II. Angelos vidit expirans.

Florentius pater pauperum jacet Eccleſiâ Beatæ Petronillæ.

Liberius III. eloquens prædicator (82).

Ur-

E
(75) *Cod. Eſtenſ.* Rectorem Romaniolæ &c.
(76) *Cod. Eſtenſ.* obiit Peruſii. Tenuit menſes octo. Clemens V. Archiepiſcopus Burdegallenſis.
(77) *Cod. Eſtenſ.* multa fecit. Tenuit annis XII.
(78) *Cod. Eſtenſ.* multa fecit Tenuit annis XVIII. menſibus III. diebus IV.
(79) *Cod. Eſtenſ.* Benedictus XII. de Ordine Ciſtercienſium obiit Avinione, annis octo.
(80) *Cod. Eſtenſ.* Sancti Benedicti, annis X.
Innocentius VI. annis X. menſ. III. diebus VII.
Urbanus V. annis VIII. menſ. I. diebus XXII.
Gregorius XI. annis VII. menſ. II.
Urbanus VI. . . . . .
Bonifacius IX. natione de Neapoli de Thomaſellis, vir laicus, & tenuit Papatum per annos . . . .
MCCCCIV.
Innocentius VII. natione de Sermona, nomine ſuo proprio Coſma, erat Cardinalis Bononiæ. Electus fuit ad Papatum anno Dñi MCCCCIV. de menſe Octubri; & migravit à ſæculo anno Domini MCCCCVI. die VI. Novembris.
MCCCCVI.
Gregorius XII. natione civitatis Venetiarum, & ſuo proprio nomine dictus Angelus de Ca-Cornero, Cardinalis Conſtantinopolitanus, electus fuit in Papam anno Domini MCCCCVI. die primo Decembris circa horam XVII.
(81) *Cod. Eſtenſ.* Meletius. Paulinus. Plavianus.
(82) *Cod. Eſtenſ.* prædicator in civitate Ravennæ, Archiepiſcopus ejus, tempore Valentiniani. Qui Auguſtus occiſus fuit a Ravennatibus extra Portam, non longè ad ſtadium tabulæ prope campum Coriandri; propter quod ſeditio magna fuit in Populo, & multi vulnerati in loco, ubi dicitur Puteus benedictus. Sepultus eſt dictus Liberius in Monſterio S. Pullionis, quod ſuis temporibus ædificatum fuit non longè a Porta Nova.
Urſus qui Urbanam &c.

Urſus, qui Urſianam ſundavit Eccleſiam, quæ dicta eſt Anaſtaſis i. e. ſancta reſurrectio.

Petrus fundator Eccleſiæ Petrianæ, ubi fuerunt altaria Eccleſiaſtica.

Neon ſundator Eccleſiæ S. Petri Majoris & Tricollis. Hic ſuit tempore matris Gallæ Placidiæ.

Exuperantius, cujus tempore facta eſt Eccleſia S. Agnetis, qua dormir.

Johannes, qui vidit Angelum. Hic XIV. Eccleſias acquiſivit huic Eccleſiæ à Valentiniano Auguſto filio Placidiæ.

Petrus, Sanctus dictus (83), Ravennas, os aureum, jacet Imolæ majori Eccleſia.

Aurelianus jacet ubi Neon.

Eccleſius: hic ædificator Eccleſiæ S. Mariæ majoris; cujus tempore conſtructa eſt Eccleſia Sancti Vitalis Ravennæ, in qua expenſi fuerunt XXVI. aureorum (84).

Urſicinus; cujus tempore ædificata eſt Eccleſia Sancti Apollinaris in Claſſe: jacet Eccleſiâ Sancti Vitalis (85).

Maximianus Eccleſiarum fundator, conſecravit Eccleſiam Claſſis. Jacet Eccleſiâ B. Andreæ.

Agnellus. Hic acquiſivit argenteam Eccleſiæ Ravennatenſis, ædificavit item Eccleſiam Sancti Georgii. Ejus tempore mortuus eſt Juſtinianus apud Conſtantinopolim. Ipſe Agnellus jacet Eccleſiâ S. Agathæ Ravennæ.

Petrus Senior. Hic fundavit Eccleſiam Sancti Severi in Claſſe. Hujus tempore occupata eſt Venetia à Longobardis.

Johannes Romanus. Hic conſummavit Eccleſiam Sancti Severi.

Maurinianus natione Romanus jacet Artechâ Eccleſiæ Claſſe.

Johannes Claſſenſis jacet eadem Artecha.

Johannes IV. Hic fuit tempore Phocæ Imperatoris, & Papæ Bonifacii.

Bonus. Bonus operibus, jacet Eccleſiâ Sancti Apollinaris in Claſſe.

Maurus. Hic excommunicatus à Papa eum etiam excommunicavit.

Reparatus. Hic non obedivit Epiſcopo Romano. Jacet Eccleſiâ Claſſis.

Theodorus; Homo plenus fallacia, mortuus gaudio omnium.

Damianus, per quem Deus mortuum reſuſcitavit; jacet in Eccleſia Claſſenſi S. Apollinaris.

Felix prędicator optimus, jacet eadem Eccleſia.

Johannes V. humilis & ſapiens cujus tempore corruit terræ motu Eccleſia Petriana: jacet in Eccleſia Claſſis cum aliis.

Sergius, qui ſponſam habuit. Hujus tempore Zacharias Papa ivit in Franciam, petens auxilium à Pipino contra Aſtulſum Regem Longobardorum.

Leo, qui de ovili hoc fuit electus.

Johannes VI. jacet Artechâ Eccleſiæ Claſſis.

Gratioſus vir optimus. Hic Karulum Ravennæ prandio coluit. Prophetavit de iis, quæ acciderunt Ravennæ. Jacet Eccleſiâ Claſſis.

Johannes VII.

Conſtantinus.

Petrus Bononienſis, qui rexit Eccleſiam annis XLVI.

Honeſtus. Herbertus.

Johannes VIII. Neomutus.

Federicus, anno, quo mortuus eſt Henricus Rex Maximus, primò vênit in Italiam.

Arnaldus.

Eribertus.

Geboardus. (86) Hic dotavit Eccleſiam Pompoſianam bonis pluribus, & in eadem quieſcit.

Henricus.

Gibertus.

Gualterius vir religioſus, qui Eccleſiam rexit annis XXIV. obiit anno Chriſti MCLIV. (87) anno ſecundo Papæ Anaſtaſii Quarti, anno tertio Federici Imperatoris, qui vênit in Italiam.

Anſelmus, qui pallium accepit ea die, qua Fridericus Imperator fuit coronatus Romæ in Eccleſia Sancti Petri ab Adriano IV. Papa. Hic Anaſtaſius mortuus eſt principio obſidionis Mediolani.

Guido. Guielmus II.

Geraldus. Albertus.

Guielmus LXXIV. Ægidius.

Guidotus LXXV. Ubaldus.

Simeon obiit MCCXXVII.

Theodoricus vir corde & animo pulcher fuit tempore Friderici II. Imperatoris. Obiit anno Chriſti MCCXXXVIII.

Philippus electus Eccleſiæ Ferrarienſis, vir ſtrenuus. Hic Legatus Eccleſiæ Paduam de manu Ecceclini eripuit. Obiit MCCLXX.

Bonifacius, proſapia de Lavania, de Ordine Prædicatorum, vir ſummè facundus, qui bona & jura Eccleſiæ multum ampliavit. Jacet Eccleſia majori, prope altare Magdalenæ, quod conſtruxit. Obiit Orioli pridie Nativitatis Chriſti MCCXCIV.

Uſque ad hunc Obizonem ſcribit Ricobaldus.

Obizo natione Parmenſis, & Epiſcopus ejus urbis vir literatus, & ſtrenuus.

Poſt ipſum Raynaldus de Concoregio de Mediolano, Vir ſanctus literatus & honeſtus.

Poſt iſtum fuit electus Raynaldus de Polenta, qui fuit per Hoſtaſium ejus conſanguineum interfectus.

Poſt iſtum fuit electus conſecratus & confirmatus Dominus Aimericus de Caſtro Lucii, Capellanus Domini Papæ, tunc Comes Romandiolæ factus; poſtea Epiſcopus Carnotenſis, & poſtea Cardinalis.

Poſt iſtum factus eſt Dominus Guido de Tripoli de Regio, vir nobilis, literatus; modicum vixit.

Poſt iſtum fuit Dominus Franciſcus de Ca-Michele de Venetia: Poſtea translatus ad Archiepiſcopatum Candiæ in Inſula Cretenſi.

Poſt iſtum Dominus Nicolaus de Chanale de Pergamo translatus poſtmodum ad Archiepiſcopatum Patratenſem.

Poſt iſtum Frater Fortenerius de Ordine Minorum Ultramontanus, qui hodie viget. (88)

(83) *Cod. Eſtenſ.* Petrus Secundus &c.

(84) *Cod. Eſtenſ.* XXVI. millia ſolidorum aureorum.

(85) *Cod. Eſtenſ.* Sancti Vitalis. Victor. Hic fecit Cyvorium argenteum ſuper Altare Majoris Eccleſiæ. Jacet Eccleſia S. Vitalis.
Maximianus &c.

(86) *Cod. Eſtenſ.* Gebeardus. Hic ædificavit Eccleſiam Sancti Andreæ in Ravenna. Hic dotavit &c.

(87) *Cod. Eſtenſ.* An. Chriſti MCXLIV. Moiſes Vercellenſis vir optime literatus, bonus Eccleſiæ Rector, obiit anno Chriſti MCLIV. anno ſecundo &c.

(88) *Cod. Eſtenſ.* qui hodie viget: regit annis X. menſ. IV.
Poſt iſtum fuit Reverendiſſimus Doctor Dominus Petrocinus Monachus Monaſterii Sancti Bartholi de Ferraria, natione Ferrarienſis; erat Auditor Sacri Palatii, annis VII. menſ. V. diebus XXII.
Poſt iſtum fuit Reverendiſſimus ac Nobilis Dominus Pilleus de Prata Aquilejenſis Diœceſis, & poſtea ſucceſſit in Cardinalatu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.
Poſt iſtum fuit Reverendiſſimus Dominus Coſma natione Sermonenſis; qui ſucceſſit Cardinalis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ; & poſtea ſucceſſit in Papatu anno Domini MCCCCV. & vocatus fuit Innocentius Papa.
Poſt iſtum fuit Reverendiſſimus Dominus Johannes natus de Sermona, nepos Domini Coſmæ ſupradicti, cui poſtea ſucceſſit in Cardinalatu. Amen.

Addi-

Additamentum ex MSto Codice Bibliothecæ Eſtenſis.

De partibus Italiæ ſecundùm ſcripta Auctorum.

CAPUT PRIMUM.

ITalia olim à Græcis occupata, *Magna Græcia* appellata eſt, deinde à Rege Saturnio *Saturnia*: mox *Latium*, eo quòd idem Saturnus à Jove filio ſedibus ſuis pulſus in ea latuit; poſtremò ab Italo Siculorum Rege ibi regnante *Italia* nominata eſt; cujus ſitus tam per longitudinem, quàm per latitudinem à Favonio in Eurum extenditur; ab Oriente Mari Jonio jungitur, à Meridie Mari Tyrrheno, ab Occaſu Alpibus Apenninis, quibus adjacent Gallia Narbonenſis, in qua eſt Maſſilia, & Bojorum regio, quæ Saboja nunc dicitur, & pars Galliæ Comatæ ſeu Belgicæ. A Septentrione Alpes eædem Apenninæ, quibus adjacent ea Gallia & Rhætia, donec in Sinum Liburnicum terminentur ipſæ Alpes. Terra hæc omnibus præſtantior, quippe quaſi medio Orbe poſita eſt, aere temperato, ſolo ſpatioſo, & rerum utilium feraci, ut puta, annonæ, vini, olei, pomorum, ac ſalis; campis, montibus, & alpibus, ſpatioſa pabuli ubertate commodiſſima, ad pecora & greges alendos uberrima, & noxiis animalibus ſatis libera. Hæc fontibus, fluminibus, & ſpecioſis lacubus abundat, paludibus ad piſces, ſilvis ad ligna. Hæc in viſceribus montium ſuorum neceſſariis abundat metallis: hæc in ſinu pelagorum Urbes habet in mari potentiſſimas & commodas, ut Januam, Piſas, Neapolim, Meſſenam, & alias urbes Siculas, Brunduſium, Anconam, Ravennam, Venetias, & Aquilegiam. Hæ urbes claſſium ditiſſimæ ad ceteras terras maritimas ſubigendas portus commodiſſimos habent abſque aliis portubus, quibus dominantur hæ urbes. Hæc Italia præſtantibus equis eſt locuples, in hac mores cultiores, viri prudentes, bellicoſi in armis ſpecioſis, & ſtrenui officinarum opifices, & in liberalibus artibus eruditi. In hac præter urbes maritimas nominatas, & præter ipſam Romam, Caput Orbis, ſunt florentiſſimæ urbes; in Venetia Padua, Brixia, & Cremona; in Liguria Mediolanum & Ticinum; in Æmilia Placentia, Parma, & Bononia hortus amœnus; in regione Piceni Firmum, & Aſculum; in Thuſcia Florentia florida viris & opibus, Luca, & Sena; in Aurelia Peruſium, Urbs-Vetus, Viterbium; in Campania Capua; in Samnio Beneventum. Hæc quoque Sanctorum Reliquiis præ ceteris inclyta, in qua Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli Corpora requieſcunt, Bartholomæi quoque Apoſtoli corpus in Urbe ſervatur: ibi illuſtres Martyres Stephanus & Laurentius: Virginis Agnetis etiam corpus. Venetiarum quoque urbs Marci corpore Evangeliſtæ lætatur. Barum urbs corpore Nicolai, & Caſinum corpore Benedicti Abbatis. Hæc quoque inclyta eſt corporibus quatuor præcipuorum Doctorum Eccleſiæ, & duorum Ordinum Prædicatorum, & Minorum. Nam Romæ quieſcunt Gregorius & Hieronymus: Auguſtinus Papiæ: Mediolani Ambroſius: Bononiæ Dominicus: & Franciſcus Aſſiſii. De ceteris Sanctis ſileo, quos eſſet enumerare prolixum; quamvis prætereun-

A dum non ſit prærogativæ donum gratiæ, quo Deus, in eligendo urbis Ravennæ Præſules undecim, Columba miſſa cœlitus indice, palàm cunctis eam urbem peculiari gratia inclytavit, quod donum ſemel tantùm urbi Romæ contribuit in ſuo Epiſcopo Fabiano. Nunc de Italiæ partibus diſſeratur, & primò à regione Orientis in latere Aquilonis.

De Iſtria.

CAP. II.

PRima hujus provinciæ Iſtria eſt, quæ habet ab Oriente Dalmatiam, quæ nunc Sclavo-
B nia dicitur, à Borea Pannoniam, quæ Hungaria nunc appellatur, ab Occidente Venetiam computat, a Meridie ſinum Maris Adriatici. Hæc eſt ut plurimum montuoſa: vino optimo, oleo, & pecoribus felix, viros incultos & rudes habet. Hæc provincia olim fuit diffuſior. Habet intra ſe Polam urbem, & Trieſtum, & alia oppida. Hanc aliqui in Venetiam computarunt.

De Venetia.

CAP. III.

SEcunda eſt Venetia, quæ his finibus terminatur, ab Oriente Iſtria, à Meridie Padi
C fluenta, ab Occaſu flumen Addua, à Septemtrione Alpes Apenninæ, quibus Noricus adjacet. In hac ſunt urbes inclytæ Aquilegia, Venetiæ, Padua, Tarviſium, Vicentia, Verona, Brixia, Pergamum, Cremona, Mantua, Ferraria, & Clugia, & alia plurima oppida. Hæc omnibus bonis abundat, & eſt hominum ſatis referta. Veneti enim interpretati ſunt delicioſi.

De Liguria.

CAP. IV.

TErtia eſt Liguria, dicta à leguminibus, quibus abundat. Per hanc mediam labi-
D tur Padus. Hæc regio habet ab Oriente Venetias, & Æmiliam, ab Occiduo Alpes Apenninas, quæ adjacent Galliæ Comatæ, à Meridie Alpes Apenninas, quæ adjacent Cottiæ, a Septemtrione regio, quam quidam dixerunt eſſe duas Rhætias. Mihi videtur ſecundùm Oroſium & alios, eſſe eam regionem hominum, quos Subres nominant, affines Liguribus. In Liguriæ parte, quæ adjacet Venetiæ, eſt florentiſſima urbs Mediolanum, & alia oppida. In altera parte affini Æmiliæ eſt Ticinum, ſive Papia.

De Regione Subrium.

CAP. V.

E QUarta provincia, quam fuiſſe Subrium dixi, habet ab Oriente Venetiam, ab Occidente Galliam, à Meridie Liguriam, à Septemtrione Rhætiam, Apenninis montibus mediis. In hac Tridentum eſt, & alia oppida non multùm illuſtria.

De Cottiarum Alpium Provincia.

CAP. VI.

QUinta, quæ appellatur Cottiæ Alpes, habet ab Occaſu Galliam Narbonenſem, in qua eſt Maſſilia, ab Oriente Thuſciam, à Meridie Tyrrhenum Mare, à Septentrione Liguriam Ticini. Hæc regio montuoſa continet Januam, & alias urbes plurimas. Hæc nunc dicitur Marchia Jamienſis.

De Thuſcia.

CAP. VII.

SExta eſt Thuſcia, quæ habet ab Occiduo Cottias Alpes jam dictas, ab Oriente flumen Tiberim, qui per Romam labitur, à Meridie mare Tyrrhenum, à Septemtrione verſus Occidentem Æmiliam, Umbriam, & Aureliam. Hæc eſt lata regio, montuoſa non multùm, fœcunda frugibus, viris abundat & pecuniis. Hæc habet Piſas, Florentias, Lucam, Piſtorium, Senam, & alia multa oppida populoſa. Hujus etiam partes ſunt Umbria, & Aurelia, de quibus dicetur.

De Umbria.

CAP. VIII.

SEptima eſt Umbria, quæ montuoſa eſt quaſi tota, quæ in ſe habet Sarſinas, teſte Hieronymo, & Montes Feltros, Urbinum, & Foſſembrunum, ut vulgò loquamur ab Oriente; Aureliam ab Occidente, & Meridie Thuſciam, à Septemtrione Flaminiam & Picenum. Umbria dicta eſt, quia ſuperfuit imbribus alicujus diluvii, unde Umbria quaſi Imbria.

De Aurelia.

CAP. IX.

D OCtava Aurelia dicitur regio montuoſa, in qua Peruſium, Spoletum, & alia oppida plurima. Hæc habet ab Oriente Valeriam, ab Occidente Thuſciam & Umbriam, à Septemtrione Alpes, quibus adjacet Picenum, à Meridie Thuſciam. Hæc ab Aurelio Præſide dicta eſt Aurelia.

De Piceno.

CAP. X.

NOna Picenum à Pico ave, qui in ſignis Romanorum in ea regione inſedit. Hæc habet ab Oriente Samnium medio flumine Piſcaria,
E ab Occiduo Flaminiam, à Septemtrione mare Adriacum, à Meridie Umbriam & Aureliam. In hac ſunt Aſculum, Firmum, Ancona, Fanum Fortunæ, & Penſaurum, & oppida plurima. Hæc rebus eſcalibus maximè abundat, quæ nunc Marchia Anconæ appellatur.

De Flaminia.

CAP. XI.

DEcima Flaminia à Flaminio Præſide, in qua ſunt Ravenna, & quinque aliæ civitates,
A ut Faventia, Forum-Livii, Forum-Pompilii, Cæſena, & Cervia. De Arimino eſt in dubio; nam quidam Scriptores tradunt, eam Urbem à Romanis in Gallia conditam; & ſic erit in Flaminia. Lucanus autem dicit, flumen Rubiconem, quod labitur inter Ariminum & Cæſenam, eſſe terminum inter Galliam & Auſoniam; & loquens de Rubicone ſic ait

„ ———— *& Gallica certus*
„ *Limes ab Auſoniis diſterminat arva colonis.*

Auſoniam enim dicit regionem Italiæ, quæ habet Rubiconem ab Occiduo. Galliam verò dicit eam regionem Italiæ, in qua Liguria, Æmilia, & Flaminia ſunt; & hæc Gallia Ciſalpina vel Togata dicitur. In hac Flaminia metropolis eſt
B Ravenna, dicta quondam Pentapolis à quinque civitatibus, quibus præerat. Fines autem Flaminiæ ſunt hi: ab Oriente Picenum, ab Occiduo Æmilia, à Meridie Alpes mediæ inter eam & Umbriam, à Septemtrione mari Adriatico terminatur. Hæc regio eſt uberrima cunctis bonis & frugibus, vino, oleo, pomis, piſcibus, pecore, & ſale. Hæc habet montes felices, campos per plana porrectos, flumina, mare, paludes, & ſilvas, & viros armorum peritos, & faciles confligere prœlio.

De Æmilia.

CAP. XII.

C UNdecima eſt Æmilia ab Æmilio Præſide olim recta. Ab Oriente Flaminia, ab Occiduo Liguria Ticini, à Meridie Alpes Apenninæ, quibus adjacet Thuſcia, à Septemtrione Padi fluenta. In hac ſunt Placentia, Parma. Regium, Mutina, Bononia, & Imola, quæ quondam Cornelia dicebatur. Hæc eſt pulcherrima pars Orbis, & felix fructibus, & præſtantia morum. In hac ſunt montes commodi, plana feracia, & paludes ad piſces. In hac ſunt viri regium cor habentes.

De Valeria.

CAP. XIII.

D DUodecima eſt Valeria à Valerio Præſide dicta, cui eſt Nurſia annexa. Hæc inter Umbriam, Campaniam, & Picenum. In hac ſunt Tibur, Reate, Amiternum, Marſorum regio, & alia oppida multa, & Lacus Fucinus.

De Samnio.

CAP. XIV.

TErtiadecima eſt Samnium, in qua Beneventum eſt. Hæc habet à Septemtrione mare Adriacum, à Meridie Campaniam, ab
E Occiduo Picenum, medio Piſcaria flumine, ab Oriente Apuliam.

De Campania.

CAP. XV.

QUartadecima eſt Campania, quæ habet ab Oriente Lucaniam, à Meridie mare Tyrrhenum, ab Occiduo Thuſciam, medio Tiberi, à Septemtrione Samnium. Hæc eſt regio ſpecioſa, & culta præ cæteris, in qua ſunt præcipuè Neapolis, & Capua: Roma quoque pro majori parte in hac ſita eſt pars minor in Thuſcia, Tiberino flumine terminante.

De

A

De Lucania.

CAP. XVI.

QUintadecima eſt Lucania, quæ eſt inter Campaniam & Calabriam, & mare Tyrrhenum & Apuliam, in qua ſunt Nuceria, & Sipontus.

De Apulia.

CAP. XVII.

B

SExtadecima eſt Apulia, in qua ſunt Tarentum, Brunduſium, & Barleta. Hæc habet ab Occiduo Samnium, à Meridie Lucaniam & Calabriam, ab Aquilone mare Adriacum.

De Calabria.

CAP. XVIII.

C

SEptimadecima eſt Calabria, quæ parum culta eſt. Hæc mari Tyrrheno & Adriaco terminatur ab Oriente & Meridie, ab Occiduo Lucania. In hac eſt Rhegium Urbs in regione, quæ Brutia dicitur.

De Sicilia.

CAP. XIX.

DEecima octava eſt Sicilia, quæ modico freto à Calabria dividitur in ea parte qua habet Tauromitanos adverſos Brutiis & Calabris, ubi eſt Rhegium, aliis partibus Jonio mare ad Orientem, & Tyrrheno ad Meridiem & ad Occidentem ambitur.

D

De Sardinia.

CAP. XX.

DEcima nona Sardinia traditur, licèt propior ſit Africæ, quàm Italiæ. Hæc à Sardo filio Herculis eſt Sardinia nominata. Hæc omnibus partibus mari Tyrrheno ambitur.

De Corſica.

CAP. XXI.

VIgeſima eſt Corſica à Corſo Duce ſuo ſic dicta, undique cincta ipſo freto. Hæc eſt inter Sardiniam & Italiam, longè brevior quàm Sardinia, montibus aſpera & inculta.

De Heſperia.

CAP. XXII.

SCiendum eſt tamen, quòd quandoque Italia cum Hiſpania & Gallia Narbonenſi appellatur Heſperia. Si tamen dicatur *ultima Heſperia*, de Hiſpania dicitur; ſi de *citeriori*, de Italia dicitur.

De Gallia.

CAP. XXIII.

ILlud quoque ſciendum eſt quòd ea pars Italiæ, quæ Gallia dicitur, in qua Liguria, Æmilia, & Flaminia ſunt, nominata eſt Gallia à Gallis Belgicis, qui eam regionem tenuerunt, & Urbes quatuor in ea condiderunt, ſcilicet Mediolanum, Ticinum, Pergamum, & Brixiam, fortè poſt urbis Romæ conditionem. Nam ipſi Galli miſſi à Rege eorum eam regionem occupaverant. Quum autem idem Rex in Italiam vellet ingredi cum exercitu, ut ea potiretur, Galli confœderati contra Regem eorum in tranſitu Alpium obſtiterunt. Rex verò non admiſſus turbatus regreſſus eſt in Regnum ſuum. Hi verò eam partem Italiæ ſibi vindicantes, in ea condiderunt diviſis ſedibus Mediolanum, Pergamum, Brixiam, & Ticinum.

De trium Galliarum differentia.

CAP. XXIV.

ILlud etiam attendendum eſt, quòd tres ſunt Galliæ principales. Prima Gallia Italiæ, quæ etiam dicitur Ciſalpina, vel Gallia Togata. Secunda Gallia Tranſalpina, ſeu Braccata, quæ eſt inter Danubium à Septemtrione & Rhenum flumen, & Alpes Apenninas à Meridie. Tertia dicitur frequentiùs Gallia, quæ dicitur Gallia Comata à brevi coma, vel Belgica, in qua plures Galliæ nominantur. Hæc eſt inter Rhenum, Hiſpaniam, & Italiam, & Mare. Pars maritima dicitur Narbonenſis, pars media Lugdunenſis, alia Gallia Belgica apud Rhenum &c.

RICO.

Digitized by Google

RICOBALDI FERRARIENSIS,

SIVE

ALTERIUS ANONYMI SCRIPTORIS

COMPILATIO CHRONOLOGICA

Uſque ad Annum MCCCXII. producta.

CUm relicta non ſponte genitalis ſoli dulcedine in Urbe Ravenna relegatus degerem, & cum Canonicis Eccleſiæ majoris in choro ac eorum laribus converſarer frequenter, aliquando non vana curioſitate perquiſivi in ejus Archivio Eccleſiæ libros Divinarum Scripturarum, qui mihi eſſent in oblectamentum honeſtum, dum libros obſoletos volverem, venit in manus meas vetuſtiſſimus & obſoletus, viſu mirabilis, cum ſerie inviſa, eum literis plurimis coloribus ſcriptis. Hic erat liber dictus: *Chronica B. Hieronymi*. Difficile eſſet exprimere (quàm utilis) ad rerum veterum tempora indicanda. Ex libris Euſebii erat deductus, per tempora multa intactus manſerat, ejus membranæ libri putruerant. Aperui illum & intuitum in eum legendo defixi, continebat multarum rerum & illuſtrium virorum tempora à nativitate Abraam uſque ad tempus Honorii Imperatoris. Dolui rem tam dignam proborum cognitione virorum eſſe abditam ac perditam, ut theſaurus ſuffoſſus. Propoſui ad publicam utilitatem, Opus Chronicum ordinare, non difficile intelligi, & ſcriptura breviter moderatum. Plura, quæ non expediebant ſciri, pręterivi, alia cognitione digna digeſſi quàm breviter, & eùm ultra tempus Honorii Auguſti nil poneret, ex aliis commentariis & libris hiſtoriarum multa addidi & inſerui uſque ad tempus Henrici Auguſti, qui obſeſſa Brixia eam obtinuit, quod fuit milleſimo treceteſimo XII.

Porro ſi in hoc opere apparuerit quid erratum, Lector nequaquam miretur; nam exemplaria ut plurimum depravata reperiuntur errore ſcriptorum; ſi in hoc quoque ipſe erravi veniam poſco; nam quanquam non ſcite, attamen egi fideliter.

De ſeptem ætatibus Mundi.

PRima ætas Mundi incipit ab Adam, & durat uſque ad Diluvium ſub Noe, quæ continet Annos MMCCXLII.

Secunda incipit ab ipſo Diluvio, & durat uſque ad nativitatem Abraam, quæ continet annos DCCCCXLII.

Tertia incipit à nativitate Abraam & durat uſque ad Moyſem & exitum Iſrael de Ægypto habet annos DV.

Quarta incipit ab ipſius exitu & durat uſque ad ædificationem Templi ſub Salomone, quæ continet annos CCCCLXXIX.

Quinta incipit ab ipſa ædificatione & durat uſque ad reædificationem Templi, factam poſt tempus captivitatis in Babylonem anno ſecundo Darii Regis Perſarum, quæ ætas habet annos DXII.

Sexta incipit ab ipſa reædificatione, & durat uſque ad Baptiſmum ſeu prædicationem Chriſti, factam Anno XV. Imperii Tiberii Cæſaris, quæ durat annos DXLVIII.

Septima incipit ex tempore Baptiſmi Chriſti, & durat uſque ad diem noviſſimum, tempus incognitum hominibus & Angelis.

Hæc diviſio traditur à Beato Hieronymo: Beatus autem Auguſtinus in libro de Civitate Dei ponit principium quintæ ætatis in David uſque ad Chriſtum; Principium autem ſextæ ætatis ponit in tempus Chriſti. Septimam ætatem dicit eſſe vitam æternam poſt diem judicii, meo judicio meliùs Auguſtinus ponit, quam Hieronymus, quia ſex ætates comparat ſex diebus, quibus Deus operatus eſt in Mundo formando, ſeptima ætas Sabbato.

A creatione Mundi uſque ad Nativitatem Chriſti fiunt VMCLXXXIX.

A Diluvio Noë uſque ad Nativitatem Chriſti Anni MMDCCCCLVII.

A nativitate Abraam uſque ad nativitatem Chriſti Anni MMXV.

Ab exitu Iſrael de Ægypto uſque ad Nativitatem Chriſti Anni MDX.

Ab ædificatione Templi per Salomonem uſque ad Chriſti Nativitatem anni MCCCI.

A reædificatione ejus Templi poſt captivitatem in Babyloniam uſque ad Chriſti Nativitatem annni DXIX.

A Baptiſmo Chriſti uſque ad finem temporis, anni nobis infiniti, Deo tamen cogniti.

De temporibus primæ ætatis.

ADam Anno XV. ætatis ejus genuit gemellos, ſcilicet Caym & ſororem ſuam Calmanam, quæ & uxor ejus fuit.

Anno XXX. Adam genuit Abel & ſororem ejus Delboram, mox ejus uxorem.

Anno Adam CXXX. Caym occidit Abel in terra promiſſionis, Caym ex uxore genuit Enoch, qui genuit Matuſſalem, qui genuit Lamech, iſte primus Bigamiam induxit. Ejus uxores Oda & Sella.

Lamech genuit ex Oda Jabel, qui artem muſicam invênit, & genuit ex Sella Tubalcaym, qui artem ferrariam invênit.

Jabel ad ſonum malleorum Tubalcaym, in eis delectatus, proportiones & conſonantias in cantu invênit.

Hoc tempore inventa eſt ars ſculpendi in laminis.

Noëma ſoror Tubalcaym artem variæ texturæ invênit.

De

Digitized by Google

De ſucceſſionibus Adæ R.

ADam Annorum CCXXX. genuit Seth.

Seth annorum CCV. genuit Enos.

Enos annorum CXC. genuit Caynam.

Cayna annorum CLXX. genuit Malalael.

Malalael annorum CXLV. genuit Jareth.

Jareth annorum CLXXXII. genuit Enoch.

Enoch autem CLXV. genuit Matuſſalem.

Matuſſalem autem CLXVII. genuit Lamech quo tempore nati ſunt Gigantes.

Lamech annorum CLXXXVIII. genuit Noë qui anno ætatis ſuæ quingenteſimo cœpit conſtruere Arcam, in cujus conſtructione operatum eſt annis C.

De ſecunda Mundi ætate.

A Principio Mundi uſque ad præſens Diluvium exacti ſunt ſecundùm LXX. Interpretes & ſecundùm Græcos & Latinos anni MMCCXLII. aliter ſecundùm Judæos.

Anno ætatis Noë DC. ingreſſus Noë cum uxore, filiis & nuribus Arcam ſecundùm Dei mandatum, & eo anno egreſſus Arca, & facti ſunt omnes dies Noë DCCCCL. quo vivente nati ſunt ex eo virorum XXIIII. millia &c. præter fœminas & parvos.

Filii Noë fuerunt Sem, Cham, Japhet.

Cham genuit Chus, qui genuit Nembroth, qui gigas Babylon conſtruxit tempore Eber de ſemine Sem.

Generatio Cham Africam tenuit, ex quo gentes XXX.

Japhet genuit Zamer & alios, qui tenuerunt Europam & Plagam Septemtrionis in Aſia, à Tauro monte uſque ad flumen Tanaym.

Super filios Japhet primus regnavit Sutonem, ex his gentes XV.

Sem genuit Arphaxar anno ſecundo poſt Diluvium à quo Chaldæi.

Sem & genuit Aſur, qui primus purpuram invênit, & unguenta crinium, de quo Aſſyrii & Chaldæi.

Arphaxat filius Sem cùm eſſet annorum CXXX. genuit Caynam, & mox vixit annis CCCCXXX.

Cayna annorum CXXX. genuit Sala, mox vixit annis CCCCIII.

Sala annorum CXXX. genuit Eber, mox vixit annis CCC.

Eber annorum CXXXIIII. genuit Phalech & ſupervixit annis CCLXX.

Tempore Eber ædificata eſt turris Babel, cujus altitudo paſſuum VMCLXXIIII. quam ædificavit Nembroth. Hic poſt linguarum confuſionem ivit ad Perſas, & eos docuit colere ignem. Phalech annis CXXX. genuit Ragau, mox vixit annis CCIX.

Hujus tempore primò conſtructa ſunt Templa & Dii Gentium coli cœperunt.

Ragau annis CXXXII. genuit Seruch. Hujus tempore exortum eſt Regnum primum Scytharum, in quo primus regnavit Tanaus.

Seruch annis CXXX. genuit Nachor: mox vixit annis CC.

Sub hoc exortum eſt Regnum Ægyptiorum, ubi primus Coges regnavit.

Nachor annis LXXIX. genuit Tharam.

Hoc tempore inchoat Regnum Aſſyriorum. Eis primus regnavit Belus annis LXV.

Inchoat etiam Regnum Siciniorum, eis primus regnavit Acgilaus, à quo Acgilea dicta eſt, quæ mox dicta eſt Peloponeſus.

A Tharam annorum LXX. genuit Abraam, Nachor & Arram, patrem Loth.

Ex Sem filio Noë ſunt gentes XXVII. quæ tenuerunt Aſiam.

A Diluvio Noë uſque ad nativitatem Abraam ſiunt anni DCCCCXLII.

De tertia ætate Mundi:

ABraam natus ex Tharam anno XLII. Regni Nini Secundi Regis Aſſyriorum, qui regnavit poſt patrem annis LII.

Anno primo Abraam, in Græcia regnabat Sycionus Rex ſecundus * Europæ, poſt annum regni ſui XXII.

B Ninus Rex Aſſyriorum dimicavit contra Zoroaſtem Regem Bactrianorum Magum famoſum.

Ninus poſt regnavit Aſſiriis annis LII.

Semiramis uxor Nini poſt virum regnavit annis XLII. hæc invênit uſum bracharum, regnum auxit, intravit in Indiam, muris etiam Babylonem conſtruxit.

Hoc tempore Thebæi imperant in Ægypto.

Abraam primam ætatem degit apud Chaldæos ubi natus eſt.

Anno Abraam LXXV. facta eſt ei à Deo repromiſſio, ante legem datam Moyſi annis CCCCXXX.

Abraam anno ætatis ejus LXXXVII. genuit

C Iſmael ex Agar ancilla.

Anno Abraam CIV. regio finis Arabiæ, quæ Pentapolis dicebatur à quinque urbibus, ſcilicet Sodoma, Gomora, Adama, Seboym & Segor, incendio miſſo cœlitus propter peccata fœdæ libidinis periit. Ea regio nunc aquis ſubmerſa eſt, & mare mortuum appellatur. Influit fluvius Jordanis in eum.

Anno Abraam CXXXVII. moritur Sara uxor ejus.

Tempore Abraam primus regnavit in Creta Cres indigena, à quo Cretenſes dicti ſunt.

Anno CLX. Abraam, qui & erat annus LX. Iſaac, naſcuntur ei gemelli: ſcilicet Eſau & Jacob. His temporibus apud Argos regnavit Inacus, cujus filia fuit Io.

D Obiit Abraam anno ætatis ſuæ CLXXV. anno Jacob & fratris ejus XV.

Anno Abraam CC. Eſau annorum XL. duabus uxoribus copulatur, cujus ſocer Anna, filius Sebeon, primus fecit aſinos commiſcere equabus: unde muli nati ſunt.

Niobe, primæ omnium mulierum mixtus eſt Jupiter, ut Græci dicunt, ex quibus natus eſt Apys, quem Ægyptii Seraphim nominarunt & coluerunt ut Deum.

Niobe ex Inaco genuit Foroneum, qui primus leges & judicia conſtituit.

Theſſalus Græci filius regnavit in Theſſalia.

Virgo Minerva, quæ invênit lanificii artem.

E Iſmael, poſtquam vixit annis CXXXVII. mortuus multa prole relicta, Moyſes in heremo philoſophabatur.

Cohoretes & Chorunbates primi in armis modulatam ſaltationem & modulationem repererunt.

Diluvium in Theſſalia ſub Deucalione anno Abraham CCCCXC. & ante Urbem conditam annis CCCX.

Hoc tempore fuit incendium Phaëtontis.

Job vir patiens & Balaam Propheta agnoſcuntur.

De

De quarta ætate Mundi.

ANno Abraam DV. & à morte Joſeph anno CXLIV. Moyſes, cùm eſſet annorum LXXX. in deſertum eduxit populum de Ægypto. Aaron autem tunc erat annorum LXXXIII.

Moyſes Kalendis Junii aſcendit in Montem Synai die autem quinquageno ab exitu de Ægypto legem à Deo accepit.

Judæi literas & legem acceperunt.

Hoc tempore Cecrops, metu plagarum Ægypti, fugit in Græciam, & condidit Athenas, & primus bovem immolavit Jovi.

Ægyptus regnans eam Provinciam, quæ dicebatur Aeria, nominavit Ægyptum, quæ priùs dicebatur Mezrayn.

Arcas filius Jovis & Caliſto, Pelaſgis in ſuam ditionem redactis, eorum provinciam Arcadiam nominavit.

Moyſes moritur anno Abraam DXLVI.

Joſue illi ſuccedit, & Terram promiſſionis ingreditur, fluxis à principio Mundi ſecundùm LXX. Interpretes annis MMCCXXIX. ſecundùm Judæos MMDL. ſecundùm verò Bedam MMDXLIII.

Danaus per L. ſuas filias occîdit L. filios fratris ſui Ægypti conjugatos filiabus ſuis, Evandere ſolo relicto, qui poſt eum regnavit.

Buſyris filius Libyæ filiæ Epaphi, filii Thelagoni & X. (annos) tyrannidem excercet juxta loca vicina Nilo.

Phœnis & Cadmus fratres tranſeunt è Thebis Ægypti in Syriam, à quo Phœnice dicta eſt Phœnix illa regio, in qua ſunt Tyrus & Acon, quæ priùs dicebatur Ptolomaida.

Europæ filiæ Phœnicis mixtus eſt Jupiter, quam mox Ariſterius Rex Cretenſium uxorem accipiens, ex ea genuit Minoem, Rhadamantum & Sarpedonem.

Pandeon filius Erictoyn, cujus filiæ fuerunt Prognes & Phylomela.

Dionyſius qui dictus eſt Liber Pater, filius Semele, filiæ Cadmi, qui Thebis regnavit, agnoſcitur; qui priùs literas Græcas invênit, & uſum vitis ad vinum. Alibi legitur Noë primo vitem plantaſſe.

Idæi Dactyli hoc tempore ferrum repererunt.

Erictonius Primus in Græcia junxit quadrigam, qui filius Dardani regnavit in Dardania. Damie mater Perſei agnoſcitur.

Pelops regnat apud Argos, à quo Pelopenſes vocati ſunt.

Tripeolemus cum longa navi, quæ vocata eſt ſerpens, frumenta miniſtrat.

Fabula Proſerpinæ & Cerberi, qui fuit canis ingens Orci Regis Moloſſorum.

Hoc tempore inventa ſunt myſteria.

Thebis regnat Amphyon & Zetus Cadmo expulſo.

Phryxus & Elles fugiunt à Noverca, & fabula aurei velleris. In Dardania regnat Tros, à quo Trojani ſunt dicti.

Tantalus Rex Phrygiorum rapuit Ganimedem filium Troji, Regis Dardaniorum, ut eo abuteretur.

Sycion regnavit Sycioniæ, quæ priùs dicebatur Ægilea.

Pelops Ypodamiam duxit in uxorem.

De Perſeo & Gorgone quæ fuit meretrix venuſtiſſima, ita ut eam videntes in eam intuitum figerent & quaſi lapides amentes fierent.

Ion, vir fortiſſimus, à quo Iones.

Amphion regnat Thebis. Europa capitur à Cretenſibus, cui fuit inſigne aries. Ilion condita ab Ilio Rege.

Perſeus, Cryſio non ſponte occiſo, migravit ad Argos, & ibi regnavit.

Apollo artem Medicinæ invênit.

Dædalus faber agnoſcitur.

Europa Agenoris filia rapitur: altera Europa filia fuit Phœnicis. Gedeon agnoſcitur in Judæis.

Navigatio Jaſonis pro aureo vellere in Colchos, in qua fuerunt Hercules, Caſtor & Pollux.

Orphæus agnoſcitur.

Lunis Magiſter Herculis clarus habetur, Medea a Cholchis diſcedit. Schytæ provocati à Veſoge Rege Ægypti tendunt in Ægyptum.

Hercules occîdit Ydram, quæ fuit callidus Sophiſta.

Minotaurus fuit Judex Minois.

Minos mare obtinuit, bellum Laphytarum & Centaurorum.

Priamus regnat in Trjoa.

Androgeus dolo Athenis occiditur, exitiale bellum inter Cretenſes & Athenienſes morte Androgei ante Rumam conditam anno DLX.

Minos in Creta leges conſtituit.

Theſeus agnoſcitur, qui Helenam rapuit quam fratres receperunt. Hercules Agonem Olympiadum conſtituit à quo uſque ad primam Olympiadem ſupputantur anni CCCCXL.

Corus & Cathago Tyrii tranſmigrant in Libiam, & condunt Carthaginem.

Atreus regnat Archis. Phedra amat Hyppolitum.

Hercules occidit Anteum.

Theſeus fugit ab Athenis. Menelaus regnat Lacedæmoniis.

Fabula apri cal.

Agamemnon regnat.

Amazones contra Thebas bellant, hæ Epheſum Civitatem conſtruxerunt ſecundùm Oroſium. Minos in Cicilia occiditur.

Alexander Paris rapuit Helenam.

De tempore captæ Trojæ.

ANno Nativitatis Abraam DCCCXXXII. Troja capitur à Græcis ante Romam conditam annis CCCCXXX. ſecundùm Hieronymum; ſecundùm verò Solinum annis CCCCXXXIII.

Ab Ilion condita uſque ad ſubverſionem Trojæ anni CXXXV. Menelaus & Helena poſt Trojæ excidium diverterunt ad Regem Ægypti, nomine Tuoris, qui fuit maritus Achandræ, ait Homerus.

Carmentis mater Evandri literas Latinas invênit.

Sampſon fortiſſimus in Judæa, qui populum rexit annis XX.

Æneas in Italiam vênit. Syrenes fuerunt meretrices, quæ ſua venuſtate & verbis navigantes decipiebant.

Pyrrhus Achillis filius Delphis in templo Apollinis fraude Macharei Sacerdotis ab Oreſte occiditur.

Hectoris filii Ilion receperunt poſteris Anthenoris expulſis, Heleno ſibi auxilium ferente.

Hely Sacerdos populum Dei regit. Aſcanius Albam condidit. Lavinia viduata Ænea nubit Melampodi, ex quo filium genuit.

Arca Teſtamenti perditur & moritur Hely Sacerdos. Samuel & Saul regnant.

In-

Incurſus Amazonum & Cymeriorum pariter A in Aſiam. David in Regem eligitur.

Latinus Sylvius regnat in Alba.

Salomon in Regno ſuccedit.

De quinta ætate Mundi.

SAlomon anno regni ſui quarto Templum Domino ædificare orſus eſt annis triginta, & octo annis completum.

Ab exitu Iſraël de Ægypto, uſque ad hanc Templi conſtructionem, fiunt an. CCCCLXXIV. Thraces mare obtinent annis XIX.

Sybilla Erithræa agnoſcitur. Suſachym Rex Ægypti Templum ſpoliat. Roboan filius Salomonis regnat. B

Tyberinus Rex Albanorum in flumine Albula ſuffocatur, à quo mox nominatus eſt Tybris. Agrippa regnat in Alba.

Homerus poeta agnoſcitur. Rhodii mare obtinent annis XXIII.

Helias rapitur regnante Joram in Judæis. Frigenas f. Phryges mare obtinent annis XXV.

Zacharias Propheta occiditur.

Helyſæus Propheta moritur.

Cyprii mare obtinent annis XXXII.

Phœnices mare obtinent annis XLV.

Ultimus Rex Aſſiriorum Sardanapalus quo regnante capta eſt Babylon, & ſpoliata per ejus Præfectum Arbacem habens à conditione ſua annos MCXLIV. C

Anno Abraam MCXCVIII. finitum eſt regnum Aſſyriorum, in quo regnaverunt Reges XXXVII. à Belo primo Rege & Sardanapalo ultimo.

Medorum Regnum inchoat, in quo regnatum eſt per octo Reges annis CCXL. quorum ultimus fuit Aſtyages, cui ſucceſſit Cyrus Rex Perſarum, qui regnare cœpit an. MCCCLVII. Abraam.

Igitur regno Aſſyriorum ſucceſſit regnum Medorum: cui ſucceſſit regnum Perſarum finitum in Dario Arſemi, quem Alexander ſuperavit.

Poſt regnum Perſarum fuit regnum Alexandrinorum, quod habuit initium in Alexandro: D cui ſucceſſerunt XI. Ptholomæi, unus poſt alium, & ultimò Cleopatra Regina, Ptholomæi ſoror, quæ ſe Cæſari in concubitum dedit: mox Antonio in matrimonium ſe copulavit. Finitum eſt autem regnum Alexandrinorum tempore, quo Cæſar Octavius ſuperavit Antonium & Cleopatram, anno XII. poſt necem Cæſaris Dictatoris. Ægyptus facta eſt Provincia Romanorum & Cæſar Octavius nominatus eſt Auguſtus.

Lycurgus jura conſtituit Lacedæmoniis.

Eſidorus illuſtris habetur.

Sydon Achivus, primus pondera & menſuras invénit.

Phocas regnat Latinis. Prophetæ apud Judæos Oſeæ, Eſaias, Amos, & Jonas. E

Olympias prima apud Latinos. Olympias autem continet annos M. erant autem ludi & non certamina.

A captivitate Trojæ, uſque ad primam Olympiadem fiunt anni CCCCVI.

A prima Olympiade, uſque ad Urbem conditam fiunt anni XXIV.

Ægyptii mare continent. Agnus locutus hoc tempore in Ægypto.

Lacedæmonii contra Meſſenios pertinaciter bellant, obſidendo eos annis decem.

Romulus & Remus generantur.

Terey f. Tyrii Cyreaem condiderunt. Conditor Bacchus, cui nomen Ariſtoteles.

Prophetiſſant Eſaias & alii.

Achas regnat in Judæa.

A modo tacebuntur anni Abraam, & anni urbis Romæ conditæ ſupputabuntur.

De tempore urbis Romæ conditæ.

ANno nativitatis Abraham MCCLXII. anno quarto ſextæ Olympiadis; anno tertio regni XI. Kalendas Maji, Parilibus, qui dies feſtus erat, Roma conditur, à fratribus gemellis Romulo & Remo.

Romulus regnavit annis XXXVIII.

Mileſii mare obtinent.

Romani rapiunt Sabinas anno XVIII.

Decem Tribus Hebræorum, qui erant apud Samariam, captivantur à Salmanaſar, & ducuntur in montes Medorum. Thobias vir patiens agnoſcitur.

Catania & Syracuſa conditæ in Sicilia.

Cares obtinent mare.

Eſaias & alii tres prophetant.

Romulus moritur in campo Marcio.

Senatores anno uno regunt rempublicam.

De Numa Pompilio Auguſto.

NUma Pompilius, genere Sabinus, regnavit annis XL.

Per hæc tempora conditæ ſunt hæ urbes.

Tarentum, in Apulia, Gela in Sicilia, Phaſelus in Pamphilia, Cizicus Locris in Italia, Chalcedon in Aſia. Sybilla Erophyra, quæ & Sanna dicta eſt.

Annus in menſes XII. diſtinctus à Numa Pompilio.

Ordo Veſtalium virginum cœptus Romæ.

Conglutinum ferri inventum à Glaucochio. Eſaias Propheta occiditur.

De Tullio Rege Tertio.

TUllius Hoſtilius Rex III. regnavit annis XXII.

Sybilla & Orophila. Archilochus poëta Græcus; Phalaris tyrannus in Sicilia his temporibus agnoſcuntur. Leſegit mare obtinent annis XL.

Bizantium urbs condita in Thracia, quæ nunc dicitur Conſtantinopolis. Hyſtrus condita in Ponto, Gelinus condita in Sicilia.

Zaleucus legumlator agnoſcitur.

De Anco Rege Quarto.

ANcus Rex Quartus regnavit Romæ annis IV.

Draeo legumlator agnoſcitur in Græcia.

Prophetant Hieremias, Olda mulier, & Sophonias apud Judæos.

Epidamius, quæ nunc dicitur Durachium, Cyrene, Abatro, Synope, Lypara, & Pruſias urbes conditæ.

Thales Mileſius unus ex VII. Sapientibus agnoſcitur, naturalis & Aſtrologus Philoſophus, ut ait Beatus Auguſtinus. Ejus auditor fuit Anaximander, hujus Anaximenes, Anaxagoras Lius (f. illius, vel hujus) Archelaus, ejus Socrates, illius Plato, ejus Ariſtoteles. Hi ſucceſſivè ſcholam tenuere, unus poſt alium.

De Tarquino Priſco Rege Quinto.

TArquinus Priſcus Rex Quintus Romæ regnavit annis XXXVII. Hic ædificavit Romæ Circum, & prior triumphavit.

Panetius primus in Sicilia tyrannidem exercet. Joachim regnat in Judæa, cujus anno tertio Nabuchodonoſor Rex Babylonis Judæam capit, & vaſa Templi auſert. Sappho & Alcæus poetæ agnoſcuntur.

Captivantur Hebræi in Babilonem, quæ duravit annis LXX. captivitas. Solon, Chylon & alii quinque Sapientes agnoſcuntur.

Hujus Regis tempore conditæ ſunt in Italia à Gallis Urbes, ſcilicet, Mediolanum, Brixia, Verona, Vicentia, Pergamus & Cumum, ut atteſtatur Trojus Pompejus, & Juſtinus; Placentia & Parma, ut atteſtatus eſt Livius. Daniel Propheta & tres pueri & Ezechiel agnoſcuntur, Eſydorus Heſiodus poeta clarus habetur. Thales Philoſophus moritur, unus ex ſeptem.

De Tullio Rege Sexto.

TUllius Servilius Rex Sextus regnavit annis XXXIV.

Romæ, cenſu acto, inventa ſunt civium Romanorum LXXXIV. ſ. millia.

Daniel Interpretator ſcripturarum myſticarum quas vidit Balthaſat Rex Babyloniæ in pariete ſcribi.

Solon & alii ſapientes clarent.

Sapho mulier poeta agnoſcitur.

Phalaris iterum tyrannizat in Sicilia.

Cyrus avum ſuum Aſtyagem ſuperat & regnum transſert ad Perſas.

De Tarquino Superbo.

TArquinus Superbus Rex VII. regnavit Romæ XXXV. annis.

Ferecides hiſtoricus clarus habetur. Jeſus filius Joſadeth Pontifex maximus apud Judæos. Judith honeſta, & Prophetæ Aggæus, Zacharias & Malachias noſcuntur. Pythagoras Phyſicus agnoſcitur. Cyrus regnat ſuper Perſas, Babylonem capit & ſpoliat ac ſubvertit; cujus ambitus ſtadiorum CDLXXX. murorum latitudo cubitorum L. altitudo verò CC. portæ æreæ centum. Cyrus ſuperat Crœſum Regem Lydorum, & ei capto parcit. Regina Maſegetarum Cyrum occidit, capite defecto. Hujus Regis tempore finitur captivitas Judæorum.

Cambyſes filius Cyri in Ægypto condidit novam Babyloniam. Inde regrediens ægrotus, mortuus eſt Damaſci. Lucretia uxor Collatini Tarquini, rure oppreſſa à filio Tarquini Regis, prius conqueſta de hoc patri & viro, ſtatim ſe coram eis gladio peremit.

De ſexta Ætate Mundi.

ANno Urbis conditæ CCXXXIV. qui eſt annus Abraam MCDXCVI. & eſt annus ſecundus Regis Darii Perſarum, Templum Jeruſalem reædificatur à Zorobabel. Licentia ædificandi Templum exordium habuit; conſummatum eſt ſecundariò.

De rebus geſtis à Romanis poſt Reges exactos.

ANno Urbis CCXLIV. expulſo Urbe Tarquino Rege, primi Conſules facti ſunt Ju-

A nius Brutus & Collatinus maritus Lucretiæ. Cenſu acto Romæ Cives CXV. millia.

Democritus philoſophus.

Anaxagoras phyſicus.

Largius primus Dictator fuit, Spurius Caſſius Magiſter militum.

Pythagoras moritur. Sophocles agnoſcitur. Anaxagoras moritur. Socrates naſcitur. Solis facta defectio.

Eſdras Sacerdos apud Judæos naſcitur.

Virgo veſtalis ob ſtuprum viva defoſſa.

Herodotus)
Zeuſis pictor } Græci, viri clari habentur.
Euripides)

Anno Urbis CCLXXV. Darius Rex Perſa-

B rum, qui Cyro ſucceſſit, moritur: in regno ejus Xerxes filius Darii Rex Perſarum ſuccedit, qui traxit in Græciam de regno ſuo armatorum DCC. millia de auxiliis CCC. millia, & tamen victus rediit.

Anno Urbis CCCI. creati ſunt Decem-viri remotis Conſulibus: quo tempore Romani miſerunt in Græciam legatos pro legibus habendis ab eis, & eas obtinuerunt.

Romæ iterum creati ſunt Conſules anno Urbis CCCIV.

Hyppocras medicus his temporibus & Democritus philoſophus clari habentur.

Empedocles, Parmenides, Socrates, Zeno, Sophocles poeta agnoſcitur. Pericles moritur.

C Plato naſcitur.

Dionyſius in Sicilia tyrannus ſævit. Diogenes & Ariſtippus agnoſcuntur.

Democritus moritur.

Xenophon Græcus agnoſcitur. Solis facta defectio.

Athenienſes uti cœperunt 24. literis. Gens Campana in Campania conſtituitur.

Ethna ignem ultra ſolitum emiſit. Socrates bibit venenum. Plato philoſophus agnoſcitur.

Galli Senones Romam capiunt & incendunt, excepto Capitolio. Juſtinus ponit, quòd Galli Senones, qui Romam incenderunt, condiderunt in Italia Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Pergamum, Tarentum, Vicentiam,

D Placentiam & Parmam. Rempublicam gerunt Tribuni militum ſublatis Conſulibus Romæ. Camillus Furius agnoſcitur. Ariſtoteles philoſophus floret. Demoſthenes orator claret. Philippus Macedo regnat.

De rebus geſtis, orto Alexandro.

ANno Urbis conditæ CDV. oritur Alexander, octavo anno regni patris. Plato moritur, poſt quem Academiam tenuit Speuſippus.

Romæ facto cenſu inventa ſunt Civium Romanorum Capita CLX. millia. Romani apud Caudinas furcas à Samnitibus, ideſt, Beneven-

E tanis (nam olim Beneventum Sampnium vocatum eſt) ignominiam ferunt. Alexander patri ſuccedit in regno. Alexander autem VII. ſui regni anno condidit Alexandriam in Ægypto.

Papirius Curſor Romæ notatus eſt eligi dux belli contra Alexandrum, ſi cum eo bellandum eſſet. Alexander veneno periit, ob cujus mortem bellum cum illo ceſſatum eſt, nec ille eis devinctus eſt.

Ptholomæus Lagi illi ſuccedit in Ægypto.

Appius Claudius Cæcus Romæ agnoſcitur. Demetrius Græcus Phaleræus nominatur.

Onias Jadi filius apud Judæos.

Seleucus anno XII. regni ſui Antiochiam condi-

didit ; mox alias urbes : Laodiceam à nomine A
uxoris Seleuciam, Apameam, Edeſſam & Pel-
lam. Simon cognomento Juſtus apud Judæos ce-
lebratur.

Cenſu facto Romæ virorum CCLXX. millia.

Curius Dentatus Conſul Sammitas proſtravit
prœlio.

Ptholomæus Philadelphus cum Romanis ami-
citiam jungit.

Bellum cœptum inter Romanos & Tareotinos
quibus fuit auxilio Pyrrhus Rex Epyrotarum,
de quo Trogus & Juſtinus plenè explicant.

Divina Scriptura transfertur per LXXII. In-
terpretes ſtudio Ptholomæi Philadelphi.

Fabricius ſecundò agnoſcitur.

Curius Conſul prœlio ſuperat Pyrrhum qui ex B
Italia ceſſit in Græciam.

Ariminum in Gallia

Beneventum in Samnio à Romanis conditæ,
quod affirmat Magiſter hiſtoriæ ſcholaſticæ.

Turris, quæ Farrum (Pharus) dicitur, condi-
ta ab ipſo Ptholomæo juxta portum Alexandriæ:
de cujus admiranda mirabilitate refert Plinius
in libro ſuo de mirabilibus Mundi, dicens, il-
lam ſuper quatuor cancros vitreos in littore ma-
ris fundatam.

Anno Urbis CDLXXVIII. cœptum eſt pri-
mum bellum Punicum cum Romanis. Argen-
teus nummus primùm figuratus Romæ. Aratus
Sicionius agnoſcitur, de quo ait Cicero libro
officiorum. Marcus Regulus bellatur contra C
Pœnos.

Romæ cenſu facto virorum CCXL. millium.

Ennius poeta, natus Tarenti, mox Romam
transfertur.

Jeſus Sirach librum, qui à vulgaribus men-
daciter Salomoni attribuitur, Sapientiæ edidit,
Simeone Oniæ filio Pontifice apud Judæos: Ymo
Eccleſiaſticum : cùm librum Sapientiæ ediderit
Philon, ut refert Hieronymus in ipſius libri
prologo.

De bello Punico geſto ab Hannibale.

ANno Urbis conditæ DXXIV. cœptum eſt
bellum Punicum ſecundum cum Romanis, D
Hannibale duce Carthaginenſium.

Nævius Comicus, Plautus ex Umbria ſcripto-
res agnoſcuntur. Scipio, mox Africanus major:
Lælius ejus amiciſſimus noti habentur. Maſiniſſa
mox Rex Numidiæ juvenis in Hiſpania contra
Romanos bellat pro Pœnis. Pax data Cartha-
ginenſibus, victis à Romanis, jam bellantibus
annis XVI.

Bellant Romani cum Macedonibus. Per hæc
tempora viri agnoſcuntur Antiochus Rex Sy-
riæ, Apollonius Tyrius, Ennius poëta, Cæcilius
comœdus Mediolanenſis, Terentius comœdus
Carthaginenſis. Titus Livius tragœdus. Marco
Portio Catone Conſule contra Antiochum Re-
gem Syriæ bellant Romani. E

Bononiam deducta eſt Colonia à Romanis
ex civibus Latinis III. M. virorum ; Equitibus
data jugera ſeptuagena, ceteris quinquagena.
ager datus * Agaliſbous captus cuſtos ipſi expule-
rant. Hannibal ſe veneno peremit in Babylonia,
ne in manus Romanorum veniret. Scipio Afri-
canus major relegatus obiit Lucerni. Mutinam
& Parmam ex civibus Romanis, inde expulſis
Italis, qui illas priùs condiderant ante annos
CCC. ut refert Titus Livius, Coloniæ ductæ à
Romanis in Æmilia.

Æmilius Paulus Conſul bello ſuperat Perſem
Regem & capit.

Tom. IA.

Bellum Punicum cœptum à Romanis.

Ariſtarchus grammaticus)
Paucinnus po ta) nominantur.

Carthago diruitur per Africanum. Hic na-
tus ex genere Æmiliorum, adoptatus fuit à filio
majoris Africani, nato per matrem ex Æmiliis.

Maſiniſſa Rex Numidis amicus P. R. ſenex
moritur : qui hunc Africanum reliquit diviſo-
rem regni inter filios. Cenſu facto Romæ viro-
rum CCCXXII. millium.

Jonatha Machabæus)
Lucilius poëta) ooſcuntur.

Numantia ſubverſa per Africanum ſecun-
dum.

Simon Machabæus principatur poſt mortem
Jonathæ. Scævola de Dalmatia triumphavit.

Carthago à Romanis reſtauratur anno urbis
Romæ DCXXXVII.

Tarenti floret Varro philoſophus & poëta.
Bellant Romani cootra Jugurtham Regem Nu-
midiæ.

Furius poëta Cremonenſis.

Lucretius poeta.

Pomponius Bononienſis ſcriptor Atellanarum.

Plocius Doctor Ciceronis docet in Rhetorica,
& Cicero ſtudet.

Scævola alter, qui fuit Pontifex maximus.

Salluſtius hiſtoriarum ſcriptor.

Catullus poëta Veronenſis.

Varro Narbonenſis philoſophus & poëta.

Quinticius togatorum ſcriptor.

Cajus Marius Conſul ſepties.

Lucius Cornelius Sylla Dictator.

Pompejus magnus, viri clari per hæc tempora.

In Syria terræmotu facto perierunt homines
CLXXM. urbes aliquæ ſubverſæ. Tygrane Rege
ejus provinciæ. Alexandra regnat apud Judæos.

Cenſu acto Romæ CCCCLXIV. millia.

Virgilius oritur Mantuæ pago quì dicitur An-
des non longè à Mantua.

Marcus Porcius Cato Stoicus Philoſophus,
Horatius Flaccus Venuſii oritur.

Catilina conjurat in patriam.

Titus Labienus oppidum Cingulli in Auſonia
condidit ſuis expenſis.

Cæſar exercitum ducit in Gallias.

Via Claudia ordinatur, qua tranſitur à Pla-
centia Ariminum.

Titus Livius Patavii oritur de quo loquitur
Beatus Hieronymus.

Meſſala Corvinus orator ſecundus.

Curio juris peritus ſecundus.

Bellum civile inter Cæſarem & Pompejum
actum quadriennio.

Prœlio commiſſo Alexandriæ inter Cæſarem
& Ptholomæum, cremata eſt ibi Bibliotheca
marina, quam Ptholomæus Philadelphus para-
verat. Cato in Utica ſe occidit.

Cæſar occiditur à Bruto & Caſſio & ab aliis
vulneribus XXII. conſoſſus in Curia in Capitolio
Idibus Martiis. Cadaver ejus incineratum ; ci-
nis mox condita eſt in vaſe æreo, qui eſt in
vertice columpnæ, quæ dicta eſt Julia ; quæ
nunc vulgò dicitur Agulia.

Cæſare occiſo & turbato ſtatu reipublicæ,
ſurrexerunt tres viri ſcilicet Cæſar Octavius,
Marcus Antonius & Lepidus & diviſerunt ſibi
principatum, & annis duodecim turbatus fuit
ſtatus reipublicæ : quo tempore fuerunt quin-
que bella civilia uſque ad monarchiam Auguſti.
Cicero relegatus occiditur ab homine, cui pa-
tronus fuerat opportunus: caput & dextra illius
delata Antonio.

Ovidius Naſo naſcitur Peligni oppido Apuliæ.

P 2 Lex

Lex Falcidia editur auctore Falcidio.

Salluſtius moritur natus Amiterni. Varus poëta in Capadocia moritur.

Marcus Antonius qui ſortitus fuerat cum Cæſare Octavio Imperium Orientis, ſuperatus à Cæſare navali prœlio apud Actium; mox etiam deſertus à ſuis, in Ægypto deſperatione rerum ſe ipſum occidit.

Cleopatra recepta à Cæſare Octavio, ſe occidit, poſitis aſpidibus ad mammillas.

Ægyptus facta eſt provincia Romanorum quam primò pro Romanis rexit Cornelius Gallus, de quo ait Virgilius.

Cæſar Octavius creatur Auguſtus à populo Romano.

ANno Urbis DCCXXII. octavo Idus Januarii Cajus Octavius Cæſar à populo Romano appellatus eſt Auguſtus, & ei totius Imperii Romani collata eſt monarchia annis XII. elapſis à nece Cæſaris; qui poſtquam Auguſtus eſt dictus, vixit annis XLIV. & ultra.

Cenſu acto Romæ inventa ſunt civium Romanorum XLI. centena LXIV. millia.

Nicopolis civitas juxta Actium facta.

Apollodorus Philoſophus, Præceptor Auguſti.

Marcus Terentius Varro philoſophus & poëta prope nonagenarius moritur. Cornelius Gallus Forojulienſis poëta moritur, qui primus pro Romanis rexit Ægyptum.

Legati Indorum in Hiſpania fœdus & amicitiam firmant cum Auguſto, bellum gerente cum Cantabris.

Valerius Maximus ſcriptor agnoſcitur.

Quintilius Cremonenſis, Virgilii & Horatii contubernalis, moritur. Auguſtus factus eſt Pontifex maximus. Auguſtus per Druſum privignum ſuum ſubjecit Germanos.

Auguſtus per Tyberium privignum ſubjecit Armenios & Pannonios. Herodes pro Romanis regnat in Palæſtina.

Virgilius Brunduſii moritur: ejus oſſa delata Neapolim; inde condita ſecundo milliario. Varus & Tucha poëtæ, Virgilii & Horatii Contubernales, emendare cœperunt opus Æneidos ſub ea lege, ut nihil adderent, ſed demerent.

Æmilius Macer poëta Veronenſis in Aſia moritur.

Virgo MARIA naſcitur, mater Domini.

Titus Livius ſcribit hiſtoriam Romanam.

Herodes ædificavit Cæſaream in honorem Auguſti, quæ prius dicebatur turris Stratonis: Samariam reſtauravit, quam appellavit Sebaſtiam, ideſt Auguſtam.

Condidit Antydonam & Antypatram: Phaſelum verò in nomine fratris ſui, & Herodium in ſui commemorationem, ubi ſepulchra ſuæ domus.

De tempore Nativitatis Domini noſtri JESU Chriſti.

ANno ab Urbe condita DMCCLII. & à diluvio Noë annis MMDCCCCLVII. & à nativitate Abraam annis MMXV. naſcitur Dominus JESUS Chriſtus in Bethlem Juda, anno à morte Cæſaris XLII. anno Imperii Cæſaris Auguſti XXX.

Aſinius Pollio orator & conſularis, qui de Dalmatia triumpharat: moritur Tuſculanæ anno ætatis ſuæ LXXX. de quo Virgilius in Bucolico.

Archelaus regnat poſt Herodem.

A Jeſus puer ſeptennis cum Matre Maria & Joſeph de Ægypto redit.

Cenſu facto Romæ per Auguſtum & Tyberium, inventa ſunt civium Romanorum nonagies trecentena & LX. millia. Romæ fames gravis nimis. Solis facta defectio.

Auguſtus Atellæ moritur anno ætatis ejus LXXVI. Corpus ejus de Campania portatum Romam: ſepultus in ſepulchro, quod paraverat in campo Martio, quod dictum eſt Auguſta.

Herodes Tetracha regnat Judæis.

De Tyberio Auguſto.

TYberius Imperator Secundus imperavit an-
B nis XXIII. cœpit imperare anno Urbis DCCLXVII. & anno Nativitatis Chriſti XVI.

Titus Livius Patavinus hiſtoriographus Patavii moritur anno ætatis ſuæ LXXVII.

Ovidius Naſo poëta eo anno moritur, relegatus in Scythiam: ſepultus in oppido Thomos.

Urbes XIII. in Aſia ceciderunt terræ motu magno concuſſæ.

Pilatus à Tiberio mittitur in Judæam.

Joannes filius Zachariæ prædicat in deſerto & baptizat anno XV. Imperii hujus.

Principium ætatis VII. Mundi.

ANno XVI. Imperii Tiberii Auguſti Domi-
C nus Jeſus baptizatus à Joanne Zacharia in Jordane, prædicare orſus eſt. Anno ſequenti aquam mutavit in vinum, altero anno Joannes Baptiſta occiditur ab Herode. Dominus Jeſus Chriſtus ſub Pontio Pilato Præſide Judææ morti crucis damnatur anno Imperii Tiberii XVIII.

Tunc Solis eclipſis maxima hora diei ſexta, luna XV. ſecundùm Judæos.

Eo anno Beatus Stephanus baptizatus eſt, Saulus convertitur ad Fidem Chriſti anno nativitatis XXXV. & Paulus vocatur.

Tiberius Imperator operam dedit, ut Chriſtus coleretur ut Deus: ſed Senatus ſuadente Domitiano Præfecto Tiberii prohibuit id fieri. Moritur Tiberius Cæſar in Campania anno Im-
D perii ejus XXIII.

De Gajo Auguſto.

GAjus Caligula Imperator tertius annis ferè quatuor imperavit. Hic fuit filius Germanici, filii Druſi, fratris Tiberii Auguſti.

Pilatus in multas incidens calamitates, ſe propria manu occidit. Philo Judæus, vir peritiſſimus, pro Judæis coram Gajo oravit.

Gajus Imperator à ſuis occiditur ejus malitia.

De Claudio Auguſto.

CLaudius Imperator imperavit annis ferè
E XIV. hic fuit filius Druſi, & patruus Gaji.

Matthæus Apoſtolus Chriſti evangelium ſcripſit anno Chriſti XLII. anno ſequenti Marcus evangelium ſuum ſcripſit. Petrus Apoſtolus Romam vênit anno ſecundo Imperii Claudii, & ibi Epiſcopus fuit annis XXV. & ultra.

Anno quarto Imperii & anno nativitatis Abraam MLX. Claudius ſubegit Britanniam & triumphans rediit ſexto menſe, quàm Roma diſceſſerat.

Fames Romæ gravis nimis.

Agrippa Rex Judæorum moritur, cui ſucceſſit filius ejus Agrippa.

Cenſu facto Romæ inventa ſunt civium Roma-

Digitized by Google

manorum LXVIII. centena & XLIV. millia.

Ravennæ Porta aurea facta.

Palemon Vicentinus Doctor in grammatica docet Romæ.

Claudius Judæos pellit Roma.

Romæ fames graviſſima. Jacobus Apoſtolus ab Agrippa occiditur.

Symon magus à Samaria vênit Romam, cujus fuit diſcipulus Menander non eo inferior.

Hujus Imperatoris tempore in Arabia Avis phœnix apparuit, quæ vivit annis DC. magna, ut aquila, criſtata, coloris rubri. Claudius veneno moritur anno ætatis ejus LIX. uxoris fraude.

De Nerone Auguſto.

DOmitius Nero Imperator quintus regnavit annis XIII. menſibus 8. hic fuit gener & privignus, filius adoptivus Claudii, filius Domitii & Agrippinæ, ſororis Gaji Imperatoris.

Terræmotus & Solis eclipſis.

Nero matrem Agrippinam occidit.

Jacobus Apoſtolus frater Domini præcipitatur de Templo in Hieruſalem, ejus urbis Epiſcopus.

Marcus Epiſcopus Alexandriæ martyrio vitam finivit.

Perſius poëta moritur anno XXIX.

Menarmeus (Marcus Annæus) Lucanus Cordubenſis poëta, in Piſoniana conjuratione deprehenſus, ad ſecandas venas brachium medico præbuit.

Nero urbem inflammavit diebus ſex & noctibus ſeptem.

Annæus Seneca Cordubenſis, Lucani patruus, inciſione venarum & hauſtu veneni periit.

Junius Galo frater Senecæ egregius Declamator propria manu ſe occidit.

Tres urbes in Aſia terræmotu corruerunt.

Nero decreto Senatus in expenſas accepit centies centena millia annua & Octaviam uxorem occidit.

Flavius Joſephus Judæus agnoſcitur.

Petrus & Paulus Romæ martyrio coronantur anno ætatis Petri LXX. Nativitatis Chriſti LXV.

Linus urbis Epiſcopus poſt Petrum ſedit annis XI.

Perſecutio prima ſub Nerone.

Urſicinus medicus, & Vitalis Mediolanenſis Ravennæ martyres.

Nero nocte fugit Roma metu Senatus, & in villa latitans, ſe propria manu confodit pugione.

De Galba Auguſto.

GAlba ſucceſſit Imperio menſes VII. qui ab Hiſpania Romam duxit Quintilianum, egregium Rhetorem.

Galba ab Othone occiditur.

De Othone Auguſto.

OTho invadit Imperium, qui metu Vitellii ſe occidit. Vitellius invadit Romam: à militibus Veſpaſiani pugnando occiditur.

De Veſpaſiano Auguſto.

VEſpaſianus Imperator annis X. imperavit. Titus filius ejus, relictus à patre obſidere Hieruſalem, à fundamentis eam ſubvertit: ubi perierunt virorum undecies centena millia præter mulieres & parvulos, fame & gladio; reliqui venundati.

A Romæ Capitolium incenſum.

Prodigia magna viſa in Hieruſalem, Stella cometa viſa eſt ante everſionem, & vitula parata ad ſacrificium, in manibus miniſtrorum enixa eſt agnam.

A Paſſione Chriſti, uſque ad everſionem Hieruſalem fiunt anni circiter XXXIX. Titus omnia ornamenta Templi Romam tulit & in Templo pacis locavit, ut ait Beatus Hieronymus.

Veſpaſianus & Titus filius ſimul in curru de Judæis triumphum egerunt: qui fuit inter præteritos centeſimus & vigeſimus.

Hoc tempore Jani portæ ſexto ab Urbe condita clauſæ ſunt.

B Coloſſus erectus nithedos habens altitudinem CCVII. turris ænea ad formam hominis. Tres urbes terræ motu ceciderunt.

Ruffus patricius à Beato Apollinare baptizatus eſt Ravennæ. Mox Epiſcopus Capuæ ordinatur.

De Tito Auguſto.

TItus filius Veſpaſiani imperavit annis II.

Cletus Urbis Epiſcopus ordinatur, qui ſedit annis XII & ultra.

De Domiciano Auguſto.

C DOmicianus Imperator fratri ſucceſſit, qui regnavit annis XV. menſibus V. qui ædificavit Romæ templum, quod dictum eſt Pantheon, nunc verò dicitur Sancta Maria Rotunda. Quintilianus Rhetor, docens Romæ, primus ſalariatus ex publico.

Cornelia maxima Virginum Veſtalium, convicta ſtupri, ſecundùm legem viva deſoſſa eſt.

Clemens Secundus Urbis Epiſcopus, qui ſedit annis IX. & ultra.

Joſeph Judæus Librum antiquitatum ſcripſit, tempore hujus Auguſti.

Statius poëta Tholoſanus his temporibus ſcripſit. Juvenalis poeta Aquinas hoc tempore agnoſcitur. Joannes Evangeliſta in oleum fer-
D vens mittitur Anno Chriſti XCVI. & ab hoc Domiciano relegatur in Pathmos.

Domicianus Imperator occiditur à ſuis anno Imperii ſui XVI.

Cletus Urbis Epiſcopus. Eutropius Epiſcopus in Galliis.

Nicomedes.

Dionyſius Areopagita cum ſociis, Lucianus, Beati Petri Diſcipulus, martyres perſequutionis ſecundæ.

De Nerva Auguſto.

NErva Imperator regnavit annis & menſibus quatuor.

Joannes Apoſtolus de exilio rediit.)
E Ignatius Epiſcopus Antiochiæ.) noti
Policarpus Smirneus . . . . .) haben-
Victorinus Epiſcopus.) tur.
Papias Epiſcopus Hieroſolymitanus.)

De Trajano Auguſto.

TRajanus Imperator regnavit annis XIX. & menſibus VI.

Joannes Apoſtolus dormivit in Domino, anno ſecundo Imperii Trajani.

Anacletus Epiſcopus Urbis ordinatur, qui ſedit annis IX. & ultra; qui conſtituit quòd Clerici

rici barbam & comam non nutrirent.

Terræ motu in Aſia facto quatuor urbes ceciderunt.

Simon Juſtus Apoſtolus, Epiſeopus Hieruſalem, in Cruce eomplet martyrium cùm jam eſſet annorum centum & ultra. Ignatius Epiſcopus Antiochiæ Romam ductus beſtiis traditur.

Judæi exules per Orbem debacchantur & multas urbes infeſtant in Lybia, Ægypto & Cypro ac populantur: tandem à Trajano compreſſi ſunt. Trajano Auguſto Frontinus ſcripſit librum ſtratagematum. Juvenalis poeta in Scotia moritur, miſſus à Trajano invitus tribunus.

Evariſtus Urbis Epiſcopus ordinatur, qui ſedit annis IX. & ultra: qui conſtituit conjugium benedici à Sacerdote, & titulos Romæ diviſit, & ſeptem Diaconos ordinavit.

Plinius Secundus agnoſcitur Veroneoſis, qui ſcripſit librum de naturali hiſtoria, continentem volumina triginta ſex.

Trajanus ſcripſit Plinio ſuo Præfecto, ut Chriſtianos non inquireret: oblatos verò ſecundùm Decretum Senatus judicaret.

Decreto Seoatus facta eſt boc tempore perſequutio tertia in Chriſtianos.

Antiochia penè tota corruit terræ motu.

Trajanus morbo extinctus eſt.

De Adriano Auguſto.

ADrianus Imperator imperavit annis XXI. hic fuit filius Conſobrinæ Trajani, qui vir pbiloſophus Judæos perdomuit annis III. Imperii ſui.

Alexander Primus Urbis Epiſcopus ordinatur qui ſedit annis X. & ultra; qui conſtituit aquam benedici & aſpergi, & addidit in Miſſa; *qui pridie quàm pateretur &c.* uſque ad *hoc eſt Corpus meum*; & conſtituit hoſtiam modicam ex azimo fieri.

Terræmotu facto Nicæa & Nicomedia corruerunt.

Julianus Juriſperitus agnoſcitur. In Lybia Goloniæ factæ metu Judæorum.

Palæmon agnoſcitur rhetor, Baſilides, Hierarches Alexandriæ. Aquila interpres agnoſcitur.

Adrianus bello Judæos diſſipat; reædificavit Hieruſalem loco mutato, & eam Heliam nominavit. Mox morbo obiit apud Bajas. Theleſphorus Urbis Epiſcopus ordinatur, qui ſedit annis XI. & ultra. Hic conſtituit jejunium XL. dierum ante Paſcha, & in Natali Domini dici tres Miſſas, & Miſſam ante tertiam celebrari, & in Miſſa dici *Gloria in excelſis Deo*. Hujus Imperatoris tempore hi martyrio coronati ſunt.

Alexander Papa.

Sixtus Papa, Euſtaſius & filii Fauſtinus & Julia, Seraphica Virgo Sabina.

De Antonio Pio Auguſto.

ANtonius Pius Imperator regnavit annis XXII. & ultra, hic gener fuit Adriani, vir juſtus & prudens.

Hyginus Urbis Epiſcopus ordinatur: ſedit annis quatuor & ultra: qui conſtituit baptizatum ſuſcipi fonte à Patrino vel Patrina, & in confirmatione & catechizatione: Clerum compoſuit & gradus diſtribuit.

Valeotious & Cerdo Hæreſiarchæ Romam venerunt. Policarpus Epiſcopus Romam vènit, Hermes Librum Paſtoralem compoſuit.

A Pius Urbis Epiſcopus ſedit annis XIX. & ultra, qui conſtituit, Paſcha eelebrari die Dominico.

Galenus Medicus, Pergamo genitus, Romæ elarus habetur.

Juſtinus Chriſtianus philoſophus. Trogus Pompejus Hiſpanus hiſtoricus.

Ptholomæus Alexandrinus aſtrologus, qui vixit annis LXXXVIII. & librum Almageſtum compoſuit.

Antonius Imperator annis LXXVII. morbo deſecit.

De Antonio Vero Auguſto.

B ANtonius Verus imperavit annis XIX. & Lucius frater ejus aliquot annis cum eo, quem conſortem Imperii ſibi fecit. Anicetus Urbis Epiſcopus ſedit annis IX. & ultra, qui conſtituit, ut Clerici coronam portent in modum ſphærulæ.

Fronto Orator fuit Auguſti hujus.

Policarpus & Pronus Martyres ſunt.

Lues & peſtilentia per Orbem.

Sother Epiſcopus Urbis ſedit IX. & ultra, qui conſtituit Monachas velum geſtare, & quòd uxor non habeatur legitima, niſi à parentibus tradita, & benedicta à Sacerdote, & à Paranymphis cuſtodita.

Lues maxima per Orbem totum maximam C hominum partem delevit.

Eleutherius Urbis Epiſcopus ſedit annis XV. & ultra, qui conſtituit quòd nulla eſca uſualis, & rationalis à Chriſtianis repudietur.

Smyrna urbs Aſiæ terræmotu ruit: ideo data decennis immunitas. Martyres perſecutioois quartæ.

Policarpus Epiſcopus, Alexander & Gajus, Germanicus, Juſtinus Philoſophus, Epodius, Victor & Corona, Felicitas, & ſeptem ejus filii. Antonius Verus morbo deceſſit.

De Commodo Auguſto.

D COmmodus Imperator, ſuperioris filius, regnavit annis XIII.

Hirenæus Epiſcopus Lugdunenſis agnoſeitur.

Romæ fulmen Capitolium arſit, & Bibliotheca publica & ædes vicinæ crematæ.

Incendio iterum ſacto Romæ, ædes Veſtæ & pars magna Urbis ſolo æquatæ ſunt incendio.

Commodus Imperator, omnibus incommodus, à ſuis militibus ſtrangulatur.

Eleutherius Papa, Cæcilia Virgo, Symphorianus, Apollonius, Julianus Senatores.

Anaſtaſius, Euſebius, Pontianus, Fauſtinus.

De Pertinace Auguſto.

E PErtinax Imperator regnavit menſibus ſex: fraude Juliani Juriſperiti, nepotis ſuperioris occiditur. Victor Urbis Epiſcopus ſedit annis X. qui Concilium habuit Alexandriæ, Narciſſo Epiſcopo Hieruſalem, & Theophilo Epiſcopo Cæſareæ, in quo firmatum fuit, Paſcha debere celebrari die Dominico, à XIV. Luna Martii, uſque ad XXII. Aprilis; & conſtituit, ob neceſſitatem poſſe aqua baptizari ubique.

De Severo Auguſto.

SEverus Afer Imperator regnavit annis XVII. vir probus.

Cle-

Digitized by Google

A Clemens Presbyter Alexandrinus, qui ſcripſit hiſtorias. Muſanus philoſophus Chriſtianus, Tertullianus Afer. Origenes hoc tempore natus.

Anno XII. Imperii hujus, & anno Urbis Antiochiæ CCLI. inventum eſt, eſſe Annum Jubilæum.

Hujus Imperatoris tempore terminatum eſt per Papam Victorem de Paſcha, ut ſupra agitur.

Quinta perſecutio in Sanctos agitur hoc imperante Auguſto.

Victor Papa.

Hieronymus Epiſcopus.

Perpetua & Felicitas.

B Cepherinus Urbis Epiſcopus ſedit annis IX. & ultra, qui conſtituit Chriſtianum majorem XII. annis die Paſchæ Euchariſtiam ſumere in conſpectu omnium, & quòd Calices eſſent vitrei vel ſaltem ſtannei.

Severus Imperator in Britannia moritur.

De Antonio Auguſto.

ANtonius Caracalla, ſuperioris filius, regnavit annis VII. homo impatiens libidinis; qui Juliam novercam accepit in uxorem, à ſuis militibus mox occiſus eſt.

De Macrino Auguſto.

C MAcrinus Imperator regnavit annum I. qui tumultu militari cum filio apud Archelaidem occiditur. Romæ amphitheatrum incenſum. Abgarus vir ſanctus regnat Ædeſſæ in Parthia.

De Aurelio Antonio Auguſto.

MArcus Aurelius Antonius imperavit annis quatuor.

Calixtus Urbis Epiſcopus ſedit annis V. & ultra.

Hic conſtituit jejunia Quatuor Temporum & fecit Eccleſiam Sanctæ Mariæ trans Tyberim.

D Nicopolis condita in Palæſtina, quæ quondam dicebatur Emaus.

Julius Africanus, Scriptor temporum claret.

Sabelius Hereſiarches apparet.

Imperator cum matre occiditur.

De Alexandro Auguſto.

ALexander Imperator regnavit annis XIII. cujus mater fuit Mammæa, Origenis devota.

Urbanus Primus Urbis Epiſcopus ſedit annis quaſi IX. qui conſtituit vaſa Altaris eſſe aurea, vel argentea, vel ſaltem ſtannea, & convertit
E ad Fidem Chriſti ſponſum Beatæ Cœciliæ, & alios plures nobiles. Sub hoc Papa cœpit Eccleſia prædia poſſidere, quia ante pauperibus accipiebant pecuniam tantùm.

Ulpianus Juriſconſultus Alexandri fuit Aſſeſſor Auguſti.

Poncianus Urbis Epiſcopus ſedit annis V. & ultra qui exulavit in Sardinia. Quidam tradunt, quòd huic ſucceſſit quidam Ciriacus (ſ. Cyriacus) qui non ponitur in numero Epiſcoporum Urbis, qui, ut dicunt, omiſſo officio Pontificatus cum Beata Urſulina & undecim Virginibus profectus, complevit martyrium: ſed falſum hoc apparet. Nam Scriptores non excluſiſſent talem virum à numero Pontificum Romanorum.

Item invenitur, Beatam Urſulinam eſſe paſſam tempore Actilæ, cujus tempore fuit Leo Papa, qui ſedit anno Chriſti CCCCXL.

Alexander à ſuis militibus occiditur.

De Maximo Auguſto.

MAximus Imperator regnavit annis III. qui contra Fidem Chriſti ſextam perſecutionem egit.

Nomina martyrum Pontianus & Antherus, Epiſcopi Urbis, Juliana Virgo.

De Gordiano Auguſto.

GOrdianus Imperator regnavit annis ſex, hic jam portas aperuit, & Parthos feliciter ſuperavit. Fraude Philippi occiſus eſt non longè ab Euphrate fluvio. Ejus oſſa delata *

Fabianus Urbis Epiſcopus ordinatur, columbæ indice miſſa cœlitus, qui ſedit annis quaſi XIII. Hic conſtituit ſecundum Chriſma confici de cœna Domini, & regiones diviſit Diaconis, & geſta martyrum per notarios invênit. Origenes ejus diſcipulus Epiſcopus Ponti.

Julius Africanus ſcriptor temporum agnoſcitur.

De Philippis Auguſtis.

PHilippus & filius ejus Philippus imperaverunt annis VII.

Hic primus ex Imperatoribus fuit Chriſtianus.

Anno quarto Imperii iſtius completus eſt annus milleſimus ab Urbe condita. Hi ludi maximi Romæ.

Origenes ſexagenarius ſcripſit epiſtolas Imperii & Severæ *

Hyerus Presbyter Alexandrinus, vir à primævo literatus, philoſophus Chriſtianus claret.

Julius Africanus adhuc vivit.

Philippus pater Veronæ, Philippus filius Romæ fraude Decii occiditur.

De Decio Auguſto.

DEcius Imperator regnavit annis II. huius uxor fuit Beata Triphonia martyr Chriſti, tempore ſequenti.

Cornelius Urbis Epiſcopus ſedit annis tribus & ultra. Hic corpora Apoſtolorum condidit Romæ, ubi nunc ſunt eorum Eccleſiæ. Sanctum Petrum in Vaticano Palatio Neroniano, ubi fuit templum Apollinis & Paulum via Hoſtienſi, ubi decollatus fuit.

Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis agnoſcitur & Beata Juſtina Virgo. Novatus Presbyter Cypriani, Romam miſſus, novum errorem induxit, dicens: lapſum in peccatum non poſſe reſurgere. Septima perſequutio in Chriſtianos agitur.

Fabianus Papa, Cornelius Papa, Agatha Virgo, Neſtor Epiſcopus. Abdon & Senen & Serapion. Decius moritur merſus palude.

De Gallo & Voluſiano Auguſto.

GAllus & Voluſianus imperaverunt annis VII. Lucius Primus Urbis Epiſcopus ſedit annis III.

In-

Ingens peſtilentia per totum Orbem, ita ut A
Provincias hominibus vacuaverit. Cyprianus libros ſcripſit Sanctis.

Origenes obiit jam annorum LXXX. corpus ejus Tyri ſepultum.

Philippus Epiſcopus, pater Sanctæ Eugeniæ, Alexandriæ coronatur Martyrio. Hi Imperatores edicta Decii contra Sanctos proſequuntur, tandem occiſi ſunt.

De Valeriano & Decio Galieno Auguſtis.

Valerianus Galienus & Decius ejus filius regnaverunt annis XV.

Stephanus Urbis Epiſcopus ſedit annis quatuor.

Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis martyr
ſactus. Sixtus Secundus Urbis Epiſcopus ſedit B
annis quaſi tribus.

Hic conſtituit Miſſam celebrari Altari.

Valerianus Imperator, ſpretis Chriſtianis, magorum gaudet conſortio.

Octava perſecutio contra Chriſtianus agitur. Lucius Papa, Stephanus Papa, Sixtus Papa, Laurentius Diaconus, Romanus miles.

Zeno Epiſcopus Veronenſis.

Protus & Jacinthus Aſterius Senator, trecenti Martyres igne conſumpti Carthagine.

Galienus Imperator, capto Valeriano patre ſuo, aſperſis * pacem reddidit Chriſtianis. Imperium laceratur à Barbaris, Paulus Samoſathenus Epiſcopus Antiochiæ ordinatur, qui ſe-
dit annis duobus & ultra. C

Hic ordinavit cimiteria, & parochias diviſit, & juſſit Clericos ſuis parochiis eſſe contentos, & terminum illis impoſuit.

Felix Urbis Epiſcopus ſedit annis duobus & ultra; qui conſtituit Miſſam cantari ſuper memoriam Martyrum.

Dionyſius Epiſcopus Alexandriæ obiit anno Imperii XII.

Galienus Imperator cum fratre ſuo Mediolani occiditur, fraude Ducis ſui.

De Claudio Auguſto.

CLaudius Imperator regnavit annis duobus,
vir optimus, morbo deceſſit. D

Euticianus Urbis Epiſcopus ſedit annis VIII. Conſtituit uvas & fruges benedici Altari.

De Quintilio Auguſto.

QUintilius frater Claudii ſactus Cæſar à militibus, & à Senatu Auguſtus, poſt paucos dies occiditur, vir etiam fratri præferendus.

Dionyſius Papa Manus * Martha & eorum filii Andiſax & Abacum * Cirilla, filia Decii Cæſaris, Cæſarius & Julinus, Cælarius & Preſbyteri, Euſebius Monachus.

De Aureliano Auguſto. E

AUrelianus Imperator regnavit annis * & ultra vir ſtrenuus & felix in bellis; fraude ſervi ſui occiſus fuit à ducibus ſuis deceptus aſajo (à Serajo.) *

Hic Imperator prœlium ad flumen Metaurum & Fanum Fortunæ *

Aurelianus uſum carnium porcinarum induxit & capiti ſuo primus Auguſtorum Diadema impoſuit & aurea veſte eſt uſus. Euticianus Papa.

Quirinus, Theodora ſoror Hermetis, martyres, Chonon & filius Tertulius, Sabianus mamas.

De Tacito Auguſto.

TAcitus imperavit menſes ſex, poſtea occiſus fuit in ponte.

Florianus in Imperio ſucceſſit, tertio menſe apud Tharſum occiditur.

De Probo Auguſto.

PRobus imperavit annis ſex & ultra, vir illuſtris gloria militari fuit, qui Pannonios & Gallos vineas habere permiſit.

Secta Manichæorum emergit.

Gajus Urbis Epiſcopus ſedit annis XI. & ultra; hic conſtituit, ut Clericus gradatim per ordines * & ut nemo Sacerdotem vel Clericum accuſet ante Judicem ſecularem.

De Caro Auguſto.

CAtus annis duobus imperavit. Cùm caſtrum, * apud flumen Tygridem ictu fulminis periit, filius Cari factus Cæſar, à ſocero ſuo ejus fraude occiditur, ut illi ſuccederet. Miles ſtrenuus in concione aprum occidit coram militibus, quemadmodum fraude generum occiderat, ut illi ſuccederet.

Chryſantus & Daria, quorum corpora quieſcunt Regii in Æmilia Claudii.

Claudius, & Hylaria uxor, & eorum filii Jaſon & Maurus Papias, Dioſcorus, Claudianus, Serapion, Nicephorus.

De Diocletiano & Maximiano Auguſto, & de Galerio, & Conſtantino Cæſaribus.

DIocletianus, Maximianus Herculeus Auguſti.

Galerius Maximianus, Conſtantius, Cæſares ſub Auguſtis.

Diocletianus cùm videret Imperium laceratum, primò ſibi conſortem Imperii fecit Maximianum Herculeum; poſtea Galerium & Conſtantinum Cæſares fecit.

Cùm pluribus annis imperaſſent, & decus Imperii ſatìs recuperatum videretur: ipſe Diocletianus & Maximianus Auguſti ſubſtituerunt ſibi in officio imperandi Galerium & Conſtantium, ſe ad vitam privatam tulerunt, de quo valde doluit Maximianus. Per iſtos Auguſtos & eorum Vicarios imperatum eſt annis XX. in quibus facta eſt decima perſecutio contra Chriſtianos, qualis nec ante, nec poſt fuit.

Hoc tempore apparuit quidam Perſes nomine Manes, qui nunc ſe Chriſtum nunc ſe Paraclitum aſſerebat, qui etiam XII. diſcipulos habens, eos prædicando miſit, ſuum diſſeminando errorem. Marcellinus Urbis Epiſcopus ſedit annis VII. & ultra, qui metu Diocletiani poſuit thura Diis: mox verò pœnituit. Synodo facta in Campania coram CLXXX. Epiſcopis cinere ſe aſperſit: propter quod Martyrium fecit.

Terræ motu facto apud Tyrum & Sydonem multa milia hominum perierunt.

Marcellus Urbis Epiſcopus ſedit annis * & ultra, qui conſtituit in Urbe Cardinalatus XXV. vel XV. propter hominum ſepulturam & Baptiſmum anno Imperii XIX. facta ſunt edicta contra Chriſtianos, & Sacræ Scripturæ incenſa ſunt, & perſecutio decima fuit aliis ſævior.

Demiſſa Imperii adminiſtratione à Diocletiano & à Collega ejus, Galerius partem Imperii Orientalem adminiſtravit. Conſtantius Occidentis

tis partem. Sed vir optimus Italiam & Africam reſignavit Galerio: ipſe verò Hiſpanias & Gallias gubernavit illis contentus. Galerius perſecutionem proſequitur à ſuperioribus cœptam, & Maximium Cæſarem fecit, qui etiam ſævè perſecutus eſt Sanctos. Galerius Dei judicio duriſſimis pœnis vitam finivit.

Conſtantius Auguſtus in Occidente nulli Sancto fuit infeſtus, qui ex Helena genuit Conſtantinum.

Maxentius filius Maximiani Romæ factus eſt Cæſar. Etiam Sanctos Dei perſecutus eſt, qui Beatam Katherinam occidit.

Licinius factus Imperator à Galerio. Etiam Sanctos Dei perſecutus, cujus uxor filia fuit Conſtantii, & ſoror Cooſtantini Magni. Nomina Martyrum.

Gajus Papa.
Marcellinus Papa.
Marcellus Papa.
Largus & Smaragdus.
Geneſius.
Sergius & Bacchus.
Felix & Danctus, Coſmas & Damianus, Sebaſtianus.
Bonifacius.
Primus & Felicianus.
Pancratius.
Vitus & Modeſtus, Pantaleo, Vincentius Levita Hiſpanus, Eleutherius cum aliis innumeris Sanctis. XV. Martyres uno menſe. Blaxius Epiſcopus.
Georgius Cappadox, Theodorus Menna *
Hermolaus, Grixogonius, Ruffus, Simplicius, Fauſtious, Victor.
Mauricius cum aliis VI. Nomina Virginum Martyrum; Agnes, Barbara, Euſemia. Creſentia, Beatrix, Suſanna, Romana, Anaſtaſia, Theodoxia.

De Galerio Auguſto.

GAlerius idem poſt dictos viginti annos aſcriptos Diocletiano, imperavit annis duobus: ſub quo Maximiaous Cæſar factus, Chriſti Sanctos perſecutus eſt.

De Coſtantino Magno Auguſto.

COnſtantinus, Conſtantii filius, imperavit annois XXXI. Hoc tempore Reſpublica Romæ ſub quatuor Principibus: ſcilicet Cooſtantino & Maxentio filiis Auguſtorum, & Licinio & Maximio oovis hominibus, factis Cæſaribus.

Anno quinto Imperii exortum eſt bellum civile inter Conſtantinum & Maxeotium. Tandem Maxentius ſuis fraudibus periit. Nam fraude pontem ſtruxerat, ut Conſtantinus, illum aſcendens, periret aquis. Sed Dei judicio demeotatus, ipſe ſuper pontem aſcendit & periit.

Euſebius Urbis Epiſcopus ſedit annis tribus & ultra, qui conſtituit, nullo modo jejunari die Dominico, quia eo die Pagani jejunabant potiſſimùm. Hic primus omnium Epiſcoporum Urbis à martyrio fuit alienus.

Conſtantinus Bauſiam (Fauſtam) uxorem ſuam occidit. Sylveſter Urbis Epiſcopus ſedit annit XXIV. cujus tempore Imperator libertatem Eccleſiis dedit, & Romæ Eccleſias conſtruxit.

Hoc tempore congregata eſt Synodus Nicæna, in qua Fides Catholica expoſita eſt, ideſt,

A factum fuit *Credo* majus, quod exponit *Credo* minus.

Euſebius Cæſarienſis hucuſque ſcripſit Hiſtoriam, ex qua Hieronymus ſuam Chronicam texuit, quam ego potiſſimùm imitatus ſum. India ulterior & gens Hebræorum, quæ à Xepontico eſt, ad Fidem Chriſti converſa.

Bizantium urbs Thraciæ ampliatur à Conſtantino, quam ſuo nomine appellavit Conſtantinopolim. Hic à Beato Silveſtro baptizatur.

Conſtantinus, data libertate Eccleſiis, templa Deorum claudi juſſit.

Dogma Donatiſtarum apparet. Oritur Hierooymus, mox Presbyter. Stella Cometa apparuit.

B Conſtantinus anno ætatis 66. bellum moliens contra Perſas, inſtituit Conſtantium filium abſentem hæredem in Imperio Orieotis: in reliqua inſtituit filios Conſtantem & Conſtantium & Dalmatium filium fratris ipſius.

De Conſtant.o Auguſto.

COnſtantius imperavit annis viginti quatuor, ſed Dalmatius & Conſtantius aliquo tempore imperaverunt, mox occiſi ſunt.

Conſtans verò factione Magnetii occiſus eſt anno Imperii XVIII.

Conſtantius verò ſupervixit, & Imperium adminiſtravit ſolus. Marcus Urbis Epiſcopus ſedit C annis II. & ultra. Hic conſtituit Symbolum in miſſa alta voce cantari, & ut Epiſcopus Hoſtienſis, qui Romanum Pontificem conſecrat, pallio uteretur.

Arrius errorem ſuum effudit.

Conſtantius Imperator, errore Arrii pollutus, Catholicos perſequitur.

Anaſtaſius Epiſcopus Alexandrinus perſecutione vexatur ob Fidem.

Hilarius Epiſcopus clarus.

Julius Papa ſedit annis XI. & ultra. Hic congregavit Synodum apud Nicæam Epiſcoporum CCCXVIII. inter quos fuit Beatus Nicolaus Epiſcopus Mirreorum: qua Synodo damnatus eſt error Arrii, qui aſſerebat, Filium Patre D minorem: in hac etiam Synodo decretum eſt à Clero Occidentis à conjugibus continere, & cœlibatum tenere.

Terræ motus in Oriente plurimas urbes ſolo ſtravit.

Arrius ad opus naturæ pergens in Conſtantinopoli, viſcera emiſit crepans.

Beatus Nicolaus Epiſcopus Mirreorum.)
Euſebius Epiſcopus Vercellenſis) agnoſcuntur.
Hilarius Epiſcopus Pictavienſis)
Epiphanius Epiſcopus Papienſis)

Liberius Papa ſedit annis VI. & ultra, qui conſtituit, conjugium benedici à Sacerdote: qui miſſus eſt in exilium à Conſtantio, quia errori E Arrii non conſenſit, anno Imperii XX. & Felix ordinatur à Clero.

Felix Secundus Papa ſubſtituitur, qui ſedit anno uno & ultra; qui declaravit, Conſtantium eſſe ſectæ Arrianæ & rebaptizatum ab Euſebio Epiſcopo Nicomediæ: propter quod decapitatus eſt. Gallia Phylamium * Ariminenſis perfidè ille * damnat.

Donatus grammaticus, doctor Hieronymi.

Evancius grammaticorum eximius.

Victorius rhetor Afer Romæ agnoſcitur.

Synodus facta per Arrianos apud Ariminum, & alia Synodus apud Jeuciam (f. Seleuciam) Yſauriæ. Macedonius Catholicus Epiſcopus

Q Con-

Conſtantinopoli pellitur. Beatus Antonius Monachus obiit annorum CV. cujus corpus Viennæ eſt, Macharius ejus diſcipulus claret.

Athanaſius & Hilarius Epiſcopi celebres habentur.

Paulinus Epiſcopus Treverorum exulans in Phrygia obiit. Felix Papa & Euſebius Epiſcopi coronantur martyrio. Ecclesia magna Conſtantinopolitana dedicatur.

Catholici ubique ab Arrianis vexantur, Beatus Nicolaus Epiſcopus dormivit in Domino Anno Chriſti CCCLXIII. Liberius Papa iterum ſedit occiſo Felice Secundo, qui ſibi ſucceſſerat.

De Juliano Auguſto.

JUlianus imperavit anno uno & menſibus octo. Hic ex Clerico factus eſt Cæſar à Conſtantio ſuo patrueli & ſocero. Qui ad idolatriam verſus, Chriſtianos inſequitur magis blanditiis, quàm ſævitia; qui ſtatuit, Chriſtianos non poſſe cingi militari cingulo, nec poſſe ſcholam tenere.

Julianus licentiam dedit Judæis in odium Chriſtianorum, ut Templum in Hieruſalem reſtaurarent: & cùm jam opus cœpiſſent, virtute Dei nocte materia diſſipata eſt, & ſignum Crucis in veſtimentis Judæorum inventum eſt: propter quæ multi ad Fidem Chriſti converſi ſunt.

Damaſus Papa ſedit annis XVIII. & ultra, qui rogatu Beati Hieronymi conſtituit, ut in fine pſalmorum diceretur: *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto &c.*

Hujus Damaſi tempore fuerunt hi Epiſcopi Viri ſancti & noti.

Mercurialis Epiſcopus Forolivienſis;
Boſſilus Epiſcopus Foropompilii;
Gaudentius Epiſcopus Arimini;
Leo Epiſcopus Feretranus,
Marinus;

Hieronymus hoc tempore correxit Pſalterium LXX. Interpretum.

Julianus Imperator dum ſiti laboraret ejus exercitus apud Cteſiphontem, à quodam profuga ductus eſt in deſerta, ut aquam quæreret, ſed à quodam milite ignoto lancea perfoſſus per ilia periit.

Hilarion Abbas agnoſcitur.
Pigmenius Epiſcopus Doctor Juliani.
Quiriacus Epiſcopus.
Gordianus.
Donatus Epiſcopus.
Epimachius.
Gallicanus.
Sabiniana Virgo.
Joannes & Theodorus Presbyteri.

De Joviano Auguſto.

JOvianus Imperator regnavit menſes IX. Synodus Antiochiæ facta eſt.

De Valentino Auguſto.

VAlentinus imperavit annis XI. qui fratrem ſuum Valentem Imperii fecit conſortem.

Terræmotu facto per totum Orbem mare eſt litus egreſſum.

Vegetius renatus librum de re militari huic ſcripſit Auguſto.

Urſinus Diaconus X. in tantam prorupit audaciam, ut ſe Papam faceret contra Damaſum; propter quod multæ cædes in Urbe fuerunt. Valens Imperator baptizatur ab Eudoxio Epi-

A ſcopo Arriano, & cùm Catholicos vehementer perſequeretur, à Valentiniano prohibitus eſt. Grando maxima in Conſtantinopoli, ita ut homines. - - -

Nicæa urbs terræmotu facto funditus eſt everſa. Hatalaricus Rex Gothorum Chriſtianos perſequitur.

Euſebius Epiſcopus Vercellenſis obiit.

Dydimus Alexandrinus multa commentatur pro Fide, qui ſine viſu corporeo literas didicit.

Baſſianus Laudenſis Epiſcopus ordinatus anno ætatis ejus LV.

Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus obiit, cui ſucceſſit Petrus.

Ambroſius Mediolani Epiſcopus ordinatur.

B Chorus Aquilienſis Sanctus habetur.

Valentinianus Auguſtus morbo apoplexiæ obiit.

De Valente Auguſto.

VAlens frater ſuperioris, annis quatuor imperavit poſt fratrem, qui legem ſtatim dedit, ut Monachi militarent.

Gens Hunnorum, ideſt Hungarorum, relictis eorum ſedibus, Gothos ſedibus ſuis expulit. Theodoſius Pater Theodoſii mox Auguſti juſſus decollari apud Africam Baptiſmum petiit, & habuit.

Fotinus Hæreſiarches errorem ſuum diſſemi-
C nat contra Chriſtum. Apollinarius Hæreſiarches apparuit.

Valens expugnatus à Gothis fugit ſaucius ſagitta in caſam vilem. Illuſtres Monachi in deſerto erant tunc Nitriæ, Macharius & alter Macharius, Paulus, Yſidorus, Moyſes, Eraclides; Baſilius Epiſcopus Cæſarienſis,
Gregorius & Petrus fratres Baſilii,
Gregorius Nazianzenus agnoſcuntur.

De Gratiano Auguſto.

GRatianus filius Valentiniani Auguſti imperavit annis VI. qui ſtatim fratrem ſuum Valentinianum Imperii fecit conſortem.

D Gratianus Theodoſium virum ſororis ſuæ Gallæ, Auguſtum fecit in Imperio Orientali, quod premebatur à Gothis.

Priſcilianus Epiſcopus Galiciæ Hiſpaniæ errores Manichæorom diſſeminavit.

Martinus Epiſcopus Turonorum agnoſcitur.

Athanaricus Rex Gothorum, facta pace cum Theodoſio Auguſto, Conſtantinopoli moritur, cujus funeri Imperator honorem regium detulit.

Siricius Papa ſedit annis XV. Hic Synodum congregavit apud Conſtantinopolim Patrum CCCL. contra Macedonium & Eudoxium: etiam Synodus appellata ſexta Sancta Synodus & univerſalis. Hieronymus hujus Papæ tempore in Bibliam de Hebræo in Latinum tranſtulit.

E In Caſtello Emaus nati ſunt pueri duo in uno corpore infra umbilicum, quorum uno dormiente alter edebat, alter alteri triduò præmoritur.

Hieronymus Presbyter.
Martinus Epiſcopus Turonenſis.
Arſenius Heremita agnoſcuntur.

Maximus Dux exercitus Romanorum in Britannia, vocatus à militibus Gratiani (fit Auguſtus), qui fugiens occiditur apud Lugdunum.

De Valentiniano Auguſto.

VAlentinianus frater Gratiani regnavit annis VIII. poſt fratrem in Occidente, Theodoſio imperante in Oriente.

Valentinianus mortuo fratre fūgit ad Theodoſium in Conſtantinopolim.

Theodoſius cum exercitu vênit in Italiam, & Maximum apud Aquilejam vinctum capite damnat, & reſtituit Valentinianum in Imperium Occidentis.

Præſcilianus Hæreticus damnatur.

Joannes Anachorita futura prædicit; Auguſtinus in Fide proficit.

Claudianus poëta agnoſcitur. Caput Joannis Baptiſtæ latum Conſtantinopolim. Valentinianus Secundus Imperator inventus eſt Viennæ ſuſpendio mortuus.

De Theodoſio Auguſto.

THeodoſius Imperator poſt mortem Valentiniani Secundi Auguſti imperavit annis tribus, qui jam imperaverat annis XIV.

Theodoſius cum exercitu vênit in Italiam contra Eugenium, qui operâ Arbogaſtis Comitis ſuſpecti de nece Valentiniani amiſerat Imperium; & conſulto Joanne Anachorita Theodoſius illos ſuperat magìs Dei virtute, quàm armis; Eugenius captus interfectus eſt, Arbogaſtes ſe propria manu occidit.

Eo anno Theodoſius Mediolani obiit, relictis Archadio & Honorio filiis Auguſtis & Placidia filia ejus ex Galla filia Valentiniani Majoris Patris Gratiani.

Obiit autem anno ætatis quinquageſimo.

Vidi ego in Eccleſia Sancti Laurentii, ſacello, quod eſt apud Ravennam, ſepulchrum nobile: juxta id in pavimento erat petra ſcripta literis celatis, dicens ſic: THEODOSIUS IMPERATOR. Vidi & legi.

Ambroſius Epiſcopus Mediolani.

Hieronymus Presbyter.

Auguſtinus Epiſcopus Yponenſis.

Martinus Epiſcopus Turonenſis. Baſſianus Epiſcopus Laudenſis.

Paulus Oroſius.

Joannes Chryſoſtomus.

Prudentius Vir poeta; hujus temporis viri.

De Archadio Auguſto.

ARchadius Theodoſius filius Imperator in Oriente annis XIII. imperavit, fratre ejus Honorio in Occidente imperante.

Anno ſecundo Imperii Archadii Beatus Martinus migravit ad Dominum an. ætatis MLXXVI.

Anno ſequenti moritur Beatus Ambroſius. Hujus Imperatoris tempore Donatus Epiſcopus ſputo oris occìdit draconem, ad quem trahendum ad locum incendii octo juga boum fatigata ſunt. Anaſtaſius Papa ſedit annis tribus, qui conſtituit hominem membro carentem non fieri Clericum, & nullum Clericum promoveri ad Ordines ſuperiores, niſi ad licentiam ſui Epiſcopi; & cùm Evangelium legitur ſtare curvos Sacerdotes.

Gothi Alarico & Radagaſio Ducibus in Italia regnant, Romani & Gothi pari clade in Italia pugnant. Innocentius Papa ſedit annis XV. & ultra, qui conſtituit renaſci Baptiſmate & jejunium Sabbato, & uti Oleo ſancto ad infirmos laicos per Presbyteros. Beatus Alexius agnoſcitur.

Eudoxia Auguſta imaginem ſuæ ſpeciei erexit, & ad eam puellas & fœminas cantare fecit: & cùm Joannes Chryſoſtomus Epiſcopus id argueret prædicando, ab Archadio Auguſto pulſus eſt Sede ſua: quamobrem Papa Innocentius eum excommunicavit.

Radagaiſius Rex Gothorum in Thuſcia apud Feſulas in monte concluditur cum---Gothorum. Ipſe capitur & occiditur; Gothi verò diſſipantur, & vili pretio venduntur ut pecora.

Wandali tranſito Rheno Gallias occupant.

Conſtantius Comes vir Placidiæ tranſit in Gallias, miſſus ab Honorio Auguſto.

Arſenius agnoſcitur Romæ. Mox vir Placidiæ, qui poſtquam annis XL. in aula Imperatoris fuit, factus Monachus annis XLV. vixit Heremita.

Prudentius Aurelius Clemens vir Catholicus, & poeta agnoſcitur.

Archadius Imperator in Oriente, poſtquam annis XIII. imperavit, morbo defecit apud Conſtantinopolim, relicto ibi Imperatore filio ſuo Theodoſio.

De Honorio Auguſto.

HOnorius Imperator, poſtquam imperavit cum Archadio fratre ſuo cum illius filio regnavit annis XV. in Occidentis Imperio. Wandali à Gothis capiuntur, ſpoliantur & incenduntur, & Placidia ſoror Honorii rapitur, adducitur inde, & paulò poſt moritur Rex Alaricus.

Haytulphus factus Rex Gothorum Placidiam in conjugem accepit apud Forum-Cornelii, & Gothi in Gallias tranſeunt.

Burguziones partem Galliæ Rheno propinquam obtinuerunt.

Pelagius Brito Hæreſiarches apparet.

Haytulphus Rex Gothorum & maritus Placidiæ à ſuis---

Vallia Rex Gothorum, facta pace cum Conſtantino Vicario Honorii, Placidiam reſtituit, quam ipſe Conſtantinus in uxorem accepit, ex qua mox genuit Valentinianum & Honorium.

Valentinianus naſcitur Placidiæ filius ſexto Nonas Julias.

Coſimus Papa ordinatur, qui ſedit anno & ultra: hic Synodum habuit apud Carthaginem Epiſcoporum CCXIV. quo hæreſis Pelagiana damnata eſt, contra eum Auguſtino agente. Hic Papa conſtituit Cereum benedici in Paſcha per parochias & Diaconos levante *, ſervum etiam non fieri Clericum, & Clericum in publico non uti poculo (balneo.)

Boniſacius Papa ſedit annis tribus & ultra, qui conſtituit ominem in Eccleſia ponere incenſum, niſi miniſtrum; nec obnoxium Curiæ vel ſervum poſſe fieri Clericum.

Conſtantius hoc anno pacem firmat cum Vallia Rege Gothorum, datâ eis ad habitandum Aquitaniâ cum aliis civitatibus vicinis. Honorius Imperator Conſtantium virum ſororis ſuæ Placidiæ apud Ravennam fecit Auguſtum & Regem & Regni conſortem, qui ſeptimo menſe poſt moritur, quinto anno nuptiarum Placidiæ.

Beatus Hieronymus hoc anno obiit pridie Kalendas Octobris, ætatis ejus anno XCIX.

Pharamundus primus Rex Francorum creatur ab illis per hæc tempora.

Placidia ab Honorio Italia pellitur, quæ cum filiis profecta eſt ad Theodoſium Archadii filium in Conſtantinopoli imperantem.

Cœleſtinus Papa ſedit annis ferè X. qui conſtituit, ut Pſalmi David ante Sacrificium cantarentur, & Antiphonarium ex pſalmis, quod ante non fiebat, ſed legebantur Epiſtolæ & Evangelium. Miſit quoque Beatum Patricium filium Chotes ſororis Beati Martini in Hiberniam, qui eos convertit.

Beatus Caſſianus libros compoſuit.

Honorius Imperator Romæ occiditur; cujus tempore conſtructa eſt apud Ravennam * per eum in Cæſarea Eccleſia Beati Laurentii, juxta quam conſtructum fuit Sacellum elegans, in quo ſunt mauſolæa pretioſa ex marmore affabrè cælata, in quo quidem elegantiori corpus Theodoſii Auguſti eſſe, & literæ in petra ſcriptæ id teſtantur, quas legi.

De Theodoſio Auguſto.

THeodoſius minor imperavit in Oriente poſt mortem Honorii patrui.

Gens Wandalorum de Hiſpania tranſit in Africam anno Chriſti CCCCXXVI.

Anno ſecundo Imperii à Theodoſio Placidiæ datur Imperium Occidentis.

Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus novum errorem induxit prædicans Chriſtum tamen eſſe ---

Placidia veniens in Occidentem, metu maris naufragii, Beato Joanni Evangeliſtæ Eccleſiam vovit, quam mox conſtrui fecit Ravennæ.

Germanus Epiſcopus Altiſiodorenſis miſſus à Cœleſtino Papa ad Britannos Pelagiano errore (infectos) eos correxit ab eo errore. Auguſtinus Epiſcopus Yponenſis dormivit in Domino anno Chriſti CCCCXIX. anno ſequenti facta eſt Synodus per Cœleſtinum Papam apud Epheſum Patrum CC. & ultra, ibi hæreſes Neſtoriana & Pelagiana damnatæ ſunt.

Ad Scotos in Chriſto credentes à Cœleſtino mittitur primus Epiſcopus Paladius. Sixtus III. Papa ſedit annis 8. & ultra, qui Petrum Ravennatem ordinavit Ravennæ, Deo ſibi indice per ſomnium.

Pax facta cum Wandalis, data eis ad habitandum aliqua parte Africæ.

Genſericus Rex Wandalorum Catholicos in Africa ſævè perſequitur.

Carthago à Wandalis capta, quæ fuit ditionis Romanæ & anno Chriſti CCCCXXXVIII.

Leo Diaconus, ſecundus, abſens ordinatus Papa ſedit annis XXI. & ultra, hic quintam Synodum congregavit apud Chalcedonem CC. Patrum contra Euticium Epiſcopum Conſtantinopolis, & probatum eſt in Chriſto duas eſſe naturas, ſcilicet Dei & Hominis, hujus Leonis fuit Notarius Proſper Aquitanicus, mox Epiſcopus Reginus in Æmilia.

Gens Hunnorum Regibus ſuis Actila & Bella fratribus Thracias vaſtant.

Romæ terræmotus ingens ſtravit ædes.

Manichæos in Urbe latitantes Leo Papa perſequitur, & damnat errorem.

Actila Rex Hunnorum fratrem ſuum Bellam occîdit, ut ſolus regnaret.

Hujus Auguſti tempore Diabolus in Creta in ſpecie Moyſis Judæis apparuit dicens, velle eos inducere in terram promiſſionis ſuam, * ingreſſi ſunt, ut videbatur, apertam: multi undis perierunt, reliqui ſalvi ab undis Chriſto crediderunt.

Hujus Auguſti tempore ſeptem dormientes apud Epheſum ſurgunt à ſomno, qui annis CC. dormierant, à tempore ſcilicet Decii Imperatoris, & coram Theodoſio Auguſto & aliis ſunt

A de Fide loquuti. Et iterum in Chriſto dormierunt anno Imperii iſtius Theodoſii XXIV. Theodoſius moritur in Conſtantinopoli, imperante in Occidente Valentiniano ejus conſobrino & genero.

De Valentiniano III. Auguſto.

VAlentinianus Tertius imperavit in Occidente poſt mortem Theodoſii annis V. cùm jam ante imperaſſet cum illo annis XXV. Hic fuit Placidiæ filius. Tunc in Oriente imperabat poſt Theodoſium Marcianus, qui cum hoc Valentiniano imperavit annis V. & poſt eum annis duobus.

B Actila Rex Hunnorum ſecum trahens gentes multas, ſcilicet Regem Gepidarum, Regem Gothorum, Marcomannos, Suevos, Quados, Erulos & Turcilingos pugnant in Gallia cum Eutio Duce Romanorum, & cum Rege Gothorum Aquitaniæ, quibus erant auxilio Burgundiones, Franci cum Rege ſuo Merone (Merovæo) Halani, Saxones, Riparoli, Sarmatæ, & Armaritiani (Armoricani), in qua pugna ceciderunt homines CLXXX. & Rex Gothorum Theodoricus. Actila tum ſuperatus fuit.

Actila ſuperatus in Pannoniam rediit, & congregato majore exercitu vênit in Italiam, & primò annis tribus obſedit Aquilejam, quam demum

C cepit & ſubvertit ann. Chr. CCCCLXXX. mox Actila per urbes Venetiæ (Liguriæ, Æmiliæ & Flamineæ, item Romandiolæ, quæ tres Provinciæ hodie Lombardia vocantur) debacchatur. Cùm in reditu ſuo perveniſſet, ubi Mincius fluvius intrat in Padum, Leo Papa illi advênit, qui ab eo pacem totius Italiæ impetravit. Actila rediens in Pannonias & novæ conjugis agens nuptias nocte eruptione ſanguinis ſuffocatus eſt, cujus arcus ea nocte fractus apparuit in ſomnis Marciano Auguſto.

Germanus Epiſcopus Antiſiodorenſis.) agnoſcuntur.
Lupus Epiſcopus in Gallia.)
Fulgentius Epiſcopus.)

D Valentinianus Imperator Romæ occiditur à militibus Eutii, quem principem occidi fecerat invidia, jam ante mortua Placidia matre, quæ obiit V. Kalendas Decembris.

De Marciano Auguſto.

MArcianus Imperator regnat poſt Theodoſium in Oriente annis V. regnavit poſt Valentinianum iterum annis II.

Genſericus Rex Wandalorum advectus ex Africa navibus, Romam capit & ſpoliat, cui Leo Papa occurrit humiliter, & eum aliquanto ſedavit; inde Wandali tranſeuntes, Capuam & Nolam capiunt ac ſpoliant, homines inde

E captivos adducunt in Africam.

Paulinus Nolæ Epiſcopus, cùm omnia expendiſſet pro redemptione captivorum, non ſuſtinens lachrymas unius viduæ flentis filium ductum Carthaginem, in Africam cum vidua eſt profectus, & ſe in permutationem filii viduæ captivi dedit, illo liberato. Cujus ſanctitate demum cognita laxatus eſt cum ſuis captivis.

Gothi Aquitanici invadunt Hiſpanias.

Epiphanius Epiſcopus Ticini vir ſanctus virtutibus habetur illuſtris.

In Colonia Agrippina XI. Virginum millia martyrio coronantur.

Martianus Imperator ſuorum conſpiratione occi-

oceiditur in Conſtantinopoli.

Eudoxia Auguſta uxor quondam Valentiniani tertii de Hieruſalem tulit Romam Reliquias protomartyris Stephani, & catenas, quibus catenatus fuit Petrus Apoſtolus.

Et quia Kalendis Auguſti Romæ fiebat memoria victoriæ Octaviani Cæſaris de Antonio factæ apud Actium, ideo eo die fit feſtivitas Beati Petri de Vinculis.

De Leone Auguſto.

LEo imperavit annis XVII. in Oriente morans, qui mox Leonem filium ejus Imperii fecit conſortem.

Majorianus apud Ravennam invadit Imperium Occidentis, qui cùm prope annis quatuor imperaſſet, occiditur non procul ab oppido Terdonenſi.

Severus ſtatim apud Ravennam Imperator efficitur, & appellatur Auguſtus, qui poſt annos quatuor Romæ obiit.

Hdarius Papa ſedit annis ſex & ultra: hic confirmavit tres Synodos. Arturus Rex Britanniæ tempore hujus Papæ & Imperatoris agnoſcitur.

Olibrius à Leone Auguſto Romam mittitur Imperator. Epiphanius Epiſcopus Ticini agnoſcitur, Simplicius Papa ſedit annis XV. & ultra. Merlinus Propheta agnoſcitur. Proſper Reginus Epiſcopus agnoſcitur, qui multos libros compoſuit, quos legi in Monaſterio Nonantulano.

Mamertus Epiſcopus Viennenſis agnoſcitur, qui jejunium, & rogationes fieri triduò ante Aſcenſionem ſtatuit. Hæreſis Dioſcori & Acephalorum emergit, cujus Auctor neſcitur. His temporibus Euricus regnabat Wiſegothis, ideſt Gothis Oceidentis, qui Aquitaniam tenuerunt.

Oſtrogothis verò, ideſt Gothis Orientis, regnabat Theodoricus Strabo, Triarii filius, qui tunc ad quartum Urbis milliarium duxit exercitum, nulli tamen Romanorum infeſtus, qui in brevi obiit.

De Zenone Auguſto.

ZEno Uſaricus (Iſauricus) gener Leonis imperavit annis XVI. iſte, cùm quæreret Leonem filium Leonis Auguſti mala intentione, ut eum perderet, eum mater occultavit & Clericum fecit, qui vixit in Clericatu uſque ad tempora Juſtini Imperatoris. Per hæc tempora fuerunt viri famoſi milites Tabulæ rotundæ, ut - - - Auguſtulus à Zenone mittitur in Italiam Imperator.

Odovacer Rex Erulorum cum ingenti exercitu intravit in Italiam, & eam poſſedit annis XIV. qui anno Chriſti CCCCLXXVIII. ſuperavit prœlio Auguſtulum, & Italia potitus eſt regnans Ravennæ. Beatus Severinus Odovacro venienti in Italiam futura prædixit.

Felix Tertius Papa ſedit annis quaſi novem, qui conſtituit Eccleſias conſecrandas eſſe anno Nativitatis Chriſti CCCCXCII.

Theodoricus Rex Oſtrogothorum miſſus à Zenone Imperatore ad poſſidendam Italiam, poſtquam Odovacrum tribus annis obſederat, apud Ravennam ipſum Odovacrum cepit & occidit, ac totius Italiæ dominio potitus eſt annis ferè XL.

Epiphanius Epiſcopus Ticini, miſſus à Theodorico Rege in Gallias pro redimendis captivis, vim captivorum recepit ultra illos, qui pretio erant redempti.

Hunnericus Rex Wandalorum Genſerici filius in Africa Catholicos perſequitur, Arrianus ſectâ, Epiſcopos omnes ſuis ſedibus depellit, multos excruciavit.

Corpus Beati Barnabæ Apoſtoli, & Evangelium Matthæi ejus ſtilo ſcriptum eo revelante reperta ſunt. Boëtius vir nobilis Romanus ſtudiis Philoſophiæ floret.

Zeno Imperator Conſtantinopoli moritur.

De Anaſtaſio Auguſto.

ANaſtaſius Zenonis gener regnavit annis XXVII. Gelaſius Papa ſedit annis IV. & ultra, qui condidit dici in Miſſa: *Verè dignum & juſtum eſt*; qui etiam Libros & Hymnos compoſuit.

Hoc tempore facta eſt inventio cryptæ Michaelis Archangeli.

Caſſiodorus ex urbe Ravenna vir nobilis clarus habetur.

Anaſtaſius Papa ſedit annis tribus, qui conſtituit, ut nullus Clericus ſuum Officium propter rancorem omittat, præter Miſſam.

Symmachus Papa ſedit annis XV. & ultra, qui conſtituit dici diebus ſolempnibus in Miſſa: *Gloria in excelſis Deo &c.* Romæ propter electionem Symmachi, & Laurentii tumultus fuerunt.

Turiſmundus Rex Wandalorum, alter Genſerici filius, in Africa claudit Eccleſias Catholicorum fovens Arrianos. Epiſcopos CCXXIII. in Sardinia relegavit, quibus Symmachus Papa ſubveniebat in ſtipe.

Sigiſmundus Rex Burgundiæ hoc tempore conſtruxit Monaſterium in Burgundia Beato Mauricio, & Sociis Martyribus, & dotavit opibus b. b. b.

Ormiſda Papa ſedit annis IX. & ultra, anno Nativitatis Chriſti DXIX.

Hujus Nuncios Anaſtaſii Imperatoris * Euticianus ad ſe miſſos rejecit; poſt paucos dies ipſe Imperator ictus fulmine periit.

Poſt hæc tempora, quibus Theodoricus regnabat in Italia, ipſe aſtrui fecit Ravennæ egregia opera, Gothicam turrim Palatii dirutam Anno Chriſti MCCXCV. Eccleſiam Beati Martini in Cœlo-aureo, Eccleſiam Sanctæ Mariæ Rotundæ extra muros, quæ uno tegitur lapide, equum æreum cum equite, qui nunc eſt Papiæ, quem Carolus Rex Franciæ adduxit à Ravenna Papiam, ut portaret in Franciam.

Boetius Philoſophus. } agnoſcuntur.
Caſſiodorus. }

De Juſtino Auguſto.

JUſtinus imperavit annis IX. qui fuit vir Catholicus. Ormiſda miſit Germanum Epiſcopum Capuanum, qui Juſtinum ſolidavit in Fide, quo facto juſſit claudi Arrianorum Eccleſias eos perſequentes.

Hildericus Rex Wandalorum filius Turiſmundi natus ex filia captiva Valentiniani Tertii abducta tempore, quo Romam ceperunt Wandali, relicto errore avi & patris ad Fidem Catholicam convertitur, Miniſtris ſua veſtigia ſequentibus; propter hoc Africa errores dimiſit.

Boëtius Epiſcopus Romanus, ſicut legi in quadam Chronica, metu Theodorici Regis, annis quatuor per Italiam latitavit, mox de nocte comprehenſus territorio Mediolani juſſu Theodorici Regis ſtrangulatus eſt Papiæ, ubi ſepulchrum ejus monſtratur.

Bea-

Beatus Remigius Epiſcopus baptizavit Clodovæum Quintum Regem Francorum ex Regibus illis primum Chriſtianum, & Francia ad Chriſti Fidem convertitur DXXV. Idem Remigius Epiſcopus baptizavit Beatum Leonardum. Beata Brigida Virgo in Scotia obiit. Joannes Papa ſedit annis quaſi tribus: hunc Theodoricus Rex legavit ad Juſtinum Imperatorem in Conſtantinopolim, ut operam daret cum Juſtino, ut deſiſteret Imperator à vexando Arrianos, quorum erat Rex - - ,- alioquin Italiam affliĉtaret. Juſtinus Imperator (non) annuit petitioni Papæ, quem honorificè habuit & dimiſit, propter quæ Theodoricus Joannem Papam ad ſe reverſum in carcere fecit deficere, Symmachum quoque virum optimum Boetii ſocerum fecit occidi. Item Theodoricus die XCVIII. à morte Joannis Papæ, ſubita morte præventus obiit, ſepultus Pharo, quod eſt extra Ravennam uno tectum lapide, quod nunc dicitur Sancta Maria Rotunda. Juſtinus Imperator obiit, Juſtinianum filium ſororis ſuæ ſibi ſucceſſorem inſtituit in Imperio.

De Juſtiniano Auguſto.

Juſtinianus imperavit annis XXXVIII. Felix Quartus Papa ſedit annis quatuor & ultra, hic atavus fuit Gregorii Primi mox Papæ.

Athalaricus Rex Gothorum filius Amalaſiunthæ Reginæ, filiæ quondam Theodorici Regis Gothorum, poſtquam annis quatuor in Italia regnavit, morbo periit; mater ſucceſſit Amalaſiuntha, orba filio conſortem Regni fecit ſecum Theodatum propinquum, virum literatum, qui mox eam fecit ſtrangulari occultè in balneo, ut ſolus regnaret.

Bonifacius Secundus Papa ſedit annis duobus & ultra, qui conſtituit, ut Clerici ſint io Eccleſia diviſi à Laicis, dum Miſſa cantatur.

Caſſiodorus Patricius Ravennas claret.

Joannes Secundus Papa ſedit annis duobus & ultra; hic Mercurius vocabatur.

Beatus Benedictus & Maurus ejus diſcipulus agnoſcuntur.

Agapitus Papa ſedit annis tribus & ultra: hic conſtituit Proceſſiones fieri diebus Dominicis; hic à Theodato Rege accuſatur de nece Reginæ Amalaſiunthæ, miſſus eſt ad Juſtinianum Imperatorem, ut eum placaret; & Imperatorem lapſum in errorem Euticis ſolidavit in Fide.

Silverius Papa ſedit anno uno & ultra, hic in Ponto relegatus obiit, quia Antonium Epiſcopum Conſtantinopolim noluit revocare.

Vigilius Papa ſedit annis XVII. & ultra; hunc Theodoxia Auguſta perſequuta eſt, quia Antonium Patriarcham noluit revocare. Hujus Papæ tempore quinta Synodus facta eſt in Conſtantinopoli contra Theodorum. Juſtinianus Africam liberat à Wandalis per Beliſarium Ducem. Carthago recepta, poſtquam Wandali eam poſſederant per annos XCVI. Roma à Gothis capta eſt. Totila Rex eorum parùm ſævus fuit. Gothi metu Beliſarii Ducis Juſtiniani aufugiunt Roma.

Gens Longobardorum morans in Pannonia ſub Albuino Rege fuit auxilio Romanis.

Tempore hujus Totilæ urbs, quæ nunc Venetia dicitur, eſſe cœpit ab his facta, qui de Venetia fugerant, metu Totilæ Regis & Gothorum.

Beatus Herculianus hoc tempore Peruſii à Gothis occiditur.

Beatus Benedictus Abbas agnoſcitur.

Pelagius Papa ſedit annis quatuor & ultra: hic conſtituit, ut Hæretici comprimantur per Judices ſeculares.

Propter peſtem ingruentem in Conſtantinopolim, ordinata eſt Feſtivitas Purificationis Beatæ Mariæ, quæ nunc dicitur *Ypapanti*.

Beatus Remigius obiit.

Beatus Brendanus in Scotia agnoſcitur.

Oſſa Beati Stephani Protomartyris Romam lata & locata cum corpore Beati Laurentii.

Juſtinianus Narſetem in Italiam miſit, qui auxilio Longobardorum, quos vocavit ex Pannonia, Gothos Italia expulit, quorum tunc vires in Italia evanuerunt.

Juſtinianus Imperator leges ordinavit in Digeſta, Codicem edidit.

Eccleſiam quoque olim ſpecioſiſſimam io Conſtantinopoli conſtrui fecit, quam in honorem Chriſti, *Agian Sophiam* nominavit, ideſt Sanctam Sapientiam; Eccleſias etiam elegantes Ravennæ conſtruxit, ſcilicet Eccleſiam Beati Vitalis in ea urbe, & Eccleſiam Beati Apollinaris in Claſſe. Joannes Tertius Papa ſedit annis ferè XIII. hic conſtituit & ordinavit Cymiteria, & Apoſtolorum Eccleſiam Romæ reſtauravit.

Beatus Maurus Monachus obiit.

Beatus Germanus Epiſcopus Pariſienſis.

Fortunatus poeta geſta Beati Martini verſibus ſcripſit, mox factus eſt Epiſcopus Pictavienſis.

Agnellus Archiepiſcopus Ravennas Argentam ſuæ acquiſivit Eccleſiæ.

Caſſiodorus Monaſterio degit.

Arator Diaconus poeta Apoſtolorum actus verſibus ſcripſit. Priſcianus Cæſariæ Capadociæ apud Conſtantinopolim Grammaticam in meliùs ordinavit. Stella cometa apparuit. Juſtinianus Imperator glorioſus defecit.

De Juſtino Auguſto.

Juſtinus Secundus imperavit annis XI. hic nepos fuit Juſtiniani Auguſti. Narſes ſub iſto Italiam liberavit à Gothis Longobardorum auxilio anno Chriſti DLXVIII. Indictione prima.

Albuinus Rex Longobardorum venit in Italiam, & eam poſſedit, qui obiit anno Chriſti DLXXI. Indictione quarta. Longobardi Italiam poſſederunt annis CCVI.

Benedictus Papa ſedit annis tribus & ultra, qui mox fatigatus laboribus & curis Longobardorum, qui Italiam premebant, morte defecit. Armeni ad Fidem veniunt.

Corpus Beati Barchi (ſ. Bartholomæi) de India latum in Lyparam, mox Beneventum. Eccleſia Sancti Severi extra Ravennam in Claſſe conſtructa.

Longobardi affligant Italiam: inde fames immenſa ubique. Longobardi Romam obſident.

Mortuo Papa Benedicto Romæ, ſubrogatus eſt Pelagius Secundus ſinè conſenſu Imperatoris, quia propter obſidionem nuncius ad Imperatorem mitti non potuit.

Pelagius Secundus Papa ſedit annis X. & ultra; hic legavit ad Imperatorem in Conſtantinopolim Gregorium Diaconum ejus Apocryſarium, virum jam ſapientia & virtutibus illuſtrem.

De Tiberio Auguſto.

Tiberius Imperator regnavit annis VII. vir juſtus & Catholicus fuit, Gothi Pagani facti ſunt Chriſtiani: Hæretici facti ſunt Catholici.

lici. Tiberius moriens Mauritium generum in Imperio ſubſtituit.

De Mauritio Auguſto.

MAuritius imperavit annis XIX. Breſillum Oppidum in Æmilia juxta Padum flumen à Longobardis evertitur Rege Authari in Italia. Romæ peſtis inguinaria eſt ſequuta: moritur Papa.

Gregorius Papa Primus ſedit annis XIII. & ultra: quarto Idus Martii ordinatur.

Hoc tempore fraude Agyſulphi Regis Longobardorum concremata eſt tota Civitas Padua, mox ſtatim diruta à Longobardis. Cives Paduæ permiſſi ſunt abire habitatùm Ravennam.

Eo tempore Longobardi Cremonam & Mantuam deſtruxerunt.

Gens Anglorum ad Fidem Chriſti convertitur.

Eccleſia Aquilejæ in duos Præſules ordinatur.

Feſto Beatorum Gervaſii & Protaſii pax facta inter Romanos & Longobardos.

Theodolinda Regina ex Longobardis conſtrui fecit in Modoetia agri Mediolanenſis, quæ eſt abinde X. milliaria, Eccleſiam Beati Joannis Baptiſtæ.

Veſtis Domini noſtri Jeſu Chriſti inconſutilis invenitur in Sapath.

De Phoca Auguſto.

PHocas imperavit annis quinque.

Gabinianus Papa ſedit anno & ultra, qui conſtituit, ut horis determinatis diei ac noctis per Eccleſias pulſarentur campanæ, ut nunc eſt mos.

Bonifacius Tertius Papa ſedit menſibus quaſi X. hic conſtituit, vivo Epiſcopo, non eligatur ſucceſſor, & quòd mundus pannus. - - -

Bonifacius Quartus Papa ſedit annis VI. & ultra; hic imperavit, ut Eccleſia Romana caput eſſet omnium Eccleſiarum, & priùs Conſtantinopolitana ſe primam ſcribebat.

Frigus immenſum, lues, Uredo (fruges) à muribus conſumtæ ſunt: inde fames valuta * fuit meſſes.

De Eraclio Auguſto.

ERaclius imperavit minùs quinque annis. Coſroas Rex Perſarum capit Jeruſalem & Lignum Crucis Chriſti inde exportavit, quam Eraclius vendicavit.

Deuſdedit Papa ſedit annis III. & ultra anno Imperii V. & anno Chriſti DCXIV. Eraclius Imperator habens in uxorem privignam ſuam ydropicus moritur.

De Conſtantino Auguſto.

COnſtantinus filius ſucceſſit Imperator & annis quatuor poſt patrem ſuum imperavit, qui fraude Martinæ novercæ & Pyrrhi Patriarchæ veneno extinctus eſt.

De Eraclona Auguſto.

ERaclonas cum matre Martina poſt fratrem annis duobus imperavit.

Bonifacius V. Papa ſedit annis V. Rex Perſarum operâ ejus uxoris baptizatur in Conſtantinopoli cum Perſis LX.

De Conſtantino Auguſto.

COnſtantinus alter regnavit annis XX. hic abſcidit naſum Eraclonæ & linguam Martinæ novercæ. Honorius Papa ſedit annis quaſi XIII. qui conſtituit, ut omni Sabbatho Lætaniæ ad Sanctum Petrum procederent.

Anaſtaſius Monachus Martyr fit. Secta Sarracenorum emergit in Arabia; Severinus Papa ſedit annis duobus vir juſtus in Deo.

Syſebuſtus Rex Gothorum multas civitates ſubditas in Hiſpania Imperio Romano occupavit: exinde exinanitum eſt Imperium Romanum.

Idem Rex gentem Judæorum in Hiſpania habitantem ad Fidem Chriſti convertit.

Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis; Beatus Gallus Beati Columbani diſcipulus agnoſcitur.

Joannes Quartus Papa ſedit annis quaſi duobus.

Theodorus Papa ſedit annis quaſi VI. hic conſtituit benedictionem cerĕi Sabbatho Sancto.

Hic Imperator obſedit Beneventum, ſed voti compos non fuit: nam Grimoaldus Rex Longobardorum auxilium tulit filio ſuo Romoaldo ibi obſeſſo. Martinus Papa ſedit annis VI. & ultra. Spatarius miſſus ad eum occidendum ſpatâ levatâ excœcatus eſt. Eugenius Papa ſedit annis tribus & menſibus IX. Hujus tempore Papæ Eccleſia Ravennæ non obediebat Eccleſiæ Romanæ. Vitalianus Papa ſedit annis tribus & ultra. Hic cantum Romanum compoſuit. Marinum virum miſit Epiſcopum primum (in) Ferrariam ſactam Civitatem.

Sarraceni conſtruunt in Hieruſalem Templum in loco, quo Salomon Rex primus conſtruxerat.

Item Siciliam invadunt & ſpoliant.

Solis facta eclipſis Indictione VII.

Conſtantinus multis ornamentis ſpoliavit Romam.

Operimentum æreum Pantheon ademit: idem in Sicilia à ſuis occiditur.

De Conſtantino Auguſto.

COnſtantinus ſuperioris filius imperavit annis XVII.

Deodatus Papa ſedit annis IV. vir optimus, à quo nemo non conſolatus abiit, qui oſculo leproſum mundavit. Hujus Papæ tempore Corpus Beati Benedicti tranſlatum eſt à Monte Caſino ad Monaſterium Floriacenſe in Diœceſi Aureliana. Donus Papa anno I. & ultra ſedit.

Maurus Archiepiſcopus Ravennæ & Reparatus ejus ſucceſſor Romano Pontifici non parebant; ſed alter alterum excommunicavit.

Agatho Papa ſedit annis duobus & ultra; cum hoc Theodatus Epiſcopus Ravennæ in concordiam vênit contra voluntatem Cleri Ravennatis.

Sexta Synodus univerſalis facta eſt tempore Agathonis apud Conſtantinopolim Epiſcoporum CL. contra Gregorium Patriarcham & alios Epiſcopos Orientis, qui dicebant in Chriſto unam eſſe voluntatem. Duo ex Cardinalibus pro Agathone affuerunt; Gregorius correctus, non alii; ea hæreſis damnata eſt.

Damianus Epiſcopus Ticini utilem epiſtolam illi Concilio ſcripſit. Papia urbs Italiæ olim dicta Ticinum propter luem deſolata eſt ita, ut herbedo per plateas eſſet, quia homines in agros ſeceſſerant. Leo Secundus Papa ſedit annos III. & menſibus X. & ultra. Hic vir literis Græ-

ci-

A cis & Latinis eruditus valde, conſtituit in Miſſa poſt *Agnus Dei* pacem dari in populo Eccleſiæ. Benedictus Secundus Papa ſedit annis ſerè tribus. Joannes V. Papa ſedit anno uno & ultra. Conon Papa ſedit ferè annis duobus. Beda Presbyter agnoſcitur. Conſtantinus hic Imperator moritur.

De Juſtino Auguſto.

JUſtinus filius Conſtanrini patri ſuccedit, qui imperavit annis X. hic Africam liberavit à Sarracenis.

Sergius Papa ſedit annis IX. & ultra, qui conſtituit, in Miſſa dici *Agnus Dei*. Hujus tempore Concilium factum in Conſtantinopoli. B

Leo Papa ordinatur per Patricium Romanorum, non per Eccleſiam, ideo non ponitur in Catalogo Pontificum Romanorum: ſedit tamen quaſi annis tribus; unde ſequens Leo Papa Tertius dicitur. Africa occupatur à Sarracenis.

De Leone Auguſto.

LEo imperavit annis tribus, qui Juſtinianum expulit Imperio, & filio ejus Tiberio nares abſcidit.

Hoc tempore terræ motus maximi. Joannes VI. Papa ſedit annis tribus & ultra: hic martyrio coronatus eſt.

C

De Tiberio Auguſto.

TIberius dictus Hiſmarus inſurgens contra Leonem Imperatorem, illum de regno expulit. Synodus facta Aquilejæ contra Theodorum ſuper eo * quo facta fuit olim tempore Juſtiniani Auguſti & Vigilii Papæ, firmatum in ea fuit, ut Beata Maria Dei Mater. * Joannes VII. Papa ſedit annis duobus & menſibus ſerè VIII. ſapientia plenus & eloquio.

De Juſtiniano Auguſto.

JUſtinianus Imperator reſumit Imperium, quo regnavit annis VI. hic Leonem, qui eum D Imperio ſubmoverat, ac Tiberium illius ſucceſſorem & eorum complices cepit & occidit. Syſimus Papa ſedit dies XX. Tunc ſchiſma magnum fuit in Eccleſia.

Conſtantinns Papa ſedit annis VII. & ultra: hic reverenter fuit ſuſceptus à Juſtiniano Auguſto in Conſtantinopoli, & renovationes privilegiorum Eccleſiæ Romanæ ab illo impetravit.

De Philippico Auguſto.

PHilippicus imperavit anno uno & dimidio: hic epiſtolas pravi dogmatis ſcripſit Papæ Conſtantino, quæ ſpretæ ſunt, ideo idem Papa in porticu Sancti Petri pingi fecit Imagines, E quæ continent geſta ſex univerſalium Synodorum. Imperator ſacras picturas deponi fecit. Philippicus ab Anaſtaſio dejectus eſt Imperio, non occiſus, ſed privatus luminibus.

De Anaſtaſio Auguſto.

ANaſtaſius annis tribus imperavit; hic per literas & Legatos miſit Romam & conteſtatus eſt per eos, ſe ſexti Concilii aſſertorem.

Pipinus Parvus moritur, qui genuit ex concubina ſua Alpaide Karolum Martellum.

Gregorius Secundus Papa ſedit annis XVI. & ultra uſque ad tempus Leonis Tertii Imperatoris: hic per Bonifacium Maguntinum Germanos ad Fidem convertit, qui etiam conſtituit in ſexta feria jejunari, ut quadrageſima; nam ea die non abſtinebatur, ut nunc fit. Secundus, Ægidius Abbas, Cæſareus Epiſcopus Arelatenſis, Albinus Epiſcopus, Beda Presbyter agnoſcitur.

De Theodoſio Auguſto.

THeodoſius anno uno imperavit, hic contra Anaſtaſium inſurgens, eum prœlio vicit apud Nicæam, & illi victo ſacramento dato eum fecit ordinari Preſbyterum, mox ubi in Conſtantinopolim pervênit, eum fecit ordinari Preſbyterum reverenter erexit tabulam depoſitam à Philippico, in qua erant pictæ Synodi, loco reſtituens.

Diluvium Romæ propter aquas Tyberis, qui tam intumuit, ut in Via-lata ad hominis ſtaturam & ſemis fuerit, duravit diebus VII. Lætaniis ad Deum actum eſt & ceſſavit.

De Leone Iſauro Auguſto.

LEo Iſaurus imperavit annis XXV. Conſtantinum ejus filium fecit Imperii Principem; hic Imperator Imagines Sanctorum aſportari fecit Roma Conſtantinopolim, & ibi igne cremari, & perſecutiones fecit in eos, qui Sanctorum imagines pedibus non conculcabant.

Sarraceni tribus annis obſederunt Conſtantinopolim: fame & frigore & peſte intra eam urbem perierunt circiter CCC. tandem Civibus ad Deum clamantibus ſunt liberati.

Sarraceni abeuntes mari naufragium paſſi ſunt.

Gregorius Tertius Papa ſedit annis quaſi IX. Hic Viennam Archiepiſcopatum fecit.

Hic Papa Romam obſidentibus Longobardis, miſit per mare claves Confeſſionis Sancti Petri ad Carolum patrem Pipini, rogans, ut ab infeſtatione Longobardorum Eccleſiam liberaret.

Hoc tempore Syrus quidam pſeudo-chriſtus apparuit, qui multos Judæorum pervertit.

Hoc tempore Sarraceni tranſito mari anguſto Hiſpanias occupant. Karolus Martellus filius Pipini poſt anno X. eis volentibus occupare Aquitaniam, occurrit exercitu, & commiſſo prælio ex Sarracenis occiderunt CCC. ex Francis verò MD. cecidere.

Leo Imperator mandavit Papæ Romano ac Italicis, ut imagines Sanctorum deponerent, ſed hoc præceptum à Romanis, Ravennatibus & Venetiæ populis ſpretum, & niſi Papa prohibuiſſet, alium Imperatorem creaſſent.

Germanus Patriarcha non conſentiens illi errori ab Imperatore ſede ſua privatur, Anaſtaſius ſufficitur.

Luprandus Longobardorum Rex Ravennam obſidens oppidum Claſſem ſubvertit, Faventiam mox deſtruxit, qui corpus Beati Auguſtini de Sardinia in Italiam tranſlatum Papiæ locavit.

Zacharias Papa ſedit annis X. qui librum Dialogorum tranſtulit in latinum. Leo Imperator excruciat eos qui Sanctorum imagines venerantur.

De Conſtantino Auguſto.

COnſtantinus Leonis filius regnavit annis XXV. qui dictus eſt Perſequutor, quia patrem ſævitia ſuperavit, perſequens Chriſtianos & fovens magos, quorum artibus vacabat.

Be-

Beda Venerabilis obiit an. Chr. DCCXXXI.

Karolomannus Pipini frater conſilio Zachariæ Papæ relicto ſeculo factus eſt Monachus Monaſterii Caſinenſis.

Rachis Longobardorum Rex monitis Zachariæ Papæ non ſolùm deſtitit à vexando Italiam, ſed factus eſt Monachus, & cum eo uxor & filii.

Beatæ Mariæ Magdalenæ corpus à Gerardo Comite Burgundiæ Virgiliacum tranſlatum eſt.

Pipinus filius Karoli Martelli depoſito Childerico Rege Franciæ propter ejus ignaviam conſtituitur Rex Franciæ conſilio Zachariæ.

Ayſtulphus Rex Longobardorum (reſidens) Papiæ tributis premit Italiam.

Anſelmus Dux frater uxoris Ayſtulphi Regis, relicto ſeculo factus eſt Monachus, de ſuis opibus fundavit Monaſterium Nonantulanum agro Mutinenſi, titulo Apoſtolorum, ubi pater fuit CCC. Monachorum: illuc mox de Roma adduxit corpus B. Silveſtri Papæ.

Stephanus Secundus Papa ſedit annis V. & ultra, hic ob infeſtationem Ayſtulphi Regis perrexit in Franciam ad Pipinum Regem, quem in Italiam induxit.

Pipinus in Italiam ingreditur cum exercitu, Ayſtulphum ſuperat, & acceptis obſidibus ab eo & juramento, quòd non vexaret Eccleſiam, & juribus Eccleſiæ reſtitutis, receſſit; ſed irritam fidem fecit. Hic Papa Stephanus ultimo anno ſui Pontificatus Imperium Romanum in Franciam tranſtulit in perſonam Pipini, filii Caroli, qui Pipinum in Regem unxerat primò.

Conſtantinus Imperator in Imperium Occidentis admittit ſocium Pipinum.

Paulus Papa ſedit annis X. & ultra.

In Scythia congelatum eſt mare altum geln cubit. XXX. nix deſuper alta cubitis XX. in aliis quoque regionibus ſummum gelu.

De Leone Auguſto. Anno Chr. DCCLIX.

Leo Macazarus patri ſucceſſit, qui regnavit annis V. hic jam factus inſanus, cùm coronam unam dicatam uni Eccleſiæ capiti ſuo apponeret, moritur febre correptus.

Conſtantinus Secundus Papa ſedit anno uno & ultra: hic de laico ſubitò factus eſt Clericus, Papatum invaſit, & Eccleſiæ ſcandalo fuit.

Stephanus Tertius Papa ſedit annis tribus & ultra: hic convocata Synodo ex Gallia & Italia euncta irritavit acta per Conſtantinum Papam præter Baptiſmum; degradavit etiam ordines.

Moritur Pipinus Rex Franciæ hujus Papæ tempore anno ſcilicet Chriſti DCCLXVIII.

De Conſtantino & Irene matre, & aliis Auguſtis uſque ad Carolum.

Conſtantinus ſuperioris Leonis filius cum matre ſua Irene, & aliis uſque ad Imperium Caroli Imperatoris imperaverunt annis XXX. & ultra: idem primò cum matre regnavit annis X. poſt hæc, matre ſpreta, annis VII. imperavit: Irene mater ejus occupat Imperium (cum Leone filio ejus Conſtantini) imperavit annis III. excœcato filio ſuo Conſtantino; tunc Sol obſcuratus eſt, ita ut naves per mare erraverint; & ut ipſa regnaret, filios filii ſui fecit exoculari.

Taurucius Irenæ filius in Conſtantinopoli annis duobus regnavit.

Niceforus poſt illum annis VII. imperavit in Oriente; Michaël poſt illum ſucceſſit, qui imperavit in Oriente; Karolo imperante in Occidente, & poſt eum Lodovico.

Adrianus Papa ſedit annis XXIII. & menſibus X. & ultra, imperante Irene matre Conſtantini, & Leone filio ejus Conſtantino, & poſt Taurucio, Nicephoro, & poſt Michaële.

Hic Papa turres & muros Urbis ædificavit & portas æreas Beato Petro dedit; idem Papa ſeptimam Synodum celebravit Conſtantinopoli Epiſcoporum CCC.

Romæ quoque Synodus celebrata Epiſcoporum CLIIII. qua data fuit poteſtas Carolo eligendi Epiſcopum Romanum & ordinandi Apoſtolicam Sedem, & ponendi Archi-Epiſcopos per Provincias ſuæ ditionis. Per hæc tempora Carolus Rex Franciæ, mox Imperator egregia facta operatus eſt in Hiſpania contra Sarracenos, ad quod bellum fuit anno Chriſti DCCLXXVIII.

Karolus à populo Romano imperiales laudes audivit: per hæc tempora vices Imperatoris gerebat, antequam coronaretur à Papa Leone III.

Beatus Ægidius Abbas agnoſcitur, cui Carolus confeſſus fuit omnia peccata, præter unum, quod Angelus dedit in ſcriptis Ægidio.

Anno Chriſti DCCLXXXV. menſe Junio feſto Beatorum Martyrum Viti & Modeſti, fuit prœlium in exitu Hiſpaniæ loco, qui dicitur Roncevalle, quo Rollandus & alii perierunt.

Per hæc tempora agnoſcuntur duo amiciſſimi viri ſodales Sanctus Melius & Amicus, qui perierunt prœlio commiſſo cum Longobardis apud Mortariam.

Leo Tertius Papa ſedit annis XX. & ultra: hic à Deo reſtitutus eſt membris, quibus mutilatus fuerat: hic Leo Lætanias trium dierum ante Aſcenſionem Domini inſtituit, quas Mamertus Epiſcopus Viennæ inſtituerat ob cladem imminentem. Porticum quoque Eccleſiæ Beati Petri conſtrui fecit & Urbem meliùs cinxit muris propter Sarracenorum incurſus.

Anno Chriſti DCCXXVI. Indictione quarta excœcatus fuit Conſtantinus Imperator à matre Irene, qui poſt vixit annis ſex. Anno Chriſti DCCCI. Imperium pervenit ad Francos.

Anno ſequenti Leo III. Papa VIII. anno ſui Pontificatus Carolum Regem Franciæ, qui jam dudum Imperium Occidentis adminiſtraverat, conſenſu & authoritate Senatus & populi Romani Auguſtali diademate coronavit.

De diviſione Imperii Romani.

Diviſum eſt igitur Imperium Romanum in duos Auguſtos. Occidentale appellatum eſt Imperium Romanorum, cujus ſedes eſt Roma: Orientale dictum eſt Imperium Conſtantinopolitanum, cujus ſedes eſt propria urbs Conſtantinopolis, quæ dicta eſt Roma ſecunda, nec ulteriùs Romanum Imperium eſt unitum.

Sermo Imperii Romani, unde incœperit ortum.

Quatuor regna maxima habuit præſens ævum.

Primum in Oriente, quod dictum eſt regnum Aſſyriorum ſive Medorum ſeu Perſarum, quæ gentes habitant regionem ſitam inter Indum & Tygrim flumina, montem Caucaſum, & ſinum Perſicum maris Rubei.

Secundum fuit in Septentrionem, quod dictum eſt Regnum Macedonum ſeu Græcorum, in quo Monarcha fuit Alexander Philippi.

Tertium fuit Carthaginenſe, ſive in Meridie, qui poſt Græcos regnaverunt, præſertim in Lybia.

Quartum Romanorum, quod fuit in Occidente, & hoc fuit robuſtum & diuturnum magis aliis.

Regnum à Populo Romano cœptum eſt & auctum poſt Punica bella & Macedonicum, Republica Romana libera exiſtente: ſed poſt bellum civile inter Cæſarem & Pompejum, Cæſar victor ſe Dictatorem fecit invito Senatu; quia dictatura Magiſtratus erat poteſtatis pleniſſimæ, nec ſe Cæſar ab illo officio abdicabat, quamobrem Cæſar eſt Senatorum conſpiratione occiſus, ut libertate ſolita potirentur.

Marcus Antonius cum exercitibus Cæſareis & favore plebis inſurgens cœpit perſequi Cæſaris occiſores.

Senatus timens Antonium eis adversùm illius cœptis obviare decrevit, & conſultò Gajum Octavium Cæſarem natum ex Atia filia Juliæ ſororis Julii Cæſaris, illius hæredem, ut inter eos, qui ad vindictam necis Cæſaris ſtudebant, eſſet diſſidium, Principem elegerunt Senatus; Antonium hoſtem publicum judicarunt, qui Senatus decreta calcaret perſequens Cæſaris occiſores.

Mortuis Conſulibus apud Mutinam, ubi bellum inferebatur contra Antonium. Octavius Cæſar principatum legionum accepit: tandem operâ Lepidi, qui fuerat Magiſter militum Cæſaris Dictatoris, Cæſar Octavius & Antonius in concordiam devenerunt, & perditis occiſoribus Cæſaris, inter ſe Rempublicam Romanam diviſerunt, ut Antonius in Aſia, Octavius in Europa, & Lepidus in Lybia Principatus tenerent, mox diſcordantibus illis facti ſunt hoſtes.

Anno XII. à nece Cæſaris Kalendis Sextilis, ideſt Auguſti deſerto apud Ægyptum Antonio à ſuis exercitibus confugientibus ad Cæſarem Octavium, Antonius ſe peremit rerum deſperatione.

Octavius Cæſar Ægyptum obtinuit, Romam redivit, tunc ei à Senatu & Populo Romano Octavo Idus Januarii collata eſt ſumma poteſtas, & factus eſt Monarcha Princeps Romanus.

Nominatus eſt autem Dictator, Auguſtus, ideſt factus Augurio; nam ea, quæ fiebant tunc ſine Augurio, vitio facta reputabantur. Dictator, hoc eſt, Imperator. Atque hoc eſt principium Romanorum Auguſtorum, ob hoc ſunt alii nominati Auguſti. Hactenus erat Cæſar Octavius, quia hæres Cæſaris inſtitutus cum nomine Cæſaris fuit; nunc autem Auguſtus ob dignitatem collatam: & majus eſt eſſe Auguſtum, quàm Cæſarem. Olim Cæſar dicebatur ab Auguſto vel ab exercitu Princeps electus; ſed Auguſtus, cui Senatus Romanus conſenſum & auctoritatem contuliſſet: Auguſtus Cæſarem creare poterat, non Cæſar Auguſtum, & Auguſtus Auguſtum creabat, ut Diocletianus Maximianum Auguſtum, & Cæſares Valerium & Conſtantinum.

Auguſtus quoque ſucceſſores unum vel plures inſtituebat, ut priùs Auguſtus Tiberium, Tiberius Gajum, Theodoſius filios, Tiberius Secundus Mauricium generum, Carolus etiam Lodovicum.

Si Auguſtus ſucceſſorem non reliquerat, aut culpis majorum deſcendentes ex genere Auguſtorum reſpuebantur à Romanis, tunc exercitus eligebat Cæſarem, & Senatus, ſi ſibi placebat, illum appellabat Auguſtum: & licet interdum duo vel plures eſſent Auguſti, tamen Imperium unum erat.

Sed Auguſti ut faciliùs poſſent comprimere

A Barbaros Orientis ſecundam à Roma ſedem poſuerunt in Thraciæ urbe Conſtantinopoli, & ibi plurimùm habitabant.

Sed cùm tempore Caroli Magni Regis Franciæ à Longobardis Italia & Romana Eccleſia premerentur, nec Auguſti in Thracia morantes opem ferrent oppreſſis; Romani, conſenſu Imperatoris, & operâ Pontificum Romanorum, dividentes Imperium, Imperatorem ſibi Occidentis Imperii creaverunt, quod dicitur Imperium Romanorum, & primùm Karolo Pipini filio Regi Franciæ, & in ſucceſſores illius dignitas eſt collata.

Leo Tertius Papa Romanum Imperatorem Carolum de Imperio coronavit.

B Succeſſit in Imperio proles Karoli Lodovicus & cæteri uſque ad Lodovicum Tertium filium Arnulphi, tunc illius ignaviâ hoc Imperium Occidentis partitum eſt aliquo tempore, ut aliqui imperarent in Italia, aliqui in Germania uſque ad tempus primi Ottonis genere Germanici, qui fuit Auguſtus; nàm deficientibus Francis & Italicis ad opem Eccleſiæ Romanæ (vocati ſunt) Germani, quorum meritis ab Eccleſia Romana, & ab aliis jus in hoc habentibus obtinuerunt jus & poteſtatem eligendi Auguſtum. Verumtamen cùm olim de inſtitutione decedentis & voluntate ſuccederetur in Imperium, nunc per electionem Procerum jus in hoc habentium Imperator eligitur.

C

Utrum dignius Imperium.

Quæſitum eſt hotum duorum Imperiorum utrum dignius; nam quidam dicunt, quòd Orientis Imperium, quia Imperatores Romani tunc Monarchæ portionem Imperii ſibi elegerunt potiſſimam, Occidentali parti renunciantes, & Auguſtus integer in Oriente remanſit. Mea quidem ſententia eſt hæc, Occidentale dignius illo fore, quippe Reſpublica & Senatus Imperium conſtituere Romanum & ubi Roma & Senatus, ibi eſt ſtipes Imperii: in Conſtantinopoli non eſt (niſi) ramus. Occidentale Imperium pater eſt, Orientale eſt filius; & quia ex patre filius eſt, non pater ex filio.

D Tanquam pater, dignius approbatur Occidentis ſive Romanorum Imperium. Populi & Senatus Romani ac Pontificis Summi auctoritate fultus eſt hic ſtipes & radix Imperii; in Oriente eſt truncus: & ubi radix ibi vigor. Ramus à ſtipite cæſus areſcit, abſciſſo ramo viret ſtipes & pullulat. Quamobrem meâ ſententiâ hoc Occidentale Imperium Orientali eſt dignius judicandum.

Diviſo Imperio in duas partes Karolus Rex Franciæ primus fuit Romanorum Imperator, & nominatus eſt Auguſtus.

E Karolus Pipini filius Rex Franciæ coronatus de Imperio à Leone III. Papa Anno Chriſti DCCCIII. vixit Imperator annis XIII. nam obiit anno DCCCXIV. Kalend. Februarii.

Poſt mortem patris Pipini Karolus regnavit in Francia cum fratre ſuo; mortuo fratre ſolus regnavit.

Anno Chriſti DCCLXXII. cœpit regnare Karolus in Italia & regnavit annis XXXIII. cùm jam ante regnaſſet in Francia annis VI. ſed Anno Chriſti DCCCV. Regnum Italiæ reſignavit Pipino filio ſuo ſecundo, in quo regnavit annis VII.

Carolus tres habuit filios legitimos, ſcilicet Karolum primogenitum, Pipinum & Lodovicum, etiam filias tres Rotrudem, Borgam, & Gallam. Ejus mater Bertranda apud eum honorificè contenuit. Anno regni octavo obiit Mediolani Pipinus ejus filius, provinciâ Venetiâ ſubjugatâ. Bernardus ejus filius in locum patris ſubſtitutus à Karolo.

Anno Imperii XI. Karolus coronavit Lodovicum filium ſuum ſuperſtitem Corona Imperiali.

Anno Imperii IX. obiit Karolus primogenitus.

Karolus Imperator antequam Imperium eſſet adeptus maxima geſſit: inter cætera vicit prœlio Avares, qui fuerunt Hunni, populus Actilæ, habitantes in Pannonia & exſpoliavit eos theſauris, quibus olim ſpoliaverant Italiam ſub Actila.

Karolus Alchimum Philoſophum cum Studio de Roma Pariſius tranſtulit, quòd prius de Athenis fuerat translatum Romam.

Idem olim rediens de Hieruſalem per Conſtantinopolim, ſpretis donariis ſibi ab Imperatore oblatis, ſolùm voluit ab eo ſacra donaria, ſcilicet partem Coronæ Domini, clavum unum Paſſionis Chriſti, partem Crucis Domini, Sudarium Domini, quod Romæ diviſit, Camiſiam Beatæ Mariæ, & Brachium Beati Simonis, item equum æreum cum equite, qui erat Ravennæ, abſtulit, ut portaretur in Franciam, nunc Papiæ.

Tempore ejus omiſſum eſt Officium Ambroſianum, & Gregorianum aſſumptum eſt.

Idem Karolus Monaſterio Nonantulano contulit Bondenum, quod ſitum eſt in agro Ferrarienſi, non longè à Pado fluvio.

Beatus Ægidius claret.

Guilielmus Dux ex Proceribus Karoli, conſtructo Monaſterio ſororibus ſuis Virginibus, illis bene invidens factus eſt Monachus humilis illius Cœnobii, ubi virtutibus coruſcavit.

Lodovicus Primus patri ſucceſſit, qui annis XXV. regnavit in Imperio. Stephanus Quartus ſedit menſibus octo & ultra. Michael Imperator in Conſtantinopoli Lodovico tranſmiſit Libros Beati Dionyſii de Hierarchiis Angelorum.

Theophilus Epiſcopus Aureolienſis invênit die Palmarum:

Gloria, laus, & honor tibi ſit Rex Chriſte Redemtor.

Paſchalis Papa ſedit annis VII. Eugenius Secundus Papa ſedit annis IV. menſibus VIII.

Valentinus Papa ſedit XL. dies.

Gregorius Quartus Papa ſedit annis XVI. imperante Lodovico & mox Lothario: hic conſtituit Februa * Defunctorum fieri die ſecundo Novembris.

Bernardus Rex Italiæ Pipini filius convictus conjurationis factæ contra Lodovicum Imperatorem ſuum patruum eſſe conſcium, oculis, & vita privatur.

Rabanus vir doctus poëta fit Abbas Monaſterii Fuldenſis.

Soldanus vocatus à quibuſdam Chriſtianis ſeditionibus irritatis vênit in Italiam cum exercitibus ut locuſtæ. Roma diu obſeſſa capitur. Eccleſia Beati Petri ſpoliatur & in ea ſtabulati ſunt equi. Sicilia, Apulia, & Thuſcia populatæ & in ſolitudinem actæ mox ope Lodovici & Guidonis Comitis cum multa ſanguinis effuſione Chriſtianorum fugati ſunt Sarraceni & Italia liberata eſt.

In Territorio Tullenſi, puella annorum XII. poſt Sacram Communionem à Sacerdote ſumptam per ſex menſes in pane & aqua abſtinuit, deinde per triennium omni cibo & potu abſtinuit.

Ante Solſtitium æſtivum, orta tempeſtate, cecidit fragmentum glaciei, cujus latitudo fuit ſex pedum, longitudo quindecim, altitudo duorum.

De Lothario Auguſto.

Lotharius Primus patri Lodovico ſucceſſit & imperavit annis IX.

Georgius Secundus Papa ſedit annis tribus & ultra, qui vocabatur Os porci, unde huic mutatum eſt nomen, & deinde omnibus Pontificibus Romanis: hic Lotharium coronavit, & Lodovicum filium Lotharii unxit in Regem Lombardorum.

Lotharius cum fratribus ſuis Karolo & Lodovico prœlium magnum commiſit, in quo utriuſque fuit ſtrages immenſa, demum bello inter eos compoſito Lodovicus obtinuit Germaniam, Karolus Franciam, Lotharius Italiam, & partem Franciæ, quæ ab ipſo dicta eſt Lotharingia.

Leo Quartus Papa ſedit annis VIII. & ultra, tempore Lotharii, & Lodovici filii; hic Leo Eccleſias deformatas à Sarracenis reſtauravit, vir plenus ſapientia & virtutibus, qui compoſuit Orationem: *Deus, cujus dextra Beatum Petrum &c.*

Hujus tempore Adulphus Rex Anglorum huic Papæ tributum obtulit, ſcilicet pro unaquaque domo annuum nummum, quod hodie manet.

Anno IX. Imperii hujus Corpus Beatæ Helenæ, quæ Crucem invênit, à Roma translatum in Franciam.

Lotharius relicto filio & regno vita Monachali defunctus eſt.

De Ludovico Balbo Auguſto.

Ludovicus Balbus Secundus patri ſuo ſucceſſit in Imperio, qui regnavit annis XIX.

Joannes, qui fœmina fuit, in Papatu ſedit annis II. menſibus V. à quibuſdam non ponitur in Catalogo.

In Brixia Italiæ tribus diebus, totidem noctibus ſanguis pluit de Cœlo; in Gallia innumerabiles locuſtæ apparuerunt ſenas alas habentes, ſenos pedes, dentes duriſſimos, volantes in aëre per ſpatium diurni itineris per longum & amplum ſpatio quatuor milliariorum; quo omnibus viridibus corroſis in mare Britannicum merſæ ſunt; propter quod lues ſequuta eſt aëre infecto ex cadaveribus earum in litus dejectarum, qua lue ferè pars tertia hominum extincta eſt.

Joannes Scotus Doctor eruditus rogatu hujus Imperatoris Libros Beati Dionyſii de Hierarchiis de Græco tranſtulit in Latinum.

Benedictus III. Papa ſedit annis duobus & menſibus VIII.

Karolus filius hujus Lodovici per tres dies coram omnibus à Dæmone eſt vexatus, qui mox confeſſus eſt, id ſibi accidiſſe, quia conjurationem fecerat contra Principem.

Paulus Secundus Papa ſedit annis duobus.

Stephanus Quintus Papa ſedit annis V. & diebus XXVI. Nicolaus Papa ſedit annis IX. & ultra: hic vir vita ſimilis fuit Beato Gregorio, qui oratione ſua benedixit Lodovico Imperatori.

Corpus Beati Clementis à Beato Cyrillo A
tranſlatum eſt Romam & per hunc Papam locatum in Eccleſia Beati Clementis.

Adrianus Secundus Papa ſedit annis V. vir optimæ vitæ, hoc tempore Rex Franciæ (Bulgariæ) habitum Monachalem aſſumpſit, cùm verò ejus filius Rex cultum teneret Gentilium, Rex depoſito habitu Monachali filium regno privavit & oculis, & tradito alteri filio regno Monachalem habitum reſumpſit.

De Carolo Calvo Auguſto.

KArolus Secundus dictus Calvus filius Lodovici Primi, & frater Lotharii imperavit fere annis II. B

Joannes VIII. Papa ſedit annis X. & ultra: huic Papæ Carolus Secundus Romæ munera obtulit.

Idem Imperator in Francia, & in Italia conſtruxit multa Cœnobia ſuis opibus, & deformata reſtauravit: Sarraceni per Italiam diſcurrentes Monaſterium Beati Benedicti incenderunt ſitum Monte Caſino, mox Italia pelluntur.

De Karolo Simplice Auguſto.

KArolus Tertius dicitur Simplex vel Groſſus ſuperioris filius, regnavit annis XII. qui anno ſecundo Imperii ſui à Joanne Papa coronatus eſt, hic Imperator Galliam & Germaniam C
poſſedit in pace.

Martinus Secundus Papa ſedit menſibus XVII. Adrianus Tertius Papa ſedit menſibus XIV. Quinque millia Romanorum hoc tempore perimuntur à Gallis Anno Chriſti DCCCLXXXV.

Rollo cum gente de Dania vênit in locum, ubi nunc eſt Normandia; Karolus Simplex Rex Franciæ poſt bellum, fœdere facto, illis eam terram conceſſit, ac filiam ſuam illi dedit in conjugem, qui baptizatus eſt Anno Chriſti DCCCC. & vocatus eſt Robertus; qui primus fuit Principum Normannorum, qui obtinuerunt Apuliam.

Hungari à Scythia veniunt & Pannonias occupant, ejectis Avaribus, qui fuerunt gentes D
Attilæ.

De Arnulpho Auguſto.

ARnulphus imperavit annis XI. non tamen coronatus fuit de Imperio: hic longa pediculorum peſte correptus ex carnibus ejus ſcaturientium, adjuvari non potuit ultra, quin conſumeretur ab illis.

Stephanus VI. Papa ſedit annis VI. & ultra.

Hojus tempore Corpus Beati Martini timore Normannorum, qui Danis ſibi conjunctis populabantur Galliam, Altiſſiodorum eſt portatum.

Formoſus Papa ſedit annis V. menſibus VII.

Hic picturas Eccleſiæ Beati Petri Apoſtoli E
renovavit.

De Lodovico Tertio Auguſto.

LOdovicus Tertius patri ſuccedit. Poſt aliquot annos Imperii dejectus fuit de regno Franciæ ab Hugone Magno Borgundione, qui regnavit illo ejecto; qui poſtea reſumpſit Dominium. Propter hujus Lodovici ignaviam dececit regnum Karolorum & exinanitum eſt Imperium abhinc uſque ad tempus Otthonis Primi de genere Saxonum.

Interim aliqui imperabant in Italia, aliqui in Germania, nullus tamen eorum Corona Imperiali decoratus fuit.

Anno Chriſti DCCCCXXXV. defecit genus Karoli, quod duravit CXXI. Stephanus VII. Papa ſedit anno I. & ultra: hic conſilio facto irritavit omnia acta per Formoſum Papam, à quo factus fuerat Epiſcopus, & in Concilio exui fecit corpus Formoſi & indui veſte Laicali, & duobus digitis dextræ illius abſciſſis, corpus in Tyberim jactari præcepit.

Hic Romanus Papa ſedit quaſi annis quatuor.

Theodorus Secundus Papa ſedit dies XX.

Joannes IX. Papa ſedit annis II. & ultra. Hic Synodum Ravennæ habuit, in qua reprobata eſt Synodus facta per Stephanum VII. & confirmata ſunt quæ ordinaverat Papa Formoſus.

Benedictus IV. Papa ſedit annis tribus & ultra, Leo V. Papa ſedit dies XL. qui mox à Chriſtophoro ſuo Presbytero capitur & carcere truſus.

Sequentes ſeptem Principes, qui ſequuntur uſque ad Otthonem Primum, non fuerunt Auguſti, ſed aliquam partem Imperii Occidentis adminiſtrabant, aut in Italia aut Germania.

De Berengario Auguſto.

BErengarius Primus in Italia ſolùm Imperium adminiſtravit annis quatuor vel ſex. Chriſtophorus invaſor Papatus menſibus VII. ſedit, mox de Papatu dejectus; factus eſt Monachus à Sergio depoſitus.

Hoc tempore Monaſterium Cluniacenſe à Guilielmo Vice-Comite Burgundiæ fundatum eſt.

Berengarius hic eum Romanis bellavit. Sergius Tertius Papa ſedit annis VII. & ultra. Eccleſia Laterani corruit, quam Papa à fundamentis reparavit. Sergius ad Francos ſe contulit, & eorum auxilio Chriſtophorum invaſorem Papatus incarceravit.

Idem exauctoravit ordinata per Formoſum Papam, & corpus ejus tractum de ſepulchro decollari ſecit & jactari in Tiberim, quia olim Formoſus hunc Diaconum à Papatu prohibuit, ſed hoc corpus à marinis piſcatoribus eſt repertum, & in Eccleſia Beati Petri poſitum, quod imagines ſalutarunt. Et ſic indigni dignum tandem opprimere nequiverunt.

De Conrado Auguſto.

COnradus in Germania adminiſtravit Imperium annis VII. coronatus non fuit, hic in obitu ſuo neglectis filiis ſuis, quia erant ignavi, adverſarium ſuum, quia probus erat, Henricum filium Otthonis Ducis Saxonum ſibi ſuccedere in Imperio voluit.

Sarraceni hujus tempore Siciliam, Apuliam & penè totam Italiam oppreſſerunt.

Berengarius Secundus in Italia vices Imperii geſſit annis IV.

Anaſtaſius III. Papa ſedit ann. II, & ultra.

Lando Papa ſedit menſibus VI.

De Henrico non Auguſto.

HEnricus Saxo Otthonis filius in Germania imperavit, * Arca annis 18. ſecundùm aliquos.

Spintigeus Dux Bohemorum ad Fidem convertitur Chriſti, cujus filius fuit Sanctus Vincislaus, propter ejus ſanctitatem à fratre ſuo occiſus.

Joannes X. Papa ſedit annis XIII. & ultra: hic

hic fuit filius Sergii Papæ & Epiſcopus Eccleſiæ Ravennatis, quia invaſor fuerat ab ea Sede expulſus. Hujus Papæ tempore Sarraceni, qui Italiam opprimebant, ſuperati ſunt prœlio, & expulſi ex Apulia auxilio Alberici Marchionis.

Hujus temporibus Hungari, qui jam poſſidebant Pannonias, in Italiam intrant infeſti eam populantes.

Leo VI. Papa ſedit menſibus VI. & ultra, Stephanus 8. Papa ſedit annis duobus & ultra. Joannes XI. Papa ſedit annis IV. menſibus X. & ultra; hujus anno primo in urbe Genua oleum largiter effluxit, forſan protendens cladem urbis illius; nam eo anno à Sarracenis venientibus de Africa navibus capta eſt, & hominibus ac theſauris exhauſta.

Hungari Italiâ armis oppreſſâ etiam Galliam & Hiſpaniam oppreſſerunt. Hugo Magnus de Burgundia violenter regnat in Francia, ex quo prodierunt Reges Franciæ, qui nunc regnant.

Robertus Comes Andegaviæ de genere Saxonum à Normannis fuit occiſus; Ottho primogenitus ejus ſinè liberis eſt defunctus; Robertus alter filius occiſus fuit prœlio conſerto cum Karolo Simplice Rege Franciæ; Hugo Magnus Princeps in Burgundia, filius jam dicti Roberti occiſi, prœlio commiſſo cum Karolo regnum Franciæ invaſit, & eo dejectus fuit; Hugo Capucius ejus filius vir juſtus mox legitimè regnavit in Francia. Hic fuit Rex primus Franciæ ex eo genere, quod nunc regnat; ejus filius Robertus Rex Sanctus.

De Berengario III. non Auguſto.

Berengarius Tertius in Italia annis VII. & ultra imperavit, cujus tempore fuit in Italia magnum ſchiſma. Leo VII. Papa ſedit annis tribus menſibus VI. & ultra. Stephanus IX. Papa ſedit annis tribus imperante hoc Berengario, poſt Lothario.

De Lothario Auguſto.

Lotharius annis duobus in Italia regnat, cujus tempore Sol factus eſt ſanguineus, mox poſt dies paucos lues in homines eſt ſequuta.

De Berengario Quarto.

Berengarius Quartus cum filio Alberto in Italia annis XI. imperavit. Hic oppreſſit Italiam, & diu Adeleidam uxorem Lotharii incluſam tenuit, quam Ottho Imperator, qui mox imperavit, in uxorem cepit. Marinus Tertius Papa ſedit annis IV. & menſibus VI. & ultra. Agapitus Secundus Papa ſedit annis VIII. & ultra. Hoc imperante, mox Otthone Auguſto, Oddo primus Abbas Monaſterii Cluniacenſis dormivit in Domino. Duæ mulieres in uno corpore ab umbelico infra viſæ ſunt in Guaſconia: quarum altera dormiente, altera comedebat, nec una die obierunt.

De Otthone Primo Auguſto.

Ottho Primus Henrici ſuperioris filius ex Saxonum genere Imperium Occidentis ſolus obtinuit, qui imperavit in Romano Imperio annis VII. Quo imperante deſierunt Italici imperare. Joannes XII. Papa ſedit annis quaſi octo. Ottho Imperator in Saxonia morans vocatus à Joanne XII. Papa, ut veniret ſuccurrere Eccleſiæ Romanæ, Romam vênit per Thuſciam, Romæ cum gaudio eſt ſuſceptus ac coronatus, & multa donaria Eccleſiæ contulit.

De Otthone Secundo Auguſto.

Ottho Secundus Imperator ſuperioris filius annis XI. imperavit vir armis ſtrenuus, Benedictus V. Papa ſedit menſibus duobus & ultra: hic vivente Joanne Papa à Romanis eligitur Papa, propter quod eùm Ottho Secundus Romam obſideret traditur Benedictus.

Leo VIII. Papa ſedit menſibus XVI. & ultra. Joannes XIII. Papa ſedit annis quaſi VIII.

Sanctus Adalbertus Epiſcopus Pragenſis natione Bohemus agnoſcitur; hic baptizavit Stephanum Regem Hungariæ, qui Sanctus Adalbertus in Polonia prædicando pro Fide martyrium fecit anno Chriſti DCCCLXXV.

Ottho Imperator Romæ apud gradus S. Petri Proceribus paravit convivium, quibus epulantibus, militibus ſuis clam paratis eductis, violatores pacis è convivio vocatos decapitari fecit, ceteros epulari in pace juſſit.

Ottho hic Beneventum obſedit & accepit, oſſa Beati Bartholomæi abſtulit, ut portaret in terram ſuam, ſed dum ea Romæ collocaſſet, ubi mortuus eſt, ibi verò oſſa manſerunt. Benedictus VI. Papa ſedit menſibus XVIII. hic fuit ſtrangulatus nocte Natalis à Cynthio Stephani.

De Otthone Tertio Auguſto.

Ottho Tertius Imperator ſuperioris filius imperavit annis XIX. hic ob ſui ſtrenuitatem dictus eſt Mirabilia-mundi. Domnus Secundus Papa ſedit menſibus XVIII. & ultra. Boniſacius VII. Papa ſedit menſe I. & ultra.

Benedictus VII. Papa ſedit annis IX. & menſibus VI.

Anno tertio Imperii hujus moritur Hugo Capucius Rex Franciæ, primus Rex ex hoc genere, cui ſucceſſit Robertus ejus filius, vir ſanctus, qui regnavit in Francia annis XXIV.

Joannes XIV. Papa ſedit menſibus VIII. Joannes XV. Papa ſedit menſibus IV. Joannes XVI. Papa ſedit annis X. menſibus VII. & ultra. Gregorius V. Papa ſedit annis II. menſibus VI. hic ſuffragio Imperatoris electus eſt.

Ottho Tertius Imperator ab hoc Papa Romæ coronatus eſt, qui ordinatâ Italiâ in Saxoniam receſſit.

Creſcentius Conſul Romanus Gregorium Papam fugavit, & in ejus locum ſubſtituit Joannem Græcum Placentinum, hominem pecunioſum à legatione redeuntem; hoc comperto, Ottho Romam rediit, & tamdiu Creſcentium obſedit, & Caſtellum Sancti Angeli, donec obtinuit. Creſcentium captum decapitavit, illum Pontificem oculis privavit, & membris debilitavit, inde rediit in Saxoniam.

Joannes XVII. Papa memoratus ſedit menſibus X.

. Silveſter Secundus Papa ſedit annis IV. & ultra, imperante Otthone Tertio, mox Henrico Auguſtis; hic fuit Monachus Floriacenſis, nigromanticus, qui ſuffragiis Diaboli, facto illi homagio, Papatum obtinuit: hic Doctor fuit Ottonis III. & Roberti Regis Franciæ viri ſancti: hic primò fuit Epiſcopus Remenſis, mox Epiſcopus Ravennenſis, & tandem Papa, qui mortuus eſt Romæ, celebrans in loco, qui dicitur Hieruſalem, qui pœnitens in morte, juſſit ſibi vivo abſcindi membra, quibus Diabolo obſequium fecerat.

Ot-

A

Ortho Imperator ſuggeſtione uxoris occidit unum Comitem falsò accuſatum, quòd cum conjuge noluit commiſceri, mox comperta veritate, conjugem ſuam Ottho igne cremari fecit, & uxori Comitis falsò occiſi ſatisfecit.

Hoc Otthone mortuo vacavit Imperium annis multis.

Quidam ſcripſerunt, quòd annis XXII; alius quòd an. XIV. Sarraceni Capuam obſederunt. Joannes XVIII. Papa ſedit menſibus VI. Joannes XIX. Papa ſedit annis V. Sergius Quartus Papa ſedit annis duobus & ultra. Luna viſa eſt cruenta. Otthone Imperatore mortuo fuit vacatio Imperii per annos XXII. quo tempore fuerunt aliqua ſcripta ſuperiùs.

B

De Henrico Auguſto.

HEnricus Claudus Dux Bavariæ imperavit annis XII. & menſibus VI. Robertus Rex Franciæ Secundus ex genere Hugonis Capeti, vir ſanctus agnoſcitur per hæc tempora, qui tam devotus fuit in Deum, ut cum Monachis cantaret Officium cappa indutus. Hic dum obſideret Caſtellum Feſto Beati Damiani ivit ad Officium Monachorum, & eodem genibus flexis cantante *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi*, muri Caſtelli corruerunt.

Henricus Imperator Gallam (Giſelam) ſororem Stephano Regi Hungariæ adhuc Gentili conjugavit, propter quod idem Rex & gens

C

Hungara ad Chriſtianam Fidem ſunt converſi. Idem Rex Stephanus virtutibus fuit inſignis, qui baptizatus fuit à Beato Adalberto Epiſcopo Poloniæ natione Bohemo.

Benedictus VIII. Papa ſedit annis XII. imperante Henrico, poſt Conrado; hic de Papatu fuit ejectus, & alius ſubſtitutus. Hujus Benedicti anima viſa fuit à quodam Sancto Epiſcopo malè torta in pœnis.

Sarraceni occupant Terram Sanctam.

Henricus Imperator & uxor ejus Cunegundis virgines permanſerunt uſque ad obitum: Henrico defuncto vacavit Imperium annis duobus & ultra.

D

De Conrado Auguſto.

COnradus Primus Auguſtus, Dux, ex Franconico genere vir, nepos ſuperioris Henrici, ſucceſſit in Imperio, qui annis XX. regnavit. Joannes XX. Papa ſedit annis IX.

His temporibus Almarichus filius Stephani Regis Hungariæ virgo (relictâ) ſponsâ ſuâ obiit, qui miraculis coruſcavit. Robertus Rex Franciæ vir ſanctus defunctus eſt, cui ſucceſſit Henricus filius ejus, primogenito jam defuncto.

Trabs ignea miræ magnitudinis viſa eſt currere per Solem. Hic Conradus occupatus venatione, hoſpitatus fuit in ſylva, ubi Comes

E

Lupoldus metu grandi cum uxore latitabat, vicinâ puerperâ, quæ ea nocte peperit puerum, de quo Imperator audivit vocem dicentem: *Conrade, hic puer gener tuus erit*; licèt Imperator juſſiſſet ſuis Miniſtris ut pueri cor ad eum ferrent.

Benedictus IX. Papa ſedit annis XII. imperante Conrado, & mox Henrico. Hic fuit de Papatu ejectus, & ſubrogatus eſt Epiſcopus Sabinenſis dictus Silveſter Tertius: hic eſt etiam dejectus & Papatum recuperavit Benedictus.

Ipſe etiam mox dejectus eſt & ſucceſſit Gregorius VI.

De Henrico Auguſto.

HEnricus gener Conradi ſucceſſit in Imperio, & regnavit annis XVII. Hic omnes jocularios à Curia ſua ſubmovit.

Normanni Romam capiunt.

Silveſter Tertius Papa ſedit dies LVI.

Gregorius VI. Papa ſedit annis duobus & menſibus VII. Hic cum Henrico bellavit. Hic eſt ille Papa, qui armis compeſcuit prædatores peregrinorum, cui in morte eligenti ſepulchrum in Eccleſia Beati Petri, duxerunt Cardinales non eſſe eum dignum eo, qui vir ſanguinum fuerit, quibus ait: *Clauſis portis Eccleſiæ cadaver meum in loculo extra portas exponetis, & ſecundum Dei voluntatem fiet.* Quo facto aperti ſunt poſtes Eccleſiæ & corpus inductum eſt. Clemens Secundus Papa ſedit menſibus IX. Romæ cadaver inventum eſt Gigantis incorruptum, magnitudinis inſolitæ, ita quòd excedebat in altitudine muros Romæ, habens vulneris hiatum quatuor pedum & ſemis, cui erat tale epitaphium:

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more ſuo jacet hic.

De Henrico Auguſto.

HEnricus dictus Secundus ſuperioris filius ſucceſſit Patri in Imperio, in quo fuit annis XLIX. Damaſus Secundus Papa ſedit 26. diebus. Leo Nonus Papa ſedit annis V. & ultra. Victor Secundus Papa ſedit annis duobus & ultra. Hic Florentiæ Synodum habuit, in qua multos Simoniacos & fornicatores exauctoravit, ſi hodie faceret hoc, multo exauctoraret.

Hoc tempore mures perſecuti ſunt quendam potentem avarum uſque ad mare ad navem, in quam confugerat, & tandem illum occiderunt mures: erat namque abſconſor annonæ. Hic Henricus Imperator, ut ajunt quidam, pater fuit matris Comitiſſæ Matildæ: nam filia Regis cum juvene Bonifacio nobili aufugit à patre Imperatore & nupſit illi, ex quo concepit Comitiſſam Matildam: mox Imperator pepercit filiæ ac genero, qui fuit Marchio Bonifacius, & ex juribus Imperii multa in Italia conceſſit filiæ & genero, in quibus Comitiſſa Matildis ſucceſſit. Stephanus X. Papa ſedit quaſi anno uno: jacet Florentiæ. Benedictus X. per vim Papa factus ſedit menſibus IX. ſponte Papatum omiſit. Lanfranchus primò Becenſis, Magiſter Anſelmi agnoſcitur. Nicolaus Secundus Papa ſedit annis duobus menſibus VI. & ultra: Romæ Concilium habuit. Alexander Secundus Papa ſedit annis XI. menſibus quaſi VII. contra hunc electus fuit Cadolus Parmenſis Epiſcopus, volens per vim Papatum occupare, & illum per aliquod tempus occupavit. Hic Papa Concilium habuit Mantuæ.

Gregorius VII. Papa ſedit annis XII. & ultra. Robertus Guiſcardus Romam intravit, ubi fames tunc facta eſt & lues. Victor Tertius Papa ſedit anno uno & ultra.

Ordo Carthuſienſis inchoat. Urbanus Secundus Papa ſedit annis XI. & ultra. Boamundus filius Roberti Guiſcardi Dux Normannorum, qui tenebat Apuliam, cum exercitu Chriſtiano trans mare profectus eſt, iter faciens per Conſtantinopolim.

Petrus Alphonſus agnoſcitur, qui librum ****** anno Chriſti MXC. capta eſt urbs Nicæa à Chriſtianis, Anno MXCIX. capta eſt Hieru-

ruſalem. Ipſo anno inventa eſt lancea, qua latus Chriſti apertum fuit, Beato Andrea revelante. Anſelmus vir doctus agnoſcitur.

Officium Beatæ Mariæ dici inchoat diebus Sabbati & in horis. Godofredus de Bullione Dux Burgundiæ Princeps in Hieruſalem obiit anno Chriſti MCCI. cui ſucceſſit frater ejus Balduinus.

Paſchalis Secundus Papa ſedit annis XVIII. & menſibus V. Imperante Henrico Secundo Comitiſſa Matilda obſedit Civitatem Ferrariam anno Chriſti MCI.

De Henrico Tertio Auguſto.

HEnricus dictus Tertius patri ſuccedit, qui annis XVI. imperavit; hic patrem cepit & tenuit uſque in finem vitæ, ideo Dei judicio ſinè prole obiit.

Henricus Imperator Paſchalem Papam cum Curia ejus cepit, & cùm eum dimiſit, exegit inveſtituras Prælatorum. Robertus Monachus cum aliis XXI. Ordinem Ciſtercienſium inchoat. Moritur Comitiſſa Matilda. Gelaſius Secundus Papa ſedit anno uno, qui metu Henrici pergens in Franciam, per mare pervênit in Monaſterium Cluniacenſe, ubi morbo defunctus eſt, ac ſepultus in Parochia Legionenſi. Porca porcellum enixa eſt habentem hominis faciem.

Beatus Bernardus & Fratres Monachi fiunt.

Ordo Hoſpitalis inchoat in Hieruſalem propter peregrinos & infirmos. Calixtus Secundus Papa ſedit annis quaſi VI. Hic Burdinum factum Papam per Henricum, obſeſſum ſubitò cepit, qui ductus eſt ſuper tergum Cameli caudam pro fræno tenens, mox arce incluſus.

Papa cum Imperatore in concordiam vênit. Hic Papa Epiſcopum Compoſtellenſem Archiepiſcopum fecit.

Honorius Secundus Papa ſedit annis quinque & ultra. Imperante Henrico, mox Lothario, Tyrus à Chriſtianis capta. Balduinus Rex Hieruſalem capitur à Sarracenis. Hic Papa Rugerium Comitem, factâ concordiâ, tunc Principem Domini temporalis in Apulia per Pontifices Romanos, inveſtivit de Ducatu Apuliæ. Hugo de Sancto Victore agnoſcitur.

Ordo militum Sanctæ Mariæ de Templo inchoat in Hieruſalem. Henricus Spiræ moritur, cui eſt tale Epitaphium:

Filius hic, Pater hic, Avus hic, Proavus jacet iſtic.

De Lothario non Auguſto.

LOtharius Tertius Imperator annis XII. imperavit. Hic Dux Saxoniæ, vir Dei amicus. In Francia tanta ſiccitas fuit, ut flumina, fontes, lacus, penè putei ſiccarentur; & ignis ſubterraneus, ut nec bienniò frigore, imbribus nec alia arte poſſet extingui.

In Hiſpania monſtrum gemini corporis in anteriori parte hominis ſpecies integra, in poſteriori verò canis facies cum membris.

Innocentius Secundus Papa ſedit annis XIII. menſibus VI. & ultra, imperante Lothario & mox Conrado.

Synodus Romæ facta eſt. Magiſter Arnoldus patibulo eſt ſuſpenſus, quia Clericorum ſuperfluitates arguebat, quod nunc etiam fieret viro juſto talia prædicanti. Hic Papa Innocentius confirmavit Regulam Hoſpitalis Sancti Joannis. Idem Papa bellans contra Regem Siciliæ Ducem Apuliæ, proditione capitur. Eccleſia maxima Ferrarienſis conſtruitur.

Anno Chriſti MCXXXVI. defunctus eſt Joannes dictus Bucadei de Temporibus (armiger) quondam Caroli Magni. Vixerat tunc annis CCCLXI. Hugo de Sancto Victore obiit. Richardus Magiſter Pariſius.

De Conrado de Suevia Auguſto.

COnradus Secundus de Suevia imperavit annis XI.

Cœleſtinus Secundus Papa ſedit quaſi anno I. Hic patriâ Bononienſis renovavit Eccleſiam Sanctæ Crucis Romæ. Eugenius Tertius Papa ſedit annis VIII. & ultra, Conrado & Frederico imperantibus. Hic Papa ſignum Crucis rubeæ dedit Ordini Templi. Anno Chriſti MCXXXXVII. Conradus Imperator & Rex Franciæ Lodovicus cum exercitu Romanorum transfretarunt.

Beatus Bernardus Crucem prædicavit pro Paſſagio. Idem Eugenius Papa Urbe à Senatoribus pulſus, dum iret in Gallias, Beatum Bernardum præmiſit. Gilbertus Porretanus Magiſter magnus agnoſcitur. Liber Joannis Damaſceni de Græco in Latinum transfertur. Beatus Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis juſſu Regis Angliæ in Eccleſia occiditur. Gratianus Monachus de Cluſſa civitate Thuſciæ codicem Decretorum compoſuit Bononiæ in Monaſterio Sancti Felicis.

Obiit Conradus MCLII.

De Frederico Primo Auguſto.

FRedericus Primus filius fratris Conradi de genere Suevorum imperavit annis XXXII. Hic coronatus fuit ab Eugenio Tertio, vir largus & ſtrenuus & magnanimus. Hic Spoletum profligavit anno primo Imperii, poſt Mediolanum, Terdonam & Cremonam funditus evertit & Laudum reædificavit.

Anaſtaſius IV. ſedit anno I. menſibus IV. & ultra. Imperator Terdonam deſtruxit. Adrianus IV. ſedit annis V. Sanguis Chriſti inventus eſt Mantuæ & in Eccleſia Beati Andreæ honorificè & devotè reconditur.

Imperator Cremonam obtinuit bello, Laudi oppidum ab eo eſt conſtructum anno Chriſti MCLVIII. in Kalendis Auguſti.

Abbas Joachim agnoſcitur.

Magiſter Petrus Lombardus agnoſcitur, qui libros Sententiarum, & Gloſſas Pſalterii, & Epiſtolarum Beati Pauli compoſuit.

Corpora trium Magorum, olim de Perſide in Conſtantinopolim translata, deinde Mediolanum, inde per hunc Imperatorem in Coloniam Agrippinam translata ſunt.

Alexander Tertius Papa ſedit annis XXI. & ultra: hic Concilium habuit Laterani. Contra hunc Papam electi fuerunt ſucceſſivè tres, Octavianus, mox Joannes tituli Sancti Caliſti, poſt Joannes, qui fulciebatur Imperatoris favore; duravit autem hoc ſchiſma per annos 18. inter quod tempus gens juſſu Imperatoris maximam ſtragem Romanorum fecit.

Oppidum Alexandria in Liguria à Mediolanenſibus, Placentinis, & Brixienſibus Papæ faventibus ædificatur, & nomen datum eſt in honorem hujus Papæ Alexandri.

Et hoc tempore poſt cœpit ex hac diſcordia primum ſemen, & denominatio partis Eccleſiæ & Imperii, quæ poſtea in nomina Diabolica ſcilicet Guelfa & Gibellina Florentiæ baptizata ſunt.

Anno Chriſti MCLII. menſe Martio Mediola-

lanum ab Imperatore ſubvertitur, cùm LXXXII. virorum. * Rugerius Rex Siciliæ moritur. Argenta à Ferrarienſibus capitur.

Vicentia magno incendio crematur.

Hic Papa Fredericum Imperatorem, & Emanuelem Imperatorem Conſtantinopolis, Guilelmum Regem Siciliæ, & Lombardos ad concordiam duxit. Emanuel Imperator Conſtantinopoli moritur.

In Syria nimiis terræ motibus attritæ ſunt Antiochia, Damaſcus & Tripolis: in Sicilia Catania penitus everſa; millia 20. hominum perierunt eo terræ motu. In Sicilia mare ultra ſolitum concuſſum eſt, V. millia hominum extincta.

His temporibus viſæ ſunt tres Lunæ ſimul & in medio ſignum Crucis, nec multo poſt tres Soles viſi ſunt. Lucius Tertius Papa ſedit annis quatuor: hic Veronæ quieſcit. Petrus Comeſtor agnoſcitur, qui utriuſque Teſtamenti hiſtorias nexuit.

Primas Gallicus verſificator eximius notus habetur. Nix alta pedibus octo & pluribus. Beatus Bernardus obiit an. Chriſti MCLXXX.

Gabriel de Camino primus Poteſtas Ravennæ ibi mortuus & ſepultus: nam hoc tempore urbes Italiæ Conſulibus regebantur.

Oſſa Beati Nicolai de Mirrea civitate tranſlata ſunt. An. Chriſti MCLXXXVII. Philippus Secundus Rex Franciæ, Guilielmus Rex Siciliæ, Richardus Rex Angliæ, cujus operâ Conradus Marchio Montisferrati occiſus fuit ex invidia.

Anno Chriſti MCXCII.

Urbanus Tertius Papa ſedit annis quaſi duobus: Ejus corpus jacet Ferrariæ. Abbas Joachim de partibus Calabriæ ad hunc Papam Veronam vênit.

Anno Chriſti MCLXXXVI. Indictione quinta, Hieruſalem & Terra-Sancta per Saladinum Soldanum Babyloniæ occupata eſt; poſt modico tempore Acon, quæ Ptbolomais dicitur, à Chriſtianis capta, quam tenuerunt uſque ad tempus, quo fuit everſa in MCCXCI. Perdita eſt autem Terra Sancta occupata per Saladinum, poſtquam poſſeſſa fuit per Chriſtianos per annos LXXXVII.

Urbanus jam dictus ejus cladis dolore Ferrariæ obiit, ibique jacet.

Fredericus Imperator petens Syriam ad ſubſidium Terræ Sanctæ per Thraciam tranſivit in Aſiam, qui dum lavaretur in fluvio Oronte, qui nunc * Ferrum dicitur, ſitum juxta Antiochiam, ſubmerſus undis periit.

De Henrico (Sexto) Auguſto.

HEnricus ſuperioris filius, Imperator regnavit annis VIII. menſibus V. Hic à quibuſdam dictus eſt Fredericus Secundus.

Conradus Marchio Monti ferrati fraude Richardi occiditur. Anno Chriſti MCXCII. obiit Saladinus Soldanus Babyloniæ, vir præclarus.

Gregorius VIII. Papa ſedit uno menſe; hic zelando pro Terra Sancta pacem compoſuit inter Januam & Piſas, inter quas priùs longa & exitialis fuerat diſcordia, ibi obiit & quieſcit.

Clemens III. Papa ſedit annis III. & ultra; hic palatium Laterani exaltavit, & picturis ornavit, & ubi puteum ante equum æreum cum equite fieri fecit. Cremonenſes in Padua ſuffocati.

Cœleſtinus Tertius Papa ſedit annis VI. menſibus IX. & die: hic ſecundo die ſui Pontificatus coronavit Romæ Henricum feriâ ſecundâ poſt Paſcha in Aprili. Eo anno IX. Kalendas Julias facta eſt Solis eclipſis ab hora tertia in nonam. Hugo natione Piſanus, Epiſcopus Ferrarienſis agnoſcitur, qui datus adjutor à Sede Apoſtolica Abbati Nonantulano homini prodigo & indigno ex libro Papiæ, qui illic eſt, librum Derivationum compoſuit.

Henricus Imperator Neapolim obſedit nec obtinuit: mox anno IV. Imperii rediens totum Regnum ſubjugavit, & filium Tancredi Regis Siciliæ cum aliis multis in Germaniam traxit.

Richardus Rex Angliæ obſidendo * Caſtellum unum ictus ſagitta moritur anno Chriſti MCXCIX. Innocentius Tertius Papa ſedit annis XVIII. & menſibus IV. & diebus XXIV. imperante Henrico, mox Otthone. Henricus Imperator moritur anno Chriſti MCXCVII. Corpus B. Baſſiani Laudenſium Epiſcopi tranſlatum fuit à civitate Laude veteri deſtructa ad civitatem novam Laudæ anno Chriſti MCC. die IV. Novembris. Argenta capta à Ferrarienſibus.

Tartarorum Regnum inchoat, qui occiſo David filio Presbyteri Joannis Regnum dilataverunt. Ordo Prædicatorum inchoat ſub hoc Papa; inde Ordo Minorum.

Anno Chriſti MCCIV. Conſtantinopolis capitur à Francis & à Venetis, duce exercitus Balduino Comite Flandriæ, qui mox ibi imperavit poſt Alexium & Mariculphum MCC. Brangatinum caſtellum à Ferrarienſibus conditum juxta Padum.

De Otthone Auguſto.

OTtho Saxo Quartus imperavit annis duobus, quem coronavit Innocentius Tertius Papa in Urbe præſtito juramento de Eccleſia defendenda, ſed ſtatim irritavit juramentum: nam Eccleſiam ſpoliavit, & Regnum Frederici invaſit, ideo ab Eccleſia excommunicatus eſt.

Joannes Comes Brerinenſis capta Jeruſalem ibi Rex conſtituitur, acceptâ filiâ Conradi Regis, ex qua genuit filiam, quam habuit in conjugem mox Fredericus Imperator Secundus, ex qua genuit Conradum filium.

Ottho Imperator jam exauctoratus Imperio conflixit in acie cum Philippo Rege Franciæ, à quo ſuperatus eſt.

Anno Chriſti MCCXI. Indictione IX. Fredericus Henrici Imperatoris quondam filius ſuffragio Eccleſiæ à Principibus Germaniæ Imperator eligitur.

Azo Marchio Eſtenſis ſuperato ejus adverſario Salviguerra, qui erat caput partis Imperii, intravit Ferrariam: tunc Ubaldus Archiepiſcopus Ravennenſis vendicavit Argentam à Vicario Otthonis eam tenente.

Azo Marchio Eſtenſis obiit & ſepultus eſt Monaſterio Vagandieiæ.

Eliſabet filia Regis Hungariæ viduata viro Landgravio, vitâ ſanctiſſimâ noſcitur.

Cremonenſes apud Caſtellum Leonem Mediolanenſes ſuperant prœlio.

Innocentius anno Pontificatus ſui XVII. Concilium habuit Romæ, ubi pro ſubſidio Terræ Sanctæ convenerunt Prælati MCCXV. Hujus Papæ tempore conſtructum eſt Hoſpitale Sancti Spiritus: Operâ hujus turris ſpecioſa Romæ conſtructa. Hic Papa compoſuit de miſeria hominis.

Gualfredus Anglicus Doctor vir poëta agnoſcitur, qui huic Papæ librum ſuum (qui dicitur Poëtria novella) præſentavit.

Anno Chriſti MCCXVI. moritur Innocentius Peruſii. Ho-

A Honorius Tertius Papa die ſequenti ordinatur, qui ſedit annis X. menſibus IX. Hic coronavit de Imperio Conſtantinopolitano Petrum Comitem Altiſſiodorenſem: Ordinem quoque Prædicatorum cœptum à Beato Dominico confirmavit. Damiata capta à Chriſtianis.

De Friderico Secundo Auguſto.

FRidericus Secundus Imperator ab Honorio coronatur Romæ in Eccleſia Beati Petri anno Chriſti MCC. Hic Dux fuit Sueviæ, filius Secundi Henrici: hujus mater fuit Conſtantia, filia Rugerii Regis Siciliæ, Rex Hieruſalem ex jure uxoris, qui imperavit annis XXX. feſto B Beatæ Luciæ coronatus fuit, ipſa die revolutis annis XXX. obiit.

Damiata capta per Sarracenos. Beatus Dominicus obiit quinto Auguſti, anno Chriſti MCCXXII.

Anno Chriſti MCCXXIII. die Natalis Domini terræmotus magnus fuit per Italiam totam.

Stella cometa apparuit.

Philippus Secundus Rex Franciæ obiit. Beatus Franciſcus dormivit in Domino.

Faventini occiderunt unum Principem in eorum Territorio, quem credebant eſſe Imperatorem Fredericum.

Honorius Papa moritur; Lodovicus moritur C Rex Franciæ, ſucceſſit filius ſuus mox Sanctus.

Gregorius Nonus Papa ſedit annis XIIII. qui Beatam Eliſabet canonizavit, qui etiam cum Frederico Imperatore vênit in diſcordiam.

Rex Caſtiliæ Sarracenos expulit Hiſpania, & Rex Arragoniæ obtinuit armis Inſulas Majoricam & Minoricam, atque Valentiam.

Comes Richardus de Sancto Bonifacio Veronæ capitur in Palatio, & pars ejus expellitur. Portum & Lignatum ſubvertuntur.

Fredericus Imperator Henricum primogenitum ſuum contra eum res novas molientem ſuggeſtione Eccleſiæ cepit, & in carcere ſervavit, in quo tandem vitam finivit.

Eo anno Beatus Antonius de Ordine Mino- D rum Paduæ in Chriſto dormivit. Beatum Dominicum Papa * Gregorius canonizavit ab obitu ejus anno XI.

Michael Scottus Aſtrologus illuſtris, qui uſum inſulæ ferreæ, quæ dicitur Cervelaria, in capite geſſit.

Sermo de Ritibus Antiquorum.

PEr hujus Imperatoris tempora rudes erant in Italia ritus & mores; nam viri inſulas de ſquamis ferreis capite geſtabant inſutas bireiis, quas appellabant Majatas. In cœnis vir & uxor una manducabant paropſide: uſus inciſoriorum ligneorum non erat in menſis: unus vel duo ſcyphi in familia erant: nocte cœnan- E tes lucernis aut facibus menſas illuminabant, facem tenente uno puerorum vel ſervo; nam candelarum de ſevo uſus non erat. Viri chlamydibus pelliciis ſinè operimento vel laneis, ſive pellibus & inſulis de pignolato utebantur: Mulieres tunicis de pignolato, etiam quando nubebant, erant contentæ. Viles tunc erant cultus virorum & mulierum, aurum & argentum rarum vel nullum erat in veſtibus. Victus erat parciſſimus: plebeji homines ter in ſeptimana carnibus recentibus veſcebantur, tunc prandio edebant olera cocta in carnibus. Cœnam autem ducebant ipſis carnibus frigidis re-

ſervatis: non omnibus erat uſus vini æſtate, modica denariorum ſumma ſe locupletes habebant. Parvæ tunc erant cellæ vinariæ, horrea non ampla, promptuariis erant contenti. Modica dote nubebant fœminæ, quia earum cultus erat parciſſimus. Virgines in domibus parentum, tunica de pignolata, quæ appellatur Sotanum, & paludamento lineo, quod Socca dicebant, erant contentæ. Ornatus capitis non pretioſus erat virgini aut nuptæ. Conjugatæ latis vittis tempora & genas ſub mentum vittabant. Virorum tunc erat gloria, eſſe in armis & equo: eſſe commodos. Nobilium locupletum erat gloria turres habere. Quo tempore urbes Italiæ ſingulæ multis turribus inclytæ florebant.

Per hæc tempora fuit homo in Sicilia nomine Nicolaus Piſcis, qui in mari vixit, ut piſcis, nec diu extra aquas eſſe poterat. Hic multa de ſecretis maris hominibus revelavit, poſt matris maledictionem ſortem talem ſortitus eſt.

Anno Chriſti MCCXXXIV. hyems ultra ſolitum aſperrima. Aruit gelu pinetum Ravennæ.

Bindorus Epiſcopus Mantuanus die Rogationum in Eccleſia B. Andreæ ab Advocatis nobilibus ejus urbis occiſus eſt, propter quod exularunt perpetuò.

Fredericus Imperator prœlio conſerto Mediolanenſes expugnat, currum eorum Romam miſit, filium Ducis Venetiarum eorum rectorem peremit ſuſpendio.

Idem Imperator Brixiam obſedit nec obtinuit. Contra Fredericum Imperatorem ſententiam excommunicationis protulit Papa Gregorius.

Ipſo anno Solis eclipſis menſe Junii horâ meridianâ.

De Obſidione Ferrariæ.

LEgatus Eccleſiæ Gregorius de Monte-longo, Dux Venetiarum, populus Bononiæ, Mantuani, exules Ferrarienſes expulſi obſederunt Ferrariam à feſto Purificationis uſque ad introitum Junii. Pace doloſa actum eſt, & omnes in ea urbe recepti ſunt, ea die Salinguerra Princeps ſuæ partis Gibellinæ, qui obſeſſus fuerat, eſt captus & ductus Venetias, ibi in cuſtodia vitam finivit, ejus ſequaces ex urbe aufugerunt.

Eo anno mortuo Paulo Tranſverſario de Ravenna ipſe Imperator Ravennam obtinuit. Tunc de Baſilica S. Vitalis abſtulit duas columnas de onice, & portari fecit in Regnum. Idem Imperator obſeſſam novem menſibus Faventiam obtinuit.

Cœleſtinus Quartus Papa ſedit diebus XVIII. * Sebaſtem quoque urbem ſitam in Meſopotamia occupant & ditantur prædis. Innocentius Quartus natione Genuenſis Papa ſedit annis XI. & menſibus VI.

Anno Chriſti MCCLV. Concilium celebratum eſt Lugduni, in quo Papa contra Imperatorem ſententiam excommunicationis & depoſitionis tulit.

Anno ſequente Landgravius electus Imperator ſuffragio Eccleſiæ contra Conradum filium Frederici Imperatoris duxit exercitum.

Alio anno ſequente mortuo Landgravio eligitur Imperator Guilielmus Comes Olandiæ, qui in brevi à Friſonibus eſt occiſus.

Fredericus Imperator Parmam obſedit, ibi in ſuburbio condidit civitatem, quam appellavit Victoriam, quæ, ipſo recedente, capta eſt à Parmenſibus & incenſa.

S Hen-

Henricus Rex Sardiniæ filius Frederici captus eſt à Bononienſibus agro Mutinæ, qui ſervatus longa cuſtodia carceris obiit anno MCCLXXII.

Lodovicus Rex Franciæ Lodovici filius Damiatam cepit: ipſe verò mox à Sarracenis captus eſt, pro cujus redemptione Chriſticolæ Damiatam reddiderunt.

Fredericus Imperator feſto Beatæ Luciæ in caſtro Florenciolæ in Apulia morbo moritur, ætatis ejus anno LVII. relictis Conrado legitimo, & duobus liberis ex Henrico filio, qui carcere ſuo obierat, & Hencio naturali filio incluſo Bononiæ, ac Manfredo Principe Tarentino naturali filio, qui mox in fraude regnavit, & aliis pluribus ſexus promiſcui.

Iſti verſus ſcripti ſunt in ſepulchro dicti Frederici Imperatoris, qui conditi ſunt tempore ſuæ mortis:

Annis millenis bis centum pentaque denis,
Dives mendicus deceſſit Rex Fredericus;
Illo namque die celebrantur feſta Luciæ;
Si probitas, ſenſus, virtutum copia, cenſus,
Nobilitas orti poſſent obſiſtere morti,
Non foret extinctus Fredericus, qui jacet intus.

De Vacatione diuturna Imperii.

VAcavit Imperium itaque circiter annis XXIV. uſque ad tempus Papæ Gregorii Decimi; qui Concilium congregavit Lugduni.

Feſto Beati Franciſci idem Papa pervênit Ferrariam, ibi populo prædicavit.

Obiit Innocentius Papa anno MCCLIV. Alexander Quartus Papa ſedit annis VII. menſibus VI. qui Beatam Claram canonizavit. Conradus Rex Siciliæ veneno extinctus eſt fraude Manfredi ejus fratris, qui ſe Regem fecit Siciliæ.

Eccelinus de Romano Dominator tunc Veronæ, Vicentiæ, ac Paduæ, Mantuam obſedit nec obtinuit, quo obſidente eam, Philippus Archiepiſcopus Ravennenſis Legatus Eccleſiæ cum exercitu Cruce-ſignatórum & aliis Paduam malè defenſam (cepit). XIM. Paduanorum erant cum Eccelino apud Mantuam, quos quaſi omnes igne conſumpſit & carcere.

Guilielmus Rex Alamanniæ à Friſonibus occiditur, poſt quem in diſcordia eliguntur duo, ſcilicet Rex Hiſpaniæ Alphonſus & Richardus frater Regis Angliæ.

Veneti & Genuenſes confligunt mari, victores Veneti turrim Genuenſium, quam in Acon habebant, funditus everterunt.

Veneti conſtruunt Caſtellum de roboribus ſecus Padum, loco, qui dicitur ad Sanctum Albertum juris Ravennæ. Accurſius natione Thuſcus & Odofredus Bononienſis, viri Juriſperiti & legum commentatores, quorum corpora Bononiæ apud Minorum Eccleſiam pulchris mauſolæis, optimis pyramidibus requieſcunt.

Capitur Eccelinus de Romano apud flumen Padum (Abduam) vulneratus & mortuus ſepelitur in Soncino.

Albericus frater ejus Eccelini, qui ſævus tyrannus Triviſio fuerat, à Paduanis & Triviſinis & Vicentinis caſtello Sancti Zenonis obſeſſus à ſuis traditur. Tres filii coram eo trucidati, uxor cum filiabus igne crematæ; ipſe mox tantæ cladis ſpectator gladiis ſecatur in fruſta. Eo anno novitas in Italia tota fuit, quæ dicta eſt Verberamentum; nam populi nudi longo agmine per urbes & per villas incedentes loris terga verberabant. Eo anno paces multæ factæ ſunt.

Urbanus Quartus Papa ſedit annis tribus & ultra: hic conſilio Cardinalium contra Manfredum regnantem in Sicilia vocavit Karolum fratrem Regis Franciæ, Comitem Provinciæ, qui vocatus vênit.

Florentini & Lucenſes apud Montem-Apertum non longè à Sena ab ipſis Senenſibus magnam cladem ſenſerunt, dolo plurimorum Exercitus Florentini.

Balduinus Imperator & Veneti pelluntur urbe Conſtantinopoli.

Rex Hiſpaniæ Alphonſus prœlio conterit Sarracenos. Pars Graſulforum Mutinæ Feſto Beatæ Luciæ expelluntur.

Azo Marchio moritur Ferrariæ. Clemens IV. Papa ſedit annis tribus menſibus novem & ultra vir dignus officio.

Karolus Comes Provinciæ per mare Romam vênit occultè menſe Januarii, ejus exercitus per Italiam vênit eo anno menſe Decembris. Stella cometa diu apparuit.

Anno Chriſti MCCLXVI. menſe Martii Karolus Manfredum ſuperat prœlio agro Beneventano, perit Manfredus in prœlio, ſepultus eſt apud pontem Sancti Germani.

Anno Chriſti ſequenti in hyeme Conradus filius Conradi Regis Veronam vênit cum exercitu Germanorum.

Rex Carolus tunc obſedit oppidum, quod dicitur Podium Boniti. Florentiam diu obſeſſam in deditionem accepit. Gibellini incluſi incolumes abierunt.

Eo anno Cremonæ pars Eccleſiæ recepta in pace operâ Legati Eccleſiæ, cujus fraude pars altera ſcilicet Gibellina eſt emiſſa.

Ipſo quoque anno, die Reſurrectionis Domini, Guelfi Gibellinos expulerunt Florentia.

Anno Chriſti MCCLXVIII. Conradus proles Frederici Imperatoris cum Germanis, Thuſcis, Romanis & Lombardis prœlium commiſerunt cum Karolo Rege certando de Regno Siciliæ, quod alter poſſidebat datum ab Eccleſia, alter perebat, ut juris aviti & paterni. Karolus cruenta tamen victoria prævaluit in prœlio. Henricus frater Regis Hiſpaniæ tunc Urbis Senator capitur.

Conradus ob juvenilem ætatem dictus Conradinus inde abiit, & cum paucis tentans intrare, quod pro magna parte in Karolum ſeceſſerant, mare ingreſſus navi capitur & Karolo traditur, Neapolim ducitur: ibi Carolus contra eum tulit ſententiam capitalem. Decapitatus ibi cum Duce Auſtriæ & aliis paucis Proceribus, ibi ſecus mare in tumulis conditi ſunt.

Eo anno Tartari Sarracenos in Parthia ſuperant, urbem Baldach in ſuam redigunt poteſtatem, eorum Pontifex maximus nomine Calipus (Calipha) captus à viro ſuo ſuffocatur. Erat enim ei aurum inæſtimabile, de quo in tanta neceſſitate belli expendere non eſt auſus. Carolus Rex Nuceriam obſeſſam cum Sarracenis obtinuit in pacto.

Anno Chriſti MCCLXX. Lodovicus Rex Franciæ vir Sanctus Rex Siciliæ, Karolus ejus frater, Rex Angliæ Odoardus, & Rex Navarræ caſtra apud Carthaginem poſuerunt, ibi lue innumeri perierunt. Obiit Rex Franciæ ac primogenitus ejus, & Rex Navarræ; mox auro capio à Sarracenis diſceſſit exercitus.

Rex Angliæ inde profectus Acon pervênit. Eo anno menſe Julio moritur Aldigerius de Fontana veneno extinctus fraude Obizonis, quem creaverat Marchionem: poſt dies paucos frater & filius illius Aldigerii volentes res novas (moliri) Ferraria urbe diſceſſerunt exules

&

& cum eis Tureli (Taurelli) & alii nobiles. Ipſo anno Bononienſes juxta portum Primarii conſtruxerunt caſtellum, quod ne perficeretur, impedivit exercitus Venetorum ſedens in adverſa parte fluminis Padi, machinis pugnando.

Frater Albertus Theutonicus, Frater Thomas de Aquino ambo de Ordine Prædicatorum, Frater Bonaventura de Bagnareto Ordinis Minorum mox Cardinalis: horum trium virorum opera literis data mira leguntur & pulchra.

Seditio magna Bononiæ & initium cladis ejus urbis fuit petra, quæ literis continebat decretum, quo tenebantur cives Mutinæ tenere in pace, expulſos reducere, ſtudio Jeremiarum contra voluntatem Lambertatiorum extrahitur & conteritur.

Rex Hencius carcere Bononiæ moritur, in Eccleſia Prædicatorum ſepultus.

Gregorius X. Papa ſedit annis IV. & ultra juſtus & Dei cultor fuit, qui ut ſuccurreret Terræ-Sanctæ Concilium congregavit Lugduni, conſtituit decimas ab Eccleſiis exigi pro ipſo negotio, quatuor ſummos viros Cardinales fecit in conſilium ſibi: non autem elegit propinquos aut amicos, ut plurimi faciunt cathedram tenentes.

Bononienſes, licèt invita parte Lambertatiorum Forolivium obſederunt, nec obtinuerunt.

In Faventia Theobaldejus (ſ. Theobaldillus) introduxit Forolivienſes. Manfredi abierunt Faventia.

Bononiæ ſeditione partium igne, ferro, ac machinis pugnatum eſt per dies ultra XL. Demum Lambertatii, qui erant Gibellini, capto per dolum Principe ipſorum Caſtellano cum aliis IX. Primatibus ejus partis, cùm viribus eſſent impares parti Jeremiarum, qui erant Guelfi, qui habendo ſuos Principes majora ſubſidia habebant, urbe Bononia ſunt extruſi, ipſo anno pars Jeremiarum obſedit Faventiam, quæ vi Lambertatiorum eſt defenſa.

De Rodolpho Comite facto Rege Germaniæ electo in Imperatorem.

RODOLPHUS Comes Rex Germanorum eligitur: vir juſtus & ſtrenuus, qui regnavit annis quaſi XX. Hic prœlio conſerto ſuperavit Regem Boemiæ ſibi obſiſtentem, qui prœlio occiditur, cujus filium Rodolphus non eſt perſequutus, ſed pace receptum eum ſibi generum fecit. Anno Chriſti MCCLXXV. Beati Antonii menſis Junii Bononienſes copioſo exercitu tranſito ponte Sancti Proculi agrum Faventiæ populabantur, tunc Guido de Monteferetro Dux Lambertatiorum exulum Faventinorum & Forolivienſium exeunt Faventia contra hoſtes. Stipendiarii equites Bononiæ ſtatim aufugiunt, deinde omnis equitatus ante pugnam conſertam: ibi fuga & cæde. Omnis peditatus Bononiæ à ſuis equitibus deſtitutus captus aut cæſus. Guido minor de Polenta eo anno occupavit Ravennam, excluſis adverſariis ejus.

Innocentius Quintus Papa ſedit menſibus V. & dieb. *, hic de Ordine Prædicatorum electus Cardinalis à Gregorio X. propter ejus præſtantiam. Adrianus V. Papa ſedit dies XXXIX. natione Genuenſis.

Joannes XXI. Papa ſedit menſibus VIII. Dei judicio palatium ſuper eum corruit novum, nec nullum præter eum læſit; non ſtatim expiravit, ſed potuit confiteri.

Nicolaus Tertius Papa ſedit anno, hic pecuniam collectam ex decimis Eccleſiarum pro Paſ-

A ſagio expendit ſuo arbitrio. Conſtrui fecit palatia maxima, & pomerium apud Eccleſiam Sancti Petri, ut Pontifices Romani delectatione ejus loci, & Curiæ ibi manerent.

Per hæc tempora Antonia fœmina Mutinenſis ante annum XL. ætatis ejus ex viro concepit filios XLII. Nam tantæ fœcunditatis fuit, quòd aliquando V. aliquando tres filios uno partu ederet, undecies autem gemellos edidit, tandem in partu defecit. Exules Vice-Comites Mediolani occiſo apud Dexium oppidum Mediolani Franciſco de Turri, ingreſſi ſunt Mediolanum, Neapolio Princeps familiæ de Turri, & aliqui alii ſui generis capti, & carcere truſi, reliqui aufugerunt.

B Eo anno Lambertatii exules Bononiæ per Bertholdum de Urſinis primum Comitem Romaniolæ in Bononiam acerba pace inducti ſunt. Ipſo anno, vigilia Natalis Domini, Lambertatii ſentientes adverſarios cives iniiſſe conſilium de eos expellendo, primi plateam occupaverunt armis, demnm cùm viderent ſe deſtitutos ab aliquibus Jeremiis, qui ſpem dederant auxilii, Bononia aufugerunt: in eos non fuit ſævitum cædibus, ſed potiùs ſervati ab hominibus partis adverſæ.

Facta eſt foſſa per Ferrarienſes inter Argentam villam Conſandoli, quæ caput habet juxta Padum. Veneti navibus habendo machinam urbem Anconam maximè vexaverunt bellando.

C Martinus Quartus Papa ſedit annis IV. & ultra: hic bello afflixit in Romaniola Gibellinos. Sicilia à Carolo Rege defecit, omnibus Francis occiſis, tam Religioſis, quam Laicis.

Eo anno pugnatum eſt Kalendis Maji in ſuburbio Foro-livii per Joannem de Appia Comitem Romaniolæ, & Sequaces contra populum Forolivii, Duce eorum Guidone Comite de Monteferetro. Ibi cædes maxima fuit utriuſque, tandem Forolivienſes victores fuerunt.

Forolivium urbs ſubacta eſt à Joanne de Appia Comite provinciæ ejus. Foſſæ urbis oppletæ ſunt, & poſtes portarum ablati.

Karoli Regis Siciliæ Karolus filius claſſe captus eſt à Siculis apud portum Neapolis cum
D multis Proceribus: omnes malè perditi præter ipſum & alios novem per eum electos vitæ ſervatos. Genuenſis claſſis apud portum Piſanum claſſem Piſanorum diſſipat, XIV. millia hominum capta, III. millia necata.

Honorius Quartus Papa ſedit annis tribus, & ultra.

Rex Franciæ Philippus in Aragoniam duxit exercitum, cepit urbem Zirundam, mox in ejus exercitu fuit tanta lues muſcarum & fames, quòd multitudo virorum & jumentorum periit, etiam ipſe Rex ibi obiit.

Petrus Rex Aragonum eo anno moritur. Rex Siciliæ Karolus mœrore rerum adverſarum in regno ſuo moritur menſe Januario: moritur
E etiam Papa Martinus menſe Martio.

Honorius III. Papa ſedit annis tribus & ultra, genere Romanus. Nicolaus Quartus Papa ſedit anno: hic fuit Miniſter Generalis Minorum, mox Cardinalis. Eo anno ante Feſtum Natalis Domini Opizo Eſtenſis Marchio ipſius opera ſub dolo Domiuus Mutinæ ordinatur.

Aretini apud Bibienam prœlio maximo conſerto à Florentinis expugnati ſunt, ibi fuit cædes fortiſſimorum virorum utriuſque partis. Epiſcopus Aretii eo prœlio armatus cecidit, auctor periculi.

Civitas Tripolis in Syria à Sarracenis capta, incenſa, & ſubverſa præter parvulos & mulieres.

Marchio Montisferrati ab Alexandrinis dolo captus eſt eo oppido, ibi etiam veneno extinctus eſt.

Eo anno Ravennæ Stephanus de Dinazano Romanus Comes Romaniolæ cum omni equitatu ſuo captus eſt à Polentenſibus ejus urbis Principibus. Civitas Acon Syriæ XL. diebus pertinaciter præliis impugnata, jam parte murorum dirupta, ab innumero Sarracenorum exercitu capitur, incenditur, & tota ſubvertitur.

Caſtrum Baldum apud flumen Athicen, conſtruitur à Paduanis.

Opizo Marchio Dominator Ferrariæ, Mutinæ, & Rhegii fraude filiorum duorum in lecto ſtrangulatur, quia tertio filio minori ætate ſibi non inobedienti Dominium Ferrariæ conferre parabat.

Paduani diruunt Arcem Eſtenſem; Caſtella Cerrum & Calaonem ſubvertunt in odium Azonis Eſtenſis.

De Adulpho Rege Germaniæ electo Imperatore.

ADulphus genere Germanus Rex Germaniæ ordinatur, huic parère contempſit Adalbertus Dux Auſtriæ, filius Rodulphi quondam Regis Germaniæ. Cùm ad pugnam campeſtrem Rex & Dux conveniſſent, Rex fortiter pugnando cecidit. Dux fuit ſuperſtes. Cœleſtinus V. Papa ſedit menſibus IX. vir Anachorita, qui mox, ut liberiùs vacaret Deo, Papatu abdicavit ſe, ac peregrè profectus eſt. Qui mox à Rege Carolo traditur ſucceſſori ſuo, ac ſervatur cum clavi ab illo. * Demum ibi vitam finivit, ut aiunt.

Bonifacius VIII. Papa ſedit annis X. Hic conſtituit Feſta Apoſtolorum & Evangeliſtarum ac quatuor Doctorum Eccleſiæ, ut Paſchalia celebrari, Librum VI. Decretalium edidit; Duos Cardinalium exauctoravit, ſcilicet Jacobum & Petrum de Columna, eorum munitiones & palatia in Urbe ſubvertit.

Eo anno Magiſter Thadæus medicorum Magiſter Bononiæ moritur.

Azo Marchio Dominator Mutinæ bello impetivit Bononienſes, Bazanum reconſtruxit; cujus operâ Kalendis Aprilis Imola occupata à Gibellinis, cum quibus ſocietatem belli contra Bononienſes firmavit. Guido Comes de Montefeltro quondam bellorum Dux ſtrenuus abdicato ſeculo Ordinem Minorum ingreditur, in quo obiit.

Adulphus Rex Feſto Beati Joannis Baptiſtæ cum Adalberto Duce Auſtriæ prœlio congreſſus fortiter pugnando cecidit.

De Adalberto Rege Germaniæ.

ADalbertus Dux Auſtriæ, filius quondam Rodulphi Regis, Adulpho ſucceſſit in Regno Germaniæ, quo regnavit annis X. Genuenſes & Veneti mari Adriatico loco, qui dicitur Scurzola, prœlio navali confligunt, multi utriuſque partis ferro perierunt & undis, Genuenſes Victores, unde captivos & galèas plurimas duxerunt Genuam, quos captivos honeſtè tractarunt.

Anno ſequente compoſitione facta conditionibus æquis captivi ſunt reſtituti, & pax firmata.

Anno Chriſti MCCC. Bonifacius Papa celebritatem Veniæ inſtituit, quæ toto anno duravit, ſcilicet, ut quicunque verè pœnitens & confeſſus iret Romam & XV. diebus viſitaret Eccleſias Petri & Pauli, omnium peccatorum veniam promereretur, ac ſi Terram-Sanctam viſitaret, eo anno multitudo innumerabilis Romam confluxit.

Eo anno Mantuæ Guido Buteſella de Bonacoſſis expulſis patruis ſuis de Mantua Principatum occupavit, annum * Pinamontem honeſta conſervavit cuſtodia, quæ morte defecit.

Ipſo anno fructus arborum ultra ſolitum præmaturi; menſe Aprili vidi roſas & ceraſa edi, non tamen plenè matura, menſe Julio bibi muſtum ex uvis præcoquis.

Tartari Armeniam occuparunt, urbes ceperunt, Saracenos mag * expugnarunt * impedimento deſerti ab Ægypto abſtinuerunt. Stella cometes verſus Occidentem ſparſis crinibus apparuit menſe Decembri, quæ diu per Cœlum erravit.

Miſit in Italiam Papa Bonifacius Karolum fratrem Regis Franciæ. Fama fuit, quòd ex juſſu Papæ veniret compoſitor pacis civitatibus habentibus exules cives. Vênit itaque Florentiam, ut pacis compoſitor ab imprudenti vulgo ſtatim receptus protinus exules * Guelfi de parte, qui Nigrorum dicitur ſunt ſecuti, invitis Guelfis Blanchis, ingreſſi ſunt eam urbem. Karolus non obſtitit. Poſt modicum tempus Blanchi eliminantur, reliqui remanſerunt.

Rex Franciæ Philippus copioſum exercitum duxit in Flandriam callidis artibus magìs, quàm viribus. Flandrenſes Regi & ſuis cladem maximam intulerunt.

Innumeri equites, & Proceres Francorum perierunt incautè præcipitati in foveas inſtructas velatas ceſpitibus.

Tartari Syriam ſecundò ingreſſi eam ad votum populati ſunt, mox inde egreſſi ſunt.

Terræ motus in Creta permaximus adeò concuſſit, ut aqua maris impulerit in Civitatem Candiam tanto impetu, quòd omnia ædificia ſtravit, omnes homines ferè occidit, mox adeò retroceſſit mare ex portu urbis, ut, ubi aqua profunda erat, nunc nulla videretur. Arenæ fundi maris oculis hominum patuerunt.

Etiam totus ſinus Adriaticus concuſſus eſt terræ motu eodem.

Bonifacius Papa in Anagnia ejus patria ſtudio Regis Franciæ Philippi captus fuit, poſt paucos dies laxatus eſt, inde Romam vénit, propter illatam injuriam tabeſcens animo moritur, apud Sanctum Petrum ſepelitur in Eccleſia ſepulchro ſumptuosè, quod ſibi paraverat.

Benedictus XI. Papa ordinatur, qui ſedit menſibus IX. vel id circiter: hic Legatum ex latere miſit in Thuſciam ad Crucem prædicandam.

Cùm per Legatum pax facta videretur, ſubitò eſt reſciſſa fraude Florentinorum, quibus pax ipſa odioſa erat.

Idem Papa extinguitur impoſito adamante in ficu una ex illis, quæ ſibi appoſitæ fuerant, quibus avidè veſcebatur. Vacatio Apoſtolicæ Sedis fuit in annum ſequentem. Bellant Paduani cum Venetis propter ſalinas, quas fieri impediebant Veneti Territorio Paduano ſitas, juxta maris lacunas.

Clemens V. Papa ordinatur in Guaſconia manens; hic Archiepiſcopus Burdelenſis natione Guaſconus, aſſumpto Papatus officio ad ſe vocavit Cardinales & Curiam, duos Cardinales de Columna exauctoratos olim per Papam Bonifacium priſtinæ reſtituit dignitati; Concilium vocavit Viennam, Templariorum Ordinem irritavit.

Con-

Confirmavit Henricum Imperatorem, in Urbe * Clericatum, ac per Cardinales, quibus commiſit negotium, coronavit eum Imperatorem in Urbe. Piſtorium diu obſeſſum à Florentinis & Lucenſibus, tandem cùm fame penè deperirent cives, per deditionem habent. Mœnia diruta ſunt tota, exules inducti, eliminati ſunt alii.

Zotus pictor eximius Florentinus agnoſcitur; qualis in arte fuerit teſtantur opera facta per eum in Eccleſiis Minorum Aſſiſii, Arimini, Paduæ, ac per ea, quæ pinxit Palatio Comitis Paduæ, & in Eccleſia Arenæ Paduæ.

Adversùs Maſæum Vicecomitem, Populi Mediolani Principem,. Cremonenſes, Placentini, Papienſes & alii Populi urbium vicinarum Mediolano inierunt ſocietatem belli, præfecto ſibi duce belli Alberto de Scotis Placentino, quia pertæſum erat eos potentiæ ejus Maſæi ſibi formidoloſi: junctis ſibi illis de Turre, qui eo tempore exulabant, in agrum Mediolanenſem copioſum duxerunt exercitum.

Temptatum eſt de conditionibus pacis, actum eſt demum, ut Maſæus deſineret principari, & reciperet exules. Confeſtim Turriani in Mediolanum irruunt, civitatem occupant, Maſæo excluſo: hoc Alberto de Scotis diſplicuit; ſed fraudem emendare non valuit, cùm aliis ſociis belli placeret. Mutinæ populus tyrannidem Azonis Eſtenſis perhorrens, cùm omnibus ſævus eſſet atque terribilis, à cervicibus ſuis jugum ſervitutis excuſſit; quo acto, populus Rhegii idem fecit, poſtridie arces, quæ in ipſis urbibus erant, ad præſidium ſervandæ tyrannidis confeſtim dirutæ ſunt à populis avidis libertatis.

Bononiæ fuit rerum mutatio: nam orta ſeditione inter eos, qui libertatem publicam conſervaverunt contra vexationes illatas ab Azone dominatore Mutinæ, à quo ædibus, igne, ac direptionibus ſævitum eſt contra eos, qui auctores fuerant libertatis ſervatæ: itaque relegati ac proſcripti cives, qui Azoni favorabiles viſi fuerant, propugnatores populi contra Azonem creant ſibi ad facinora unum ex plebe Beccarium, quem nominant Barixellum. Gibellini ac Guelfi, qui non erant complices, iſtis prævalentibus, ſævè vexati ſunt & excluſi.

Eccleſia Laterani concremata eſt funditus incendio vicino ex ædibus. Confeſtim ut reſtaurarent eam & viri & mulieres certatim devotis animis inſtiterunt operi, opibus ac corporibus propriis adjuvando.

Terræmotus magnus Arimini ædificia multa concuſſit & ſcidit, quemdam etiam ſtravit in humum.

Azo Eſtenſis tyrannus Ferrariæ in exitu menſis Januarii moritur. Freſcus, quem tenuerat ut filium, ex pellice conjugata, favore aliquorum dominium Ferrariæ (obtinuit.) Rex Germaniæ Kalendis Maji à filiis fratris ſui occiditur.

Magiſter & milites Fratrum Ordinis Sanctæ Mariæ de Templo delati à Philippo Rege Franciæ, quia turpiter vixerunt, capti ſunt in Francia juſſu Clementis Papæ, & eorum bona ſequeſtrata ſunt per Orbem.

Populus Ferrariæ auctore eorum Epiſcopo Guidone, jugum, quod ſubierant; preſſuræ Marchionum de Eſte, à cervicibus ſuis excuſſit.

Freſcus, qui Dominium Ferrariæ occupaverat, latitavit apud præſidium Venetorum, quod illuc vocaverat contra eos, qui adversùs eum exercitum duxerant; arcem Caſtri Tedaldi tradidit Venetis. Cùm populus Ferrariæ arcem peteret, nec daretur, orta eſt ſeditio. Subitò Veneti irruentes ex arce regionem arci vicinam incendunt, mox navibus eorum deſcendunt per Padum, & ferè omnes naves civium incendio comſumpſerunt; bellum inde ortum eſt, utrimque ſpiculis certatur ac machinis: tandem ſecundo menſe belli cœpti cives Ferrariæ coacti pacem expoſcunt, quam Veneti ſuperbè dederunt eis fœdis conditionibus & iniquis, ut inter alias conditiones pacis arcem tenerent, ac burgum arci contiguum & regimen civitatis haberent.

Anno ſequenti, menſe Aprilis pax ſcinditur, bellatur iterum, menſe Auguſto quidam ex Venetis nocte arcem deſerunt atque aufugiunt. Mane facto, qui in arce remanſerant, eam dederunt Legato Eccleſiæ, qui cum exercitu erat Ferrariæ, ipſam arcem, pontem, turrim, ac burgum occupat Legatus & munit.

Inde exercitus ducitur ad obſidendum caſtellum Sancti Alberti ſitum ſecus Padum in pertinentiis Ravennæ, quod Veneti conſtruxerant & tenebant, infra menſem caſtellum dederunt ſalvis incluſis perſonis: continuò ſpoliatur, incenditur atque diruitur.

Menſis Aprilis anni ſequentis horâ nonâ diei vel decimâ fuit Solis eclipſis non magna.

Venetiis fuit nova rerum mutatio. Quirini cives nobiles, qui arcem Ferrariæ deſeruerant, ſe civibus ſuis odioſos ſentientes, pro eo dominium urbis ſuæ occupare ſunt auſi, & occiſo Duce cum Optimatibus adverſæ factionis, cives adverſos expellere aggrediuntur, ſed deſeruntur, à civibus occiduntur, alii complures urbe diffugiunt.

Eo anno menſe Julio orta ſeditione Ferrariæ inter cives in partes duas diviſos, ſcilicet inter partem populi, quæ ſtudium libertatis agebat, & inter partem, quæ Marchionibus favebat; quidam ex parte populi palatium majus, quod Marchionum fuerat, incenderunt, quia ex illo jaciebantur lapides in homines populi, qui * planebant: tandem per aliquos populares viſum eſt ſedare ac emendare quod geſtum eſſet non bene. Agitur de concordia cum Nuntiis Eccleſiæ, qui erant in arce; actum eſt Priore Prædicatorum Fratrum mediatore, ut totius ſcandali eſſet oblivio, & populus Eccleſiæ parcat & emendet, ſi quid violatum eſt. Vocati ſunt igitur à Nuntiis Eccleſiæ in arcem Officiales populi, & ex Optimatibus civitatis multitudo non parva, ut in arcem irent ad Nuntios Eccleſiæ ad conditiones concordiæ confirmandas.

Incauti cives arcem introeunt, quidam ingredi abnuerunt timentes, capti cuſtodiuntur.

Vocantur tunc Bononienſes, Eccleſiæ Nuntii concurrunt confeſtim, civium domos ac Religioſorum indifferenter avarè diripiunt, plurimi civium metu Bononienſium clamantium, moriantur Gibellini, Urbe aufugiunt, ex civibus captis non dato ſpatio temporis ad confitendum peccata (poſt) ſententiam mortis nudos educunt circiter 28. quos in platea communis furcis ſuſpenderunt, ut fures, & diebus plurimis ſic eſſe noluerunt ad tam triſte ſpectaculum.

Multi ex iis, qui aufugerunt, proſcripti ſunt, & eorum bona Eccleſiæ confiſcata; quidam etiam, qui abierant tempore ſeditionis etiam proſcripti ſunt, alii relegati diviſim. Ab eis autem, qui incluſi ſervabantur in arce, ſunt maximæ extorſiones nummorum factæ & laxati.

Quidam incluſi ſunt carcere, & nihilominus extorſiones plurimæ factæ, ut carcere laxarentur, quibus etiam datâ pecuniâ fides promiſſa ſervata eſt.

Ipſo

Ipſo quoque anno in Romaniola fuit rerum mutatio, poſtquam Guelfi Italiæ ſenſerunt Henricum Imperatorem electum in Italia venturum datâ operâ efficiunt, ut Provincia Romaniolæ per Summum Pontificem daretur Regi Roberto eam provinciam pace compoſituro.

Gibellini tunc in Imola, Faventia, Forolivio ac Britinorio prævalebant, in reliquis locis Guelfi.

Itaque Rex Robertus Præfectum ſuum miſit, qui Provinciam obtineret: vênit Præfectus, paruerunt omnes, credentes pace quieta gaudere; reduxit Præfectu exules in omnes civitates, excepto dumtaxat Arimino, tunc vita eſt prudentibus res ſuſpecta.

Parebant omnes Præfecto provinciæ, dummodo menſuram æqualiter ſervaret. Guelfis odioſus eſt factus, data eſt opera apud Regem, ut hunc amoveret, alium ſurrogaret; ſic factum eſt, miſſus eſt alter, vir ſeverus, & alter. Hic Princeps Gibellinorum, alios cepit & truſit in carcerem, alios relegavit.

Gibellini conſternati diffugiunt, qui manſerunt alii oppreſſi calumniis, quidam occiſi, tota provincia in Guelforum poteſtate remanſit.

Caſtella etiam Gibellinorum erant, ut plurimùm capta & dirupta, in * invictum tamen bacchanalium reducti fuerunt Gibellini per præfectum provinciæ.

De Henrico Auguſto.

HEnricus Imperator electus menſe Decembri Anno Chriſti MCCCX. in Italia non cum multis vênit equitibus Papiam, mox Mediolanum intravit pacificè, exules Mediolani reduxit.

Principio anni ſequentis apud urbem Mediolani corona ferrea ſecundùm morem coronatus eſt, reduxit exules in civitates ſuas, paruerunt ei omnes urbes Liguriæ præter paucas obedientes Regi Roberto. Reduxit in Brixiam Theobaldum Bruxatum hominem factioſum, atque, ut eum ſibi fidum ac benevolum faceret, paſſus eſt eum Theobaldum compatrem fieri in Baptiſmate filio Imperatoris noviter nato ac cum præ ceteris honoravit. Conſilium inierunt Florentini & Bononienſes, ut obſtarent Henrico, qui exules reducebat in urbes.

Itaque impleverunt promiſſis omnes Principes partis Guelfæ, ne parerent Henrico, quem imprægnatorem vocabant, & cives Gibellinos ex urbibus pellerent, ſubitò ubique rebellant.

Guidotus de Turri, qui Mediolanum Princeps oppreſſerat, temptat armis per inſidias Imperatorem opprimere, ipſe verò vi opprimitur & urbe illa expellitur.

Cremona expelluntur Gibellini, qui nuper redierant; Vicarius Imperatoris expellitur. Mantuæ Guelfi reducti conati ſunt expellere concives, verùm ipſi expelluntur, armis expulſi. Brixiæ Theobaldus Brixatus, expulſis fraude concivibus, qui eum juſſu Imperatoris pace receperant, Imperatori rebellat, ac omnes adverſarios Imperatoris recepit, obſequentes expellit. Imperator eos oppreſſit, qui Cremonam fecerunt; obſedit Imperator Brixiam exercitu maximo ferè menſibus V. Theobaldum fortuna in manus Imperatoris obtulit: invitatus, ut ſcriberet complicibus ſuis, ut Brixiam darent Imperatori; ſcripſit eis, ut urbem defenderent, quoniam oportebat Imperatorem proficiſci Romam pro ſuſcipiendo coronam: Literis receptis & lectis Theobaldus trahitur per exercitum, mox

A in quatuor partes corpus ejus partitur abſque capite, caput & ſingulæ partes diviſim altis trabibus in patibulis ſuſpenduntur menſe Septembri.

Brixia coacta omnium rerum penuria deditionem fecit: in eos Imperator non ſævit.

Eo anno Vicentia à Paduanis defecit, ut à longinqua Paduanorum oppreſſione liberi forent.

Concilium à Clemente Papa in Gallias convocatur Viennam.

Henricus Imperator Gibertum de Corrigia ſibi fidum putans Regii præfecit Vicarium: Urbem quoque Parmæ fidei ſuæ commiſit; ditionem quoque Guaſtallæ ei contulit.

B Compoſito ſtatu urbium Lombardiæ, ac Marchiæ Trivifinæ, cùm pax eſſet ubique eorum locorum, Imperator cum copiis ſuis, inſtante tempore hyemali, profectus eſt Genuam, ibi manſit uſque in ver anni ſequentis.

Interim Gibertus de Corrigia primò occultè adverſatus eſt Imperatori confœderatus cum Florentinis, Bononienſibus, ac cæteris, qui adverſabantur principi Romano, & primò exules Cremonæ Guelfos adjuvit, ut in Cremonam intrarent.

Qua occupata, per adverſarios Imperatoris apertè Parmam ac Rhegium rebellavit; tum Paduani ab Imperatore deficiunt, ac hoſtes fiunt illius, Vicentiam impetendo.

C Rizardus de Camino Vicarius Imperatoris in Triviſio, quia obediebat in fide manens, fraude fratris ſui, * Guelforum de Padua occiſus eſt ab homine ignoto, qui ſtatim occiditur ab eo, cujus inductu homicidium fecerat.

Comes quoque Philipponus, qui Princeps Papiæ erat, & Guelfus, ab Imperatore defecit.

De Henrico coronato Romæ.

ANno Chriſti MCCCXII. inſtante vere novo Princeps Romanus de Genua profectus eſt Piſas, inde Romam pervênit, plurimas Urbis munitiones occupaverant Urſini, introducto Jo-
D anne fratre Regis Roberti.

Imperator per vim Romam ingreditur, favore etiam eorum, qui illi parebant, intra mœnia Urbis bellatur; omnes tandem munitiones ſibi obſiſtentes armis cepit, præter Caſtellum Sancti Angeli, & locum Beati Petri, quæ tenebant Urſini.

Imperator tamen Feſto Pentecoſtes vel Aſcenſionis in Laterano, coronatus eſt per Cardinales, quibus commiſſum erat negotium à Summo Pontifice Clemente V. Dum quotidie bellaretur in Urbe, utrique parti Summus Pontifex juſſit, ut Urbe abirent; paruerunt mandato. Henricus Auguſtus in Thuſciam veniens damna maxima intulit Peruſinis, pervênit Aritium, inde
E magnum Florentiæ duxit exercitum: obtinuit Caſtella, & poſuit Florentiam in timore. Erant tunc Auguſto copiæ, ut ajunt, equitum mille quingentorum, ex Germania, peditum verò VI.

Florentinis verò erant equites cum auxiliis tria millia quingenti, peditum verò XL. millia, non tamen auſi ſunt ſe committere prœlio ſignis collatis aliquando aggreſſi Imperatoris gentem, clade accepta, digreſſi ſunt inde.

Eo anno Concilium Viennæ ſolvitur, in quo inter cætera decreta exauctoratus eſt Ordo Militum Sanctæ Mariæ de Templo; ejus Ordinis bona collata ſunt per Summum Pontificem Ordini

dini Hoſpitalis Sancti Johannis Hieroſolymitani, qui eſſet ubique terrarum, præterea quæ habebant in quatuor Regnis, Hiſpaniæ ſcilicet, Regno Caſtiliæ, Portugalliæ, Aragoniæ & Majoricano. Ipſo etiam anno bellum infeſtum agitur inter Paduanos, factos adverſarios Imperii, & inter Vicentinos, quos ſuſtinebat Vicarius Auguſti, idest Princeps Veronæ, cui nomen eſt Canis de Scala, vir juvenis acer & ſecurus prœliorum diſcrimine.

Hoc anno ferè per omnem Italiam maxima caritas annonæ, vini & eſcalium cunctorum, quæ permanſit per annum: hominum etiam mortalitas maxima magìs virorum, quàm mulierum, magìs etiam locupletum, quàm egenorum.

Ipſo anno menſe Auguſto Franciſcus filius Opizonis quondam Marchionis de Eſte, poſtquam obtinere non valuit à Papa, ut conſtitueretur Vicarius in dominatu Ferrariæ, molitus eſt, ut vi aut fraude ejus urbis occuparet dominium. Molitionibus ejus conſentiebant Guelfi vicinorum locorum. Præſenſit hoc Dalmaſius miles Catelanus illi præfectus ubi per Summum Pontificem: cùm inſtaret tempus aggrediendi negotium, ipſe Franciſcus horâ meridiei causâ aucupii cum paucis inermibus exivit in agros.

Dalmaſius portas civitatis claudi fecit præter unam, qua venturus erat Franciſcus, illuc armatos miſit, qui Franciſcum ingredientem ad eum ducerent, ſi reniteretur, eum perimerent; interim convocato conſilio paucorum civium, ejus Franciſci fratrem Aldobrandinum & complices capi juſſit & ſervari.

Introëunti portam urbis Franciſco, dictum eſt ab eis, quibus datum erat negotium ejus rei, ut coram Dalmaſio urbis Præfecto pro Summo Pontifice compareret; abnuit dicto Franciſcus, ac gladium, quo cinctus erat, confeſtim exemit dicens; *quis mihi vim inferret?* eum fuſte ferreo percuſſus eſt capite à fratre naturali Dalmaſii. Tunc cæteri irruunt in eum, confoditur pugionibus, occiditur, expoliatur nudus; confoſſus eſt tragulis Catelanorum peditum vulneribus L. vel circiter.

Deteſtanda res agitur, nudum corpus in via juxta portam Leonis relinquitur, ibi manſit horis ferè duabus; habitâ licentiâ inde aſportatur per Fratres Prædicatores; complices ejus diffugiunt, aliqui capti, qui ſuppoſiti ſupplicio confeſſi ſunt conſilia Franciſci inita ad occupandum ejus civitatis dominium: ex eis quatuor damnantur ſuſpendio, aliqui capti, aliqui proſcripti, aliqui relegati.

Principio anni ſequentis cum exercitu ſuo manſit Auguſtus apud Vicum, qui dicitur Sanctus Caſſianus, diſtans à Florentia circiter VIII. millia paſſuum.

Hic locus versùs Senam ſitus, commodus eſt habitaculis multis ac pulchris: ibi hyemando damna plurima intulit in agro Florentiæ, atque Senenſium. Facto vere Podium Bonici reſtauravit priſtino loco in monte. Hoc oppidum viris frequens olim deſtructum fuit à Karolo Primo Rege Siciliæ; deinde incolæ habitacula poſuerunt in montis radicibus: nunc in cacumen montis eſt loco priſtino reconſtructum natura loci prætutum. MCCCCII. die XI. Februarii, quod fuit primum Sabbathum Quadrageſimæ, apparuit ſtella vocata Cometa futurorum malorum prænuncia, habens caudam, ſeu potiùs comam à parte ſuperiori, quæ apparuit per totam Quadrageſimam augendo quotidie aliqualiter comam, uſque dum fuit ad menſuram unius perticæ & ultra: in Hebdomada autem Sancta per tres dies ejus coma mirabiliter crevit in modum flammæ longiſſimæ, ita ut prima die videretur eſſe brachiorum XXV. ſecunda die brachiorum ferè C. tertia verò brachiorum CC. & ultra; & ulteriùs non apparuit de nocte, ſed poſtea apparuit de die per dies octo ſequentes diem Mercurii Sanctum, apparens juxta Solem, habeo caudam, videbatur ab uno brachio uſque ad duo brachia, nec Solis lumine obſcurabatur, quin videretur; quæ admirationem & magnitudinem futurorum malorum & timorem intelligentibus intulit.

De natura autem Cometarum & earum ſignificationibus ſic ferè ſcriptum reperi per Doctores Philoſophiæ, cùm illum vidiſſem exiſtens Vicarius in Mediolano; primò quòd Cometa, ſecundùm Philoſophum, eſt ſtella à materia exhalationis calidæ & ſiccæ & igne cauſata, & quòd Cometarum novem ſunt ſpecies; & quandoque apparet magna, quandoque parva, quandoque habet comam circumquaque diſperſam, quandoque ad unam partem tantùm & tunc vocatur barbata; quandoque retro & tunc dicitur caudata; quandoque cauda ejus brevis eſt, quandoque valde longa & tunc talis vocatur trabi. Joannes verò Damaſcenus dicit, quòd tales ſtellæ non ſunt ex his, quæ à principio genitæ ſunt, ſed divina juſſione conſtituuntur, quæ peracto ſuo curſu diſſolvuntur & ſic miraculo ē & naturaliter* fuit, quòd in eis nulla naturalis cauſa ſit, item quòd omnes Cometæ univerſaliter ſignificant malum, in quo concordant omnes Philoſophi & Aſtrologi, ut habetur à Ptholemæo libro II. capitulo III. de hoc inquit Plinius Philoſophus, quòd Cometa eſt terrificum ſidus: & Virgilius ſic ait:

Sanguinei lugubres rubent in nocte cometæ.

Et Claudianus Poëta:

Et nunquam cælo ſpectatum impune cometam.

Item quòd Cometæ multa mala futura ſignificant & prænunciant, & primò ventos aut magnitudine aut multitudine, de quo Statius ſic ſcribit:

Ducunt aut ratibus ventos, aut urbibus hoſtes.

Et hoc idem aſſerit Ariſtoteles quia pluries expertus eſt. Cauſa eſt, quia, cùm, ſecundùm Philoſophum, ſit ex exhalatione calida, denotant cauſam & magnam abundantiam talium exhalationum, quæ ſunt magna cauſa ventorum. Secundò ſignificant terræmotus, ſubverſiones civitatum, & cauſa eſt, quia multitudo exhalationis eſt cauſa terræmotus; quoniam eſt incluſa in terra. Ponitur exemplum de duabus Inſulis in mari per terræmotum ſubmerſis, de quibus Anaxagoras, Ariſtoteles, & Seneca referunt. Tertiò ſignificant inundationem aquarum, & hoc per aliquod accidens, non per ſe; quia per ſe ſignificant ſiccitatem, cùm ſiat ex exhalatione calida & ignea. Quartò ſignificant per ſe ſimpliciter ſiccitatem, ſecundùm Ptholomæum, ut prædictum eſt. Quintò ſignificant ſterilitatem & famem; uti dicit idem Ptholemæus in fine Centiloquii: cauſa eſt propter nimiam ſiccitatem & malam exhalationem talium alterantium, & terras diſponentium ad herbas malas. Sextò denotant mortalitates & epidemias & mortes ſubitas & febres acutas, ut inquit Ptholemæus; eſt cauſa, quia in tali multitudine exhalationum ſunt aliquæ venenoſæ & infectivæ, & tunc tota natura animantium eſt in magna colera, ſequendo diſpoſitionem temporis. Septimò ſignificant contentiones, rixas

&

& bella, & ſunt res feſtini motus, quæ movent citò omnem ſpiritum, ut dicit Ptholomæus; eſt cauſa, quia propter inordinationem temporum inordinantur complexiones, & accenditur colera, & homines fiunt magis iracundi. Octavò ſignificant mutationes Regnorum & Dominiorum, quia tale quid ſequitur ad guerras & bella, ut fuit tempore Cæſaris & Pompeji; unde Lucanus:

Obliquas per inane faces, crinemque timendi,
Syderis & terris mutantem Regna cometem.

Nonò ſignificant deſtructiones ſcripturarum & mutationes legum, ut refert Seneca in libro de Naturalibus, Decimò ſignificant mortes Princi- A pum, ut probat Al. per experientias multas. Aliqui tamen dicunt, quòd generaliter ſignificant mortalitatem, ſed magis Principum; alii autem, quòd habent ſuper Principem quaſdam ſpeciales influentias, quas non habent ſuper alios homines. Ultimò, quòd cometæ non ſignificant per modum cauſæ, ut aliæ ſtellæ, nec habent naturalem influentiam, ſed ſignificant per modum effectus; unde aliæ ſtellæ per cauſam ipſam cauſant alios effectus, conſequente quodam ordine; hi autem effectum oſtendunt. Inſuper per cometam ſignificantur non de proximo, ſed etiam de longo futura, & ſic in effectu monſtravit Cometa modò viſus,

PHI-

PHILIPPI DE LIGNAMINE
CONTINUATIO
CHRONICI RICOBALDINI
Ab anno MCCCXVI. uſque ad an. MCCCCLXIX.

Anno Chriſti MCCCXVI.

JOannes XXII. Papa ſedit annis XVIII. totus glorioſus fuit, quoad ſuit, quæ in activa vita exercenda ſunt: Conſtitutiones Clementis publicavit, & ad univerſalia ſtudia miſit: multos Sanctos canonizavit: Epiſcopatus pingues diviſit contra pluritatem beneficiorum, multa bona inſtituit; & Hæreticos præcipuo zelo damnavit. Declaravit edicto perpetuo hæreticum eſſe cenſendum aſſerere Chriſtum & Apoſtolos nil habuiſſe in proprio, vel communi: Item affirmare in Chriſto ejuſque Apoſtolis in his, quæ eos habuiſſe Sacra Scriptura teſtatur, nequaquam jus ipſis utendi competierit, nec illa donandi, aut ex ipſis alia acquirendi, erroneum & hæreticum.

De Ludovico IV. Imperatore.

LUdovicus IV. imperavit annis XXX. Hic fuit Dux Bavariæ, & coronationem Papæ contemſit: Quapropter ab eo depoſitus eſt, & multus ſibi labor, & pericula ſuccedebant.

Nixus eſt etiam ſcindere unitatem Eccleſiæ, & Fredericum Ducem Auſtriæ contra ſe Electum vicit, qui in contumacia ad finem durans, tandem Carolus contra eum eligitur, qui prævaluit, & Ludovicus equo lapſus ſubitò moritur.

Ordo novorum militum in Portugallia contra Sarracenos inſtituitur per Joannem XXII.

Judæi comburuntur per totam Alamanniam, qui puteos, & fontes toxicaverunt.

Carolus IV. imperavit annis XXXI. qui fuit Rex Bohemiæ, vir prudens & aſtutus juſſu Clementis fuit electus, adhuc vivente Ludovico, & quia humiliter Sancti Petri benedictionem ac Papæ coronationem expetiit, in omnibus bene directus fuit, & prævaluit contra omnes adverſarios ſuos. Multa ſtatuit, & præcipuè Legem favorabilem pro perſonis & rebus ſpiritualibus, quæ Carolina dicitur: Moritur divitiis & gloria plenus: ſepultus Pragæ.

Thomas de Aquino canonizatur Anno L. poſt obitum ſuum.

Thomas Epiſcopus Erfordenſis canonizatur.

Ludovicus Tholoſanus Epiſcopus canonizatur filius Regis Siciliæ Ordinis Minorum.

Pauperes de Lugduno, qui ſe dixerunt de tertia Regula Sancti Franciſci tanquam Hæretici ſunt combuſti pluribus locis & vicibus cum ſuis articulis erroneis. Unus articulus fuit, quòd Chriſtus & Apoſtoli nihil habuerunt in proprio vel communi, & quia nullum jus habuerunt in his, quæ Scriptura dicit habuiſſe.

Schiſma XXII. inter Joannem XXII. & quendam Petrum de Carbario Ordinis Minorum, cauſa fuit tyrannidis Ludovici. Sed hic Petrus venit ad pedes Joannis veniam petens, & obtinuit, tamen fuit conſervatus ut hoſtis omnibus diebus vitæ ſuæ.

Joannes Mandevil Doctor Medicinæ, & mi-

A les in armis, natione Anglicus, fuit circa hæc tempora, & mirabilem peregrinationem quaſi totius Mundi perfecit, & ſcripſit eam tribus linguis. Sepultus Leodii.

Odericus vir Sanctus de Ordine Minorum in Aſia & India evangelizando diſcurrit, miraculis clarus, & quatuor Sanctorum Martyrum corpora de civitate Hermes tranſtulit per mare ad ſuperiorem Indiam in civitatem Carram non ſinè miraculis, & deſcripſit peregrinationem ſuam.

Begardi multi combuſti ſunt Pariſius propter hæreſim Pauperum, quia ſub ſpeciem boni mala ſuſcitare conabantur.

Ventus magnus fuit, qui terram movit & undas, & ædificia ſubruit.

B Viſio flebilis facta cuidam Heremitæ in præſentia Innocentii Papæ VI. adhuc Cardinalis, unde, ait, *vidi animam in infernum deſcendere, ſicut nivem denſiſſimam, in purgatorium ſicut nivem rariſſimam. Sed ad Paradiſum tantùm tres vidi animas introire Sancti illius Epiſcopi, & illius viduæ Romanæ, & illius Prioris Carthuſienſis*, quæ omnia ſic reperit vera: & maximam devotionem ad Sacrum Ordinem Carthuſienſium deinceps habuit.

Aquarum inundatio fuit maxima non ex pluviis, ſed ex ſcaturientium terræ venarum, damna fecit infinita toto Orbe.

Bellum inter Philippum Regem Franciæ, & Eduardum Regem Angliæ fuit, & tanta ſtrâges ut mare Flandrenſe aliquot diebus tinctum ſan- C guine videretur.

Peſtilentia maxima fuit, ita quòd vix vivi ſufficiebant ad ſepeliendum mortuos: & multæ villæ deſertæ diu manſerunt.

Jubilæus mutatur per Clementem de C. in L. (annos) propter brevitatem humanæ vitæ.

Portentum ignis in Cœlo viſum eſt, & à Philoſophis vocatur Candelâ rotunda, & eodem anno MCCCLI. Circumflagellatores ſurrexerunt: hæc peſtifera ſecta ſurrexit in ſuperiori Alamannia & deſcendit ad inferiorem: demum ad partes Gallicanas: confluebant hujuſmodi ex diverſis doctis & indoctis, Nobiles cum ignobilibus: flagellabant autem ſe cum flagellis nodoſis acubus inſutis, & niſi Papa prohibuiſſet, multa mala attemptaſſent.

D Lector quidam Paulus negando Beatam Virginem conceptàm fuiſſe ſine originali peccato coram toto Clero in Cracovia cecidit, & expiravit in medio Sermonis. Henricus de Haſſia teſtatur.

Joanna Regina Franciæ virtuoſiſſimâ & humillima, & ut creditur Sancta obiit.

Benedictus Papa XII. Tholoſanus ſedit annis VII. menſ. III. dieb. XVII. & fuit Monachus Monaſterii Bellenſis Ordinis Ciſtercienſis, & vocabatur Jacobus de Furno ab infantia bonæ vitæ, & Magiſter in Theologia. Factus autem Papa reformavit Ordinem Sancti Benedicti & Ciſtercienſis, in quo neceſſe fuit. In largiendis

beneficiis durus fuit, &, ne indignis conferrentur, Decretalem edidit. *Benedictus Deus nij dom.*, & multos privavit: erat enim fervidus Fidei cum veritate zelator, & ob hoc multis minus carus: tantæ rigoroſitatis fuit, quòd conſanguineos vix cognoſcere voluit, dicens Papam conſanguineos non habere, & per eum declaratum eſt, quòd animæ ſanctæ, quæ nihil habent purgabile, primùm ſtatim, ut decedunt, faciem Dei vident, aliter ſentire, aut dogmatizare eſſe hæreticum MCCCXXIII.

Clemens VI. ſedit annis X. menſ. VI. dieb. XVI. Leonienſis fuit nomine & re totus virtuoſus, multaque per Benedictum rigoroſè facta mitigavit, & quoſdam privatos reſtituit, laudabilis fuit rigor ſeveritatis Benedicti, multò amabilior fuit benignitas Clementis; hic erat ſermocinator egregius, & ſermones multos collegit, nullum inconſolatum à ſe abire permiſit.

Sanctus Ivo Britho Doctor Martyr canonizatur; qui fuit advocatus pauperum & Sancti Viti. Anno Chriſti MCCCXXXIII.

Innocentius VI. ſedit annis X. Leonienſis fuit amator Religioſorum, & fecit fabricari in Regno Franciæ prope Sanctum Andream Monaſterium Ordinis Carthuſienſis, & multa privilegia eidem ſancto Ordini conceſſit; ibidemque ſepelitur, fuit Canoniſta maximus.

Wenzelaus Imperator imperavit annis XXIV. filius fuit prædicti Caroli Regis Bohemiæ, & adhuc patre vivente electus eſt in Regem, cùm puer eſſet, ſed non curavit de Imperio, & ideo poſt multas admonitiones tandem depoſitus fuit. Nobilem ejus indolem libidinoſa vita polluit, & fuit finis ejus ſine honore. Nimis enim degener erat à moribus & virtutibus ſui genitoris: nec unquam Imperiali diademate coronatus: Paterna autem probitas in Sigiſmundum fratrem ejus tranſiſſe fertur.

Terræ motus fuerunt per diverſa loca, & Baſilea tota cecidit cum diverſis caſtris in circuitu; tunc homines velut beſtiæ in ſilvis commorantur, nec civitates intrare audent, bella etiam plura, & peſtilentiæ, & fames fuerunt: Terraque in multis locis aquam albam & fœtentem evomuit, quæ caſtra & loca caſui ſortia dedit.

Tempora criminoſa propter Hæreſes & Sectas plures: & ſuperbia, & iniquitas invaluit nimis: unde in libro Beatæ Brigidæ primo c. XLV. dicitur, quod ſecundùm rigorem juſtitiæ Mundus meritò deberet perire, quia pejor erat, quàm tempore diluvii, ſed meritis Sanctorum miſericordia parcit ei.

Urbanus Papa V. ſedit annis VIII. fuit Abbas Maſſilienſis Ordinis Sancti Benedicti Decretorum Doctor, & Sanctus reputatur. Fecit Crucem prædicari contra Turchos, & paſſagium ordinavit, intoxicatus obiit; Ad ipſum Beata Brigida fuit miſſa à Chriſto pro confirmatione Regulæ: Brigida vidua ſanctiſſima de Regno Svetiæ clara habetur, multas revelationes habuit informativas ad omnem ſtatum Eccleſiæ; & Ordinem inſtituit, cujus ipſa Patrona eſt. Feſtum ejus agitur XXIII. Julii.

Ordo Salvatoris, qui vulgariter dicitur Ordo Beatæ Brigidæ circa hæc tempora inchoatur, cujus Regulas ipſemet Salvator dictavit.

Joannes de Rupe-ſciſſa de Ordine Minorum prædixit futura de duobus Anti-Chriſtis & deſolatione terrarum & generali conculcatione Cleri, & reductione totius Orbis ad Fidem Chriſti, pluraque alia ante annum Domini MCCCLXX. quæ dixit revelata à Domino Jeſu, ſed non evenerunt, & diu municulis tentus grandia ſcripſit de futuris.

Caterina de Senis Virgo incomparabilis ſanctitatis hoc tempore claruit, vitam ejus ſcripſit Raymundus Ordinis Prædicatorum confeſſor ejus, obiit anno Domini MCCCLXXX. Multùm juſtificavit partem Urbani VI. dicendo eum eſſe indubitatum Papam. Habuit ſecum virginem filiam Beatæ Brigidæ, & alios plures utriuſque ſexus homines venerabiles MCCCL.

Gregorius Papa XI. ſedit annis VIII. dictus fuit Petrus de Belforte Lenonicenſis Diœceſis obiit Romæ in pace Chriſti: poſt eum ſequitur tribulatio, quam Dominus Beatæ Brigidæ præoſtendit propter peccata Clericorum.

Urbanus Papa VI. ſedit annis XI. Qui electus fuit in Urbe propter vim Romanorum: ſed Cardinales hoc metu fecerunt, quapropter fugientes ad urbem Fundorum dixerunt ipſum non eſſe Papam & elegerunt loco ejus Dominum Robertum de Gibennis eodem anno, qui dictus eſt Clemens VII.

Clemens VII. qui habitus eſt Papa ann. XV. Et hic oritur ſchiſma XXII. omnium ſchiſmatum, quæ ante fuerunt peſſimum: adeò enim perplexum fuit ut etiam doctiſſimi & bonæ conſcientiæ viri non valerent diſcutere, cui magis eſſet adhærendum, fuit continuatum per annos XL. cum ſcandalo grandi totius Cleri & gravi jactura animarum, propter hæreſes & alia devia, quæ tunc pullularunt, eo quòd non eſſet diſciplina in Eccleſia contra hujuſmodi, & ideo ab iſto Urbano VI. uſque ad Martinum V. neſcitur quis fuerit Papa.

Feſtum Viſitationis inſtituitur ab Urbano VI. ſecundùm formam Sacramenti Euchariſtiæ propter impetrandam unionem merito Beatæ Mariæ Virginis.

Bonifacius IX. an. XV. eligitur Romæ loco Urbani, dictus fuit Petrus de Thomacellis & continuatur ſchiſma MCCCLXXXVII.

Benedictus XIII. ſedit annis XXII. electus fuit in Avinione in locum Clementis & dicebatur Petrus de Luna & perduravit uſque ad Concilium Conſtantienſe. Sed nec tunc quidem obedire voluit, & ſemper pertinax manſit moriens: tandem in Regno Aragoniæ juſſit ſuis Cardinalibus, quòd ſtatim alium loco ſui eligerent, & quod effecerunt, & idolum elevantes Clementem VIII. vocaverunt; ſed nihil profecerunt.

Rupertus alias Ropertus imperavit annis IX. Dux Bavariæ fuit & Comes Palatinus Rheni vir juſtus & Catholicus coronatus à Bonifacio IX. Hic cum grandi exercitu Alamannorum intravit Italiam contra Joannem Ducem Galeaze: ſed cum jactura gravi rediit dignus habitus, ut pro juſtitia pateretur.

Joannes Rusbroëth clarus habetur vir admodum devotus & illuminatus, multa ſcripta reliquit in Theutonico.

Hæreſis perverſa Joannis Wyclef in Anglia & Joannis Hus in Bohemia à Hieronymo de Praga pullulavit, & multos infecit, & ſub habitu ovino lupinam crudelitatem abſcondentes totum Eccleſiaſticum ſtatum ſubvertere nitebantur, adjuvit eos tempus peſſimum propter ſchiſma.

Innocentius VII. ſedit annis II. fuit electus Romæ, in locum Bonifacii: dicebatur autem Coſmatus de Aperuſio.

Gregorius XII. ſedit annis XII.

Sigiſmundus filius Caroli imperavit annis XXVII. fuit Rex Ungariæ, vir Chriſtianiſſimus & humillimus adeò devotus, ut meritò ca-

A canonizari debuiſſet juxta quorundam piorum vota; hic afflictæ Eccleſiæ pene deſolatæ ſua mirabili ſapientia & induſtria ſuccurrit, nec in aliquo ſibi ac ſuis pepercit, donec plena unio fieret, contra Turchos infideles. Novem bella habuit ubique triumphando. Quid ultra? quæ de Conſtantino, Theodoſio, Carolo, Otthone, cæteriſque dignis Imperatoribus laude digna ſcribuntur, huic ſecurè poſſunt applicari.

Cometa apparuit valde ſingularis Anno MCDVIII. & ſtatim poſt Leodium cecidit XL. M. interfectis. Et Domini Prutheni contra Regem Poloniæ bellantes ſuperati ſunt, occiſis XL. millibus.

Concilium Piſanum, in quo inchoata fuit
B materia de modo faciendæ unionis: duos enim depoſuit, & tertium ſubſtituit, & ſic pejor ſciſſura facta eſt, quia non valuit exequi bonum, quod decrevit.

Bohemia vaſtatur atrociter per Sigiſmundum, & Principes Alamanniæ propter hæreſim Huſſitarum, & fuit Crux data, & prædicata contra eos.

Concilium Conſtantienſe magnum, in quo Fides Chriſtiana, quæ jam multis annis quaſi titubare videbatur, fortiter exſurrexit: ibi ſchiſma peſſimum XL. annorum finitum eſt: ibi Hæreſes damnatæ, & duo Hæreſiarchæ, ſcilicet Joannes Hus & Hieronymus combuſti fuerunt, & plura bona inſtituta. Determinavit etiam eadem Sancta Synodus, quòd Concilium legiti-
C mè congregatum, repræſentans univerſalem, poteſtatem habet immediatè à Chriſto.

Franci in Turchia miſerabiliſſimè ceciderunt, propter ſuperbiam, quia noluerunt audire conſilium Sigiſmundi, & captus fuit Dux Burgundiæ, aliis interfectis. Qui poſt infinitum ſanguinem in Chriſtianitate vidit juxta præſagium cujuſdam Pagani Aſtrologi.

Itemque Joannes Dux Burgundiæ idem Regnum æquè laceravit, & ipſe traditoriè occiditur in conſpectu Regis Franciæ ſtatim poſt treugas initas, cùm ſacramentum divinum ambo ſumſiſſent, & ſequuntur multa mala longo tempore: Tandem Dominus Cardinalis Sanctæ Crucis Ordinis Carthuſienſis pacis modum inter
D eos reperit; ſed Angli noluerunt recipere: ſed Burgundi tantùm.

Alexander V. ſedit anno uno. Græcus fuit electus in Conſilio Piſano, dicebatur Petrus de Candia, & ſic additum fuit ſchiſma ſchiſmati: quia tres gerebant ſe pro Summis Pontificibus.

Joannes XXIII. ſedit annis IV. dictus erat Balthaſar de Cota; qui ſucceſſit Alexandro & primùm quidem bene inchoavit pro unione & fuit in Concilio Conſtantienſi: & obtulit ceſſionem Papatus: Sed poſt damnatus latenter fugit, & tamen nil profuit ei: Capitur tandem & ſic ceſſit coactus; factus etiam Cardinalis ſepultus Florentiæ, & hic ſchiſma XXII. quod duravit annis XL. finit anno Chriſti MCDXIV.

E Martinus Papa IV. Romanus ſedit annis XIV. fuit electus per Concilium Conſtantienſe, depoſitis aliis contendentibus, qui diu ſchiſma tenuerunt. Hic fuit Papa potentiſſimus, ſuper omnes dives, & Juſtitiarius, plateas & ſtratas publicas ſecuras reddidit, hæreticos delevit, multa bona patravit, & adjuvante ſibi inclyto Principe Sigiſmundo pro Terra-ſancta recuperanda, multos theſauros congregavit, ſed morte præventus res impedita fuit. Et Concilium etiam brevì ante mortem congregari juſſit in Baſilea, Anno Chriſti MCDXXVIII.

Eugenius IV. ſedit annis XIV. Hic erat dictus Dominus Gabriel de Venetiis; Fuit electus pacificè in Urbe, mortuo Martino, & indubitatus Papa. Sed poſtea breviter expulſus de Roma fuit ita, ut nudus fugeret: Item à Concilio Baſilienſi citatus & etiam depoſitus fuit. Sed non curavit; & hìc iterum oritur ſchiſma, quod duravit uſque ad mortem ejus. Qui favebant ſibi, multa laude digna de eo dixerunt, qui adverſabantur plura enormia ſibi impoſuerunt; tamen quicquid eſt, ante ſuſceptam dignitatem fuit vir abſtractæ vitæ & bonæ famæ: Ipſe etiam Romam recuperavit adjutus à Venetis, & majorem obedientiam habuit.

Albertus Imperator imperavit anno I. Electus eſt FrancKfordiæ, MCCCCXXXVIII. die XVIII. Martii. Fuit Dux Auſtriæ & gener Sigiſmundi, & ideo aſſumptus fuit in Regem Bohemiæ & Ungariæ, propter filiam ſcilicet ejus, quia alium hæredem non reliquit, hic electus fuit in Regem Alamanniæ, ſed ſtatim intoxicatus obiit, tantaque virtute præditus & adeò pius, ut tota plebs diceret, quod Mundus ejus præſidentia non eſſet dignus: reliquit unum filium parvulum, cui ſimile contigit, & duas filias.

Tres Soles hoc tempore viſi ſunt in cœlo & ſequutur ſtatim triplex regimen in Eccleſia. Scilicet Eugenii, Concilii, & Neutralitatis. Item Anno Chriſti MCCCCXXXIIII. fuit ventus maximus.

Concilium Baſilienſe, in quo multa bona inſtituta fuerant pro reformatione Eccleſiæ in capite & in membris habuit principium glorioſum & finem humilem & tribulatione plenum propter ſchiſma. Mirabilis rerum eventus! Prævaluit Concilium Conſtantienſe contra tres Papas, eos dejiciendo & quartum conſtituendo, cùm tot haberet adverſitates, & à nullo confirmatum fuit: Iſtud autem tanta auctoritate collectum & confirmatum, nec unum potuit vel in modico reducere ad normam ſui propoſiti, imò eſt contra: proceſſus ejus impeditus fuit ab uno. Ibi debile principium & finis glorioſus, hic contra ſchiſma XXIII. inter Eugenium & Felicem duravit annis XVI. & fuit res ſatis nova & ante hæc tempora non audita, quia Concilium Baſilienſe depoſuit Eugenium unicum & indubitatum Papam, & quòd non ſervaret decreta Concilii Conſtantienſis, ut dicebatur, nec obedire curavit Concilio Baſilienſi, aſſerens magis econtra debere fieri. Unde oritur magna altercatio ſcribentium de hac materia pro, & contra. Una pars dicit Concilium eſſe ſupra Papam, alia pars dicit, quòd non, ſed Papa eſt ſupra Concilium. Felix Papa V. ſedit annos IX. eligitur MCCCCXXXIX. die XVII. Novembris. Eugenius depoſitus fuit X. Julii anno eodem. Iſte felix fuit Dux Sabaudiæ Princeps devotus & ſenex, vidit filios filiorum ſuorum, cùm jam celebrem vitam duceret, electus eſt in Papam à Concilio Baſilienſi, depoſito Eugenio, & fuit ſchiſma longo tempore, & non habuit magnam obedientiam, quia neutralitas ſubintravit: tandem defuncto Eugenio ceſſit: Nicolaus propter favorem unionis factus Legatus Franciæ, & Cardinalis Sabinianus Papa creatur.

Fredericus III. imperat annis ..... Fuit Dux Auſtriæ electus in Regem Alamanniæ & diu diſtulit coronari à Papa propter ſchiſma: Tandem facta unione, à Nicolao V. cum magna gloria Imperiali diademate extitit in Urbe coronatus: vir utique pacificus & quietus & patientiæ ſingularis, nec odiens Clerum: filiam quoque Regis Portugalliæ duxit in uxorem.

Conſtantinopolis capitur à Turcbis, tradita per quendam Januenſem, qui poſt triduum à Turcho conſtituitur Rex juxta promiſſum; & die IV. decollatur: multi Chriſtiani trucidati ſunt, innumerabiles venditi: Imperatoris corpus jam mortuum decapitatum fuit livore Turchi, & periit penè totaliter Fides in Græcia.

Ludovicus Arelatenſis Epiſcopus Cardinalis moritur: vir ſanctæ vitæ ac miræ patientiæ, miraculis coruſcans, ſingularis columna Concilii Baſilienſis, cui diu præſedit.

Bernardinus Frater Minorum, qui novam reformationem inchoavit, moritur miraculis fulgens. Joannes de Capiſtrano diſcipulus Sancti Bernardini ſtatim poſt obitum Sancti Bernardini præfuit novæ reformationi, miraculis claret, moritur MCCCCLVI. habitâ victoriâ contra Turchos.

Bella plura in diverſis partibus diu continuata in Weſtphalia, in Rouſcia, in Flandria, in Anglia, in Romania, in Suevia, in Maguntia: Anno Chriſti MCCCCXLII.

Nicolaus V. ſedit annis VIII. Electus eſt in Urbe loco Eugenii adhuc pendente ſchiſmate, paulatim ubique obtinuit obedientiam, mirantibus cunctis, quòd vir humillimæ nationis ſic prævaleret contra Ducem Sabaudiæ, qui fuit quaſi affinis cunctis Principibus Chriſtianitatis. Sed ſtatim ſequenti anno vivo redit * cedente Felice, quia placuit Domino per abjecta Mundi glorificare nomen ſuum: Hic fuit Magiſter in Theologia totus activus, & in conceptu locuplex, multa diruta reædificavit, & grandem murum Romæ in circuitu palatii conſtruxit, & mœnia Romana reintegravit. Idem habuit annum Jubilæum anno MCCCCL. canonizavit Sanctum Bernardinum.

Calixtus III. ſedit annis III. menſ. V. Catelanus fuit, ſenex electus, & continuè infirmus: vir eleemoſynarius, adjutor pauperum nec potuit perficere ſuum zelum, quem contra Turchos concepit morte præveniente: Electus fuit anno Chriſti MCCCCLV. ipſo die S. Sixti, in quo feſtum Transfigurationis inſtituit.

Anno uno elapſo canonizavit Sanctum Vincentium: Feſtum autem Transfigurationis inſtituit pro gratiarum actione victoriæ miraculoſæ factæ contra Turchum in Ungaria. Victoria miraculoſa cœlitus datur Chriſtianis in Ungaria trans Danubium contra Turchum, & perdidit multos, & fugit turpiter timore hoſtium percuſſus, cùm nemo eum perſequeretur, ſola manus Dei terruit eos in die Sancti Sixti anno Chriſti MCCCCLVI.

Joannes de Capiſtrano præſens fuit ibi, & provocavit populum trepidantem ad perſequendum Infideles fugientes, & facta eſt ultio magna.

Cometa magna viſa eſt, terræ motus magni in toto Siciliæ Regno, & in Neapoli ædificia plura terræ motu ſunt diruta.

Alfonſus Rex Aragoniæ & utriuſque Siciliæ vir Regno dignus, virtute præditus, & viros doctos honore & donis proſequebatur. liberalis, humanus, & affabilis diem ſuum obiit.

Æneas Silvii filius de nobili familia Picolominium urbis Senæ ortus, vir eloquens & orator bonus, poëtaque laureatus; Imperatoris Legatus ante fuit, & in Concilio Baſilienſi tractatum pro ejuſdem auctoritate ſcripſit: Ejuſdemque civitatis Epiſcopus, & Cardinalis Sanctæ Sabinæ: Romæ in Pontificem Maximum anno Chriſti MCCCCLVIII. XIV. Kalend. Septembris electus: Numerumque Pontificum ducenteſimum decimum nonum ſortitus, Pii Secundi nomen accepit.

Pius Secundus Papa ſedit annis V. menſ. XI. dies XXVI. idem Papa conventum Principum Chriſtianorum ad conſultandum de bello gerendo adverſus Turchos Chriſtiani Nominis hoſtes Mantuæ celebrandum indicit, & per menſem Januarium de ſua Sede Roma diſcedens, eò ſpretis difficultatibus omnibus alacri animo ſeſe confert.

Idem Regnum Neapolitanum, quod vulgò Siciliam citra Pharum nominatur, Ferdinando filio olim Alfonſi Regis Aragoniæ, ac ipſius Neapolis ſub cenſu annuo XLVI. mill. aureorum tradit, & eundem per Legatum Apoſtolicum in Regem coronat. recepto Benevento in ditionem Eccleſiæ, quod à Patre ejus invitâ Eccleſiâ detinebatur.

Idem Mantuæ pridie Idus Julii Epiſcopos Protonotariis Romanæ Eccleſiæ publico decreto præferri ſancit.

Jacobus cognomento Gutenberger, patriâ Argentinus, & quidam alter, cui nomen Juſtus, imprimendarum literarum in membranis cum metallicis formis periti, trecentas cartas quiſque eorum per diem facere innoteſcunt apud Maguntiam Germaniæ civitatem: Joannes quoque, Mentelinus nuncupatus, apud Argentinam ejuſdem provinciæ civitatem, ac in eodem artificio peritus totidem cartas per diem imprimere agnoſcitur.

Mantuæ ad Kal. Octobris in publico Chriſtianorum conſeſſu bellum triennale adversùs Turcharum gentem unanimiter gerendum decernitur.

Secundo Kal. Januarii decretum eſt ad bellum adversùs Turchos adminiſtrandum, ut Sacerdotes decimam, Judæi vigeſimam, Populares trigeſimam ſui cenſus partem Pontifici Maximo viritim pendant.

Quarto Nonas Januarii Beſſarion Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis, cognomento Nicenus, in Germaniam provinciam bello furentem pacandæ gentis causâ, ductandæque eam adversùs Turchos legatur.

Decimo quarto Kal. Februarii idem Pontifex rebus à ſe jam bene diſpoſitis ad bellum Turcenſe gerendum, è Mantua ſolvens ad propria remeat, & apud Senam patriam ſuam pacandarum ſeditionum civilium causâ ſubſiſtens, illic per menſem Martium Cardinales quinque creat, inter quos Franciſcum Piccolomineum Senenſem ſuum nepotem Sancti Euſtachii Diaconum.

Antonius Piccolomineus eques auratus hujus Cardinalis frater uxorem accepit Regis Ferdinandi filiam: Et Rex ipſum Ducem Melfenſem conſtituit.

Anno Chriſti MCCCCLIX. Decimo quinto Kal. Aprilis Senæ ad primam horam noctis terra mota eſt. Olim ſub Eugenio IV. Romano Pontifice unione facta inter Occidentalem & Orientalem Eccleſiam: cùm eam tamen Præſules Eccleſiarum non ſervarent, ecce Marcus Alexandriæ, & Joachim Antiochiæ, & Joachim Hieroſolymorum Patriarchæ, ignorantiæ tenebris excuſſis, & Fidei lumine à Pio Secundo illuſtrati, per Legatum ſuum Moyſem, cognomento Gilbertum, ac Antiochenæ Eccleſiæ Archidiaconum quæcunque Romana Eccleſia tenet ſeſe ſervaturos promittunt Senæ VI. Kal. Maji.

Decimo quinto Kal. Auguſti ad horam diei decimam Sol ad mediam horam deficit per men-

Google

menſem Auguſtum: Sigiſmundus Dux Auſtriæ ob id, quòd Nicolaum Epiſcopum Brixienſem Cardinalem S. Petri ad Vincula poſita obſidione per injuriam ceperit: per publicam ſententiam Pontificis à Ducatu deponitur.

Per menſem Septembrem Monabaſia civitas Metropolitana in Peloponeſſo à Turchis oppreſſa Romanæ Eccleſiæ ſeſe tradit.

In menſe Novembre Sigiſmundus Pandulfi Arimini civitatis Romanæ Eccleſiæ Vicarius, novennio ceſſans à ſolutione cenſus, Fidelium communione privatur.

Per eundem menſem ad horam ſeptimam noctis terra mota eſt.

Per menſem Martium Genuenſes excuſſo jugo Gallicæ dominationis, in libertatem ſuam ſeſe vindicant, & Proſperum Adurnum populi Ducem creant anno MCCCCLXI.

Decimo tertio Kal. Julii. Katerina patria Senenſis Tertii Ordinis Prædicatorum à Pio II. Pontifice Maximo Sanctorum Catalogo connumeratur anno Chriſti MCCCCLXI.

Per eundem menſem Genuenſes pulſo Proſpero Adurno eorum Duce Ludovicum Campofregoſum dominationem urbis uſurpantem in Ducem recipiunt.

Per eundem menſem Carolus Rex Francorum extremum diem claudit: & Ludovicus ejus filius in Regnum ſuccedit.

Per menſem Octobris Karulotta Regina Cypri à fratre ſpurio Regno pulſa, Romam ad Pontificem actutum contendit, & ejus hoſpitio benigniſſimè excepta viribus Eccleſiæ in Regnum reduci implorat.

In agro Romano apud Tolſam oppidum idem Pontifex aluminis fodinam exuberantiſſimam primus invênit inſtituitque.

Per eundem menſem Jacobus Mellinus natione Francus Hoſpitalariæ domus Sancti Joannis Hieroſolymitani Magnus Magiſter, Rhodique Princeps, moritur, & in demortui locum Petrus Raymundi, cognomento Sacoſta, & natione Aragonenſis, ſuſficitur.

Quinto Kal. Decembris ad horam quintam noctis terra vehementer mota: Caſtellum Sancti Sani agri Aquilanæ civitatis, ipſiuſque civitatis bonam partem ſubvertit.

Decimoquinto Kal. Januarii idem Pontifex in Cardinales delegit Bartholomæum Archi-Epiſcopum Ravennatem, cui in Titulum dat Eccleſiam Sancti Clementis. Item Jacobum Epiſcopum Papienſem, quem Sancti Chriſogoni Cardinalem nominat. Item Joannem Epiſcopum Atrebatenſem, quem vocari jubet Cardinalem Tituli Sancti Martini in Montibus, Franciſcum inſuper Ludovici Mantuani Principis filium & Apoſtolicæ Sedis Protonotarium, cujus Titulus eſt Eccleſia Sanctæ Mariæ Novæ, eidem ejuſdem Ordinis Protonotariorum Ludovicus de Libreto natione Gallus aſſociatur; Eccleſiam Sanctorum Petri & Marcellini in Titulum ſortitus: inter hos etiam Epiſcopus Urgelenſis conſcriptus nominatur Tituli Eccleſiæ Sancti ----

Anno Domini MCCCCLXII. XVI. Kal. Maji Ludovicus Francorum Rex pragmaticam ſanctionem in regno ejus per ſeditionem adversùs Romani Pontificis poteſtatem olim obortam, & à Patre ſuo Karulo longo tempore ſuſtentatam prorſus à regni ſui finibus eliminat, liberam Eccleſiaſtici Imperii poteſtatem Papæ reſtitui mandans, Joanne Epiſcopo Atrebatenſe Legato Apoſtolico procurante.

Thomas Deſpotus Palæologus Porphyrogenitus ex Patrarum urbe in Italiam commeans Turchorum obſidionem fugiens inde ſecum caput Andreæ Apoſtoli Anconam devehit: & fidele Chriſtianis obſequium præbens, per Alexandrum Cardinalem Sanctæ Suſannæ Apoſtolicæ Sedis Legatum illud Romam ad Pontificem dono tranſmittit X. Kal. Maji, maxima populorum comitante caterva.

Quinto Kal. Maji Sigiſmundus Pandulfi Malateſtarum degener pro Romana Eccleſia Arimini Princeps, ob continuatam ab ineunte ætate flagitiorum multitudinem, ob ſpretam clavium Eccleſiæ poteſtatem, & futuræ vitæ contemptum, & Sacramentorum parvipenſionem ab omni poteſtate & dignitate deponitur, & cum Hæreticis deputatus æterno igni damnatur.

Per menſem Aprilem Paſchalis Maripetrus Venetorum Dux vita decedens Chriſtoforum cognomento Morum à Senatu electum Poteſtatis ſucceſſorem recipit.

Fanum urbs Flamineæ ſpecioſiſſima à caſtris Eccleſiæ diutiùs obſeſſa, ductu Nicolai Cardinalis Theanenſis, Sigiſmundo Pandulfi Malateſtarum degeneri homini de Hæreſi damnato VII. Kalen. Octobris feliciter adimitur Anno Chriſti MCDLXIII.

Senogallia urbs vetus in Picentibus, cui idem Sigiſmundus dominabatur, ab eiſdem caſtris, ejuſdemque Nicolai Cardinalis Theanenſis ductu obſeſſa, à præfato Sigiſmundo deficiens ultro per deditionem in poteſtatem Eccleſiæ VIII. Idus Octobris devênit.

Idem Pontifex perſonalem profectionem adversùs Mahimetem Turchorum Regem XI. Kal. Novembris indicit.

Paulus Campofregoſus urbis Genuæ Antiſtes ac alti cordis vir, Ludovicum etiam ejuſdem gentilitatis hominem populique Ducem ducali dignitate ſpoliat, atque arrepta urbis dominatione ipſe totius Reipublicæ gubernacula ſuſcipit.

Joannes Comes Armenici in regno Franciæ, in cujus ditione quadringenta oppida eſſe feruntur, rem cum ſorore habet, ex eaque prolem ſuſcipit: Inde à Pontifice, quo ei liceat ſororem in uxorem habere poſcit, repulsâ acceptâ, ſautore Ambroſio Gallico Epiſcopo Electenſi fictas literas quod optat continentes, ex Curia Pontificis ſurripit: re cognita uterque, Comes ſcilicet à Rege, & Epiſcopus à Papa de gradu ſuo dejiciuntur.

Anno Chriſti MCCCCLXIV.

PAulus Campofregoſiæ gentis natus Genuæ Archipræſul, qui ſuperiori anno ejus urbis dominationem arripuerat, tantæ rei molem ſuſtinere poſſe diffiſus, urbem ipſam in Franciſci Sfortiæ Mediolanenſis Ducis poteſtatem tradit.

Coſmas Medices Florentinus non ſolùm in ſua patria civis ampliſſimus, ſed per totum Orbem Chriſtianum maximarum divitiarum nomine clariſſimus, Kal. Auguſti decrepitus feliciter obiit.

Idem Pontifex Maximus in Turcenſe bellum vadens ob iter Anconæ XIX. Kal. Septembris diem claudit extremum, ſeditque annos quinque menſes undecim & dies viginti ſex.

Petrus Barbus, Venetus, Tituli Sancti Marci Preſbyter Cardinalis Pontifex maximus creatus Paulum Secundum ſe vocari elegit III. Kal. Septembris die Jovis horâ tertiâ.

Paulus II. Papa ſedit annis VI. menſibus XI. Jacobus Nicolai Piccinini filius Comes Caſtrinovi inclytus, magnique militaris equitatus Dux,

atque

atque dominus omnibus Italiæ populis formidabilis, à Ferdinando Rege Neapolitano in convivium amicè accerſitus, inter epulas, quaſi eſca allectus, prehenditur atque carceri mancipatus, ibidem incerto mortis genere interiit VIII. Kal. Julii.

Conradus Suveynem, ac Arnoldus Panaroz, Udalricus Gallus, parte ex alia Theutones, librarii inſignes, Romam venientes, primi imprimendorum librorum artem in Italiam introduxere, trecentas cartas per diem imprimentes.

Deiphœbus in Romano agro Anguillariæ domus haud parvi potentatus Princeps, ob ſuam atque paternam in Eccleſiam Romanam perfidiam, ab eadem Eccleſia ſepteno dierum ſpatio vi armorum omni ditione exutus, Italiam extra profūgit.

Petrus Medices Florentinus maximus in republica civis, ruri, in quo per æſtatem diverſabatur, ab æmulis concivibus trucidandus: qui ad id facinus patrandum circiter XVI. millia virorum alieni militis proprio ſumptu clanculum comparaverant: re priùs agnita in civitatem ſe proripit, ac ibidem die unico collectis ad domum ſuam ſupra XL. millia hominum, ſuæ factionis adverſarios terreſacit, & eorum Principes ex Decreto publico perpetua proſcriptione damnari obtinet: in quibus fuere Nicolaus Soderinus, Angelus Acciajolus eques, ac Dietisalvius Neronis, etiam eques cum quinque fratribus ſuis menſe Octobre MCCCCLXVI.

Anno Chriſti MCCCCLXVI.

FRanciſcus Sfortia inclytus Mediolanenſium Dux diem claudit extremum.

Et Galeatius Maria ſuus primogenitus eidem VIII. Nonas Martii ſuccedit.

Anno Chriſti MCCCCLXVIII. Idem Pontifex Maximus pacem univerſorum potentatuum Italiæ invicem diſſidentium conficit atque promulgat VII. Kal. Maji.

Maometh Amoranti filius Turchæ gentis potentiſſimus Princeps, Chriſtianis omnibus formidabilis, Inſulam Euboiam, quam noſtra ætas Nigropontem nominat, aliquamdiu ab ſe obſeſſam, Venetis illi dominantibus eripit, mactato univerſo populo, quem in ea invenire potuit XIV. Kal. Julii.

Jorſovicus Bohemiæ Rex à Pio Secundo Pontifice Maximo ſuperioribus annis de hæreſi juridicè condemnatus, à Paulo Secundo Pontifice Maximo ſucceſſore ſententiam exequente, regno ſpoliatur, capiturque ſimul cum filio ſuo Victorino, ac vinculis truditur, executionis hujuſmodi miniſterium gerente Matthia Pannoniæ Rege inclyto, cui & in præmium ſactæ executionis ipſum Bohemicum Regnum ab Apoſtolica Sede dono tribuitur.

Cùm dudum Bonifacius Papa VIII. plenariam peccatorum remiſſionem, quam noſtra religio Jubilæum nominat, quolibet centeſimo anno à Chriſti nativitate inchoando Chriſti-colatum generi fore erogandam ſanciverit: Poſtmodumque Clemens Papa VI. hoc ſpatium ad quinquageſimum quemque annum reſtringendum duxerit, Urbanus ſubinde Papa VI. ſic in ſua obedientia nuncupatus propter humanæ vitæ brevitatem dictum quinquaginta annorum tempus, ad quemque trigeſimum tertium annum coartaverit; Demum ætate noſtra Paulus Venetus Papa II. propter nimiam humani generis caducitatem in vigintiquinque annos dictam plenariam Indulgentiam Chriſti Fidelibus tribuendam providentiſſimo decreto ſuo conſtituit. Eſt autem Jobil hæbraicè annus quinquagenarius, ut in Euſebio Hieronymi de temporibus ſcriptum invenimus.

Idem Papa omnes Italiæ Potentatus ſuperioribus annis univerſalis pacis vinculo ſua auctoritate invicem conciliatos; eoſdem noviter percuſſi fœderis nexu magis atque magis devincit ſtringitque.

Idem Pontifex palatium Sancti Marci dirutum ibidem ſuâ impenſâ pulcherrimè reædificare, ac Eccleſiam ejuſdem ornare fecit.

Urbini ædes magnificentiſſimæ ejus urbis invicti Comitis Frederici juſſu atque impenſa Pauli II. Pontificis Maximi temporibus incœptæ, nec dum conſummatæ propter illarum ornatum ac magnitudinem.

Neapolio quoque Comes Taleacocii in Braciano ſito non procul à lacu, ædes erexit, & ad uſum bellicum, ſi acciderit, opere ac loci natura munitas & ad habitandum accomodatas. Sed neque magnificentia, neque hortorum amœnitate, neque aquæ-ductuum irrigatione, porticuum, aularumque magnitudine his cedunt, quas conſtruxit ædes in Vico Varronis Joannes de Urſinis Tranenſis Archi-Epiſcopus & Abbas Farfenſis: Namque ſi ad loci ſitum habitumque reſpexeris ſaluberrimas, ſi ad magnitudinem nullarum poſtremas, ſi ad ornatum atque ſtructuram omnium pulcherrimas judicabis, loci verò ipſius natura atque arte inexpugnabiles, nulli unquam hoſtram pervias, Pontificibus, Regibus, Principibus, præclaris denique omni virtute viris ſemper patentes.

Anno Chriſti MCDLXIX.

FRedericus Imperator IV. ſemper Auguſtus Romam in habitu nigro devotionis causâ vênit, cui idem Pontifex magnos impoſuit honores.

Idem Pontifex poſtquam annos VI. & menſes XI. Apoſtolicam Sedem glorioſiſſimè gubernavit, capitis profluvio in fauces diſtillante repentè ſuffocatur VII. Kalend. Auguſti, Anno Chriſti MCCCCLXXI.

Franciſcus de Rovore patriâ Sagonenſis, Frater ex Ordine Minorum, Theologiæ Profeſſor ſublimis, ejuſdemque Ordinis fuit Generalis, deinde Cardinalis Tituli Sancti Petri ad Vincula, in Cardinalatus tempore illa egregia compoſuit opuſcula de Sanguine Chriſti, de Potentia Dei, & de futuris contingentibus ab ipſo Summo Pontifice ſanctè præmeditata, graviter ſcripta, luculenter edita & appoſitè diſputata, Romæ ad Apoſtolatus apicem Anno Chriſti MCCCCLXXI. V. Idus Auguſti faciliter aſſumitur, priſtinumque nomen ſuum in Sixtum IV. quod Papale nomen exiſtit, mutat.

Sixtus Papa IV. dum ad Sanctum Joannem Lateranenſem coronationis causâ ibat cum magna frequentia populi, inter eundum prope Eccleſiam Sancti Joannis Lateranenſis ortâ diſcordiâ inter populum & milites, eſt ibi lapidibus & armis ſæviſſimè bellatum, cujus prœlii causâ Summus Pontifex in maximo fuit periculo, tamen Divina providente clementia illæſus evaſit.

Homo liberaliſſimus, ſuoſque conſanguineos liberaliter ornans, præſertim Luciſſæ ſorori ſuæ Matronæ digniſſimæ, quæ è vita deceſſit ſui Pontificatus anno primo, funus honorificum fieri fecit cum conſtructione tumuli magnifici in Baſilica Sancti Petri.

Venêre Romam ad præſtandam ipſi obedien-

tiam

A tiam Oratores innumeri à Potentatibus deſtina-
ti, præcipue Rex Ferdinandus Joannem Proto-
notarium ejus filium claris Ducibus comitatum
miſit: pariter Dux Mediolanenſis fratres ejus
Aſcanium Protonotarium, & Franciſcum
Sfortiam Ducem Barenſem. Rex Ferdinandus
ſuam filiam Leonardo de Ruere in uxorem col-
locavit. Hic Leonardus nepos hujus Sixti erat,
qui ab ipſo Præfectus Urbis & Dux Arciæ con-
ſtitutus eſt: Fuit hic mirum in modum libera-
liſſimus: unam Diſpoti ſororem, quæ ex ſtirpe
Conſtantini erat, ſuo impendio curavit, ut Dux
Ruſſiæ in uxorem acciperet, & facta ſunt ſpon-
ſalia ejus in Baſilica Sancti Petri.
Regem Ferdinandum liberavit pro ſua libe-
B ralitate à cenſu annuo LX. millium Ducatorum.
Idem tamen Rex, ut ſuperiorem recognoſcere
videretur, equum album faleratum per Orato-
rem ſuum in die Sancti Petri poſt Miſſam ſo-
lemnem Pontifici donabat coram Cardinalibus
cum magna reverentia: Hujus Ferdinandi Re-
gis Lionoram filiam, ac Matronam digniſſimam,
Herculis Ducis Ferrariæ uxorem magno hono-
re & multis muneribus idem Pontifex proſe-
quutus eſt, dum ex Neapoli Ferrariam ibat:
Nam per Cardinalem Sancti Sixti magnificè in
Urbe fuit recepta & apud Sanctos Apoſtolos
magna pompa & convivio celeberrimo eſt ho-
norata per totam Pontificis ditionem: Hujus
Sixti expenſis ipſa cum omni ejus comitatu li-
C beraliter recepta fuit.
Hujus autem Sixti tempore, ut Italiæ pacem
habuerint, externarum tamen rerum bellis ac
cladibus inſignita ſunt: Siquidem & Aragonen-
ſes bellum ingens adverſum Galliæ Regem Mar-
te ſecundo geſſere, & Joannes Rex Aragoniæ
decrepitus, prudentiſſimus & invictiſſimus, ex
diuturno bello, quod contra Joannem Ducem
Andegavenſium ad XII. annum protractum eſt
variis utrinque acceptis, illatiſque cladibus,
Barchinonem recepit: & Siciliæ Rex Ferdinan-
dus Joannem Aragonum Regis filium * accepta
ſorore Henrici Regis Caſtulonenſium in matri-
monium, amicitiam, fœduſque perpetuum cum
Principe Caſtulonenſium contraxit. Unde Re-
gnum ipſum Caſtulonenſe Aragonum Regi jure
debetur, ſi Rex Caſtulonenſium omni ſpe ca-
reat ſtirpis virilis. Solus igitur ſupereſt Arago-
num Princeps, qui tum fortunæ, tum corporis,
tum animi bonis, tum totius Orbis terræ judicio
Caſtulonenſium regno dignus eſt, & habetur;
licèt illum ad longè majora, modò ei natura
fatumque longiorem vitam tribuerit, fortuna
genuerit, produxerit, educaverit.
Idem Pontifex creavit Cardinales X. Pontem
ruptum ſua impenſa reficere fecit: in Vaticano
Hoſpitale Sancti Spiritus pulchro ædificio deco-
rat, cujus fundamento primos lapides ſuis ſa-
croſanctis manibus impoſuit.
Spoletum, Tudertum, & Caſtellum civitates
ſui Pontificatus anno III. per ejus nepotem Ju-
lianum Reverendiſſimum Cardinalem Tituli San-
cti Petri ad Vincula Legatum plectuntur, ac à
ſuis militibus deprædatæ fuerunt, propterea
quòd inobedientes Sedi Apoſtolicæ fuere, & pe-
nè ab eadem Sede deſciverant. Hujus digniſſi-
mi Pontificis, in cujus Pontificatus anno III. ſci-
mus alia præclara geſta, aliis, qui id cum ma-
jori re efficere poterunt, memoranda relinquo.
Hic hujus temporis ſeries terminum teneat.

FINIS.

Digitized by Google

CHRONICON
ROMANORUM IMPERATORUM
A CAROLO MAGNO
USQUE
AD OTTONEM IV.
Latinè circiter Annum MCCXCVIII.
A RICOBALDO FERRARIENSE,
UT FERTUR, SCRIPTUM,
POST DUCENTOS DEINDE ANNOS
A COMITE
MATTHÆO MARIA BOJARDO
FERRARIENSE
IN ITALICAM LINGUAM CONVERSUM,
SIVE
RICOBALDO FERRARIENSI
AB IPSO SUPPOSITUM,

Nunc primùm ex hujus verſione, quæ ſola ſupereſt, in publicum prodit

EX MANUSCRIPTO CODICE

CLASSENSIS COENOBII.

IN RICOBALDI FERRARIENSIS CHRONICON IMPERATORUM

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

QUis fuerit, & quo tempore vixerit *Ricobaldus Ferrarienſis*, jam Lectorem monui in Praefatione ad illius *Pomarium*, quod tenebris ereptum nuper in lucem revocatum eſt. Ibi vero ſignificabam, alterum quoque Opus ab eodem Scriptore concinnatum fuiſſe, videlicet *Chronicon Romanorum Imperatorum*, tunc mihi deſideratum, quum ea ſcriberem. Perſpectum enim erat mihi, non pauca illic haberi de Eſtenſium Principum rebus, ut pote qui fragmenta ejus Libri jamdiu legeram, atque illius auctoritate uſus fueram in contexendis Antiquitatibus Sereniſſimae Familiae Eſtenſis. Quare nulli diligentiae peperci, ut integrum Librum, ſicubi lateret ab injuria temporum illaeſus, detegerem, mihique, immo & univerſae Literatorum Reipublicae pararem. Bene accidit, quod Cl. Vir D. Petrus Cannetus Camaldulenſis Abbas, cujus omnigenam eruditionem, multaque in me collata beneficia alibi depraedicavi, aliquam heic mihi opem tulerit, non Latinum quidem textum, qualem Ricobaldus reliquiſſe dicitur, ſed Italicam Libri verſionem, mihi pro more ſuo humaniſſime exhibens. Adſervatur illa manu exarata in celeberrimi Claſſenſis ac Ravennatis Monaſterii Bibliotheca, quae velut parentem atque amplificatorem eumdem agnoſcit praeſtantiſſimum Literarum amatorem & cultorem Cannetum. Illuc autem invecta eſt per ipſum ex dono Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Hieronymi Criſpi nunc Archiepiſcopi Ravennatis, cujus ſingularem pietatem ac dotes reliquas ſacro Paſtore digniſſimas, quippe jamdiu notas, nihil eſt, quod ego commemorem. Canneto igitur expoſcente Domnus Mariangelus Fiacchius Claſſenſi Bibliothecae Praefectus, vir multa humanitate, multaque eruditione ſpectabilis, Codicem mihi deſcribendum curavit; ſimulque ſtuduit, ut Codici antigraphum exactiſſime reſponderet. Quod autem in Pomario Ricobaldi ipſius praeſtiti, nempe illud non deſcriptum ab ejus exordio, ſed quidem a temporibus dumtaxat Caroli Magni edendo; id ipſum ſervatum volui in proferendo Ricobaldi *Chronico Imperiali*. Quae enim praecedunt, ab antiquioribus petenda ſunt, quos & ipſe Ricobaldus expilavit, hoc eſt Beda, Sigeberto, Mariano Scoto, & ſimilibus: alioquin, ut ſaepe monui, ſi integros medii aevi Hiſtoricos Lectoribus propinare vellemus, utique aut ſpuria, aut inutili merce grandia volumina impleremus. Nam quis ſuſtineat, a recentioribus Criticae plerumque imperitis, & vera aeque ac ſalſa prae ignorantia miſcentibus, res geſtas vetuſtiſſimorum Caeſarum haurire, quum Seculo longe feliciori noſtro, Literiſque jam tanta ingeniorum aemulatione excultis, fontes habeamus, hoc eſt Auctores ſynchronos, in quorum ſchola vera diſcere tam facile poſſumus, ac porro, ſi audimus prudentiam, debemus? En cauſam, quare ut aliorum, ita & Ricobaldi Opus interſecui. Si quis propterea de me conqueratur, ſpretaque a me & abjecta ultra deſiderare pergat, pravitatem quaeſo ſui guſtus accuſet, non me arguat, meliora ſibi ſuadentem, atque miniſtrantem.

Dixi me proferre alterum hoc Opus Ricobaldi; ſed nunc addo, me numquam adeo ancipitem dubiumque fuiſſe, an evulgarem. Quae me abſterrebant, rectius Lector intelliget, ſi ante ediſſeram, qui Italicam hanc Libri verſionem inſtruxerit. Fuit is *Matthaeus Maria Bojardus*, Scandiani nobilis Oppidi in Regienſi agro Comes, vir celebratiſſimus ob Poëma vernaculo ſermone conſcriptum, atque inſcriptum *l'Orlando Innamorato*, quod ſibi continuandum poſtea ſuſcepit Areoſtus altero celebriori Poëmate Rolandi furentis. In praeſtantiſſimi illius viri, egregii-

que Poëtae laudes non ego heic excurram, quum ejus fama inter Italicos potiſſimum jamdiu illuſtrem ſibi comparaverit locum. Illud tantummodo monendi ſunt Lectores, Bojardum apud Ateſtinos Principes, Ferrariae, Mutinae, Regio, aliiſque locis dominantes, ſummo in honore fuiſſe, ac demum ad Regienſis Urbis praefecturam adſcitum, Anno 1494. finem vivendi feciſſe, uti teſtatur Philippus Rodius in Annal. Ferrar. MStis, & Cl. Vir Guido Pancirolius Lib. VI. Hiſtoriae Regienſis MStae, qui tamen illum *nimia benignitate reprehendendum, & plus componendis carminibus, quam vindicandis facinoribus aptum*, nobis ibidem pingit. Itaque Bojardus Ricobaldi Imperialem Hiſtoriam in Italicam Linguam convertit, eamque dicavit *Herculi I. Ferrariae Duci*. Quo Anno hanc ille ſpartam ornavit, non liquet: profecto neceſſe eſt, id praeſtiterit inter Annum 1471. quo Hercules Eſtenſis regnare coepit, & Annum 1494. quo idem Scriptor e vivis abiit. Gaſpar Sardius Hiſtoricus Ferrarienſis in MSto Codice Bibliothecae Eſtenſis ſingula, quae ad Ateſtinos Principes in Ricobaldi Libro ſpectabanr, excerpſit, praefixo hoc titulo. *Annotazioni eſtratte per me Guaſparo di Sardi, da Riccobaldo Iſtorico Ferrareſe, e tradotto in Lingua volgare dal Conte Matteo Maria Boiardo, & inſeritto allo Illuſtriſſimo Duca Hercole di tal nome Primo, e Secondo Duca di Ferrara, e da me Guaſparo Sardi accopiate l'Anno di Criſto 1541.*

His poſitis cauſam accipe nunc, quare ad hanc Hiſtoriam evulgandam reluctans venerim. Sunt heic fabulae innumerae, & vitiata temporum ſeries paſſim. Vide quae de Carolo Calvo is habet: omnia fere cum veritate pugnant. Carolum Craſſum inepte facit Calvi filium, & cum Carolo Simplice, Franciae Occidentalis Rege confundit, ei pacem tribuens cum Rhollone Normaonorum Duce; & imperite ab ipſo Rhollone genitos ſcribens Normannos Principes, qui poſtea Apuliam ac Siciliam ſibi ſubjecere. De hiſce etiam Normannis & Tancredo eorum Principe, ubi de Ludovico III. & ſubſequutis Auguſtis ſermonem habet, multa narrat a nugarum propolis tantummodo excogitata, & anachroniſmis foede conſpurcata. Res Berengarii I. & Guidonis heic nimiis perturbatas fabulis intueare, atque ipſi Berengario contra fidem Hiſtoriae attributum filium Berengarium II. Pariterque Hugonem Arelatenſem Italiae Regem, ejuſque filium Lotharium videas alio plane aſpectu deſcriptos, ac nobis germana Hiſtoria depingat. Praeterea Henricum inter Auguſtos Primum, coelitum catalogo poſtea additum, numquam Italiam ingreſſum fuiſſe, & nihil boni malive egiſſe ſcribit; quod quantum a veritate abſit, vel tyrones in Hiſtoria norunt. De Eccelini quoque origine varia fabulatur; quamquam ſcribat, ſe ea hauſiſſe *ex eorum veraci relatione, qui ipſum noverant*. Sed quid ſingula perſequor? Citius Augiae ſtabulum, quam Ricobaldi Librum purgares. Neque is minus coecutit, quum de Seculorum remotiorum rebus geſtis, quam quum de propiorum loquitur. Raynaldum prae ceteris Eſtenſem Marchionem producit, militarium copiarum Ducem contra Fridericum I. Auguſtum: cujus tamen ne minimum quidem veſtigium occurrit in antiquis Hiſtoriis, uti & neque in monumentis Archivi Eſtenſis, quod jam in Antiquitatibus Eſtenſibus innuebam. Quis ferat, mihi met ipſi tacite identidem ingeminabam, tantam errorum, fabularumque in uno Auctore colluviem? Libellum *de Origine Urbium Italiae* ab hoc eodem Auctore compoſitum, quem MStum vidi, ea de cauſa abjeci, quod undique fabulis ſcatentem deprehendi: cur mitius hunc habeam ſidere non meliore natum? Accedit, quod Ricobaldus ſperandus ſaltem erat meliora nobis tradere poſſe, quum ad tempora ſua labebatur; ſolent enim tunc vel homunciones Hiſtorici volentes nolentes in verum impingere. Sed ecce ad priores Annos Ottonis IV. ſive ad Annum 1200. ſubſiſtere hujus Scriptoris calamum (quod Sardius quoque ſupra memoratus in excerptis ſuis Anno 1541. ſcriptis ſe animadvertiſſe teſtatur ac dolet) ac proinde deteriora tantum Scriptoris hujus nobis ſervata fuere.

Sed quod me prae ceteris ad hunc Ricobaldi foetum non contemnendum modo, ſed & cum diris ac indignatione ad malam crucem amandandum, paene impulit, illud fuit, quod interpres ipſe Bojardus textui Ricobaldino, ſuaeque verſioni aliquid de ſuo ingenio viſus eſt mihi addidiſſe. Quae in Orientali expeditione egerit Richardus magnae Britanniae Rex Anno 1191. & ſequenti, fuſe heic deſcripta habes. Ibi vero, ſi fides Chronico huic, Rex ille primum inſtituit, ac in patriam reverſus diligentius excoluit, nobiliſſimum Ordinem equeſtrem *Periſcelidis*, ſive *Garterii*, hoc eſt *de la Jartiere*. Atqui ex communi Scriptorum conſenſu inſtitutio hujus Inſignis Eduardo III. Angliae Regi tribuitur poſt Creſſiacam victoriam, & ad Annum 1350. refertur, ante quod tempus conſtat Ricobaldum jamdiu vivere deſiiſſe. Quei ergo Ricobaldus e vivis tamdiu ſublatus tradere haec potuit? Igitur dicendum reſtat, Bojardum ingratiis, ac intolerando Anachroniſmo, aſſuiſſe

hu-

hujuſmodi laeiniam Hiſtoriae Ricobaldinae, & ſub illius Auctoris nomine rem nobis obtruſiſſe, plane, quod eſt ad inſtitutionis tempus, falſam ſive confictam. *Legi* veteres Hiſtorias Radulphi de Diceto, Rogerii de Hoveden, Johannis de Bromton, Henrici de Knyghton, Walteri Hemingford, ſed praecipue *Itinerarium Regis Richardi in terram Hieroſolymorum* a Gaufrido Viniſauf Auctore ſynchrono fuſe ſcriptum, alioſque veteres Anglicanae Hiſtoriae Scriptores, & ne ullum quidem verbum inchoati per Richardum Regem Ordinis hujus apud illos offendi. Quae res mihi graviorem etiam ſuſpicionem injecit, nempe alia praeter haec à Bojardo eâdem licentiâ io Ricobaldi narrationem fuiſſe invecta, ut locus perpetuo dubitandi jam ſit, num Rieobaldus, an Bojardus heic loquatur. Uno verbn, Romanenſem Fabulam legere heic mihi videbar, & dignam Bojardo viro ad Poëtica figmenta compoſito, ſed ſylloge Hiſtoricâ minime dignam, quando heie tot in locis eum veris ficta certant, eongeſtaque ſunt mirabiliora ſine ullo veritatis delectu, ad coocilian dam unice Lectoribus voluptatem atque ſtuporem.

Contra pro iſto foetu ſuſtinendo haec mihi ſuccurrebant, ſcilieet; ſabulae quidem heie venditantur complures, & ingenti animo commenta nobis Ricobaldus non pauea obtrudit; attamen longe major ſortaſſe videatur numerus rerum, quae veritate nituntur; immo aliqua in hoe Libro oceurrunt, quae aliunde fruſtra ſperes; atque inter ipſas ſabulas & anaehroniſmos veritas ipſa non raro ſublucet. Vide in Ottone I. quae ille adſert de *Alberto Azzone Marchione Eſtenſi*, ejuſque filiis *Fulcone* atque *Hugone*. Errat profecto Ricobaldus haec referens ad Seculum Chriſtianae Aerae X. & ad Ottonis I. tempora, quum Seculo tantum proxime ſequenti contigerint, ut in Antiquitatibus Eſtenſibus jam dudum oſtendi. Attamen rem ipſam vidit ac memoravit Ricobaldus. Qnod ſi minime is novit alterum ipſius Alberti Azzonis filium *Guelphonem Bavariae Ducem*, qui ſub Germanico coelo, divulſus a fratribus, Regiam Familiam Brunſvicenſium Ducum, nunc magnae Britanniae Regno imperantem, propagavit; illi ignoſcendum eſt, circiter Annum 1295. ſeribenti, ſi non omnes cxploratos habuit Ateſtinae Familiae Majores, atque ignoravit ex ea in Germaniam translatum fuiſſe ſoreulum, qui altas ibi quoque radices egit. Reliqua omitto ad eoſdem Eſtenſes ſpectantia, quae is habet, cum Hiſtoricis monumentis a me productis conſerenda. Accedit, quod Ricobaldo erant Auctores aliquot, quorum omnium ſortaſſe ad nos monumenta noo ſunt perlata. Laudat ille *Albertum*, *&* *Alexandrum Theutonicos*, *qui ſeparatim quaſi uno eodemque tempore Hiſtoriam Alamannorum Caeſarum compoſuerunt*. *Tum Librum Pontificalem*, hoc eſt Romanorum Pontificum Vitas, atque *Hiſtoriam Normannorum*. In Vita Henrici IV. ſive V. Orientales Chriſtianorum res deſcribens, teſtem proſert *Arnaldum Epiſcopum Tyri*, *qui poſtremis temporibus interfuit in Oriente geſtis*, *& clegantia quidem levi*, *ſed multa cum perſpicuitate ac fide Hiſtoriam banc perſequitur*, *ab ipſo enim is compenaioſe accepit*, *quae de ejuſmodi rebus affert*. Hunc infra *Raynaldum Archiepiſcopum Tyri* appellat. Atqui omnino veri ſimile eſt, Guilielmum Tyri Epiſcopum heic deſignari: quod tamen aliis experimento facto decernendum relinquo. Tyri quoque obſidionem referens, explicat pacta tunc inita inter Balduioum Hieroſolymorum Regem, & Genuenſes, Venetos, atque Piſanos, *quorum*, ſubdit, *authenticum nos Venetiis vidimus*. Praeterea commemnrat *Jacobum de Varagine*, qui quum circiter Annum 1294. Vitas ſcriberet Genuenſium Epiſcoporum, in Collectione hac primum editas, eo oos deducit, ut intelligamus, poſt eum Annum ſcripta haec a Ricobaldo fuiſſe. Ex ipſo autem Jacobo de Varagine deſumſit idem Ricobaldus narrationem de pretioſiſſimo Vaſe ſmaragdino Genuae adhuc adſervato, quod ejus Urbis incolae pu-ant, ſive, ut nnſter ait, *fabulantur fuiſſe catinum Paſchali coenae Salvatoris noſtri appoſitum*. At Ricobaldus rectinri trutina utens, vas illud *ab aliquo Saracenorum Regum Caeſaream delatum ex partibus Orientalibus* arbitratur. De celebri Comitiſſa Mathilde noſter agit, ejus mortem ad Annum V. Lotharii III. referens, & quidem palmari anachroniſmo. Subdit, *Sigebertum* multa de ea tradere, *Martinum vero ejuſdem Mathildis Capellanum* (Donizonem Mnnachum Canoſſinum ſignificari heic intelligimus) *Vitam illius Carmine expreſſiſſe*. In Vita Friderici I. Ricobaldo memoratur *Vincentius*, *qui ejuſdem Friderici Theſaurarius fuit*, *ejuſque Vitam ſcripſit*, ſed eumdem infra appellat *Bernardum Theſaurarium*, *qui bella a Friderico geſta in Saxonia & Suevia diſtincte literis tradidit*. Sub Gregorio VIII. Romano Pontifice circiter annum 1187 ſacram Italicae gentis expeditionem in Orientem Ricobaldus deſcribit, & quot naves unaquaeque Civitas pararit enumerat, *Eccleſiaſticum Catalogum* in fidem adhibeos, ut jam perſpiciamus, quid *Buza Cremonenſium* fuerit apud Sichardum in Chronico a me ſupra edito. Erat etiam Ricobaldo ſcribenti ante oculos *Hiſtoria rerum a Chriſtianis in Oriente geſtarum*, cujus Auctor fuerat *Bernardus Theſaurarius*, a quo infra ait

con-

conſcriptam fuiſſe ſingulari diligentia *Hiſtoriam geſtorum Richardi Anglorum Regis* in Galliis. Denique in Praefatione Auctor eſt Bojardus, Ricobaldum, ad Saraɩenorum Hiſtoriam heic illuſtrandam, uſum fuiſſe *quinque Libris Hiſtoriarum Arabicarum*, qui fortaſſis in Archivo Ravennatis Eccleſiae adſervabantur.

Ex hiſce Auctoribus fuerint aliqui ſabuloſi, qualis certe eſt *Pſeudo-Turpinus* ille Archiepiſcopus Remenſis, cujus quoque Librum uſurpatum a Ricobaldo monet in Praefatione Bojardus: attamen non omnia ex ſabulis contexta continuo dicenda ſunt, neque confictos univerſos hoſce Scriptores quiſquam affirmet. Immo id mihi ſuadebat, non temere ſtatim negandam Hiſtorico huic fidem; nam quum *Bernardi Theſaurarii* Hiſtoriam is memoret, hactenus ignotam, ac propterea ſuſpicione falſi minime carentem: ego ſi non integram, certe ejus partem in vetuſto Codice Bibliothecae Eſtenſis reperi, eamque ſupra evulgavi: ut videas, non ſine tabulis loquutum fuiſſe Ricobaldum, vel quum longe a vero abibat. Ad originem Ordinis *Periſcelidis*, ſive *de la Jartiere*, quod attinet, quid ſi recentiorum phalanx Polidorum Virgilium incaute ſequuta, heic decepta eſt, & longe antiquior Eduardo III. fuerit illius inſtitutio? Profecto non mihi ſumere auſim difficilem quaeſtionem in meliori lumine collocare, eoque minus certis rerum monumentis decernere: attamen ſat mihi ſit dicere, jam nonnullos non ſolum fuiſſe ſubodoratos, ſed etiam caſtigaſſe fabulam de arceſſito à periſcelide Comitiſſae Sarisburienſis Periſcelidis aureae inſtituto Eduardi III. Regis temporibus. Sit mihi omnium teſtium loco Anonymus ille Eruditus, qui Anno 1706. Londini *integram Angliae Hiſtoriam* Anglica Lingua in tria volumina congeſſit. Uti ex Actis Eruditorum Lipſienſ. Ann. 1709. pag. 289. didici, Samuelem Danielem Anglicum Hiſtoricum hic Scriptor in errore verſari oſtendit, quod recantet Sarisburienſis Comitiſſae amores, quaſi hinc anſam Eduardus III. arripuerit nobilis hujus Ordinis conficiendi; nam *uti ex ipſis Ordinis monimentis patet, repetenda eſt ejus origo a temporibus Richardi I. qui ad Ptolemaidem cum Barbaris certaturus praecipuos belli Duces faſcia tibias ligari juſſerit, ut concordiae inter ſe ipſos, atque adeo & fortitudinis ſymbolum haberent*. Viden, ut haec hominis eruditi ſententia cum Ricobaldo conveniat, quum tamen Ricobaldinum Chronicon Anglis, immo & Italicis hactenus ignotum fuerit? Ergo non ſolum a non abjiciendo Ricobaldo animadverſio iſta me retrahebat, ſed etiam ad eum luci reddendum ſolicitare videbatur, occurrentibus jam tamdem in illius lucubratione, quamquam fabulis intermixtâ, nonnullis rerum praeteritarum mnnumentis, quae ab aliis omittuntur.

Et haec quidem pro ſuſtinendo hoc Libro in intimis meae mentis penetralibus inſuſurrabam. Proinde vicit conſilium evulgandi, ut poſt me Lectoribus etiam ſubeſſet Criticae exercendae materies. Quod ſi de hoc foetu quid ego ſentiendum putem perconteris, non diſſimulabo, me eo potius abripi, ut opiner, integrum Chronicon ex officina Bojardi prodiiſſe, nihilque horum ſcriptum, & ne excogitatum quidem a Ricobaldo fuiſſe. Scilicet ſi non certo credere, ſaltem dubitare vehementiſſime cogor, Bojardum Poëtam, Poëticiſque fictionibus ab ineunte aetate deditum, voluiſſe hunc ludum ludere Literariae Reipublicae, conficto Libro, cui Auctoris nomen exiſtimationem, venerationem vero antiquitas conciliaret, multis itidem confictis, additiſque rerum veritati, ut facilius in admirationem raperet Lectorem credulum, & fraudis prorſus ignarum. Certe *Pomarium Ricobaldi* a me editum veteres novere, inter quos potiſſimum *Gualvaneus de la Flamma* Mediolanenſis & *Franciſcus Pipinus* Bononienſis, ambo ex Ordine Praedicatorum, & paucis poſt Ricobaldi obitum annis Hiſtoriarum Scriptores, quas infra edendas curabo. Chronicon vero Imperiale Ricnbaldi an quiſquam ante Bojardum noverit, nondum animadverti. Sed & hujus Operis Latinum exemplar nullum ſupereſt, quum contra non unum Pomarii oſtendere liceat: quae ſuſpicionem augent, nullum umquam fuiſſe hujus Operis textum Latinum, ſed unicum Italicum Bojardi, ſub ementito Ricobaldi nomine procuſum. Praeterea cum eodem Pomario conferenti Chronicon hoc Imperatorum, ſtatim appareat, longe aliter ſenſiſſe, & ſcripſiſſe multis in Incis Auctorem Pnmarii, & Chronici Auctorem, ita ut hinc potiſſimum ſublucere poſſit fictio Bojardi. Rationibus aliis parco, hoc unum repetiturus, nempe inſtitutionem Ordinis Periſcelidis ſufficere poſſe ad detrahendam perſonam dubio Auctori. Nam ut ut ſupra viderimus, non deeſſe inter ipſos magnae Britanniae Scriptores, qui Richardum I. Regem, non vero Eduardum III. illius Auctorem fuiſſe contendunt; attamen contra alii ſentiunt, iique graviſſimi viri. Hac de re quum ego ſermonem haberem cum Georgio Head nobili non minus quam erudito Anglo per Italiam peregrinanti, laudavit ille mihi ſententiam Heliae Aſhmole, qui Anno 1672. Londini edidit Anglica Lingua *Inſtitutionem*, *Leges*, *ac Ritus nobiliſ-*

ſimi

Digitized by Google

ſimi Ordinis Jarterii: Tum ad me illius verba miſit excerpta ex Cap. V. Sect. I. quae heic adſerre juvat. *Eduardus* (inquit ille) *Rex Angliae, & Franciae Tertius, Inſtitutor primus fuit nobiliſſimi hujus Ordinis: & non ſolum in opinionem hanc conſluit unanimis noſtrorum exterorumque Scriptorum conſenſus, ſed facile id etiam confirmari poteſt ex Regeſtis Ordinis ipſius* Memorat etiam Ashmole geſta Richardi I. neque negat, quin ab eo in Orientalibus bellis, juſſi fuerint ſelecti quidam milites nobiles faſcia crus circumcingere, ut per ejuſmodi inſigne alacriores & conjunctiores ad proelia efficerentur. Verum ſimul contendit, nullo pacto oſtendi poſſe, ab eo Rege ac tempore exordium ſumſiſſe Equitum Ordinem peculiarem, cujus nemo veterum mentionem reliquit, & cujus a tempore tantum Eduardi III. fama, uti & inſtitutio, originem agnoſcit. Haec ille: quae quoties menti meae recurrunt, toties videre mihi videor Bojardum in fraude deprehenſum, eique uni veluti germano Auctori has fabulas, hoſce anachroniſmos, totumque hoc Chronicon eſſe tribuenda.

Quod reliquum eſt, Lectoribus per me liceat Librum hunc veluti Romanenſem fabulam excipere, quamquam verae Hiſtoriae monumenta plerumque, & minime dubiam Imperatorum ſeriem contineat. Quod ſi cui placeat hanc quoque Hiſtoriis accenſere, eamque eruditionis alicujus ſpe ſuſcipere legendam, praedicentem me audiat, idque ſaepe reminiſcatur, ſi umquam caute ad Hiſtoricos Libros acceſſerit, heic praecipue magna ſibi eſſe circumſpectione utendum, ne fallatur. Scriptor enim incredibili confidentia ſomnia narrat, ac proinde res enarranti aliis Scriptoribus ignotas, aut aliter ab ipſis traditas, non eſſe ſaepe ac ſaepius adhibendam fidem; ſed judicium ſuſpendendum, donec ad trutinam criticam ejus ſententiae rite penſentur. Multa fortaſſis vera ille unus nobis ſervavit; ſed dum viget metus ne falſa obtrudantur, prudentis erit nihil tamquam certum amplecti, quod a ſubleſtae fidei Auctore unice pendeat. Praeterea dum narrationes quaedam palam fabuloſae in oculos incurrent, norint Lectores, me eo etiam titulo Chronicon hocce producendum exiſtimaſſe, ut heic unus aperiretur e fontibus, unde Bojardus ipſe, ac Areoſtus mirabiles fabulas nonnullas, & antiquorum Principum nomina deſumſere, quibus ſua Poëmata ſaturarunt, majoremque exinde legentibus delectationem atque admirationem conciliarunt; neque enim ea confinxit, ſed a vetuſtioribus accepit Chronici hujus Auctor. Exempli gratia, ex præſtigiis adductos fuiſſe confictos illorum Heroas ad amorem, ſive ad odium, in eorum Poëmatibus intueris. Vide, quid de Carolo Magno commentitia narratione habeat Scriptor hic noſter in Ottone IV. ei fatuum in mulierculam, ac deinde in Aquiſgranenſem Urbem, amorem attributum ſcribens. Et quidem vetuſtum eſt figmentum; immo quum ipſum deſcripſerim ex Chronico MSto Reduſii, & ex antiquo Codice MSto Bibliothecae Eſtenſis, cujus erit mihi ſermo ſuo loco, fabellam ore patulo ridendam heic attexere juvat, quamquam diffiteri nolim, quin aliquod commento huic fundamentum praebuiſſe potuerit nota Caroli M. in libidinem proclivitas. Ita vero in Eſtenſi Codice legitur:

Non autem praetereundum videtur ſilentio, ſed hoc potius inſerendum loco, de admirabili, immo verius monſtruoſo illo amore, quo Carolus ſic adamavit unice concubinam, praeſtigiatus anuli cujuſdam virtute; quum potiſſime ſubſecutum feratur, ex ipſius efficacia, Baſilicam Sanctae Dei Genitricis Aquiſgrani ab eodem fore conſtructam. Tanto ſiquidem in eam exarſit amore, tamque impudenter in illam prolapſus eſt, ut ipſe vir, alias virilis & invictiſſimus, ab ea effoeminatus victus exſtiterit; ita ut nec ullis inductionibus, ulliſque eventibus potuerit ab ejus impudicis amplexibus cohiberi. Revera etenim ſic ab ejus converſatione rapiebatur domeſtica, ſicque per eam a regulato diſtrahebatur affectu, ut & Praelatos, Principes, affines, neceſſarios, domeſticos, familiares, clientulos, atque ſervos, verum etiam antiquiſſimos & probatos ſibi amicos, ſine quibus nulla jucunda poſſeſſio, ejus amori poſtponeret, in hoc ipſam ſuae majeſtatis excellentiam multis obfuſcans notis infamiae. Recuſabat ſiquidem in hoc enormi amore Praelatorum monitiones, Principum ſuaſiones, affinium inſtantias, domeſticorum preces, & quorumlibet demum familiarium vota. Ipſa illius erat deſiderium omne, requies ſola, contubernium ſupremum, & cordis ac animi delectatio ſumma. Ipſa in ejus laboribus recreatio, in ſtudiis meditatio, & demum in cunctis agendis ipſius operationum omnium finis. Ipſa dum abeſſet, ejus erat afflictio, & quum praeſens aſſiſteret, jucunditatum, voluptatumque ſibi erat delectatio ſingularis: unde per haec & alia in eam vitae pariter & mortis ſuam fundaverat ſpem & fidem. Quumque tantum, tamque praeclariſſimum Principem, qui Dei virtute per actus bellicos tam mirificos quam magnificos victorioſiſſimus, fortioribuſque terribilis, Aquitanos, Langobardos, Saxones, Hiſpanos, Britannos, Bajoarios, Sclavos, aliaſque Orbis nationes devicerat, earumque ſolus obtinuerat Monarchiam, (mirum dictu!) ſic hujus mulierculae amor occupaſſet, ut omnis ejus virtus & gloria foret proſtrata; adhuc tamen, morte eam licet tollente de medio, omnis nihilominus ipſius Imperatoris ac Regis majeſtatis honor & honeſta-

honeſtatis teuor ex inſperato prorſus evanuit . Adeo enim amor formae, qui rationis oblivio eſt, & inſaniae proximus, foedus quoque minimeque conveniens animo ſapientis, qui & turbat conſilia, & altos generoſoſque ſpiritus effoemiuat, ac etiam a ſublimioribus cogitationibus ad humillimas detrahit , ſic ipſum Imperatorem & Regem , virum utique perſpicacem & inclytum, obcoecavit, ſicque ſui ſervilem virum tam imperioſe effecit , ut ab ipſius concubinae, quantumcumque mortuae (proh nefas !) amplexibus uequaquam cohiberet ſeverae cupidinis ſuae fraeua: ſed omni potius laxata, non laſſata licentia, in ejuſdem defuuctae cadavere crudeli debacchando amore , fruendi , immo verius abutendi ea, nec humana nec ferali cupiditate flagrabat; & nec ſecus a mortua diſtrahi poterat, quam a viva . Juſſerat enim eam balſamo, pretioſiſſimiſque condiri aromatibus , & in thalamo, ac ſi viveret, retiuens ab ejus (pro pudor !) horreudis amplexibus nou vacabat .

Interea Colonienſis Archiepiſcopus , cui vitae merita apud Deum & homines plurimum ſuffragabantur, ex hac Imperatoris veſania, & infamiae tam probroſae piaculo, tactus dolore cordis intriuſecus, dum ſaepe ad Deum lacrymas compaſſionis effunderet, eo quod apud Imperatorem ipſum preces omnes caſſas certo comperiſſet experimeuto, contigit tamdem, quod dum quadam die ſacra celebraret myſteria, & iu ipſa obſecratione ſacroſanctum Corpus Dominicum manibus coutrectaret , orationem pro Principe ſpecialem effudit , quateuus divina pietas eum ab hujuſmodi illecebris ac ſpurcitiis revocaret , & conſilium apponeret ſalutare. Statim autem viri Dei exaudita oratione , vocem hanc divinitus e coelo lapſam audivit: Sub lingua defunctae mulieris latet, quod Principem inſano illaqueavit amore. Archiepiſcopus vero ex hoc laetatus oraculo, nacto ſibi tempore, Imperatoris thalamum introivit ; & perſcrutatus diligenter iu ore mulieris , parvulum auuulum perditiſſimi amoris virtutem contiuentem inveuit . Habebat ſiquidem in ſe gemmam inſertam efficaciae hujus, ut quicumque poſſideret annulum, poſſideret & Carolum. Per illum namque Imperator ipſe ad concubinam praeſatam tam inſano, ut dictum eſt, augebatur amore , ut nou exſpiraret in mortua ipſe amor, dum illum etiam mortua poſſidebat. Accepit itaque Archiepiſcopus annulum, & clam retinuit ſibi ipſi . Quum autem poſt haec Imperator reverſus eſſet ad thalamum, ſolito voluptatibus foediſſimis potiturus, illico ceſſante cauſa ceſſavit affectus . Nam quum primum cadaver aſpexit, illud ſtatim ſtomachatus abhorruit, & ſine mora ipſum maudavit humari. Quo dicto domeſtici ejus inaeſtimabiliter gaviſi, intrepide quod mandaverat effeceruut. Epiſcopum autem Imperator ipſe tanto amore amplexus eſt , ut ſiue eo vivere , aut eſſe non poſſet. Quaecumque enim decernebat Epiſcopus tam ſuper privatis rebus, quam publicis, illico exſequi ſine repulſa mandabat . Quid plura ? Se ipſum totum iu eumdem Epiſcopum converterat Imperator . Tamdem vir ſummae diſcretionis Epiſcopus advertens, quod Imperator nimio & quodammodo inutili ad eum afficiebatur amore , nec non a publicis negotiis totus diſtrahebatur, timuit per haec divinam offenſam incurrere, ignarus nequaquam, quod hoc ex annuli efficacia contingebat. Igitur annulum ipſum latenter in coenoſam & profundam valde paludem juxta Aquiſgrani Civitatem, iu qua tunc Imperator erat, projecit; ſperans prorſus ex hoc Imperatorem ab hac poſſe peſte ſanari. Sed uec iu lacunae profundo annuli efficacia mira pariter & maligua eſt abſorpta. Nam ex inpraemeditato Imperatoris animus diſtrahitur ad paludem , & totus ad illuc commorandum convertitur . Denique quantum fervoris erga locum ipſum in pectoris arca geſtaret, toto declaravit anniſu. Conductis enim ibidem artificibus & operariis multis, juſſit terra & lapidibus repleri paludem . Quo facto Baſilicam ibi , ut dictum eſt , Sanctae Dei Genitricis ſumtu proprio , ſumtuoſoque opere conſtrui fecit, in qua & vitae reliquae majorem converſationem habuit, & finis ſui demum terminum dedit , corpuſque ſuum ibi recondi mandavit . Ibi Regni ſedem principalem inſtituit, & primae coronationis infulas a Regni ſucceſſoribus aſſumi decrevit . Haec ſi cui diſcrepare videutur a vero , adhaereat fidei Hiſtoriae verioris . Non tameu fabuloſum videri debet hujus efficacia annuli. Legitur enim de Moiſe, ut refert Hiſtoriarum Magiſter, quod quum expuguatis & incluſis Aethiopibus in Civitate Saba regia, eos diutius obſediſſet, Therbis filia Regis Aethiopum in Moiſem ipſum oculos ſuos injecit , ut ex condicto traderet ei Civitatem, ſi eam vellet ducere in uxorem; & ita factum eſt. Dum autem redire voluiſſet Moiſes, non acquievit uxor . Proinde Moiſes ipſe tamquam vir aſtrorum peritus, duas imagines ſculpſit in gemmis hujus efficaciae, ut altera memoriam, altera oblivionem conferret. Quumque parvulis annulis eas inſeruiſſet, alteram ſcilicet oblivionis praebuit uxori, alteram ipſe tulit : unde coepit mulier amoris viri oblivïſci , & tamdem Moiſes regreſſus eſt libere iu Aegyptum cum beneplacito uxoris ſuae. En ut fabulis, quamquam ſumme ridendis, olim oblectabantur vel graves viri; immo quo mirabiliores eas ſentiebant, eo vehementius amplectebantur.

Poſtremo tamdem loco rem non ſuperfluam me facturum ſum ratus, ſi nonnulla per Peregrinum Priſcianum Ferrarienſem olim ex hoc ipſo Chronico excerpta ſuis locis ſubjungerem. Scribebat Priſcianus circiter Annum 1495. floruitque eo-

dem

dem tempore, quo Bojardus; ſed potuit ille ex una Bojardi ipſius Italica narratione haec delibare. Illud conſtat, Hiſtoricos Ferrarienſes, videlicet Priſcianum ipſum, ambos Gyraldos, ambos Sardios, Pignam, & alios in ſuae Urbis, ac Eſtenſis Familiae contexenda Hiſtoria, hunc prae ceteris creditum Ricobaldi foetum prae oculis habuiſſe, ſimulque cenſuiſſe ab ejus auctoritate ne digitum quidem ſibi fore diſcedendum. Mihi in Antiquitatibus Eſtenſibus alia electa eſt via, quae nimirum tutius ad veritatis ſacraria duceret. Interea Lector quod heic laudandum eſt, ſi quid tamen eſt, benivole excipiat; quae vero deteriora ſunt, benigne excuſet. Poſtquam aliis licuit in cenſum illuſtrium Hiſtoriarum inferre Turpini fabuloſam Hiſtoriam, licuerit & mihi Pſeudo-Ricobaldum exerere, eique inter tot egregias Hiſtorias, veluti corvo inter olores ſuum locum dare.

Allo Illuſtriſſimo & Eccellentiſſimo Signore

MESSER HERCULE

DUCA DI FERRARA, MODENA, E REGGIO, CONTE DI ROIGO, MARCHESE DI ESTI.


P R O L O G O

Nella Traduzione di Ricobaldo per Matteo Maria Bojardo.

VAriamente, e con ſentenze diverſe è lodata da molti la Iſtoria, Illuſtriſſimo mio Signore, come maeſtra di tutte le coſe di pace, e di guerra per la copia delli accaduti eſempli, nell'amminiſtrazione degli antichi Principati. Sommamente tra gli altri la ſuole Voſtra Eccellenza laudare, pruova aſſai baſtevole a noi, ch' eſſa ſia laudabile. Ma in queſta medeſima opinione ſono ancora ſtati glorioſiſſimi Principi, i quali non ſolamente hanno fatto coſe degne di memoria eterna, ma ſcrivendo eziandio hanno acquiſtataglorioſa fama. Et intra gli altri Lucio Lucullo, Aſinio Pollione, Cornelio Nipote, Gajo Ceſare, e il ſucceſſore Ottaviano Auguſto, & Elio Adriano ſcriſſero Iſtoria, huomini degni di ſomma lode. Che ſe da laudare ſono coloro, che danno memoria alle coſe magnificamente fatte, e più quelli, da cui fatte ſono: Come dobbiamo noi eſaltare queſti, che hanno meritata l'una e l'altra gloria? Aurelio Aleſſandro Vigeſimo Imperatore di Roma hebbe la Iſtoria in tanta ſtima, che nel conſiglio ſuo non erano ammeſſi quelli, che le paſſate coſe non aveſſero lette, e provedute. Ma queſto ſcorgimento della vita umana, che fu preſſo agli antichi in tanto onore, & hor di nuovo degnamente eſtimato da Voſtra Eccellenza, ha patito grandiſſimo detrimento nella ruina del Romano Imperio, in modo che nel milleſimo anno traſcorſo da qua indietro eſſendo tramutata quaſi tutta la terra in maniera diverſa da quel ch'eſſere ſolea di nomi, di reggimenti, e di coſtumi, e non iſcrivendo alcuno, è intravenuto, che non ſolamente ignoriamo le battaglie come ſiano paſſate, ma i nomi della propria Patria come ſiano cambiati ne è duro ad intendere. Nè come la Gallia Ciſalpina, che hor'è Lombardia, habbia così cangiato nome, ſi ſa da molti; nè come la Germania ſia in Alamagna tramutata, e Francia ſia fatta di Gallia, ſapriano rendere ragione molti huomini mezzanamente dotti nella noſtra etade. Non è noto ad ogni huomo, come lo Imperio d'Italia in Grecia paſſaſſe; a' pochi, come di Grecia in Francia foſſe diviſo; a' pochiſſimi; come di Francia in Alamagna foſſe traportato: di tanto male è ſtato cagione l'avverſitade de' paſſati tempi. Imperocchè occupando i Barbari la Italia, e la Grecia, dove le lettere fioriano, ceſsò per molto tempo lo ſcrivere della Iſtoria inſieme con le altre opere laudabili. Ma in queſta ria fortuna, Ricobaldo Ferrareſe, huomo nuovo, e da nuova Cittade provenuto, ſervò quella piccola favilla, che le coſe quaſi ſpente ha illuminato aſſai. Imperocchè cominciando dalla Romana Monarchia infino al tempo ſuo, che furono più che mille e trecento anni, ha traſcorſo tutto lo andamento dello Imperio, to-

gliendo dagli antichi le antiche coſe, e le nuove da' moderni. Imperocchè ſeguendo nel principio Svetonio, Capitolino, Eutropio, e Marcellino, ſegue poi in quelle de' Saracini lo Alcorano di Maumeth, e i cinque Libri delle Iſtorie di Arabia. E nelle coſe di Carlo Magno, e de' Franceſi, ſegue Alcuino precettore di eſſo Carlo, che ſcriſſe in Parigi, e Turpinò Veſcovo Remenſe aſſiſtente, e Conſigliere di quello Imperatore. Ma le Iſtorie de' Goti, e Longobardi traduſſe dalla Lingua loro fuor dallo archivo di Ravenna, dove ſtette il principato de' Barbari per lunga ſtagione. Così è ordito il ſommario di Ricobaldo di cento tredici Imperatori, de' quali quarantatrè ne furono in Italia da Ottaviano infino a Galerio; & in Conſtantinopoli quaranta ſei da Coſtantino a Niceforo; otto in Francia da Henrico Saſſoneſe a Berengario Quarto; in Alemagna infino al tempo ſuo dicidotto da Otto Primo di Sanſogna ad Henrico Settimo. Sono di poi ſucceſſi infino a' noſtri giorni Carlo Quarto, Vincislao Primo, e Sigiſmondo Primo, Alberto Secondo, e Federico Terzo, che oggi regna; La ſomma dunque di tutti i Romani Imperatori dieci & otto ſopra cento. La ſucceſſione de' quali moſtrandola il noſtro Ferrareſe, ho deliberato tradurre alla vulgar gente da Lingua Latina, acciocchè per conoſcere delle paſſate coſe, il quale è utilitade comune, più comunemente ſia poſſeduta. E ad addrizzarlo a Voſtra Eccellenza non mi ha tanto commoſſo la volontade, e ſperanza di piacervi, come io deſidero, e debbo deſiderare, quanto il debito di non dare altrui quello, che eſſer debba di Voſtra Signoria. Imperocchè oltrachè io con tutte le coſe mie ſia per obbligo di quella, fu Ricobaldo, da cui è tratta queſt' Opera, di voſtra Cittade; e buona parte del Libro è ripiena de' magnanimi geſti, e prudentiſſimi governi degli antichi voſtri paſſati. Se le coſe ſue adunque ſi amano, e vedono volentieri, vederà volentieri Voſtra Eccellenza queſta, che veramente è ſua: dalla quale ſe non averà diffuſamente le Iſtorie con le concioni ornate, e i luoghi diſtinti, incolpi la ria ſtagione, quando ſcriſſe il voſtro Cittadino, la quale innanti al tempo de' Danti, e di Franceſco Petrarca fu aliena in tutto dall'eleganza del parlare. Ma ſiccome gli antichi marmi, da Praxitele, o da Fidia tagliati, ſogliono, troncati del capo, e delle braccia, eſſere ancora grati a chi li ritruova, per eſſere ſtati lungo tempo ſconoſciuti: così queſta antica Iſtoria novellamente ritrovata, per la continenza delle molte coſe, che in eſſa ſono, ſenza altro ornamento può piacere a chi la legge.

Quì finiſce la dedicazione del Traduttore, e ſubito comincia „ il primo „ Libro di Ricobaldo Ferrareſe, nel quale ſi deſcrivono nella Iſtoria Imperiale que' Principi, che nella Cittade di Roma regnorono l'uno dopo l'altro ſucceſſivamente incominciando da Ottaviano, che primo ottenne il nome di Auguſto innanti al naſcimento del noſtro Redentore anni trentauno.



ISTORIA
IMPERIALE
DI
RICOBALDO FERRARESE,

NELLA QUALE SI CONTIENE

La diviſione dell' Imperio, e la ſucceſſione de gl' Imperatori dopo Carlo Magno, che primo ottenne l'Imperio Occidentale.

CARLO MAGNO.

FU diviſo il Romano Imperio dalla fondazione di Roma anni mille e ſeicento cinquantatrè, dalla Natività del noſtro Redentore ottocento, nell' anno ottavo del Pontificato di Leone III. Nella Chieſa di Laterano fu Carlo Re di Francia appellato Magno, e coronato di oro, e con pubblica voce di tutto il Popolo, e della nobiltà Romana fu ſalutato Ceſare Auguſto Imperatore. Nè per queſto ceſſarono di nominarſi Ceſari gli altri, che in Coſtantinopoli ſucceſſero a Coſtantino Quinto, & alla Madre, che in queſto tempo imperava. Ma per quello, che io comprenda, queſto Occidentale è 'l vero Imperio. Imperochè ſenza Roma non puote eſſere il Romano Imperatore; e così il Pontefice in luogo del Senato, il quale al preſente manca, lo coſtituiſce, o conferma.

A Ma quello di Coſtantinopoli, ſiccome ramo dal ſuo tronco diviſo, arido e ſecco è divenuto, ſuccedendo in quello per volontà di chi regna, o per generazione, l'uno all'altro, e il figlio al padre, e l'uno all'altro parente. Abbenchè la medeſima uſanza ſi manteneſſe ancora nello Occidentale fino alla morte del Secondo Federico, dopo la quale fu a' Germani conceſſa la Elezione Imperiale, la quale al preſente ſi oſſerva.

Della vita e coſtumi di Carlo non ſappiamo come più veracemente potere ſcrivere, che interporre qui quello, che di lui ſcriſſe Alcuino Filoſofo iſtrutiore del vivere di quel Re, e continuo converſatore di Caſa ſua; ſiccome eſſo
B medeſimo nel prologo dichiara dicendo così: „ La vita, e converſazione, e non piccola „ parte delle coſe fatte dal mio Signore Carlo „ eccellentiſſimo, e meritamente glorioſiſſimo „ Re, poichè l'animo m'induce a volere ſcri„vere con quanta più brevità è ſtata poſſibile, „ ho qui raccolto. E certamente a ciò narrare „ m'induce ragionevol cagione, e per lo debi„to dell' onore del Signor mio, e perchè altri „ più veramente di me ſcrivere non le potea. „ Imperochè, poichè io ebbi intelletto, ſem„pre ſempre nella ſua Corte è ſtata mia con„verſazione con eſſo Re, e co i ſuoi figliuoli, „ con tanto onore da lui, che ancora al pre-

„ ſen-

„ ſente mi fa obbligato al ſuo morto corpo, & A
„ all' anima beata. Et ingrato certamente po-
„ trei eſſere riputato, ſe i ſuoi magnanimi &
„ illuſtri fatti da me (come dicono) con oc-
„ culta ſede proveduti, paſſaſſi con ſilenzio.
Et altre coſe dice Alcuino nel prologo: ma nel-
la Iſtoria così comincia: „ La gente de' Me-
„ roingi, della quale ſoleano i Franci i ſuoi
„ Re creare, ſi crede eſſer mancata in Ilderi-
„ co, il quale per comandamento di Stefano
„ Papa fu depoſto, e toſato fu nel Monaſtero
„ rinchiuſo. Nel ſuo luogo fu Pipino ſoſtituito,
„ il quale di Carlo Martello fu figliuolo; &
„ avendo laudabilmente il Regno amminiſtra-
„ to, fece fine alla vita, laſciando di ſe nel Re-
„ gno due figliuoli: Carlo, che fu detto Magno, B
„ e Carlo Naymo, & ambidue per general
„ convento de' Franci furono coſtituiti Regi,
„ con queſta condizione, che egli tra ſe con-
„ cordevolmente il Regno partiſſero: e così
„ fecero, e durò alcun tempo queſta concordia
„ con alcuna difficultà.
„ Morto Carlo Naymo, la moglie di lui, e
„ i figliuoli con alcuni de i Baroni fuggirono
„ in Italia, non apparendo però alcuna cagio-
„ ne, che ella doveſſe temere del fratello del
„ morto marito. Ella ſi riduſſe a Deſiderio Re
„ de' Longobardi. Ma Carlo fu univerſalmen-
„ te coſtituito Re da tutti i Franci.
„ Di tutte le guerre fatte da lui, la prima
„ fu l'Aquitanica cominciata dal Padre, nel C
„ principio della quale ebbe l'ajuto del fratel-
„ lo: ma alla fine di tale aiuto privato non
„ abbandonò l'impreſa, ma con molto onore
„ la traſſe a fine. Imperochè egli coſtrinſe
„ Gnoldo, il quale dopo la morte di Vaiffero
„ avea rinovata la guerra in Aquitania, a fug-
„ gire in Guaſcogna: nè quivi ancora il laſciò
„ dimorare. Ma minacciando guerra a Lupo
„ Duca de' Guaſconi, quando il ſuo ribello
„ fuggitivo non gli rendeſſe, lo ebbe in ſua
„ poſſanza.
„ Finita queſta guerra, e morto il ſuo fra-
„ tello, a preghiera di Papa Adriano paſsò in
„ Italia, e con lungo aſſedio preſe in Pavia
„ Deſiderio Re de' Longobardi; e il ſuo figli- D
„ uolo Adalgiſio non ſolo dal Regno, ma dall'
„ Italia fece dipartire. Ruodgavio Duca di
„ Friuli ucciſe in battaglia, e tutta Italia ſot-
„ tomiſe al ſuo dominio, & a quella prepoſe
„ Re Pipino ſuo figliuolo. Già era Deſiderio
„ con eſilio perpetuo traportato in Gallia. Do-
„ po la guerra de' Longobardi, la Saſſoneſe,
„ la quale era intermeſſa, fu ricominciata;
„ della quale nè la più lunga, nè la più cru-
„ dele fu fatta mai dalla Nazione Franceſe.
„ I Saſſoni dati al culto degl' Idoli contrarj
„ alla noſtra Religione, non ſi vergognavano
„ a rompere e violare ogni Divina & Umana
„ legge. Per trentatrè anni fu con eſſi guer-
„ reggiato, non però continui; imperochè al- E
„ cuna volta ubbidienti, alcuna ribelli, ora la
„ fede data oſſervavano, & ora la rompeano;
„ ſpeſſo diedero oſtadici, e ſpeſſo ancora vio-
„ larono i Legati mandati a loro. Ma il Re
„ coſtante nell' impreſa ſua, non guardando a
„ ſpeſa, nè a fatica, nè a pericolo, non li la-
„ ſciò mai ſenza pena de i delitti contra ſe
„ commeſſi; e per ſe ſteſſo, e per opera de i
„ ſuoi Capitani caſtigatili degnamente della lo-
„ ro perfidia, li ſoggiogò interamente ſotto la
„ ſua Signoria. Dieci mila di loro traſportò
„ in Francia, & in Germania, facendoli ab-
„ bandonare la infedele Religione, e farſi Cri-
„ ſtiani.

A „ Furono fatte altre piccole guerre per la
„ Germania in poco tempo in diverſi luoghi,
„ per le quali aſſicurò da tutte le parti il ſuo
„ Regno; e diſpoſta per tutto opportuna guar-
„ dia, con quanto più apparato di guerra fu
„ poſſibile ſi diſpoſe d'aſſalire la Spagna; E
„ ſoggiogati i monti Pirenei, e preſe tutte le
„ Terre, e Caſtella, dove egli ſi poſe in cam-
„ po, ritornava con l'eſercito a ſalvamento
„ nella patria, ſe non aveſſe convenuto eſperi-
„ mentare la perfidia de' Guaſconi nella di-
„ ſceſa del Pireneo. Imperochè andando l'eſer-
„ cito in lunga ſchiera e ſottile diſteſo, come
„ andare conveniva per la difficultà del luogo
„ ſtretto, i Guaſconi per li aſpri monti imboſ-
B „ cati aſſalirono l'ultima ſchiera, la quale a
„ guardia degl' impedimenti era deputata; e
„ lanciandoli, e ſagittandoli dal luogo ſupe-
„ riore, li ucciſero tutti ſino ad uno, e invo-
„ lati i carriaggi, con maraviglioſa preſtezza
„ per le deſerte montagne ſi diſperſero. Era in
„ ajuto a' Guaſconi e la leggèrezza dell' armi,
„ e il ſito del luogo a loro noto & opportuno;
„ per lo contrario a' Franceſi la grave arma-
„ tura, che uſavano, & il paeſe ſconoſciuto
„ dava grandiſſima moleſtia. Furono in queſta
„ battaglia ucciſi Girardo Prepoſto della men-
„ ſa Reale, & Anſelmo Conte Palatino, e Ro-
„ lando Prefetto del paſſo Britannico, & altri
„ molti nobili Baroni. Nè di tanta ingiuria ſi
C „ potè al preſente far vendetta: perochè i ne-
„ mici diſparvero con tanta preſtezza, che ap-
„ pena ſi potè intendere, che eglino foſſero più
„ al Mondo. Il Re tornato in Francia moſſe
„ guerra contra i Britanni, e ſoggiogolli. Que-
„ ſti ſono Popoli abitanti in Occidente nel lito
„ del mare Gallico.
„ Chiamato poi in Italia a pigliare il nome,
„ e la Corona Imperiale, partito da Roma,
„ moſſe guerra a' Beneventani. Ma Aragiſo
„ Duca loro mandò Rumoldo, e Grimoaldo
„ con molta pecunia contro all' Imperatore,
„ promettendo di ſtare ad ogni ſua ubbidienza;
„ fulli per grandiſſima grazia conceſſo, che egli
„ non aveſſe a venire al coſpetto di Carlo Ma-
D „ gno. Il minore dei figliuoli fu per oſtadico
„ ritenuto, il maggiore rimandato. E tornato
„ a Roma, e conſumati quivi alcuni giorni nel-
„ la venerazione de' ſanti luoghi, ritornò in
„ Gallia. Preſto fu poi cominciata la guerra
„ dei Bajoari, ed incontinente finita. Era loro
„ Duca Taſſillo, la moglie del quale era figlia
„ del Re Deſiderio Longobardo. Incitato co-
„ ſtui dalla Moglie moſſe la guerra primiera-
„ mente; ma come l'Imperatore con l'eſercito
„ ne' ſuoi confini ſi cominciò ad approſſimare,
„ ſupplichevolmente venuto a Carlo ſi reſe alla
„ ſua volontà, e fulli conceſſa la propria Pro-
„ vincia da eſſere per lui governata a nome
„ dell' Imperio. Fu poi incontinente moſſa guer-
E „ ra agli Sclavi Velatabi, i quali infeſtavano
„ gli Aboriti confederati al Re Carlo; e furo-
„ no in una ſola battaglia così caſtigati, che
„ più mai non biſognarono altro che parole per
„ farli ubbidire. Segue la guerra grandiſſima
„ di tutte, eccetto la Saſſonica, la quale fu
„ fatta contro agli Hunni Avari, che la Pan-
„ nonia poſſedeano. La prima ſpedizione fece
„ egli ſteſſo; le altre per Pipino ſuo figliuolo;
„ e per li Legati delle Provincie furono tratte
„ a fine. Nell' ottavo anno dal ſuo comincia-
„ mento fu queſta impreſa terminata; nella
„ quale quante battaglie fuſſero commeſſe, e
„ quanto ſangue vi foſſe ſparſo, rendane fede
la,

Digitized by Google

„ la Pannonia al preſente vota d'ogni abitato- A
„ re, e il luogo, dove erano gli Hunni, così
„ deſerto, che ancora non vi appare veſtigio
„ di umana abitazione. Tutta la pecunia e il
„ teſoro per li paſſati tempi adunato da quella
„ rubatrice generazione, fu da' Franceſi in que-
„ ſta guerra acquiſtato, i quali poveri ſino al
„ preſente, ritornarono tutti di Pannonia ric-
„ chiſſimi: perochè tutto quello, che contro
„ ragione aveano gli Hunni rapito a tutti i cir-
„ coſtanti, fu loro ragionevolmente tolto da'
„ noſtri Cavalieri.
„ Due dei Conti Palatini morirono in queſta
„ guerra; dopo la quale ſeguirono la Boema-
„ tica, e la Livonica; e l'una, e l'altra in po-
„ co tempo terminarono ſotto il conducimento B
„ del giovinetto Carlo figlio dell'Imperatore.
„ L'ultima fu apparecchiata contro a quelli,
„ che ſi chiamano Dani, i quali nel principio
„ ſolo per rubatori di mare erano conoſciuti,
„ adeſſo con grande armata alle riviere di Gal-
„ lia e di Germania erano ſpaventevoli. Era
„ loro Re Godefrido, il quale nuovamente ſi
„ avea ſoggiogati gli Aboriti, e di grande al-
„ terezza inſuperbito minacciava in breve ve-
„ nire ad Aquiſgrana, dove l'Imperatore adu-
„ nava la ſua gente. Crudeliſſima guerra ſi ſa-
„ rebbe incominciata: ma Godefrido fu ucciſo
„ da uno de' guardatori della ſua perſona.
„ Queſte ſono le guerre, le quali il mio Si-
„ gnore fece in quaranta ſette anni (che tanti C
„ tenne il Regno) con ſomma prudenza e feli-
„ cità. Et avvegnachè dal padre Pipino rice-
„ veſſe grande e potente il Regno di Francia,
„ tanto notabilmente l'ebbe ad ampliare, che
„ quaſi il doppio gli ſoggiunſe. Imperochè ol-
„ tre a quello Stato, nel quale per eredità ſuc-
„ ceſſe, ſommeſſe a ſua ubbidienza l'Aquita-
„ nia, la Guaſcogna, e tutto il giogo del mon-
„ te Pireneo inſino al fiume Ibero, il quale na-
„ ſcendo preſſo a Navarra, per li fertiliſſimi
„ campi di Spagna correndo, ſotto le mura di
„ Dertoſa, cade nel mare Balearico. Preſe
„ l'Italia tutta da Auguſta Pretoria inſino alla
„ Calabria inferiore, là dove coſta eſſere i
„ confini de' Greci, e de' Beneventani. Sog- D
„ giogò la Saſſonia, che non è piccola parte
„ di Germania; l'una, e l'altra Pannonia, e la
„ Dacia poſta dall' altra ripa del Danubio,
„ l'Iſtria, la Liburnia, e la Dalmazia, eccetto
„ le maritime Città, le quali per amicizia, e
„ patto fermato con l'Imperatore di Coſtanti-
„ nopoli, laſciò nel ſuo governo. Tutte le bar-
„ bare e fiere nazioni, le quali abitano tra il
„ fiume della Sula, e il Reno, e tra l'Oceano,
„ e'l Danubio, fece ſoggette e tributarie; del-
„ le quali i Velatabi, Sorabi, Aboriti, Boe-
„ mani furono vinti per battaglia, gli altri con
„ terrore di guerra furono ſottomeſſi. Ma non
„ fu minore in pace la ſua dignitade per molti
„ Regi e Principi a ſe con amicizia collegati. E
„ Il Re d'Aſturia e di Galecia ancora a' Sara-
„ cini *Figliuolo* di Carlo Magno ſi ſcrivea; e
„ con maggior ſommiſſione quello di Scozia,
„ che ſuo *Servo* ſi appellava.
„ Grande e precipua amicizia ebbe con Aro-
„ ne Re di Perſia, e da lui ebbe molti e pre-
„ zioſi doni, e tra queſti l'Elefante, che ancor
„ veggiamo in Corte. Con gl' Imperatori di
„ Coſtantinopoli, cioè Niceforo, e Michele,
„ ebbe patti & amicizia, avegna che foſſe ſoſ-
„ petroſa pel preſo nome di Ceſare, ſi come
„ egli cercaſſe di levar loro l'Imperio. Molte
„ opere per bellezza e comodità notabili fece
„ edificare, e tra l'altre la Baſilica della Beata
„ Vergine ad Aquiſgrana, e due ponti ſopra il
„ Reno, l'uno in Colonia, l'altro a Magonza;
„ diverſi Palazzi e reali abitazioni in molte
„ parti del Regno coſtruſſe; & altre ventitrè
„ Chieſe, l'ordine della coſtruzion delle quali
„ ſi vede nella volta maggiore di ciaſcuna, eſ-
„ ſendo una lettera, cioè A. ſcolpita nella pri-
„ ma, e nella ſeconda B e C. nella terza; e
„ così per l'ordinato numero inſino all' ultima.
„ In molti luoghi ordinò navilj & armate di
„ mare per diſeſa del Regno; e grandiſſimo
„ perſecutore fu de' Corſari marini. Ma già
„ mi voglio rivoltare alla ſua più intrinſeca e
„ domeſtica vita. Dopo la morte del Padre
„ partì il Regno col fratello, e con tanta pa-
„ zienza ſopportò la diſcordia e l'odio con eſſo,
„ che pure una ſola volta non fu viſto di ciò
„ turbato. Per eſortazione della Madre tolſe
„ per moglie una figlia di Deſiderio Re de'
„ Longobardi, e repudiolla, nè ſi ſa per qual
„ cagione; e preſe poi Ildegarda nata di pre-
„ cipua nobiltà in Suevia, della quale ebbe trè
„ figliuoli: ciò furono Carlo, Pipino, e Lodo-
„ vico; & altrettante figliuole, Ruodtruda, e
„ Berta, e Giſla: ebbe trè altre figliuole an-
„ cora, Teoderada, Nilyde, e Bruodhaide.
„ Due di queſte di Fraſtata ſua moglie, e la
„ terza di una concubina, di cui non ſi ſa il
„ nome. Dopo la morte di Fraſtata, la quale
„ dopo Ildegarda morta, avea tolta in matri-
„ monio, preſe per moglie Liurgarda di nazio-
„ ne Alamannica, della quale non ebbe figli-
„ uoli; & eſſendo ancor' eſſa morta, ebbe trè
„ concubine, Gerſunda Saſſoneſe, della quale
„ ebbe una figliuola nomata Adaltruo; la ſe-
„ conda ſi chiamò Regina, da cui ſon nati
„ Drogone, & Ugo; la terza fu Hailid, della
„ quale ebbe Teodorico. Sua Madre ebbe
„ ſempre in ſomma riverenza, e per tutto il
„ tempo di ſua vita fu ſeco concordevole, ec-
„ cetto che nel divorzio fatto della prima mo-
„ glie nata di Deſiderio Longobardo. Eſſendo
„ appreſſo di lui invecchiata, e morta, la po-
„ ſe nel ſepolcro di Pipino con molto onore.
„ E ſuoi figliuoli, e maſchi, e femmine volle
„ che foſſero eruditi nell' Arti liberali, nelle
„ quali ancor' eſſo preſe molto diletto. I maſchi
„ nell' età conveniente volle che a cavalcare,
„ & armeggiare foſſero iſtrutti. Così le fem-
„ mine in arte feminile, non permettendo tem-
„ po ozioſo nè all' uno, nè all' altro. La mor-
„ te di queſti figliuoli, de' quali due ne perſe
„ avanti la ſua morte, portò con poca pazien-
„ za, laſciandoſi molto vincere al dolore, e
„ facendo alcuni atti indegni di ſapientiſſimo e
„ magnanimo Re, come egli era. La morte
„ di Adriano Papa pianſe amaramente. E cer-
„ tamente egli fu coſtante oſſervatore delle
„ amicizie antiche, e facile ad acquiſtare le
„ nuove. E figliuoli, e figlie amava tenera-
„ mente; nè mai facea ſenza eſſi alcun viag-
„ gio. Avanti gli cavalcavano i maſchi, e die-
„ tro le femmine, intorno alle quali un giro
„ d'antiche Donne era poſto alla lor cura. Et
„ eran mezzane queſte Donne tra eſſo Impera-
„ tore, e i guardiani della ſua perſona. Erano
„ tutte queſte ſue figlie belliſſime; ma egli
„ mai non ne volle maritar' alcuna nè a' ſuoi,
„ nè a' foreſtieri; nè fu ſenza ſoſpizione, che
„ oltra al dovere foſſero da lui amate: huomo
„ nelle altre coſe felice, in queſta eſperimentò
„ la malignità dell' avverſa fortuna: la qual
„ coſa portò egli con tanta poca avvertenza e-
„diſſi-

,, diſſimulazione, come di ciò non foſſe alcun A
,, ſoſpetto avuto.
,, Molte congiure contra di lui furono in di-
,, verſi tempi diſcoperte; e prima nella guerra
,, preſa contro gli Hunni in Pannonia, Pipino
,, Re d'Italia, il quale in Bajoaria ſvernava,
,, ebbe trattato con alcuni de' Baroni di occu-
,, pare l'Imperio. I coogiurati furono a morte
,, puniti. Pipino chiuſo nel Monaſterio fu ſa-
,, crato Monaco. Le altre inſidie furono di po-
,, co momento, e però con ſilenzio le trapaſ-
,, ſiamo. Amò queſto Re, & onorò grande-
,, meote i foreſtieri, i quali per caſo, o per
,, volontà nel ſuo Regno capitaſſero, & ebbe
,, grandiſſima cura in riceverli, e trattarli ono-
,, revolmente. Molto fu diligentn nel ſervarſi
,, fama di eſſer tenuto buono; celebrando le B
,, Chieſe nei Matutini, nel Veſpro, & in tutte
,, le Ore, che il ſacrifizio foſſe reſo a Dio. Et
,, ebbe grandiſſima cura, che foſſero quì tutte
,, le coſe fatte con ornata cerimonia, ſpeſſe
,, fiate ammoneodo egli ſteſſo i compoſitori di
,, quelle. Così nell' eleganza dei Vaſi, e nella
,, bellezza delle Veſti Sacerdotali, e nella mon-
,, dezza d'ogni ſacrato velame volle avanzare
,, tutti gli altri del Mondo. Del leggere, e del
,, cantare nel Coro emendò egli la diſciplina,
,, imponendovi nuova e belliſſima regola, che
,, al preſente ſi uſa, Imperochè in queſte due
,, coſe era egli eccellentemente erudito, ave-
,, gna che pubblicamente oon leggeſſe mai, nè
,, mai caotaſſe, ſe non con ſommeſſa voce, & C
,, appena da' circoſtanti udita. Nel ſuo tempo,
,, e perſuaſione di lui fu laſciato l'Uffizio Am-
,, broſiano, e venne in uſo quello di S. Grego-
,, rio.

E poichè in queſto parlare ſiamo caduti, ra-
gioneremo, fuori di quello, che ſcrive Alcuino,
alcuna coſa dell' aggiunzione dell' Uffizio Divi-
no. Imperochè nella primitiva Chieſa non po-
terono que' Santi Uomini ogni coſa incontinen-
te ritrovare atta all' ornata celebrazione della
Divina Maeſtà, ma diverſi di coſe diverſe furo-
E così dicono i Germani aver' avuto origine l'edificazione di quella Cittade; e per queſto come capo dell' Imperio fu per alcun tempo riputata; & Otto Imperatore allora ſi credè legitimamente la dignitade avere, quando quella Terra ebbe ottenuta. Senza battaglia ottenne Colonia, avvengachè Nuſa a lei vicina e ſoggetta aveſſe in vano con lungo aſſedio combattuta. E già tutto il Reno ad Otto donava ubbidienza: quando Filippo il Duca di Suevia pel medeſimo viaggio, che Otto fatto avea, poco di ſopra a Nuſa ſi poſe in campo con eſercito di venti mila cavalieri, e trenta mila pedoni. Non era di numero molto diſuguale l'eſercito Ottoniano, nè di gente manco ardita, e però ſubitamente armati ſi affrontarono; e fu tra le due più feroci nazioni di Germania, Saſſoneſi, e Suevi tale battaglia, quale nè per Iſtoria venne udita, nè per memoria ſi racconta. Imperochè dalla ſeſta ora dell' undecimo giorno d'Ottobre inſino alla nona del duodecimo fu ſempre combattuto ſenza intermiſſione; e per la luce del Sole, e per le tenebre della notte con molta uccisione dell' una e dell' altra gente durò la pugna crudele. Furono ſconfitti i Saſſoneſi, e fuggì Otto Imperatore a morte piagato dentro a Nuſa; la qual Terra dall' acque del Reno fortificata, e da valoroſi combattenti difeſa, fece contro agli aſſalti de' Suevi maraviglioſa pruova; perochè intorno a quella combattendo morirono oltre ad undici migliaja di pedoni e cavalieri; nè per queſto ſi diſtolſe il Duca Filippo dall' incominciata impreſa; ma ad un tempo contro a' nemici, e contro all' aſpriſſimo verno combattea. Et eſſendo già molti meſi nel faticoſo aſſedio dimorato, fu ucciſo per tradimento, dormendo nel ſuo letto la notte dal Landegravio, che in noſtra lingua riſuona Conte Palatino. Coſtui in Aſia col Duca lungamente militato avea, e per lunga conſuetudine era tra i più intimi e domeſtici riputato; e per piccolo ſdegno preſo di alcune parole villanamente dette verſo di lui da eſſo Duca Filippo, l'ucciſe, come è detto. La morte del quale diede tanto di mutazione a queſta diffidenza dell' Imperio, che allora parve Otto ſolo in quella dignitade eſſere firmato. Et incontinente diſciolto l'aſſedio, ſi diſpoſe alla perſecuzione del traditore Landegravio, e pigliatolo per battaglia dentro ad un ſuo fortiſſimo Caſtello, il fece dimembrare tutto vivo in quattro parti. Indi da tutti i Principi d'Alemagna, e da molte Città Italiche ebbe Legati a proferirgli dovuta ubbidienza. E dappoi nell' anno di Criſto milleſimo ducenteſimo nono venne primieramente in Italia, dove fece quelle coſe, che di lui narreremo, dopo che ſecondo l'ordine noſtro, avremo le altre Iſtorie del ſuo tempo a quell' anno tirate.

Dopo la morte del Saladino, per cagione a noi ignota ſorſe guerra incontinente tra Miralucio Re di Damaſco, e Safadino Re di Egitto, nella quale eſſendo grandemente intricati: Henrico Conte di Campagna Re della ſanta Terra da' Criſtiani deſignato, rotte le tregue congregò l'eſercito contro a Safadino, avendo con Miralucio fatta nuova lega. Ma in queſti giorni perì eſſo Miralucio per veleno; & Henrico eſſendo nel Caſtello di Caiſas lontano ad Acri per quattro leghe Galliche, ſedendo ſopra ad una fineſtra a prendere l'aura notturna (imperochè era il tempo eſtivo, e per la diſpoſizione di quel paeſe molto caldo) cadde all' indietro, nè per qual caſo ſi ſeppe, morì incontinente. Dalla morte di queſti due ajutata la fortuna di Safadino, occupò il Regno di Damaſco, e tutta la Siria interamente; e fatto pace con Buſſerio, che il Regno di Halape poſſedea, addirizzato contro a' Criſtiani, ne venne in campo a Jafet. Aveano i Baroni, che la Terra ſanta in quel tempo abitavano, dopo la morte di Henrico di Campagna ordinato loro Re Haymerico, il quale eſſendo ſtato ucciſo Guidone ſuo fratello, in Cipri regnava. Coſtui non ſolamente la Terra di Jafet difeſe, ma pigliò con molta aſtuzia Berito; e mandato in Ponente a chiedere ajuto, ſecondo il conſueto modo de' paſſaggi oltramarini, ſi diſpoſe animoſamente alla commeſſa difeſa. Et eſſendo da trecento cavalieri Spagnoli accompagnato, molte fiate uſcìa, traſcorrendo nelle parti di Giudea mediterranee, e con molta preda e maggior gloria alle maritime Città ſi raccoglieva. Safadino, che lungamente col fratello Saladino quella guerra eſperimentata avea, il tutto poco ſtimava, fuori che la potenza de Principi Occidentali inſieme raccolta, la quale, come altre volte fatto avea, in Oriente unita paſſaſſe. E per queſto mandò nelle maritime Città d'Italia ſuoi Ambaſciatori per iſturbare il paſſaggio, che per loro a fare ſi aveſſe, a quelle trè maſſimamente, che erano, ſiccome ancora ſono, di navale

armata potentiſſime, Piſa, Genova, e Venezia, promettendo a mercatanti loro molta franchezza & immunitade in Aleſſandria, e negli altri Porti d'Egitto, e di Siria al ſuo Regno ſoggetti. Da' Genoveſi e Piſani furono incontinente addietro rimandati; più lungamente ſtettero in Venezia, nè ſi potè intendere, quale concordia tra loro foſſe firmata; ma l'effetto lo chiarì dappoi. Imperochè molti Baroni, che ſopra a' loro navigli doveano il paſſaggio fare, furono per opera loro divietati dal ſanto pellegrinaggio, ſiccome quì appreſſo narreremo.

Nell' anno dalla Natività di Criſto milleſimo e ducenteſimo, regnando Otto Quarto Imperatore, ſegnaronſi della Santa Croce per far paſſaggio molti Baroni, tra i quali Baldoino Conte di Fiandra, Henrico Duca d'Angiò, Lodovico Conte di Guaſcogna, Steſano Conte della Pertica, e di San Paolo, Simone Conte di Monforte, Giovanni Conte di Nigella, Reginaldo Conte di Dompier, Guglielmo Marcheſe di Monferrato, e molti altri Baroni e Cavalieri; la maggior parte de' quali ſi dicea aver cotale impreſa pigliata per tema di Filippo Re di Francia, del quale erano rubelli per avere contro di lui guerreggiato ad iſtanza del Re Ingleſe. Et eſſendo novellamente ſtato ucciſo eſſo Re Riccardo di una ſaetta nella eſpugnazione di un piccolo Caſtelletto in Inghilterra, parea il Re di Francia dovere eſſere nella guerra ſuperiore, eſſendo a Riccardo nel Regno ſucceſſo Giovanni ſuo fratello, che a lui di gran lunga nella virtù della battaglia non era ſomigliante. Ora quale ſi foſſe la cagione, che a ciò commoveſſe gli animi de' ſopranominati Signori, tutti quanti al divoto paſſaggio ſi apparecchiarono, e quello diverſamente mandarono ad effetto; imperochè Reginaldo e Giovanni Conti di Dompier, e Nigella, montati ſopra a navigli de' Friſoni, & entrati nello Stretto di Marocco inſieme co i frati Spartari guerreggiarono alcun meſe contro ai Saracini di Spagna, & invernatiſi poi a Marſiglia, nel nuovo tempo dell' anno ſeguente paſſarono in Giudea, dove trovarono le tregue per un'anno firmate tra Safadino, & Haymerico Governatore della ſanta Terra; nè avendo quivi che fare, andarono in Antiochia chiamati da Boemondo, il quale contra gli Armeni guerreggiava. Erano queſti Armeni Criſtiani, benche Eretici, e ſotto il governo di molti Signori erano diviſi; e molta parte di loro ancora anticamente ai Principi di Antiochia era ſtata ſoggetta. Nuovamente da Boemondo furono tutti ſoggiogati, in ajuto del quale per moneta militarono i due Conti ſopranominati, & ambidue di febre in quella regione perirono. Diverſa fortuna da coſtoro ebbero gli altri Baroni, i quali inſieme per terra vennero in Italia, eſſendoſi per prezzo convenuti del paſſaggio co' Veneziani, i quali, come ſi ſtimava, corrotti dalla condizione di Safadino, molto li tennero in lungo; & eſſendo queſti Baroni con tutti i loro eſerciti quivi giunti, nè potendo la ſpeſa comportare, imperochè aveano da dieci mila cavalieri, e quattordici mila pedoni, pigliarono co i Veneziani quelle condizioni, che poterono avere: e furono queſte: che i Baroni foſſero obbligati a guerreggiare contro ai Zaratini un'anno intero, ricevendo da' Veneziani ſoldo tra loro convenuto, e dappoi ſenza alcun prezzo foſſero in Aſia traſportati. Queſta Città di Zara novellamente ſi era a' Veneziani fatta rubella, e con animo tanto inſiammato ſi moſtrava nemica, che atta parea a ſoſtenere lungamente la guerra. Ma altrimenti avvenne, imperochè la virtù de' pellegrini alla potenza de' Veneziani aggiunta, in manco di tre meſi la traſſe a fine; e già parea, che ſpeditamente doveſſero i Baroni al loro pellegrinaggio paſſare. Ma i Veneziani ora pigliando cagione dal verno, che era ſopraggiunto, ora dolendoſi di non poter vittovaglia trarre dalle vicine regioni per fornire l'armata, tiravano la coſa in lungo, inſino a tanto che novella impreſa fu loro poſta avanti, alla quale di nuovo tirarono i pellegrini.

Queſto fu l'Impero di Coſtantinopoli da' Latini acquiſtato. Della qual coſa in queſta forma ſcrive Bernardo Teſoriere: L'Orientale Imperio cangiandoſi di uno in altro Imperatore, pervenne in mano ad Emanuele Principe nobile e virtuoſo, e tra le altre ſue lodi amatore molto de' Latini; imperochè la poſſanza dell' armi, e de' Magiſtrati tutta era in mano degli Occidentali; e ritrovandoſeli fedeli, in molto onore, e grandi ricchezze ſublimati gli avea, in tal forma che dentro alla Città di Coſtantinopoli ſedici mila caſate ſi ritrovavano tutti Franceſi, Alemanni, Italici, e Spagnoli, i quali tutti quanti e per iſtato con l'Imperatore, e per ricchezza nelle mercatanzie erano in molta riputazione. Oltra mare in Aſia per lui governava la Provincia di Ponto un ſuo nipote, il cui nome era Andronico uomo di Greca frode, e di barbara crudeltà ripieno. Coſtui, morendo Emanuele Imperatore, fu al governo dell'Imperio deputato, & inſieme alla cura di Aleſſio piccolo fanciullino, il quale da' Baroni era diſegnato Imperatore nella paterna morte. Ma Andronico, ſi come è detto, di natura inumane e fraudolente, fatto in Aſia ogni apparecchio di guerra, paſsò con molto eſercito in Europa, moſtrando di volere i Latini di Coſtantinopoli cacciare, acciochè lo Stato di Aleſſio ſuo nipote più ſi rendeſſe ſicuro nelle mani de' Greci collocato. Giaume Conte di Algira uomo Spagnolo, che per ſua molta virtù nelle guerre navali era inſino a quel tempo ſtato Ammiraglio di Coſtantinopoli, ebbe di queſta coſa parlamento con gli altri Latini; e fu tra loro deliberato di porſi ſopra all'armate navali, e dappoi pigliare quel migliore accordo con Andronico, che ottenere poteſſero; e dato effetto alla deliberazione, ſopra a quarantacinque galee, che nel porto erano ſpedite, e navi ſei Spagnuole nuovamente arrivate, ſalirono. Ma Andronico per lo Stretto di Propontide già paſſato, con molti cavalieri avea la Cittade ottenuta; & avendo i Latini mandati a lui alcuni Baroni per trattamento di pace, furono dalla Torre di Buccaleone gittati in mare: e ſubitamente per tutta la Città furono inquiriti i piccoli fanciulli, le femmine, e gli uomini di antica età da' Latini laſciati, e crudelmente ucciſi. E corſero i Greci al porto con ſaette, e con fuoco, e con ogni tormento da guerra, e aſſalirono l'armata, gittando loro dalle mura addoſſo i lacerati corpi della turba Latina, che uccisa aveano; e molti altri con orrendo ſpettacolo per li piedi intorno a' merli aveano ſoſpeſi. Il Conte d'Algira non potendo ſotto le alte Torri della Città la pugna mantenere, tiratoſi con tutto lo ſtuolo in alto, fu per comune conſentimento fatto generale Capitano de' Latini, e addirizzatoſi a Tenedo Iſola ricchiſſima tra tutte quelle, che l'Imperio poſſedea, la ſpogliò tutta quanta, uccidendo e femmine, e fanciulli ſenza alcuna pietà; nè ſolo le mura e gli edifizj conſumò con fuo-

Digitized by Google

A fuoco, ma le Ville, che di viti, e di ogni frut-
tifera pianta erano coltivate, diſtruſſe col ferro.
Nè meglio furono trattate e Scio, e Mitilene,
Iſolette pure all'Imperio ſoggette; ma pari-
menti diſtrutte, e vote di abitanti furono la-
ſciate. Nè da queſta rovina furono le Iſole ſole
conſumate, ma tutte le Greche riviere, e lidi
marini parimenti ardeano; e la Città di Atene
già per anti o grandiſſimo fatto, e in quei tem-
pi aſſai grande ancora, e ſotto a proprio Duca
governata, fu in queſta guerra da' Latini diroc-
cata in tutto, nè altro vi rimaſe, che il nome
ſolamente d'Atene, e i Borghi di Corinto, che
al mare ſi diſtendeano. Le Città d'Achaja, che
dalla loro anti a Provincia il oome ritiene, fu-
B rono medeſimamente gittate a terra inſieme con
Calcide nella Iſola Euboea. Nè per li miſeri
Greci ſi prendea a tanta ſventura alcun riparo;
imperochè già avea Andronico il ſuo nipote
Aleſſio u ciſo, e l'Imperio uſurpato, e per ogni
giorno al. uno de' più Nobili a ſe ſoſpetto nella
Città fatto uccidere. Et avrebbero per queſta
inteſtina diſſenſione de' Greci fatto i Latini il
danno aſſai maggiore all'Imperio, ſe tra loro
medeſimi non foſſe differenza naſciuta, della
quale grandiſſima cagione all'avarizia del Capi-
tano Catalano venne attribuita. Eſſi ritornarono
in Ponente ricchiſſimi tutti della Gre a preda.

Ma Andronico, ſiccome da quella paura li-
berato, più largamente il furore della ſua cru-
C deltà ſpandea, e con maggior cura alla perſe-
cuzione dell'Imperial ſtirpe di Emanuele inten-
dea. Di queſta ſalata an ora dimoravano in
Coſtantinopoli due fratelli, Kirſaco, & Aleſſio,
molto per quella nobiltade a' Greci venerabili,
e più per loro virtù da eſſere temuti. Il mag-
giore, che la morte ognor vicina ſi vedea, con
ajuto degli amici occupò il Caſtello di Bucca-
leone, il quale in Coſtantinopoli dalla parte del
mare è ſituato, dimorando per quel tempo An-
dronico nell'altra fortezza, la qual poſta di
verſo terra, Blanchernia vien nominata. Fu tra
queſti dentro alla Città civilmente combattuto,
e fu Andronico preſo, e vergognoſamente con
le pietre dal Popolo ucciſo. Kirlaco ordinato
D Imperatore quello pacificamente governava, &
avendo a ſe per matrimonio giunta Eliſabetta
figlia del Re d'Ungaria, & avutone un figlio
Aleſſio nominato, il fratello ſuo, che pure
Aleſſio ancor egli ſi appellava, dentro ad una
Abazia con tradimento il preſe, e trattigli gli
occhi, e poſtolo in carcere, occupò a ſe l'Im-
perio. Fuggì l'Imperatrice in Ungaria al fra-
tello per occulto modo, traducendo ſeco il fi-
gliuolo con molto teſoro. E furono queſte coſe
fatte dall'anno ſecondo di Henrico Imperatore,
che fu di Criſto milleſimo centeſimo nonageſimo
ſecondo, inſino al ducenteſimo e primo, nel
quale Otto Quarto trè anni già regnato avea:
nel qual tempo aveano i Veneziani con l'ajuto
de' pellegrini la Città di Zara conquiſtata. La
fama de' quali eſſendo ad Eliſabetta riportata in
Ungaria, mandò ſuoi Ambaſciatori al Doge di
Venezia, che quivi era, & a' Baroni con mol-
ta proferta di teſoro, quando a reſtituire nell'
Imperio il ſuo figliuolo volcſſero attendere. A
queſto fare ſi diſpoſero incontinente i Venezia-
ni, e da loro furono ancora eſortati & impulſi
i pellegrini con promeſſa, che a loro fece Aleſ-
ſio Imperatore, che ottenendo Coſtantinopoli,
con loro inſieme farebbe il ſanto paſſaggio.
Grandiſſima ſomma di moneta fu a queſti Latini
sborſata, che in Grecia paſſarono; e volteggia-
to il Peloponeſe per la Greca riviera a Coſtan-
tinopoli ſi appreſentarono, e dalla parte di terra
i Baroni con loro cavalleria, e dalla maritima
i Veneziani, poſero la Terra in iſtretto aſſedio.
Dentro era il fratricida Imperatore dalla co-
ſcienza iſteſſa della ſua ſceleraggine ſpaventato,
imperochè più di fede ne' Cittadini, che nei
nemici, non avea: e per queſto ſenza tentare
altra battaglia fuggì alla Città d'Adrianopoli
poſta nella Tracia ſuperiore, e di quindi cac-
ciato fuggì in Comania, e nei popoli di Ruſſia
finì ſua vita miſeramente per ſervo venduto.
Fu dentro a Coſtantinopoli ricevuto il giovinetto
Aleſſio, e il cieco padre tratto di prigione.
L'eſercito de' Latini vicino al porto ſtava ac-
campato; e trattandoſi dentro alla Città d'im-
porre nel popolo nuova gravezza pel pagamen-
to, che a' pellegrini donar ſi conveniva, per
quanto era loro promeſſo per l'Imperatore, il
quale per ſe era impotente a ſoddisfare: ſubita-
mente ſorſe grandiſſimo tumulto, e fu il giovi-
netto inſieme col padre ucciſo; & uno, Mor-
tulfo nominato, eletto Imperatore, quale ſubi-
tamente uſcito con tutti i Greci armati, aſſalì
l'eſercito de' Latini, i quali ritrovò in ordinate
ſchiere aſpettare la battaglia; perochè piana-
mente erano informati di quanto era fatto nella
Cittade. Eſſi aveano da Ponente tutti i loro
cavalieri. . . . .

Reliqua deſiderantur.

HISTORIA
DULCINI HÆRESIARCHÆ
NOVARIENSIS

Ab Anno MCCCIV. uſque ad Annum MCCCVII.

AUCTORE

ANONYMO SYNCHRONO,

Nunc primùm evulgatur

E MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ,

UNA CUM NONNULLIS ANIMADVERSIONIBUS

CLARISSIMI VIRI

JOSEPH ANTONII SAXII

EIDEM BIBLIOTHECÆ PRÆFECTI.

Digitized by Google

IN HISTORIAM
DE REBUS GESTIS
DULCINI HAERESIARCHAE
PRÆFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

DEbeo Opuſculum iſtud Clariſſimo viro *Joſepho Antonio Saxio*, Ambroſianae Bibliotbecae Praeſecto, qui tot alia ad hanc ipſam Collectionem inſtruendam mibi pro ſua humanitate miniſtravit, oon mious boc etiam titulo, quam ſuis editis Libris optime de re publica meritus. Invexerat olim io eamdem Bibliotbecam Lazarus Auguſtinus Cotta, Novarienſis Juriſconſultus, & amicus meus ſingularis, quaecumque ad Hiſtoriam patriae ſuae ſpectaotia longo ſtudio ſibi congeſſerat, inter quae Opuſculum, quod nunc Clariſſimi Saxii beneficio in publicum effero. Ejus Auctor Anonymus eſt; ſyocbronum tameo facile agnoſcamus, ſi oarratiooem rerum accuratam ac minutam conſideremus, qualem efficere non ſolet, niſi qui loco & tempore a rebus geſtis mioime diſtat, aut parum diſtat. Aliqua tameo a recentiori Scriptore, oempe a Jobanne Bonaccio Notario Trivenienſi, in calce addita foere, ut illic legitur; immo quis etiam omnia baec olim exſcripſerit, ibi adnotatum eſt hiſce verbis. *Explicit Liber Fratris Dulcini Haereſiarcbae, Gazzarorum baereticorum conductoris, exiſtentis in monte Zebello loci Triverii, ſcriptus per me Philibertum Cuppam Bugellenſem de Anno 1551. in menſe Septembris ad gloriam Dei.*

Fuit autem Dulcini haereſis, ejuſque ſectariorum coofluxus atque conſtantia, & omoium tamdem expugnatio ac caedes, ejus momenti, ut jore & ipſa locum ſibi in Italica Hiſtoria depoſcant. Et quidem mentionem de eo ſecere illorum temporum Scriptores, Bernardus Guidonis, cujus oarratiooem habes Tom. III. Italic. Rer. pag. 674. Jobannes Villanus, Alvarus Pelagius, Nicolaus Eymericus, Bernardus Lucemburgenſis, aliique non pauci; non autem Martinus Polonus, uti Odoricus Raynaldus parum caute affirmat in Annal. Eccleſiaſt. ad annum 1308. oum. 9. Longe enim antea vivere, oedum ſcribere Hiſtorias deſierat Martinus. Quare ejus Continuator rectius heic erat memorandus. *Gazzarorum* autem *Secta* a Scriptore noſtro appellatur, quae Dulcinum tutorem habuit ac propagatorem. Neque enim parentem illius, ſive Haereſiarcham, ſi accurate loqui volumus, appellare licet, quaodo haereſim eamdem jam pridem diſſeminaverat *Gerardus Secarellus de Parma*, qui etiam ſuerar *Rector Sectae* ipſius ante Dulcinum, ut ex ipſo Opuſculo intelligere poſſumus, monuitque etiam Nicolaus Eymericus illius Seculi Auctor in Director. Inquiſit. part. 2. quaeſt. 12. Adde, non oovam quampiam baereſim a Dulcino fuiſſe procuſam, quum nibil aliud perverſae illius opiniones ſorent, quam aut antiquiſſima Gnoſticorum & Manichaeorum deliria, aut Fraticellorum recentia. Multis jam oſtendit celeberrimus Boſſuetos io Hiſtor. Variat. Haereſ. peſtem hanc oumquam extinctam, & per ſecula multa vagatam in Europa, modo ioſeciſſe Italiam, modo Gallias, modo Britanniam, ac ceteras Chriſtianorum proviocias. Ejuſmodi Haeretici olim *Catbaros* ſe ſe appellabant, eorumque ſucceſſores Seculo Cbriſtianae Aerae XIII. idem ſibi nomen in Italia vendicavere, quod nempe eaſdem ſere ſententias adoptaſſent, ſuiſque doctrinis, corporibus, & operibus, ſomniatam quamdam puritatem tribuerent. Adhuc legitur (& legi ego non ſemel) in Mercatorum Foro Mediolani lapis Oldrado Praetori Urbis poſitus circiter Annum 1233. in qoo is laudatur ooo ſolom ob palatium publicum illic ſtructum, ſed etiam quod *Catbaros*, *ut debuit*, *uxit*, pro *uſſit*. Cathari ergo iſti, progrediente tempore, ludibrii cauſâ, ut puto, *Gazzari*, ſeu *Gazari* vulgo noncupati ſunt, corrupto dedita opera indigno eorum nomine.

Quod mirere, Dulcini ejuſque ſectatorum effuſa licentia in abominandam quamque libidinem a Scriptore hujus Opuſculi minime inter ejus errores & crimina recenſetur. Et ſane horum hominum genus & ſcelera plus aequn ſama interdum onerare conſuevit. Attamen quum Dulcinus ejuſque ſchola principiis quibuſdam uterentur, quae Gnoſticis olim & Manichaeis fuere communia, & e quibus fluebat impunitas ad omnia luxuriae inquinamenta, nemo neget, quin fides facile habenda ſit ſupra laudato Eymerico de iis ſcribenti: *omnia communia eſſe docebant, etiam uxores*. Sanctus quoque Antoninus part. 3. tit. 21. Cap. 1. Bernardus Lucemburgenſis, Blondus, aliique idem confirmant. Numquam enim ad hoſce Catholicae doctrinae novatores & corruptnres tam ſtudioſe virorum ac mulierum turba confluit, quam quum ſub ſpecie pietatis libidini aliiſque vitiis porta recluditur. Anno 1307. uti heic diſerte ſcriptum cernimus, contra Dulcinum Catholicae militiae arma praevaluerc, atque is eodem Anno & menſe Junio ſuae temeritatis ac impietatis poenas dedit. In eam chronologiam conſentiunt Corius, Spondanus, & alii. Quare ejus mortem non ſatis recte Odoricus Raynaldus conſignavit ad Annum 1308. quaſi id Bernardus tradiderit; heic enim annum numerabat non a Nativitate, aut a Circumciſione Domini, ſed quidem ab Incarnatione. Longius etiam a veritate deflexit Bzovius in Annal. Eccleſ. qui Dulcini occaſum diſtulit uſque ad Annum 1310. Sed pluribus Lectorem diſtinere nolo.

HISTO-



HISTORIA
FRATRIS DULCINI
HÆRESIARCHÆ.

Hiſtoria, ſive Legenda nefandorum operum, & malorum geſtorum perpetratorum per maledictum & peſſimum Hæreſiarcham Fratrem Dulcinum cum ſuis perfidis Sequacibus in Villa & loco Triveri, & aliis Villis ac locis circumſtantibus, qui de Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexto die ſeptima menſis Martii vênit cum ſua peſtifera comitiva ſuper quemdam montem exiſtentem in montibus Triveri, qui tunc temporis dicebatur mons Zebelli; nunc verò quia in cacumine dicti montis poſt expulſionem dicti Dulcini & Sequacium ejus fuit conſtructum, fabricatum, & conſecratum Sacellum, ſeu Oratorium unum ad laudem Dei, Beati Bernardi, & aliorum Sanctorum, appellatur mons Sancti Bernardi, quod nomen in perpetuum retinebit.



IN Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti amen. Anno currente Milleſimo trecenteſimo ſexto, die decima menſis Martii. Vênit perfidus Hęreſiarcha frater Dulcinus nomine nuncupatus ſuper montem Zebellum (1) de Triverio Vercellenſis Diœceſis. Quoniam magnitudo rei, quæ miraculoſe & inexcogitatè provenerit, cùm ab aliquibus enarratur, ſæpiſſimè reddunt nos auditores dociles, benivolos, & attentos, nonnumquam & ipſos inducunt ut eorum tempora prudenter diſpenſent, memorando præterita, cogitando præſentia, & prævidendo futura, ut vitio- A rum lubricis profulgentibus ſalubria capiant, & juxta vigilantium ſolertiam firmentur: idcirco ad honorem ſummæ & Individuæ Trinitatis opus aggrediar ſub compendio compilatum narrare.

Intendens novitatem, quæ propter ſui ſtupendam .... tam modernis, quàm poſteris etiam memoriæ commendare, quæ quidem novitas vênit, exiſtente venerabili Patre Domino Raynerio Pezzano (2) Advocato Epiſcopo Vercellenſi; & ut ad ſpecies ſingulares deſcendam, eſt notabiliter ſciendum, quòd præfatus venerabilis Pater Dominus Raynerius Epiſcopus Vercellenſis gradatim aſcendit ad omnes honores in Eccleſia Vercellenſi, divina gratia ſuffragante. Nam primò in ætate juvenili fuit Clericus Ec- B cleſiæ Vercellenſis, demum Cantor, poſtmodum Theſaurarius, poſtea Præpoſitus, & ſubſequenter Archidiaconus dictæ Eccleſiæ. Et promotus fuit & honoratus precibus ad eum miſſis, non per eum porrectis, ad omnes hujuſmodi dignitates, ita quòd quinquaginta annos & ultra, ſucceſſivè

(1) *Rebellum* ubique appellat Carolus à Baſilica Petri in ſua Novaria ſacra.

(2) Seu *de Pezzano*. E familia quidem Avogadra, ſed *de Valdengo* Rainerium afferunt Corbellinus & Cuſanus in Vitis Epiſcoporum Vercellenſium.

ceſſivè conſtitutus in dignitatibus antedictis, tenuit Eccleſiam in bono ſtatu, pacificè & tranquillè, prout ejus opera manifeſtant clariùs per effectum, quod longum eſſet enarrare. Poſtmodum verò, defuncto bonæ memoriæ Domino Aymone Epiſcopo Vercellenſe, qui fuit de Vicecomitibus (3) de Auguſta, in Anno Milleſimu trecenteſimo tertio, idem Dominus Raynerius Archidiaconus, inſpiratione divina, concordi Capituli totius voluntate, nemine diſcrepante, fuit electus in Epiſcopum Vercellarum, juxta illud, quod legitur in Canone: *habebant unuſquiſque ſuum officium militiæ*, in Eccleſia, in qua ſuam per omnia tranſegit ætatem. Præſentata igitur electione ſua præmiſſa Patri ſanctiſſimo Bonifacio Papæ Octavo, idem Dominus Papa præmiſſum Epiſcopatum eidem Domino Raynerio inſtanti contulit de gratia ſpeciali. Cùm autem ipſe Dominus Epiſcopus collatione facta, & ſuſcepta, habitoque munine conſecrationis, honorificè, ſicut decet, Epiſcopatum ipſum in omni tranquillitate teneret: quidam frater (4) nomine Dulcinus, filius Presbyteri Julii de Tarecontano (5) Vallis Exolæ (6) Diœceſis Novarienſis, homo incognitus, Hæreſiarcha peſſimus, ſubitò & inopinate cum quibuſdam complicibus ſuis de remotis partibus (7) venit in Diœceſi Vercellenſi Anno Domini Milleſimo trecenteſimo quarto, & in locis Gatinariæ, & Serravallis, & aliis circumſtantibus cœpit occultè & malitioſe converſare, & in ipſis locis quamplures tam mares, quàm fœminas ſeduxit, trahens ipſos ad falſa documenta, ſuam pernicioſam ſectam, & novam hæreſim. Falſos errores, inexcogitabiles ac perditos laqueos, dogmatizare cœpit, fidelium, imò ſimplicium animas captivando. Et cùm ipſe frater Dulcinus cum quampluribus ſequacibus eſſet in loco Serravallis, & intellexiſſet, quòd Inquiſitores pravitatis hæreticæ eum perſequebantur, auxiliando ſibi quibuſdam de dicto loco Serravallis, qui ſibi aſſiſtebant, aufugit inde cum ſua peſtifera comitiva: ex quo graves proceſſus facti fuerunt, & formati tam per Inquiſitores hæreticorum, quam per Dominum Poteſtatem Vercellarum, contra Rectorem Eccleſiæ Serravallis, & contra homines dicti loci Serravallis. Tamdem condemnati fuerunt, eo quòd dicto Fratri Dulcino favorabiles fuerunt. Cùmque a dicto loco Serravallis aufugiſſet, reduxit ſe in Vallem Sicidam (8) Diœceſis Novarienſis in domo cujuſdam ruſtici divitis, qui dicebatur Millanus Sola de loco Campartolii Diœceſis Novarienſis, ſive Varallis, qui ipſum Dulcinum de longinquis partibus evocavit; ibique pluribus menſibus ſtetit cum peſtifera comitiva. Ad quem Dulcinum homines & mulieres de diverſis Mundi partibus veniebant auditùm ſuas falſas prædicationes, & erronea documenta. Qui dubitando de perſecutione, quæ fiebat tam contra eos, quàm contra Hæreticos & Infideles, recedendo ab inde, ductis ſe um dicto Millano Sola, & multis aliis perſonis de dicto loco Campartolii, aliiſque locis circumſtantibus cum omnibus eorum bonis, quas perſonas ipſe Dulcinus traxerat ad ſuam falſam ſectam, ſe reduxerunt ad quemdam montem Diœceſis Novarienſis, ubi dicitur ad Balmara, ibique plures domus & manſiones conſtruxerunt, & in ipſo monte pluribus menſibus permanſerunt. Et cùm magnus exercitus congregatus eſſet contra eos, (9) procurante præfato Domino Epiſcopo Vercellenſi, & Inquiſitoribus Hæreticorum cum Bullis Apoſtolicis: (10) in quo exercitu erant multi de Diœceſi Vercellenſi, quos idem Dominus Epiſcopus miſerat pro exterminio dictæ ſectæ, & defenſione Fidei Catholicæ, ac populi Chriſtiani: videntes ergo ipſe Dulcinus, & ſequaces ſui, quòd non poterant ſe bene defendere ab exercitu prædicto Chriſtianorum, nec Fidelibus reſiſtere, qui eos perſequebantur, arripuerunt fugam noctis tempore. Et cùm crederent, ipſos tamquam confuſos & diſperſos totaliter receſſiſſe, illucque vel in partibus circumſtantibus nullo modo & nullo tempore reverturos,

(3) Etiam Aymonem hunc Avogadræ familiæ adſcribunt nonnulli apud Corbellinum & Ughellum; incongruè tamen, cùm è Vicecomitum ſtirpe illum produiſſe affirmet Auctor noſter, ætatem ejuſdem tam proxime attingens.

(4) Nullum ſacrum Ordinem profeſſus eſt Dulcinus, (quidquid Ripamontius ſcribat) ſed Religioſam vitam ſub rudi alboque habitu, & affectata ſeverioris diſciplinæ regula, ementitus eſt, ut ex Eymerico diſcimus.

(5) Seu *Tragontano* Oſſulæ vico.

(6) Vallem Oſculæ, olim dictam ab Oppido ejuſdem nominis, quod Ptolomæus circa has Alpes ſtatuit, Carolus a Baſilica Petri teſtis eſt; nunc *Oſſula* appellatur.

(7) Per Dalmatiam ac Tridentinas Alpes propagaſſe primò Sectæ ſuæ errores Dulcinum, ſed undique expulſum conſtitiſſe demum in Novariæ ac Vercellarum finibus, traditum ab aliquibus reperi.

(8) De hac Carolus a Baſilica Petri: „ Flumen Sicidæ & Vallis Sicidæ multis dicta eſt, ſed „ malè. Nam Seſites antiquum nomen Plinius „ demonſtrat, ex quo vernaculæ pronunciationis vitio, primò quidem Seſeda, ut in veteribus quibuſdam ſcriptis reperi, deinde etiam „ Seſia, ut hodie dicitur, aut Seſium dictum „ eſt, nam & in veteribus ſcriptis ſæpiùs hi „ montes Seſii appellantur. Fuiſſe verò videntur qui antiquum nomen ignorantes, & latinam rationem aliquam imperite ſequentes, „ Sicidam reddidere.

(9) Honorii IV. anno MCCLXXXV. & Nicolai IV. anno MCCXC. contra pſeudo-Apoſtolos, ut Eymericus narrat.

(10) In Miſcellaneis ſcriptis Novarienſibus, quæ in Ambroſianam Bibliothecam intulit, mihi olim amore conjunctiſſimus, & Muſæo Novarienſi edito celebris Lazarus Auguſtinus Cotta, Vol. IX extat exemplum publici documenti confecti anno MCCCV. die XXIV. Auguſti, in Eccleſia Scopæ Diœceſis Novarienſis, in quo leguntur primores Viri Locorum ac Vallium finitimarum ſimul conveniſſe, tactiſque Evangeliis percuſſiſſe invicem fœdus, ut junctis viribus ineluctabile bellum Gazzaris intentarent: ita verò exorditur: „ Dum placuit Deo liberare ferè totam Vallem Sexiam inferiorem de Blandratorum tyrannide, iniqui heretici Gazzari, eorum milites Vallem Magnam ſuperiorem invaſerunt, „ in montibus Vallis Raxæ ſe fortes fecerunt, „ & totam regionem raptis, excidiis, incendiis, & miſeriis ſacrilegi adimpleverunt: „ Placuit S. Patri Clementi eadem cum novitate ſuæ exaltationis ad Papatum Indulgentiam „ publicare ad formam Cruciatæ contra Dulcinum „ & ſequaces: Hac de cauſa Homines, Populi, „ & ſuper eos inſignes familiæ, quæ propter „ factionum & bellorum calamitates, in hiſce „ alpibus confugium & pacem quæſiverunt, in „ Concilio generali Ligam perpetuam ſimul contractaverunt, ſtatuerunt, & deliberaverunt „ armis proſequi iſtos nefandos devaſtatores unanimiter & concorditer uſque ad ultimam ſanguinis guttam, & hodierna die incipere obſidionem & guerram quiſquis ſecundùm ſuum „ majus poſſe: Juraverunt ſupra Dei Evangelia unionem, ſinceritatem, & conſtantiam, „ & guerram contra hoſtes iſtos perverſos fidei „ & libertatis deſtructores uſque ad exterminium „: Sequuntur nomina eorum, qui ſe juramento obſtrinxere, additurque Tabellionis nomen: *Ego Jo: Montea Notarius publicus hoc Inſtrumentum rogavi, & juramentum à Contrahentibus accepi.*

ros, ipſi doloſi Hæretici aſcenderunt ſuper quemdam montem ibi proximum, & fortiſſimum, qui à nulla parte poterat expugnari, & appellatur Mons Parietis Calvæ, ibique convenerunt de diverſis Mundi partibus homines & mulieres de ſecta ipſius Dulcini tot & tanti, quòd fuerunt in numero mille quatuorcentum & ultra; quorum omnium ipſe Dulcinus erat dominus & rector, & ſibi in omnibus obediebant, & potiùs recepiſſent pœnam magnam, quàm ejus mandata tranſgredi. Et ibi domus quamplures & habitacula conſtruxerunt. Congregatâ verò hujuſmodi pravâ ſectâ in monte præmiſſo, cœperunt ſpoliare totam Terram à loco Varallis ſuperiùs; & cùm quadam vice veniſſent ad ſpoliandum, Poteſtas Varallis, & homines dicti loci, & locorum circumſtantium dictæ Vallis Sicidæ, fuerunt ad reſiſtendum ipſis hæreticis. Et ipſi canes peſſimi, poſitis aliquibus ex ipſis in inſidiis multis, irruerunt cum multitudine oneroſa in ipſos Poteſtatem, & homines dictæ Vallis cum armis & lapidibus, ibique plures homines occiderunt in conflictu, & alio quamplures ad dictum ſaxum Parietis Calvæ captivos duxerunt, & eos uſque ad extremum ſuæ ſubſtantiæ redimi fecerunt. Inter quos captivus fuit Poteſtas præmiſſus, qui erat Novarienſis, nobilis, & de genere Bruxatorum (11). Poſtea verò deſtruxerunt ferè omnes Terras & Villas, quæ erant à loco Varallis ſuperiùs, Eccleſiaſque ſpoliaverunt, & loca plurima igne ſuccenderunt itaque in illa contrata ferè per decem milliaria pauci vel nulli habitabant; & remanſit contrata illa derelicta, & gentes illius contratæ diſcurrebant per alienas patrias mendicando. Et ſi illi peſſimi canes inveniebant aliquos Chriſtianos, aut eos occidebant, aut redimi faciebant. In perſonis ac bonis damna & offenſiones quamplurimas intulerunt tam in Diœceſi Vercellenſi, quàm Novarienſi. Poſt hæc & his ſimilia acceſſerunt ad locum Triverii prava opera faciendo.

Tamdem ad tantam famem & penuriam devenerunt, quòd carnes murium, equorum, canum, & aliarum beſtiarum brutarum, fœnum coctum cum ſepo comedebant etiam tempore Quadrageſimæ. Et cùm ſuper dicto monte per annum & ultra ſtetiſſent, & habitaſſent, & ibi ulteriùs habitare non poſſent, quia fame & miſeria multi ex eis moriebantur: ipſi peſtiferi canes Dulcinus & ſequaces in anno currente Milleſimo trecenteſimo ſexto die Jovis decima menſis Martii, relictis in dicto monte perſonis debilioribus, ſeceſſerunt ab infra, & tranſeuntes montes magnos, vias inexcogitabiles fecerunt per loca difficillima, & nives altiſſimas, noctis & tempore intraverunt Diœceſim Vercellenſem, & aſcenderunt ſuper quemdam montem fortiſſimum, qui appellabatur Mons Zebellus, qui eſt ſuper locum Triverii dictæ Diœceſis Vercellenſis, nunc verò propter incolatum dictorum hæreticorum appellatur Mons Gazzarorum ſive Fratris Dulcini. Et in adventu ipſorum Hæreticorum fuerunt; ut de communi creditum eſt opinione, & relatione ipſorum, mille & ultra, qui nulla victualia habebant, niſi fortè quædam fruſta carnium, & hujuſmodi, quas ſecum tulerant, prout veraciter fuit repertum. In adventu autem ipſorum Hæreticorum deſcenderunt ipſi Gazzari ad Villam & Eccleſiam Triverii ſummo mane, de quo homines Triverii nullatenus advertebant, & improviſi erant; & exſpoliaverunt Eccleſiam Triverii exportando calices, libros, & alia bona. Derobaverunt alias domus quamplures de Triverio, captivando quoque perſonas dicti loci; & totam prædam, quam capere potuerant, reduxerunt ad montem Zebellum ſuperiùs nominatum, qui nunc dicitur Mons Gazzarorum ſive Fratris Dulcini. Homines tamen Triverii tamquam ſtupefacti, & in lectis exiſtentes, nullam defenſionem fecerunt, ſed ipſos ſinè aliqua inſecutione redire permiſerunt. Poſtea verò congregati, & in ſe reverſi, fecerunt rumorem, & pulſaverunt ad ſtremitam. (12) Quidam autem Juvenes de Moxo, pauci tamen, auditâ ſtremitâ cucurrerunt uſque ad confinem Moxi, & Triverii, & reperientes triginta quatuor de melioribus ipſorum hæreticorum, quos Dulcinus poſuerat in inſidiis ad obviandum, & providendum, ne aliqui eos offendere poſſent, ipſos interfecerunt auxilio eorum de Triverio. Alii verò onerati ſpoliis & prædis, ſive bonis derobatis, combuſtis quibuſdam domibus, redierunt ad montem præmiſſum: Unde homines locorum circumſtantium fuerunt valde ſtupefacti, & perterriti. Cùm autem prædicta incontinenti ad aures præfati Reverendi Domini Epiſcopi Vercellarum deveniſſent, ipſe tamquam bonus Paſtor cogitans ſtatim poſſe eos ſuperare, & lupos à ſuo grege depellere, tum quia non habebant victualia, tum quia erant in montibus altiſſimis collocati, ſtatim miſit illuc maximas gentes de terris ſuis, & aliunde, cauſa capiendi, & deſtruendi peſtiferos antedictos. Cùmque ipſi ſic eſſent obſeſſi in monte præmiſſo, videntes ſe quaſi mortuos, irruerunt malitioſè cum armis & lapidibus in Chriſtianos, qui venerant contra ipſos ad debellandum eos; ibique multos occiderunt, & alios multos ceperunt, quos redemtionem facere compulerunt; & ſic multa victualia, & alia neceſſaria pro hujuſmodi redemtionibus habuerunt. Carnes verò tota Quadrageſima comedebant; ſemperque attenti erant, ut poſſent perſonas & bona Fidelium rapere & prædari. Super ipſo autem monte fortalicium magnum, & domus multas fecerunt, & foderunt quemdam fontem, qui erat in medio montis longè à fortalicio prædicto unum milliare vel circa, & ipſum ordinaverunt ad modum unius putei, & ipſum cum lapidibus magnis cooperuerunt; & fecerunt ſub terra à cacumine montis prædicti uſque ad dictum fontem iter unum, & ipſum etiam cooperuerunt, ne poſſent videri, neque capi à Fidelibus. Et à nemine expugnari poterant, nec aliquem hominem timebant, dummodo tamen haberent victualia.

Dominus autem Epiſcopus tamquam fortis athleta ſemper eorum ſuperbiam conterere cupiens, indefeſſo labore viriliter eis reſtitit; nam à prin-

(11) M. Aurelius Cuſanus in Vita Rainerii Vercellenſis Epiſcopi addit, Bruxatum hunc acerba morte a Dulcino ſublatum, ſed unde id hauſerit minimè docet. Credibilius eſt dimiſſum è vinculis redemptionis lege cum cæteris, qui in hoc conflictu capti, pacta pecunia, in libertatem aſſerti narrantur; id enim ſuadebat ciborum penuria, qua ſummopere laborabant hæretici, ut ex tam nobili præda majus pretium emungerent. Certè Auctor noſter, qui inſana omnia extremæ crudelitatis illorum veſtigia tam ſedulò relegit, de hac cæde prorſus ſilet.

(12) Deeſt hoc vocabulum à Ducangii Gloſſario, aliiſque vocum peregrinarum Lexicis, quæ evolvi. In aliquibus trans Padum Urbibus adhuc vox iſta uſurpatur, & deſignat frequentem illum æris campani ſonitum, quo publico aliquo urgente periculo populus excitatur, ut arma capiat aut in ſubſidium accurrat, & vulgari ſermone dicitur *ſonare campana a martello*.

A à principio per menſes quatuor vel circa in loco Moxi tenuit exercitum magnum de hominibus electis ad obviandum ipſis malignis, ne fortè deſcenderent de dicto monte, daturi offenſiones aliquibus Fidelibus, & ne deſerrentur victualia aliqua eiſdem, vel aliquæ mercaturæ, ſive etiam armaturæ. Et cùm in Calendis Maji proximè ſequentis quamdam maximam prædam facere cogitaſſent, prædicti Dulcinus, & ſui ſequaces de monte ſinxerunt ſe recedere quaſi cum omnibus, qui ibi aderant; & præſentibus quibuſdam carceratis dixerunt, quòd non volebant ampliùs ſtare ibi, quia non habebant victualia. Et dimiſſis ibi paucis hominibus, exivit fortalicium cum maxima comitiva, & re-
B ductis carceratis in carcere, ipſe latenter intravit fortalicium cum ſuis ſequacibus, & per aliam portam intrantes ſe abſconderunt, ne carcerati ſcire poſſent fraudem, quam cogitaverant & ordinaverant. Illi autem, qui remanſerant cum pluribus carceratis, ſuaſerunt ipſis carceratis, ut recederent, quia pœnitebat eos de malis, quæ fecerant; & dixerunt ipſis carceratis: *Eatis ad Capitaneos exercituum Domini Epiſcopi Vercellenſis, qui ſunt Moxi, & dicatis eiſdem, quòd veniant huc cum tota ſua gente, quia volumus ſibi montem, & Caſtrum remittere, & ſequi fratrem Dulcinum, & alios, qui hac nocte vobis videntibus receſſerunt, quia victualia non habemus, & non poſſumus amplius*
C *hic manere*. Ipſi autem carcerati receſſerunt cum licentia, & venerunt Moxum, narraveruntque Capitaneis, & hominibus exercituum Domini Epiſcopi prædicta, quæ ſibi dixerant illi doloſi, & quæ viderant. Illi verò tamquam nimis creduli iverunt illuc ſuper montem cauſa capiendi eum, & fortalicium, & cauſa debellandi expellendique illos canes peſtiferos, ſperando ipſos ut plurimùm receſſiſſe, prout narraverant carcerati. Et cùm ibi tota nocte ſtetiſſent, & gravis pluvia cum frigore & grandine adveniſſet, fortalicium intrare dubitando, quia de proditione timebant, cœperunt deſcendere coſtam, & regredi versùs Moxum. Tunc illi canes maledicti exeundo de inſidiis deſcen-
D derunt de monte, & irruerunt more Dæmonum in prædictos homines Domini Epiſcopi, & multos ex eis occiderunt, & alios ceperunt, quos redimere fecerunt ex confine; & ſic de redemtionibus & ſpoliis, quæ ibi habuerunt, & lucrati fuerunt, multa victualia & alia neceſſaria habuerunt.

Præfatus igitur Dominus Epiſcopus ex hoc valde ſtupefactus miſit, conſilio Capitaneorum ſuorum, & aliorum nobilium, & bonorum hominum, nuntios ſuos ad Summum Pontificem cum literis ſuis, cauſam prædictam explicando, qui gratioſè conceſſit ſuas Indulgentias plenarias omnibus Chriſti fidelibus, qui perſonaliter irent ad debellandum, & expugnandum dictos hære-
E ticos, vel dare volentibus ſtipendia debita, & opportuna pugnare volentibus per menſem contra prædictos canes, ipſoſque hæreticos condemnando, & anathematizando. Tunc præfatus Dominus Epiſcopus confiſus de auxilio Dei, & Beati Euſebii Martyris, & literis Domini Papæ (13), quas ubique publicari fecit, paulò poſt capi fecit, & muniri quemdam alium montem cum maximo periculo, qui eſt à parte appoſita dicti montis Zebelli, ibique fieri fecit baſtitam (14) fortiſſimam, & pulcherrimam, in qua poſuit primò mille & ducentos viros, & ultra. Et procuravit, quòd Commune Vercellarum, licèt foret difficile, conduci fecit duas machinas ad dictam baſtitam, quæ, die noctuque trahebat ad dictum fortalicium montis ſupradicti; & multa damna intulerunt tam perſonis, quàm domibus ibi conſtructis per ipſos Hæreticos. Commune verò Vercellarum, mediantibus Indulgentiis Apoſtolicis, & procurante prædicto Domino Epiſcopo, fecit ſimiliter baſtitam unam cum Villis circumſtantibus in pede montis ſupra viam, quæ ducit ad Sellam Stavelli, ita quòd una propter aliam erat plus ſecura, & gentes utriuſque baſtitæ ſeſe, cùm expediebat, adjuvabant, & ſibi, cùm opus erat, ſuccurrebant. Propterea idem Dominus Epiſcopus compatiens populo, licèt eſſet antiquus (15), exercitum ſuum, & etiam exercitum Communis Vercellarum perſonaliter viſitavit, confortando Dominum Poteſtatem Vercellarum, & ceteros homines utriuſque exercitus, qui etiam multi de remotis partibus venerant ad tam grande ſpectaculum: de cujus adventu multi fuerunt congaudentes, & illi infelices peſſimi Gazzari perterriti fuerunt miro modo. Et cùm per homines dictorum exercituum tractaretur, quamdam aliam baſtitam fieri contra prædictos canes ſuper quodam alio monte apud Sellam Stavelli, quæ Sella habet pulchram, & magnam placiam (16) ad pugnandum inter partes ipſas, & aſcenderunt ipſi Fideles ipſum montem, ſive Sellam Stavelli, ubi eſt iter ſatìs pulchrum, & planum, videlicet cauſa muniendi ipſum montem, ſive Sellam, & faciendo ipſam baſtitam prope Sellam Stavelli: ipſi pernicioſi Gazzari fuerunt deſuper, & irruerunt in dictas gentes Fidelium, & multi de utraque parte interfecti fuerunt, inter quos fuerunt mortui quinque ex Dominis Crepacorii, qui ſteterant ad gubernandum alium Montem, qui dicitur Sella Caulanæ. Multi igitur de utraque parte mortui, & multi vulnerati fuerunt, & projecti in quodam flumine, qui poſtea fuit nuncupatus rivus Carnaſchus, eo quòd aqua illius fluminis erat rubra veluti ſanguis propter corpora interfectorum & vulneratorum, quæ projecta fuerant in dicto flumine rivi Carnaſchi, & diſcurrebat ipſa aqua rubra uſque in alio flumine, quod dicitur Seſſera. Capitanei igitur, & exercitus Domini Epiſcopi, & Communis Vercellarum deſcenderunt versùs loca Moxi, Triverii, & Crepacorii; & dicti peſtiferi canes ſex alios montes ibi prope exiſtentes de ſuis gentibus munierunt, qui loca circumſtantia, perſonas, & bona, quando opportunitas eis aderat, deſtruebant, & ſuper ipſis ſex montibus magnas fecerunt baſtitas, & magna fortalicia.

Opera autem ipſorum Dulcini, & ſequacium ejus erant abominabilia, & neſanda, & prædicationes eorum enormes, & hæretica dogmata ipſorum maledicta, & omnimodo contra normam Fidei Orthodoxæ. Ipſe namque Dulcinus, dum ſtetiſſet ſuper montibus antedictis, necnon dum ſtabat in Valle Sicida dixit, credidit, docuit, & publicè prædicavit multis vicibus, & præ-

(13) Datis anno MCCCV. ut in documento ſuperius relato num. 11. legitur. Odoricus Raynaldus minimè eas recitat, nec annum deſignat, quo expeditæ fuere.

(14) „ Agger (eſt), ſeu Promurale ex fuſtibus paliſque contextum; Italis *Steccato*, *Trincea*, ex „ quo procul dubio vox Italica *Baſtione* „. Ita in ſuo Lexico militari diligentiſſimè elaborato Carolus de Aquino Soc. Jeſu verbo *Baſtum*.

(15) Ideſt *annis gravis*.

(16) *Aream*, ſeu *planitiem*.

ed by Google

prædicari juſſit, prout ſponte confeſſus fuit, quòd ipſe, & ſequaces ſui poterant, & eis licitum erat ſuſpendere, decapitare, mutilare, interficere homines, & perſonas locorum ob edictum Eccleſiæ Romanæ, necnon incendere, deſtruere, capere, & compellere Chriſtianos ad redemtionem, & hoc ſinè peccato.

Item derobare, carcerare, & quæcumque mala inferre Chriſtianis, potiùs quàm mori ſame, & deſtruere eorum Fidem. Item quòd ſtatus ſuus, & ſequacium ejus erat perfectior & ſanctior omni alio ſtatu, qui eſſet in Eccleſia, quia patiebantur perſecutionem.

Item, quòd Epiſcopus poterat relinquere Epiſcopatum, Religioſus Religionem ſuam, Sacerdos Curatus curam ſuam & Eccleſiam, vir uxorem ſuam, & uxor virum cauſâ ſequendi ſectam ſuam, & fidem.

Item, quòd Clerici, Laici, Prælati, Religioſi, & quicumque ordinati in Eccleſia Dei in quocumque ſtatu eſſent, ordine, vel dignitate, poterant, relicto eorum ſtatu, liberè, & impunè tranſire ad eorum ſectam, & eorum vitam tenere ſinè peccato; Immo veriùs cum melioratione eorum vitæ: quod abſit à cordibus Fidelium.

Item, quòd ipſe Dulcinus intelligebat, quòd ipſe, & illi, qui ſunt, vel tunc erant de ejus ſecta & congregatione rectè tenebant vitam, quam tenebant Apoſtoli primitivi Jeſu Chriſti; & quòd tenuerant ipſam vitam per multa tempora præterita, quæ erant eorum tempore reformanda.

Item, quòd non credebat, quòd Dominus Papa poſſet excommunicare eos, pro eo, quòd tenebant vitam Apoſtolicam. Et ſi Dominus Papa præceperit ſibi & ſociis ſuis ſub excommunicationis pœna, quòd relinquerent eorum ſectam, & modum vivendi, quem tenebant, quòd propterea eum non dimiſiſſent, nec vitam, quam tenebant, aſſerendo ipſam vitam eſſe Apoſtolicam; & quòd in iis non eſſet obediendum Domino Papæ, etiam ſi vellet eos per cenſuram Eccleſiaſticam cogere ad dimittendam vitam eorum, & modum vivendi, quem tenebant, & tenuerant per tempora retroacta; confitendo nihilominus, quòd Dominus Papa poterat facere decreta, & dignitates; habebat enim quemdam intellectum, & brevem opinionem ſuæ præmiſſæ vitæ; à qua nullo modo recedere volebat.

Item, quòd Prælati, & Inquiſitores hæreticæ pravitatis non poterant citare eos, vel excommunicare, eo quòd tenebant dictam fidem; nec poterant cogere eos ad eam dimittendam; & hoc intendebat propter intellectum, quem habebat in quibuſdam Scripturis Veteris Teſtamenti, aſſerens, quòd non credebat, immo impoſſibile ſibi videbatur, quòd per aliquem poſſit ſibi offendi, nec eſſe melior, vel verior ſenſus, vel intellectus, quàm eſſet ſuus, quem habebat in Scripturis ſupraſcriptis: quem intellectum aſſerebat ſe non habere ab homine, vel propter hominem, ſed per ejus maximam opinionem, & conceptionem cordis ſui.

Item credidit, prædicavit, & docuit; quòd Dominus Fedricus Rex Aragoniæ debebat ingredi Romam in anno Milleſimo trecenteſimo quinto in Feſtis Nativitatis, vel in menſe Martii proximè ſequentis, & fieri Imperator per Romanos. Et licèt non venerit in dictis terminis, tamen credebat eum adhuc venturum, & fieri Imperator ut ſupra. Et quòd ipſe Dominus Fedricus factus Imperator debebat facere novem Reges in Italia; qui Imperator, & Reges debebant regnare tribus annis cum dimidio; & infra dictum tempus interficerent Dominum Papam, qui tunc eſſet, & multos Prælatos, & multos Eccleſiaſticos, & Monachos, ac Prædicatores, Minores, & alios Religioſo.; & eſſet maxima guerra; & eis, ac toti Eccleſiæ auferrent divitias, & dominium temporale, & reducerent univerſam terram ad Novum Teſtamentum; & poſtea eligeretur, ut eſſet unus Papa ſanctus; & quòd ipſe Dulcinus eſſet ille Papa ſanctus, ſi tunc viveret; & quòd infra tres annos proximè venturos ipſe Papa ſanctus, & maximè ipſe, ſi tunc viveret, recipiet tantam gratiam Spiritus Sancti cum multis aliis, quantam receperunt Apoſtoli Jeſu Chriſti poſt Aſcenſionem ejus in die ſancto Pentecoſtes; & quòd ipſe Papa ſanctus, quem eum eſſe dicebat, erit ita ſanctus, & tantæ perfectionis, ſicuti & quantæ fuit Sanctus Petrus Apoſtolus.

Item, quòd intra dictos tres annos ipſe Dulcinus, & ſequaces ſui prædicabunt adventum Antichriſti; & quòd ipſe Antichriſtus veniret in hunc Mundum finitis dictis annis tribus cum dimidio; & poſtquam veniſſet, ipſe Dulcinus, & ſui ſequaces transferrentur in Paradiſum, in quo ſunt Enoc, & Elias, & conſervarentur illæſi à perſequutione Antichriſti; & quòd tunc ipſi Enoc, & Elias deſcendent in terram ad prædicandum Antichriſtum, deinde interficerentur ab eo, vel ejus miniſtris, & ſic regnaret idem Antichriſtus per plurima tempora. Eo verò Antichriſto mortuo, ipſe Dulcinus, qui tunc eſſet Papa ſanctus, & ſui ſequaces reſervati deſcendent in terram, & prædicabunt Fidem Chriſti rectam omnibus, & convertent eos, qui tunc erunt vivi, ad veram Fidem Jeſu Chriſti.

Item dixit, prædicavit, & vult, quòd illi de ſua ſecta & congregatione, qui fuerunt à Prælatis Eccleſiæ, & Inquiſitoribus hæreticorum judicati hæretici, & relicti Judici Seculari, & poſtmodum combuſti, & alii morti traditi ſunt, & fuerunt ſalvati, ſi perſeveraverunt uſque in finem in doctrina & credulitate ipſius Dulcini, & quòd iverunt ad Paradiſum, vel ſtatim ad Purgatorium: quod nequiſſimum eſt credere apud Fideles.

Item dixit, & confeſſus fuit; quòd tribus vicibus fuit in manibus Inquiſitorum hæreticæ pravitatis, & qualibet vice abrenuntiavit dictæ ſuæ ſectæ iniquiſſimæ, & quòd numquam ſervavit abrenuntiationes prædictas, nec ſervare intendit; ſed præmiſſis abrenuntiationibus non obſtantibus ſemper tenuit, & regit dictam ſectam; & tamen propter hoc non incurrit aliquod perjurium; nec recognoſcebat ſe feciſſe in aliquo contra præmiſſa juramenta, quæ fecerat, nec credebat in hoc aliquatenus peccaſſe ſecundùm opinionem ſuam miſerrimam.

Item dixit, quòd ſunt jam anni quadraginta quatuor, in quibus cœpta erat hæc ſecta prædicta, & quòd Gerardus Secarellus de Parma fuit rector dictæ ſectæ; & ipſe Dulcinus cum eo, & quòd ipſi, & homines dictæ eorum ſectæ erant miſſi à Deo ad reformandam Eccleſiam, quæ perierat per ſuperbiam, avaritiam, luxuriam, & multa alia vitia; & ſpecialiter ipſi Gerardus, & Dulcinus erant ordinati à Deo ad regendum & gubernandum dictam ſectam; & hoc habebant per maximam, & malam opinionem cordis ſui; & quòd credebat, ipſum Gerardum eſſe ſalvum, licèt fuerit condemnatus hæreticus, & combuſtus (17).

Item,

(17) Anno MCCC. XVIII. Julii teſtante Franciſco Pegna in Commentariis ad Eymericum.

Item, quòd illi de ſua comitiva oſculabantur ſibi pedes, ex eo quòd erat melior & ſanctior quolibet homine Mundi; & quòd licebat ſibi comedere carnes in tota Quadrageſima in diebus Veneris, & Sabbati, ac in Vigiliis præceptis ab Eccleſia; & hoc ſinè peccato, quia noo habebant alia ſufficientia ad edendum; & quòd perſeveravit in hac vita, modo vivendi, credentia, doctrina, & ſecta, annis ſexdecim elapſis.

Poſtquam igitur errores ſectæ nequiſſimæ narrati ſunt unà eum multis aliis malis ſuperiùs enarratis, adhuc reſtant multa alia mala narranda, & explicanda, quæ per ipſos peſſimos Gazzaros, & hæreticos fuerunt commiſſa & perpetrata.

Ipſi namque Gazzari dum erant in monte Triverii prædicto, multos de Fidelibus Jeſu Chriſti ſuſpenderunt in furcis, inter quos fuit ſuſpenſus quidam puer parvulus innocens ætatis decem annorum vel circa. Item multos alios viros ſuſpenderunt, videntibus uxoribus, & parentibus, quia non volebant ſe redimere arbitrio prædictorum canum. Quoſdam fame in carcere mori fecerunt; quibuſdam mulieribus labia & naſum, quibuſdam manus, aliis pedes amputaverunt. Cuidam mulieri prægnanti manum & brachium amputaverunt, quæ in craſtino peperit ſuper dicto monte, & fœtus natus ſtatim periit ſinè baptiſmate. Villas Moxi, Triverii, Cozzulæ, Flecchiæ, & plures cantonos in Crepacorio, ac plures demuo in Mortilliano, & Curino totaliter deſtruxerunt, & combuſſerunt. In Eccleſia Triverii ignem poſuerunt; Imagines, & picturas Eccleſiæ deformaverunt; lapides ſacros de altaribus extraxerunt; ſtatuæ ligneæ ad honorem Beatæ Mariæ Virginis fabricatæ brachium amputaverunt; libros, calices, ornamenta Eccleſiæ prædictæ omnia rapuerunt; demum diruerunt Campanile dicti loci Triverii, campanaſque fregerunt; vaſa Confraternitatis, & omnia bona Sacerdotis ceperunt; ipſaſque res omnes ſic raptas aſportaverunt, ac reduxerunt ad montem ſuperiùs memoratum, qui dicebatur mons Zebellus, nunc verò mons Gazzarorum.

In Eccleſia Moxi multa mala fecerunt; tentaverunt lapides de altari majori diruere; & mappam, quæ cooperiebat ipſum altare, exportare voluerunt, & multa alia bona; ſed, volente Deo non potuerunt extrahere de altari. Campanile tamen, quod erat pulchrum, deſtruxerunt. Quid plura? Ipſi enim tot & tantas cædes, strageſque hominum, mutilationes membrorum, deſtructiones locorum, rapinas, prædas, proditiones, & innumerabilia alia mala in perſonis rebuſque Fidelium perpetrarunt, quòd calamus deficeret in ſcribendo, priuſquam poſſent tot & tanta mala per eos commiſſa, & perpetrata ſingulariter enarrari, quoniam poſtquam fuit formatus Adam, nulla ſecta fuit in Mundo reperta tam execrabilis, tam abominabilis, tam horrenda, vel quæ tam modico tempore commiſerit tot & tanta mala, & nefanda opera, prout ipſi commiſerunt, ipſe Dulcinus, & ſequaces ejus, dum ſteteruot in montibus ſuprascriptis. Et ad hæc mala facienda tam mulieres, quàm viri, erant promtæ pariter & recentes; immo ſæpiſſimè mulieres veſtimenta & arma virilia deferebant, ut per hoc major ipſorum exercitus appareret, hiſque potiùs tuerentur. Et ideo homines Diœceſis & Civitatis Vercellarum erant ita perterriti & tabefacti, quòd à facie ipſorum canum quantum poterant fugiebant; immo ſæpiſſimè pauci de ipſis multos de Fidelibus perſeqoebantur; & expugnabant uſque ad mortem, & totaliter confundebant &c.

De menſe verò Decembris proximè ſubſequentis Capitanei baſtitæ Vercellarum, qui ibi erant in cuſtodia, quadam nocte receſſerunt, & baſtitam cum tentoriis combuſſerunt; & baſtita Domini Epiſcopi, quæ erat in monte prædicto aptè appoſita contra præmiſſos nefandos Gazzaros, ſola remanſit; ibique erant homines Domini Epiſcopi ſeptingenti vel ultra, in prædicta baſtita in nivibus, & ſinè victualibus, & cum periculo maximo. Itaque nullus valebat ſuccurrere eis, nec accedere ad coſtam abſque maximo diſcrimine perſonarum. Sed Diis volentibus præfati homines Domini Epiſcopi, tranſmiſſo eis ſuccurſu per Dominum Epiſcopum neceſſario, ut expediebat, per cacumina montium, ubi erant nives, ipſi homines de dicta baſtita Domini Epiſcopi ſani & incolumes Divina gratia eos protegente, deſcenderunt ad locum Moxi, & alias Villas circumſtantes. Tunc autem relictæ ſunt omnino Villæ Triverii, Moxi, Cozulæ, Flechiæ; & homines & mulieres prædictorum locorum cum eorum familiis ſunt diſperſi per civitates, & diœceſim Vercellarum, quidam meodicando, quidam exercendo perſonas ſuas, & artem uniuſcujuſque, quidam verò evadendo, prout meliùs poterant. Tunc præfatus Dominus Epiſcopus conſiderans, quòd hyems erat, & prædicti hæretici peſtiferi vivere non valebaot dicto tempore in prædicto loco ſuper monte ſinè penuria: tum in loco Beduli, tum in loco & territorio Moxi, & etiam ſuper quodam moote, qui dicitur Rupella, tum in territorio Mortiliani, ſcilicet villis ſubmiſſis Eccleſiæ Vercellarum, & dicto Domino Epiſcopo, & in montibus earum quinque baſtitis fieri ordinavit, Chriſtianorum undique confluentium ſuffragio mediante; & caſtra ſua & fortalicia fecit meliùs ſolito muniri & cuſtodiri; gentes ſuas tam per ſe, quàm per alios admonuit, & admonendo confortavit; conſilia & auxilia opportuna eis dedit, quandocumque vidit & credidit expediens, noo parcendo in aliquo ſuis laboribus & expenſis. Paſſus, vias, & itinera multa faciebat cuſtodiri cum omni diligentia, ne dictis hæreticis victualia portarentur quovis modo, vel alia mercarentur, nec etiam aliunde eis ſuffragia, ſuccurſus, vel auxilia aliqua pervenirent: propter quod fuerunt adeò reſtricti ipſi Gazzari peſſimi, quòd radices herbarum, & folia comedebant, ſi quæ tunc inveniebant.

Homines igitur Communitatis Moxi, ut poſſent obtinere victoriam contra maledictos Gazzaros, & defendere ac ſervare Fidem Chriſtianam, fecerunt votum Deo, & Batæ Mariæ Virgini, quòd ſemper celebrarent ſolemniter feſtum in die Jovis ſancta, quæ dicitur Cœna Domini. Et homines Triverii fecerunt pariter votum, prout ſupra, quòd ſemper celebrarent ſolemniter feſtum in Paraſceve ob reverentiam Paſſionis Jeſu Chriſti. Ipſi namque Gazzari voluntate Dei, precibus Domini Epiſcopi, & Fidelium Chriſtianorum ſe inclinantis, devenerunt ad tantam miſeriam, quòd quamplures eorum carnes tam humanas, quàm canum, & aliarum beſtiarum comedebant; & quod eſt horribile ad dicendum, mortuo aliquo ipſorum Gazzarorum in bello, & hujuſmodi, alii accipiebant carnem ejus, & ponebant ad coquendum, & comedebant propter penuriam & magnam famem. Et in tanta captivitate fuerunt reſtricti per tres menſes & ultra, obſeſſi ſuper dicto monte, quòd

ſe-

ſemimortui duraverunt exiſtendo in magna neceſſitate. Et multi ex eis moriebantur, quorum corpora partim comedebant vivi, & partim projiciebant in locis deſertis dicti montis Zebelli, à feris & volucribus comedenda.

De menſe verò Martii proximè ſequentis præfatus Dominus Epiſcopus ordinavit exercitum generalem in tota ſua terra contra perfidos Gazzaros antedictos, quia videbat terras ſuas ferè totas deſtructas eſſe, & homines dictorum locorum oportere mendicare. Et ideo confiſus de divina clementia, ac ſubſidio Beati Euſebii, omniumque Sanctorum, volens tentare fortunam, fecit ipſos Gazzaros potentiſſimè ſemel & pluries in hebdomada ſancta expugnari. Et in die Jovis ſancta homines, qui pugnabant contra dictos Gazzaros, acceperunt baſtitam, quæ erat apud locum, qui dicitur Stavellus; & in plana Stavelli duravit pugna quaſi per totam diem Jovis ſanctum; & magna pars ipſorum perfidorum interfecta fuit. Et etiam multi ex Chriſtianis vulnerati fuerunt taliter, quòd multi infideles projecti fuerunt in quodam rivo, qui nunc dicitur Carnaſchus; & aſſeritur, quòd aqua dicti rivi erat rubra veluti ſanguis propter interfectos, qui ibidem projecti fuerunt. Tamdem in die Jovis ſancta prædicta, quæ fuit Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptimo, die decima tertia (18) ſuprafcripti menſis Martii, poſt longa prœlia, multoſque labores, dictus frater Dulcinus perſonaliter captus fuit ſuper montibus Triverii unà cum Margarita de Trideno ejus ſocia, & Longino de Bergamo, qui erat de Cattaneis de Sero, vel de Sacco, & erant majores in dicta ſecta poſt ipſum Dulcinum: quos præfatus Dominus Epiſcopus deſiderabat affectuosè vivos habere, ut pro meritis eorum præmia digna reciperent, qui tot malorum fuerunt auctores. Aliique multi perfidi cum ipſis capti fuerunt, & captivati. Demum fortalicia, & caſtra eorum combuſta, derupta, & diſſipata fuerunt ipſa die. Ibique ipſa die plures quàm mille ex ipſis tum flammæ, tum in flumine ſubmerſi, ut præfertur, tum gladiis, & morte crudeliſſima morti dati fuerunt. Et ſicut ipſi, qui de æterno Deo Patre, & Fide Catholica ludibria faciebant in ferro, fame, igne, peſte, & omni miſeria, in die Cœnæ Domini, ut præfertur, ad omne opprobrium, & mortem duram, crudeliſſimam, & turpiſſimam, prout demeruerunt, devenerunt. Dominus autem Epiſcopus præfatus habuit tantam lætitiam, & fuit tantum gaudium in civitate, & Diœceſi Vercellarum de captione, & ſtrage præmiſſorum, quòd vix poſſet lingua exprimere, & calamus denotare. Prædictorum autem exercituum Duces, & Capitanei fuerunt pro Domino Epiſcopo viri nobiles Dominus Jacobus, & Dominus Petrus de Quarenia, & Thomas de Caſanova Advocatus.

Poſt captionem autem hujuſmodi dictus Dulcinus unà cum præfato Longino in die Sabbati ſancta in caſtro Bugellenſi fuerunt præfato Domino Epiſcopo præſentati. Qui Dominus Epiſcopus ipſos cum fortibus compedibus manibus, collo, & pedibus ipſorum, juſſu Summi Pontificis fecit diligenter cuſtodiri in ſuis carceribus, expectans quòd præfatus Summus Pontifex Romanus, videlicet Dominus Clemens Papa Quintus, ordinaret, quid fieri debebat de eiſdem, ad quem propter hoc ſuas literas deſtinavit. Quibus ſic cum multis cuſtodibus, & multis periculis, & expenſis in carceribus cuſtoditis per tres menſes (19), vel circa, præfatus Dominus Papa ſuas literas deſtinavit, continentes, quòd ubi deliquerant, ſtipendia meritorum ſuorum reportarent.

Tunc præfatus Dominus Epiſcopus convocatis Prælatis, perſonis Religioſis Eccleſiaſticis, & Laicis Juriſperitis quamplurimis, & habita diligenti deliberatione, maturoque conſilio de præmiſſis, prædictos Dulcinum, Longinum, & Margaritam de Trideno tradidit judicio ſeculari. Itaque dicta Margarita prima fuit combuſta ſuper quadam columna alta poſita in arena ſervi, & plantata ibi, & ordinata, ut ab omnibus videretur. Et ita combuſta fuit præſente ipſo Dulcino videnre comburi eam. Poſtmodum Dulcinus, & Longinus prædicti, ligatis manibus & pedibus ipſorum, ſuper plauſtrum poſiti, in loco alto, ut ab omnibus videri poſſent, poſitiſque ante eorum conſpectum vaſibus igne plenis ordinatis ad calefaciendum tenabulas, & comburendum carnes ipſis, adhibitiſque carnificibus, qui cum tenabulis ferri candentis carnes eorum laniabant, & fruſtatim in ignem ponebant, ductique fuerunt per plures vias, ut eorum pœna longior & gravior eſſet; & multi, quos læſerant in perſonis, & habere, videntes tantam ſtragem, talemque juſtitiam fieri de eiſdem, conſolationem habuerunt de vindicta pœnaque eorum, ut aliis tranſeat in exemplum, bonis ad lætitiam, malis verò ad ſupplicium, & totius ſectæ prædictæ pavorem, detrimentum, & opprobrium ſempiternum. Prædictæ autem pœnæ illatæ fuerunt prædictis Dulcino, & Longino in locis diverſis, videlicet Dulcino in civitate Vercellarum, ipſum ducendo cum cruciatibus & tormentis ſuprafcriptis per vias, vicos, & plateas dictæ civitatis; Longino verò in loco Bugellæ. Et tamen nullus ipſorum, nec etiam dicta Margarita unquam voluerunt converiti prece, ſive pretio, nec alio quovis modo converti ad Dominum Jeſum Chriſtum, & ad veram Fidem Catholicam. Sed ſic miſerabiles in eorum pertinacia & cordis duritia perierunt.

Igitur prædictus Dominus Epiſcopus, uti bonus Athleta Curiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, tot contulit dignitates & honores, cui etiam omnipotens Deus tantam gratiam contulit, ut præmiſſam hæreſim, & rabidam diſſiparet, cùm numquam in Mundo viſa fuerit ſimilis in malitiis, aſtutiis, & crudelitatibus, vel audita; imitando veſtigia Beatiſſimi Martyris, & patroni ſui Euſebii, qui delevit hæreſim Arianorum, qui tunc temporis regnabant, & Fidem Catholicam polluebant, damnabant, & quantum poterant expugnabant. Sic ipſe Reverendus Dominus Epiſcopus Raynerius, qui fuit ſeptuageſimus tertius à Beato Euſebio Epiſcopo memorato, cui poſt tam longa tempora meritò ſucceſſit in loco pariter & Sede, prædictum Dulcinum hæreſiarcham, ſuamque ſectam tam abominabilem & nefandam, ſuoſque complices & fautores, Deo dante, qui ipſos canes peſtiferos in ejus manibus miraculosè concluſit, & meritis Beati Euſebii, extirpavit pariter, & contrivit, adeò quòd non eſt veriſimile, quòd unquam perniciosa illa ſecta reſurgat, cùm ſit ſine capite, ac de

(18) Legendum vigeſima tertia, ut infra etiam ſcribitur, cùm Paſcha eo anno in XXVI. Martii inciderit.

(19) Duo tantummodo menſes & dies octo interjecti ſunt a primo Dulcini carcere ad extremum ejuſdem ſupplicium, captus namque die XXIII. Martii ignis pœna mulctatus eſt ad primum Junii, ut paulò poſt narratur.

de eis reperiantur (20) mortui & interfecti morte crudeli plures quàm mille trecenti. Steterunt autem ipſi frater Dulcinus, & ſui ſequaces, poſtquam aſcenderunt ſaxa ſuperiùs nominata, ſuper dicto monte Triverii, qui dicitur mons Zebellus, uno anno, & plus, quia aſcenderunt anno currenti milleſimo treceteſimo ſexto, die Jovis decima menſis Martii; & ſequenti anno, qui fuit milleſimo treceteſimo ſeptimo in eadem die Jovis ſancta, quæ fuit vigeſima tertia ejuſdem menſis Martii capti, mortui, & devicti fuerunt, ac deducti ad opprobrium ſempiternum.

Paſſus autem fuit prædictus Dulcinus hæreſiarcha, ut ſupra, Anno præmiſſo Milleſimo treceteſimo ſeptimo, die prima menſis Junii; factaque fuit victoria & vindicta prædicta per Dominum Epiſcopum antedictum Pontificatus Sanctiſſimi Patris Domini Clementis Papæ, qui anno ſecundo eo exiſtente in ſua Curia in Civitate Avinioni, cujus idem Summus Pontifex erat Archiepiſcopus, qui fuit ad ſummum Pontificatus apicem evocatus. Qui Summus Pontifex, quando de exterminio præfatæ ſectæ, quam nimirum mirabiliter habebat exoſam, compatiens doloribus, laboribus, & expenſis, ac perditionibus perſonarum, & earum, quas perdiderant Dominus Epiſcopus prælibatus, ſibique tamquam bene merito, retribuere cupiens, qui tam fideliter, tam viriliter laboraverat in vinea Domini Sabaoth, multos honores, multaſque gratias contulit (21) Domino Epiſcopo memorato, ac ejus obtentu prædictis Domino Jacobo, & Petro de Quarenia, Thomæ de Caſanova Advocato, quos idem Dominus Epiſcopus ad præſentiam Summi Pontificis deſtinavit, eorum præmia recepturos, quia tamquam Capitanei ipſius Domini Epiſcopi præmiſſas operationes exſtiterant prædictorum bonorum, & multos labores in ſervitio ſacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Fidei Orthodoxæ paſſi fuerant, procurantes, & perſonaliter exiſtentes in exterminio præmiſſorum Hæreticorum, & in victoria prælibata. MCCCVI. die Jovis ſancta menſis Martii decima prædictus frater Dulcinus hæreſiarcha vênit ſuper montem Zebellum, qui eſt ſuper montibus Triverii, cum perfidis ſequacibus ſuis numèro mille trecentum, vel circa; & ſequenti anno die Jovis ſancta, quæ fuit vigeſima tertia menſis Martii captus, & detentus fuit cum ſuis peſtiferis canibus ſequacibus.

Item notandum eſt, quòd expulſo dicto Dulcino cum ſuis ſequacibus de dicto monte Zebello, ut ſupra narratum eſt, Rectores Eccleſiarum longinqui, & alii Sacerdotes, qui conjurabant Dæmones, & ſpiritales nequitias propter grandinem, mittebant, ut fertur, & ſemper tritum fuit ab antiquo, ipſos malignos ſpiritus ad montem Gazzarorum, putantes dictum montem fore inhabitabilem, & ibi prope nullos homines habitare, & nullas eſſe terras habitabiles, & laboratas. Quapropter, ſeu aliâ causâ, quolibet anno multotiens ipſe locus Triverii ſpoliabatur à grandinibus, & ſpiritibus malignis omnibus bonis campeſtribus, taliter quòd parum vel nihil recolligebant, & ob id oportebat homines quamplures ipſius loci Triverii mendicare, & locum, ac terras ſuas relinquere, & abſentari. Idcirco homines & Populus dicti loci Triverii divina inſpiratione voverunt Omnipotenti Deo, & divo Bernardo, quòd ſi à dictis grandinibus liberarentur, & ceſſarent ſpiritales nequitiæ eos ſpoliare bonis ſuis campeſtribus, quòd in honorem Dei, & Sancti Bernardi facerent Sacellum unum, ſive Giſiettum in cacumine dicti montis Zebelli, poſtea dictus Gazzarorum, & nunc appellatur mons Sancti Bernardi; & dante, & favente Deo, factum, conſtructum, & ædificatum fuit dictum Sacellum in cacumine montis prædicti, inde conſecratum cum duobus altaribus, & multis picturis, & imaginibus Beatæ Mariæ Virginis, & aliorum Sanctorum ad honorem Dei, deintus coopertumque lapidibus, & ſatis pulchrum, decens, & honorabile. Et in die feſto Sancti Bernardi, quæ celebratur die decima quinta menſis Junii, populus Triverii, Moxi, Coſati, & Cozolæ ad dictum Sacellum cum ſuis Presbyteris ſive Curatis, nec non cum vexillis & Crucibus annuatim in dicta die, videlicet una perſona pro quolibet foco dictorum locorum, vadunt, & aſcendunt devotè in proceſſione. Et in eadem die ultra dictas proceſſiones multi homines, & mulieres locorum Crepacorii, Cuzini, Morilliani, & aliarum Villarum circumſtantium vadunt & aſcendunt devotè ad dictum Sacellum pro conſequendis Indulgentiis ibidem à Summo Pontifice conceſſis & relaxatis, & pro accipienda caritate, quæ ibi annuatim diſtribuitur per homines ipſius loci Triverii. Ipſa namque die Sancti Bernardi in dicto Sacello multæ celebrantur Miſſæ, videlicet à Presbyteris, & Sacerdotibus Villarum ſupraſcriptarum, qui aſcendunt cum ſuis crucibus & vexillis ad dictum Sacellum ut ſupra, & Villa, & homines dicti loci Triverii non ex aliqua obligatione, ſed ſponte ex eorum devotiona libera, & ſpontanea voluntate, diſtribuunt ibidem in cacumine dicti montis omni anno caritatem unam panis, videlicet panem unum ponderis libræ unius & ultra pro qualibet perſona ibidem præſente & exiſtente. Et repertum eſt multotiens, & pluries, datum & diſtributum fuiſſe panes duo millia; & ultra, & numquam repertum fuit, datum fuiſſe minùs panum mille & quatuor centum. Et deinde ultra præmiſſa ipſe populus Triverii cum ſuis Curatis, vexillo, & Cruce, vadit & aſcendit annuatim ter in proceſſione ad dictum Sacellum, videlicet in diebus Sanctæ Annæ, Sanctæ Margaritæ, & Sancti Grati, videlicet una perſona pro quolibet foco ipſius loci Triverii, in quibus diebus celebratur per Curatos prædictos Miſſa in dicto Sacello, & circundatur cum populo ibidem aſſiſtente ipſum Sacellum proceſſionaliter, & devotè portando in dicta circumdatione Imaginem Sancti Bernardi, quæ eſt in dicto Sacello, aliaque ſolemnia & neceſſaria faciendo, quorum hominum memoria non exſtat in contrarium.

Addita ſunt ſupraſcripta poſt Hiſtoriam ſupraſcriptam fratris Dulcini per Dominum Johannem Bonacium Notarium publicum de Triverio. Quæ omnia notoria ſunt & manifeſta ad laudem & honorem Omnipotentis Dei.

(20) Hinc dilucidè colligitur ſcriptam fuiſſe hanc hiſtoriam eo tempore quo res gerebantur, cùm de iis tanquam ſibi præſentibus Auctor loquatur.

(21) Legi poſſunt in Ferrerio, & Ughello tria diplomata, quibus Clemens V. gratum animum ſuum oſtendit erga tantum Catholicæ Fidei propugnatorem, ſimulque graves tam obſtinati belli expenſas munifica largitate penſavit.

F I N I S.

ADDITAMENTUM
AD HISTORIAM
FRATRIS DULCINI
HÆRETICI
AB AUCTORE COÆVO SCRIPTUM

Nunc primùm in lucem prodit

EX ALTERO MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ.

Digitized by Google

IN ADDITAMENTUM
AD HISTORIAM
DULCINI HAERETICI
MONITUM
LUDOVICI ANTONII
MURATORII.

SAtis non fuit impenſo Clariſſimi Saxii ſtudio in communem utilitatem miniſtraſſe mihi Hiſtoriam Dulcini Haeretici, quam proxime evulgavi. Alterum quoque monumentum pervetuſtum ac utile nunc ille mihi ſuppeditat, per quod eidem argumento lux major accedere poſſit. Atque hoc itidem Ambroſianae Bibliothecae debemus, cujus opem toties ad inſtruendam Hiſtoricam hanc Collectionem ego ſenſi. Quum vero ſupra monuerim, ex Manichaeorum praecipue Schola prodiiſſe ejus temporis Haereticos, unde Italia non modicum perturbata eſt, juvat nunc addere, in eadem Bibliotheca adſervari manu exaratam lucubrationem de erroribus Catharorum una cum eorum confutatione. Auctorem quaeris? Dabo, qualem MStus Codex mihi obtulit, ubi hic titulus legitur: *Tractatus Magiſtri G. Pergamenſis contra Catharos & Paſagios, in quo eorum confunduntur errores auctoritatibus & argumentis*. Ita vero exorditur: *Inutili quidem, & perniciosa Scholaſticarum quaeſtionum ſubtilitate poſtpoſita* (hinc hominem diſcas) *eas potius quaeſtiones & ſententias, quae de rebus ſaluti neceſſariis ſunt, quanta poſſumus diligentia pertractemus*. Tum errores iſtorum ſigillatim aggreditur, atque inter cetera haec habet: *Haereticus ergo, qui dicebatur antiquitus Manichaeus, nunc vero Catharus appellatur, hanc ſuam opinionem nititur confirmare, &c.* Infra tamen agnoſcit, antiquorum Manichaeorum erroribus acceſſionem factam fuiſſe a recentibus *Catharis*, quorum Sectam uti & *Sectam Paſaginorum* intolerandis ac impiis dogmatibus adhaeſiſſe evincit. Gaſparinum Barzizium Bergomenſem, cujus opera proxime praeteritis annis Romae evulgavit Illuſtriſs. Abbas, & utriuſque Signaturae Referendarius Joſeph Alexander Furiettus, ne arbitrere Auctorem Theologici hujus tractatus. Longe enim ante Gaſparinum, & quidem Seculo XIII. vixiſſe videtur hic Auctor. Alterum quoque Scriptorem eadem Ambroſiana Bibliotheca adſervat perantiquum, & fortaſſis eodem Seculo, quo Bergomenſis ſcripſit, in eoſdem Haereticos pro Catholica Religione pugnantem. In MSto Codice hic eſt titulus: *Gregorii contra Manichaeos, qui Paterini dicuntur*. Exordium Libri tale eſt. *Pergente ad occiduum Mundo, & inſtantibus perditis temporibus, quibus multi diſcedentes a Fide &c.* Eſt autem diſputatio inter Paterinum & Catholicum. Quis vero Gregorius iſte fuerit, in praeſentia inveſtigare non vacat. Vides ergo, nihil aliud fuiſſe Catharos & Paterinos, quam germina Manichaeorum: Nunc autem quid de Opuſculo ad Haereſim Dulcini ſpectante ad me ſcripſerit Eruditiſſimus Saxius, Lector accipiat.

ILL.MO AC DOCTISSIMO VIRO
LODOVICO ANTONIO MURATORIO
JOSEPH ANTONIUS SAXIUS
BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PRÆFECTUS
S. P. D.

„ POſt miſſum ad Te, Vir præclariſſime, Commentarium de iis, quæ in profli-
„ ganda Dulciniana hæreſi contigere, alterum in Ambroſiana Bibliotheca
„ codicem manuſcriptum offendi, nonnulla complectentem, quæ veluti pre-

„ tioſa

„ tioſa antiquitatis ramenta , digna mihi viſa ſunt , ut a Te æquiſſimo veterum
„ monumentorum æſtimatore eidem opuſculo adnecterentur. Cùm enim teterri-
„ ma hæc lues è cineribus damnati Auctoris ſui Gerardi Secarelli rediviva tanto
„ ſtrepitu ubique exarſerit, ut occupatis celebrioribus Italiæ urbibus , à Nido-
„ beato in expoſitione XXVIII. cantus Inferni Dantis enumeratis , nonniſi ſacro
„ indicto bello abſumi potuerit , ejuſque infamis memoria omnium ferme tum
„ æqualium tum recentiorum ſcriptis fuerit conſignata, nihil omittendum cenſui,
„ quod ad plenam ejus rei hiſtoriam in lucem nunc proferendam conducere vide-
„ retur ; Præcipuè cùm exarata hæc ſint a coævo auctore ætatem ſuam his ver-
„ bis teſtante: *hoc anno quo hæc ſcripſi in Calendis Maji milleſimo trecenteſimo ſextodecimo*
„ *jam decem anni elapſi ſunt, quòd illa tempora, de quibus dixerat* (Dulcinus) *tranſierunt,*
„ *& quæ futura in illis prædixerat , minimè evenerunt*. Neſaria Sectæ hujuſmodi dog-
„ mata nitidiùs prolixiùſque hìc enarrantur , quàm in tractatu de hæreſibus à
„ Guidone Epiſcopo Carmelita ejuſdem Seculi auctore conſcripto; & quamvis
„ conformia ſint iis ; quæ Nicolaus Eymericus recenſet in Directorio Inquiſi-
„ torum p. II. q. XI. diverſa tamen eſt in aliqnibus Codicis noſtri lectio, & Ma-
„ nuſcripto Cardinalis de Gambara, quem Franciſcus Pegna in Commentariis ad-
„ ducit, fermè conſentit. Quod peculiare eſt, tres ibidem aſſeruntur confectæ à
„ Dulcino Epiſtolæ *ad Univerſos Chriſtifideles* , quidve in gemina illarum continere-
„ tur (nemine quem viderim id referente,) per excerpta traditur , ut mireris
„ verſipelle improbi hujus novatoris ingenium , ad ſimplicium animarum perni-
„ ciem Divinæ Scripturæ verba & calamum detorquentis. Quis fuerit hujus nar-
„ rationis auctor, explorare non valui. Suſpicio incidit num fortaſſe adſcribenda
„ foret Rainerio illi, qui priùs Sectariorum aſſecla , ejurata poſtmodum hæreſi
„ ad religioſiſſimum Fratrum Prædicatorum Ordinem tranſiit ; ejuſdem namque
„ opuſculum *de Catharis & Leoniſtis* , quod etiam in Bibliotheca maxima Patrum
„ vol. XXV. Aniſſonianæ editionis legitur , continuato ſcriptionis ordine ſtatim,
„ abſque nomine auctoris, in Ambroſiano Manuſcripto ſubjicitur: Attamen cùm
„ illud repererim diverſimode ac in editis exaratum , nec ætas Rainerii cum
„ enunciato ſuperiùs anno MCCCXVI. componi facilè poſſit , in eam ſententiam
„ conceſſi, ut autumem ab altero, qui Sacræ Inquiſitionis Officio inſerviret , di-
„ geſta hæc omnia, atque è Rainerii libro mutuata, & adjecta quæ ad Sectarum
„ varietatem ac dogmata dignoſcenda pertinerent , ut faciliùs inſtitui examen
„ poſſet; Inſcribitur enim codex noſter *Liber Conſtitutionum. & practicæ S. Officii In-*
„ *quiſitionis*, ejuſque autographum aſſervari dicitur *in Bibliotheca Conventus & Mo-*
„ *naſterii S. Mariæ ſupra Minervam Urbis Romæ:* quin immo additur in calce Reve-
„ rendum in Chriſto Patrem Dominum Joannem de Medina Epiſcopum Aſtori-
„ cen. Regis & Reginæ Hiſpaniarum apud Sedem Apoſtolicam Oratorem Anno
„ Incarnationis Dominicæ MCDXCI. curaſſe ut ſibi ejuſdem Exemplar deſcri-
„ beretur. Non ingratam me itaque operam Tibi præſtitiſſe arbitror , dum ex
„ hoc ipſo fonte in vaſtum Opus Tuum hunc quoque rivulum derivavi; Quanti
„ enim emolumenti in re hiſtorica ſit primigenia hujuſmodi, quamvis tenuia ſu-
„ periorum temporum fragmenta colligere ad ſinceram veritatis faciem aperien-
„ dam , eludendoſque errores quibus recentium Scriptorum oſcitantia antiquas
„ hiſtorias infarcit & Te optime noſſe , nec me difficile comprobare poſſe credi-
„ derim. Unum ſubjiciam quod in Annalibus Mediolanenſibus non ſinè ſtomacho
„ perlegi. Ripamontius parte altera hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis de Dul-
„ cino loquens hæc impigrè ſcribit *Homo Mediolanenſis hic erat*, è ſuo inſuper penu
„ proferens monaſticam inter ſacra noſtra Clauſtra vitam aggreſſum ibidem diu
„ jacuiſſe, donec in apertam contumaciam erumpens atque inde profugus Sectæ
„ ſuæ primordia iniret . At quis non videat propulſatam illico ab Urbe noſtra
„ hanc injuriam, quòd videlicet ex eadem tamquam natali ſolo, ferale hoc mon-
„ ſtrum emerſerit, cùm oculis obverſentur Dulcini ipſius Epiſtolæ, in quibus ille
„ met ſeſe *Novarienſem* inſcribit. Non abſimili commento nobiliſſimam Torniellæ
„ familiæ gentem deturpavit Gandentius Merula Antiquit. Gallor. Ciſalpin. libro
„ primo cap. III. aſſerens ex eadem Dulcinum prodiiſſe. Hanc quoque fœdam
„ labem detergunt antiqua hæc à Te vulganda monumenta , in quibus concordi
„ teſtimonio affirmatur Dulcinus, *Spurius filius Presbyteri Julii de Teracuntano Vallis*
„ *Exolæ Diœceſis Novarienſis homo incognitus &c.* Sed manum jam de tabula refero,
„ ne Te gravioribus curis occupatum inani hoc ſcripto ulteriùs detineam. Vale
„ ſemper feliciùs Literarum ac Literatorum amor & decus.

ADDI-

ADDITAMENTUM
AD HISTORIAM
FRATRIS DULCINI
HÆRESIARCHÆ.

De Secta illorum, qui ſe dicunt eſſe de ordine Apoſtolorum, & aſſerunt ſe tenere vitam apoſtolicam, & evangelicam paupertatem, quando, & quomodo incœpit, & qui fuerunt inventores ejus, & de erroribus dictæ Sectæ, ut ſciant præſentes pariter & futuri, conſcripta ſunt quæ ſequuntur.

A AB anno itaque Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo citra (1) fuit quidam nomine Gerardus Scgarelli de Parma in Lombardia, qui malo ſuo, & plurium aliorum emerſit. Hic ſub quadam ſimilitudine perfectionis adinvênit quendam novum modum vivendi, & pœnitentiæ ſimulatæ, & ſuis pravis adinventionibus, & privatis confabulationibus nonnullos ſibi attraxit diſcipulos, & ſequaces, faciendo conventicula cum eiſdem paulatim, & latenter infundens virus peſtiferum dogmatizans contra communem ſtatum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ tam Prælatorum, ac totius Cleri, quàm Religioſorum & omnium Ordinum, ac etiam Laicorum, ſicut magis ſequentia declarabunt. B Novam doctrinam inferens ſuis auditoribus ſub quadam picta, & fucata imagine ſanctitatis oſtendens ſe velle tenere, & ſequi vitam, & viam Apoſtolorum, & ſicut fecerunt ipſi Apoſtoli pœnitentiam prædicare, & docere populis viam novam, non attendens quòd ſemitæ antiquæ tutiores ſunt, & ſalubres. Unde ſuos diſcipulos, & ſequaces Apoſtolos nominavit, & eos voluit ſic appellari, qui viverent ſub nullius obedientiæ niſi ſolius Dei, ſicut primi Apoſtoli Domini noſtri Jeſu Chriſti. Sectamque illam pernitioſam ſua non tantùm auctoritate, quæ nulla erat, quàm temeritate, quam magnam habuit, inſtituit Apoſtolorum ordinem nominari, C qui per Mundum diſcurrerent ſicut pauperes mendicantes, & eleemoſynis viventes, & prædicarent populis ubique. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Et quædam alia ſimilia, quæ prima facie bona audientibus maximè ſimplicibus videbantur. Errores autem quamplures adinvênit de corde ſuo, quos ſuis ſequacibus non palàm, & publicè, ſed occultè tenendos tradidit, & docendos. Et ſic ab initio cum mantello ſub quodam habitu palliato aliquando utentes ſoleis, aliquando nudis pedibus incedebant à communi converſatione Fidelium, & vita, & moribus diſſidentes vitam perfectam, & apoſtolicam in ſe ipſis exteriùs tali habitu, tali geſtu, & doctrinam evangeli- D

A cam auditoribus tali ritu populis ſimulabant. Erat tamen re vera vita ipſorum infecta interiùs, & exteriùs abominabiliter impudica, & doctrina in ſuis occultis conventiculis tam hæretica, quàm inſana. Unde ab initio ſub tali Religionis pallio fuit occultata peſtis ipſorum magna ex parte, quia non fuit qui talibus lupis ſub veſtimentis ovium venientibus ſe opponeret ex adverſo. Cœperuntque ſimplices falſam ſanctitatis ipſorum imaginem venerari, eiſque favere, necnon eos eleemoſynis reſtaurare. Et ſic multiplicati ſuper numerum annis circiter viginti profecerunt in pejus. Nec tamen diutiùs latêre ſic potuit ipſorum dogma peſtiferum, quin apud Catholicos compareret, & innotueſceret pau- B latìve, fueruntque à nonnullis ſuſpecti habiti de hæreſi & notati. (2) Cùmque poſt annos circiter viginti perveniſſet ad aures Domini Honorii Papæ Quarti rumor malus ſectæ illius, quam ipſi Apoſtolorum ordinem appellabant, eandem damnavit tanquam pernitioſam, & ejus habitum pariter condemnavit, ſicut in ejus literis Apoſtolicis continetur, quas ad univerſos Prælatos Eccleſiæ ſuper hoc deſtinavit, tenorem hujuſmodi continentes.

„ HOnorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.
„ Venerabilibus fratribus univerſis Patriar-
„ chis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dile-
„ ctis filiis Cathedralium Eccleſiarum Electis,
C „ & Vicariis eorundem, ad quos literæ iſtæ
„ pervenerint, ſalutem, & Apoſtolicam bene-
„ dictionem. Olim felicis recordationis Grego-
„ rius Papa Decimus prædeceſſor noſter in Con-
„ cilio Lugdunenſe omnes Religiones, & Ordi-
„ nes mendicantes adinventos poſt Generale La-
„ teranenſe Concilium, qui nullam habuerunt
„ confirmationem Sedis Apoſtolicæ (*) meruerunt,
„ perpetuæ prohibitioni ſubjecit: & qua-
„ tenus proceſſerant revocavit. Verùm ſicut ad
„ noſtri Apoſtolatus auditum, fama querula
„ deferente pervênit, quidam qui poſt genera-
„ le, & ante Lugdunenſe prædicta Concilia ſub
„ nomine Ordinis Apoſtolorum habitum novæ
„ religionis aſſumpſerant, quamquam nullam
D „ ante

(1) Ex Manuſcripto Fr. Salimbeni de Adam eodem ſeculo hiſtoriam ſuam conſcribentis conjicit Franciſcus Pegnæ ſuperiùs laudatus hæreſis hujus initia incidiſſe in annum Dñi MCCXLVI. Gerardi, ſeu Gherardini, ut eum vocat Salimbenus Segarelli vitam ibidem ex eodem Auctore deſcriptam Lector invenis.

(2) Opizo de S. Vitali Parmenſis Epiſcopus circa annum MCCLXXX. Segarellum in vincula conjecit, ſed ipſo amentiam fingente, ſexto poſt anno Urbe ac tota Diœceſi ſua expulit.

(*) *Abundat hoc verbum* meruerunt.

,, ante confirmationem Sedis Apoſtolicæ meruiſ-
,, ſent, prohibitionis & revocationis prædictæ
,, temerarii præſumptores eundem babitum, ſeu
,, ei conſimilem ſub eodem nomine, uſque ho-
,, die deferentes. Quamplures etiam alii aſſum-
,, pto poſt dictum Lugdunenſe Concilium hu-
,, juſmodi habitu per diverſas Mundi partes
,, mendicando diſcurrere non verentur, facien-
,, tes ea, quæ non conveniunt in animarum ſua-
,, rum periculum, & grave ſcandalum pluri-
,, morum. Prælertim cùm nonnulli pravitatis
,, hæreticæ vitio laborantes ſub hujuſmodi ha-
,, bitu aſſerantur inventi. Nos igitur volentes
,, talium prævaricatorum inſolentem audaciam
,, refrenari, & prædictam noo tam religionem,
,, quàm pernitioſam ſectam penitus aboleri, ne
,, fortè mentes Fidelium ſimplices falſa ſancti-
,, tatis eorum imagine ſeducantur, univerſitati
,, veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus,
,, quatenus quoſcumque de prædictis in veſtris
,, civitatibus, & diœceſibus inveniri contigerit
,, ad deponendum hujuſmodi habitum, moni-
,, tione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam,
,, appellatione poſtpoſita, compellatis: monen-
,, tes eoſdem, ut, ſi religioſam vitam ducere
,, cupiunt, ad aliquam ſe transferant de Reli-
,, gionibus approbatis. Quòd ſi aliqui eorum
,, cenſuram prædictam contempſerint, vos con-
,, tra ipſos & pœna carceris, ſeu alia, prout
,, expedire videritis, procedatis. Invocato ad-
,, versùs eos, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſe-
,, cularis. Ceterùm ut prædicti eo faciliùs à
,, ſua inſolentia compeſcantur, quo magìs à
,, Chriſti Fidelibus abjicà ſe viderint, & con-
,, temni. Volumus nihilominus, quòd hujuſ-
,, modi proceſſum noſtrum veſtrarum civitatum,
,, & diœceſum populis iteratis vicibus publi-
,, cantes, ac facientes per aliquos publicari,
,, eoſdem populos auctoritate noſtra moneatis,
,, & inducatis attentè, ne aliquem de prædictis
,, præfatum deferentibus habitum recipere præ-
,, ſumant hoſpitio, vel eis aliquas eleemoſynas
,, largiantur, nec ad deferendum habitum ipſum,
,, ſeu conſimilem, impendant conſilium, auxi-
,, lium, vel favorem. Datum Romæ apud San-
,, ctam Sabinam quinto Idus Martii ſub anno
,, Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſi-
,, mo octuageſimo quinto.

Poſt prædictas verò literas Apoſtolicas dicta ſecta pernitioſa cœpit dejici paulatim, & à Fidelibus evitari. Veruntamen quia longè latèque in diverſis Mundi partibus ſe diffuderat, non potuit tempore præfati Domini Honorii Papæ totaliter extirpari, tum propter favorem ſimplicium, quem ſibi acquiſiverat, tum etiam propter incuriam circa hoc Prælatorum. Et quia non fuit eradicans manus, germinantes filii Belial multiplicati ſunt, & creverunt præfato Gerardo ipſorum capite Hæreſiarcha, & iniquo duce adhuc tunc ſuperſtite, & vivente. Cùmque magìs ac magìs ipſorum error, & hæreſis ſucceſſivis temporibus panderetur, cœperunt Inquiſitores hæreticæ pravitatis auctoritate Sedis Apoſtolicæ in partibus Italiæ inquirere, & procedere contra eos. Præfatus tamen Gerardus duravit uſque ad tempus Bonifacii Papæ VIII. plures habens diſcipulos erroris ſui pariter & magiſtros: tandemque poſt quinquaginta ferè annos à primo ſui initio computandos præfatus Gerardus ſtudio, & ſollicitudine Inquiſitorum de Ordine Fratrum Prædicatorum in partibus Lombardiæ deprehenſus eſt in hæreſi, quam in manibus plurium Inquiſitorum abjuravit. Et tandem per Fratrem Manfredum de Parma Ordinis Prædicatorum Inquiſitorem hæreticæ pravitatis repertus eſt Gerardus per ipſius confeſſionem claram factam judicialiter coram ipſo Inquiſitore recidiſſe in hæreſim abjuratam. Quo habito dictus Inquiſitor de ſolemni conſilio multorum ſapientum utriuſque Juris, & quamplurium Religioſorum, & Clericorum unanimi & concordi ſententialiter tradidit dictum Gerardum apud Parmam brachio ſeculari tanquam Hæreticum relapſum. Et ibidem fuit datus flammis ignium, & combuſtus. Et multos utriuſque ſexus, quos dictus Gerardus habebat diſcipulos, & credentes, & vitæ ſuæ abominabilis & perfidæ ſectatores, dictus Inquiſitor cautè & ſollicitè inquirendo, & puniendo diverſis pœnis, ac procedendo contra eos acutè, & indeſeſsè, illam diabolicam ſynagogam de dicta civitate & diſtrictu potenter exterminando fugavit cum honore Dei, & exterminio prædictæ labis.

Exterminato autem de medio, & cremato præfato Gerardo Hæreſiarcha, Dulcinus Novarienſis Diœceſis ſpurius filius Sacerdotis, unus ex diſcipulis præfati Gerardi ſucceſſit eidem in magiſterio erroris, & pravi dogmatis, factuſque eſt caput, & vexillifer ſectæ illius, & congregationis non tam apoſtolicæ, quàm diabolicæ, erroreſque erroribus addidit, & adjunxit, ſicut magìs inferiùs apparebit. Ubi errores talium ſub quodam compendio ſunt collecti, ut detecti meliùs valeant à fidelibus evitari. Dictuſque Dulcinus multa millia hominum (3) utriuſque ſexus, maximè in partibus Italiæ & Thuſciæ, ac aliis vicinis regionibus longè latèque in ſua ſecta, & hæreſi adunavit. Quibus doctrinam tradidit peſtiferam, & ſpiritu non tam prophetico, quàm phanatico, & inſano multa futura prædixit, aſſerens & confingens ſe habere revelationem à Deo, & ſpiritum intelligentiæ Prophetarum. In quibus omnibus inventus eſt falſus & mendax, & deceptorius, & deceptus cum ſua Margarita maledica, & hæretica conſorte in ſcelere, & errore, ſicut magìs ſequentia declarabunt.

Scripſit autem præfatus Dulcinus Epiſtolas tres, quas intitulavit generaliter ad univerſos Chriſtifideles, & ſpecialiter ad ſuos ſequaces. In ipſis Epiſtolis ſuis de Scripturis Sanctis copioſè delirans, & ſimulans in exordio literarum ſuarum veram fidem Romanæ Eccleſiæ tenere. Cujus perfidiam conſequenter pandit ſeries earundem. Ex quarum duarum tenore, quas tenui, excerpendo collegi ſub compendio quæ ſequuntur, miſſis aliis, brevitatis causâ, quæ ad rem minimè facere videbantur. Quarum una data, ſeu ſcripta fuit Anno Domini Milleſimo treceunteſimo in menſe Auguſti: in qua ipſe Dulcinus in principio aſſerit illam ſuam congregationem ſpiritualem eſſe, & propriam in proprio modo vivendi apoſtolico, & proprio nomine eum paupertare propria, & ſinè vinculo obedientiæ exteriori, ſed cum interiori tantùm. Quam congregationem aſſerit in iſtis diebus noviſſimis à Deo pro ſalute animarum ſpecialiter eſſe miſſam, & electam. Et illum qui præeſt ſuper iſtam congregationem, videlicet ſeipſum, quem vocat Fratrem Dulcinum à Deo ſpecialiter eſſe miſſum, & electum cum revelationibus factis ſibi de præſentibus, & futuris, quæ ſuper bonos, & ſuper malos aſſerit in proximo evenire ad aperiendum prophetias, & intelligentiam

Scrip-

(3) Uſque ad ſex millia utriuſque ſexus à Dulcino decepta cohabitaſſe tradit memoratus Pegna.

Scripturarum novi, & veteris Teſtamenti in temporibus iſtis noviſſimis. Item adverſarios ſuos, & miniſtros Diaboli aſſerit eſſe Clericos ſæculares, cum multis de populo, & potentibus & tyrannis, & omnes Religioſos, ſpecialiter Prædicatorum, & Minorum Ordinum, & etiam aliorum, qui ipſum Dulcinum & ſuos perſequebantur, quia dictam ſectam, quam vocat ſpiritualem, & apoſtolicam tenebant. Et hac de cauſa dicit ſe Dulcinus fugere, & latêre à facie perſequentium, ſicut fecerunt ſui anteceſſores dictæ congregationis uſque ad tempus præfinitum, in quo ipſe, & ſui, ut dicit publicè apparebunt, & publicè prædicabunt, omnibus ſuis adverſariis exterminatis. Item dicit, quòd omnes perſecutores ſui prædicti cum Prælatis Eccleſiæ erant in brevi occidendi, & conſumendi. Et qui ex eis eſſent reſidui, converterentur ad ſectam ſuam, & unirentur ei, & tunc ipſe, & ſui in omnibus prævalerent.

Item diſtinguit quatuor ſtatus Sanctorum fuiſſe in propriis modis vivendi. In primo fuerunt Patres Veteris Teſtamenti, ſcilicet Patriarchæ, & Prophetæ, & alii Viri juſti uſque ad adventum Chriſti; in quo ſtatu laudabat bonum fuiſſe numerum eum multiplicandi genus humanum. Et quia in fine poſteriores declinaverunt à ſtatu ſpirituali, & bono priorum, ideo vênit Chriſtus ad ſanandum infirmitatem illorum cum Apoſtolis & Diſcipulis ſuis, & imitatoribus ipſorum. Et iſte fuit ſecundus ſtatus Sanctorum in alio proprio modo vivendi, qui fuerunt ſicut medicina perfecta infirmitatis prioris populi, & oſtenderunt veram Fidem per miracula, & humilitatem, & patientiam, & paupertatem, & caſtitatem, & alia bona exempla vitæ contra omnia illa, à quibus declinaverant illi, qui erant de priori ſtatu, & in iſto ſecundo ſtatu melior fuit virginitas, & caſtitas, quàm matrimonium; item paupertas, quàm divitiæ, & ſinè proprio vivere, quàm poſſeſſiones habere, & duravit iſte ſtatus uſque ad tempus Beati Silveſtri Papæ, & Conſtantini Imperatoris, & tunc poſteriores declinaverant à perfectione priorum. Tertius ſtatus cœpit à Sancto Silveſtro tempore Conſtantini Imperatoris, in quo Gentiles cœperunt magìs ac magìs converti ad Fidem Chriſti generaliter. Et dum ſic convertebantur, & non refrigerabantur in amore Dei, & proximi, meliùs fuit Sancto Silveſtro Papæ, & aliis ſucceſſoribus ſuis poſſeſſiones terrenas, & divitias ſuſcipere, & habere, quàm paupertas apoſtolica; & meliùs fuit regere populum, quàm non regere ad tenendum ipſum ſic & conſervandum. Sed quando incœperunt populi refrigerari à caritate Dei, & proximi, & declinare à modo vivendi Sancti Silveſtri, tunc melior fuit modus vivendi Beati Benedicti, quàm aliquis alius, quia in terrenis fuit ſtrictior, & à temporali dominio magìs ſeparatus. Et tamen ita bonus erat tunc, ut dicit, modus bonorum Clericorum, qui tunc erant, ſicut Monachorum, niſi quòd modus Clericorum bonorum ſecundùm majorem partem numeri eorum erat in diminuendo, & Monachorum erat in multiplicando. Et quando Clerici, & Monachi quaſi ex toto à caritate Dei, & proximi refrigerati fuerunt, & declinaverunt à priori ſtatu ſuo, tunc melior fuit modus vivendi Sancti Franciſci & Sancti Dominici, & magìs ſtrictus in poſſidendo res terrenas, & in dominio temporali magìs quàm modus vivendi Beati Benedicti, & Monachorum, & quia modò eſt tempus in quo omnes tam Prælati, quàm Clerici, & Religioſi à caritate Dei, & proximi & refrigerati ſunt, & declinaverunt, & ſtatus prædeceſſorum ſuorum meliùs fuit, & eſt reformare modum vivendi proprium Apoſtolicum, quàm aliquem alium modum vivendi tenere, & iſtum modum vivendi Apoſtolicum aſſerit miſſum eſſe à Deo in iſtis temporibus noviſſimis, & iſtum modum vivendi Apoſtolicum incœpit Frater Gerardus Parmenſis à Deo dilectiſſimus, & durabit, & perſeverabit uſque ad finem ſæculi, & fructificabit uſque ad diem Judicii. Et iſte eſt quartus, & ultimus ſtatus in proprio modo vivendi Apoſtolico, & differt à modo vivendi Sancti Franciſci, & Sancti Dominici, quia vita illorum fuit multas habere domus, & illuc mendicata deferro. Sed nos, ait Dulcinus, nec domus habemus, nec etiam mendicata portare debemus. Et propter hoc vita noſtra eſt major, & ultima omnibus medicina.

Item dicit, quòd à Chriſto uſquo ad finem Mundi Eccleſia debebat facere multas mutationes. In primo debebat eſſe ſicut & fuit bona, & virgo, & caſta, & perſecutiones paſſa, & hæc fuit uſque ad Beatum Silveſtrum, & Conſtantinum Imperatorem.

In ſecundo debebat eſſe, ſicut & fuit, dives, & honorata, ipſa manente in bonitate, & caſtitate, & hæc fuit quandiu Clerici & Monachi, & omnes Religioſi perſeveraverunt in ſuis modis vivendi, ſecundùm exempla Sanctorum Silveſtri, Benedicti, Dominici, & Franciſci.

In tertio debebat eſſe, ſicut & eſt, verè malitioſa, dives, & honorata, & hæc eſt modò, ait Dulcinus, tempore quo prædicta ſcripſit, & durabit donec ipſi Clerici, Monachi, & omnes Religioſi ſint morte crudeliſſima interempti. Quod in ſequentibus ejuſdem epiſtolæ aſſerit eſſe futurum in brevi. Videlicet infra tres annos à tempore, quo prædicta ſcripſit.

In quarto debebat eſſe, ſicut & jam eſſe incipit, bona, & pauper, & perſecutiones paſſa in proprio modo vivendi Apoſtolico reformata. Iſta quarta mutatio fuit incœpta per Fratrem Gerardum Parmenſem, quem dicit à Deo dilectiſſimum, & perſeverabit perfecta, & durabit, & fructificabit uſque ad finem Mundi. Et ad quatuor prædictas mutationes confirmandas adducit verba Prophetiæ Iſaiæ in fine Libri V. ſcribitur: *Lauda ſterilis, quæ non paris &c.* uſque ad illum locum: *Non eſt pax impiis, dicit Dominus*. Et ita aſſerit ſe credere, & tenere. Item dicit, quòd perſecutores ipſius Dulcini, & ſuorum occiderunt prædictum Fratrem Gerardum Parmenſem incœptorem iſtius vitæ noviſſimæ reformatæ, & rectorem alium, ſcilicet ſe ipſum Dulcinum à Deo miſſum ſuper congregationem prædictam cum intelligentia ad aperiendum Prophetias perſonis cum ſuis, & multis conſequenter juſtificat ſe, & ſuos, & condemnat omnes alios.

Item poſtmodum prædicit futura, aſſerens, quòd niſi eveniant illa, quæ prædicit, quæ aſſerit eſſe revelata ſibi à Deo, quòd & ipſe & ſui reputentur mendaces, & alii, qui ipſum, & ſuos perſequuntur, veraces, & etiam è converſo.

Item circa medium epiſtolæ ſuæ uſque ad finem proſequitur de futuris infra proximè venturum tunc triennium adimplendis, dicens, quòd omnes Prælati Eccleſiæ, & ceteri Clerici à majori uſque ad minorem, & omnes Monachi, & Monachæ, & Religioſi, & Religioſæ, & omnes Fratres, & Sorores Ordinum Prædicatorum, & Minorum, & Heremitarum, qui, ut ipſe dicit, jam ſunt declinati à modis vivendi prædeceſſorum

ſuorum, qui ſunt tertia mutatio Eccleſiæ, quæ ſuperiùs eſt deſcripta, de quibus ſubdit ibidem plurima mala; necnon Boniſacius Octavus, qui tunc præerat Romanæ Sedi, de quo ſimiliter ibidem plurima mala ſubdit, adducens ad prædicta, & interpretans ſecundùm ſuum pravum intellectum multa de Scripturis Prophetarum, & veteris, ac novi Teſtamenti, omnes, inquam, ſupradicti divino gladio exterminabuntur ab Imperatore relevato, & à Regibus novis ſactis per ipſum Imperatorem relevatum, & occidentur, & conſumentur per univerſam terram. Imperatorem relevatum exponit, & aſſerit ibidem eſſe Fredericum Regem tunc Siciliæ, filium quondam Petri Regis Aragonum. Qui Fredericus debet relevari in Imperatorem, & ſacere Reges novos, & Boniſacium Papam pugnando habere, & ſacere occidi cum aliis occidendis, & ad confirmandum prædicta adducit multa de Scripturis veteris, & novi Teſtamenti, interpretando, & exponendo de corde ſuo intellectu perverſo. Et dicit, quòd tunc omnes Chriſtiani erunt poſiti in pace, & tunc erit unus Papa Sanctus à Deo miſſus mirabiliter & electus & non à Cardinalibus, quia tunc Cardinales omnes erunt occiſi cum aliis. Et ſub illo Papa erunt illi, qui ſunt de ſtatu ſuo apoſtolico, & etiam alii de Clericis, & Religioſis, qui unientur eis, qui divino auxilio à prædicto gladio ſuerint liberati, & tunc accipient Spiritus Sancti gratiam, ſicut acceperunt Apoſtoli in Eccleſia primitiva. Et inde fructificabunt in aliis uſque ad finem Mundi, & prædictus Fredericus Rex Siciliæ filius Petri Regis Aragonum Imperator relevatus, & ille Papa Sanctus poſt Boniſacium occiſum per Imperatorem, & Reges illi novi facti per Imperatorem relevatum permanebunt uſque ad Antichriſtum, qui in diebus illis apparebit & regnabit. Et ad confirmandum prædicta adducit multa de Scripturis tam Prophetarum, quàm veteris & novi Teſtamenti, explanando, & applicando ſecundùm ſuum intellectum alienum à veritate, & à communi expoſitione Sanctorum, & Doctorum. Et ſubdit ibidem, quòd Frater Gerardus Parmenſis prædictus, qui ſuit occiſus, fuit primus inceptor prædictæ Congregationis noviſſimæ, quam vocat Apoſtolicam, & ipſe Frater Dulcinus Novarienſis Diœceſis eſt ſecundus Rector dictæ Congregationis, quæ durabit, & fructificabit uſque ad finem Mundi. Et ad confirmandum prædicta adducit Prophetias, & Scripturas veteris, & novi Teſtamenti plures, exponendo eas ſecundùm ſuum pravum intellectum.

Item circa finem epiſtolæ ſuæ prædictæ exponit de primis ſeptem Angelis cum Eccleſiis ſuis, qui ſcribuntur in Apocalypſi, dicens, quòd Angelus Epheſi ſuit Beatus Benedictus, & Congregatio Monachorum ſuit ſua Eccleſia.

Item Angelus Pergami ſuit Beatus Silveſter Papa, & Clerici ſuerunt ſua Eccleſia.

Item Angelus Sardis ſuit Beatus Franciſcus, & Fratres Minores ſuerunt ſua Eccleſia.

Item Angelus Laodiciæ ſuit Beatus Dominicus, & Fratres Prædi atores ſuerunt ſua Eccleſia.

Item Angelus Smirnæ ſuit Frater Gerardus Parmenſis qui à ſupradictis peſſimis ſuit occiſus.

Item Angelus Tyaturæ eſt ipſe Dulcinus Diœceſis Novarienſis.

Item Angelus Philadelphiæ erit prædictus Papa Sanctus, & iſtæ tres Eccleſiæ ultimæ ſunt iſta Congregatio apoſtolica in iſtis noviſſimis diebus miſſa. Quod, ſicut ibidem ſubdit, per tria bona, & per tria officia ſuorum Rectorum nominatur in tribus Eccleſiis.

Per primum bonum primi Rectoris officium incipitur & multiplicatur.

Per ſecundum bonum ſecundi Rectoris officium ſublevatur, renovatur, & multiplicatur.

Et per tertium tertii officium per univerſum Mundum ſpargetur, & prædicabitur, & fructificabit. Et Fredericus Imperator relevatus regnabit, & imperabit per univerſum Mundum magis quàm fecerit aliquis Imperator. Et durabit uſque ad tempus Antichriſti. De quo Antichriſto, quando venturus ſit manifeſtè cognoſcere ſe aſſerit ibidem. Hæc omnia excerpta ſunt de prima Epiſtola præfati Dulcini, quæ ab ipſo fuit compilata, & confecta in menſe Auguſti Anno Domini Milleſimo trecenteſimo, ſicut in fine ejuſdem ſcribitur.

Ex ſecunda verò Epiſtola ejuſdem Dulcini, quæ facta ſuit & miſſa Anno Domini Milleſimo trecenteſimo tertio in menſe Decembris excerpta ſunt quæ ſequuntur.

In primis nominat ſe ipſum Fratrem Dulcinum Novarienſem Rectorem ſuper omnes dictæ Congregationis Apoſtolicæ. Item ſororem Margaritam præ ceteris ſibi dilectiſſimam, & Fratrem Longinum de Pergamo, & Fratrem Fredericum de Novaria, & Fratrem Albertum Tarentinum, & Fratrem Valdericum de Brixia diſcipulos, & ipſi, & multi alii viri, & mulieres pluſquam centum conſimiles ſupradictis, & alia multitudo Fratrum, & ſororum ejuſdem Congregationis in Italia pluſquam centum conſimiles ſupradictis, & alia multitudo Fratrum quatuor millia omnes invicem ſinè vinculo exterioris obedientiæ, ſed interioris tantùm ſubjecti, & uniti, omnibus, ad quos præſentes literæ pervenerint ſalutem. Item paulò poſt ſubdit, quòd de novitatibus factis, & fiendis ſub brevitate innoteſcit. In primis dicens, quòd in iſtis diebus noſtris, ſcilicet ſub anno illo, quo prædictam Epiſtolam ſcripſit, ſeu miſit ſub Anno Domini Milleſimo trecenteſimo tertio quatuor Papæ ſunt deſcripti; duo boni, ſcilicet primus, & noviſſimus, & duo mali, ſcilicet ſecundus & tertius.

Primum Papam exponit, & dicit eſſe Cœleſtinum, qui ceſſit Papatui, de quo exponit prophetiam Iſaiæ, ubi dicitur. *Onus deſerti maris*, ubi habetur de aſcenſione aſini, & in Abdia Propheta de Fratre Jacob. Et in Apocalypſi de Angelo Pergami de ſervo Antiphiri.

Secundum verò Papam exponit, & dicit eſſe Boniſacium Octavum, qui ſucceſſit Cœleſtino. Et illo anno, quo prædicta litera Dulcini fuit ſcripta, Boniſacius ſuerat captus in menſe Septembri, & obiit ſequenti menſe Octubri, de quo exponit quod ſcribitur in Iſaia Propheta de aſcenſione Cameli, & Præpoſito Templi, qui fecit ſibi fieri monumentum & imaginem ſupra petram ſicut eſſet viva, & in Abdia Propheta delegato, & Eſau, & in Zacharia Propheta quaſi in medio libri de paſtore ſtulto, quòd habebat brachium, & oculum dextrum, & exponit brachium eſſe & oculum ejus Carolum Primum Regem Siciliæ, & Carolum Secundum filium ejuſdem Regis, qui pro Papa contra Fredericum pugnaverunt. Tertium verò Papam dicit eſſe ſucceſſorem Boniſacii Octavi, quem non nominat nomine proprio, ſed de ipſo exponit quod dicitur in Hieremia Propheta de Eſau legato & inſra de Babilone mag..... ubi dicitur *Ecce quaſi Leo aſcendet de ſuperbia Jordanis & cetera*, & inſra: *Quis erit electus?* ideſt poſt mortem Boniſacii de novo factus &c. quæ ſequuntur. Et exponit Leonem eſſe Fredericum Regem Siciliæ, quem dicit eſſe venturum anno pro-

Digitized by Google

proximo tunc venturo Milleſimo trecenteſimo quarto ſuper malitioſum Papam novum, & ſuper Cardinales ſecum ad conſumendum totam Romanam malitioſam Curiam, quam finaliter conſumet. De iſto etiam Papa exponit quod dicitur in Zacharia Propheta. *Finis venit; Venit finis ſuper quatuor plagas terræ &c.*

Quartum verò Papam non nominat nomine proprio, quem aſſerit eſſe ſanctum, & exponit de ipſo quod dicitur in Iſaia Propheta de cremato paxillo, & in Abdia dicitur in fine: *In monte Syon erit Salvator*; ideſt in Eccleſia erit unus Papa Sanctus, qui regnabit tunc, & in Ezechiele Propheta dicitur circa finem: *Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos &c.* Et ibi dicitur de montibus Iraël quantas tribulationes debent pati pro Deo, & montes exponit, & dicit ſe ipſum eſſe, & ſuos. Et ipſe Papa Quartus Sanctus erit, de quo dicitur in Apocalypſi de Angelo Philadelphiæ. Nec eligetur à Cardinalibus, quia à Frederico ipſi Cardinales cum tertio Papa novo capite eorum ſunt conſumati. Sed Frederico imperante & regnante eligetur à Deo, & tunc ipſe Dulcinus, & ſui de Congregatione Apoſtolica erunt liberati ubique. Et omnes ſpirituales, qui ſunt in omnibus Ordinibus aliis, tunc unientur prædictæ Congregationi Apoſtolicæ, & recipient gratiam Spiritus Sancti, & ſic renovabitur Eccleſia. Et tunc deſtructis malitioſi prædictis ipſi regnabunt, & fructificabunt uſque ad finem Mundi. Et in tribus annis mercenariis, de quibus dicitur in Iſaia Propheta, debent conſumari illi mali, & mali tonſi, de quibus ſupra dixit, qui anni debent intelligi, & accipi ſic.

Primus annus illorum trium fuit Milleſimo trecenteſimo tertio, in quo facta eſt deſolatio ſuper Regem Auſtri, ideſt ſuper Boniſacium Papam.

Secundus annus eſt Milleſimo trecenteſimo quarto, in quo deſolatio Cardinalium cum ſuo novo capite fiet.

Tertius annus illorum trium eſt Milleſimo trecenteſimo quinto, in quo circumquaque fiet deſolatio omnium Clericorum, Monachorum & Monacharum, & Religioſorum aliorum, & Minorum, & Prædicatorum, & Heremitarum, qui in malitia uſque illuc de malo in pejus perdurabunt, & hæc omnia fient per Fredericum Imperatorem Romanorum in illis duobus annis, ſcilicet Milleſimo trecenteſimo quinto. Et de prædictis, quod ita eveniant, dictus Dulcinus aſſerit ſe habere à Deo certiſſimam revelationem, & uſque ad illud tempus dicit ſe latêre propter perſecutionem ſui, & ſuorum. Sed tunc veniet in publicum, & publicè apparebunt. *Explicit excerptio de Epiſtolis Dulcini.*

Præmiſſa, & multa alia non tam vana, & fabuloſa, quàm erronea & inſana in prædicti literis Dulcini continentur. Et hæc excerpta deſcripſi, ut pateat præſentibus & futuris eorum falſitas, errorque, & inſania, ſicut experientia jam lapſi temporis luce clariùs declaravit. Quia hoc anno, quo hæc ſcripſi in Kalendis Majì anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſexto decimo jam decem anni elapſi ſunt, quòd illa tempora, de quibus dixerat, tranſierunt, & quæ futura in ipſis prædixerat, minimè evenerunt, & expoſitio ac interpretatio & applicatio Scripturarum Sanctarum, quam ipſe fecit in ſuis literis, omnino falſa eſt & inſana, & à vera & communi ſententia & expoſitione Sanctorum & Doctorum Eccleſiæ penitus aliena, & ſic præfatus Dulcinus non tam falſus Propheta non quidem Dei, ſed Diaboli, quàm Hæreſiarcha dementatus quamplures alios dementavit. Docuit ſicut magiſter erroris hæreſes, & errores. Hunc igitur de ſuis erroribus, & prædicti Gerardi Magiſtri ſui, & ſequacium eorumdem conſequenter videndum eſt, ut Catholicis pateat quos errores ipſi occultant, ut cautiùs detecti, & cogniti evitentur: & prædicta congregatio non quidem Apoſtolica, ſed re vera Apoſtatica & Hæretica ubique Credentium de finibus penitus extirpetur.

Iſti, qui ſequuntur, errores ſunt Gerardi Sequerelli Parmenſis Hæretici damnati & combuſti, & Dulcini Diœceſis Novarienſis ſucceſſoris ipſius, & ſequacium eorum. Qui Dulcinus ſimiliter fuit Hæreticus damnatus & combuſtus, prout de erroribus apparet, & colligitur evidenter ex confeſſione dicti Gerardi, dum adhuc viveret, & quorumdam diſcipulorum dicti Dulcini, qui poſtmodum ad Fidem converſi fuerunt, & ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ redierunt.

I. In primis latenter dogmatizaverunt, & adhuc & quando & ubi poſſunt latentiùs & ſecretiùs dogmatizant, quòd tota auctoritas à Domino Noſtro Jeſu Chriſto collata Romanæ Eccleſiæ eſt omnino evacuata, & jamdudum ceſſavit propter malitiam Prælatorum, & quòd Eccleſia Romana, quam tenent Papa & Cardinales & Clerici & Religioſi, non eſt Eccleſia Dei, ſed reprobata Eccleſia ſinè fructu.

II. Item, quòd Eccleſia Romana eſt illa meretrix, quæ à Fide Chriſti apoſtatavit, de qua ſcribit Joannes in Apocalypſi.

III. Item, quòd tota illa poteſtas ſpiritualis, quam Chriſtus dedit Eccleſiæ ab initio, tranſlata eſt in ſectam illorum, qui dicuntur Apoſtoli, ſeu de ordine Apoſtolorum, quam ſectam vocant Congregationem ſpiritualem à Deo miſſam & electam in iſtis noviſſimis diebus, & ipſi, & nulli alii habent poteſtatem, quam habuit Beatus Petrus Apoſtolus.

IV. Item, quòd Gerardus Seguerelli de Parma prædictus fuit principium hujus ſectæ & auctor, qui, ut Dulcinus dicit & aſſerit, fuit nova planta Dei pullulans in radice Fidei; in qua Deus cœpit reducere Eccleſiam ſuam ad converſationem, & perfectionem, & vitam, & ſtatum, & paupertatem Eccleſiæ primiuvæ in illo ſtatu, in quo Chriſtus commiſit Eccleſiam Beato Petro Apoſtolo.

V. Item, ipſi ſoli, qui dicuntur Apoſtoli de prædicta ſecta ſeu Congregatione, ſunt Eccleſia Dei, & ſunt in illa perfectione, in qua fuerunt primi Apoſtoli Chriſti. Et ideo non tenentur alicui homini obedire, nec Summo Pontifici, nec alteri, quia eorum regula, quæ fuit immediatè à Chriſto, libera eſt & perfectiſſima vita.

VI. Item, quòd nec Papa, nec aliquis alius poteſt eis præcipere quòd deſerant ſtatum illum, ſeu vitam tantæ perfectionis, nec etiam poteſt eos excommunicare.

VII. Item, de quolibet ſtatu & ordine poteſt quilibet licitè tranſire ad eorom vitam, & ſtatum, ſeu ordinem, ſive ſit religionis ſive ſæcularis, ita quòd vir ſinè conſenſu uxoris, & uxor ſinè conſenſu viri poteſt relinquere ſtatum Matrimonii, & ordinem intrare ipſorum. Et quòd nullus Prælatus Eccleſiæ Romanæ poteſt ſeparare Matrimonium, ſed ipſi poſſunt.

VIII. Item, quòd nullus de vita, ſeu ſtatu, vel ordine ipſorum poteſt licitè intrare alium ordinem ſeu regulam, ſinè peccato mortali, nec poteſt ſe ſupponere obedientiæ hominis cujuſcumque; quia hoc eſſet deſcendere à vita perfectiſſima ad minùs perfectam.

IX. Item, quòd nullus poteſt ſalvari, nec intrare regnum Cœlorum, niſi ſit de ſtatu, ſeu ordine ipſorum; quia extra ſtatum, ſeu ordinem illum deinceps nullus ſalvabitur.

X. Item, quòd omnes, qui perſequuntur eos, peccant, & ſunt in ſtatu damnationis & perditionis.

XI. Item, quòd nullus Papa Romanæ Eccleſiæ poteſt aliquem abſolvere à peccatis, niſi eſſet ita ſanctus, ſicut fuit Beatus Petrus Apoſtolus, vivendo in omnimoda paupertate ſinè proprio, & in humilitate, non fovendo guerras nec aliquem perſequendo, ſed permittendo vivere quemlibet in ſua libertate.

XII. Item, quòd omnes Prælati Romanæ Eccleſiæ tam majores, quàm minores à tempore Sancti Silveſtri, poſtquam declinaverunt à modo vivendi priorum Sanctorum, ſunt prævaricatores & ſeductores, excepto Fratre Petro de Murrone, qui fuit Papa Cœleſtinus appellatus.

XIII. Item, quòd omnes Ordines Religioſorum, & Sacerdotum, Subdiaconorum, & Prælatorum ſunt ad Fidei Catholicæ detrimentum.

XIV. Item, quòd Laici non debent dare Decimas alicui Sacerdoti, ſeu Prælato Romanæ Eccleſiæ, qui non ſit in tanta perfectione, & in tanta paupertate, in quanta fuerunt primi Apoſtoli, & ideo dicunt, quòd Decimæ non debent dari, niſi ipſis, qui dicuntur Apoſtoli, & ſunt pauperes Chriſti.

XV. Item, quilibet homo & quælibet mulier nudi ſimul poſſunt licitè jacere in uno & eodem lecto, & licitè tangere mutuò unus alterum in omni parte ſui, & oſculari ſe invicem ſine omni peccato; & conjungere ventrem ſuum cum ventre mulieris ad nudum, ſi quis ſtimuletur carnaliter, ut eſſet tentatio, non eſt peccatum.

XVI. Item, quòd jacere cum muliere, & non commiſceri ex carnalitate majus eſt, quàm reſuſcitare mortuum.

XVII. Item, quòd perfectior vita eſt vivere ſinè voto, quàm cum voto.

XVIII. Item, quòd Eccleſia conſecrata non plus valet ad orandum Deum, quàm ſtabulum equorum, vel porcorum.

XIX. Item, quòd ita bene poteſt adorari Chriſtus in nemoribus, ſicut in Eccleſiis, vel meliùs.

XX. Item, quòd pro nulla cauſa, nec in aliquo caſu debet homo jurare, niſi pro articulis Fidei, vel Præceptis Dei, & omnia alia poſſunt celari, & quantumcumque jurent dicere veritatem coram Prælatis, ſeu Inquiſitoribus, non tenentur reſpondere de aliquo alio, nec revelare doctrinam ſuam, ſeu errores ſuos, nec tenentur defendere verbo, ſed ſemper corde tenere. Si tamen cogantur jurare metu mortis, in eo caſu debent jurare verbo ſeu voce ſolùm, & in mente tenere, quòd in nullo caſu teneantur reſpondere veritatem, niſi de his, quæ verbaliter continentur in articulis Fidei, vel præceptis, & ſi de aliis requirantur, licet eis ſinè peccato mentiri, & veritatem ſuæ ſectæ negare ore, dummodo ſolùm teneant eam in corde, ad hoc ut evadant poteſtatem Inquiſitorum, ſed debent reſpondere inficiando vel negando, ſeu palliando quocunque modo poſſint pertranſire. Si tamen non poſſent mortem evadere, tunc in tali caſu debent apertè profiteri & defendere in omnibus & per omnia prædictam Doctrinam ſuam, & mori in ea patienter & conſtanter, & nullatenus aliquos de ſociis ſuis vel credentibus revelare.

Prædictos errores & quoſdam alios, qui ex eis neceſſariò concluduntur, tenent, & dogmatizant credentibus ſuis, non tamen publicè, ſed ſecretè; nec omnes inſimul docent, ſed paulativè, modò unum, modò alium, modò plures, ſicut magis viderint opportunum, & communiter cum aliqua ſimilitudine bonitatis vel pietatis, ut magis reddantur credibilia verba ipſorum. Et maximè præmittunt in perſuaſionibus ſuis apud Laicos quæcumque poſſunt dicere, & perſuadere de mala vita Clericorum, & Prælatorum, & Religioſorum. Et dicunt, quòd Prælati, & Clerici, & Religioſi perſequuntur eos ex invidia, quia dicunt & docent veritatem. Modus autem perſuadendi & informandi ipſorum in principio, maximè publicè, communiter talis eſt; dicunt enim: *vigilate & orate, quia bonum eſt hoc pro anima*; item dicunt *Pater noſter*, & *Ave Maria*. & *Credo in Deum*, & cantant eundo per Villas; aliquando in plateis vel ubi inveniunt audientes: *pœnitentiam agite; appropinquabit regnum Cœlorum*, & aliquando cantant *Salve Regina*, & prætendunt exteriùs quædam ſigna devotionis ad Deum, quæ prima facie videntur auditoribus bona & pia, ut ſic magis alliciant audientes, & ſpecialiter conantur ut appareant exteriùs hominibus pœnitentes, & vitam perfectam agentes.

Prædictus Dulcinus inter cetera dogmatizavit, aſſerens ſe habere ſpiritum Prophetiæ (*& hoc*) ſibi fuiſſe revelatum à Deo, quòd ſub anno Domini MCCCV. Fredericus Rex Siciliæ filius quondam Petri Regis Aragonum fieret Imperator, & tunc inſtitueret decem Reges in Italia, & quòd occideret Papam, & omnes Cardinales, & omnes Prælatos Eccleſiæ, & omnes Religioſos, præter illos, qui fugerent ad ſectam ipſius Dulcini & ſuorum, & tunc Dulcinus poneretur in Sede Beati Petri, & inciperet ipſe & ſui publicè in Eccleſia dominari, quod totum liquidò patet, & patuit eſſe falſum.

Item, quòd ipſe Dulcinus, & ſui ſequaces ſolùm, & nullus alius habebat Spiritum Sanctum ſed primitus non ad robur, & ideo tunc occultè, & de nocte, & cum timore prædicabant; ſed in anno prædicto, quando Fredericus eſſet conſtitutus Imperator, tunc ipſi erant recepturi tantam abundantiam Spiritus Sancti ad robur, quantam receperunt primi Apoſtoli Chriſti in die Pentecoſtes, & tunc depoſito omni timore per totum Mundum magis publicè prædicarent, ut converterent populos ad ſectam, & vitam, & Congregationem ſuam Apoſtolicam, extra quam nullus deinceps poteſt ſalvari.

Item Dulcinus dogmatizavit, quòd Eccleſia habet, & habuit quatuor ſtatus.

Primus fuit bonus, & humilis, pauper, & perſecutioni ſubjectus, & iſte fuit tempore Chriſti, & Apoſtolorum.

Secundus fuit bonus ſtatus, honorabilis, & dives, & iſte fuit tempore Beati Silveſtri.

Tertius fuit, & eſt modò dives, avarus, fornicarius, honorabilis, & ſuperbus, & ille ſtatus duravit, & durat modò.


Quartus eſt ſicut primus, & iſte incœpit à Gerardo Seguerelli de Parma, qui viam perfectionis Apoſtolicæ in iſtis diebus noviſſimis, & à Deo miſſus primus poſt Apoſtolos incœpit. Et erant quadraginta anni elapſi, tempore, quo prædictus Dulcinus prædicta dixit, & ſcripſit ſub anno Domini milleſimo trecenteſimo vel circa; & hanc vitam Apoſtolicam teneat Dulcinus, &

ſui

ſui ſequaces, ut dicunt. Item prædictus Dulcinus habuit, & tenuit, & ſecum ducebat Amaſiam nomine Margaritam, quam dicebat ſe tenere more ſororis in Chriſto providè & honeſtè. Et quia fuit deprehenſa eſſe gravida, ipſe & ſui aſſeruerunt eſſe gravidam de Spritu Sancto. Item ſimili modo diſcipuli, & ſequaces Dulcini, qui ſe dicunt eſſe Apoſtolos, ut ſæpiùs compertum eſt, quòd ducebant ſecum Amaſias, quas appellabant ſorores in Chriſto, & cum eis jacebant in lectis, aſſerentes mendaciter, & fingentes ſe nullis carnis tentationibus moleſtari.

A Eſt autem valde difficile ipſos examinare, & veritatem contra eos invenire, pro eo maximè, quia quantumcumque juraverint in judicio ſe veritatem dicturos, nolunt tamen manifeſtè ſuam detegere falſitatem, nec ſuos errores publicè confiteri, nec directè reſpondere ad interrogata, ſed palliatè & per aſtutias, & tergiverſationes multas deviant, & mendaciis ſe juvant, & ſe ipſos contegunt, & obvolvunt, & ideo multùm eſt ars neceſſaria contra ipſos, & induſtria inquirentis (*).

(*) Sequitur in MS. Modus eos inquirendi & examinandi, ſed hæc ad rem noſtram non pertinent



D I N I
COMPAGNI
CHRONICON FLORENTINUM
ITALICA LINGUA SCRIPTUM

Ab Anno MCCLXXX. uſque ad Annum MCCCXII.

Nunc primùm in lucem emergit

EX MANUSCRIPTO CODICE

CLARISSIMI VIRI

A P O S T O L I   Z E N I.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN DINI COMPAGNI
CHRONICON FLORENTINUM
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

AD Annum uſque 1281. Hiſtoriam Florentinam perduxit Ricordanus Malaſpina, quem ſupra dedi. Bene cecidit, quod ab Anno praecedenti 1280. Patriae quoque ſuae res geſtas ſcribere aggreſſus fuerit *Dinus Compagnus*, & is Florentious, eaſque literis conſignaverit uſque ad Annum 1312. Hactenus vero paucis noti, & manu tantum exarati Florentiae latebant illius Commentarii, digni tamen ſupra multos, qui ab omnibus noſcerentur atque legerentur. Et illorum quidem mentionem jamdiu fecerant Vocabularii Florentini Auctores, ſive Academici Furſuracei, quum Auctoris hujus monumentis ad illuſtrandam Italicam Linguam uterentur. Quare vehementer optabam, ut hanc etiam Hiſtoriam, tamdiu deſideratam, luce donare, atque huic Collectioni meae adjungere poſſem Neque in irritum ceſſere vota & inquiſitio mea. Ubi enim intellexit Cl. Vir Apoſtolus Zenus, Auguſtiſſimi Imperatoris CAROLI VI. Hiſtoriographus & Poëta, mihi paene ſpem omnem ereptam Operis aliunde impetrandi, lubentiſſime paſſus eſt, me ex ſuo labore in communem omnium utilitatem proficere. Nimirum paraverat ille ſibi longe antea e Florentino Codice MSto idem Chronicon, editurus ſubinde, quum ſibi liceret ſtudia ſua ad Hiſtoriam Italicam exornandam aliquaodo conſerre. Immo ne quid ad ſui antigraphi integritatem deeſſet, jamdiu collationem ejus faciendam curaverat cum vetuſto MSto Codice Bibliothecae Strozzianae Florentinae, atque cum altero, quem, adhuc nobilis gens Compagna Florentiae adſervat. Aliis ergo curis & negotiis diſtentus Zenus, exemplar ſuum jam ipſi autographo paene aequandum, mecum liberaliter communicavit, illudque Vindobonae deſcriptum per Gherardum meum ad me miſit. Accipiat ergo nunc Literaria Reſpublica foetum hunc, & quidem non vulgarem, quamquam vulgari Lingua lucubratum, cujus Auctorem *Dinum Compagnum* antea Lectori melius notum volo.

Fuit vir ille neſcio an antiqua ſanguinis nobilitate, certe ex honoribus ac dignitatibus, quas adeptus eſt, illuſtris: nam uti ipſe memorat, Annó 1289. inter Seviros, quos Priores Reipublicae appellabant, conoumeratus fuit. Tum Anno 1293. Vexillifer Juſtitiae delectus eſt, atque adeo ad ſupremum Patriae ſuae Magiſtratum evectus. Sunt ejus verba. *E io Dino Compagni ritrovandomi Gonfaloniere di Giuſtizia nel 1293. andai alle loro caſe, e de' loro Conſorti, e quelle feci disfare ſecondo le Leggi*. Adhibitus quoque fuit Anno 1294. ad emendanda Urbis Statuta; ac deinde Anno 1301. inter Seviros, ſive Priores, rurſus cooptatus eſt. Scipio Admiratus in Hiſtor. Florentin. ad Ann. 1289. & 1293. eadem Dini Compagni munera commemorat, quamquam ejus Hiſtoriam ignoraſſe videtur. Ex quibus intelligis, Scriptorem hunc non ſolum narrare quae ſuo tempore contigerunt, ſed iis etiam interfuiſſe. Atque utinam pares multos haberemus: nemo enim plerumque fide dignior cenſendus eſt, aut ſaltem res geſtas accuratius recenſere poteſt, quam qui ad clavum Reipublicae ſedens negotia deſcribit, quae ipſe obivit, aut ſub oculis habuit. Hac de cauſa tanti facimus Julii Caeſaris Commentarios, aliaſque id genus Hiſtorias: Auctor vero eſt ipſe Dinus, ſe juvenem Anno 1282. incitaſſe ad mutationem publici regiminis populares viros, ſimulque fatetur, *che per giovanezza non conoſceva le pene delle Leggi*. Fortaſſe tunc ipſe natus erat annos XX. aut XXV. ideoque Danti Aldigerio ſynchronus, Petrarcham & Boccaecium longe aetate praeivit. Ad Annum 1302. narrat is pulſum fuiſte in exilium *Ser Petracco di Ser Parenzo dall' Anciſa*. Hic Petrarchae genitor fuit. Quamdiu Dinus vixerit, fortaſſe petas. Chronicon ſuum perduxit uſque ad Annum 1312. ſed ultra vivere perrexit, quum

ad Johannem XXII. Romanum Pontificem ſit quaedam illlus Oratio, ab Academicis Furfuraceis memorata, & Anno 1547. Florentiae edita a Franciſco Donio una cum aliis orationibus Dantis, Petrarchae, & Boccaccii. Praeterea in calce Codicis, unde haec hauſta fuere, legitur: *Morì Dino Compagni adì XXVI. di Febbrajo 1323 ſepulto in Santa Trinità*. Quae ſi vera ſunt, ut puto, annum mortis illius jam tenemus; & dolendum, quod non uſque ad poſtremos ſuae vitae annos Hiſtorica monumenta produxerit. Fuerunt autem Dino Compagno ſex liberi, ut mihi ſignificavit per literas Cl. Vir. Salvinus Salvinius Canonicus Florentinus. Nempe ex Cecca ſive Franciſca Puccii Benevenuti filia procreavit Toſam, Paulo Brunelleſco nuptam, Magdalenam uxorem Girardi Boſcoli, Dinam uxorem Johannis Cambii, Nicolaum maritum Dianae Ardinghellae, Ciangum maritum Eliſabethae Marinae, & Bartholomaeum, qui ſibi conjugem delegit Margaritam Nerii de Pazziis filiam. Ab iſto Bartholomaeo per lineam rectam deſcendit illuſtris Familia Compagna nunc Taurini habitans, in qua Ferdinandus Comes Mombelli numeratur. Ex Guidone fratre Dini lineae duae propagatae ſunt, quae Florentiae vigent, ibique tum Reipublicae, tum Ducum temporibus, praecipuis honoribus ac muneribus donatae fuerunt. Atque hinc ramus alter divulſus, & Piſas olim translatus, omnia illic nobilitatis ſigna ſervavit ac ſervat.

Ceterum ſi Dini Compagni Hiſtoriam componas cum antiquiore Ricordani Malaſpinae, & cum poſteriore celebratiſſima Johannis Villani, quae inter vulgares Florentinas ex antiquitate ſupra ceteras commendantur, aliquid, ni fallor, in iſto invenias, quo utrique praeſeratur, ut mirer, Florentinos eruditos, quibus tantopere cordi eſt cum Patriae decus, tum Italicae Linguae cultura atque ornamentum, ſegnes hucuſque fuiſſe in hoc ſoetu evulgando, & hanc mihi ſegetem reliquiſſe: Scilicet Dinus noſter ſtili elegantia, ac rerum delectu, Malaſpinae ac Villano praecellere mihi videtur. Ad haec in illo quaedam verborum dictionumque puritas occurrit, uſque adeo ut inter praecipuos Linguae noſtrae Patres ſit accenſendus. Et eam quidem ob rem illo teſte interdum uſi ſunt Vocabularii Florentini Auctores, ut ſupra ajebam. Neque mirum, quod Dinus tam ornate ac pudice ſua literis conſignaret; nam ut erat ingenio liberali a natura inſtructus, non levem Muſis operam dedit: cujus etiam aliquot Italici verſus exſtant a Leone Allatio tenebris olim erepti, & luce donati. Hinc illi in loquendo & ſcribendo vel in proſa oratione facilitas, atque etiam elegantia: quae laus iis temporibus rara perquam fuit in utentibus Italica Lingua. An vero Dinus, cujus nomen ex *Aldobrandino* efformatum brevitatis cauſa putatur, Ghibellinae factioni addictus fuerit, decernere non auſim. Illud potius hinc maniſeſte colligas, hominem fuiſſe recti regiminis amatorem, & pacis ſuaſorem perpetuum; & quamquam in Cives ſuos acerbis interdum querelis invehatur, non eum tamen extra orbitam rapit affectus, immo ubique zelum boni civis oſtendit. Uno verbo, Florentia habet, unde ſibi de hoc etiam Scriptore multum plaudat atque glorietur.

Digitized by Google



CRONACA

DI

DINO COMPAGNI

DELLE COSE OCCORRENTI NE' TEMPI SUOI.

Le ricordanze dell'antiche Storie lungamente hanno ſtimolato la mente mia di ſcrivere i pericoloſi advenimenti non proſperevoli, i quali ha ſoſtenuti la Nobile Città figliuola di Roma molti anni, e ſpezialmente nel tempo del Giubileo dell'anno 1300. Io ſcuſandomi me medeſimo, ſiccome inſufficiente, credendo, che altri ſcriveſſe, ho ceſſato di ſcrivere molti anni, tanto che moltiplicato pericolo e gli aſpetti nocievoli, sì che non ſono da tacere, propuoſi di ſcrivere a utilità di coloro, che ſaranno Eredi de' precedenti anni, acciò che riconoſcano i beneficj da Dio, il quale per tutti i tempi reggie e governa.

COMINCIA IL PRIMO LIBRO.



A QUando io cominciai, propuoſi di ſcrivere il vero delle coſe cierte, che io vidi e udi', però che furono coſe notevoli, le quali ne' loro principj nullo le vido certamente come io; e quello, che chiaramente non vidi, propuoſi di ſcrivere ſecondo udienzia. E perchè molti ſecondo le

B loro volontà corropte traſcorrono nel dire, & corrompono il vero, propuoſi di ſcrivero ſecondo la maggior fama. E acciò che gli ſtrani poſſano meglio intendere lo coſe advenute, dirò la forma della Nobile Città, la quale è nella Provincia di Toſcana, e dedicata ſotto il Segno di Marte, ricca, e larga d'Imperiale Fiume d'acqua dolce, il quale divide la Città quaſi per mezzo, con temperata aria, guardata da nocivi venti, povera di terreno, abbondante di buoni frutti, con Cittadini prò d'armi, ſuperbi, e diſcordevoli, e ricca di proibiti guadagni, dottata e temuta per ſua grandezza dalle Terre vicine, più che amata.

Piſa è vicina a Firenze a miglia quaranta, Lucca a miglia quaranta, Piſtoia a miglia venti, Bologna miglia cinquantotto, Arezzo miglia quaranta, Siena miglia trenta, Samminiaro verſo Piſa miglia venti, Prato verſo Piſtoia a miglia dieci, Monte Accienico verſo Bologna a miglia dieci, Fighine verſo Arezzo miglia ſedici, Poggibonzi in verſo Siena a miglia ſedici. Tutte le predette Terre con molte altre Caſtella e Ville, e da tutte le predette parti ſono molti Nobili huomini, Conti, o Cattani, i quali l'amano più in diſcordia, che in pace, e ubidiſconla più per paura, che per amore. La detta Città di Firenze è molto bene popolata, e generativa per la buona aria, e' Cit-

Digitized by Google

tadini beno coſtumati, e le Donne molto belle e adorne; i caſamenti belliſſimi; piena di molte biſognevoli Arti oltre all'altre Città d'Italia: per la qual coſa molti di lontani paeſi la vengono a vedere, non per neceſſità, ma per bontà de' meſtieri, e Arti, e bellezza, e ornamento della Città.

Piangano adunque i ſuoi Cittadini ſopra loro, e ſopra i loro figliuoli, i quali per loro ſuperbia, e per loro malizia, e per gara d'uficj hanno così Nobile Città disfatta, e vituperate le Leggi, e barattati gli honori in picciol tempo, i quali i loro Antichi con molta fatica, e con lunghiſſimo tempo hanno acquiſtato; e aſpettino la giuſtizia di Dio, la quale per molti ſegni promette loro male, ſiccome a colpevoli, i quali erano liberi da non potere eſſere ſoggiogati.

Dopo molti antichi mali per le diſcordie de' ſuoi Cittadini ricevuti, una ne fu generata nella detta Città, la quale diviſe tutti i ſuoi Cittadini in tal modo, che le due parti s'appellarono nimici per duo nuovi nomi, cioè Guelfi e Ghibellini, e di ciò fu cagione in Firenze, che uno Nobile Giovane Cittadino chiamato Buondelmonte de' Buondelmonti havea promeſſo torre per ſua Donna una figliuola di Meſſere Oderigo Giantruffetti. Paſſando di poi un giorno da Caſa i Donati una gentile Donna, chiamata Madonna Aldruda, Donna di Meſſere Forteguerra Donati, che havea due figliuole molto belle, ſtando a' balconi del ſuo Palagio, lo vide paſſare; e chiamollo, e moſtrògli una delle dette figliuole, e diſſegli: *Chi vai tu tolta per moglie? Io ti ſerbava queſta.* La quale guardando, molto gli piacque, e riſpoſe: *Non poſſo altro ora mai.* A cui Madonna Aldruda diſſe: *Sì puoi: che la pena pagherò io per te.* A cui Buondelmonte riſpoſe: *E io la voglio*, e tolſela per Moglie, laſciando quella, che haveva tolta e giurata. Onde Meſſere Oderigo dolendoſi ne co' parenti e amici ſuoi, deliberarono di vendicarſi, e di batterlo, e fargli vergogna. Il che ſentendo gli Uberti, Nobiliſſima Famiglia, e potenti, e' ſuoi parenti, diſſono, voleano fuſſe morto: che così fia grande l'odio della morte, come delle ferite. Coſa fatta capo ha; e ordinarono ucciderlo il dì menaſſe la Donna, e così feciono. Onde di tal morte i Cittadini ſe ne diviſono, e traſſonſi inſieme i parentadi, e l'amiſtà d'amendue le parti, per modo che la detta diviſione mai non finì. Onde nacquero molti ſcandoli, e incendj, e battaglie Cittadineſche. Ma perchè non è mia intenzione ſcrivere le coſe antiche, perchè alcuna volta il vero non ſi ritrova, laſcerò ſtare. Ma ho fatto queſto principio per aprire la via a intendere, dove procedette in Firenze le maladette parti de' Guelfi e Ghibellini, e ritorneremo alle coſe furono ne' noſtri tempi.

Nell'Anno della Incarnazione di Criſto 1280. reggendo in Firenze la parte Guelfa, eſſendo ſcacciati i Ghibellini, uſcì d'una piccola fonte uno gran fiume, che fu d'una piccola diſcordia nella parte Guelfa una gran concordia con la parte Ghibellina. Che temendo i Guelfi tra loro, e ſdegnando nelle loro raunate e ne' loro Conſigli l'uno delle parole dell'altro, e temendo i più ſavi ciò, che ne potea advenire, e vedendone apparire i ſegni di ciò, che temeano, perchè uno Nobile Cittadino Cavaliere, chiamato Meſſere Bonaccorſo degli Adimari, Guelfo, e potente per la ſua Caſa, e ricco di poſſeſſioni, montò in ſuperbia con altri grandi,

A che non riguardò a biaſimo di parte, che a uno ſuo figliuolo Cavaliere detto Meſſere Forese diè per moglie una figliuola del Conte Guido Novello della Caſa de' Conti Guidi, capo di parte Ghibellina. Onde i Guelfi dopo molti Conſigli tenuti alla parte, penſarono pacificarſi co' Ghibellini, che erano di fuori. E ſaviamente concordarono ridurſi con loro a pace ſotto il giogo della Chieſa, acciò che i legami fuſſono mantenuti dalla fortezza della Chieſa; e celatamente ordinarono, che il Papa fuſſe mezzo alla loro diſcordia. Il quale alla loro diſpoſizione mandò Meſſere Frate Latino Cardinale in Firenze a richiedere di pace amendue le Parti. Il quale giunto domandò Sindachi di ciaſcuna parte, e che in lui compromet-

B teſſono. E così feciono; e per vigore del compromeſſo ſentenziò, che i Ghibellini tornaſſono in Firenze con molti patti e modo; e accordò tra loro gli Uficj di fuori; e al governo della Città ordinò quattordici Cittadini, cioè otto Guelfi, e ſei Ghibellini: e a molte altre coſe poſe ordine e pene ad amendue le Parti, legandoli ſotto la Chieſa di Roma. Le quali Leggi, e patti, e promeſſe fe' ſcrivere tra le Leggi principali della Città.

La potente e ſuperba Famiglia degli Uberti ſentenziò, ſteſſe alcuno tempo a' confini con altri di loro parte; e dove fuſſono le loro famiglie, godere i loro beni come gli altri, e a

C quelli, che ſoſteneſſono lo incarico de' confini, fuſſe dato dal Comune per riſtoro del ſuo eſilio alcuni danari il dì, ma meno al non Cavaliere, che al Cavaliere.

Stando amendue le parti nella Città, godendo i beneficj della pace, i Guelfi, che erano più potenti, cominciarono di giorno in giorno a contraſſare a' patti della pace. Prima tolſono i ſalarj a' confinati, poi a chiamare gli Uficj ſanza ordine; e i confinati feciono rubelli; e tanto montò il ſopraſtare, che levarono in tutto gli honori e beneficj a' Ghibellini, onde accrebbe tra loro la diſcordia. Onde alcuni penſando ciò, che ne potea advenire, furono con alcuni de' principali del Popolo, pregan-

D doli ci poneſſono rimedio, acciò che per diſcordia la Terra non periſſe. Il perchè alcuni Popolari guſtando le parole ſi porgieno, ſi raunarono inſieme ſei Cittadini Popolani, fra' quali io Dino Compagni fui, che per giovanezza non conoſceva le pene delle Leggi, ma la purità dell' animo, e la cagione, che la Città venia in mutamento. Parlai ſopracciò, e tanto andammo convertendo Cittadini, che furono eletti trè Cittadini Capi dell' Arti, i quali ajutaſſono i Mercatanti e Artieri, dove biſognaſſe, i quali furono, Bartolo di Meſſere Iacopo de' Bardi, Salvi del Chiaro Girolami, e Roſſo Bacherelli, e raunaronſi nella Chieſa di San Brocolo. E tanto crebbe la baldanza de' Popolani

E co' detti, vedendo che non erano conteſi, e tanto gli riſcaldarono le franche parole de' Cittadini, i quali parlavano della loro libertà, e delle ingiurie ricevute, e preſono tanto ardire, che feciono Ordini e Leggi, che duro ſarebbe ſuto di rimuoverle. Altre gran coſe non feciono; ma del loro debile principio feron' aſſai. Il detto Uficio fo creato per due meſi, i quali cominciarono a dì 15. di Giugno 1282. il quale finito ſe ne creò ſei, uno per Seſtiero per due meſi, che cominciarono a dì 15. d'Agoſto 1282. e chiamaronſi Priori dell' Arti: E ſtettono rinchiuſi nella Torre della Caſtagna appreſſo alla Badia, acciò non temeſſono le minaccie de' po-

potenti, e poteſſono portare arme in perpetuo, e altri previlegi ebbono, e furono loro dati ſei famigli, e ſei berrovieri.

Le loro Leggi in effetto furono, che aveſſono a guardare l'havere del Comune, e che le Signorie faceſſono ragione a ciaſcuno, e che i piccoli e impotenti non fuſſono oppreſſati da' Grandi e potenti. E tenendo queſta forma, era grande utilità del Popolo. Ma toſto ſi mutò, perocchè i Cittadini, che entravano in quello Uficio, non attendevano a obſervare le Leggi, ma ad corromperle. Se l'amico, o il parente loro, cadeva nelle pene, procuravano con le Signorie, e con gli Uficj a naſcondere le loro colpe, acciò che rimaneſſono impuniti. Nè l'havere del Comune non guardavano, anzi trovavano modo, come meglio il poteſſono rubare; e così della Camera del Comune molte pecunie traevano ſotto proteſto di meritare huomini l'haveſſono ſervito. Gl'impotenti non erano ajutati, ma i Grandi gli offendevano; e così i Popolani graſſi, che erano negli Uficj, e imparentati co' Grandi; e molti per pecunia erano difeſi dalle pene del Comune, in che cadevano: onde i buoni Cittadini Popolani erano malcontenti, e biaſimavan l'Uficio de' Priori, perchè i Guelfi grandi erano Signori.

Arezo ſi governava in quel tempo pe' Guelfi e Ghibellini per egual parte, e erano nel reggimento di pari, e giurata avieno tra loro ferma pace. Onde il Popolo ſi levò, e feciono uno della Città di Lucca, che ſi chiamava Priore, il quale conduſſe il Popolo molto proſperevolmente, e i Nobili coſtrignea a ubidire le Leggi. I quali s'accordarono inſieme, e rupppono il Popolo, e lui preſono, e miſono in una Citerna, e quivi morì.

I Guelfi d'Arezo erano ſtimolati dalla parte Guelfa di Firenze di cercare di pigliaro la Signoria; ma o che fare non lo ſapeſſono, o non poteſſono, i Ghibellini ſe ne advidono, e cacciaronli fuori, i quali vennono a Firenze a dolerſi de' loro adverſari. Coloro, che li aveano conſigliati, gli ritennono, e preſongli ajutare. I Ghibellini nè per imbaſciate, nè per minaccie aveſſono da Firenze, non li accettarono; e richieſono gli Uberti, Pazi di Valdarno, e Ubertini, e 'l Veſcovo, che ſapea meglio gli Uficj della Guerra, che della Chieſa, il quale era de' Pazi, huomo ſuperbo, e di grande animo. Era prima ſcaduta una differenza tra lui, e i Saneſi, per uno ſuo Caſtello gli havean tolto, la quale era rimeſſa nella parte Guelfa di Firenze. E volendo la parte ajutare i Saneſi, e gli uſciti d'Arezo nimicando il Veſcovo, ingenerò gran diſcordia tra i Fiorentini, e 'l Veſcovo, e i Ghibellini, perchè ne ſeguì la terza guerra de' Fiorentini in Toſcana, ne' 1289.

I Guelfi Fiorentini e potenti haveano gran voglia andare a oſte ad Arezo; ma a molt' altri Popolani non parea, sì perchè diceano la impreſa non eſſer giuſta, e per ſdegno haveano con loro degli Officj. Pur preſono a ſoldo uno Capitano chiamato Meſſere Baldovino da Soppino con quattrocento cavalli; ma il Papa lo ritenne, e però non venne. Gli Aretini richieſono molti Nobili e potenti Ghibellini di Romagna, della Marca, e da Orvieto, e moſtravano gran francheza di volere la battaglia, e acconciavanſi a difendere la loro Città, e di prendere il vantaggio a' paſſi. I Fiorentini richieſono i Piſtoleſi, i Luccheſi, i Bologneſi, i Saneſi, e Samminiateſi, e Mainardo da Suſinana gran Capitano, che avea per moglie una de' Toſinghi.

In quel tempo venne in Firenze il Re Carlo di Sicilia, che andava a Roma, il quale fu dal Comune honoratamente preſentato, e con palio, e armeggerie, e da' Guelfi fu richieſto d'uno Capitano con le inſegne ſue, il quale laſciò loro Meſſere Amerigo di Nerbona, ſuo Barone, e gentile huomo, giovane, e belliſſimo del corpo, ma non molto ſperto in fatti d'Arme. Ma rimaſe con lui uno antico Cavaliere ſuo balio, e molti altri Cavalieri atti & eſperti a guerra, e con gran ſoldo, e provviſione.

Il Veſcovo d'Arezo, come ſavio huomo, conſiderando quel che advenire gli potea della guerra, cercava patteggiarſi co' Fiorentini, e uſcire con tutta la Stiatta ſua d'Arezo, e dar loro le ſue Caſtella del Veſcovado in pegno, e per le rendite e pe' fedeli volea l'anno Fiorini CCC. i quali gli prometteſſe Meſſer Vieri de' Cerchi ricchiſſimo Cittadino. Ma i Signori, che erano in quel tempo, erano in gran diſcordia, i quali furono Meſſere Ruggieri da Quona Giudice, Meſſere Jacopo da Certaldo Giudice, Bernardo di Meſſere Manfredi Adimari, Pagno Bordoni, Dino Compagni Autore di queſta Cronaca, e Dino di Giovanni vocato Pecora, che furono da' dì 15. d'Aprile a dì 15. di Giugno 1289. La cagione della diſcordia fu, che alcuni di loro voleano le Caſtella del Veſcovo, e ſpezialmente Bibbiena bello e forte, alcuni non ne volevano la guerra, conſiderando il male, che di quella ſegue. Pure in fine per tutti ſi conſentì di pigliarle, ma non per diſfarle; e d'accordo rimaſono in Dino di Giovanni, perchè era buono e ſavio huomo, ne faceſſe quanto gli pareſſe. Il quale mandò per Meſſere Durazo nuovamente fatto da lui Cavaliere, e in lui commiſe conchiudeſſe il trattato col Veſcovo il meglio poteſſe.

Il Veſcovo d'Arezo in queſto mezzo penſò, che ſe conſentiſſe al trattato, ſarebbe traditore, e però raunò i principali di ſua parte, e quelli confortò prendeſſono accordo co' Fiorentini, e che egli non volea perdere Bibbiena, e che ella fuſſe afforzata e difeſa; altrimenti prenderebbe accordo egli. Gli Aretini ſdegnati per le parole ſue, perchè ogni loro diſegno ſi rompeva, ordinavano di farlo uccidere, ſe non che Meſſere Guglielmo de Pazi ſuo Conſorto, che era nel Conſiglio, diſſe, che ſarebbe ſtato molto contento, l'haveſſono fatto, non l'havendo ſaputo; ma eſſendone richieſto, non lo conſentirebbe: che non voleva eſſer micidiale del ſangue ſuo. Allora deliberarono di pigliarla eglino, e come diſperati ſanza altro conſiglio ſi miſon' in punto.

Sentitaſi pe' Fiorentini la loro diliberazione, i Capitani e Governatori della guerra tennono conſiglio nella Chieſa di San Giovanni, per qual via fuſſe il megliore andare, sì che fornire ſi poteſſe il campo di quel biſognaſſe. Alcuni lodavano l'andata per Val d'Arno, acciò che andando per altra via gli Aretini non cavalcaſſono quivi, e non ardeſſono i caſamenti del Contado. Alcuni lodavano la via del Caſentino, dicendo, che quella era migliore via, aſſegnandone molte ragioni. Uno ſavio Vecchio chiamato Orlando da Chiuſi, e Saſſo da Murlo gran Caſtellani, temendo di loro deboli Caſtella, diedero per conſiglio ſi pigliaſſe quella via, dubitando, che ſe altra via ſi pigliaſſe, non fuſſono dagli Aretini diſfatte, che erano di lor Contado, e Meſſere Rinaldo de Boſtoli, che era degli uſciti d'Arezo, con loro s'accordò. Dicitori vi furono aſſai. Le pallottole ſegrete ſi dicrono.

Vi-

Digitized by Google

Vinſeſi l'andare per Caſentino. Ma con tutto fuſſe più dubbioſa e pericoloſa via, il meglio ne ſeguì.

Fatta tal diliberazione, i Fiorentini accolſono l'amiſtà, che feciono i Bologneſi con dugento cavalli; Luccheſi con dugento; Piſtoleſi con dugento: de' quali fu Capitano Meſſer Corſo Donati Cavaliere Fiorentino; Mainardo da Suſinana con venti cavalli, e trecento Fanti a piè; Meſſere Malpiglio Ciccioni con venticinque; e Meſſere Barone Mangiadori da San Miniato, li Squarcialupi, e i Colligiani, e altre Caſtella di Valdelſa. Sì che fu il numero cavalli mille trecento, e aſſai pedoni.

Moſſono le inſegne al giorno ordinato i Fiorentini per andare in terra di nimici, e paſſarono per Caſentino per male vie, ove ſe aveſſono trovati i nimici, arebbono ricevuto aſſai danno. Ma non volle Dio; e giunſono preſſo a Bibbiena, a uno luogo ſi chiama Campaldino, dove erano i nimici; e quivi ſi fermarono, e ſeciono una ſchiera. I Capitani della guerra miſono i feditori alla fronte della ſchiera, e i Palveſi, col campo bianco, e giglio vermiglio, furono attellati dinanzi. Allora il Veſcovo, che avea corta viſta, domandò: *Quelle che mura ſono?* Fugli riſpoſto: *i Palveſi de' nimici*.

Meſſer Barone de' Mangiadori da Samminiato, franco & eſperto Cavaliere in fatti d'arme, raunati gli huomini d'arme diſſe loro: *Signori, le guerre di Toſcana ſi ſolevano vincere per bene aſſalire; e non duravano, e pochi huomini vi morivano, che non era in uſo l'ucciderli. Ora è mutato modo, e vinconſi per ſtare bene fermi: il perchè io vi conſiglio, che voi ſtiate forti, e laſciatgli aſſalire*. E così diſpoſono di fare. Gli Aretini aſſalirono il Campo sì vigoroſamente, e con tanta forza, che la ſchiera de' Fiorentini forte rinculò. La battaglia fu molto aſpra e dura. Cavalieri novelli vi s'erano fatti dall'una parte e dall'altra. Meſſere Corſo Donati con la brigata de' Piſtoleſi fedì i nimici per coſta. Le quadrella piovevano. Gli Aretini o'avevan poche, & erano fediti per coſta, onde erano ſcoperti. L'aria era coperta di nuvoli, la polvere era grandiſſima. I pedoni degli Aretini ſi mettevano carpone ſotto i ventri de' cavalli con le coltella in mano, e sbudellavangli; e de' loro feditori traſcorſono tanto, che nel mezzo della ſchiera furono morti molti di ciaſcuna parte. Molti quel dì, che erano ſtimati di grande prodezza, furono vili; e molti, di cui non ſi parlava, furono ſtimati. Aſſai pregio v'ebbe il Balio del Capitano, e fuvi morto. Fu fedito Meſſer Bindo del Baſchiera Tofinghi, e così tornò a Firenze, ma fra' pochi dì morì. Della parte de' nimici fu morto il Veſcovo, e Meſſere Guglielmo de' Pazi franco Cavaliere, Boncorte e Loccio da Monteſeltri, e altri valenti huomini. Il Conte Guido non aſpettò il fine, ma ſanza dare colpo di ſpada ſi partì. Molto bene provò Meſſere Vieri de' Cerchi, e uno ſuo figliuolo Cavaliere alla coſta di ſe. Furono rotti gli Aretini, non per viltà, nè per poca prodezza, ma per lo ſoperchio de' nimici furono meſſi in caccia, uccidendoli. I ſoldati Fiorentini, che erano uſi alle ſconfitte, gli ammazzavano: i Villani non avevano piatà. Meſſere Talano Adimari, e i ſuoi ſi tornarono preſto a loro ſtanza. Molti Popolani di Firenze, che avevano cavallate, ſtettono fermi; molti niente ſeppono, ſe non quando i nimici furon rotti. Non corſono ad Arezo con la vittoria, che ſi ſperava con poca fatica l'arebbono avuta.

Al Capitano, e a' giovani Cavalieri, che avevano biſogno di ripoſo, parve avere aſſai fatto di vincere, ſanza perſeguitarli. Più Inſegne ebbono di loro nimici, e molti prigioni, e molti n'uccidono, che ne fu danno per tutta Toſcana.

Fu la detta rotta a dì 11. di Giugno, il dì di San Bernaba, in uno luogo, che ſi chiama Campaldino preſſo a Poppi.

Dopo detta vittoria non ritornarono però tutti i Guelfi in Arezo, ma alcuni ſi aſſicurarono; a' quali fu detto, che ſe vi volevano ſtare, faceſſono la loro volontà. Tra i Fiorentini e gli Aretini pace non ſi fe'; ma i Fiorentini ſi tennono le Caſtella aveano preſe, cioè Caſtiglione, Laterina, Civitella, Rondine, e più altre Caſtella; e alcuno ſe ne disfece. Dopo poco tempo i Fiorentini rimandarono gente d'arme a Arezo, e poſonvi campo, e andaronvi due de' Priori; e il dì di San Giovanni vi feciono correre un palio, e combatterono la Terra, e arſono ciò, che trovarono in quel Contado. Di poi andarono a Bibbiena, e quella preſono, e disfeciono le mura. Molto furono biaſimati quelli due di tale andata, cioè de' Priori, perchè non era loro uficio, ma di Gentili huomini uſi alla guerra. Di poi ſe ne tornarono con poco frutto, perchè aſſai vi ſi conſumò con affanni di perſone.

Ritornati i Cittadini in Firenze, ſi reſſe il Popolo alquanti anni in grande e potente ſtato: ma i Nobili e grandi Cittadini inſuperbiti faceano molte ingiurie a' Popolani con batterli e con altre villanie. Onde molti buoni Cittadini Popolani, e Mercatanti, tra' quali fu un grande e potente Cittadino, ſavio, valente, e buono huomo, chiamato Giano della Bella, aſſai animoſo, e di buona ſtirpe, a cui diſpiaccano queſte ingiurie, ſe ne fe' capo e guida; e con l'ajuto del Popolo, eſſendo nuovamente eletto de' Signori, che entrarono a dì 15. di Febrajo 1292. e co' ſuoi compagni, afforzarono il Popolo; e al loro uficio de' Priori aggiunſono uno con la medeſima balìa, che gli altri, il quale chiamarono Gonfaloniere di Giuſtizia, e fu Baldo Ruffoli, per ſeſto di Porta di Duomo, a cui fuſſe dato un Gonfalone dell' arme del Popolo colla Croce roſſa nel campo bianco, e mille Fanti tutti armati con la detta inſegna o arme, che aveſſono a eſſer preſti a ogni richieſta del detto Gonfaloniere in piaza, o dove biſognaſſe. E feceſi Leggi, che ſi chiamarono Ordini della giuſtizia contro a' potenti, che faceſſono oltraggi a' Popolani; e che l'uno conſorto fuſſe tenuto per l'altro; e che i malifici ſi poteſſono provare per due teſtimoni di pubblica voce e fama. E deliberarono, che qualunque Famiglia haveſſe avuto Cavaliero tra loro, tutti s'intendeſſono eſſere Grandi, e che non poteſſono eſſere de' Signori, ne' Gonfalonieri di Giuſtizia, nè de' loro Collegi. E furono in tutto le dette Famiglie (*). E ordinarono, che i Signori vecchi con certi a voti aveſſono a eleggere i nuovi. E a queſte coſe legarono le ventiquattro Arti, dando a' loro Conſoli alcuna balìa. I maladetti Giudici cominciarono a interpetrare quelle Leggi, le quali aveano dettate Meſſer Donato di Meſſere Alberto Riſtori, Meſſere Ubertino dello

(*) trenta trè. *Così dice in margine di mano del Marcheſe Lodovico Adimari in un Manoſcritto di Caſa Compagni.*

dello Stroza, e Meſſer Baldo Auglioni. E diceano, che dove il malificio ſi dovea punire con effetto, lo diſtendevano in danno dello adverſario; e impaurivano i Rettori; e ſe l'offeſo era Ghibellino, e il Giudice era Ghibellino; e per lo ſimile faceano i Guelfi. Gli huomini delle Famiglie non accuſavano i loro conſorti, per non cadere nelle pene. Pochi maleficj ſi naſcondevano, che da gli adverſari non fuſſono ritrovati. Molti ne furono puniti ſecondo la legge; e i primi, che vi caddono, furono i Galligai, che alcuno di loro fe' uno malificio in Francia in due figliuoli d'uno nominato Mercatante, che havea nome Ugolino Benivieni, che vennono a parole inſieme, per le quali l'uno de' detti fratelli fu fedito da quello de' Galligai, che ne morì. E io Dino Compagni ritrovandomi Gonfaloniere di Giuſtizia nel 1293. andai alle loro caſe, e de' loro Conſorti, e quelle feci disfare ſecondo le Leggi. Queſto principio ſeguitò a gli altri Gonfaloneri uno male uſo, perchè ſe disfaceano ſecondo le Leggi, il Popolo dicea, che erano vili ſe non disfaceano bene affatto; e molti sformavano la giuſtizia per tema del Popolo. E intervenne, che uno figliuolo di Meſſere Bondelmonte havea commeſſo uno malificio di morte, gli furono disfatte le caſe per modo, che di poi ne fu riſtorato.

Molto montò il rigoglio de' rei huomini, però che i grandi cadendo nelle pene erano puniti, però che i Rettori temeano le leggi, le quali voleano, che con effetto puniſſono. Queſto effetto ſi diſtendea tanto, che dubitavano, ſe l'huomo accuſato non fuſſe punito, che il Rettore non aveſſe difenſione neſſuna: il perchè niuno accuſato rimanea impunito. Onde i grandi fortemente ſi doleano delle leggi, e alli eſſecutori d'eſſe diceano: *Uno Caval corre, e da' della Coda nel viſo a uno Popolano; o in una calca uno darà di petto ſanza malizia a uno altro; o più fanciulli di piccola età verranno a quiſtione. Gli huomini gli accuſeranno. Debbono però coſtoro per sì piccole coſe eſſere disfatti?*

Giano della Bella ſopradetto, huomo virile, e di grande animo, era tanto ardito, che difendeva quelle coſe, che altri abbandonava; e parlava quelle, che altri taceva; e tutto faceva in favore della giuſtizia contro a' colpevoli; e tanto era temuto da' Rettori, che temeano di naſcondere i maliſicj. I Grandi cominciarono a parlare contro a lui, minacciandolo, non per giuſtizia; ma per fare morire i ſuoi nemici il facea, abbominando lui, e le leggi. E dove ſi trovavano, minacciavano ſquattare i Popolani, che reggeano. Onde alcuni, che gli udirono, il rapportarono a' Popolani, i quali cominciarono a inacerbire, e per paura e ſdegno innaſprirono le leggi, sì che ciaſcuno ſtava in geloſia. Erano i principali del Popolo i Magalotti, però che ſempre erano ſtati ajutatori del Popolo, & aveano gran ſeguito, e intorno a loro haveano molte ſchiatte, che con loro ſi raunavano d'uno animo, e più Arteſici minuti con loro ſi ritraevano.

I Potenti Cittadini, i quali non tutti erano Nobili di ſangue, ma per altri accidenti erano detti Grandi, per ſdegno del Popolo molti modi trovarono per abbatterlo, e moſſono di campagna un franco e ardito Cavaliere, che avea nome Meſſer Gian di Celona, potente più, che leale, con alcune giuridizioni a lui date dallo Imperadore. E venne in Toſcana patteggiato con grandi diferentie, e di volontà di Papa Bonifazio Ottavo nuovamente creato. Ebbe carte, e giuridizioni di Terre guadagnaſſe, e tali vi poſono il ſuggello per frangere, il Popolo di Firenze, che furono Meſſere Vieri de' Cerchi, e Nuto Marignolli, ſecondo diſſe Meſſer Piero Cane da Milano Procuratore del detto Meſſere Gian di Celona. Molti ordini dierono per uccidere il detto Giano, dicendo: *Percoſſo il paſtore, fieno diſperſe le pecore.*

Un giorno ordinarono di farlo aſſaſſinare. Poi ſe ne ritraſſono per tema del Popolo. Poi per ingegno trovaron modo farlo morire con una ſottile malizia, e diſſono: *Egli è giuſto: mettiamgli innanzi le rie opere de' Beccai, che ſono huomini mal feraci, e mal diſpoſti*; tra' quali era uno chiamato Pecora gran Beccajo, ſoſtenuto da' Toſinghi, il quale facea la ſua Arte con falſi modi, e nocivi alla Repubblica: era perſeguitato dall' Arte, però che le ſue malizie uſava ſanza timore; minacciava i Rettori, e gli Uficiali, e profferevaſi a mal fare con gran poſſa di huomini e d'arme.

A & ſalubriter præſentis approbatione Concilii ordinamus, quòd ſinguli Diœceſani noſtræ Mediolanenſis Provinciæ ad exterminandos Hæreticos credentes, receptatores, defenſores, & fautores eorum de ſuis Civitatibus, & Diœceſibus, per ſe & Officiales ſuos invigilent, & inſiſtant ſolicitè & attentè per ſingulas eorum Parochias annis ſingulis ſæpiùs, ut expedire viderint, inquirentes ſolerter, an fama ſit in illis aliquos ex hujuſmodi peſtiferis habitare, & contra nominatos, vel inventos, ut jus exegerit, procedentes, & ut in Officio Inquiſitionis Hæreticæ pravitatis liberiù & ſecuriùs procedatur, ſtatuimus, præſenti Concilio approbante, quòd tam in Civitate Mediolanenſi, quàm in aliis Mediolanen-

B ſis Provinciæ, per Archipræſules, & Antiſtites ſingulos earumdem, aut per illorum vices gerentes, ipſis exiſtentibus in remotis, eligantur, & aſſumantur, conſideratis qualitate, & magnitudine Civitatis, & ipſarum perſonarum, aliqui viri, multi vel pauci, ſecundùm Diœceſani arbitrium, Catholici & Fideles ex habitantibus aſſiduè in eadem in perſecutores hujuſmodi peſtilentium perſonarum ad coadjuvandum Inquiſitionis Officium Hæreticæ pravitatis per ipſos Antiſtites continuè exercendum, qui Diœceſano Archipræſuli ſeu Antiſtiti, & ejus Vicario circa ipſum Officium cum armis aſſiſtant, vadant, & redeant ad perſonas ipſas inſequendas, capiendas, deducendas, & retinendas juxta ejuſdem

C Diœceſani, ſeu Vicarii juſſionem, quotiens, & quandocumque fuerint requiſiti, qui etiam jurent hæc omnia & ſingula, ipſumque Officium viriliter & fideliter exercere, & in illo dolum non committere, neque fraudem, ipſoſque ad hæc electos, & aſſumptos, aut ipſorum aliquem præcipimus non debere, nec poſſe per aliquam perſonam Eccleſiaſticam vel Secularem, aut univerſitatem, ſive collegium in aliquo impediri directè, vel indirectè, vel aliqualiter prohiberi, propter quod impedimentum vel prohibitionem ipſi Officio non poſſint aſſiduè ſupereſſe, & ipſi Diœceſano ſuper hoc aſſiſtere requiſiti, vel propter quod eis commiſſa vel injungenda, aut injuncta ſuper his valeant retardari. Perſonas

D verò cujuſcumque dignitatis, vel conditionis extiterint attentantes, & contra aliquod præmiſſorum, ſcilicet impediendo directè, vel indirectè, vel prohibendo ſeu differre faciendo, ut ſuperiùs prohibetur, ſi admoniti legitimè per ipſum Diœceſanum, vel Vicarium non deſiſterint, & quod fecerint, non revocaverint cum effectu, excommunicationis vinculo, auctoritate præſentis Concilii, innodamus, eaſque ut hæreticorum fautores haberi decernimus, & impedimentum præſtantes Officio hæreticæ pravitatis. Hæc etiam adjicimus ſanctioni, ut om-

nes

nes & ſinguli, tam nobiles, quàm populares, cujuſcumque dignitatis fuerint, ſive ſtatus, nec non Clerici, & Prælati, quotieſcumque & quandocumque per Diœceſanum proprium, aut ejus Vicarium fuerint legitimè requiſiti pro conſilio, auxilio, & favore ſibi exhibendo in favorem Officii hæreticæ pravitatis, vel contra Hæreticos credentes, receptatores, fautores, vel defenſores eorum, aut contra ſuſpectos de hæreſi, vel pro contingentibus ipſum negotium, ſeu in aſſiſtendo eiſdem, vel ipſos aſſociando, in præmiſſis obediant, & intendant monitionibus, requiſitionibus, & præceptis. Quoslibet verò, qui dicta præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum, qui legitimè requiſiti ſe exhibuerint difficiles, vel rebelles, juſto, & manifeſto, & neceſſario impedimento ceſſante, ex nunc, præſenti Concilio approbante, excommunicationis vinculo decernimus ſubjacere, de qua ſi ſatisfaciendo legitimè poſtea moniti, ſecundùm arbitrium Diœceſani proprii, vel ejus Vicarii juxta modum culpæ ſatisfacere fortè contempſerint, ipſos ut fautores, & defenſores Hæreticorum decernimus reputandos, & contra eos tamquam contra fautores hæreticorum fore per juris remedia procedendum; ad præmiſſorum quoque cognitionem & executionem procedi poſſe ſancimus, ſinè ſtrepitu judicii & figura per ipſum Diœceſanum, vel ejus Vicarium generalem, ſeu per alium Judicem competentem.

RUB. II.

De honeſtate & habitu Clericorum, & ne ſe immiſceant Secularibus.

Circa honeſtatem, & Clericorum habitum ſalubriter providemus, quòd omnes & ſinguli Clerici ac perſonæ Eccleſiaſticæ Mediolanenſis Provinciæ, Civitatis, & Diœceſis, tam præſentis temporis, quam futuri tonſuram & habitum deferant Clericales ordini ſuo, & ſtatui competentes, veſtes virgulatas, ſeu de catabriato, de medietate, vel liſtatas, vel ſrixis, aut maſpilis argenteis, vel de metallo aliquo, aut veſtem ſuperiorem à ſummo uſque deorſum totaliter ſciſſam ante, ſeu inſulam de ſeta, ſive ſerico more laicali minimè deferentes. Deprehenſos verò in aliquo crimine, vel ex eſſu enormi in habitu laicali publicè incedentes, ex nunc pronunciamus, ut Clericos ſeu perſonas Eccleſiaſticas, non teneri Curiam Eccleſiaſticam in ipſo crimine defenſare. Clericus verò ſeu quævis perſona Eccleſiaſtica mercationibus & negotiationibus, ut negotiator publicus ſe immiſcens, illaſque in perſona propria exercens publicè, Divinis Officiis prætermiſſis, vel alias ut laicus communiter ſe gerens, in ſuis bonis patrimonialibus, non gaudeat interim privilegio Clericali, nec ut Clericum in enormibus, dum in his excedit, teneatur Eccleſia defenſare, cognitione tantùm ſuper hoc præcedente, quam ad Judicem Eccleſiaſticum decernimus pertinere, non procedatur contra talem ſeu tales Clericos per Curiam Secularem, ſed ſuperſedendum interim decernimus omni proceſſui contra eos, alioquin in quoſcumque Vicarios, Rectores, Poteſtates, ſeculares Judices, & quoſcumque eorum miniſtros & executores Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Mediolanenſis contrarium facientes excommunicationis ſententiam promulgamus, præſenti conſtitutione ſancimus, quòd aliquis Clericus, ſive Eccleſiaſtica perſona abſque Diœceſani ſui licentia officium publicum vel officialitatem alicujus ſecularis rectoris, ſeu Communitatis, ſeu Univerſitatis, Civitatis, Burgi, Caſtri, Loci, aut Parochiæ, ſeu Villæ in ſeculari Curia exercere, vel ſuſcipere de cetero non præſumat, ſcilicet Conſulatus, Tabellionatus, Gaſtaldiæ, Campariæ, Vicariatus, Vicedominatus, vel quovis alio nomine appelletur, ſeu Eccleſiaſticis Officiis derelictis, vel Clericali poſtpoſita honeſtate ad cavalcatas, vel ſtipendia, ſeu ſeculares exercitus, & maximè non coactus cum armis publicè ut laicus accedere, & ſe talium immiſcere cœtibus non præſumat, niſi in caſibus à jure permiſſis. Delinquentem verò in aliquo præmiſſorum, aliquibus talibus ſe immiſcentem excommunicationis ſententia innodamus; hanc verò pœnam ad alios, qui aſſumpſerint arma cum aliquibus laicis pro ſuis juribus aut alicujus Eccleſiæ propriæ, ſeu pro ſui defenſione inſultum expectantes, ſeu de licentia ſui Antiſtitis, vel ejus Vicarii volumus non extendi.

RUB. III.

De armis non portandis, ludis vitandis, & aliis damnificandis.

Attendentes quòd privilegium Clericale non debet eſſe alicui cum fiducia delinquendi, ſtatuimus, & firmamus, quòd nullus Clericus, ſeu perſona Eccleſiaſtica in domibus Eccleſiæ, vel alibi ludum vel biſcaziam retineat taxillorum, aut patiatur per aliquem retineri, vel publicas mulieres exponentes pro quæſtu publicè corpus ſuum, aut arma deferre præſumat per civitatem aliquam, aut ſuburbia adjacentia civitati, vel loca, in quibus habent domicilium, abſque Antiſtitis, vel ejus Vicarii proprii licentia ſpeciali; niſi ad villam, vel poſſeſſionem vadens, vel rediens ab eiſdem, ſeu quemquam damnificare præſumat, vel violenter rebus ſuis, vel poſſeſſione aliqua alium ſpoliare, delinquentem verò in aliquo caſuum prædictorum per Antiſtitem proprium, ſeu Vicarium ejus in tanta ſumma pecuniæ, & dummodo non ad pœnam ſanguinis, ſtatuimus condemnandum, ipſi Antiſtiti pro ejus arbitrio perſolvenda, & in pios uſus convertenda, in quanta, & eo modo, quo damnaretur & puniretur, ſeu condemnari poſſet per illius civitatis Curiam ſecularem laicus ſic excedens, non tamen propter hoc intelligimus privandi tales beneficiis Eccleſiaſticis, & carceribus detinendi, & alias puniendi adimere Diœceſanis propriis poteſtatem, & Vicariis eorumdem, ſi eis videbitur expedire.

RUB. IV.

Quòd Clerici non ſint tutores vel curatores laicorum, nec patiantur conveniri coram Judice Seculari.

Inviolabiliter ordinamus, quòd nulla perſona, Eccleſiaſtica, niſi in caſibus à jure permiſſis fidejuſſoris, vel procuratoris officium exerceat ſeu tutoris, vel curatoris alicujus laici in Curia Seculari, abſque Diœceſani, vel ejus Vicarii licentia, nec quemquam debentem gaudere Eccleſiaſtico privilegio, vel Clericali, conveniat ſeu trahat, vel trahi procuret ſuper aliquo ad examen Judicis Secularis; trahens verò contra canonicas ſanctiones, & Imperiales conſtitutiones à jure ſuo cadat, judicatumque non teneat, & Judex ſit ex tunc judicandi poteſtate privatus; exercentem verò aliquod officium præ-

dictorum contra conſtitutionem præſentem in centum ſolidos Papienſes decernimus condemnandum, in pios uſus ad arbitrium Ordinarii condemnandos.

RUB. V.

De celebratione Divinorum, & habitu habendo ipſa.

PRovidemus inſuper & ſancimus, quòd in qualibet Eccleſia Collegiata tam regulari, quàm ſeculari civitatis & diœceſis, ac provinciæ Mediolanenſis, in qua plures Clerici, ſeu Monachi, vel Canonici reſidebunt, Miſſa conventualis, juſto impedimento ceſſante, pro ut diei convenerit, horâ debitâ, diebus ſingulis in cantu, ſeu nota conventualiter celebretur, nec non Officia matutinalia, & veſpertina, quòdque ad illa, & ceteras horas Canonicas, quas inibi præcipimus conventualiter celebrari, ſeculares Clerici, & Prælati conveniant cum ſuperpelliceis ſeu capis; Religioſi verò in habitu ſuæ Regulæ competenti. In Eccleſiis verò Cathedralibus ipſis horis diurnis, & Miſſarum ſolemnia interſint, aut diſcooperto capire, aut cum biretis in capite, ad modum laicorum capucis non habentes. Rectores quoque Parochialium Eccleſiarum non Collegiatarum diebus feſtivis, & ſæpe in ſeptimana per ſe, vel per alio, ubi per ſe non poſſunt, celebrare Miſſarum ſolemnia non omittant, & Parochianis ſuis in caſibus à jure conceſſis, & cùm expedierit, miniſtrare Eccleſiaſtica Sacramenta. Delinquentes verò, vel negligentes in præmiſſis per locorum Ordinarios puniantur. Irreſragabiliter ordinamus, quòd in qualibet Eccleſia noſtræ civitatis, & diœceſis, ac provinciæ Mediolanenſis habente Parochiam Corpus Chriſti pro infirmis, Chriſma, & Oleum Sanctum, renovandum annuatim, ſub clavi & firma cuſtodia, & in vaſe, ſeu loco nitido non aſportando de facili, aſſidue habeantur. Delinquentes verò vel negligentes in aliquo præmiſſorum per Ordinarium proprium, vel ejus Curiam in ſolidos quadraginta Papienſes vice qualibet condemnentur ad pios uſus ad arbitrium Judicis convertendos. Inſuper aqua benedicta quotidie habeatur omni die Dominica renovanda.

RUB. VI.

De mulieribus, & filiis illegitimis non retinendis ſecum, vel concubinis.

SUper continentia per Clericos obſervanda providè ordinamus, quòd nullus Clericorum regularium vel ſecularium civitatis, vel diœceſis, ſive provinciæ Mediolanenſis, beneficium Eccleſiaſticum obtinens, Vicarius aut Deputatus etiam in futurum, vel qui in Ordine ſacro fuerit conſtitutus, in domibus contiguis vel connexis Eccleſiæ, vel ſecum in eadem habitatione mulierem aliquam retineat ad inibi habitandum, niſi fortè mulier illa fuerit non ſuſpecta, vel in quarto gradu conſanguinitatis, vel affinitatis illi conjuncta, ſeu converſa quinquagenaria, vel deincep. Delinquentem verò in hæc in libras decem Papienſes condemnamus in pios uſus ad Ordinarii arbitrium convertendas. Clericos quoque, ac Prælatos in quovis Ordine conſtitutos, qui beneficia Eccleſiaſtica obtinent, aut etiam obtinebunt, ſi focarias ſeu concubinas retinuerint in domibus Eccleſiarum, vel alibi manifeſtè, Eccleſiaſticis beneficiis per locorum Ordinarios, Canonica monitione præmiſſa, facienda, decrevimus perpetuò fore privatos, liberè perſonis aliis conſerendis, exceſſu ipſorum notorio vel infamia publica exiſtente; qui verò beneficium Eccleſiaſticum non obtinuerint per Eccleſiaſticam Curiam, dum habuerint publicè concubinas, non teneatur Eccleſia defenſare, & aliàs per ipſam Curiam pœna pecuniaria, vel alia debita puniantur. Prælatum namque & Rectorem Eccleſiæ in libras decem Papienſes, inferiorem verò Clericum in libras quinque Papienſes condemnamus in pios uſus ad Ordinarii arbitrium diſpenſandas; qui filium illegitimum ſecum in eadem domo aſſiduè, vel per octo dies permiſerit habitare, aut ſibi ad Altare aliquatenus miniſtrare.........

RUB. VII.

Quales debent eſſe promovendi ad dignitates, vel Eccleſias Parochiales.

QUamquam per Canones ſit proviſum, ne minùs idonei ad beneficia Eccleſiaſtica aſſumantur, id tamen minùs bene ſervatur in pluribus Eccleſiis, & à multis. Idcirco præſenti conſtitutione ſancimus, quòd nullus eligatur de cetero, vel inſtituatur, quomodolibet aſſumatur ad aliquam dignitatem alicujus Eccleſiæ Collegiatæ ſeculari, vel regularis intra Civitatem, vel Diœceſim, ſeu Provinciam noſtras ſitæ, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus, & non attigerit vigeſimum quintum annum, vel niſi fortè ſuper his in caſu diſpenſabili priùs cum eo fuerit diſpenſatum, vel tali extiterit, qui bene legat, conſtruat, & loqui literaliter noverit competenter. Ad regimen quoque Parochialis Eccleſiæ nullus aliquatenus aſſumatur, niſi bene legere noverit, & cantare, vel ſaltem legere & conſtruere condecenter, in cantu aliqualiter informatus, & non attingens vigeſimum quintum annum. Electio verò, collatio, inſtitutio, & confirmatio, ſeu præſentatio à perſonis Eccleſiaſticis facta, quas contra hæc in aliquo præmiſſorum contigerit attentari, ex nunc ſint irritæ, & inanes, & electores, præſentatores, proviſores, confirmatores, & inſtituentes ſint illa vice præſentis conſtitutionis auctoritate præſentandi, eligendi, providendi, confirmandi, & inſtituendi poteſtate privati, & ad ſuperiorem proximum ſit ipſa poteſtas totaliter devoluta, ipſo facto. Confirmatoribus & inſtitutoribus ac proviſoribus temerariis, per loci Ordinarium pœna debita puniendis.

RUB. VIII.

De non recipiendo aliquem in Canonicum, beneficio non vacante.

PRædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes ſtatuimus, & firmamus, quòd alicujus Secularis Eccleſiæ Collegiatæ, & non Collegiatæ noſtræ Civitatis, & Diœceſis, vel Provinciæ Capitulum, ſeu Prælatus, Canonici, vel Clerici ſive Rector nullum, quantumcunque idoneum, ſinè licentia Diœceſani proprii, vel auctoritare Sedis Apoſtolicæ, ſeu Legatorum ejuſdem recipiant, eligant, vel admittant in ſuum, vel ipſius Eccleſiæ Canonicum vel Conclericum vel Confratrem ibi, beneficio non vacante, nec beneficium, ſeu præbendam vel Capellaniam aliquam ex redditibus vel bonis ſeu

juri-

juribus ejuſdem Eccleſiæ de novo creare præſumant, ipſius Diœceſani licentiâ non obtentâ, vel unam præbendam in duas dividere; quicquid enim contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum contigerit attentari, ex nunc præſenti conſtitutione decernimus irritum, & inane, & dantes, & accipientes etiam, licèt in aliqua ſui parte, ex nunc in his ſcriptis excommunicationis vinculo innodamus.

RUB. IX.

Quòd nullus beneficium aſſumat ſinè Canonica inſtitutione.

CUm Eccleſiaſtica beneficia non debeant ſinè Canonica inſtitutione detineri, ſtatuto præſenti ſalubriter providemus, quòd nullus per violentiam vel ſimoniam, aut alias, ſinè inſtitutione Canonica, vel per minas, ſeu per metum aliquibus inferendos, per ſe, vel per alium ad dignitatem, vel perſonatum, ſeu aliquod beneficium Eccleſiaſticum, qualecunque fuerit, intra noſtram Civitatem, vel Diœceſim, ſeu Provinciam, patiatur vel conſentiat tacitè, vel expreſsè, ſe eligi, vel inſtitui, aut aſſumi quomodolibet, vel admitti, aut jura & redditus, ſive bona, ſeu viventis beneficium, qui non renunciaverit illi ſponte & legitimè, aut privatus illo non fuerit per ſententiam legitimam hominis, ſive juris, apprehendere vel occupare ſeu ſibi uſurpare, aut illius bona, vel redditus quovis titulo quæſito, vel colore præſumat de cetero Diœceſani proprii licentia non interveniente, vel expreſſo conſenſu. Quemcunque verò contra hæc attentantem in poſterum, in aliqua ſui parte, ex tunc in ipſo beneficio decernimus jus non habere; & ſi legitimè admonitus per Diœceſanum proprium, vel etiam Vicarium, illud ex toto non dimiſerit liberè, ad ipſum per ſe, vel per alium ſe non ingerendo ulteriùs ex nunc inhabilem judicamus ad quodvis aliud beneficium Eccleſiaſticum obtinendum; pœnis autem contra occupatores, invaſores, & uſurpatores bonorum Eccleſiaſticorum ſemper ſalvis.

RUB. X.

De pœnis ſuſtinentium interdictum Eccleſiæ propter collectam non ſolutam.

PLerumque contingit, quòd aliquæ Eccleſiæ tam Regulares, quàm Seculares diu ſubjacent Eccleſiaſtico interdicto propter negligentiam aliquorum Clericorum recuſantium ſolvere partem ipſos contingentem, ſive ipſis impoſitam de collectis, procurationibus, honoribus, ſeu fodris, & ſic Eccleſiæ Divinis officiis defraudantur propter illorum malitiam, & non ſinè Parochianorum ſcandalo, & jactura; quapropter omnes & ſingulos Clericos, & Prælatos tam Secularium, quàm Regularium Eccleſiarum, ac Rectores, & Miniſtros Hoſpitalium, & Piorum Locorum noſtræ Provinciæ, Civitatis, & Diœceſis, propter quorum factum ſeu culpam, eo quòd non ſolverint hujuſmodi portionem ipſorum ſingulos contingentem, ſeu eis impoſitam pro præbendis, vel portionibus, quas obtinent in eiſdem, & quos impoſſibilitas non excuſat, aut alia juſta cauſa, de qua intra duos menſes faciant plenam fidem, beneficiis, & rectoriis hujuſmodi privamus perpetuò, ſi admoniti legitimè & peremtoriè, ipſo interdicto durante, per Diœceſanum, vel ejus Vicarium, paſſi fuerint Eccleſias ipſas, ſeu Hoſpitalia, vel Pia Loca, ultra tres menſes poſt monitionem eamdem propter hæc Eccleſiaſtico interdicto ſubjacere, portionem ipſos contingentem ſive impoſitam ex ipſis collectis, ſeu fodris, vel oneribus non ſolventes: & hanc pœnam extendimus ad Prælatos, & Rectores Eccleſiarum non ſolventes pro ipſis Eccleſiis in totum, ubi ad ipſos pertinere talium ſolutio conſuevit, ſi ipſos juſta cauſa, ſive impoſſibilitas non excuſat, de qua infra duos menſes plenaria fiat fides, & ad illorum maſſarios & canevarios diſpenſatores reddituum, qui poteſtatem habuerint plenariam hæc ſolvendi; has quoque pœnas ad collectas hactenus impoſitas à tribus annis citra locum volumus vendicare. Illas etiam perſonas, quæ temeritate propria, Diœceſani, loci Ordinarii proprii, vel etiam Generalis Vicarii, ſeu Superioris ejuſdem in hoc caſu licentiâ non obtentâ Clerum Civitatis, & Diœceſis, aut majores ejuſdem, vel majorem partem ipſius, vel eorum, ad præmiſſa præſumpſerint convocare, & convenientes ad talium perſonarum convocationem, excommunicationis vinculo decrevimus ſubjacere, cùm ex talibus congregationibus conſpirationes, & colligationes ſæpe novimus evenire, ac de facto prorumpi ad multa, quæ ſcandalum pariunt, & periculum animabus, & locorum Ordinarii ex talibus condemnantur, & eadem Civitas videatur habere diverſa capita quaſi monſtrum.

RUB. XI.

De pœnis occupantium vel invadentium res Eccleſiaſticas, & ſpoliantium Eccleſias.

EFfrenata cupiditas, quæ in pleriſque adeò dominatur, quòd contra vetita uſurpant & rapiunt aliena, nos vehementer impellit, ut ejus noxios appetitus, in quantum poſſumus, refrenemus. Ea propter ſanctione præſenti ordinamus ſalubriter, quòd nulla perſona Secularis, vel Eccleſiaſtica, Univerſitas, ſeu Collegium aliqua bona aut jura ſeu res pretioſas, theſaurum, ſive juriſdictiones, aut honores, feuda, ſeu jus decimandi aut eligendi, ſeu præſentandi, aut beneficia conferendi, ſeu pedalia conferendi ad quendam locum venerabilem noſtræ Civitatis, & Diœceſis, ſive Provinciæ, Mediolanenſis, vel ad aliquam Epiſcopalem Menſam dictæ Provinciæ, quovis modo vel titulo pertinentes, aut Eccleſiam aliquam, ſeu Hoſpitale, vel alium Pium Locum uſurpare, vel invadere, ſeu occupare, aut rapere, vel occupata, ſeu uſurpata, rapta, vel invaſa detinere per ſe, vel per alium quovis modo præſumat, ſeu ſpoliare aliquem locum venerabilem dictæ Civitatis, aut Diœceſis, ſive Provinciæ Mediolanenſis ſive ad Menſam Archiepiſcopalem Mediolanenſem, vel ad aliquam Epiſcopalem Menſam dictæ Provinciæ, ſeu aliam Eccleſiam, poſſeſſione, vel quaſi alicujus prædictorum, ſeu juriſdictionum bonorum, jurium, vel honorum prædictorum, vel poſſeſſione juris percipiendi aliquas penſiones, ſeu cenſus annuos, Decimas, vel affictus, ſive poſſeſſiones, vel quaſi eligendi, ſive aſſumendi Poteſtates, Conſules, vel alios Officiales alicujus terræ, burgi, caſtri, communantiæ, ſive loci, directè, aut etiam indirectè, vel ad ea quomodolibet dare auxilium, conſilium, vel favorem; ſingulares verò perſonas, cujuſcunque ſtatus vel conditionis extiterint, quæ attentaverint

A rint contra præmiſſa in aliquo per ſe, vel per alium, aut expreſsè conſenſerint, vel fecerint, ſeu mandaverint attentari, ex nunc excommunicationis in his ſcriptis vinculo innodamus, necnon perſonas illas, quæ conſuluerint, ſeu mandaverint, vel expreſsè conſenſerint quovis modo ſuo Paſtori, ſive Pontifici, vel alicui Eccleſiæ, ſive Clerico, Rectori, aut Pin Loco de præmiſſorum aliquo, aut ſuis bonis, vel prædictorum aliquorum fructibus aut redditibus non integrè & liberè reſponderi abſque auctoritate Judicis competentis, aut prohibuerint reſponderi; & ſi qui ex prædictis propter aliquod præmiſſorum alicubi denunciati, excommunicati excommunicationem eamdem, poſt ipſam denunciationem B per ſex menſes animo ſuo tenuerint indurato, in pœnam ipſorum familiares eorum Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, mandantes eis Eccleſiarum aditum, & participationem Sacramentorum, & Divinorum etiam prohiberi, quouſque liquidè apparuerit de abſolutione hujuſmodi tranſgreſſorum, & quòd ipſa excommunicatione durante & interdicto, familiarium prædictorum denegetur eis tam ipſis principalibus, quàm familiaribus in obitu ad aliorum terrorem, & ipſorum ruborem, Eccleſiaſtica ſepultura. Clerici verò ſine mandato Diœceſani proprii recipientes aliquem ex prædictis ad Eccleſiaſticam ſepulturam, vel qui interſuerint eidem, ipſo facto per tres menſes à Divinis Officiis ſint ſuſpenſi. Inſu- C per, ſi aliqui Clerici contra hujuſmodi ſanctæ noſtræ conſtitutionis tenorem facere vel venire præſumpſerint occupando, vel invadendo ut ſupra, omnibus beneficiis, quæ infra noſtram Provinciam obtinent, eos, præſentis Concilii auctoritate, privamus. Si verò Laici extiterint, omnibus feudis intra noſtram Provinciam, jure patronatus, & honoribus, ab eis obtentis ab aliquibus Eccleſiis, vel Prælatis, ſeu aliis piis locis decrevimus fore perpetuò privatos. Univerſitates verò, communitates, & collegia, quæ contra præmiſſa attentaverint, vel expreſsè conſenſerint, vel ſcienter attentari permiſerint in aliqua ſui parte, & jam facta cum effectu non prohibuerint infra decem dies, poſtquam vene- D rint attentata, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto; & ſi ipſa univerſita, vel majores ipſius, vel Rectores requiſiti per Diœceſanum, vel ejus Vicarium, legitimè ſuper his ultra menſem attentata ipſa omiſerint effectualiter emendare, & in ſtatum priſtinum reducere, ſeu reduci facere cum effectu, ad arbitrium ipſius Diœceſani, Civitatem ſive locum vel Burgum, in qua univerſitas ipſa deget, interdicto Eccleſiaſtico decrevimus ſubjacere, interdicto inviolabiliter obſervando, quàm citò ipſe Diœceſanus per ſe, vel per alium publicè proteſtatus fuerit ſe velle interdictum ipſum effectum habere, & ampliùs non ſuſpenſum, & illic vel Civitatibus, ſeu locis circumſtantibus, vel alibi, ubi commodiùs fieri E poterit, hoc mandaverit publicari, ſed ante, & uſque ad ipſam publicationem ipſum interdictum manere decrevimus in ſuſpenſo. Illos quoque, qui temeritate propria pluries etiam extra judicium requiſiti ſolvere contempſerint Archiepiſcopali vel Epiſcopali menſæ prædictæ, ſeu Eccleſiæ, Monaſterio, Conventui, Capitulo, vel alii pio loco, (modo) & tempore competenti, decimas, penſiones, cenſus, honores, diſtrictus, & juriſdictiones, vel præſtationes annuas, vel affictus, in quorum poſſeſſione pacificè percipiendi, ipſa menſa, vel Eccleſia, Monaſterium, Conventus, Capitulum, & pius locus ante requiſitionem ipſam erat, niſi juſta cauſa eos ex-

A cuſaverit, de qua conſtet infra dies decem poſt ipſam requiſitionem Diœceſani, legitimè ex nunc excommunicationis vinculo decrevimus innodatos. Ad prædictorum namque cognitionem, correctionem, & pœnarum executionem ſtatuimus, ex officio poſſe procedi de plano, & ſinè ſtrepitu ordinis judiciarii & figura per quoſcunque Judices competentes.

RUB. XII.

De pœnis conſpirantium contra ſuum Antiſtitem, vel conſentientum, ut in Sede eſſe non poſſit, vel expellatur.

B QUamquam ad conjuratorum, & conſpiratorum nequitiam reprimendam multa per Canones ſint proviſa; ipſorum tamen verſutia nos cogit diverſa remedia adhibere contra illorum callida figmenta, quæ conantur quotidie invenire. Et propter conſtitutione præſenti ſtatuentes irreſragabiliter prohibemus, quòd aliqua perſona Eccleſiaſtica vel Secularis, aut univerſitas, ſive collegium, aut quivis noſtræ Mediolanenſis Civitatis, aut Diœceſis, ſive Provinciæ conjurationem, aſpirationem, colligationem, juramentum, ſeu obligationem, aut conſilium, vel tractatum facere vel inire præſumat in exterminium, vel perſecutionem, ſeu C jacturam, vel mortem, aut expulſionem, captionem, vel derobationem, ſeu quietis vel ſtatus ſubverſionem Antiſtitis proprii, vel Paſtoris aut quomodolibet conſentire, vel operam dare, quòd inſultus fiat in eum, vel à Sede, ſeu Civitate propria temerè expellatur, vel quidquam fiat, aut ordinetur, ſeu dicatur, propter quod Paſtor ipſe habeat formidare in civitate ipſa, vel ſua Diœceſi, ubi voluerit cum ſuis familiaribus reſidere, & juriſdictione ſua uti liberè, & officio paſtorali, vel propter quod etiam Officiales ejus, ſive Vicarii, Vicariatum, & Officialitatem eis commiſſos non poſſint liberè exercere, & quòd communitas aliqua, ſeu univerſitas, conſilium, vel commune cujuſcumque Civitatis noſtræ Provinciæ, ſive Mediolanenſis, aut D Diœceſis ejuſdem, non permittat quicquam dici vel fieri, nec patiatur per aliquos de ipſa univerſitate ſeu Civitate, vel Diœceſi, vel ejus Rectorem, ſeu Majores; nec dicat vel faciat, per ſe ipſam, propter quod ejus Antiſtites, aut Archipræſul non poſſint in ea Civitate & Diœceſi, ſive Sede propria reſidere ſecurè, & ipſe, & ſui Officiales hac juriſdictione & officio uti liberè, & in totum; ſingulares verò perſonas contra hæc attentantes in aliquo præmiſſorum, ſi Clerici fuerint, aut Eccleſiaſticæ perſonæ, ex nunc in his ſcriptis excommunicationis vinculo innodamus, & beneficiis Eccleſiaſticis, quæ intra noſtram Provinciam obtinuerint, privamus perpetuò, aliis liberè conferendis, ipſoſque inhabi- E les reddimus ad quævis beneficia Eccleſiaſtica obtinenda; ſi verò Laici fuerint, eoſdem excommunicationis vinculo decrevimus ſubjacere, ipſoſque in obitu privantes ex nunc Eccleſiaſtica ſepultura, & Clericos, qui ſepulturæ talium interſuerint, ſuſpendimus à Divinis, ipſorum familiis, ſeu familiaribus, dicta excommunicatione durante, participatione Divinorum, & Sacramentorum interdicentes in pœnam hujuſmodi damnatorum: Civitatem autem, ejuſque ſuburbia, & ſingulares perſonas de ipſa Civitate & ſuburbiis, quæ per tres menſes permiſerint, aut paſſa fuerint Antiſtitem proprium exulare extra illam propter timorem, vel metum, ſeu minas

aliquorum, vel alicujus de ipſa Civitate, vel Diœceſi, aut aliquorum reſidentium in eadem, & ipſum Antiſtitem non revocaverint, ac ſibi plenè non caverint, aut providerint, de ipſius & ſuorum familiarium ſecuritate, & indemnitate perſonarum & rerum, ac procuraverint cum effectu, ut in ipſa Civitate & Diœceſi, ut ſibi placuerit, poſſit morari liberè & ſecurè, & ſuum Officium exercere, & uti liberè bonis ſuis, & omnes Vicarii & Procuratores in Civitate ipſa liberè manere & ſecurè, & ſua Officia plenè exercere, & per ipſam Diœceſim, ubi eis expedierit, poſtquam iſte Antiſtes de iſta Civitate ſic exierit, & per ſuas literas, ſive Nuncios in aliquibus Eccleſiis ipſius Civitatis vel Diœceſis, ſeu Civitatum circumadjacentium aliquarum, vel per ſe ipſum, menſibus prædictis elapſis, publicè proteſtatus fuerit, ſeu inſinuari fecerit, & proponi, quòd in Civitate propria non audebat morari ſecurè, niſi aliter ſibi caveatur, ex nunc generaliter ſupponimus Eccleſiaſtico interdicto, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervando. Supradictas verò ſententias & prolationes excommunicationum, interdicti ſtatuimus & ordinamus per omnes Civitates, & Diœceſes noſtræ Provinciæ ſæpiſſimè & in pluribus Eccleſiis publicari per quoslibet Epiſcopos, ipſorumque Officiales, aut ex parte ipſorum, & per quoſcumque Clericos & Prælatos, qui ſuper hæc ex parte ipſius Antiſtitis fuerint requiſiti. Inobedientes quoque ac rebelles ſuper his ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpendimus in his ſcriptis. Illos quoque, qui poſtquam excommunicati propter præmiſſorum aliquid fuerint publicè nunciati, diſtulerint ultra annum ipſi Antiſtiti ſatisfacere de exceſſu, & abſolutionem etiam obtinere, ſuſpectos judicamus de hæretica pravitate, & tanquam (contra) ſuſpectos de hæreſi ipſo anno elapſo fore per Eccleſiam procedendum: & ſi prædicta Civitas, ſive univerſitas per annum in ipſo ſcelere duxerit perſiſtendum, omnes Clerici & Religioſi cujuſcumque Ordinis, vel dignitatis, ſeu conditionis exiſtant, in deteſtationem tanti facinoris completo dicto anno infra duos menſes proximos poſt dictum annum exeant, ſive egrediantur de eadem Civitate, & ejus diſtrictu, & Diœceſi, illuc, uſque ad ſatisfactionem condignam, nullatenus reverſuri; alioquin ipſo facto ſinguli prædicti Clerici, & Religioſi ſententiam excommunicationis incurrant, niſi per Antiſtitem ipſum fuerit eis terminus prorogatus. Ad præmiſſorum quoque cognitionem, executionem, diſcuſſionem, & examinationem, de plano ſinè ſtrepitu & figura judicii procedi poſſe decerminus per Diœceſanum proprium, & quemlibet Judicem competentem, præſenti Concilio approbante.

RUB. XIII.

De juramento præſtando ab eo, qui inficiatur ſe Clericum detinere, vel rem Eccleſiaſticam.

SÆpe contingit, quòd aliqui calliditate utentes Clericos & perſonas Eccleſiaſti a detentas per eos, vel ipſorum conſilio vel mandato inficiatur ſe illos minimè detinere, aut capi illos feciſſe, vel bona, ſeu res Eccleſiaſticas, quibus Clericum ſpoliarunt, ſe aſſerunt minimè habuiſſe, cùm ſuper ipſorum Cleri orum relaxatione, aut eorum reſtitutione per Judicem Eccleſiaſti um admonentur; propter quod plerumque facti probatione deficiente de ſuo dolo, & inficiatione videntur commodum reportare. Ea propter ad hujuſmodi malitias refrenandas ſtatuimus, & firmamus, quòd contra quoslibet Judices, & Rectores, ac perſonas quaſcunque tam Eccleſiaſticas, quam ſeculares inficiantes ſe ipſos Clericos, & perſonas Eccleſiaſticas ullatenus detinere, ſeu cepiſſe, vel res ipſas Eccleſiaſticas minimè habuiſſe, poſtquam hæc ab eis per Judicem Eccleſiaſticum requirantur, aut damnum attulerint Eccleſiis, ſeu Clericis ſuper ipſius emendatione requiſiti, vel injuriam minimè intuliſſe, per Curiam Eccleſiaſticam, & per cenſuram Eccleſiaſticam procedatur, ac ſi convicti & confeſſi eſſent ſuper his, quæ inficiantur coram Judice competenti, ſi præſtare voluerint ſinè dilatione ad arbitrium Eccleſiaſticæ Curiæ ſolemniter & publicè juramentum, quòd Clericum illum, & perſonam Eccleſiaſticam, aut rem Eccleſiæ, ſeu Clerici ſuper cujus relaxatione, ſeu reſtitutione admonentur aut impetuntur, quòd in ſuam fortiam non habent, nec habuerunt, & quòd reſtituendi aliquam facultatem, ſeu quòd damnum vel injuriam ſuper qua impetuntur per ſe, vel per alium nullatenus intulerunt, ipſoque juramento nequaquam obſtante poſſit contra ipſum, & alium, qui Clericum & prædicta bona detinere dicatur, procedi per Eccleſiaſti um Judicem acſi ipſius juramentum præſtitum non fuiſſet.

RUB. XIV.

Quòd excommunicatus per unum Epiſcopum per omnes de Provincia denuncietur, & de pœnis inferentium minas excommunicatori, vel denunciatori.

QUanto excommunicationis vinculo innodati per plures Clericos nunciantur, & maximè in locis, quibus degunt vel traxerunt originem, tanto majori rubore confuſi ad ſatisfactionem faciliùs inducuntur. Quapropter in præſenti Concilio inviolabiliter ordinamus, quòd cujuslibet civitatis Antiſtes ejuſque Vicarius noſtræ Mediolanenſis Provinciæ per literas excommunicantis Pontificis, ſive Diœceſani, excommunicatæ perſonæ aut officiales ejuſdem ſuper hoc humiliter requiſitus omnes, & ſingulas perſonas excommunicationis vinculo innodatas & terras ſuppoſitas interdicto per ſententiam vel conſtitutionem Prælatis ipſius, aut Vicarii requirentis ſeu Provincialis Concilii juxta ipſius requiſitionem per Eccleſias propriæ Civitatis & Diœceſis ſæpiſſimè denunciari faciat excommunicatas perſonas, & terras, vel loca interdicto fore ſuppoſitas per ipſum requirentem, ſive conſtitutionem, ubi magis viderit expedire, ſuper quibus denunciandis excommunicatis & interdictis fuerit per ipſum excommunicatoris vel Judicis nunciandorum literas requiſitus in proprios ſubditos non obedientes ejus monitionibus ſuper hæc cenſuram Eccleſiaſticam exercendo, & quòd ceſſari faciat à Divinis in illa Eccleſia & Parochia Civitatis propriæ vel Diœceſis, quamdiu ibi moram contraxerint illi excommunicati vel interdicti, de quibus denunciandis contigerit ſibi ſcribi, ſi ſuper hoc fuerit requiſitus. Antiſtitem verò hæc recuſantem ab ingreſſu Eccleſiæ, durante inobedientia ſua, ejuſque officialem in his tepidum & remiſſum à Divinis offi iis ſuſpendimus in his ſcriptis. Quaslibet verò perſonas cujuſcunque conditionis extiterint tam Eccleſiaſticas, quam ſeculares, quæ impedierint vel prohibuerint minis, terroribus, vel aliquo alio modo illas per-

ſonas

ſonas excommunicatas publicè nunciari fore loca A alicui ſuppoſita Eccleſiaſtico interdicto, de quibus denunciandis, excommunicatis, vel interdictis per literas alicujus Antiſtitis, vel Vicarii ejus mandari contigerit, aut ipſis excommunicatoribus vel denunciatoribus ſeu excommunicationes ipſas, vel interdictum ſervantibus in perſonis vel rebus, aut in conſanguineos vel amicos illorum propter hæc injurias vel damna & moleſtias irrogaverint, vel conſenſerint irrogari, excommunicationis vinculo de ernimus ſubjacere, à qua nullatenus abſolvantur, niſi ſatisfecerint de tanta audacia & exceſſu, vel cautionem idoneam de ſatisfaciendo præſtiterint juxta ipſius excommunicatoris arbitrium, nec tradantur Eccleſiaſticæ ſepulturæ, de qua ſatisfactione, & acquiſitione, B ſeu cautione apparere volumus publicum inſtrumentum ante abſolutionem aut ſepulturam ipſorum excommunicatorum hujuſmodi præſtandum. Illoſque Clericos & Prælatos Civitatis, & Diœceſis, vel Provinciæ Mediolanenſis, qui pluries & per diverſa dierum intervalla admoniti vel legitimè requiſiti per literas patentes, vel Nuncios publicos & juratos proprii Diœceſani, vel ejus Vicarii denunciare ex parte ipſius juxta requiſitiones ejuſdem excommunicatas perſonas illas, ſuper quarum denunciatione, ut præmittitur, admoniti fuerint, excommunicationis vinculo decernimus ſubjacere. Ad præmiſſorum quoque cognitionem, & pœnarum executionem decernimus ex officio Judicum mero poſſe procedi de C plano & ſinè ſtrepitu ordinis judiciarii & figura.

RUB. XV.

De pœnis illorum qui diu in excommunicatione permanſerunt.

QUoniam contemnere Petri claves, & excommunicationes diutiùs ſuſtinere non caret ſcrupulo hæreticæ pravitatis, ſanctione præſenti ſalubriter providemus ad hanc pertinaciam extirpandam, quæ intra noſtram Provinciam Mediolanenſem plurimùm inolevit, quòd de cetero nulla Eccleſiaſtica vel ſecularis perſona per annum unum excommunicationem D majorem præſumat pertinaciter ſuſtinere, quamlibet verò perſonam Eccleſiaſticam, quæ per annum, poſtquam per Eccleſias aliquas, ſeu E cleſiam excommunicata fuerit publicè nunciata, excommunicationem latam in eam per ejus ordinarium Judicem, quæ non fuerit legitima appellatione ſuſpenſa, animo ſuſtinuerit pertinaci ipſam excommunicationem & publi ationem protinus non ignorans, omnibus beneficiis Eccleſiaſticis, quæ intra ipſam pronunciationem obtinuerit ſpolietur, aliis liberè conferendis; laicum verò, ut de perſona Eccleſiaſtica præmiſimus, ipſam excommunicationis ſententiam ultra annum à die publicationis ejuſdem pertinaciter ſuſtinentem, decernimus fore ſuſpectum de hæretica E pravitate, & tamquam contra ſuſpectum de hæreſi contra eum debere procedi per E cleſiaſticum Judicem, & contra prædictas perſonas invocandum eſſe auxilium brachii ſecularis, ut eis per illud deputetur exilium, vel pœna corporali, vel pecuniaria citra ſanguinis effuſionem vel necem per ſecularem Judicem infligatur juxta Eccleſiaſtici Judicis juſſionem, & ſi ad id faciendum Judex ipſe, vel Rector ſecularis inobediens fuerit vel rebellis, legitimè requiſitus, ex nunc decernimus ipſo facto excommuni ationis vin ulo innodatum, ipſumque Judicem ſeu Rectorem ſecularem; illum etiam Clericum &

Prælatum, qui ſuſpenſus non perpetuò, ſed ad tempus, vel uſque ad ſatisfactionem condignam à beneficio Eccleſiaſtico, ſeu adminiſtratione, vel fructuum perceptione per ſuum Diœceſanum Antiſtitem, vel ejus Vicarium, ſinè alicujus conſtitutionis ejuſdem, vel Provincialis auctoritate ſe ad illam ſive illud ingeſſerit quoviſmodo, illa ſuſpenſione durante, ex nunc in libras decem Papienſes in uſus pios convertendas, Diœceſani proprii Curiæ condemnamus. Quam ſi ſolvere contempſerit, requiſitus legitimè per eumdem, ſive ipſius Vicarium generalem, excommunicationis vinculo innodamus, à qua, niſi ſolverit & ſatisfecerit de contemptu, nullatenus abſolvatur, ad prædictorum namque cognitionem & executionem ſtatuimus poſſe procedi ſinè ſtrepitu & figura ordinis judiciarii per Eccleſiaſticam Curiam ex officio ſuo mero.

RUB. XVI.

De pœnis illorum, qui ſecum ducunt armatos, vel arma portant contra inhibitionem ſpecialem eis factam ſuper hæc; & de pœnis eorum, qui inſultum faciunt contra Archipræſulem ſuum, vel ejus Vicarium.

PLerumque Clericorum & peſonarum Eccleſiaſticarum noſtræ Mediolanenſis Provinciæ, Civitatis, & Diœceſis, pro ut fore novimus manifeſtum, in delatione armorum aſſiduè & publicè contra monitiones generales, & conſtitutiones canonicas, & etiam Synodales in aliorum ſcandalum delectantur, nullâ ſuper hæc petitâ licentiâ vel obtentâ, & in comitiva ſeu caterva habenda quaſi aſſiduè armatorum ad innocentes plurimos opprimendos; aliqui verò tam Clerici, quàm laici in Prælatos proprios & Officiales Antiſtitis proprii & Paſtoris manus injicere gloriantur, & inſultum cum armis facere in eoſdem. Volentes igitur ſic effrenatis ſic aſſiduis temeritatibus obviare, quaſlibet perſonas Eccleſiaſticas, quæ publicè arma detulerint, ſuper hæc monitæ nominatim, ſpecialiter & expreſſè, aut prohibitæ per Antiſtitem proprium, vel ejus Vicarium, vel alium ſuper hæc juriſdictionem habentem, contra ipſam monitionem & prohibitionem ſpecialem ſecum catervam duxerint armatam, monitione hujuſmodi vilipenſa, ſeu tales ſibi aſſociaverint, ex nunc excommunicationis vin ulo innodamus, & ſi excommunicati ſuper hæc legitimè moniti de ipſa excommunicatione infra terminum eis præfixum ſatisfacere contempſerint, & abſolutionem etiam cum inſtantia petere, omni beneficio Eccleſiaſtico, quod infra noſtram Provinciam, Civitatem, & Diœceſim obtinuerint, privamus perpetuò, alii liberè conferendo: Et nihilominus pro tanto exceſſu uſque ad ſatisfactionem condignam fore ſub fida cuſtodia decernimus detinendos. Diœceſani quoque & eorum Vi.eſgerentes in licentia exhibenda ſuper armis portandis, cùm urgentem cauſam viderint, ſe exhibeant liberales, quoſlibet verò tam laicos quàm Clericos noſtræ Provinciæ, Civitatis, & Diœceſis, qui in proprium Prælatum, aut Vicarium aliquem Archipræſulis, ſive Antiſtitis alicujus cum armis & fuſtibus manus injecerint violentas facto, conſilio, vel mandato, aut inſultum per ſe vel per alium fecerint in eundem, vel inſidiam poſuerint, prædictorum aliquod attentando, ex nunc in his ſcriptis excommunicationis vinculo innodamus, &, ſi Clerici fuerint, ipſos decernimus

A fore privandos omnibus beneficiis Eccleſiaſticis, quæ intra noſtram Provinciam obtinent, ſeu etiam obtinebunt, ac decernentes per longum Epiſcopus eos gravari, carceri mancipari: Si autem extiterint laici, præter excommunicationem prædictam, omnibus feudis & honoribus Eccleſiaſticis, & emolumentis eoſdem in pœnam eorum decernimus perpetuò fore privatos, & ſi univerſitas, ſeu præſidentes eiſdem, vel Rector, ſive Dominus Civitatis, vel loci, in cujus Civitate, vel diſtrictu, ſeu territorio prædictorum aliquod fuit perpetratum, requiſiti & moniti legitimè per ipſum Antiſtitem, vel ejus Vicarium, ſeu Nuncios, vel literas ejus, uſque ad ſatisfactionem condignam tranſgreſſores hujuſmodi co-
B gere contempſerint, aut procedere contra eos tam Clericos in hac parte, invocato in hoc auxilio brachii ſecularis, quàm laicos juxta requiſitionem Antiſtitis proprii, vel ejus Officialis, ex nunc elapſo termino, ſeu terminis eiſdem indultis ad facienda prædicta, Civitatem ipſam, ac locum, & ſuburbia Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, quod quidem interdictum, ſeu ipſam Civitatem ſic fore ſuppoſitam interdicto prædicto ex cauſa prædicta, auctoritate præſentis Concilii, coram perſonis authenticis publicè proteſtetur, & nunciari vel publicari facere Antiſtes proprius ſinè dilatione, vel ejus Vicarius teneatur, cujus interdicti effectum uſque ad proteſtationem & publicationem, ſeu nunciationem
C prædictam, ac ipſum interdictum fore ſuſpenſos, & fore interim in ſuſpenſo, quod immediatè poſt eandem publicationem & proteſtationem inviolabiliter decernimus obſervandum.

RUB. XVII.

De electionibus non celebrandis, laicis exiſtentibus intra locum, ubi celebratur electio.

MAgiſtra rerum efficax experientia manifeſtat, quòd laici præſentes in electionum tractatu non permittunt eligentes plerumque habere liberum arbitrium eligendi, & eis incutientes timores inducunt ipſos ad eligendum per-
D ſona, quas aliis nullatenus nominarent. Quapropter, ut morbus iſte tepeſcat, & impreſſiones hujuſmodi evitentur, præſenti decreto ſalubriter ordinamus, quòd, cùm electio de aliquo Prælato alicujus Eccleſiæ regularis vel ſecularis, ſeu Monaſterii, vel alterius pii loci Civitatis, vel Diœceſis, aut Provinciæ Mediolanenſis debuerit celebrari, illi, ad quos ſpectat electio, qui voluerint, & potuerint intereſſe, die & hora ad eligendum præfixis, ad tractandum de electione, & ad eam celebrandam conveniant in aliquem locum ad hæc idoneum, & ante ipſum tractatum, & antequam ad hæc conveniant, omnes laicos de ipſo loco, ejuſque clauſura licentient & expellant, & januis clauſis, ſive
E oſtiis ipſius loci, nullis laicis præſentibus vel exiſtentibus intra locum ipſum, uno vel duobus Notariis & teſtibus neceſſariis non ſuſpectis duntaxat exceptis pro ſcripturis conficiendis, ad tractatum ipſum, & ad electionem procedant legitimè, & non ante aliis laicis non exiſtentibus in eodem loco, ubi maximè electio celebratur; electionem verò, quæ aliter celebrari contigerit, ex nunc decernimus nullam eſſe, & illos ex eligentibus in tota ipſa vacatione ab eligendi poteſtate ſuſpenſos, ad quorum inſtantiam electionis tempore, ſeu paulò ante laici ipſi devenerint ad minas aliquas alicui inferendas; ex electione quippe aliqua jus aliquod electo decernimus non acquiri, pro quo eligendo, dummodo non in fraudem, ſcilicet ut ipſius eligendi electio vitietur, alicui vel aliquibus minæ, vel terrores, ſeu injuria fuerint irrogatæ, vel pro quo eligendo armatorum multitudo, electionis tempore, acceſſerint ad locum, cui debet de Prælato idoneo provideri ad terrorem incutiendum illis, ad quos electio pertinebit, aut propter quem eligendum ejus agnati, vel amici minas intulerint eligentium conſanguineis vel propinquis, laicos verò ſe in electionum tractatibus immiſcentes contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum, excommunicationis ſententia innodamus, & ad præmiſſorum omnium cognitionem, & diſcuſſionem decernimus ſinè ſtrepitu & figura judicii de plano poſſe procedi, & de his fidem facere præſumptiones legitimas, ſeu probabiles conjecturas: hanc etiam conſtitutionem ad omnes electiones, poſtulationes, & proviſiones à perſonis Eccleſiaſticis faciendas extendimus, & locum volumus ſibi per omnia vendicare.

RUB. XVIII.

De pœna convenientium Clericos coram Judice ſeculari.

PRæſentis conſtitutionis auctoritate firmamus, quòd nulla univerſitas ſæcularis, vel Eccleſiaſtica, ſive perſona aliqua ſecularis quemquam Clericum, ſive perſonam Eccleſiaſticam gaudere debentem privilegio Eccleſiaſtico, aut etiam Clericali, accuſet vel denunciet ſeu notificet de aliquo crimine vel exceſſu, aut inquiri procuret, ſeu conveniat, vel conventum retineat ſuper aliquo facto ſeu cauſa in Curia ſeculari, cauſâ reconventionis à jure permiſſæ dumtaxat exceptâ, ſingulares verò perſonæ contra hæc attentantes in aliqua ſui parte, ſi monitæ non deſtiterint & ſatisfecerint, excommunicentur; univerſitas verò, & loca ipſarum ſupponantur Eccleſiaſtico interdicto, & contra ipſorum familias, ſi expedierit, procedatur ad ingreſſum prohibendum. Quæ quidem excommunicatio vel interdictum minimè relaxentur, poſtquam fuerint publicatæ, niſi priùs tam parti quàm Judici & Eccleſiæ de expenſis, & ceteris fuerit integrè ſatisfactum. Rectores verò & Judices ſeculares, ſi moniti legitimè per Eccleſiaſticum Judicem, & per intervalla non deſtiterint à proceſſu, & ipſum non fecerint cancellari, ex nunc decernimus excommunicationis vinculo ſubjacere.

RUB. XIX.

De criminibus inducentibus excommunicationem ipſo facto.

ENormia crimina ſunt pœnis gravioribus ferienda; ea propter conſtitutione præſenti ſub oſtentatione divini judicii prohibemus, ſuper hæc admonitionem generalem publicam, & peremptoriam in præſenti noſtro Provinciali Concilio facientes, quòd aliqui, ſive quiſquam intra noſtram Provinciam, Civitatem, vel Diœceſim, ſponte homicidium facto, aut conſilio, vel mandato, vel ſuggeſtione perpetrare de cetero non præſumat, aut malitioſè in damnum cujuſquam ignem apponere per ſe, vel per alium in alterius meſſes, Eccleſias, ſeu domum, ſeu doloſè incendium committere, vel arſuram, aut Eccleſiam aliquam, ſive ejus oſtia, ſeu muros rumpere violenter, vel in ea ſacrilegium perpetrare,

trare, ſeu deprædationem violentam facere, vel rapinam, aut permanere publicè in adulterio, vel incœſtu, ſive cum muliere profeſſa regularem obſervantiam rem carnalem committere inhoneſtam, vel ſcienter in aliqua cauſa, ſive in alterius præjudicium falſum teſtimonium proferre, vel falſum in Judicio in damnum cujuſque ſcienter facere vel procurare, ſeu ſuadere, vel conſulere fieri Sacramentum, aut falſum conficere vel confici facere inſtrumentum aut ſigillum alienum falſare, ſive literas, vel falſari facere in diſpendium alicujus, ſive ſcienter falſis inſtrumentis uti in alterius damnum, ſive literis vel ſigillis, vel quicquam dare alicui ad comedendum, bibendum, vel potandum, aut quicquam aliud operari, propter quod non debeat concipi ſoboles, aut naſci, ſive abortivum fieri, aut incantationes, ſacrilegia, auguria, vel maleficia, quæ facturæ, ſive præſtigiæ vulgariter appellantur, vel invocationes dæmonum pro futuris vel jam commiſſis aliquibus præſciendis; contrafacientes, in aliquo præmiſſorum ex nunc in his ſcriptis excommunicationis vinculo innodamus, ne non executores, ſeu fideicommiſſariorum decedentium, & ipſorum hæredes, qui ultra menſem poſt terminum ſive terminos ab ipſis decedentibus conſtitutos, vel poſt obitum defunctorum intra menſes novem, ubi terminus non fuerit à decedente appoſitus, diſtulerint ſolvere legata, vel judicata per ipſos decedentes ad pias cauſas, ſive ad opera pietatis, vel conſignare, ac ſolvere pœnitentiariis aut officialibus ſuper hæc per ſingulos Antiſtites in ſuis Civitatibus noſtræ Provinciæ deputati, vel in poſterum deputandis ea, quæ pro malè ablatis, incertis, vel ipſorum reſtitutione legari ſeu relinqui contigerit in futurum, vel hactenus ſunt legata, à die publicationis præſentis intra legatis ipſis novem menſibus numerandis. Decernentes, quòd ipſorum executorum ultra dictum tempus negligentium & hæredum defectus & negligentia in ſolvendis, & diſtribuendis prædictis, per ipſo Antiſtites ſuppleantur. Nihilominus contra ipſos fideicommiſſario, & hæredes, & ipſos Pontifice, & eorum officiales, ut prædicta ſolvantur compulſione omnimoda adhibenda, cum invocatione, ſi opus fuerit, brachii ſecularis. Statuimus quoque in præmiſſis, & ad cognitionem & agnitionem prædictorum poſſe procedi ſinè ſtrepitu & figura judiciarii ordinis ex officio mero per ſingulo Pontifices, & Vicarios eorumdem; ſub excommunicationis pœna mandantes conſtitutionem præſentem, ſeu ejus ſubſtantiam, & effectum per Parochiales Eccleſias Civitatis noſtræ, Provinciæ, & Diœceſis in locis populoſis ab ipſarum Prælatis & Rectoribus ſingulis annis coram ſuis Parochianis pluries publicari.

RUB. XX.

De juribus & juriſdictionibus Archiepiſcopalibus, & Epiſcopalibus, & aliarum Eccleſiarum & Monaſteriorum non minuendis.

INdemnitatibus tam Mediolanenſis Eccleſiæ & Archiepiſcopalis menſæ, quàm aliarum Eccleſiarum Cathedralium, & Epiſcopalium, & aliarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum piorum locorum, menſarum Mediolanenſis provinciæ, illarumque bonorum & jurium providere volentes, præſentis approbatione Concilii ſtatuimus, & mandamus, quòd nulla Univerſitas, Communitas, & Collegium Secularis vel Eccleſiaſtica, aliquam Villam, Communitatem, Caſtrum, Burgum, Terram, vel Locum, ipſi Archiepiſcopatui, vel alicui Antiſtiti, vel alicui Eccleſiæ, Monaſterio, ſive loco pio provinciæ prædictæ, quoad juriſdictionem Epiſcopalem, vel honorem, & diſtrictum ſubjectam, vel ſuppoſitam quovis modo, aut ejus ſubditos, vel prædictorum locorum, vel fideles, ſeu diſtrictuales, vel in cujus ſubjectione, vel quaſi poſſeſſione exiſtat, robellare, vel ſubtrahere à ſubjectione vel obedientia conſueta quovis modo præſumat, aut juribus Archiepiſcopalibus, vel Pontificalibus, ſeu alicui ex prælibatis Eccleſiis, ſive menſis in juribus quovis modo, quoad proprietatem vel poſſeſſionem pertinentibus in tali Terra, Loco, Caſtro, vel Villa ad aliquem ex eiſdem per ſe, vel per alios in aliquo derogare publicè vel occultè, aut moleſtiam irrogare, ſeu novitates aliquas vel ſtatuta, ordinamenta, præcepta, vel mandata facere, vel fieri conſentire in præjudicium ipſius Archiepiſcopalis menſæ, vel alterius prædictorum, ſeu jurium, aut conſuetudinum, aut poſſeſſionum illarum, ſive dare directè vel indirectè, publicè vel occultè auxilium, conſilium, vel favorem; ſingulares verò perſonas contra hæc attentantes tam Clericorum, quàm Laicorum in aliqua ſui parte ex nunc excommunicationis vinculo innodamus; &, ſi Clerici fuerint, omnibus beneficiis, bonis, dignitatibus, & juribus Eccleſiaſticis, quæ obtinuerint infra noſtram provinciam, decernimus perpetuò fore privandos, alii liberè conferendis. Si verò Laici fuerint, omnibus feudis, jure patrimoniatus, juribus, & honoribus, quæ ab Eccleſiis obtinuerint, privamus perpetuò, ad ipſas Eccleſias, à quibus illa obtinebant, liberè devolvendis, vel per eas aliis conferendis, ipſoſque, niſi priùs ſatisfecerint, privamus Eccleſiaſtica ſepultura; ſi autem univerſitates fuerint facientes contra prædicta in aliquo præmiſſorum, vel major pars ipſarum univerſitatum, ſeu Rectores illarum, ex nunc loca & terras illarum decernimus ſubjacere Eccleſiaſtico interdicto, quod interdictum plenum decernimus ſortiri effectum, & inviolabiliter obſervandum, quàm citò Archiepiſcopali menſæ præſidens, vel antiſtes alius, ad quem prædicta pertinent per ſuas patentes literas fuerit publicè proteſtatus, & publicari fecerit ſeu nunciari per alias Eccleſias publicè civitatem, terram, ſeu locum ex cauſis prædictis, vel ipſarum altera, ex vigore decreti præſentis fore ſuppoſitam Eccleſiaſtico interdicto, & eſſe inviolabiliter obſervandum: ante verò, & uſque ad publicationem & proteſtationem prædictas ipſum interdictum quoad effectum ſuſpenſum eſſe decernimus, & manere totaliter in ſuſpenſo. Ad præmiſſorum autem cognitionem & diffinitionem procedi volumus contra prædictos ſinè ſtrepitu judicii, & figura.

RUB. XXI.

De appellationibus & citationibus clandeſtinis.

APpellationes etiam aliquas & cauſas legitimas continentes ab alicujus Judicis, Officialis Eccleſiaſtici, vel Prælati mandato, ſententia, vel proceſſu quiſque per ſe, vel per alium, non interponant clandeſtinè vel latenter, ſed appellare deſiderans, Judicem requirat inſtanter, loco & tempore competenti procurans pro juribus, quòd ad eum copia appellationis perveniat, vel ad ejus familiares, ubi Judicis

vel

A vel Prælati copia haberi nequiverit, quibus ipſam appellationem tradet in ſcriptis. Notarius verò, qui à poſitione ipſius appellationis debuerit conficere inſtrumentum, reſponſionem, quam ad illam Judex ipſe, vel Prælatus fecerit, immediatè ſcribere teneatur poſt ipſam appellationem, & ſcribat ante appoſitionem ſigni ſui, ità quòd ipſius Notarii ſignum ſit poſt ipſam reſponſionem, & non ante in inſtrumento de ipſa appellatione conficiendo per eum, ſi ſuper hæc juſſus fuerit ab ipſo Judice vel Prælato. Notarium verò hæc recuſantem, vel non obſervantem, & interponentes appellationes, eiſque dantes ſuper bis expreſſum conſilium, vel favorem contra præmiſſa, necnon citationes latenter B vel clandeſtinè, ſeu fraudulenter fieri procurantes, ut non poſſint ad citandi notitiam pervenire in præjudicium aliquorum, in his ſcriptis excommunicationis vinculo innodamus. Inſtrumenta contra hæc contenta & citationes decernentes penitus non valere.

RUB. XXII.

De regularibus raro convenientibus ad ſuſcipiendas capitulariter diſciplinas.

IN pleriſque Religioſis domibus, ſive locis abolendæ conſuetudinis perverſitas inolevit, C ut degentes in eis vix quater in anno conveniant ad Capitulum ad ſuſcipiendas pro culpis & exceſſibus ſecundùm regularem obſervantiam diſciplinas. Ea propter præſenti conſtitutione ſtatuimus, quòd cujuslibet Monaſterii domus, & Eccleſiæ Regularis Collegiatæ Prælatus perſonaliter per ſe ipſum, aut per alium cum ſuis Fratribus & conventu, & ipſi cum eo, & quælibet Abbatiſſa, Prioriſſa, vel Miniſtra loci Religioſi, ubi Abbatiſſa non fuerit, cum ſuis Monialibus & Sororibus, bis ad minùs in ſeptimana, tempore Quadrageſimæ, & Adventus, reliquo verò tempore, ſaltem ſemel in hebdomada, pro culpis & exceſſibus Capitulum in loco debito celebrare ſtudeant conventualiter, D & tenere, in quo revelatio, & diſcuſſio juxta Regulam fiat exceſſuum & culparum, & diſciplinarum impoſitio pro eiſdem, in quo Prælatus ſeu Tenens vices loco ejus diſciplinas imponat, & non alibi, ac pœnitentias ſalutares in illis imponendis modum debitum non excedens; Illi verò, vel illæ, quibus ibi diſciplinæ hujuſmodi imponentur, eas ſinè murmuratione ſuſcipiant, & devotè adimpleant, alioquin eis diſciplinæ hujuſmodi duplicentur, &, ſi ipſas omnino ſuſcipere vel adimplere contempſerint, Antiſtiti proprio, vel ejus Vicario talium pertinacia ex parte ipſius Prælati, vel Prælatæ, quàm citiùs eſſe poterit, nuncietur. Prælatos namque Regulares, & Prælatas noſtræ Provinciæ in his in E aliqua ſui parte ſæpiùs excedentes, vel tepidos, vel remiſſos, contra eos, tamquam contra negligentes in officio ſuo, per ipſum Antiſtitem, vel ejus Curiam decernimus, & contra ſubditos delinquentes in præmiſſis, tamquam contra inobedientes & protervos fore acriter procedendum. Et nihilominus eos ſic permanentes uſque ad ſatisfactionem condignam ad aliquos communes tractatus ſui Capituli, vel conventus, ſicut electiones, receptiones & ſimilia, tam ſpiritualium, quàm temporalium decernimus minimè admittendos, & voces eorum interim dormitare.

RUB. XXIII.

De malè ablatis incertis non diſponendis ſinè licentia Diœceſani proprii.

COnſiderantes, quòd plerique manus extendunt minùs licitè ad ea, quæ non pertinent ad eoſdem, ſuæ poteſtatis terminis non contenti, ſtatuimus & ſancimus in præſenti Concilio ſuper hæc, perſonas quaſcunque Religioſas Eccleſiaſticas, & etiam Laicales publicè & peremptoriè admonentes, quòd de cetero aliqua male ablata incerta, de quibus ignoratur, vel ignorabitur, quibus ſit reſtitutio facienda, per ſe vel alios non diſtribuant, vel diſpenſent, ſive mandent vel procurent, vel conſentiant per aliquem diſpenſari, aut illa ſibi approprient, vel uſurpent, ſive pro ipſorum male ablatorum reſtitutione legata ſint hactenus, vel in poſterum relinquentur, abſque Archiepiſcopalis, vel Antiſtitis proprii, ſeu ejus Vicarii in ſpiritualibus, aut alterius ſuper hæc per ipſum Antiſtitem deputati expreſſe licentia, & conſenſu. Clericos verò Religioſos, & Seculares, qui exceſſerint in præmiſſis, ab ingreſſu Eccleſiarum & celebratione Miſſarum ſuſpendimus in his ſcriptis. Laicos verò, qui contra hæc exceſſerint, uſque ad ſatisfactionem condignam decernimus non admittendos ad Eccleſiaſtica Sacramenta, nec ad auditionem ſeu participationem etiam Divinorum.

RUB. XXIV.

De cautione recipienda ab uſurario pro reſtitutione uſurarum, & a quibus debet recipi.

USurarum voraginem utriuſque teſtamenti pagina reprobatam, infra totam noſtram Provinciam, Civitatem, & Diœceſim deprimere cupientes, decernimus, & declaramus conſtitutione præſenti, omnes & ſingulos uſurarios manifeſtos, quouſque de uſuris, prò ut patiuntur facultates eorum, plenariè ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo pro ſuarum juribus facultatum idoneam præſtiterint cautionem, fore privatos communione Altaris & Eccleſiaſtica ſepultura, & ipſorum oblationes recipi non debere, ipſoſque non debere abſolvi per aliquem, & teſtamenta, quæ fecerint, non valere, ſed eſſe irrita ipſo jure; omnes etiam Religioſos & alios Clericos, qui hujuſmodi uſurariis communionem Altaris, ideſt Corpus vel Sanguinem Chriſti tradiderint, aut eorum oblationes receperint, ſeu eos ad Eccleſiaſticam admiſerint ſepulturam, fore ſuſpenſos ab executione officii proprii Eccleſiaſtici, donec ſatisfecerint juxta Diœceſani proprii arbitrium. Decernimus quoque pœnæ hujuſmodi ſubjacere omnes Religioſos, & Clericos, qui tales uſurarios abſolverint, aut ad Altaris communionem admiſerint ſive teſtamentis aut ſepulturæ interfuerint eorumdem, aut eos receperint ad eamdem, ſatisfactione plenaria non præmiſſa, vel non præſtita de ſatisfaciendo idonea cautione: Tabelliones etiam de mutuis & contractibus uſurariis vel in fraudem uſurarum initis inſtrumenta conficientes ſcienter, eiſdem, quibus uſurarii, pœnis ſubjaceant ipſo facto. Ceterùm in recipiendo ab uſurariis pœnitentibus, de reſtituendis uſuris cautione prædicta, hanc ſtatuimus formam haberi, & obſervari cautelam, ut ante omnia per

con-

conſeſſionem uſurarii, vel librum ſeu libros ra- A
tionum ejus, aut per teſtes ſive inſtrumenta, vel
aliquo alio modo fiat certa & manifeſta, ſi po-
terit, receptarum quantitas uſurarum, non ea-
rum tantùm, quæ ab incertis, ſed etiam, quæ
à certis perſonis, (vel) univerſitatibus ſunt ex-
tortæ; Si verò id non ſit bene poſſibile, arbi-
tretur & moderetur quantitatem hujuſmodi, ac
etiam taxet ille, qui ex vigore præſentis conſti-
tutionis receperit hujuſmodi cautionem, ſecun-
dùm rectam conſcientiam, ex fama, ſeu vici-
norum teſtimoniis, aut ex conjecturis aliis veri-
ſimilibus informandam, quo facto promittat
ſolemniter, & juret uſurarius in manus ejus,
qui, ut præmittitur, hanc receperit cautionem
nomine Curiæ Archiepiſcopalis, ſeu Epiſcopalis, B
intra cujus limites uſurarius ipſe degit, ut vice
& nomine omnium, quorum intereſt vel in-
tererit, quòd ipſe uſurarius, ſi poterit per ipſum
commode, vel per alium, ſeu alios, & in præ-
ſentia Vicarii & Officialis dictæ Curiæ ad hæc
deputati vel deputandi, aut alibi de expreſſa
tantùm licentia dictæ Curiæ ſinè difficultate qua-
libet de uſuris à ſe receptis, & ab alio ejus no-
mine & à patre ſuo, ceteriſque perſonis, qua-
rum hæreditas ad ipſum pervênit, & de aliis
malè ablatis, & illicitè acquiſitis, uſque ad
quantitatem ipſam taxatam & exiſtimatam, &
etiam majorem, ſi de majori conſtiterit, ſatis-
faciet his, à quibus uſuræ hujuſmodi ſint extor-
tæ, & alia illicitè acquiſita, aut eorum hære- C
dibus ſi poterunt requiri, & quòd reſiduum ta-
xatæ quantitatis, & aliorum malè ablatorum &
illicitè acquiſitorum per eos, de quibus non
conſtabit, cui reſtitutio ſit facienda, vel non
inveniantur perſonæ aut hæredes eorum, quibus
deberet reſtitui, liberè conſignabit dicto Vica-
rio, ſeu Officiali, pauperibus erogandum juxta
beneplacitum dictæ Curiæ ſinè ſtrepitu judicii
& figura, & quòd nihil dicet, proponet, alle-
gabit, vel faciet per ſe, vel per alium, propter
quod ipſius Curiæ proceſſus ſententiæ, vel præ-
cepta impediantur, vel quomodolibet retardentur
circa uſurarum ipſarum, & illicitè acquiſitorum,
ſpeciali pacto ſe, & ſuos hæredes, & bona ſua
obligans ad prædicta firmiter obſervanda, & D
expreſsè renuntians ſpecialiter, & generaliter
omnibus exceptionibus, & juribus, & defenſio-
nibus, ſecundùm voluntatem, & expreſſionem
recipientis hujuſmodi cautionem, & pro his at-
tendendis & reſtitutione, ac aſſignatione, ut
præmittitur, faciendis obliget omnia ſua bona
recipienti cautionem nomine dictæ Curiæ, &
ille ſe conſtituat precario nomine à dicta Curia
poſſidere omnimodam libertatem, & poteſtatem
concedens ipſi Curiæ, & recipienti cautionem
eamdem pro ea apprehendendi, diſtrahendi,
& alienandi de ipſis bonis liberè & impunè, au-
ctoritate propria, & non obſtante contradictio-
ne cujuſque, quicquid & in quantum, & ubi
voluerit ipſa Curia uſque ad integram reſtitu- E
tionem, & ſatisfactionem prædictorum, & eo-
rum occaſione. Renunciet etiam ipſe uſurarius,
& remittat uſuras ſibi promiſſas, & relaxet ju-
ramenta, & obligationes ſibi factas pro eis ſol-
vendis, vel recipiendis. Inſuper juret ipſe uſu-
rarius, quòd libros & quaterno rationum ſua-
rum, & inſtrumenta uſuraria, & in fraudem
uſurarum confecta, quæ habet & habebit, &
habere poterit quovis modo, dabit, & conſigna-
bit per ſe, vel per alium dicto Vicario, vel ejus
certo Nuncio abſque dolo, & diminutione, ſive
ſubtractione aliqua facienda. Faciat etiam uſu-
rarius ipſe per ſe, vel per alium ad arbitrium

A dicti Vicarii, ſeu Officialis depoſitum in totum,
vel in partem de eo, quod æſtimatum fuerit,
& taxatum pro uſuris extortum, ut liberiùs re-
ſtitutio fiat, quod quidem in cautione ipſa præ-
cipimus ſtipulari. Præterea ipſe uſurarius exhi-
beat, & det pignora, ſi poterit, vel ſaltem fi-
dejuſſores idoneos pro prædictis omnibus obſer-
vandis, qui ad prædicta unà cum hæredibus
ipſius uſurarii, vel etiam ſine eis eodem modo,
& ſub pœnis, & tenoribus prædictis ſe obligent
principaliter, & in ſolidum, & ſua bona, ſe
conſtituentes principales debitores in prædictis,
qui promittant ſe facturos, & curaturos cum
effectu, quòd præmiſſa per ipſum uſurarium
obſervabuntur, & de ſuo reſarcient, & atten-
B dent. Renunciantes Divi Adriani beneſi in no-
varum conſtitutionum de fidejuſſoribus, & omni
alii defenſioni, & juri ad arbitrium recipientium
cautionem eamdem, ex ſpeciali pacto, & præ-
ſtantes, ut uſurarius, ſimile juramentum; hæc
autem ſtatuimus fieri coram Sacerdote Paro-
chiali, ubi degit uſurarius, & teſtibus fide di-
gnis ac Notario publico per dictam Curiam de-
ſtinando, vel ejus mandato, qui recipiat dictas
promiſſiones, obligationem, renunciationem,
cautionem, & cetera ſupradicta, & de his con-
ficiat publicum Inſtrumentum. Verùm ſi uſura-
rius morte præventus uſuras non mandavit reſti-
tui, & hanc cautionem præſtare non potuit,
ſi tantùm ſigna contritionis in eo apparuerint
C manifeſta, ſibi non denegetur Eccleſiaſtica ſe-
pultura, hæredibus ejus, ſeu conſanguineis, vel
amicis præſtantibus hujuſmodi cautionem, ſe-
cundùm modum & formam, ſecundùm quos
uſurarius ipſe præſtare, ut præmiſimus, teneba-
tur, alioquin non recipiatur ad Eccleſiaſticam
ſepulturam. Denique cautionem ipſam per præ-
dictos præſtandam recipiat Rector Parochialis
Eccleſiæ, in qua uſurarius habitabat tempore
mortis ſuæ, vel Notarius publicus in Sacerdotis
abſentia, vel defectu. Sacerdos verò, qui ipſum
contra præmiſſa tradiderit Eccleſiaſticæ ſepul-
turæ, ſuſpenſionis ſententiam ab Eccleſiaſtico
incurrat. Illos namque, quoad prædicta decla-
ramus uſurarios manifeſtos, de quibus per Pa-
D rochiam, quam inhabitaverint, vel ubi morien-
tur, fama publica fuerit, extorſiſſe uſuras, ali-
quibus juramibus etiam in abſentia uſurarii co-
ram ipſo Vicario, vel Sacerdote, illum uſura-
rium extitiſſe, vel de quibus recepiſſe uſuras
per confeſſionem ipſorum, aut per idonea argu-
menta, ſeu alio legitimo modo apparebit. Præ-
ſentem verò conſtitutionem ſub excommunica-
tionis pœna præcipimus quemlibet Rectorem
Parochialis Eccleſiæ, tam Civitatis Mediolanen-
ſis, quàm aliarum Civitatum noſtræ Provinciæ,
necnon Prælatos Collegiatarum Eccleſiarum ha-
bentium Parochias Diœceſis dictæ Provinciæ, &
Burgorum uſque ad quatuor menſes recipere,
& in ſuis Eccleſiis retinere, & Proplebanos ſeu
E Prælatos Plebium Capellanis Eccleſiarum Ple-
bium ſuarum bis in anno plenariè recitare, ita
quòd bis in anno forma prædicta pleniùs obſer-
vetur. Et quòd ad hæc per Antiſtites quoslibet,
vel ipſorum Officiales quarumcumque Civita-
tum, Terrarum, & Locorum ſuper uſuris eiſ-
dem uſurariis ſolvendis, petendis, & exigendis
contra quoſcumque audientiam exhibentes, &
compellentes aliquos ad ſolvendum uſuras ali-
cui ſtatui municipalis, vel conſuetudinis, quæ
dicenda eſt potiùs corruptela vigore directè, &
indirectè, cogendo aliquos ad pœnam aliquam
perſolvendam, vel ut tantam quantitatem pecu-
niæ debitores ipſis uſurariis mutuent tanto tem-
pore,

pore, quanto uſurariorum pecuniam tenuerunt, vel fraudem aliam adhibentes excommunicationis ſententia innodamus.

RUB. XXV.

De uſuris erogandis pauperibus, quando non apparet quibus ſunt reſtituendæ.

LIcèt uſurarum, & illicitè extortorum perſonis, à quibus extorta ſunt, aut ipſorum hæredibus, illis non extantibus, ſit reſtitutio facienda; quibus deficientibus, ſunt pauperibus eroganda, hæc tantùm minùs bene in pluribus obſervatur. Ea propter conſiderantes, quòd non remittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum; præſenti conſtitutione ſancimus, pro ſalute decedentium, & viventium, quòd quando in cautione de reſtituendis illicitè acquiſitis præſtita vel præſtanda, uſurarum extortarum, & illicitè acceptorum perceptorum certa quantitas moderata fuerit vel taxata, & de illa reſtituenda promiſſio vel cautio facta fuerit, quòd poſtea tempore procedente expenſis bonorum hæredis, vel fidejuſſorum ipſius uſurarii, monitiones trinæ vel binæ, & edicta publica & peremtoria, ſive præconizamenta per dierum intervalla competentia proponatur in illis competentibus terminis aſſignatis de mandato ſpeciali, & ex parte Curiæ Antiſtitis illius Civitatis noſtræ Provinciæ, in qua, vel in cujus Diœceſi ipſe Vicarius reſideb‹it› per Eccleſias, ſeu Vicos, prout ipſi Curiæ videbitur expedire, ut omnes & ſinguli, à quibus ipſe uſurarius per uſuras, vel alias illicitè aliquid extorſit, coram Vicario ipſius Antiſtitis infra terminos ipſos compareant, expoſituri quid, & quantum, & qua de cauſa ab eis extortum illicitè fuerit per eumdem, ita ut ipſis fiat reſtitutio, prout fuerit facienda; ipſis verò terminis peremtoriè elapſis, quicquid ſuperfuerit ad reſtituendum, ſeu reſiduum erit de ipſis uſurariis, & aliis malè ablatis ex ipſa quantitate taxata, ſeu expreſſa infra tres menſes, poſtquam ſuper hæc ex parte dictæ Curiæ hæredes ipſi, ſeu fidejuſſores fuerint requiſiti in præſentia Vicarii dictæ Curiæ, & ubi fuerit ipſa Curia, ſeu Officiales ab ipſa Curia deputati, ſecundùm ejus providentiam, & juſſionem, ſeu diſpoſitionem pauperibus, & ad pias cauſas integrè erogentur per ipſos hæredes, ſeu fidejuſſores, & plenariè perſolvantur, aut ipſi Vicario, vel Officiali aſſignentur, ut præmittitur, diſpenſandum. Ipſos namque hæredes, & fidejuſſores non obſervantes prædicta, ſeu obmittentes obſervari facere cum effectu, decernimus perjuros exiſtere ac infames, & pœnas, ad quas ſe obligaverant in cautione, vel promiſſione prædictis, incurrere ipſo facto; quarum pœnarum medietatem ex nunc ſeculari Curiæ Civitatis dicti Antiſtitis applicandam, aliam verò jubemus pauperibus erogari, ſi juxta mandatum Eccleſiaſticæ Curiæ pœnas ipſas exegerit Curia ſecularis, & Eccleſiaſticæ Curiæ conſignaverit medietatem pauperibus erogandam, & prædicta per totam noſtram Provinciam, Civitatem, & Diœceſim non ſolùm ad futura, ſed etiam ad præterita, & quoad hæredes, & fidejuſſores defunctorum uſurariorum, à quinque annis citra, extendi ſtatuimus & jubemus, & ſibi locum in ipſis per omnia vendicare.

RUB. XXVI.

De monitione facienda à Presbyteris pro legatis ad pias cauſas.

ANimarum ſaluti volentes ſalubriter providere, ſtatuimus, & ſancimus, quòd Rectores, & Capellani Eccleſiarum noſtræ provinciæ, civitatis, & diœceſis Mediolanenſis, habentium Parochianos, ſive Collegiatæ fuerint, ſive non, ſinguli duobus menſibus, aut tribus ſaltem, ſemel in Eccleſiis ſuis monitionem publicè faciant & generalem, ex parte Antiſtitis proprii, ſub excommunicationis pœna mandantes, quòd omnes & ſinguli Notarii, qui teſtamenta, codicillos, vel aliam ſcripturam fecerint hactenus, à quinque annis citra, vel facient in futurum ſuper ultimis voluntatibus defunctorum, illa Vicario dicti Antiſtitis, ſeu Rectori, vel Capellano notificare debeant, & tradere tranſcripta in forma publica infra dies quindecim à monitione hujuſmodi numerandos ſuper his, quæ relicta fuerint ad pias cauſas, & pro malè ablatis incertis animarum ſalute, ac remedio peccatorum, ne diu remaneant inſoluta de ipſis ſcripturis ab Eccleſiaſtica Curia ſolutionem pro modo Curiæ debitam recepturi: & quòd ipſi Rectores & Capellani Legata ipſa Eccleſiaſticæ Curiæ, vel ejus Vicario, quanto citiùs commodè poterunt, debeant intimare, nec non pro malè ablatis incertis infra dies quindecim, poſtquam ad notitiam quovis modo pervenerit eorumdem. Alioquin Rectores, & Capellani prædicti per locorum Ordinarios puniantur, qui monitionem obmiſerint, & notificationem Diœceſanis, vel eorum Vicariis faciendam. Notarios verò, qui prædictis monitionibus, & requiſitionibus non paruerint cum effectu, excommunicationis ſententia innodamus.

RUB. XXVII.

De bannis contra Clericos, & ſtatutis Laicorum examinandis per Epiſcopos.

DUm per felicis recordationis Venerabilem in Chriſto Patrem Dominum Goffredum, miſeratione Divina Presbyterum Cardinalem tunc Apoſtolicæ Sedis Legatum in quibuſdam partibus Lombardiæ, nec non per bonæ memoriæ quondam Ottonem prædeceſſorem noſtrum quibuſdam edictis, & ſtatutis pro animarum ſalute, & conſervatione Eccleſiaſticæ libertatis, illa recenſentes, & etiam innovantes in præſenti Concilio Provinciali ſtatuimus, & providè ordinamus omnia banna, ſtatuta, præcepta, & ordinamenta, quocumque nomine cenſeantur, hactenus facta, & quæ in poſterum contigerit attentari per quoſcumque Rectores, Univerſitates, Conſiliarios, & Dominos temporales contra Deum, & Eccleſiaſticam libertatem, vel perſonas Eccleſiaſticas, ſeu contra Eccleſias, bona, & jura illarum, fore irrita ipſo jure, & de ipſorum libris totaliter abolenda, nec aliqualiter obſervanda; Tranſgreſſores autem decernimus excommunicationis vinculo ſubjacere, huic adjicimus ſanctioni, quòd quælibet Univerſitas, & Commune noſtræ Provinciæ in ſuo ſtatutario ponere teneatur, quòd ſi aliquod ſtatutum contra prædicta, ubi ſit, vel impoſterum conſcribetur, Rectores, vel Univerſitates, ſeu aliqua, ad ejus abſentiam minimè teneantur ex vigore alicujus promiſſionis, vel juramenti præſtiti, vel

præ-

præſtandi. Ipſæque Univerſitates, Conſiliarii, Conſules, & Rectores librum ſtatutorum, vel ſtatuta ſua Antiſtiti proprio, & Archipræſuli, ſeu ejus Vicario eligendum, & examinandum annis ſingulis tradere teneantur in totum fideliter ſinè fraude, ut videri, & examinari poſſit, an ibi ſit contra quicquid Eccleſiaſticam libertatem, vel derogationem Fidei Orthodoxæ; quoties ex parte ipſius ſuper hæc ipſi, vel Majores, ſeu Rectores Univerſitatis ſuerint requiſiti, & ad ejus monitionem emendent, & corrigant quicquid ibi fuerit contra Fidem Catholicam, vel in derogationem Eccleſiaſticæ libertatis, ſeu in Ecc leſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum præjudicium, & jacturam ſive directè, aut etiam indirectè. Quod ſi facere contempſerint, & ipſa Univerſitas Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto, & Rectores, & Conſiliarii, & Conſules excommunicationis incurrant ipſo facto ſententiam. Ordinarii verò lo orum prædicta exequi ſtudeant, & ſe in prædictis non exhibeant negligentes. Oppreſſionibus, violentiis temerariis, & effrenatis, quas innocentes à nocentibus patiuntur aſſiduè, occurrere, prout eſt poſſibile, cupientes ſtatuimus, & ſancimus præſenti approbatione Concilii, quòd aliqua perſona civitatis, vel diœceſis, aut provinciæ Mediolanenſis, ſeu quæ degerit intra illas, Eccleſiaſtica, vel ſecularis, Univerſitas. Capitulum, vel Conventus abſque Dioceſani proprii, aut ejuſdem Vicarii auctoritate, licentia, vel mandato, aut alterius Judicis competentis ex delegata aut ordinaria poteſtate, aliquem Archipræſulem, ſeu Pontificem, aut cujuſvis Eccleſiæ, Monaſterii, Hoſpitalis, aut alterius pii loci Prælatum, ſive Clericum, vel Rectorem intra ipſas Civitates, Dioceſim, aut Provinciam, qui ad præſens eſt, poſtquam canonicè inſtitutus fuerit ad eandem, vel poſſeſſionem obtinet ad præſens, vel obtinuerit pacificam auctoritate Judicis competentis ipſ rum dignitatis Eccleſiaſticæ, Hoſpitalis, vel præbendæ, Monaſterii, vel etiam pii loci, ſpoliare quomodolibet non præſumat illis, aut illarum perceptione, ſeu percipiendi ex ipſis redditus, & proventus in totum, vel ipſarum magna parte, niſi fortè ipſe inſtitutus, vel poſſeſſionem adeptus modo prædicto foret illa privatus perpetuò, vel declaratus per legitimam ſententiam competentis Judicis, ſive juris poſt legitimam inſtitutionem, ſive poſſeſſionis acquiſitionem aut per ſe, aut per alium illi occultè, vel publicè timorem incutere, ſeu minas, ſive quidquam extra judicium dicere, facere, vel tractare propter quod veriſimiliter timere habeat reſidere apud illum, vel neceſſe diſ edere ab eadem, neque præſumat quicquam facere vel tractare per ſe, vel per alium, ſeu alios aliquos adhærentes inducere, propter quod ipſi inſtituro vel poſſeſſori de illa, & ipſius juribus, & redditibus non reſpondeatur plenariè, ſicut priùs neque inducere vel ſuggerere quibuſcunque, & maximè ſubditis, vel hominibus etiam ſecularibus ipſius dignitatis, vel juriſdictioni ejus ſubjectis aut ſuppoſitis quovis modo, ut ipſi Prælato, Archipræſuli, vel Antiſtiti, vel Rectori non intendant, vel obediant, ſicut priùs, ſeu ab ejus obedientia aliquatenus reſipiſcant, vel ut conſpirationem ſive legam, vel conjunctionem, ſeu confœderationem faciant de perſequendo, vel moleſtando eum, vel in ſua poſſeſſione aliquatenus perturbando, aut de juriſdictione, ſtatu, vel honore, aut quiete illius minuendis; quoslibet verò alicujus prædictorum temerarios tranſgreſſores tam Clericos, quàm Laicos, ex nunc auctoritate præſentis Concilii excommunicationis vinculo decernimus ſubjacere ac fore privatos, ſi Laici fuerint in obitu, niſi condignè ſatisfecerint, Eccleſiaſtica ſepultura, ipſoſque fore inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica obtinenda; ſi verò Clerici fuerint, eoſdem, præter excommunicationem prædictam, omnibus beneficiis Eccleſiaſticis, quæ obtinuerint, privamus perpetuò, aliis perſonis liberè conferendis. Univerſitatem verò, Capitulum & Conventum, quæ exceſſerit in aliquo præmiſſorum; ſive major pars ejus exceſſerit, vel ejus Conſiliarii, vel Rectores, aut quæ non prohibuerit prædicta quàm citò poterit prohibere, certificatis vel requiſitis ejus Rectoribus ſuper his, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, ex vigore præſentis Concilii, nec non terram, & locum ejuſdem interdicto generaliter ſubjacere decernimus, ſi monita, vel ejus Rectores non emendaverit, & in totum ſinè fictione revocari non ſecerit temerè innovata ab illa die in antea, qua etiam ſolus Diœceſanus loci ſinè aliquorum requiſitione, dixerit publicè, vel nunciaverit terram, & locum ex cauſa hujuſmodi ex vigore præſentis Concilii interdictos. Ad cognitionem quoque, & executionem præmiſſorum, & in prædictis, per Diœceſanum proprium, vel ejus Vicarium ſtatuimus ex officio poſſe procedi de plano ſinè ſtrepitu judicii & figura.

RUB. XXVIII.

De ſubſidio faciendo Epiſcopo exulanti per illos de Provincia.

ET ſi ad opera pietatis, & ſubjectiones impendendas quibuslibet Catholicis indigentibus, notis videlicet & ignotis ex Eccleſiarum redditibus, univerſi Clerici & Prælati obnoxii ſint cenſendi; quanto fortiùs tenentur ſibi ad invicem habentes egentibus mutuo ſubſidio ſubvenire, præſertim Sacerdotes & inferiores Prælati, qui diſcipulorum ſeptuaginta duorum loca tenent ſubſidium habendum (ſi) egentes fuerint Pontifi ibus impartiri, qui Apoſtolorum typum gerunt in Eccleſia militante, & Epiſcopi Coepiſcopis, & maximè Comprovincialibus ad hæc tenentur? omne quippe genus conſuevit ſecundùm naturam in ſuo congenere delectari & cumpati multùm illi; ſanè ſicut ipſa magiſtra rerum efficax experientia manifeſtat, & noſtris temporibus novimus ſæpiùs accidiſſe intra Italicas partes, & præcipuè intra Mediolanenſem provinciam, plerique Pontifices tum peſte tyrannica, tum perfidia civium faciente, extra civitates & ſedes proprias exularunt, bonis & redditibus Ecclеſiaſticis ſpoliati, quaſi miſerabiliter mendicantes; ea propter præſenti provinciali Concilio approbante providemus ſalubriter & ſancimus ad exulantium Pontificum indigentiam ſublevandam, & ad caritatem Clericorum mutuam & debitam conſervandam, ac Cleri opprobrium abolendum, quòd ſi de cetero contigerit Archipræſulem Mediolanenſem vel quemquam Antiſtitem Mediolanenſis provinciæ ſuffraganeum extra civitatem & diœceſim propriam exulare propter tyrannicam peſtem, ſive aliquorum civium perfidiam, aut perſecutionem populi ſævientem, ſeu partialitates inibi vigentes, ſchiſma, vel cauſam aliam conſimilem, eo quòd non audeat, vel non poſſit in propria ſede manere, & liberè officio ſuo fungi, quælibet alia civitas, locus & burgus, ejuſque Clerus & Populus ejuſdem provinciæ eumdem ibi reſidere vo-

A volntatem teneantur benignè recipere ex parte ipſius requiſiti, ipſumque dum reſederit ibi caritativè tractare, & ipſe Metropolitanus, ſive Antiſtes, ibi reſidens poſſit in illa Civitate, Burgo, vel Loco auctoritate præſentis Concilii juriſdictionem tam contentioſam, quàm voluntariam in ſuos dumtaxat ſubditos, & Parochiam propriam, ac pro ſuis & Eccleſiarum ſuarum, Clericorum & Parochianorum ſuorum negotiis, & contra illos, ut expediens fuerit, exercere, & liberè illa uti, & quòd illius Civitatis, burgi & loci Diœceſanus, aut Capitulum Sede Vacante, ſeu illius Vicegerens, ſi requiſitus fuerit, eidem ſtatim debeat licentiam impartiri ſuper juriſdictione hujuſmodi exercenda; alioquin ingreſſum Eccleſiæ ex vigore conſtitutionis præſentis ipſo facto B ſibi noverit interdictum; Civitatem verò, locum & Burgum, ejuſque Populum & univerſitatem, non recipientes eumdem benignè, vel reſidere ibi minimè permittentes, aut ſe ſuper hæc difficiles exhibentes, etiam ſi tantùm Majores vel Rectores ipſius Civitatis fuerint in culpa, ex nunc uſque ad ſatiſfactionem condignam Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto; Conſiliarios, Conſules & Rectores ejuſdem in his ſcriptis excommunicationis vinculo innodamus, dummodo ille burgus, vel locus ſit talis, in quo ad ingrediendum & egrediendum, & hoſpitandum recipiantur communiter alii tranſeuntes, vel non ſit talis, in quo non permittantur aliqui alienigenæ, C vel pauciſſimi introire. Civitatem verò propter cauſam prædictam à receptione ipſius exulantis, & ibi reſidere volentis à dicta pœna non intelligimus excuſari, quam pœnam ipſam Civitatem decernimus incurrere, quando ipſe burgus, vel locus his inobediens ad juriſdictionem pertinet ipſius Civitatis de facto poſſidentis dominium ſuper illum, ex quo ſciens non purgaverit ejus culpam, quam quidem excommunicationem & interdictum per Diœceſanum loci, aut ejus Vicarium per ſe, vel per alios ſæpiſſimè, & in multis locis publicari jubemus, & inviolabiliter præcipimus obſervari; quod ſi requiſitus non fecerit, ab ingreſſu Eccleſiæ ſit ſuſpenſus.

D Præterea ut inter Comprovinciales Antiſtites individuæ unionis vigere vinculum opere comprobetur, & erga ipſos foveri ab inferioribus filialis reverentia, dilectio intima, & fervor affectionis pleniùs declarentur, quemadmodum ſeptuaginta duo diſcipuli Apoſtolos tamquam Patres proſequebantur ſinceritate puriſſima; huic adjicimus ſanctioni, quòd non ſolùm ad exulantis Præſulis requiſitionem ad Romanum Pontificem, ejuſque Legatum, ſed ad Principem etiam ſecularem ex parte omnium Comprovincialium Præſulum & ipſorum etiam Clericorum pro exponendis violentiis, quæ ipſi Antiſtiti exulanti inferuntur, & aliis in favorem ipſius requirendis, unus Nuncius providus & diſcretus, E quem ipſe Antiſtes ad hoc aſſumpſerit cum ipſorum omnium literis tranſmittatur, non tamen poſſit ad eumdem, quem elegerit, invitum compellere quoquomodo de communi collecta Comprovincialem, & expenſis communibus eorumdem ad certum terminum per Archipræſulem deputandum ſolvenda, quæ collecta per Provinciam inter Coepiſcopos & Cleros Provinciæ proportionaliter dividenda per Archiepiſcopum, prout in ſolutione aliarum Eccleſiarum fieri conſuevit, ac ſolvendum infra menſem, poſtquam per ipſum Antiſtitem fuerit requiſita, ita tamen, quòd poſtquam ſemel miſſum fuerit pro prædictis, non teneantur ulteriùs Nuncium deſtinare: cui quidem Nuncio pro ipſius expenſis qualibet

A die quadraginta ſolidos Imperiales prætaxamus computatis dictis vulgaribus in eundo & redeundo, ſecundùm locorum diſtantiam & temporis qualitatem. Pro ſtando verò ſibi mediam tantummodo ordinamus; Pontifices verò, qui ſe difficiles vel negligentes exhibuerint in præmiſſis, ipſorumque Vicarios difficiles & negligentes ſe exhibentes ſuſpendimus à Divinis; inferiores verò, qui ſolvendo partem eis impoſitam de prædictis, vel in aliis circa hæc malitiam exhibuerint, ſive fraudem, in his ſcriptis excommunicationis vinculo innodamus, & Capitula & Conventus in his ſcriptis delinquentia Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto. Addentes inſuper & firmantes præſentis approbatione Concilii, B quòd ad inſtantiam ipſius exulantis Provinciales Præſules per ſe, vel per alios, quos ad hæc teneri & exequi ſine difficultate poſt requiſitionem ipſius immediatè decernimus, aliàs ex nunc ingreſſum Eccleſiæ noverint interdictum. Univerſitatem & Communitatem, ejuſque Rectores Civitatis, ſic exulare ſuum Antiſtitem vel Pontificem patientes ex ipſorum parte, & totius Cleri Provinciæ per idoneos Nuncios ſeu literas moneant & inducant, ut ipſum Metropolitanum ſuum, (ſeu) Pontificem exulantem infra menſem ſibi reconciliare procurent, & ſic providè ordinare, quòd illi de ſuis juribus & redditibus, ac dignitatis ſuæ reſpondeatur ad plenum, & quòd poſſit in propria Civitate ſecurè & liberè C redire, & ibi officio ſuo fungi; ſi verò ipſorum monitionibus infra ipſum menſem non paruerint cum effectu, vel cum ipſo exulante non duxerint aliter componendum, ex nunc ſtatuimus & ſancimus, quòd ſinguli Diœceſani, aut gerentes vices eorum in ſuis Cathedralibus Eccleſiis, & in multis aliis ſinè dilatione monitionem ex parte ſua, & ex vigore præſentis Concilii juxta requiſitionem exulantis faciant per ſe, vel per alios generaliter publicam & peremptoriam, quòd aliqui de ſuis Civitatibus, & Diœceſibus culpabiles, quos ipſe exulans duxerit nominandos, non recipiant in eiſdem, vel eorum domibus, ſeu hoſpitiis de Civitate ipſius exulantis, in contra facientes excommunicationis ſententiam pro- D mulgando, quos ſingulis diebus Dominicis, aliiſque ſolemnitatibus faciant in ſpecie excommunicatos in multis Eccleſiis publicè nunciari, exponendo, quòd illa Civitas eſt ſacrilega, & Paſtorum Eccleſiæ perſecutrix, ac excommunicationem, & claves Eccleſiæ, & mandata ipſius ſalubria vilipendens, hoſque tales tranſgreſſores conſtitutione præſenti ſuſpendimus, poſt monitionem prædictam excommunicationis vinculo decernimus ſubjacere, nec non ad monitionem, & excommunicationem ſpiritualium & ſingularum perſonarum circa hæc delinquentium debere procedi per ipſos Diœceſanos, ſi ſuper hæc ex parte exulantis fuerint requiſiti, ipſiſque præ- E dicta negligentibus interdicimus ingreſſum Eccleſiæ, & ipſorum Vicarios in his tepidos & remiſſos ſuſpendimus à Divinis, ſtatuentes in ſingulis Conciliis Provincialibus prædicta omnia recitari, & plenam inquiſitionem fieri, utrum per quoslibet obſervata fuerint omnia ſupraſcripta, & culpabiles pœna duriſſima puniendos.

RUB. XXIX.

De caſibus pœnitentialibus Epiſcopis reſervatis, & referendis ad eos pro pœnitentia obtinenda.

NOn ſolùm in foro contentioſo, ſed etiam in foro pœnitentiali nullus ligari poteſt à non

non ſuo judice, vel abſolvi, & quidam pœnitentiales caſus exiſtunt Pontificibus ſolummodo reſervati, in quibus de jure inferioribus poteſtas non competit abſolvendi. Ea propter, ne quiſquam in Sacerdotio conſtitutus circa eos aliquem decipiat, vel potiùs ſemetipſum, præſenti conſtitutione ſancimus, quòd nullus Presbyter inferior Epiſcopo, cujuſcumque dignitatis extiterit regularis, aut etiam ſecularis exiſtens, abſque auctoritate, & præſentia ſui Archipræſulis, ſive Pontificis, vel ejus Vicarii in ſpiritualibus, niſi ſuper hæc Apoſtolicæ Sedis privilegio, aut conſuetudine approbata, vel à jure fuerit præmunitus ad infraſcriptos caſus pœnitentiales ſuam poteſtatem extendat, vel ſe aliquatenus intromittat de aliquibus in foro pœnitentiali, articulo mortis dumtaxat excepto, vel ipſorum aliquo abſolvendis; contra facientem verò Presbyterum ſecularem, vice qualibet in centum ſolidos Papienſes Diœceſani Curiæ condemnamus in pios uſus convertendos, & abſolutionem talem, tamquam à non ſuo Judice factam decernimus nullam eſſe, quos per ſingulos Antiſtites in ſuis conſtitutionibus Synodalibus inſcribi volumus, & haberi.

Primò videlicet de excommunicato quacumque excommunicatione lata ab homine, conſtitutione aliqua, vel à jure.

II. De hæretico credente, vel fautore, vel participatore ſcienter hæretico, & eorum etiam defenſore.

III. De committente incœſtum in tertio gradu, vel proximiori ſanguinitatis, vel affinitatis.

IV. De muliere profeſſa regularem obſervantiam adulterium perpetrante.

V. De contrahente matrimonium de facto cum aliqua, prima uxore viveute, & etiam è converſo.

VI. De ſuſcipiente Ordinem Sacrum, vel Religionem intrante, invita uxore, poſt carnalem copulam ſubſecutam.

VII. De conjuge, qui in mortem alterius cum effectu fuerit machinatus.

VIII. De muliere ex alio viro filium concipiente, quem vir proprius filium credit eſſe ſuum, & tamquam proprium illum nutrierit, vel ſibi partum ſupponentem alienum, & de ad hæc dantibus conſilium, auxilium, vel favorem.

IX. De virginum vi oppreſſarum, vel raptarum defloratione.

X. De perimente prolem propriam ſtudioſè, vel etiam negligenter.

XI. De procurante ſceleritatem in aliqua, vel ſe ipſa quomodolibet, vel abortum.

XII. De perpetrante homicidium ſponte, facto, præcepto, conſilio, vel oratione, vel aliquo quovis modo.

XIII. De commutatione voti, vel ejus juramenti.

XIV. De his criminibus, quibus eſt gravis pœnitentia injungenda.

XV. De Simoniaco quovis modo, præter quàm ſi mortalis fuerit ſimonia.

XVI. De illo, qui detinet illicitè beneficium Eccleſiaſticum, vel bona Eccleſiaſtica ſive jura.

XVII. De incendiariis, & famoſis latronibus.

XVIII. De ſacrilegium committente, & Eccleſiam publicè polluente ſanguinis, aut ſeminis effuſione cujuſquam.

XIX De violatore Eccleſiaſticæ libertatis.

XX. De tonſuratis, vel promotis ad Ordines per alienum Epiſcopum, ſuo Antiſtite non conſulto.

XXI. De celebrante excommunicato, ſuſpenſo, aut etiam interdicto.

XXII. De Presbytero revelante peccatum in foro pœnitentiali ſibi detectum.

XXIII. De celebrante cum ſacris veſtibus ſolemniter & publicè in Sacro Ordine, quem non habeat.

XXIV. De Clerico fornicatore publico, vel concubinario manifeſto; item de Clericis ſcienter recipientibus in Cœmeterio Eccleſiæ vel (in) Eccleſia ſepelientibus corpus ſcienter alicujus excommunicati, ſuſpenſi, vel etiam interdicti.

XXV. De abluente oſtia ſacro Oleo, vel Chriſmate.

XXVI De Sortilegis, Divinis, & Dæmonum invocatoribus.

XXVII. De falſum teſtimonium proferente, vel falſitatis, ſeu falſarii procurante inſtrumentum, literas, vel ſigillum alienum in præjudicium alicujus.

XXVIII. De irrogante patri, vel matri enormem injuriam corporalem.

XXIX. De blaſphemante publicè Deum, vel Sanctos ejuſdem.

XXX. De ſuſpenſis, excommunicatis, vel interdictis, aut tranſgreſſoribus conſtitutionum Provincialium, vel Synodalium Antiſtitis cujuſcumque.

Religioſos verò ſe intromittentes auctoritate propria de abſolutione in aliquo caſu prædictorum, cùm propria careant, ab audientia confeſſionis ſuſpendimus, uſque ad ſatisfactionem condignam juxta Diœceſani arbitrium faciendam; Vicarios verò in ſpiritualibus, ſive Pœnitentiarios, cujuſque Diœceſani in Sacerdotio conſtitutos pœnis & inhibitionibus præſentis conſtitutionis non intendimus alligatos, niſi expreſsè, & ſpecialiter hæc fuerint interdicta. Ceterùm ſi committens aliquod de prædictis criminibus, vel delictis à Confeſſore monitus & inductus venire aliquo modo noluerit ad Diœceſanum proprium, vel ejus Vicarium in ſpiritualibus, ſive Pœnitentiarium Generalem pro obtinenda pœnitentia ſalutari; Si peccatum ejus occultum fuerit, Confeſſor ipſe quàm citiùs commodè fieri poterit, ipſius Diœceſani, vel Vicarii, ſeu Pœnitentiarii expoſcat conſilium ſuper illo. Si autem peccatum ipſum fuerit manifeſtum, peccator ipſe venire præcisè ad dictum Antiſtitem, Vicarium, vel Pœnitentiarium compellatur, niſi foret in mortis articulo conſtitutus, vel impedimento longi temporis, ſive perpetui præpeditus, quo caſu Confeſſor ipſe dicti Præſulis, Vicarii, vel Pœnitentiarii conſilium requirere teneatur.

RUB. XXX.

De fide facienda inſtitutionis poſt acquiſitam poſſeſſionem beneficii coram Diœceſano proprio, vel ejus Vicario.

SÆpe contingit, quòd aliqui minùs canonicè, alii verò per eos, ad quos non pertinet, inſtituuntur de facto ad Eccleſias, & Præbendas; plerique autem ad illas temeritate propria ſe intrudunt; ea propter ignorantiam facti & eorum, quæ in facto conſiſtunt, Diœceſanis locorum hæc ignorantibus, Eccleſiæ ipſæ per tales detinentur illicitè occupatæ. Quapropter volentes animarum periculis obviare, & inſtitutiones illicitas corrigere, ſicut decet, aliiſque intruſionibus præcludere remediis opportunis, præſenti conſtitutione ſancimus perpetuò valitura, quòd quicumque de cetero in Civitate, ſeu Diœceſi, vel Provincia Mediolanenſi adipiſcetur,

tur, vel obtinuerit dignitatem, rectoriam, beneficium, vel præbendam alicujus Eccleſiæ Regularis vel Secularis, Monaſterii, Hoſpitalis, A vel alterius Pii Loci ab alio, quam à ſuo Diœceſano, Epiſcopo ſeu Archipræſule, ſive etiam ab alio, quàm ab ipſo inſtitutus vel confirmatus fuerit ad eaſdem, poſtquam ipſius Eccleſiæ, Dignitatis, Hoſpitalis, Rectoriæ, Beneficii, vel Præbendæ poſſeſſionem pacificam habuerit, vel per eum ſteterit, quo minus eam fuerit aſſecutus, quamvis de illa quæſtionem in judicio patiatur, faciat plenam fidem, infra menſem de ſua inſtitutione exhibens ſui tituli & inſtitutionis jura coram proprio Diœceſano, Pontifice, ſeu Archipræſule, aut ejus Vicario Generali inſpicienda & examinanda per eum, & perſo- B naliter compareat coram eo, juſto impedimento ceſſante, ut qualis ſit inſtitutus hujuſmodi cognoſcatur. Qui verò, legitimo & juſto impedimento ceſſante, prædicta contempſerit obſervare, à perceptione fructuum & adminiſtratione, uſque ad ſatisfactionem condignam, ipſius Dignitatis, Beneficii, Rectoriæ, & Præbendæ ex vigore præſentis Concilii ſit ſuſpenſus. Et ſi per annum ſic ſuſpenſus permanſerit, ipſa Dignitate, Rectoria, Præbenda, & Beneficio perpetuò ſit privatus alii perſonæ liberè conferenda, & ad conſcribendum talium jurium productiones, & præſentationes, per ſingulos Diœceſanos deputari jubemus unum, vel duos Notarios fide dignos, ceteris hæc conſcribendi C licentia interdicta, ne his fraus aliqua committatur.

RUB. XXXI.

De Apoſtatis non promovendis ad dignitates, vel Parochiales Eccleſias, ſeu alia Eccleſiaſtica beneficia.

EVagandi materiam à Religioſis quibuslibet noſtræ Civitatis, ac Diœceſis, & Provinciæ Mediolanenſis amputare volentes, & apoſtaſiæ vitium, in quantum poſſumus, extirpare, ac animarum ſaluti ſalubriter providere, præſenti noſtro approbante Concilio ſtatuimus, & ſancimus, quod nullus Monachus, vel regularis Canonicus, ſeu alius regularis cujuſcumque D ordinis vel profeſſionis exiſtat, qui Monaſterium vel locum, in quo morari deberet, & in ipſo ſecundùm regulæ ſuæ profeſſionem Domino famulari, exierit, vel propter ejuſdem defectus & vitia per Prælatum ſuum, & Fratres fortaſſis expulſus, aut temeritate propria, laſciviendi causâ recedens, apoſtaſiæ vitium incurrendo, quamdiu in eadem enormitate, & apoſtaſia permanſerit, eligatur, poſtuletur, præſentetur, ſive nominetur ad aliquam dignitatem vel perſonatum Regularem vel Secularem, cum Cura vel ſine Cura, ſive Parochialem Eccleſiam, vel ad aliquod beneficium Eccleſiaſticum, ſive de ipſis, vel eorum altero provideatur, vel conferatur eidem; alioquin omnes & ſingulas electio- E nes, poſtulationes, præſentationes, nominationes, proviſiones, & collationes, quas contra præſentem conſtitutionem fieri contigerit, ipſo facto ex nunc decernimus eſſe nullas, & ex ipſis electionibus, poſtulationibus, præſentationibus, nominationibus, proviſionibus, & electionibus præfati perſonis nullum volumus jus acquiri, ipſoſque, ſi eiſdem conſentire, & eas proſequi præſumpſerint, & à præſentatione non deſtiterint, per locorum Ordinarios legitimè moniti, in his ſcriptis excommunicationis ſententia innodamus.

RUB. XXXII.

De regiſtris, & extimis faciendis de bonis Eccleſiarum, ut collecta & onera æqualiter perſolvantur.

QUoniam, ſicut experientia facti nos edocuit manifeſtè, in exigendis & ſolvendis taleis, & collectis, ac oneribus ſubeundis, quæ in noſtra Civitate, Diœceſi, & Provincia Mediolanenſi imponi contingit tam per Legatos Sedis Apoſtolicæ, & ejus Nuncios, quam aliis, Eccleſiæ, Monaſteria, & alia Pia Loca, Clerici, & perſonæ Eccleſiaſticæ plurimùm aggravantur pro eo, quòd ſecundùm facultatum potentiam inter ipſas Eccleſias, Monaſteria, & alia Pia Loca, Clericos, & perſonas Eccleſiaſticas non diſtribuuntur per illos, per quos eſt ipſa diſtributio facienda, ſed potiùs indiſcretè minùs habenti in facultatibus plus ex ipſis, & plus habenti minùs imponitur contra Canonicas ſanctiones. Volentes itaque huic morbo ſalubriter providere, & ſcandali materiam à noſtris ſubditis amovere, præſenti Concilio approbante ſancimus, quòd quilibet Prælatus, Rector, Præpoſitus, Capitulum, & Conventus tam Regularis, quàm Secularis, Eccleſiæ, Monaſterii, Hoſpitalis, & alterius Pii Loci per noſtram Civitatem, Diœceſim, & Provinciam conſtitutus, aſſumptus, aut etiam aſſumendus in poſterum, etiam ſi Pontificali præfulgeat dignitate, inventarium, ſeu regiſtrum de novo de bonis ad eaſdem Eccleſias, Monaſteria, Capitula, & Conventus, & alia Pia Loca ſpectantibus fideliter, & abſque fraude ſeriatim infra ſex menſes à publicatione præſentis conſtitutionis facere teneatur, ipſumque inventarium ſeu regiſtrum Archipræſuli, ſeu Antiſtiti proprio, vel ejus Vicario præſentare infra terminum prælibatum: ipſe quoque Antiſtes teneatur, & debeat ſecundùm inventarium hujuſmodi, & vires & facultates locorum ſuperiùs poſitorum unà cum aliquibus bonis viris expertis, quos de ſua Civitate, & Diœceſi duxerit aſſumendos æſtimum facere bonorum & facultatum in eodem inventario poſitarum, ita quòd ſecundùm æſtimum, ſive æſtimationem prædictam collectarum & talearum fieri valeat diſtributio inter ipſos Rectores, Prælatos, Eccleſias, Monaſteria, Capitula, & Conventus, & alia Pia Loca, cùm ab eis fuerint perſolvenda, prout magis vel minùs ex ipſo æſtimo fuerit per loci Diœceſanum, vel ejus Vicarium facienda; de quibus regiſtris & inventariis & taxationibus ſive æſtimis, quæ æſtima infra alios ſex menſes prædictos immediatè ſequentes per locorum Diœceſanos fieri volumus, & mandamus, librum conſcribi manu publica per ſingulos Diœceſanos noſtræ Provinciæ eorum expenſis præſenti ſanctione jubemus, ut ad ipſum, cùm opus fuerit, valeant habere recurſus. Pontifices autem, & eorum Vicarios, qui contra fecerint, vel in præmiſſis tepidi fuerint, vel remiſſi, à Divinis Officiis ſuſpendimus in his ſcriptis. Prælatos verò, Rectores, & Clericos cujuſcumque ordinis & conditionis exiſtant, contrarium facientes, excommunicationis ſententia innodamus. Capitula verò, & Conventus Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto. Conſtitutionem præſentem tam ad Clericos præſentis temporis, quàm futuri, decernentes ſibi locum per omnia vendicare.

RUB.

RUB. XXXIII.

De habitu honeſto portando per Prælatos, & Canonicos Cathedralium, ac Rectores Parochialium Eccleſiarum.

QUia incompoſitio corporis incompoſitionem mentis indicat, propterquod quarumdam veſtium modus Clericalem modeſtiam dehoneſtat, præſenti conſtitutione, ſacri approbatione Concilii ſancimus, ſtatuimus, & firmamus, quòd nullus Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, ſeu Prælatus, vel Rector regularis vel ſecularis Collegiatæ, vel Parochialis Eccleſiæ, cujuſcumque ordinis & conditionis exiſtat, intra Civitatem, Diœceſim, & Provinciam Mediolanenſem conſtitutus capucium ad formam, ſicut vulgariter dicitur, ſupra caput portare præſumat, ſed circa collum, vel poſt collum portent capitium omnes & ſinguli ſupradicti, & birretum ſupra capita deferant, attonſis capillis, & decenti corona, ut ſicut à Laicorum cœtu ſeparati eſſe noſcuntur, etiam ab ipſis vita, & moribus dividantur; alioquin contrarium facientes in viginti ſolidos Papienſes pro qualibet vice in uſus pios convertendos Antiſtitis proprii Curiæ condemnamus.

RUB. XXXIV.

Contra ſeculares Poteſtates capientes Nuncios Eccleſiaſticæ Curiæ, & non permittentes literas ipſius Curiæ ſibi portari.

DEteſtandæ quorumdam improbitatis Secularium Poteſtatum abuſum non verentium capere in diſpendium Eccleſiaſticæ libertatis, & animarum ſuarum periculum Nuncios Eccleſiaſticæ Curiæ, cùm per eam ipſis Poteſtatibus Nuncios deſtinari contigit, ac etiam impedire, ut ſibi literæ Eccleſiaſtici Judicis præſentari non poſſint, propter quæ Clericorum jugulationem, & rerum Eccleſiaſticarum amiſſionem provenire, experiri didicimus, reprimere cupientes, præſenti valitura conſtitutione ſancimus, ſacro Concilio approbante, quòd nullus deinceps Vicarius, Rector vel Poteſta, vel Judex ſecularis quocumque nomine cenſeatur, cujuſcumque ſtatus vel conditioni extiterit, Civitatis, Caſtri, Burgi, Villæ, vel Loci intra noſtram Civitatem, Diœceſim, & Provinciam conſtitutus, vel ipſorum locorum univerſitas Nuncios, ſive Nuncium Archiepiſcopalem vel Antiſtitis alicujus, ſeu alterius Eccleſiaſtici Judicis, vel ejus Curiæ, noſtræ Provinciæ, capere vel capi facere aut mandare, ſeu permittere per Miniſtros ejus id fieri, ſeu in perſona, vel bonis offendere quoquomodo præſumat, cùm ad eos pro aliquibus literis præſentandis, vel ambaſciatis faciendis per ipſos Archipræſulem, Antiſtitem, vel Eccleſiaſticum Judicem fuerint deſtinati, nec impedire quovis modo, quin ipſi Nuncii poſſint ad eos pro prædictis accedere faciendis, & litera prædictorum Antiſtitum, & Judicum Eccleſiaſticorum præſentare eiſdem, alioquin in ſingulares perſonas quaslibet contrafacientes excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis; univerſitatem verò, cujus omnis, vel major pars, vel conſiliarii contrafecerint, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto. Poſtquam autem Archipræſuli, ſive Antiſtiti, vel alteri Eccleſiaſtico Judici conſtiterit de malitia præfata, & contemptu Vicarii, Rectoris, Poteſtatis, & Miniſtri ſuperiùs poſitorum, liceat eis ambaxatam, monitionem, literas & proceſſus, quos idem ſecularis Vicarius, ſive Rector, ſive Univerſitas, vel alii, ut ſuperiùs expreſſum eſt, ſibi fieri vel præſentari prohibuit, & quæ contra ea ſubſequenter fuerint facienda per Eccleſiaſticum Judicem, dicta excommunicatione durante, publicare & publicari facere in ſuis Eccleſiis, vel aliis loco, ſeu locis vicinis, prout ſibi fieri poſſe commodiùs viſum fuerit expedire, & ipſæ monitiones, literæ & proceſſus, & earum pœnæ ſic arctent univerſitates eaſdem, & Judices ſeculares, ac alios ſupraſcriptos, ſicut eis præſentatæ, & factæ perſonaliter extitiſſent.

Ut igitur circa conſtitutiones, proviſiones, & ordinationes per nos Caſtonum Archiepiſcopum ſupradictum, & jure Metropolitico Mediolanenſis Provinciæ præſidentes editas conſultè de conſilio, & cum deliberatione noſtri Provincialis Concilii in Civitate Pergami, videlicet in Eccleſia Sancti Bartholomæi Pergamenſis, & in ipſo Concilio ſolemniter publicatas ab omnibus Civitatibus, & Diœceſibus Provinciæ Mediolanenſis ad ipſarum obſervationem diligentiùs attendatur, ſtatuimus & firmamus, quòd ad illas obſervandas, & ad ea, quæ continentur in ipſis poſt ſex menſes à die publicationis ipſarum in præſenti Concilio numeranda diſtrictiùs teneantur ſuper ipſorum obſervatione, qualibet perſonas, Univerſitates, Collegia, Capitula, & Conventus perhibente ac publicè admonentes. Conſtitutiones verò quaſcunque hactenus editas per noſtros prædeceſſores, ac ipſarum auctoritate, & contenta in eis præſentibus contrarias totaliter abrogamus. Alias verò præſentibus non contrarias in ſuo robore volumus permanere, mandantes ipſas inviolabiliter obſervari. Inſuper nobis auctoritatem plenariam reſervamus, conſtitutiones prædictas per nos editas, & in præſenti Concilio promulgatas interpretandi, declarandi, mutandi, & corrigendi, ac diſpenſandi contra illarum ſingulas, ubicumque, & quotieſcumque nobis videbitur expedire. Nos tantùm Diœceſanis Epiſcopis noſtræ Eccleſiæ ſuffraganeis in ſuis Civitatibus, & Diœceſibus, & cum ſubditis ſuis contra illas diſpenſandi per ſe, vel per alios in caſu diſpenſabili non prohibito à jure communi, facultatem diſpenſandi, immo eis & eorum cuilibet facultatem diſpenſandi contra ipſas, & abſolvendi eorum ſubditos ligatos per ipſas conſtitutiones ab excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti, ac aliarum pœnarum ſententiis plenam & liberam concedimus poteſtatem; & ut circa hæc nulla poſſit ignorantia allegari, ſtatuimus, & jubemus, quòd ſinguli Diœceſani Epiſcopi Mediolanenſis Eccleſiæ Suffraganei, aut gerentes vices eorum per ſe, vel per alios uſque ad menſes quatuor proximo in forma publica de ipſis noſtris conſtitutionibus copiam ab aliquo ex Notariis noſtris recipere ſtudeant, & habere, ut eorum ſubditis copiam facere poſſint quandocumque: quarum copiam, ſive exemplar tranſcriptum authenticum in pluribus Eccleſiis ſuarum Civitatum & Diœceſium faciant exhiberi, ipſaſque in ſuis Synodalibus Conciliis recitari, & ea, quæ continentur in ipſis, obſervari faciant diligenter. Volumus etiam, & mandamus eiſdem Suffraganeis noſtris, & eorum Vicariis, ut præſentes conſtitutiones noſtras ſaltem ſemel in anno per ſuas Civitates, & Diœceſes faciant publicari, mandantes de prædictis conſtitutionibus, & publicatione earum, ac aliis ſupradictis unum vel plura, per Gaffanum Grilium, & Bu-

A

linum de Nicolao Notarios noſtros, ac ipſorum quemlibet fieri inſtrumenta, quæ quidem inſtrumenta ad majorem firmitatem mandamus noſtri Sigilli munimine roborari.

FActæ fuerunt, editæ, & publicatæ, & promulgatæ conſtitutiones prædictæ, & alia omnia ſupradicta in loco ſupradicto per ipſum D. Caſtonum Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, & de mandato ipſius lectæ & recitatæ in præfato Concilio legitimè convocato & congregato, præſentibus Venerabilibus Patribus Dominis Cypriano Dei gratiâ Epiſcopo Pergamenſi, & multis de Clero Pergamenſi:

B

Abdono Dei gratiâ Epiſcopo Aqueoſi, & D. Roberto Vicecomite Archipresbytero & Procuratore Capituli, & DD. Matthæo Vicecomite Cimiliarcha, & Alberto de Buſnate, ac Lombardo de la Turre pro ſe, & D. Rainoldo de la Turre, cujus eſt Procurator Ordinarius Eccleſiæ Mediolanenſis, & multis Abbatibus, Præpoſitis, Prælatis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis Civitatis, & Diœceſis Mediolaneoſis,

Et præſentibus DD. Euſebio de Tronzano Vicario & Procuratore Ven. P. D. Uberti Dei gratiâ Epiſcopi Vercellenſis, & D. Martino Archidiacono Vercellenſe Sindico & Procuratore Capituli Eccleſiæ Vercellenſis, & univerſi Cleri Civitatis & Diœceſi Vercellenſis,

C

D. Franciſco de Valperga Archipresbytero Plebis de Caooli Sindico & Procuratore Ven. P. D. Guidonis Epiſcopi Aſtenſis, & Capituli Cathedralis Eccleſiæ, ac totius Cleri Civitatis, & Diœceſis Aſtenſis,

Et D. Philiberto Antonio Archipresbytero Plebis de Finario Sindico & Procuratore Ven. P. D. Jacobi Dei gratiâ Epiſcopi Saonenſis, & Capituli Cathedralis Eccleſiæ, ac totius Cleri Civitatis, & Diœceſis Saonenſis,

Et Domino Petro de Vellate Sindico & Procuratore Ven. P. D. Ottonis Dei gratiâ Epiſcopi Vigintimilienſis, & Capituli Eccleſiæ Cathedralis, ac totius Cleri Civitatis, & Diœceſis Vigintimilienſis,

D

Et D. Maſſeo de Madiis Archidiacono Buxeti Procuratore Ven P. D. Federici Dei gratiâ Epiſcopi Buxeti, cùm Clerum mittere non potuiſſet, eo quòd Civitas Buxeti eſt obſeſſa,

Et D. Euſebio de Trunzano Vicario D. Epiſcopi Novarienſis, & Procuratore Cleri & Civitatis, & Diœceſis Novarienſis,

Et D. Gaudo de Colzinaria Canonico Terdonenſi, Fratre Jacobo de Cagnano Monacho Monaſterii Sancti Martini Marciani, & Petro de Sarzano Archipresbytero Plebis de Nicolardario Sindico & Procuratore Ven. P. D. Fratris Jacobi Epiſcopi Terdon. Capituli Eccleſiæ Cathedralis, & totius Cleri Civitatis & Diœceſis Terdon.

Et Domino Moctello de Benedictis Sindico & Procuratore Ven. P. D. B. Dei gratiâ Epiſcopi Cremonenſis, & Capituli Cathedralis Eccleſiæ, ac totius Cleri Civitatis, & Diœceſis Cremonenſis,

Et D. Raſtagrio Vicario ac Sindico & Procuratore Ven. P. D. Fratris Raimundi Electi Albenſis,

Et D. Pas Archipresbytero Pagazani Vicario & Sindico ac Procuratore Ven. P. D. Egidii Dei gratiâ Laudeoſis Epiſcopi, & Capituli Eccleſiæ Cathedralis, ac totius Cleri Civitatis, & Diœceſis Laudenſis,

Et D. Archipresbytero Eccleſiæ Ipporedienſis, ac Capituli Eccleſiæ Cathedralis, totiuſque Cleri Civitatis, & Diœceſis Ipporedienſis,

Et D. Fratre Petro Abbate Monaſterii Sancti Petri de Bergolia pro ſe, & Procuratorio nomine Archidiaconi & Capituli Alexandriæ,

Ipſiſque DD. omnibus Epiſcopis, Vicariis, & Procuratoribus, & Sindicis Mediolanenſis Provinciæ, ac præfatis Ordinariis, ſuperiùs nominatis, & multis aliis Clericis Civitatis, & Diœceſis Mediolanenſis ibi congregatis, & eiſdem approbantibus, & conſentientibus, & etiam ex parte dicti D. Archiepiſcopi, mandato & licentia, monitione præmiſſa, quòd ſi quis volebat ipſis conſtitutionibus in aliquo contradicere, vel non aſſentire, ſtatim ante exitum Eccleſiæ ſe ſcribi faceret per unum ex Notariis ſuis ibi præſentibus, vel nomen ſuum daret in ſcriptis, ut contradictores diſcerni poſſint ab aliis: & nullo apparente ad faciendum ſcribi, & ad dandum in ſcriptis nomen ſuum, ut ſupra, diu ſuper hæc omnibus expectatis.

Anno MCCCXI. Indictione Nona, V. menſis Julii, præſentibus Dominis Conrado de Camarino, Berardo de Arecio Vicario dicti D. Archiepiſcopi, D. Tomaxino de Græcis Civitatis Pergamenſis, & aliis multis ad hæc vocatis teſtibus & rogatis.

Deſunt in MSto Ambroſiano ſubſcriptiones Epiſcoporum.

CHRONICON

FRATRIS

FRANCISCI PIPINI

BONONIENSIS

ORDINIS PRÆDICATORUM

Ab Anno MCLXXVI. uſque ad Annum circiter MCCCXIV.

Nunc primùm in lucem effertur

EX MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ ESTENSIS.

Digitized by Google

IN CHRONICON

FRATRIS

FRANCISCI PIPINI

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

QUis fuerit, & quae ſcripſerit Frater *Franciſcus Pipinus*, cujus Chronicon nunc ſum primo evulgaturus, jam intellexerit Lector ex altera Praefatione mea ad *Bernardum Theſaurarium* in antecedente Tomo VII. editum. Sed nunc res poſcit, ut quaedam heic repetam, eaque adjiciam, quae hominem non alium de notum, ſed memoria certe digniſſimum, ſerae poſteritati commendent. Fuit is patria Bononienſis, ibique in nobiliſſimo Coenobio Sancti Dominici nomen ſuum dedit Ordini Praedicatorum, atque ibi plerumque habitaſſe videtur. Familiam *Pipinam* illuſtrem fuiſſe in Foro Livii, animadverti. Qualis autem Bononiae foret, nondum deprehendi. Illud tamen mirum, ne unum quidem verbum de Pipino noſtro factum a Leandro Alberto ejus conterraneo, atque ejuſdem Ordinis Scriptore clariſſimo, uti neque a Rovetta in Bibliotheca Praedicatorum. Nunc autem beneficio Bibliothecae Eſtenſis, quae nonnullos ejus foetus manu vetuſtiſſima exaratos complectitur, Pipinum, ut ita dicam, vitae reſtituere licet. Vir ergo iſte literarum ſtudio enixe deditus, *de Vulgari*, hoc eſt de Venetorum Dialecto, *in Latinam Linguam convertit* Anno MCCCXX. aut citius, *Librum honorabilis & fidelis viri Domini Marci Pauli de Venetiis de conditionibus & conſuetudinibus Orientalium regionum*. Codicem membranaceum hujus verſionis, & fortaſſis autographum, Eſtenſis Bibliotheca adſervat. Hujus autem Libri, praeter antiquam editionem Venetam, alteram quoque habemus a Reinero Reineccio procuratam Anno 1585. atque ejus verſionem Italicam Tarviſii editam Anno 1590. & a Ramuſio inlatam in collectionem ſuam. Gerardus Johannes Voſſius Lib. 2 cap 60. de Hiſtoricis Latinis, Hiſtoriam Marci Pauli laudat; tum ſubdit, non defuiſſe *eadem aetate, qui ſaltem, ut poſſet, Latine verteret; hoc eſt ſemibarbare, ut iſtoc ſeculo ſolent*. Verum Pipinus Interpres, neſcio an Voſſio notus, a Marco Paulo non paucis annis abfuit, neque fortaſſe inter ſemibarbaros computandus, quamvis certe ad Latinae Linguae puritatem minime accedat. Ad haec Scriptor iſte ſervavit nobis, Latinamque fecit Gallicam Hiſtoriam *Bernardi Theſaurarii de Acquiſitione Terrae Sanctae*, quam ex Codice Eſtenſi primum evulgavi in antecedente Tomo VII. Collectionis hujus. Occurrit etiam in laudata Bibliotheca Eſtenſi MStus Codex complectens *geſta Alexandri Magni*: tum *geſta Julii Caeſaris*; & demum *geſta Octaviani Imperatoris*, ſingula a male feriato quoppiam Seculorum rudium Auctore ad Romanenſis fabulae morem deſcripta. Pone ſequitur brevis, ſed fabuloſa, narratio de *aedificatione Urbis Mediolani*. Succedit in eodem Codice *Libellus ſanitatis conſervandae, factus & adinventus per probiſſimum virum Magiſtrum Taddaeum Artis Medicinae in Civitate Bononiae Doctorem*. Hunc Ricobaldus & Pipinus noſter inter ſui temporis Medicos eximios recenſent. Tamdem ibi legitur Itinerarium breve Auctoris noſtri, ejus, ut opinor, manu ſcriptum, hunc titulum in fronte praeferens: *Iſta ſunt loca ſacrae venerationis, quae ego Frater Franciſcus Pipinus de Bononia Ordinis Fratrum Praedicatorum viſitavi in mea peregrinatione, quam feci Anno MCCCXX*. Nempe Hieroſolymam ſe tunc ille contulit, & inde Aegyptum, Syriam, & Conſtantinopolim religionis cauſa inviſit, & quae religioſa loca ſibi in ea peregrinatione occurrerunt, literis in eodem Libello mandavit.

Quod eſt ad Chronicon nunc mihi primum in lucem efferendum, illud quoque habetur in vetuſtiſſimo Codice membranaceo Bibliothecae Eſtenſis. Libri primi Capitulum primum illic eſt *de origine Regum Francorum, & eorum proſapia*; quorum ſeriem deſcribit uſque ad Carolum Magnum. Alterum Librum implent ipſius Caroli geſta. Tertium geſta Ludovici Pii. Quartum geſta Lotharii I. Auguſti. Ac deinde procedit uſque ad Librum XXII. ubi res geſtas Friderici I. Imperatoris fuſe recenſet. Libris ſubinde ſubſequentibus reliquum Hiſtoriae digerit ad ſua uſque tempora; hoc eſt uſque ad Henricum VII. Auguſtum, atque ad Annum circiter MCCCXIV. Sed mihi tantam Hiſtoriae molem palam facere minime viſum eſt. Neque enim ad fontes nobis ignotos ille ſua hauſit; neque ea narrat, quae Eruditorum interſit veluti peregrina vulgari. Quae de Carolo Magno, ejuſque filio Ludovico Pio, is tradit, omnia liberaliſſime teſtatur ſe excerpſiſſe, immo iiſdem interdum verbis deſcripſiſſe ex Hiſtoricis, quos enumerat inquiens: *Finit Hiſtoria de geſtis Karoli Magni Francorum, & Longobardorum Regis, ac Imperatoris Romanorum, ex ſcriptis Egynardi, Hugonis* (ſcilicet Flaviniacenſis) *Sigiberti, & Turpini Hiſtoriographorum*: nam & fabulas ſub Turpini, ſive Tilpini nomine evulgatas lubentiſſime pro eorum temporum more Pipinus excepit, iiſque veluti gemmis narrationem ſuam inſarſit. Legitur illic etiam Capitulum: *Qualiter Officium Ambroſianum miraculoſe fuit reſervatum & corroboratum*. In fine vero ſubdit: *Haec collecta ſunt de Ambroſiano Officio ex Chronicis, quae habentur apud Mediolanum in Eccleſia Sancti Nazarii, & Archivis ſunt tradita publicis*: ſcilicet ex Hiſtoria Mediolanenſi *Landulfi Senioris*, quam publici juris feci Tomo IV. Rer. Italicar. & quae non uno in loco Scriptori huic appellatur *Cappia Landulfi*, quaſi Chronico illi titulus foret *la gabbia di Landolfo*, cuum unice ſcriptum fortaſſis illic fuerit *Copia Landulphi*. Hunc etiam Auctorem *Datium* interdum nominat, de quo multa habes in Praefatione ad eumdem Landulphum. *Landulphum*, inquam, ille, & *Arnulfum* Hiſtoricos Mediolanenſes, & ambos in Collectione iſta evulgatos, ſæpe teſtes adducit, uti & *Chronicon Mediolanenſium Archiepiſcoporum*. Quae omnia ſat produnt, Pipinum noſtrum Mediolani fuiſſe diu verſatum, & Hiſtorias ibi ab injuria temporum tunc immunes diligenter conſuluiſſe. Ut etiam oſtendat, Ludovicum II. Imperatorem Mediolani diem clauſiſſe extremum, ac ſepultum fuiſſe *in Eccleſia Beati Ambroſii*, Epitaphium illius affert, jam Eruditis exploratum, haec addens: *Nam ibi quaſi juxta Altare in muro oſtenditur grandis lapis marmoreus, in quo literis uncialibus ſcriptum eſt Epitaphium verſibus hexametris, & penitus perpolitis, Ludovici laudes, geſtaque mirifica luculento compendio exprimentibus*. Agens etiam de Heriberto Archiepiſcopo Mediolanenſe ait: *Hujus tempore aedificata eſt Eccleſia Sancti Sepulcri*; ea nempe, quam tempeſtate noſtra incolit religioſiſſima Oblaturum Sancti Caroli Congregatio, illuſtre Mediolanenſis Urbis ornamentum. Tum Pipinus ſubdit: *Hanc Eccleſiam circa Annos Domini MCCCX. muliercula quaedam annuis eleemoſynarum quaeſtibus intus & foris reparari & renovari fecit, tam opere lateritio, quam pictorio mirifice decorando. Hoc autem reparationis opus Dominico creditur factum auxilio, quum paupercula & anus mulier tanto ſe praeficiens operi, tantiſque ſumtibus, & modico tempore, illico compleri curavit. Eſt enim Eccleſiae fabrica maxima, non ſuper terram ſolum habens aedificatos parietes, ſed ſubterranea mirabilis ſtructurae aedificia. Pro quo quidem conſummando expendiſſe fertur de eleemoſynis acquiſitis ultra quantitatem Librarum decem millium. Eodem tempore, ſcilicet Anno Domini MXLV. die XIII. Octobris conſecrata fuit Eccleſia Sancti Satyri &c.* Hinc habes hominem Mediolanenſium monumenta accurate perſcrutatum, atque in ea Urbe minime hoſpitem, & *Archivo Sancti Nazarii*, ut ille non ſemel affirmat, praecipue uſum.

Pergit Pipinus ſubſequentium Imperatorum geſta pertexere, & Romanorum Pontificum, Sanctorumque virorum, ac illuſtrium Regum vitas, modo paucis, modo multis perſequi; ſed omnia mutuatus ex *Helinando*, *Sigeberto*, *Martino Polono*, & *Willelmo* (ſcilicet Malmesburienſi) & praecipue e *Vincentio Belluacenſe*. Immo, ſi quid video, ne ipſi quidem Helinandus, & Guilielmus ad Pipini manus unquam devenere, eoſque ille tantummodo novit ex ejuſdem Belluacenſis narratione, quem ubique ad verbum exſcribit. Praeter hoſce Auctores infra Pipinus laudat Librum, *qui dicitur Kappia Landulfi de Sancto Paulo*, quo tamen nomine etiam *Landulphum ſeniorem* ſupra a me commemoratum deſignat, ex diverſis duobus Scriptoribus in Collectione hac editis unum incaute efformans. Enarratis Henrici II. Auguſti rebus addit: *Haec, quae dicta ſunt de geſtis hujus Henrici III. tranſumta ſunt ex Vincentio, qui ſumſit a Sigeberto, & ab Helinando, & Wilielmo Chronographis. Excerpta ſunt quoque a Chronica Martini Poloni, & ab Arnulfo in Libro, qui dicitur Cappia Landulfi*. Unde ſua Pipinus hauſerit, hinc dilucidius intelligimus: *Arnulfus* autem ab eo ſaepe laudatus, ille idem eſt, ac Mediolanenſis Hiſtoricus, cui locus eſt factus in Collectionis

hujus

hujus Tomo IV. & quem veteres conjungere ſolebant cum *Laudulfi Seuioris* Hiſtoria, pariter illic edita. Laudat etiam *Gotifridum*, videlicet Viterbienſem, & *Ricobaldum in ſua Chronica*, quos itidem Collectio iſta complectitur. Poſtquam vero de poſtremis Gregorii VII. Papae geſtis eadem ipſiſſima protulit, quae in Hiſtoria Landulfi Senioris pag. 150. Tom. IV. Collection. hujus leguntur, ita ſcribit; *Haec ſumta ſunt ex Libro, qui Dacius nominatur, & Mediolani habetur*: quare jam evidentius eluceat, non alium antiquis fuiſſe *Datium* Mediolanenſem, quam *Landulfum Seniorem*, ut pluribus oſtendi in Praeſatione ad illius Chrnnicon. Ad haec *Jacobum de Varagine* in referendis Genuenſium geſtis non ſemel laudat, cujus Chronicon in hoc Tomo a me evulgatum habes. Res vero Friderici I. Auguſti fuſe perſequitur, ſed omnia teſtatur ſe accepiſſe ab *Ottone Laudeuſi*, videlicet ab *Ottonis Morenae* Hiſtoria, quae in Tomo VI. Collectionis hujus evulgata jam fuit.

En quot fere & quales Hiſtoricos Pipinus noſter coram ſe poſitos habuerit, dum a Carolo Magno ad Annum uſque 1176. Hiſtoriam ſuam deduceret. Nihil ferme heic novi, nihil quod erudito Lectori ſpem faciat aliquam progreſſus; neque enim ille peregrinum quempiam Scriptorem adhibet; & ſi quis ex iis antehac ignotus fuit, profecto ex hac ipſa Collectione notiſſimus in poſterum erit. Quae quum ita ſint, nihil amplius eſt, quod a me Lector petat, quare ab Anno 1176. dumtaxat uſque ad finem *Chronicon Fratris Franciſci Pipini* ediderim; cetera vero, quae praecedunt, neglexerim, nullumque iis locum io hac Sylloge reliquerim. Non eſt facile committendum, ut inutili merce oneretur Lector atque papyrus; & quandoquidem primitivos Hiſtoriae Scriptores, atque eoſdem habemus, quos unice poſteriores Hiſtorici duces habuere, quis, rogo, iis poſtpoſitis exemplaria amet & quaerat? Equidem me adeo rigidum antea praebere nolui, ut nullum hujuſmodi conſarcinatorem, ſive honeſtum praedonem, ex antiquitate ſua venerabilem, prodire ſiverim in Collectione iſta: attamen in poſterum majori freno uti mihi ſtatutum eſt, ne moles Operis alioqui praegrandis ex ſupervacaneis excreſcat. Et ſane iis tantum, qui in antiquis Seculis deſcribendis res adſerunt non alibi traditas, neque aliumde exſpectandas, beneficium lucis debetur. Ad reliquam vero Pipiniani Chronici partem nunc mihi edendam quod attinet, ea deducitur ab Anno 1176. uſque ad Annum circiter 1314. quo Auctor ipſe florebat. Inde ego ſuſtuli multa, quae Pipinus iiſdem verbis deſcripſerat ex Hiſtoria Vincentii Belluacenſis, atque ex ſupralaudato Marco Paulo Veneto de moribus Orientalium, Libris nempe jamdiu edicis. Neque vero tanta ſeveritate ſalcem heic adhibui, quin paſſus fuerim aliqua etiam deſumta ex vulgatis Auctoribus, ac praeſertim ex eodem Belluacenſe, rurſus emergere. Interea neſcio an mihi blandiar, certe me a temeritatis culpa abfuturum puto, ſi affirmem, partem hanc Hiſtoriae non minus utilitati, quam delectationi legentibus eſſe futuram. Accedit, quod aliqunt etiam eorum temporum monumenta Pipinus adſert, quibus ſuum erit in Hiſtoria pretium & laus, atque inter alia *Teſtameutum Friderici II. Auguſti*. Illud ego ex hoc ipſo Codice, cujus Auctorem nondum exquiſieram, nedum detexeram, Anno 1712. laudaram in *Pleniori Expoſitione Jurium Imperialium ac Eſtenſium iu Comaclum* Cap. 23. pag. 183. Verum inſurrexit paucos ante annos Juriſconſultus quidam Placentinus pag. 139. *Diſſert. Hiſtorico-Politicae de Natura & qualitate Civitatum Placeutiae & Parmae*, cui quum nihil aliud ſuccurreret, quo ſe illius Imperatoris ſententiae eriperet, Teſtamentum ipſum, ipſumque Codicem Eſtenſem quodam verborum involucro, ſatis tamen aperte in dubium revocavit; hoc eſt non peritiam tantum, quam aliquantam in rebus & Codicibus antiquis mihi hactenus comparare ſtudui, & porro mihi alii tribuunt, ſed etiam fidem meam elevare, immo me falſi arceſſere non dubitavit. Rationis loco illi fuit ad acerbam hujuſmodi accuſationem inſtruendam, ignotum Scriptoris nomen, immo inacceſſus in Eſtenſi Bibliotheca hujus Hiſtoriae Codex; proinde fieri poſſe, ut is Liber, ſi peritorum examen ſubeat, falſi arguatur, & foetus deprehendatur *ab aliquo Aſſentatore, aut Impoſtore ſuppoſitus, qui rem, cujus indigebat, & factum Juri, non vero Jus facto, aptare voluerit*. Ita ille: cui ſi pro merito rei reſponſum facere vellem, eruditus quiſque intelligit, quae & quot mihi arma ad retundendam illius, ne gravius loquar, ſuſpicionem male contextam rei veritas, & cauſae fidentia miniſtrare potuiſſent. Attamen ſatis ſuperque mihi fuit, ac erit, eidem accuſatori, viro ceteroqui doctiſſimo, quum Mutinâ poſt haec tranſiret, Codicem ipſum Eſtenſem, membranaceum, ac fortaſſis ipſius Pipini autographum, oſtendiſſe, ubi ad unum apicem Friderici II. verba legebantur, quae attuleram. Praeterea poſtremas illas ejuſdem Auguſti tabulas, & una cum iiſdem verbis, Juriſconſulto ſupra memorato moleſtis, ante me ediderat *P. Octavius Cajetanus* e Soc. Jeſu in Iſagoge ad Hiſtoriam Sacram Siculam. Tum ipſas cum vetuſto Codi-

ee collatas recudit Cl. Vir *Johannes Baptiſta Caruſius* Tom. II. pag. 669. Bibliothecae Siculae Hiſtoricae. Denique eaedem ipſiſſimae occurrunt in Chronico Siciliae edito Anno 1717. per celeberrimos Viros *Edmundum Martene*, & *Urſinum Durand* Monachos Benedictinos e Congregatione Sancti Mauri Tom. III. Theſauri Anecdot. pag. 13. cui Chronico in hac ipſa Collectinne infra ſuus erit locus: ita ut jam meridiano ſole clarius conſtet, quam inconſulte pugnet, qui hujuſmodi jaculis pugnat, jaculis, inquam, non alienam cutem, ſed intorquentis praecordia unice laedentibus.

Quod ſupereſt, Pipinus noſter tolerabili ſtilo rem ſuam exſequitur, neque indiligentem ſe prodit in perluſtrandis Scriptoribus, unde ſuam narrationem contexuit. Sed is minime laudandus, quod poſtquam *Ricobaldum Ferrarienſem*, cujus Chronicon hoc Tomo editum accepere Lectores, quamquam ſibi notum, atque aequalem, manifeſto plagio ſaepe expilavit, rariſſime tamen hominem, per quem toties profecerat, laudavit. Erit otioſi Lectoris per ſe colligere, quae huc ex agro Ricobaldino congeſta fuere: neque enim mihi quidquam ex iis expungere placuit. Quod ſi quaedam occurrant, quae Pipinus idem, vir certe religioſus ac pius, protulit ſparſa in vulgus ab inimicis adverſus quempiam Romanorum Pontificum, neminem cenſeo delicatum adeo atque moroſum fore, ut ex hiſce vel tantillum perturbetur; aut adeo levem, ut hinc ſibi aliquid decreſcat de obſequio, quod Catholici omnes erga parentem noſtram Apoſtolicam Sedem profitemur. Qui Baronium, qui Bzovium, Raynaldum, alioſque legerit, in quorum Libris Summorum Pontificum geſta & controverſiae traduntur, paria, immo graviora jam accepit, ipſaque non ſemel aut protrita, aut excuſata conſpexit. Denique veritatis amator numquam contendat, omnia ſummarum Poteſtatum geſta fuiſſe, qualia optandum erat, ut eſſent; & ſiquidem e recta via eorum aliquis exorbitavit, numquam exiget prudens rerum aeſtimator, ut vis veritati inferatur; ſed amabit evulgari ea, quae parum probis metum ſamae incutiant, & reliquis exemplo ſint, ut rectius agant. Ego interim Bononienſi Civitati gratulor, quod Pipinum luci dederit; Eſtenſi vero Bibliothecae, quod ejus ſcripta nunc nobis donet, luce digna, & numquam in poſterum fortaſſe peritura.

CHRO-



CHRONICON

FRATRIS
FRANCISCI PIPINI
ORDINIS PRÆDICATORUM
INCIPIT LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De Concordia inter Imperatorem & Alexandrum Papam.

ANno obumbratæ Virgini MCLXXVI. timens Fridericus Imperator dominium perdere, propter Lombardorum concitatam rebellionem, & Papæ Alexandri ſuccreſcentẽ proſperitatem (ſupervixerat enim duobus jam dictis Papis ſibi ſuccedentibus contra eum) ſollemnes ad eum Nuntios miſit, & per eos cum ipſo clam pactus eſt, apud Venetias colloquium ſtatuendo; publicè quoque pacem inter ſe velle componere ſimulans. Fuerunt autem ſimul idem Imperator & Papa Alexander Venetiis anno dimidio, cum Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus, Comitibus, Marchionibus, aliiſque Nobilibus. Poſtremò Anno Domini MCLXXVII. idem Alexander Fridericum pro Chriſtianiſſimo Imperatore recepit, & conjugem ejus Beatricem pro Sereniſſima Imperatrice Auguſta, ac filium ipſorum Henricum in Regem, quum adhuc impubes eſſet. Demum Anno ſequenti idem Imperator Lombardiam venit, & intrans Mediolanum, demum Papiam accedens, poſtmodum Cremo-

A nam, tamdem Veronam adiit, & cum Papa Lucio, qui ibi aderat, & Alexandro ſucceſſerat, diebus pluribus colloquium habuit. Poſt hæc viſitatis Vincentia, Padua, & Triviſio, reverſus Veronam per Brixiam, Pergamum, Laude, Parmam, Rhegium, Mutinam, & Bononiam tranſiens, rediit Placentiam, Papiam, & Mediolanum, collectoque exercitu magno equitum & peditum, Mediolanum cum Carrocio, & trecentis equitibus Placentinis, & certis Pergami, Brixiæ, Veronæ, & Marchiæ equitibus, & cum equitibus & peditibus Alexandriæ, & quibuſdam Novariæ, Vercellarum, Terdonæ Parmenſibus, Rheginis, Mutinenſibus, Bononienſibus, Imolenſibus, & Faventinis ad reædificandum Cremam
B menſe Majo profectus eſt, quod Oppidum opportunè muniri mandavit, contra voluntatem tamen Cremonenſium, qui toto eorum niſu reædificationem ipſam impedire curabant. Ex quo quidem inter ipſum Imperatorem & Cremonenſes ingens eſt ſuborta diſcordia.

CAP. II.

Qualiter Imperator Apuliam perrexit, & Henrico filio ſuo dedit uxorem.

MEnſe autem Julio Imperator cum aliquot Theutonicis & Lombardis perrexit Apuliam, accepturus filiam Regis Willielmi, Con-
C ſtantiam nomine, Henrico ſuo filio in uxorem; pro cujus dote recepit ultra centum quinquaginta ſomario auro & argento, palliis, & aliis pretioſis jocalibus onuſtos. Præfatam igitur Conſtantiam hyeme ſequenti, de menſe ſcilicet Februa-

bruarii Anno Incarnat. Dominicæ MCLXXXVI. A idem Henricus Friderici Imperatoris filius cum maximis ſollemnitatibus deſponſavit uxorem, & ambos idem Imperator coronis regalibus inſignivit. His peractis præſatus Henricus cum magno exercitu versùs Romam tendens, in Campaniam appulit propter diſcordiam, quam habebat cum Urbano Papa Lucii ſucceſſore. Et multis irruptionibus & direptionibus loca ipſarum partium invaſit & cepit. Fuitque illo Anno maxima ſiccitas, ita ut à feſto Paſchæ Reſurrectionis uſque ad feſtum Sancti Michaelis non pluerit. Acon quoque Civitas tranſmarina eo anno cum multis aliis Civitatibus capta eſt à Sarracenis. Menſe Octobri præſatus Henricus Imperatoris filius in Lombardiam reverſus, B ſupra Comitem Savogenſem duxit exercitum, & dum primò expugnaſſet Caſtrum, quod Velianum dicitur, illud ſolo evertit.

CAP. III.

Qualiter Imperator tranſmarinam Crucem accepit, & Bulgaros debellavit.

ANno poſt hæc Chriſti gratiæ MCLXXXVIII. quum in Urbe flebiles perveniſſent rumores ſuper inæſtimabili detrimento Chriſtianorum, qui peregrinationis voto dudum ex omnibus ferè Occidentis partibus transfretaverant, ex eo quòd hoſtes Fidei Sarraceni ſanctam civitatem Hieruſalem, aliaque loca ſancta, quæ peregrini multo C labore & ſanguinis amiſſione obtinuerant, invaſerunt: Gregorius hujus nominis VIII. qui tunc Romanæ Cathedræ præſidebat, ad ſubventionem ejuſdem Terræ-Sanctæ totis inhians animis, ad concitandos Principes, Populoſque per Occidentis provincias tam Legatos, quàm literas deſtinat, qui cladem ipſam Orientalem exponant, & pœnarum abſolutionem promittant Hieroſolymam profecturis. Conceſſit inſuper ſecularibus Principibus ad ſubſidium hujuſmodi paſſagii, quòd poſſent ab eorum ſubditis licitè decimas exigere. Crevit itaque ubique rumor lamentabilis de tranſmarinis partibus, & ingemiſcebat Mundus; plerique de correctione vitæ attentiùs cogitabant; pluresque ſigno Crucis accepto ire D Hieruſalem proponebant. Fridericus igitur Imperator his animatus rumoribus, ſe transfretandi voto Crucis ſancto charactere inſignivit, nec non & Philippus hujus nominis III. Francorum, & Henricus hujus nominis II. Anglorum Reges. Multi præterea cum eis Archiepiſcopi, Epiſcopi, Comites, Duces, & alii inſignes viri. Sequenti verò Anno, qui fuit ejuſdem Chriſti gratiæ MCLXXXIX. idem Imperator primus omnium ex iiſdem Principibus Occidentis unà cum filio ſuo Friderico Duce Sueviæ, & exercitu perſpicuo, de Theutonia egrediens, tranſmarinum iter arripuit; erant enim cum eo ferme, peditibus exceptis, ſexaginta millia pugnatorum. Qui per Hungariam tranſiens, pacificè ac honorificè ab E Hungarorum Rege exceptus eſt. Quum autem Imperator ipſe ad Chirſacum Conſtantinopolitanum Imperatorem Legatos miſiſſet, Epiſcopum videlicet Monaſterii, & Comitem Robertum, ut ipſe Conſtantinopolitanus Imperator pacificè illum reciperet, Conſtantinopolitanus ipſe Legatos detinuit, miſitque adversùs eumdem Imperatorem Fridericum ad introitum Bulgariæ, qui ejus itinera præpedirent. Erat enim ibi nemus vaſtiſſimum, itinere dierum IV., & iter arctiſſimum. Præſes verò Bulgariæ quum adverteret, ſe contra Imperatoris Conſtantinopolitani mandatum reluctari non poſſe, iter ſuis eductis copiis diſſipavit, & contra Romanum Imperatorem nemora ſtruxit, in quorum exitu munitiones maximas faciens, ſe ad prœlium præparavit. Imperator verò Fridericus quum per nemora maximo labore iter faceret, Dux eum Sueviæ ejus filius præcedebat cum exercitu copioſo; qui quum inveniſſet hoſtium munitiones, pugna virili eas aggreſſus eſt, quibus ſtrage maxima hoſtium expugnatis, illas ſolo evertit. Sic igitur Imperator Fridericus victis & invitis hoſtibus tranſiens per Bulgariam, pervênit ad Civitatem, quæ Philippis dicitur, qua tamdem expugnata, magnas in ea divitias adinvênit; ibique diebus octoginta quatuor moratus eſt. Poſtquam autem Conſtantinopolitanus Imperator agnovit, quòd Philippis capta eſſet, Legatos Friderici Imperatoris ad eum cum his verbis remiſit: *Mandat tibi Romanorum Imperator Chirſacus, ſe permanere incolumem. Audivi te eſſe Philippis, propter quod per univerſam Imperii mei terram tranſitum tibi liberum concedo.* Miſit etiam cum eiſdem Legatis Nuntios ſuos, eorum itineris directores. Inter hæc Fridericus Imperator dimiſſa ſui exercitus parte Philippis, poſt dies decem Andrinopolim occupavit. Turchi enim & Græci à facie ipſius fugientes reliquerunt Civitatem. Parte autem ibi exercitus dimiſſa, Philippis reverſus eſt, ubi Domini Natalitia celebravit.

CAP. IV.

De prœlio inter Imperatorem Græcorum, & filium Imperatoris Friderici Primi.

MOrante igitur eodem Friderico Imperatore apud Philippis Civitatem, Kiriachus Græcorum Imperator, congregato exercitu ex Græcis & Turcis, miſit eum per montana contra eumdem Romanorum Imperatorem. Ipſe verò Romanorum Imperator filium ſuum Sueviæ Ducem cum equitibus mille & nonnullis ſagittariis adversùs Chirſachi exercitum præmiſit; contra quos ſtrenuè prœliatus, convertit eos in fugam, ſeque intra mœnia recluſerunt. Dux autem equo deſcendens ipſa mœnia expugnavit, & tamdem captis hoſtibus, eos gladio trucidavit. Duodecim tamen ex Turcis, apprehenſa quadam munitione, mirabiliter reſtiterunt. Quos quum expugnare Dux non poſſet propter arduum loci ſitum, uno incendio conflagravit. Poſt dies verò ſeptem Græcorum Imperator Legatos miſit ad Romanum Imperatorem, offerens ei ultro ſe daturum liberum iter per ejus Imperium. Imperator verò Fridericus licèt ad Civitatem Conſtantinopolis divertere affectaret, Græcis prœlium illaturus, conſilio tamen Principum recto itinere profectus eſt, tranſmarinum acceleraturus negotium. Acceptis igitur ab Imperatore Græcorum obſidibus duodecim, pervênit Gallipolim, & ibi tranſivit univerſus exercitus, vênitque Philadelphiam. Quumque Dux Civitatis forum eis rerum venalium denegaret, Theutonici ex hoc moti Civitatem ipſam ſunt prœlio aggreſſi. Sed Dux quamquam eſſet accinctus ad prœlium, agnitâ tamen Imperatoris potentiâ, forum Latinis conceſſit, & Romano Imperatori cum paucis permiſit aditum Civitatis. Tamdem Latinis conquerentibus, ſe à Græcis ſuper rerum venditionibus nimiùm aggravari, lite ob hoc ſuborta, initum eſt prœlium inter eos, & duobus ſimul diebus contra voluntatem Romani Imperatoris prœlio ſunt congreſſi. Dumque Græci marte ſuccumberent, coacti ſunt ſe in urbe includere, & captis munitionibus, cum

Lati-

Digitized by Google

Latinis tamen de foro idoneo convenerunt. Porrigebant autem in ſiſtarcis & calathis, ſive canistris, victualia, quæ per funes demittebant, & in eiſdem aſſumebant pecunias. Exivit poſt hæc Imperator Civitatem Philadelphiam; & quum Dux Civitatis ei reluctari non poſſet, pollicitus eſt illi aſſiſtere, deditque Nuntios, qui per nemora & montana forent ejus conductores exercitus. Itinere autem dierum trium victualia defecerunt.

CAP. V.

De progreſſu Imperatoris contra Soldanum.

POſt hæc Imperator Turcos, Marios, Debanas, & Nageſtes invenit. Hi Turci erant nullo detenti imperio, nullaque loca poſſidentes, ſed in agris paſſim vagantes, maximum & indefinitum congregaverant exercitum, ſperantes ſe poſſe Imperatoris exercitum ſuperare. Imperator igitur cum eiſdem hebdomadis quatuor, diebus noctibuſque, congreſſus aſſiduè, ſtragem eis mirabilem intulit, inter quos Admiratus quidam eorum Magiſter militiæ corruit. Roſtagnus quoque ipſorum Turcorum Dominus in quodam montium cum infinito exercitu adversùs Imperatorem occurrit, tranſitumque inhibuit. Quumque ad Imperatorem miſiſſet, qui referrent, non ſe conceſſurum ei iter, niſi centum ſomarios auro argentoque onuſtos offerret, reſpondit Imperator, ſe gratanter aurum argentumque præbiturum, ſed non niſi propria manu laturum. Inter hæc Soldani Nuntii, qui concomitabantur Imperatoris exercitum, affirmabant ei citò eum profecturum eſſe in terram Soldani, ita quòd hoſtilis gens ei adverſari quicquam non poſſet. Tunc Admiratus quidam divino tactus numine ad Imperatorem acceſſit, dicens, ſe ei tutum iter oſtendere, ſi manè præliaturus eſſet cum hoſtibus. In cujus aſſertione conſilii amputationem proprii capitis exponebat. Fide itaque verbis ejus adhibita, Imperatoris exercitum idem Admiratus, omiſſa planitie, quam Turci occupaverant, ad montana deduxit. Quumque manè congreſſuri eſſent adversùs Turcos, juſſit Imperator, ut omnes propria confiterentur delicta, & eodem mane præmiſſis ſagittariis invaſit montana. Tandem commiſſo crudeli prœlio, multiſque corruentibus, Duceque vulnerato, quum perveniſſent ad montis deſcenſum, cujus loci iniquitate coacti ſunt ſarcinas alimentorum relinquere, trajecto monte, ductores itineris à Soldano miſſi ab Imperatore fugierunt. Quos Imperator & Dux diebus quindecim inſequuti ſunt, tantaque fame arctati ſunt, quum victualia non invenirent, ut equinas carnes mandere cogerentur. Quumque agreſtes Turchi opinarentur eos fame defeciſſe, accinxerunt ſe ad bellum, ut cum Latinis pugnarent. Imperator verò pugnâ commiſsâ, magna eos virtute devicit. Multitudo maxima ex Turchis ſe in faucibus cujuſdam rupis incluſit: quod advertentes Theutonici, magna lignorum accenſa ſtrue, illos terribili incendio concremarunt. Deinde agreſtes Turchi per diverſa fugientes, exercitum Imperatoris inſequi ulteriùs deſtiterunt.

CAP. VI.

De prœlio Imperatoris contra filium Soldani.

ALtera die Melechinus Soldani filius cum ſuo exercitu ſe Imperatori opponens, miſit ad eum verba hujuſmodi: *Revertere; quid enim facere putas, quum ego plura vexilla poſſideam, quam tu milites habeas?* Et quum perveniſſet Imperator ad pontem quemdam, Turchique à tergo & in faciem ejus eſſent, Dux præcedens, cum eis pugnam commiſit atque devicit. Demum maxima & infinita Turchorum multitudo ex omni parte Latinorum vallavit exercitum, cum quibus itinere trium hebdomadarum pugnaverunt, equorum carnibus ſolùm veſcentes. Quumque die una naturalis eis aqua deficeret, accerſito quodam ex Turcis ipſorum captivo, interminati ſunt ſibi necem, ut aquæ locum oſtenderet; qui mortis minis perhorreſcens, aquam, ſalſam tamen, oſtendit. Altera die caſtrametati ſunt in campis Yconii. Tunc Soldanus miſit ad Imperatorem Nuntios, quia inconſultè & fatuè intraverat terram ejus. Imperator verò miſit ad eum, an vellet ſibi rerum venalium forum concedere: & quum ſe id velle, reſpondiſſet, tanto tamen pretio ſingulæ res venumdabantur, ut gentes Imperatoris iracundia motæ ſe contra eos ad pugnam diſponerent. Tunc Wirziburgenſis Epiſcopus feria VI. Pentecoſtis, in concione publica, quum eſſet jejunium Quatuor Temporum, hortatus eſt Chriſtianos ad bellum, & ut ſe delictorum vera contritione ac confeſſione munirent, admonuit. Conceſſit inſuper ei, ut carnes ipſa die comederent, quibus fortificati hoſtes Chriſtiani nominis fortiùs debellarent. Aſſeruit quoque idem Epiſcopus, & nonnulli alii, ſe vidiſſe Beatum Georgium pugnantem horâ prœlii contra hoſtes, propter quod univerſi votum emiſerunt ejus vigiliam jejunandi. Armati igitur ad pugnam, quum filius Soldani a tergo Imperatoris exercitum invaſiſſet, Dux tamen Civitatem Yconii viriliter aggreſſus eſt, & eâ expugnatâ ac captâ, univerſos ferè incolas, velut pecudes trucidavit. Imperator interea cum filio Soldani, qui a tergo exercitum invaſerat, congreſſus atrociter, innumerabilem hoſtium multitudinem interemit, & cum Duce filio ſuo Civitatem ipſam intravit. Erat autem in ea municipium fortiſſimum valde, ad quod cum quibuſdam Soldanus confugerat. Manè verò ſumma neceſſitate coactus, Imperatori obtulit ſe forum, quale vellet, pacificè collaturum; indicans etiam ex præmiſſis eventibus, quæ contra Imperatorem contigerant, mirabiliter ſe turbatum. Imperator igitur oblatis annuens, receptis à Soldano vigintiquatuor obſidibus, Civitatem egreſſus eſt, & inde ad quatuor millia paſſuum in pomeriis caſtra fixit, volens fugere corruptum aerem ex fœtore cadaverum, quæ hoſtili impreſſione ſepultura carebant. Perpeſſi ſunt etiam ibi Latini magnam equorum penuriam, quum eos fame coacti magna ex parte comediſſent. Vendebatur enim eis à Turchis unus ſumpes centum Marchis; & quum Theutonici Fertonem interdum exhiberent pro Marcha, delata eſt ad Imperatorem per Soldanum querela. Cui dum reſpondiſſet, quòd ſi forum rationabile Turci facerent, Theutonici bonam Marcham offerrent, tandem taxatio competens adhibita eſt, & querela ſopita.

CAP. VII.

De morte ejuſdem Friderici Imperatoris, & ejus forma & moribus.

QUum autem Imperator in manu potenti & extento brachio Soldanum & Turchos rebellantes domuiſſet, ibique de Civitatibus

bus multis glorioſiſſimè triumphaſſet, tamdem in Armeniam profectus eſt, ubi dum ſupra ripam fluminis, quod Caliphim, alias Ferlim dicitur, caſtra poſuiſſet ſtativa, delectatus amœna loca videre, quæ ultra flumen erant, dum illud vadaret, lapſus equo, & vix ab undis ereptus, paulò poſt naturæ conceſſit. Alibi legitur, flumen ipſum dictum eſſe Ferrum, quod juxta Antiochiam labitur, antiquitus vocatum Orontem. Hoc dum Imperator tranſvadaſſet, & epulis, aliiſque delectatus ſolatiis, balneandi gratiâ accitis ſecum duobus commilitonibus, iterum introiſſet, natantem illum fluminis unda ſubmerſit, quem miles quidam equo accurrens vix ſemianimem erexit à flumine, ipſaque die vita defungitur, ex quo inæſtimabile damnum Chriſtianis acceſſit. Corpus ejus cum magno luctu Principes apud Civitatem Salephim detulerunt, tribus diebus illud aromatibus regaliter condientes. Alibi legitur, quòd apud Tyrum delatum eſt à filio ejus, & ibidem ſepultum, *ut ponit Martinus*. Fuit autem Imperator ipſe Fridericus vir Chriſtianiſſimus, bellorum omnium triumphator, animoſus in infinitum, familiaris quibuslibet, victis clementiſſimus, obliviosus injuriæ, ſtatura mediocris, corpore ruffus, lingua diſertus, juſtitiæ & legum amator, eleemoſynarum munificus, ferè fortunatus in cunctis, facie hilaris, ore venuſtus, ætate longævus, qui & corporis ſtrenuitate non erat inferior, quàm ducatu. Huic in regendo exercitum ſucceſſit præfatus filius ejus Sueviæ Dux, armis ſtrenuiſſimus, quo per Armeniam eumdem exercitum ducente, in confinio ipſius Armeniæ & Syriæ non longè ab Antiochia ingens plaga deſævit in Alamanuum exercitum, & vel propter intemperiem aeris, vel ciborum abundantiam, à quibus ſe temperare neſcierunt, ferè omnes mortui ſunt, ac ſi nollent capiti ſuo ſupervivere membra. Ipſe autem Dux Sueviæ cum paucis ad obſidionem Acon devênit; ibique paucis diebus evolutis commune mortalium debitum ſolvit; qui fuit vir ſtatura mediocris, longus facie, oculis magnis & nigris, capillo nigro, alti cordis, & ex filia quondam Lotharii Imperatoris ortus. *Scribit Martinus*, quòd defunctus eſt, dum Ptholemaidem obſideret. Fuerunt autem in ipſo Imperatoris exercitu Dux Sueviæ, de quo dictum eſt, Dux Bertoldus Meraniæ, Epiſcopus Herbipolenſis, Archiepiſcopus Tarantaſianus, Epiſcopus Monaſterienſis, Epiſcopus Paſſavienſis, Epiſcopus Oſſiburgenſis, Epiſcopus Miſſinenſis, Epiſcopus Buellenſis, Epiſcopus Baſilienſis, Epiſcopus Leodicenſis, Epiſcopus Wiziburgenſis, Hermannus Marchio de Baden, Fridericus de Bergilen, Conradus de Dornare, & Fridericus frater ejus, Gobertus & Pepo Comites, & alii multi, quos eſt enumerare ſuperfluum, quum nulla ſit memorandi ambitio, quos plurimos fuiſſe conſtat, & nullos. Succeſſit autem huic Friderico in Imperio Rex Henricus filius ejus primogenitus, de quo infra ſuo loco dicetur. Sequitur de Romanis Pontificibus, Prælatis, & Doctoribus, & Regibus ac viris illuſtribus, aliiſque eventibus, quæ hujus Friderici temporibus contigerunt.

CAP. VIII.

De Anaſtaſio Papa IV.

ANaſtaſius hujus nominis IV. imperante Friderico I. & Imperii ejus Anno primo, qui fuit Annus Domini MCLIII. in Romana Cathedra ſucceſſit Eugenio, & ſedit anno uno menſibus quatuor & diebus vigintiquatuor. Ceſſavit poſt eum Papatus diebus viginti. Hic fuit natione Romanus ex patre Benedicto, qui apud Sanctam Mariam Rotundam novum Palatium conſtruxit. Dedit quoque Eccleſiæ Lateranenſi calicem pulcherrimi operis penſantem viginti Marchas, & alia plura, ibique in tumba porphyretica tumulatus quieſcit. Hujus tempore Beatus Bernardus venerandæ memoriæ Abbas Clarævallis, de cujus vita dictum eſt ſub temporibus Henrici V. Imperatoris, beato fine quievit.

CAP. IX.

De Adriano Papa IV.

ADrianus hujus nominis IV. imperante eodem Friderico I. Anno ſcilicet Imperii ejus ſecundo, qui fuit Annus Domini MCLIV. in Romana Cathedra cœpit præſidere. Sedit autem annis quatuor menſibus octo diebus vigintiocto, & ceſſavit Pontificatus diebus viginti: alibi ſcribitur, quòd fuit vacatio anni unius. Hic fuit natione Anglicus, priùs vocatus Nicolaus; qui quum eſſet Epiſcopus Albanenſis, in legatione Norvegiam miſſus eſt pro verbi Dei prædicatione. Ipſe verò gentem illam barbaram in Lege divina diligenter inſtruxit. Poſt verò reditum ejus, defuncto Anaſtaſio, in Papam eſt electus, & Fridericum Imperatorem coronavit in Baſilica Sancti Petri. Urbem Romam propter unius Cardinalis vulnerationem uſque ad ſatisfactionem condignam Eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto. Guillielmum Regem Siciliæ tamquam ſibi rebellem excommunicationis involvit ſententia, qui poſtmodum abſolutus homagium eidem Papæ fecit, & ab ipſo Terram ſuſcepit. Primus ex Romanis Pontificibus fuiſſe fertur, qui in Urbe-Veteri cum Curia ſua moram contraxit. Oppidum Gironem in Radicoſano ſub Beati Petri patrimonio fecit, & turribus munivit. Caſtrum etiam, & multas poſſeſſiones juxta Lacum Sanctæ Chriſtinæ à Comitibus comparavit. Sepultus eſt in Vaticano in Baſilica Sancti Petri juxta ſepulchrum Eugenii Papæ. Hujus Adriani Papæ familiaris fuit Johannes Saliſberienſis, & ipſe quidem natione Anglicus, qui de eodem Adriano talia refert (*): *Audivi Adrianum Papam dicentem, quòd Romano Pontifice nemo miſerabilior eſt, conditione nulla miſerior. Fatebatur enim in eadem Sede tantas miſerias inveniſſe, ut facta collatione præſentium, tota antecedens amaritudo jucunditas & felicitas fuerit. Spinoſam enim dicebat Cathedram Romani Pontificis, mantum acutiſſimis uſquequaque conſertum aculeis, tantæque molis, ut robuſtiſſimos premat, terat, & comminuat humeros. Coronam & phrygium clara meritò videri, quoniam ignea ſunt, ſeque numquam à natali ſolo Angliæ malle exiſſe, aut in Clauſtro Beati Ruffi apud Valentiam perpetuò latuiſſe, quàm tantas intraſſe anguſtias, niſi quòd divinæ diſpenſationi reluctari non auderet. Hoc etiam ſæpiſſime mihi adiecit, quòd quum de gradu in gradum à Clauſtrali Clerico per omnia Officia in Summum Pontificem aſcendiſſet, nihil umquam felicitatis, aut tranquillæ quietis vitæ priori adjectum eſt ab aſcenſu. Et ut verbis ejus utar; in incude,* inquit, *& malleo ſemper dilatavit me Dominus: ſed*

(*) Vide Baronium in Annal. Eccleſ. ad Annum 1155. ubi hæc eadem refert.

ſed oneri, quod infirmitati meæ impoſuit, ſi placet, ſupponat dexteram, quoniam mihi importabile eſt. Nonne miſericordia dignus eſt, qui pro tanta pugnat miſeria? Sit ditiſſimus qui electus eſt, ſequenti die pauper erit, & infinitis ferè creditoribus tenebitur obligatus. Ambire ergo ad Summum Pontificem, & non ſinè fraterno ſanguine etiam ad illud aſcendere, eſt & Romulo ſuccedere in parricidiis, non Petro in paſcendis ovibus. Bene ergo dicitur non tam nuncupativè, quàm etiam ſubſtantivè Summus Pontifex Servus Servorum. Serviat enim ſervis avaritiæ Romanis neceſſe eſt, adeò, ut niſi ſervierit, fiat aut Expontifex, aut Exromanus.

CAP. X.

De Alexandro Papa III.

ALexander hujus nominis III. Adriano Papæ ſucceſſit. Cœpit autem anno ejuſdem Imperatoris Friderici ſexto, Incarnationis verò Dominicæ MCLIX. & ſedit annis XXI. menſibus VI. d. X. Hic priùs vocatus eſt Rolandus Cancellarius, natione Thuſcus, patria Senenſis, ax patre Raynucio. Hujus electionis tempore, ſcilicet mortuo Adriano, facta eſt in Eccleſia Romana turbatio maxima. Cardinales enim ad invicem diviſi duos elegerunt ſibi Pontifices, hunc ſcilicet Rolandum Cancellarium, qui Alexander dictus eſt, & Octavianum, qui & Victor nuncupatus; ambos ex eorum Collegio, gravi ſchiſmate Eccleſiam Dei diſrumpentes. Unde Proceres diverſarum regionum turbati ſunt. Quidam uni, quidam alteri adhæſerunt. Imperator ſiquidem Fridericus cum ſuis Epiſcopis Octaviano, qui, ut dictum eſt, à ſibi faventibus Victor eſt acclamatus; Rex verò Francorum Ludovicus hujus nominis VII. & Rex Angliæ Henricus hujus nominis II. Rolandum, qui & Alexander, in patrem & dominum ſuſceperunt. Alexander iſte anno ſecundo ſui Pontificatus vênit in Galliam, & à Regibus Francorum & Anglorum honorificè ſuſceptus eſt; poſtmodum anno ſequenti, qui fuit Annus Domini MCLXIII. Turonenſe ibi Concilium celebravit, in quo edicta fuit Decretalis illa de Uſurariis, *Quoniam in omnibus* &c. Porrò vênit Senonis, & per annum & dimidium manſit ibi, & Eccleſiam Sanctæ Columbæ dedicavit, & in Eccleſia Sancti Stephani Altare Sancti Petri & Sancti Pauli conſecravit. Ad hunc vênit Senonis Sanctus Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus tunc exul ab Anglia, ferens ſecum conſuetudines Regis Angliæ Henrici ſcriptas, propter quas exulabat; eaſdemq; tenens in manibus, chartam explicatam & expanſam ante pedes ejus poſuit, dicens: *Ecce Sancte Pater, ſacræ, immo ſacrilegæ conſuetudines Regis Angliæ, Canonibus & Decretis, & ipſorum terrenorum Principum Legibus adverſæ, pro quibus exilium ſuſtinere cogimur. Ut eas ſanctæ paternitati veſtræ oſtenderemus, & conſilium ſuper his haberemus, huc advenimus. Jubeat igitur, ſi placet, Sanctitas veſtra, eas legi, & audiri. Quiſquis enim iſta audiverit, mirum eſt, ſi non tinniant ambæ aures ejus, audientes à Chriſtianis contra legem Chriſtianitatis agi, & damnatis Sanctorum Patrum venerandis inſtitutis, novas & inauditas tyrannorum veterum præſumtas abuſiones in Eccleſia introduci.* Hæc quum flexis genibus dixiſſet, & qui legebat poſtmodum primum pronuntiaſſet capitulum, cœpit venerandus Antiſtes contra propoſitum capitulum mirabiliter diſſerere, & Regis in hoc intentionem pleniùs elucidare & detegere, oſtendens & convincens decretis & legibus in quibus & in quantis quod pronuntiatum fuerat, Sanctorum Patrum Canonibus obviaret, quantumque diſcrimen Eccleſiæ Dei immineret, ſi Rex, quod intendebat, obtineret. Similiter & ad ſingula capitula, Papa libenter eum audiente. Cardinales verò, qui à Rege acceptâ pecuniâ partem ejus fovebant, multam ſibi vexationem intulerunt, præcipuè Willelmus Papienſis, qui Regi erat amicitior & familiarior. Sed ad objecta vir venerabilis velut aranearum fila ſinè difficultate vel ſolvebat, vel convincebat. Putabat quoque idem Willelmus, quòd Archiepiſcopus non propria, ſed aliena uteretur oratione; & unde poſſet eum à tramite ſui ſermonis deflectere, continuo eum ludibrio & confuſioni habebat. Quod Sanctus intelligens, Willelmum videlicet ſibi ex directo opponi, aliquoties eum reciproco ſermonis excurſu ita ſuis intricavit & illaqueavit objectionibus, ut omnibus manifeſtum fieret, quòd non ſolùm propriis uteretur viribus, & diſertitudine, verùm quòd inſuperabilis eſſet ingenii & eloquentiæ. Tandem admirans Papa ejus ſapientiam, vocavit eum ad ſe, & jubebat eum ſedere juxta ſe, dicens: *Bene venis, frater cariſſime*. Quumque gaudens eum bene veniſſe ſæpiùs repetiiſſet, gratias ei agere cœpit, quòd ſic Dei Eccleſiam defendiſſet, & conſuetudines illas perpetuò damnavit. Vir igitur Domini Pontiniacum ſe contulit, & ibi habitum Monachalem concupivit, & accepit inter ſe æmulationis ſtudia; cui Papa, dum ad eum miſiſſet pro benedictione habitus, reſcripſit ſic inter cetera: *Miſimus tibi, Frater dilecte, habitum, non qualem voluimus, ſed qualem habuimus*. Anno poſt hæc Domini MCLXV. idem Alexander reverſus Romam, cum honore recipitur, & anno ſeptimo ſequenti, qui fuit Annus Domini MCLXXV. Sanctum Thomam Martyrem præfatum Sanctorum adſcripſit Catalogo. Sequenti Anno Fridericus Imperator abjurat ſchiſma, quod per ſexdecim annos duraverat, & publicè ſatisfacit, & cum Alexandro Papa pacem componit. Sicque depulſo ſchiſmate unitas reformatur Eccleſiæ. Quum autem legatur, Eccleſiam Romanam multis ſchiſmatibus fuiſſe diſciſſam, iſto tamen nullum aut vehementiùs incanduit, aut diutiùs perſeveravit. Nam decem & octo ferè annis irrepſit hoc ſchiſma, in quibus contra hunc Alexandrum fuerunt quatuor ſucceſſivè ad Pontificatum electi. Horum primus Octavianus, qui & Victor, de quo jam dictum eſt, qui vixit poſt electionem annis octo & menſibus octo. Secundus fuit Guido Cremenſis Presbyter Cardinalis, qui & Paſchalis acclamatus eſt. Tertius Callixtus ſimiliter Cardinalis, qui vixit annis tribus, & menſibus ferè quatuor. Quartus Innocentius. Anno autem Domini MCLXXVII. qui fuit hujus Alexandri annus XVIII. idem Papa Romæ celebravit Concilium, ubi ex diverſis terrarum partibus factus eſt innumerabilis conventus tam Epiſcoporum, quàm etiam Abbatum. Hæc *Vincentius*. Sed *Martinus* ſcribit, quòd iſte Alexander Fridericum Imperatorem Romanorum, & Emmanuelem Conſtantinopolitanum Imperatorem, & Guilhelmum Si ulum Regem, atque Lombardos ad concordiam revocavit; Papienſem Epiſcopum Crucis & Pallii dignitate privavit, eo quòd Friderico Imperatori tunc & ab antiquo Regibus perſequutoribus Eccleſiæ adhæſiſſet. Hic etiam, quum omne Patrimonium Beati Petri, præter civitatem Urbevetanam, Terracinam, & Anagniam

gniam ab Aquapendente uſque Ceperanum, per Imperium & Schiſmaticos occupatum fuiſſet, in Franciam ſive Gallias, ut dictum eſt, tranſivit, ibique celebrato Turonis ſollemni Concilio, per mare ad Urbem veniens, quum Meſſanæ applicuiſſet, Guillielmus Siculorum Rex non ſolùm ut Papam, ſed etiam ipſum ut Dominum, à quo tenebat Regnum, recognoſcens, eum debito honore proſequutus eſt. Hujus tempore nova Civitas à Mediolanenſibus, Placentinis, & Cremonenſibus in Papienſium odium in Liguria, ſive Lombardia conſtruitur, Cæſarea in honorem Imperatoris primò dicta, quæ ut famoſior fieret, ab Alexandro Papa, qui ad ejus ædificationem adſtiterat, & Epiſcopum illi dederat, Alexandria nuncupatur.

CAP. XI.

De Lucio Papa III. ex Chronicis.

LUcius hujus nominis III. in Romana Cathedra Alexandro ſucceſſit, Anno Imperii Friderici primi vigeſimo nono, Incarnationis verò Dominicæ MCLXXXII. Et ſedit annis quatuor, menſibus duobus, & diebus decem & octo, & ceſſavit diebus octodecim. Hic fuit natione Thuſcus, vocatus priùs Humbaldus Oſtienſis. Qui ſui Pontificatus anno ſecundo ex Urbe perturbatur; multique ex ſuis excœcantur, mitrati ſuper aſinos averſis vultibus ponuntur; & qui juraverant, * ſe Papæ taliter repræſentant. Ipſe autem Papa Veronam pervênit, & ibi decedens, in Eccleſia Cathedrali, videlicet in Choro ejuſdem, rubro tumulatus lapide requieſcit. Hic etiam ipſo anno auditâ famâ Petri Monoculi Abbatis Claræuallenſis, vocavit eum, & confeſſus ei peccata ſua, Sacram Euchariſtiam de manu ejus ſuſcepit; & etiam habitum Ciſtercienſi Ordinis ſuſcepiſſet, ſi vir Dei utique annuiſſet. Dedit tamen ei ſumtus neceſſarios, unde Abbatiam unam illius Ordinis fecit. Inter ipſum quoque Lucium Papam, & Henricum Friderici Imperatoris filium primogenitum, ſimultas oritur, ita ut ipſi Papæ apud Veronam moranti quòquam progrediendi facultas denegetur, & itinerantibus injuriæ plures inferantur. Hic eſt Lucius, de quo ille Verſificator eximius & excellens Primas, qui eo tempore agnoſcitur, hos verſiculos edidiſſe fertur, qui tales ſunt.

Lucius eſt piſcis, Rex & tyrannus aquarum,
A quo diſcordat Lucius iſte parum.
Devorat hic homines, hic piſcibus inſidiatur:
Eſurit hic ſemper; hic aliquando ſatur.
Amborum vitam ſi lanx æquata levaret,
Plus rationis habet, quàm ratione caret.

Alius invehens contra Veronam, quòd ibi ſit defunctus, ait:

Luca dedit lucem tibi, Luci, Pontificatum
Oſtia, Papatum Roma, Verona mori.

Quidam verò alius invectivam vertens in Lucam, ſic ait:

Immo Verona dedit lucis tibi gaudia; Roma
Exilium; curas Oſtia; Luca mori.

CAP. XII.

De Urbano Papa III.

URbanus hujus nominis III. Lucio ſucceſſit Anno Imperii Friderici XXXIII. Incarnationis verò Domini MCLXXXVI. & ſedit anno uno, menſibus decem, diebus viginti quinque, & vacavit Sedes diebus treſdecim. Hic fuit natione Lombardus ex patria Mediolanenſi, primò vocatus Ubertus, agnatione de Crivellis, ex Archiepiſcopo Pontifex Romanus effectus. Quo pontificante capta eſt Sancta Civitas Hieruſalem per Soldanum nomine Saladinum. Qui quum rem tam flebilem audiviſſet, nimis indoluit, & ex animi dolore langueſcens poſt breve deceſſit, atque in Civitate Ferraria, ad quam nuper advenerat de Verona, poſt Altare Majoris Eccleſiæ, lapide rubro tumulatus quievit.

CAP. XIII.

De Gregorio VIII. Papa.

GRegorius hujus nominis VIII. huic Urbano in Pontificatu ſucceſſit Anno Domini MCLXXXVI. Imperii verò Friderici XXXV. & ſedit menſe uno, diebus viginti octo, & ceſſavit diebus viginti. Hic fuit natione Beneventanus; Vir quidem ſcientia literarum, facundiaque clarus, ſed & puritate vitæ & integritate animi præclarior, ſuiſque vehemens caſtigator. In primis igitur ad ſubventionem Hieruſalem totis inhiat animis, & ad concitandos Principes, Populoſque per Occidentis Provincias, tam Legatos, quàm literas deſtinat, & qui cladem Orientalem exponant, & pœnarum abſolutionem profecturis Hieruſalem promittant. Sed, proh dolor! in ſuo mox exortu flos decorus exaruit; qui poſt duos menſes apud Piſas moriens, quum inter ipſos Piſanos & Genuenſes pacem pro zelo Terræ-Sanctæ compoſuiſſet, ibidem ſepultus exſtitit.

CAP. XIV.

De Clemente Papa III.

CLemens hujus nominis III. defuncto Gregorio, in Apoſtolatus Cathedra provehitur Anno eodem, & ſedit annis tribus, & diebus ſexdecim. Hic fuit natione Romanus ex patre Johanne Scholari. Qui ordinavit Clauſtrum apud Sanctum Laurentium foris Muros Romæ, & Laterani Palatium altiùs conſtruxit, & picturis ornavit. Equum quoque æreum fieri fecit. Sequitur de Doctoribus, qui eodem Friderico imperante etiam claruerunt.

CAP. XV.

De Abbate Joachim & ſcriptis ejus.

JOachim Abbas his temporibus, ſcilicet circa Annum Domini MCLXXXV. de Calabriæ partibus vênit: ad Urbanum Papam hujus nominis III. morantem tunc apud Veronam vênit. De quo ſcilicet Joachim fertur, quòd quum priùs non multum ab homine doctore didiciſſet donum intelligentiæ divinitus acceptum adeò, ut facundè ac diſertè quaslibet ſcripturarum difficultates, vel obſcuritates enodaret. Dicebat itaque myſteria quædam Apocalypſis hactenus latuiſſe; ſed nunc in ſpiritu prophetiæ clareſcere, ſicut ex Opuſculo, quod ſcripſit, legentibus liquet. Dicit enim, quòd ſicut Scripturæ Veteris Teſtamenti quinque ætatum ſeculi ab Adam uſque ad Chriſtum decurſarum Hiſtorias continent, ſic Liber Apocalypſis ætatis ſextæ, à Chriſto ſcilicet inchoandæ decurſum exponit, ipſamque ætatem ſextam in ſex ætatulas diſpertitam, eaſque ſingulas ſingulis hujus Libri periodis ſatis congruè deſignatas. Dicit hæc quoque revelata fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe in fine ætatulæ quintæ, atque in proximo ſextam, in qua ſcilicet tribulationes varias multiplicesque preſſuras perhibet emerſuras, ſicut in apertione ſigilli & in ſexti Libri periodo, ubi de ruina Babylonis agitur, patenter oſtenditur. Id verò in Libello ejus præ ceteris notabile ac ſuſpectum habetur, quod Mundi definit terminum, & ita duas generationes, quæ juxta ipſam annos faciunt ſexaginta millia, arbitratur implendum. Fertur itaque multa ſcripſiſſe, Libroſque ſuos Papæ corrigendos obtuliſſe. Nam & in quibuſdam erraſſe dicitur, & tamen ei multa de futuris reſerata referuntur. Unde & poſtea duobus Regibus, Franciæ ſcilicet, & Angliæ in itinere tranſmarino apud Meſſanam Urbem Siciliæ hyemantibus idem Abba vocatus dixit, nondum liberationis Hieruſalem adeſſe tempus. Super his autem, quæ ſcripſit de futuris temporibus, nos rerum incertarum præſagium convenit relinquere poſteriorum judicio. Ceterùm in expoſitione Hieremiæ ita ſcribit. „ Ab Anno Domini MCC. & ultra ſuſpecta ſunt mihi tempora, in quo novo ordine Samuelis exorto Ophni & Phinees Sacerdotes, & Pontifices Dei à Romanæ Reipublicæ Principe captiventur; capiatur Arca Eccleſiæ; Heli quoque, ideſt Summus Pontifex corruat, & quaſi alter Mardochæus ſub Aman, in diſcrimine maneat agitata. Ipſam autem ruinam Eccleſiæ tales neceſſe eſt prædicare ac plangere, quibus voluntaria paupertas arrideat, & doctrinæ ſpiritualis ac vitæ puritas in futuræ tribulationis aculeis non obſiſtat. Tales ergo Doctores, tales Prophetæ mittendi ſunt, qui non ſolùm inferiores homines, ſed & ipſos Pontifices & Prælatos fulgurent, & non palpent. Revelandi nimirum in proximos Doctores Prædicatoreſque fideles, qui & terrena carnaliaque corda omni plaga percutiant, & elatis ac tumidis magiſtris ſilentium ſtudiis ſuis ponant. Et licèt ille ordo futurus ad obedientiam ſit oriturus, tamen à Prophetis eſt prænuntiatus, & in Apoſtolicis Viris tertii temporis Eccleſiaſtici curſus à Deo adeò cognitus & electus, in vulva ſpirituali Eccleſiæ ac perfectæ doctrinæ ſanctificandus, acſi alius Benjamin filius, non tam doloris in pœna, quàm dexteræ, ſcilicet exultationis in gloria. Tales in proximo pariet generalis Eccleſia jam ſeneſcens; tales Rachel plorabit filios, à Rege impudenti facie, acſi ab altero Herode occidendo, qui propter eam dicti ſunt dolores ſinique contritionis. Spiritualis religio præ anguſtia temporis non poterit conſolari; ſed tamen & ipſi dexteræ filii dicuntur, quia una in eis, & pro eis Mater Eccleſia premitur, inde de eis & cum eis æterna patria jam undatur. Hi ſunt fideles in vita, obedientes in preſſura. Formatus eſt igitur ordo iſte ad inſtar Hieremiæ in Eccleſia generali, ne quis eum de vitæ merito reprehendat. Puto etiam, quòd ſicut olim Deus Patres elegit ſenes, ſecundò Apoſtolos minores, ita & nunc tertiò pueros ad literam eligat propter eos, quibus vetera viluerunt, ad prædicandum ſcilicet Evangelium Regni, Prælatis adulterantibus Regnum Dei. Et ſicut olim per Moiſem & Joſue Dominus Cananæos Iſraelitis ſubjecit, ac per Paulum & Barnabam idolatras ſtravit, ſic etiam nunc per duos Ordines futuros gentes incredulas ſubigat & convertat. „ Scripſit etiam ſuper Iſaiam, ubi prædixit mirabilia. Et de concordia Veteris & Novi Teſtamenti; Libellum etiam, qui inſcribitur *de ſemine ſcripturarum*, in quo videtur certis demonſtrationibus ſeu rationibus ſeculi finem futurum ſub ultima litera Alphabeti; & adſcribit primæ annorum centenarium, & ſingulis aliis aliud centenarium ſuperaddit. Primam quoque literam attribuit tempori conditionis Romæ, & literam H. ortui Salvatoris, qui fuit; & poſt ſeptingentos annos ab ipſa condita Urbe, ſicque literam ante primam A. ideo Romæ adſcribit, quòd Urbs ipſa Linguæ Latinæ noſcitur eſſe caput. Edidit præterea Libellum contra Magiſtrum Petrum Lombardum *de Unitate, ſeu Eſſentia Trinitatis*, quem Innocentius Papa III. in Generali Concilio Lateranenſi Romæ celebrato damnavit & reprobavit. Si quis verò ſententiam vel doctrinam præfati Joachim in ea parte defendere vel approbare præſumſerit, tamquam hæreticus ab omnibus confutetur. Dixit enim, quòd quædam ſumma res eſt Pater & Filius & Spiritus Sanctus, & illa non eſt generans, neque genita, nec procedens; unde non tam Trinitatem, quàm quaternitatem aſtruebat in Deo. In nullo tamen idem Innocentius propter hæc Florentino Monaſterio, cujus ipſe Joachim inſtitutor extitit, voluit derogari, quoniam & regularis inſtitutio eſt, & obſervantia ſalutaris, maximè quum idem Joachim omnia ſcripta ſua eidem Papæ mandaverit, Apoſtolicæ Sedis judicio approbanda, ſeu etiam corrigenda, dictans Epiſtolam, quam propria manu conſcripſit, in qua firmiter confitetur, ſe illam Fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia.

CAP. XVI.

De Magiſtro Gerardo Cremonenſi & ſcriptis ejus.

GErardus Lombrrdus, natione Cremonenſis, magnus Linguæ translator Arabicæ, imperante Friderico, Anno ſcilicet Domini MCLXXX-VII. qui fuit Imperii ejuſdem Friderici XXXIV. vita defungitur, ſeptuaginta tres annos natus habens. Hic tam in Dialectica, quam Geometria, & tam in Philoſophia, quam Phyſica, & nonnullis aliis Scientiis multa tranſtulit. Qui licèt famæ gloriam ſpreverit, favorabiles laudes, & novas ſeculi pompas fugerit, nomenque ſuum nubes & inania captando noluerit dilatari, fructus tamen operum ejus per ſecula redolens, probitatem ipſius enunciat atque declarat. Is etiam quum bonis floreret temporalibus, bonorum tamen affluentia vel abſentia ejus animum nec extulit, nec depreſſit; ſed viriliter duplicem occurſum fortunæ patiens, ſemper in eodem ſtatu conſtantiæ permanebat. Carnis deſideriis inimicando, ſolis ſpiritualibus adhærebat. Cunctis etiam præſentibus atque futuris prodeſſe laborabat, non immemor illius Ptholomæi: *quum fini appropinquas, bonum cum augmento operare*. Et quum ab ipſis infantiæ cunabulis in gremiis Philoſophiæ educatus eſſet, & ad cujuſlibet artis notitiam ſecundùm Latinorum ſtudium perveniſſet, amore tamen Almageſti, quem apud Latinos minimè reperit, Toletum perrexit, ubi Libros cujuſlibet facultatis in Arabico cernens, & Latinorum penuriæ de ipſis, quam noverat, miſerans, amore transferendi, Linguam edidicit Arabicam; & ſic de utroque, de ſcientia videlicet & idiomate confiſus, de quamplurium facultatum Libris quoſcumque voluit elegantiores Latinitati, tamquam dilectæ heredi, planiùs atque intelligibiliùs, quo ei pollere fuit, uſque ad finem vitæ tranſmittere non ceſſavit.

ſavit. Inter cetera, quæ tranſtulit, habentur in Arte tam Phyſicæ, quàm aliarum facultatum, Libri ſeptuaginta ſex, inter quos Avicennæ, & Almageſti, Ptholomæi translatio ſolemnis habetur. Sepultus eſt Cremonæ in Monaſterio Sanctæ Luciæ, ubi ſuorum Librorum Bibliothecam reliquit, ejus præclari ingenii ſpecimen ſempiternum.

CAP. XVII.

De Uberto Archiepiſcopo Mediolani.

UBertus Mediolani Archiepiſcopus his temporibus, Anno ſcilicet Domini MCLXV. imperante eodem Friderico, dum eſſet exulans pro Fide, apud Beneventum defunctus, & ſepultus eſt in Eccleſia Sanctæ Sophiæ; qui ſederat annis viginti. Hic enim fuit patria Mediolanenſis, ex agnatione dicta de Pirovano, non infima quidem. Qui tempore illius damnoſi ſchiſmatis, quod in Eccleſia Dei, imperante Friderico & Alexandro ſedente, octodecim annis perniciose incanduit, tamquam vir piiſſimus exulare potiùs eligens, quam ab unitate Eccleſiæ diſcedere, ad Alexandrum hujus nominis III. quem Catholicum tenebat Papam, in multis periculis & metu acceſſit, memor prædeceſſorum Ambroſii, & Dionyſii, qui quum multas Arianorum & Hæreticorum perſequutiones paterentur, non pericula, non exilia, non temporalium rerum damna timuerunt, ſed pro Fide uſque ad ſanguinem reſiſtentes, morti & periculis expoſuerunt. Erat autem idem Archiepiſcopus ſanè nobilis, ſed ſanctitate nobilior, moribus amabilis, pietate laudabilior, ætate venerandus, in pauperes largus, conſtans in tribulationibus, multiſque pollens virtutibus. Sequuti ſunt autem eum quidam ex fratribus, inter quos Chriſti Confeſſor Galdinus Archidiaconus, & Alghiſius Cimeliarcha, qui poſtmodum alter poſt alterum Mediolanenſem ſuſceperunt regendam Eccleſiam.

CAP. XVIII.

De Sancto Galdino Archiepiſcopo Mediolani.

GAldinus, natione Mediolanenſis, ex proſapia Valvaſorum de Sarra ſecretè ad Nuxigiam Uberto Mediolanenſi Archiepiſcopo ſucceſſit Anno Domini MCLXVI. imperante Friderico, & ſedit annis decem.

CAP. XIX.

De Alghiſio Archiepiſcopo Mediolani.

ALghiſius, natione Mediolanenſis, proſapia de Pirovano, in Archiepiſcupatu Mediolanenſi Galdino ſucceſſit, imperante Friderico, Anno Domini MCLXXVI. & ſedit annis octo & menſibus ferè novem. Hic fuit Cimeliarcha Mediolanenſis Eccleſiæ; qui tempore Eccleſiaſticæ perſequutionis unà cum ſupradicto prædeceſſore ſuo Galdino exulantem Ubertum Archiepiſcopum ſequutus eſt. Mediolani quieſcit, in Eccleſia Hyemali ſepultus.

CAP. XX.

De Uberto Archiepiſcopo Mediolani.

UBertus, natione Mediolanenſis, ſucceſſit Alghiſio, imperante Friderico, Anno Domini MCLXXXVI. & ſedit annis duobus, menſibus quatuor, & diebus duobus. Fuit autem agnatione illorum de Crivellis; & dum eſſet Archidiaconus Mediolani, poſtea ex Archiepiſcopatus dignitate ad Summum promotus Pontificatum, Urbanus eſt dictus.

CAP. XXI.

De Milone Archiepiſcopo Mediolani.

MIlo, aſſumto ad Papatum Uberto, Archiepiſcopatum Mediolanenſem obtinuit, Anno Domini MCLXXXVI. & ſedit annis ſex, menſ. VIII. & diebus octo. Hic fuit agnatione de Cardano, & ex Epiſcopo Taurinenſi & Archipresbytero Mediolanenſi ſimul factus Archiepiſcopus, & in Hyemali Eccleſia Mediolani ſepultus.

CAP. XXII.

De Henrico Juniore Anglorum Rege, ſub quo martyrizatus eſt Beatus Thomas.

HEnricus Junior hujus nominis II. Dux Northmandiæ, & Angliæ Rex, hujus nominis II. imperante Friderico hujus nominis I. Anno ſcilicet ejuſdem ſecundo, qui fuit Annus Domini MCLIV. regnare cœpit. Hic enim fuit filius Gaufridi Comitis Andegavenſis, & Mathildis filiæ Senioris Henrici Anglorum Regis, qui fuit frater Willelmi Nothi. Ipſa enim Mathildis priùs fuit uxor Henrici V. Imperatoris Romanorum, quam quum repudiaſſet, eidem Gaufrido Comiti nupſit, ex qua hunc Henricum Northmandiæ Ducem, poſtea Regem Angliæ procreavit. Mortuo autem Henrico eodem Seniore Anglorum Rege, Stephanus ex ſorore nepos in Regno ſucceſſit; ſed Regni magna ex parte mutilatus, non multò poſt totam Northmanniam amiſit. Nam præfata Mathildis ejuſdem Regis Henrici Senioris filia, & Comitis Gaufridi, ut dictum eſt, conjunx, ope Ludovici VII. Francorum Regis Northmanniæ occupavit Ducatum, & in ipſa Anglia magnas ei moleſtias ac calamitates etiam ſuſcitavit. Quem poſtmodum etiam Comitatum bellicis invaſit comitibus; & dum illum obtinuiſſet, pro fratre ſuo tamen Roberto Comite relaxavit. Accepit autem hic Henricus junior Gaufridi Andegaviæ Comitis filius Altenoridem filiam Senioris Willelmi Comitis Pictavienſis, uxorem, quæ à Ludovico præfato Francorum Rege, cujus uxor erat, zelotypiæ ſpiritu repudiata extiterat. Ex hac autem Altenoride idem Henricus Comitis Gaufridi filius quaternam ſuſcepit ſobolem maſculinam, Henricum videlicet, Ricardum, Johannem, & Gaufridum. Ex quibus Henricus, Ricardus & Johannes regnarunt in Anglia ſucceſſivè. Gaufridus verò accepit Britanniæ Comitatum. Inſuper & quatuor filias ex eadem genuit conjuge, quarum una tradita fuit Regi Caſtellæ, ex qua orta eſt Blanca Regina Francorum, uxor ſcilicet Ludovici Regis hujus nominis VIII. altera Imperatori Conſtantinopolitano Alexio, tertia Duci Saxoniæ, unde natus eſt Otto IV. Imperator, quarta

ta verò Tholoſano Comiti, ex qua natus eſt Raymundus, cujus filiam poſtmodum accepit Alphonſus Pictavienſis Comes, frater ejuſdem Ludovici Francorum Regis. Imperante autem eodem Friderico Primo, Anno videlicet ſecundo ejuſdem, qui fuit Annus Domini MCLIV. facta pace cum Ludovico VII. Francorum Rege, mortuoque eodem Stephano Angliæ Rege, Henricus præfatus junior ipſam Angliam intrat, & Regni integritate potitus pacem antiquam reformat. Anno poſt hæc ſexto, qui fuit Annus Incarnationis Domini MCLVIII. filia ejuſdem Ludovici Regis datur filio ejuſdem Henrici Regis Anglorum, ut inter eos pax reformata obnixius firmaretur. Poſt hæc idem Henricus Rex Angliæ, & Aquitaniæ Dux, Anno Incarnatæ Divinitatis MCLXI. eodem Friderico imperante vênit contra Tholoſam. Sed quum Rex Franciæ Ludovicus VII. eam intraſſet ad defendendum eam, nolens ſuum dominum obſidere, receſſit. Regnante autem iſto Henrico juniore, Anno ſcilicet Dominicæ Incarnationis MCLXVI. qui fuit annus Imperii primi hujus Friderici XIII. completi ſunt ab adventu Anglorum in Britanniam majorem Anni octingenti triginta, a Baptiſmate eorum ſexcenti trigintaquatuor, ab introitu Northmannorum, Willelmo ſcilicet notho Duce eorum, poſtea Angliæ Rege, centum. Idem quoque Henricus Junior Rex majorem filium ſuum Henricum generum Ludovici præfati Francorum Regis in odium Sancti Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi fecit in Regem conſecrari per Rogerium Eboracenſem Archiepiſcopum, quod ſolùm ad Cantuarienſem Archiepiſcopum pertinebat. Poſt hæc idem Henricus Anglorum Rex, Anno ſcilicet eodem, Beatum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum exulari coactum ab exilio revocavit, & ſicut Papæ Alexandro & Ludovico Francorum Regi placuit, & promiſerat, pacem cum eo facturus, Miſſam cantari fecit pro Fidelibus, ſciens quòd ad illam pax non daretur, quam ab Archiepiſcopo nolebat aſſumere. Anno verò Dominicæ Incarnationis MCLXXIII. Henricus Regis Anglorum Henrici filius contra patrem Northmanniam vaſtat, multique moriuntur. Sequenti quoque anno Civitas Rothomagum ab eodem Henrico novo Rege Anglorum, & à Ludovico VII. Rege Francorum, & Philippo Flandrenſi Comite occupatur. Poſt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXIII. Henricus novus Angliæ Rex præfati Henrici junioris filius, & Ricardus fratres in Anglia diſcordant, & patre Ricardi partem fovente, poſt paucos dies Henricus Ricardi frater moritur.

CAP. XXIII.

De pœnitentia & excuſatione ſive innocentia Henrici Regis ſuper nece Beati Thomæ.

Licèt autem hujus ſibi nota criminis impingatur, ut ab ipſius Regis miniſtris impiis trucidatum eumdem glorioſum Antiſtitem referatur, legitur tamen in *Hiſtoria Acquiſitionis Terræ-Sanctæ*, quòd ipſe Rex Henricus ſceleris hujus pœnitentia ductus transfretare proponens, miſit annis ſingulis poſt mortem ejuſdem Archiepiſcopi Thomæ theſauri ſui partem non modicam. Qui dum in cuſtodia eſſet Templariorum & Hoſpitalariorum, urgente neceſſitate, à Guidone Rege Hieruſalem deputatus eſt in ſtipendium militum peregrinorum, jubens, ut primipilarii Chriſtiani exercitus, quibus theſaurus ipſe aſſignatus fuerat, in eorum vexillis Anglorum Regis Henrici deferrent inſignia, ſub cujus tunc ſtipendiis militabant. Petrus verò Bleſenſis Archidiaconus Bathonienſis in quadam Epiſtola ſcribens ad Panormitanum Archiepiſcopum, qui ab eo de morte ejuſdem Martyris ſciſcitabatur, ſic inquit: „ De morte Beati Martyris quæritis.
„ Ego in verbo Domini, & in ordine Diaconii
„ vobis dico, me nullo modo habere in con-
„ ſcientia, ipſum Regem Henricum hujus rei
„ culpabilem extitiſſe: hujuſque fidem pleniſſi-
„ mam vobis faciunt Theodinus Portuenſis Epi-
„ ſcopus, & Albertus Cancellarius, qui propter
„ hoc in partibus noſtris legatione fungentes
„ exploraverunt, & cognoverunt innocentiam
„ viri, atque ſub umbra illius hoc à quibuſdam
„ attentatum fuiſſe, totamque hanc iniquitatem
„ à Sanctuario proceſſiſſe. Accepta ſiquidem
„ ab eis canonica purgatione illius, illi de man-
„ dato Summi Pontificis publicè ſententiave-
„ runt, eum ab hoc crimine coram Deo & ho-
„ minibus eſſe innoxium, & in quoſdam Ma-
„ gnates, quorum malitiam in hac parte con-
„ vicerant, notam infamiæ retorſerunt. Illud
„ quoque noveritis, Regem, glorioſum Martyrem
„ in omnibus anguſtiis ſuis patronum habere
„ præcipuum. Eadem ſiquidem die, qua primò
„ tumulum Martyris viſitavit, Regem Scotiæ
„ perſequutorem & impugnatorem fortiſſimum,
„ captum vinculis & carceribus mancipavit.
„ Continuatoque deinceps favore ſucceſſuum
„ ope Martyris de univerſis hoſtibus glorioſiſſi-
„ mè triumphavit. Sciatis igitur certiſſimè,
„ quòd caritatem illam, qua te olim Rex &
„ Martyr mutuò dilexerunt, nec mors, nec
„ gladius abolevit. Fortis eſt enim dilectio ut
„ mors; & quum cetera tranſeant, caritas num-
„ quam excidit. Hæc eſt porta ſpecioſa, quæ
„ in ſubverſione Hieruſalem integra & intacta
„ permanſit. Nam quum omnia evacuentur in
„ morte, dilectio in morte non moritur, cujus
„ fortitudini mors ſuccumbit. Regnum quidem
„ Angliæ, quod adversùs Regem Stephanum
„ armis ſtrenuiſſimum ſudoribus obtinuerat bel-
„ licis, licèt adoleſcentulus & contemtus, filii
„ ejus conſilio, & auxilio Regum ac Principum
„ circumjacentium gravi ſeditione turbaverant;
„ ipſe autem deſtitutus ſuis, & ab extraneis
„ impugnatus, illo ſuccurrente, in cujus virtu-
„ te unus fugat decem millia, prævaluit uni-
„ verſis „. Nam ut ſcribit Eduardus Anglorum Rex in quadam Epiſtola Papæ Bonifacio VIII. Guillielmus Rex Scotorum pro Regno Scotiæ, & David frater ſuus, & Comites & Barones Regni Scotiæ devenerunt homines Henrici filii primogeniti hujus Regis Anglorum Henrici Secundi in craſtino coronationis prædicti Henrici primogeniti dicti Henrici Secundi Regis, patre ipſo vivente, & fidelitatem ei juraverunt contra omnes homines, ſalva fidelitate debita patri viventi. Anno verò XX. regni Regis hujus Henrici Secundi dictus Guilielmus Scotorum Rex rebellare incipiens vênit in Northumbriam cum exercitu magno, & exercuit in Populo ſtragem magnam. Cui occurrentes milites Comitatus Eboracenſis apud Alnevvilz ipſum ceperunt, & dicto Henrico Regi Angliæ reddiderunt. Anno ſequenti idem Guilielmus liberè abire permiſſus. Poſtea apud Eboracum Anno eodem de conſenſu Prælatorum, Comitum, Baronum, Procerum, & aliorum Magnatum Regni Scotiæ Domino ſuo Regi Angliæ Henrico filio Mathildis Imperatricis prædicto, ſuis literis patentibus caviſſe noſcitur, quòd ipſe, & heredes & ſucceſſores ſui Reges Scotiæ, Epiſcopi, Abbates,

Co-

Comites, Barones & alii homines Regni Scotiæ facerent Regibus Angliæ homagium, fidelitatem, & ligantiam ut legitimo Domino contra omnem hominem; & in ſignum ſubjectionis hujuſmodi idem Gulielmus Rex Scotiæ capellum, lanceam, & ſellam ſuos ſuper Altare Eccleſiæ Beati Petri Eboracenſi obtulit, quæ in eadem Eccleſia uſque in hodiernum diem remanent & ſervantur.

CAP. XXIV.

De forma & moribus ejuſdem Regis Angliæ Henrici.

FOrmam autem & mores ejuſdem Angliæ Regis Henrici idem Petrus Bathonienſis Archidiaconus in eadem Epiſtola ad eumdem Panormitanum Archiepiſcopum ſub hac deſcriptione tranſmiſit. ,, De David legitur ad commendationem decoris ejus, quoniam ruffus erat. Vos autem Dominum Regem ſubruffum hactenus extitiſſe noveritis, niſi quod colorem hunc venerabilis ſenectus & ſuperveniens canities aliquantulum alteravit. Statura ejus mediocris eſt, ut inter parvos magnus appareat, nec inter majores minimus videatur. Caput ejus ſphæricum eſt, tamquam ſapientiæ magnæ ſedes, & alti conſilii ſpeciale ſacrarium. Ea verò eſt capitis quantitas, ut collo & toti corpori proportionali moderatione reſpondeat. Oculi ejus orbiculati ſunt; dum pacati eſt animi, columbini, & ſimplices; ſed dum in ira & turbatione cordis, quaſi ſcintillantes igne & impetu fulminantes. Cæſaries ejus damna calvitiei non veretur. Superveniente autem artifici capillorum tonſura, leonina facies, quaſi in quadrangulum ſe dilatat. Eminentia naris ad totius corporis venuſtatem naturali eſt moderatione propenſa. Arcuati pedes, equeſtres tibiæ, thorax extenſior; lacerti pugiles virum fortem, agilem, & audacem denuntiant. In quodam tamen articulo pedis ejus pars unguis innaſcitur carni, atque in contumeliam totius pedis vehementer increſcit. Manus ejus quadam groſſitie ſua hominis incuriam protestantur: earum enim cultum prorſus negligit; nec umquam, niſi aves deferat, utitur chirothecis. Singulis diebus in Miſſis, in conſiliis, & aliis publicis actionibus Regni à mane uſque ad veſperas continuè ſtat in pedes; & licèt tibias habeat, frequenti percuſſione calcitrantium equorum enormiter vulneratas, & lividas, niſi tamen equitet aut comedat, numquam ſedet. Una die quatuor aut quinque excurrit dietas, ſi opus eſt; & ſic inimicorum machinamenta præveniens, artes eorum frequenter inopinata ſubitatione deludit. Ocreis ſine plica, pileis ſine faſtu, & veſtibus utitur expeditis. Vehemens amator nemorum; dum ceſſat à prœliis in avibus & canibus ſe exercet. Caro ſiquidem ejus ſe mole pinguedinis enormiter oneraſſet, niſi quòd ventris inſolentiam jejuniis & exercitio domat, atque in aſcendendo equum & excurrendo levitatem adoleſcentiæ ſervans potentiſſimus ad laborem ſingulis ferè diebus itinerando fatigat. Non enim ſicut alii Reges in palatio ſuo jacet, ſed per provincias currens explorat facta hominum, illos potiſſimè judicans, quos conſtituit judices aliorum. Nemo eo argutior eſt in conſiliis, in eloquio torrentior, ſecurior in periculis, in proſperis timidior, conſtantior in adverſis. Quem ſemel dilexit, vix dediligit; quem verò ſemel odio habuit, vix in gratiam familiaritatis admittit. Semper in ejus manibus ſunt arcus & enſes, venabula & ſagittæ, niſi ſit in conſiliis aut in libris. Quoties enim poteſt à curis & à ſolicitudinibus reſpirare, ſecreta ſe occupat lectione, aut in cuneo Clericorum aliquem nodum quæſtionis laborat evolvere. Nam quum Rex veſter bene literas noverit, longè literatior eſt Rex noſter. Ego enim in literali ſcientia facultates utriuſque cognovi. Scitis quòd Dominus Rex Siciliæ per annum diſcipulus meus fuit; & qui a vobis verſificatoriæ aut literatoriæ artis primitias habuerat, per induſtriam & ſolicitudinem meam beneficium ſcientiæ plenioris obtinuit. Quàm citò autem egreſſus ſum Regnum, ipſe libris abjectis ad otium ſe contulit palatinum. Verumtamen apud Dominum Regem Anglorum cotidiana ejus ſchola eſt literatiſſimorum converſatio jugis, & diſcuſſio quæſtionum. Nullus Rege noſtro eſt honeſtior in loquendo, in comedendo urbanior, temperatior in bibendo. Nullus magnificentior eſt in donis, ideoque quaſi unguentum effuſum eſt nomen ejus, & eleemoſynas illius enarrat omnis Eccleſia Sanctorum. Rex noſter pacificus, victorioſus in bellis, glorioſus in pace. Super omnia deſiderabilia hujus Mundi zelatur & procurat pacem Populi ſui. Ad pacem (*) Populi pertinet quicquid cogitat, quicquid loquitur, quicquid agit. Ut quieſcat Populus ſuus, labores anxios & enormes inceſſanter aſſumit. Ad pacem Populi ſpectat, quòd Concilia vocat, quòd confirmat fœdera, quòd amicitias jungit, quòd ſuperbos humiliat, quòd prœlia minatur, quòd Principibus terrores immittit. Ad pacem Populi tendit illa immenſitas pecuniarum, quam donat, quam recipit, quam congregat, quam diſpergit. In muris, in propugnaculis, in munitionibus, in foſſatis, in clauſuris ferarum & piſcium, & in palatiorum ædificiis nullus ſubtilior, nullus magnificentior invenitur. Pater ejus potentiſſimus & nobiliſſimus Comes fines ſuos ampliſſime dilatavit; ſed iſte patris facultatibus ſuperaddens in fortitudine manus ſuæ Ducatum Northmanniæ, Ducatum Aquitaniæ, Ducatum Britanniæ, Regnum Angliæ, Regnum Scotiæ, Regnum Hiberniæ, Regnum Waliæ, paternæ magnificentiæ titulos inæſtimabiliter ampliavit. Nullus manſuetior eſt afflictis, nullus affabilior eſt pauperibus, nullus importabilior eſt ſuperbis. Quadam enim divinitatis imagine ſemper ſtuduit opprimere faſtuoſos, oppreſſos erigere, & adverſus ſuperbiæ tumorem continuas perſequutiones, & exitiales moleſtias ſuſcitare. Quum autem juxta Regni conſuetudinem in electionibus faciendis potiſſimas & potentiſſimas habeat partes, habuit tamen ſemper manus ab omni venalitate innoxias & immunes. Has & alias tam animi quam corporis ſui dotes, quibus ipſum natura præ ceteris egregiè inſignivit, tango ſummotenus, non deſcribo. Meam enim profiteor inſufficientiam, crederemque ſudare ſub tanta materia Tullium aut Maronem.

(*) *Hæc deſiderantur in editione Epiſtolarum Petri Bleſenſis Epiſt. LXVI. edit. Moguntin. & in* Tom. XXIV. Biblioth. Patrum uſque Ad pacem Populi tendit illa immenſitas &c.

,, nem. Illud ſanè tantillum, quod de forma
,, & moribus ejus ad inſtantiam veſtram brevi-
,, ter delibavi, mihi temeritati à pluribus ad-
,, ſcribitur. Videbor enim aut onus importa-
,, bile præſumſiſſe, aut plurimùm de magnifi-
,, centia tanti per invidiam recidiſſe. Ego ta-
,, men veſtræ ſerviens caritati, quod poſſum
,, facio, & quod ſcio ſinè invidia & detractio-
,, ne veſtræ petitioni communico; atque inter
,, ceteros magnos viros, qui de laudibus Do-
,, mini mei ſcribunt, ego cum paupere vidua
,, minutum devotionis in gazophylacium mitto.

Regnavit autem præfatus Henricus Anglorum Rex imperante Friderico I. annis trigintaquinque. Sepultus eſt apud Fontem Everardi in Abbatia Monialium, multis à ſe reditibus & muneribus ampliatum; eique ſucceſſit filius ejus Ricardus Comes Pictavienſis.

CAP. XXV.

De Ricardo Rege Anglorum & geſtis ejus.

Ricardus Anglorum Rex Henrico patri ſucceſſit. Cœpit Anno Domini MCLXXXIX. imperante Friderico. Regnavit autem cum patre annis ſex, & poſt mortem patris annis duodecim: fuitque annus ejuſdem Friderici in Imperio XXXVI. Hic cùm ipſo Anno Giſorcium Caſtrum ingreſſus fuiſſet, totum flagravit incendio; & ad ipſius etiam ingreſſum pons ligneus ſub pedibus ejus fractus, aliis omnibus liberè tranſeuntibus, ita quòd cum equo cecidit in foſſatum. Poſt paucos dies pax, quæ inter patrem ejus Regem Henricum, & Philippum Regem Franciæ fuerat interloquuta, inter ipſum Ricardum & Philippum eſt conſummata. Cui Ricardo etiam tunc Philippus urbem Turonis, & Cenomannis reddidit pro pacis bono, & Caſtellum Radulphi cum toto feudo ſuo. Qua de cauſa Ricardus Rex Philippo eidem feudum Crariati totum perpetuò quietavit, & omnia feuda, quæ habebat in Avergnia. Poſt hæc idem Rex Ricardus in Angliam pergens, apud Civitatem Londres Regni coronam accepit, & recepto à ſuis homagio, commiſſâque Regni curâ Balivis, in Northmandiam vênit, ubi cum Rege Philippo colloquio habito poſtulavit ab eo inducias ſuper matrimonio ſororis ejuſdem Philippi, quam ſpoponderat accipere conjugem, aſſignatâ ſuæ excuſationis causâ, quòd ſcilicet transfretationis in Terram-Sanctam votum emiſerat, quod ſe priùs impleturum velle dicebat. Pollicebatur tamen, quòd die octava poſt peregrinationis ſuæ reditum eam in uxorem acciperet, & coronaret Reginam. Quibus Rex Philippus annuens, & ſe velle ſimiliter transfretare indicans, certum terminum, in quo iter arriperent, invicem ſtatuerunt. Anno igitur ſequenti Rex Ricardus cum ſollemni Procerum agmine, ſumto peregrinationis baculo atque pera apud Maſſiliam mare intravit, & inde diſcedens ad Inſulam Siciliæ tendit, viſurus ſororem, quæ fuerat Regina Siciliæ, ac cogniturus de itinere Regis Philippi. Veniens autem Palermum, agnovit, Regem Philippum hybernatûm perrexiſſe Meſſanam. Qui ibi navigans cum multo gaudio receptus eſt à Rege Philippo, & cum eo hibernavit ibidem, fundavitque in ea Civitate ſupra collem quemdam munitiſſimum Caſtrum nomine *Mathgriſon*, quod ſonat in Latinum *Græcorum occiſorum*. Hoc autem ideo fecit, ut ſuos tueretur, qui cum Tancredo Siciliæ Rege litem habuerant, quam tamen Philippus Rex communi pace diremit. Quumque Rex Philippus mare tranſiret, Rex tamen Ricardus uſque ad menſem Auguſti diſtulit; erat enim tunc Martius menſis. Commorante itaque eodem Ricardo apud Meſſanam, ſororem ſuam Johannam rogavit, ut dote ſua pretio diſtracta, eoque ſibi pretio contributo, cum eo iter transmarinum arriperet, promittens ei, quòd in reverſione ſua egregio eam viro in matrimonium copularet. Ipſa igitur Regis requiſitionibus annuens, Tancredo Regi Siciliæ dotalitium vendidit, & Regi fratri conceſſit, qui ſibi promiſſa complevit, ut infra dicetur. Arripuit igitur iter Rex Angliæ per mare cum ſuis. Mater Regis interea, quæ in Comitatu Pictavienſi tunc erat, audito quòd Rex filius erat apud Meſſanam, nolens quòd ſororem Philippi Regis Franciæ juxta promiſſum duceret in uxorem, rogavit Regem Navarræ, ut ſororem ſuam eidem Ricardo apud Meſſanam hibernanti daret uxorem. Quod quum Rex Navarræ annuiſſet matri Ricardi, acceptâ puellâ eam Meſſanam per terram conduxit. Sed quum filium non inveniſſet, commiſit eam Johannæ ſorori ejuſdem Ricardi, quæ profectura erat poſt eum, ut prædictum eſt, quatenus eam ſecum duceret, & ex parte ſua Regem rogaret, quòd eam ſuſciperet in uxorem. Quo facto Regis mater in Comitatu Pictavienſi reverſa eſt. Quumque Ricardi ſoror cum puella navigans appuliſſet Inſulam Cypri, invênit forte fratrem, & dum narraſſet cauſam, cur puellam adduxerat, conqueſta eſt etiam ei de Kirſaco Imperatore Cypri, qui fuit ex cognatione Emmanuelis Conſtantinopolitani Imperatoris, quòd navem ejus tentavit invadere, à quo diſcrimine ipſius fratris ſui occurſus tutaverat.

His auditis Ricardus Rex contra Kirſachum vehementer commotus eſt animo, & dum ad Civitatem, quæ Limezon dicitur, navigans feſtinaret, ipſe Kirſachus hoc cognito ejuſdem Regis Angliæ potentiam timuit, adeò ut nudis etiam pedibus equum aſcendens ſe cum ſuis fugæ commiſerit. Rex autem Ricardus ad litus deſcendens Civitatem cum incolis & omni ſupellectile cepit. Ibi etiam apud Monaſterium, quod extra Civitatem erat, puellam Regis Navarræ filiam, quam ſibi mater ejuſdem Ricardi per Johannam ſororem miſerat, deſponſavit uxorem. Poſt hæc Kirſachum inſequutus, dum eum in quodam oppido dura obſidione arctaſſet, tamdem vi eum cum uxore & filia ejus cepit, omneſque theſauros ſuos exportavit. Inſulam verò de ſuis munitam reliquit, quam tamen ſequenti Anno pro vigintiquinque millibus Marchis argenti Templariis venalem tradidit, & poſtmodum eis ablatam Guidoni quondam Hieroſolymitano Regi iterum vendidit. Proficiſcens igitur idem Ricardus Rex ad obſidionem urbis Acon, in qua jam Philippus Rex Francorum eum prævenerat, & Kirſachum cum conjuge & filia ſecum captivos ducens, qui poſtmodum in vinculis ejus deceſſit, obviam habuit navem unam Saladini, quæ ducebatur in ſuccurſum Acon Civitatis, miro modo munitam; erant enim in ea infinitæ phialæ plenæ igne Græco, & baliſtæ CCL. & arcuum, & armorum copia maxima; erantque in ea bellatores fortiſſimi; qui omnes à Rege Ricardo, & ſuis ſunt interfecti, & navis confracta periit. Quum autem Rex ipſe Ricardus appropinquaſſet Acon, Rex Franciæ Philippus, quamquam animo turbaretur, quòd ipſe Ricardus contra fœdus initum Regis Navarræ filiam accepiſſet uxorem, id tamen diſſimulans, obviam ei proceſſit; tantumque in

illius

illius adventu fertur humilitatis officium exhibuiſſe, ut equo deſiliens ipſam Regis Angliæ ſponſam in ulnas ſuſceperit, & ex navi ad litus eam eduxerit. Igitur quum veniſſent ambo Reges, ſcilicet Ricardus & Philippus ad obſidionem Acon, vênit & cum eiſdem omnium incentiva malorum potentiſſima regina Diſcordia, & ſedit in eorum medio cum ſorore ſua macilenta & livida ſcilicet Invidia, & tam ipſos Reges, quàm totum Chriſtianorum exercitum in diverſas voluntates diſtraxit. Quum enim Francorum Regi pugna contra Acon placebat, Regi Anglico diſplicebat; & quod placebat Anglico, erat Franco moleſtum. Et in tantum hæc aucta eſt diſcordia, quòd ferè inter ſe inteſtinum bellum moverunt, & inter ceteros Principes effuſa eſt duorum Regum diſcordia. Porrò Rege Ricardo in aſſultibus Acon operante remiſſiùs, Rex Philippus ad murorum deſtructionem bene operatur, urbemque in tantum expugnavit, quòd ad deditionem coegit obſeſſos. Recepta eſt igitur Acon à Chriſtianis, cujus captivos omnes æqua lance inter ſe Reges diviſerunt. Rex Ricardus ex ſua ſorte captivorum juſſit quinquemillia decollari, retentis majoribus & ditioribus, à quibus pro redemtione innumeram pecuniæ ſummam accepit. Illos autem ideo decapitari juſſit, quod Crucem Dominicam, & captivos Chriſtianos juxta promiſſum non reddiderunt. Civitatem Aicalonenſem multi auri pretio Paganis petentibus funditus evertit. Japhet Civitatem ab obſidione Saladini liberavit; qua liberata dum Saladinus ipſe Regem Ricardum quemdam ſupra collem inter ſuos pedes ſtantem vidiſſet, juſſit ſtatim per armigerum ſibi equum tranſmitti, dicens, non decere tam ſublimem virum tali loco inter ſuos ſinè equo conſiſtere; quem Rex gratanter accipiens, curialitatem ejus collaudans, gratias illi egit. Tantæ demum formidini à Sarracenis habitus eſt Rex Ricardus propter ejus fortia geſta, ut etiam dum infantes in ipſis vagirent cunabulis, matres ſive nutrices eorum per Ricardum Anglorum Regem quieſcere imperarent. Erat etiam illud jam tritum vulgi ſermone proverbium, ut dum Sarracenus aliquis equum umbras abhorrentem calcaribus ſtimularet, his in eum verbis inveheret: *Cogitas ne in hunc rubum, ſive ceſpitem, Ricardum Angliæ Regem confugiſſe?*

CAP. XXVI.

De captione ejuſdem Regis.

PORRÒ præfatus Rex Ricardus advertens, quòd pauci peregrini in partibus illis remanſerunt, treugas cum Saladino compoſuit. Poſtmodum verò in Regnum ſuum redire diſponens, (jam enim Rex Philippus receſſerat, qui ſibi juramento promiſerat, quòd infra quinquaginta dies, poſtquam in Franciam reverſus eſſet, illius terræ non noceret) Henrico nepoti ſuo juveni Campaniæ Comiti exercitum ſuum tradidit, totamque terram tranſmarinam, quam tunc Chriſtiani tenebant, ei dimiſit; & ingreſſus mare, naufragium patiens, cum paucis evaſit. Quidam autem Comes Matinardus de Gorte, populuſque regionis illius audito, quòd in terra erat, ipſum inſequuti ſunt; eoque in fugam verſo, milites octo de ſuis ceperunt. Sed & quum tranſiret per Epiſcopatum Calaburgenſem, Fridericus quidam ſeptem milites de ſuis cepit, eundemque Lopuldus Auſtriæ Dux, obſeratâ ſtratâ, & poſitis ubique cuſtodibus, inventum

A in domo deſpecta captivavit, & omnibus bonis ſpoliatum Henrico filio Friderici I. tunc jam patre defuncto imperanti, Anno ſcilicet Incarnationis Domini MCXCII. tradidit; à quo injuſtè per annum & dimidium detentus, multiſque expenſis & variis exactionibus gravatus, tamdem datis ducentis millibus marchis argenti pro redemptione, per mare in Angliam tranſvectus eſt. Timebat enim tranſire per terram Francorum, quia Regem valde habebat offenſum. *Hæc refert Vincentius in Speculo ſuo* de modo captionis Ricardi Angliæ Regis. Sed aliter ſcribitur in *Hiſtoria acquiſitionis Terræ-Sanctæ*; videlicet, quòd dum Rex Ricardus claſſem tranſfretandi causâ in regnum ſuum parari juſſiſſet, B & ibi conjugem & ſororem mitti, vocavit ad ſe Templi Magiſtrum, & neſcio quo præſagio futuri caſus ſibi adverſi rogavit eum, ut duos ex Fratribus Ordinis comites itineris ejus concederet, dicens hæſitationem quamdam ejus animum titillare, quòd aut occideretur, aut captivaretur in ipſo itinere. Unde decreverat, ut quum mare tranſiſſet, aſſumto habitu ejuſdem Ordinis eſſet cum eiſdem Fratribus in Angliam profecturus. Quod quum Magiſter Ordinis annuiſſet, Rex vale dicto omnibus navem aſcendit; ſed die adveſperaſcente de navi exivit, & galêam, in qua Fratres erant, intravit, relicta conjuge, ſorore, reliquiſque neceſſariis ejus. Nulla tamen ſibi contra fatum cautela profuit; C nam familiares inimicos, vitæque ſuæ inſidiatores in ipſa galêa eo inſcio excogitati ſceleris ſecum duxit. Quumque Aquilegiam appuliſſet, quæ eſt in introitu Alemanniæ, à parte maris Græcorum deſcendit ad litus. Deinde per Alamaniam tranſiens, quum perveniſſet in terram Ducis Auſtriæ, hoſpitatus eſt in quodam Oppido, in quo tunc Dux degebat. Tunc inſidiatores necis illius clam ad Ducem profecti innotuerunt ei Regem Ricardum adeſſe. Quo audito Dux lætus effectus eſt: habebat enim Regem ipſum exoſum, quia, ut fertur, Rex ipſe apud Acon eumdem Ducem contumelioſis dehoneſtaverat verbis. Statim igitur ad portas oppidi deputatis obſervatoribus armatos miſit, qui Re- D gem comprehenderent. Rex verò ſatellitum Ducis adventu præcognito, vili aſſumta toga, coquinam fertur intraſſe, & capones ad prunas rotaſſe. Quum ſatellites Regem non agnoſcerent, hi, qui vitæ ejus inſidiabantur, Regem in coquina deliteſcere indicaverunt. Deprehenſus igitur Rex Ricardus ad Ducem deductus eſt, & carceri mancipatus. Philippus autem Rex Franciæ, cognito quòd Ricardus ipſe à Duce Auſtriæ fuerat carceri adductus, ſibique aptum adeſſe tempus, quo latentia pectori vulnera ulciſceretur, collecto ſuorum exercitu Anno humiliationis MCXCIII. proceſſit in Northmanniam, & Giſorcium cepit, & paulò poſt totum Vultaſinum Normannicum, quod Rex injuſtè E poſſidere dicebatur, & magnam Regni Angliæ partem igni ſuppoſuit. Cepit quoque urbem Ebroicam, & Novum-Burgum, & Vallem Ruolii, & alias plures munitiones tam in Northmandia, quàm Angliæ Regno.

Ricardus inter hæc Rex Angliæ in captivitate tentus ab Auſtriæ Duce, Henricum Romanorum Imperatorem interpellari fecit, ut redemtionem ejus mandaret taxari, plus ſe dolere aſſerens, quòd direptionibus & incurſionibus Rex Franciæ terram ſuam invadebat, quàm quòd teneretur captivus. Imperator itaque tamdem Duci mandavit, ut conſilio Regis Franciæ redemtionem taxaret, quæ fuit ducentarum millium mar-

marcharum argenti, vel ut alii dicunt centum ſexaginta millium marcharum. Qua perſoluta, & inter ipſos Imperatorem, Regem, & Ducem concuſſa, Rex Ricardus reſtitutu eſt priſtinæ libertati. Fertur autem, Regem ipſum Ricardum, quum liber eſſet à carcere, quadam animoſitate Duci dixiſſe: *Non ſic fuiſſet Regis taxanda redemtio*; ſed dum ipſe & quicumque alius Rex redemtioni exponendus eſſet, deberet deſtrerio inſidere, & lanceam in manibus ejus tradi; argenteos quoſque tamdiu pro Regis redemtione perſolvi, quouſque poſſet equus cum Rege ad ſummitatem erectæ lanceæ contegi. Egreſſus igitur à carceribus Rex Ricardus, vulnuſque capitale gerens ſub pectore, quòd Philippus Rex Franciæ terras ejus non ſolùm invaſerat, ſed & particeps extiterat redemtionis illius, ſuum undique coadunavit exercitum; auxiliares ſibi etiam requiſivit amicos: novas amicitias & confœderationes cum multis componens, & maximè cum Provinciæ Comitibus, & Balduino Flandriæ Comite, cum quo ſpeciale vulnus iniit, quouſque ad recuperationem Terrarum, quas idem Rex Franciæ ambobus occupaverat, mutuis auxiliis ſe ſe juvarent. Nam Rex ipſe Franciæ Balduino etiam Comiti Flandriæ Terras, quas in dotem ſororis ſuæ acceperat, detinebat. Procuravit quoque Rex ipſe Ricardus ſibi reconciliare Principum Regni Franciæ corda, ita quòd licèt corcialiter eſſent in Regis Francorum obſequio, eorum tamen affectus Rex Angliæ poſſidebat. Quumque Anno Incarnationis Altiſſimi MCXCV. præfati Rex Ricardus & Comes Balduinus inchoatâ guerrâ cum eodem Philippo Rege Franciæ multis direptionibus terram ejus infeſtarent, quadam die diſcurrentibus eorum prædonibu ante civitatem Belluacenſem, Epiſcopus civitatis cum multis egreſſus illos fugavit, donec fugati verſis ad fugantes aſpectibus prœlium contra eos duriſſimum incœperunt, itaut victi demum victores fuerint, & fugantes capti. Alia die quadam dum Rex Franciæ apud Giſorcium eſſet, habens ſecum ferè milites octoginta, & per illius territorium equitaret, in Anglorum inſidias ſe impegit. Quumque Francigenæ advertiſſent ibi eorum Regem incautè veniſſe, neque eos poſſe ſinè notabili obprobrio & magno damno retrocedere, rogaverunt Regem, ut ſolus versùs Giſorcium feſtinaret. Quibus dum annuiſſet, Rex Angliæ è latibulis cum ſuis egreſſus irruit ſuper hoſtes, illoſque includens, ex ipſis Francigenis nullus evaſit. Rex verò Philippus, qui apud Giſorcium confugerat, hæc audiens infremuit animo tum contemplatione captivatorum militum ſuorum, tum ratione ſibi improperii irrogati, ex quo juſſit omnem ſuum exercitum congregari. Balduinus verò Flandrenſis Comes ex Flandria egreſſus, terram Regis Philippi invaſit, & Atrebatum, & Sanctum Omarum cepit. Poſt hæc procedens ad obſidionem Atrebatii, quum nil ibi proficeret, amota obſidione per Franciæ Regnum diſcurrit, multis direptionibus illud infeſtans. Rex autem Franciæ cum univerſo exercitu adunato contra Regem Anglorum proceſſit hoſtiliter: Quumque vellent ſimul congredi, mediantibus Principibus treugas mutuò firmaverunt. Ipſo autem treugarum tempore contigit, ut miles quidam in Regno Angliæ theſaurum ſub terra abſconditum inveniret. Quo cognito Rex Angliæ Ricardus miſit ei, ut theſaurum inventum ſibi conſignare deberet. Miles verò ad Vicecomitem Lemovicenſem confugiens, quum ambitiosè Regi reſponderet, di-

A cens ſe de fiſco illius nihil habere, Rex indignatus ad obſidionem oppidi illius juxta Lemovicas properavit. Dum autem illud fortiter impugnaret, mortem quoque oppidanis interminaretur, baliſtarius quidam ex improviſo quadrellum tranſmittens vulnus Regi lethale inflixit. Rex verò ſtatim illud ejiciens ab obſidione diſceſſit, & poſt paucos dies mortuus apud Fontem-Eberardi fuit humatus regaliter. Cui frater ejus Johannes, qui *Sine-Terra* dicebatur, in Regno ſucceſſit Anno humanatæ Divinitatis MCXCVIIII.

CAP. XXVII.

B *De Philippo Rege Francorum hujus nominis III. & geſtis ejus.*

PHilippus hujus nominis III. imperante Friderico I. regnavit in Francia. Hic Ludovici VII. Regis Franciæ filius, vivente adhuc patre, Remis in Regem conſecratur a Wilelmo avunculo ſuo, de Archiepiſcopatu Senonenſi in Archiepiſcopatum Remenſem tranſlato, adſtante Rege Angliæ Henrico hujus nominis II. & ex una parte coronam ſuper caput Regis Franciæ ex debita ſubjectione humiliter portante Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXIX. die Omnium Sanctorum, qui fuit Annus ejuſdem Friderici Imperatoris XXIX. Ludovici verò patris
C ipſius Philippi XXXIII. Alexandri verò Tertii Papæ XX. Et regnavit Annis XLIII. computatis duobus, quibus patri convixit. Idem etiam Philippus ſecundo Regni ſui Anno, quo pater defunctus eſt, adhuc tamen eo vivente, ſecundò diadema ſibi impoſuit, & ejus uxorem Eliſabet Balduini filiam Comitis Hajonienſis, neptemque Comitis Flandriæ Philippi Magni, qui ea die, pro ut moris eſt, enſem ante Regem honorificè portavit, à Guidone Remenſi Archiepiſcopo fecit inungi apud Sanctum Dionyſium. Hic Philippus fortunatiſſimus fuit; nam Anno primo Regni ſui bella contra eum inſurgere cœperunt, de quibus ipſe ſtrenue triumphavit. Poſtmodum ſimultatibus, ideſt fictis
D odiis, inter Principes Regni ortis, & conſpiratione contra Regem facta, tamdem ipſe victor obtinuit. Ipſo autem Regni ſui Anno ſecundo, qui fuit Annus Domini MCLXXXI. apud Aurelianum, die Dominica circa Feſtum Beati Laurentii, Presbyter quidam celebrans paraverat duas hoſtias propter viaticum, & proceſſerat uſque ad orationem Dominicam: videt illam, quam manibus tenet, rubeo colore ſuffuſam, & ſanguinem ex ea inter digitos profluentem, eamque ſuper Altare in tribus locis tranſpoſuit, ut in ſingulis, quantum ipſa continet, tantumdem ſanguine purpuretur. Populus accurrit, miratur. Sacerdos illam ſumit, quam ipſe paraverat reponendam. Rex autem Philippus occur-
E rit, & vidit hoſtiam in formam carnis vividæ, & ſuper corporale ſanguinis guttas, ſive etiam notas, quum tranſponeretur hoſtia, ad modum hoſtiæ circulatas. Poſt modicum apud Caſtrum Carolam eadem hoſtia partim carnis, partim panis ſpeciem reſumſerat, in Feſto ſcilicet Omnium Sanctorum, dum, Priore celebrante & volente ipſam tripartire, frangi non poteſt, ſed integra manens per medium eſt replicata; & mox pars una formam carnis induit, pars reliqua in priſtina forma manet. Simile quid accidit apud Soronam Oppidum. Aliud quoque ſimile in territorio Windocinenſi; apud Atrebatum quoque accidit idem. Hæc autem contige-

runt propter hæreſim in Vaſconia pullulantem. Anno ſequenti Philippus Comes Flandriæ, Otto Dux Burgundiæ, Willelmus Archiepiſcopus Remenſis & fratres ejus conſpirant in ipſum Regem. Qui Rex per Brabantiones terram Comitis Stephani vaſtat, & Comes Flandriæ terram Regis. Henricus verò hujus nominis II. Rex Angliæ cum filio fert opem Regi. Illis autem mediantibus componitur inter partes.

CAP. XXVIII.

De Andronico Conſtantinopolitano, qualiter ad Imperium pervenit.

ANdronicus, imperante Friderico I. Conſtantinopolitanum uſurpat Imperium Anno Domini MCLXXXIII. qui fuit Annus ejuſdem Imperatoris Friderici XXX. Hic autem Andronicus hoc modo Imperio ſe intruſit. Emmanuel enim Conſtantinopolitanus Imperator vir ſanctiſſimus, & omni magnificentia præclarus, dum gravi correptus infirmitate decumberet, Imperii Principibus ad ſe vocatis, eos conſuluit, cuinam poſſet viro fideli & idoneo filii ſui Alexii tutelam, & Imperii gubernationem uſque ad ipſius ætatem adultam committere. Omnibus autem in hoc convênit aſſenſus, ut puer ipſe traderetur Andronico, qui & tutelæ curam, & Imperii regimen adminiſtraret per omnia. Is enim erat eidem Emmanueli Imperatori poſt filium ſanguinis linea proximior; quem tamen Imperator ipſe Emmanuel, eo quòd Theodoram Reginam neptem ſuam, & ejuſdem Andronici conſanguineam, ac Balduini quondam Hieruſalem Regis conjugem in terram ſecum Sarracenorum ducens, dum eſſet apud Acon, turpi amore dilexerat, vinculis tenebat incluſum. Agnito igitur Principum voto, idem Imperator Emmanuel Andronicum juſſit à carceribus eximi, & eum in gratiam ſuam recipiens, filium Alexium, Imperiumque poſt ejus mortem fideliter cuſtodiendum commiſit, Bajulumque conſtituit. Poſt hæc defunctus eſt Imperator Emmanuel Anno Domini MCLXXXII. qui dum vixit, Latinos dilexit, Latinamque uxorem duxit, & cidem filio ſuo Agnetem Ludovici VII. Francorum Regis filiam in uxorem accepit. Eo igitur mortuo, Andronicus ipſe ex commiſſione Henrici Imperatoris puerum in tutelam, & Imperium in poteſtate ſua recipiens, cupiditate regnandi allectus, rem nefandiſſimam eſt aggreſſus. Adſcito enim ſibi Scriba ſuo Anguſtioſo nomine clam puerum cepit, & ſacco eum immittens (proh pudor!) parricida & fidei commiſſi violator effectus, ſubmerſit in mare. His etiam non contentus, quoſcumque de ſanguine ejuſdem Emmanuelis in proprium graſſatus ſanguinem habere potuit, ſingillatim ad ſe vocari mandans, clam privavit luminibus. Quo peracto diadema ſuſcepit Imperii. Quidam tamen ex genealogia ejuſdem Emmanuelis, Kirſachus nomine, timens Andronici ſævitiem, latenter aufugit ad Inſulam Cypri, quem Cyprenſes, eo quòd de ſtirpe ejuſdem Emmanuelis erat, Imperatorem Inſulæ præfecerunt, tradentes ſibi Imperii diadema. Ipſum tamen Kirſachum Ricardus Anglorum Rex, dum transfretaret, cepit, & carceribus mancipavit cum conjuge & filia, qui & in vinculis defunctus eſt. Nam Kirſachus ipſe navem, in qua erat ſoror dicti Regis, & filia quoque Regis Navarræ, uxor futura ejuſdem Ricardi, quæ ſequebantur eumdem Regem Ricardum, tentaverat inſequi; ſed Rege Ricardo ſuperveniente ejus impedivit conatus.

CAP. XXIX.

Qualiter Kirſachus cepit Andronicum, occiſo Scriba.

ANdronicus itaque tam nefaria proditione Conſtantinopolitanum adeptus Imperium, in tantam etiam prolapſus eſt laſciviam, ut non ſolùm in Civium filias, verumetiam in ipſas Sanctimoniales, & Deo dicatas Virgines attentaverit ſtupra committere. Monaſteria quoque & alia loca ſacra profanans, propriis ſubſtantiis ſpoliabat. His igitur ſceleribus cunctis infeſtus, ſingulorum odia incurrebat. Die autem quadam veniens ad eum Scriba ejus, quem in ſubmerſione juvenculi Imperatoris ad ſe clam in domeſticum exequutorem habuerat, ait: *Mi Domine Imperator, ſuperſunt adhuc in hac urbe inſidiarum contra te reliquiæ. Eſt enim heic vir de genere Emmanuelis tui prædeceſſoris, homo ruffus & nequam, Kirſachus nomine, quem niſi exoculari vel captivari aut occidi mandaveris, ſcito tibi imminere tormenta.* Andronicus his auditis, ut erat ad ſuaſiones funeſtas proclivis, ſtatim Kirſachum ad ſe vocari mandavit; qui audito mandato conſternatus eſt valde; & accito ad ſe fratre Alexio, & nonnullis domeſticis intimavit eis mandatum Andronici, adjiciens ſe opinari, ideo requiſitum eſſe, ut æmulorum ſuggeſtione vitam amitteret. Dumque fratrem & domeſticos conſuleret, quid eſſet acturus, & reſponderent, ut ſe vocantem Imperatorem adiret, quem & ipſi ſequerentur, inquit: *Licèt mihi mortem imminere conſpiciam, quod ſuadetis, implebo. Ne autem ſolus moriar, operam impendam pro viribus.* Quum autem Andronicus Imperator tunc apud Blacherniam conſiſteret, ipſe Kirſachus accinctus ſub veſtibus armis equum aſcendit, & concomitantibus cum Alexio fratre & domeſticis ejus, ad Imperatorem profectus eſt. Eſt enim Blachernia manſio Imperialis, & in capite urbis Conſtantinopolitanæ de verſus terram ſita. Quum autem Kirſachus in angiportu, ſeu flexura viæ Scribam Andronici haberet obvium, quem ſciebat vitæ ſuæ æmulum, videns, quòd divertere non poterat, exemto gladio caput ejus amputavit, & corpus ejus in fruſta comminuit. Cujus cruore quidem reſperſus, ſtimulato calcaribus equo, cum ſuis in urbem rediit, & manu gladium eodem ſanguine rubricatum deferens vociferabat, dicens: *Sequimini me univerſi commilitones, & concives Conſtantinopolitani, quia hoſtem humani generis interfeci.* Et dum properaret ad alteram ædem Imperialem, quæ Bucca-Leonis dicitur, Conſtantinopolitani ex hoc admirati ſequuti ſunt eum; quumque ibidem perveniſſet, arrepto omni theſauro; & diademate ſibi impoſito, juſſit omnes in armis eſſe, proponens obſidere Blacherniam.

CAP. XXX.

De turpi nece Andronici.

AUdiens autem Andronicus, quæ Kirſachus egerat, turbatus valde juſſit ſuos in armis eſſe. Sed Kirſacho in manu potenti contra eum veniente, ipſi ſeſe ſtatim ſuis diffiſi viribus, eidem Kirſacho dediderunt. Tunc Kirſachus Andronicum in Bucca-Leonis juſſit captivum deduci,

A duci, excogitaturus interim, quali dignus foret ſupplicio affici, qui juvenculum Imperatorem Dominum ſuum fidei ſuæ commiſſum tam vili nece occidere præſumſerat, & ſcelera quamplurima veritus non erat committere. Igitur paulò poſt Kirſachus Imperator Andronicum captivum coram ſe jubet adduci, & cunctis exuto veſtibus reſtem alei ſpicis nudatam in coronæ modum capiti ejus imponi in figuram Crucis abraſo: demum vili aſellæ impoſitus, caudamque pro freno tenens per totam Civitatem Conſtantinopolis deductus eſt, probroſum ſpectaculum omni genti. Tunc mulieres furore contra eum accenſæ fœmineo, inteſtinis jumentorum putridis, necnon fæcibus & urinis proſilientes in ipſum, B ejus faciem inquinabant. Hoc igitur modo Andronicus à mulieribus & Civibus Conſtantinopolitanis, coronam opprobrii deferens, conviciatus, & per urbem ignominioſè deductus, tamdem urbe ejectus, relictus eſt judicio mulierum; quæ more canum, dum rabie efferati ad cadavera famelici veniunt, in ipſum ſceleſtiſſimum hominem certatim irruentes, dentibus & unguibus diſcerpebant, credentes ſe poſſe ſalvari, ſi ex carnibus tantis infectis nequitiis manducarent. Dumque cadaver corroſionibus ac lacerationibus miris eſſet conſumtum, oſſa ejus etiam contriverunt. Alibi legitur, quòd ipſum Andronicum in compitis viarum apud Conſtantinopolim ad ſtipitem ligatum quaſi ſignum ad ſagit- C tam propter immenſa flagitia ſua ſagittari fecit. Hac itaque nece turpiſſima infamem vitam finivit Andronicus.

CAP. XXXI.

Qualiter Kirſachus aſſumto Imperio exoculatur à fratre Alexio, qui & ſe intrudit Imperio.

Kirſachus igitur, aſſumto in hunc modum Græcorum Imperio multis meritis, ſubditorum acquiſivit amorem, eo maximè, quòd à ſæva tyrannide Andronici & perfidia Scribæ ipſius ſua eos magnanimitate eripuerat. Sed & in Abbatiis præcipuè erectus eſt, quarum refor- D mationi & conſervationi ſummè vigilabat. Nullum enim erat Monaſterium, quod non ſentiret munificam ejus manum; in cujus rei ſignum Imago ejus ob devotionem mirificam in ſingulis Monaſteriis portæ faſtigio ponebatur. Quum autem tempore ſuſcepti diadematis Conſorte careret, ad Regem Hungariæ ſolemnes Nuntios miſit, ut Regis ejuſdem ſororem ſibi tradi peterent in uxorem. Quod Rex libenter amplectens, tradita ſorore, accepit eam Kirſachus in uxorem, & Imperatricem eam apud Conſtantinopolim coronavit. Genuit autem ex ea filium Alexium nomine. Quumque Imperator Kirſachus fratrem haberet Alexium nomine, ut dictum eſt, virum in armis ſtrenuum, ſed iniquum, totam ei pote- E ſtatem Imperii, tamquam fratri cariſſimo tradidit, præter coronam & ipſius Imperii dignitatem. Qui tamdem ambitionis invidia permotus potentioribus Imperii per donaria magna adſtitit. Quadam autem die dum Imperator Kirſachus, terras Imperii viſitans, in quamdam divertiſſet Abbatiam prope Philippis Civitatem (eſt enim Civitas diſtans à Conſtantinopoli dietis ſeptem, in qua ortum habuit Alexander, & Paulus Apoſtolus partem Epiſtolarum conſcripſit) diebus aliquot minutus ſanguine moram ibi contraxit. Quod frater ejus Alexius intelligens, ſcienſque paucis inibi Imperatorem concomitari, accitis ſecum quibuſdam ſatellitibus, ad Abba-

A tiam ipſam profectus, tamquam naturæ contrarius, & carnem ſuam ac ſanguinem odio habens, Imperatorem Kirſachum fratrem ſuum cepit, & oculos ſibi (pro dolor!) evelli mandavit. Quo in Abbatia dimiſſo, reverſus eſt in Conſtantinopolim, ibique Imperii ſibi arripuit diadema, juſſitque ad ſe fratrem exoculatum adduci, & carceribus mancipari, vitæ ſibi tamen faciens neceſſaria erogari. Imperatrix verò his cognitis ingemiſcens, filium parvulum quibuſdam militibus clam tradidit, fratri ejuſdem Imperatricis Regi Hungariæ deferendum. Alibi legitur, quòd puerum ipſum incarcerari præcepit: ſed ille Dei intuitu de ſqualiore carceris elapſus, à Græcis finibus ad ſororem ſuam, & Philippum Regem B Germaniæ ſororium ſuum in Alamanniam proficiſcens, cuidam ſtolio ex Francis in Italia occurrit.

CAP. XXXII.

Qualiter Kirſachi filius fuit in Imperio reſtitutus.

Quum autem Barones quidam Francorum, videlicet Balduinus Comes Flandrenſis, Ludovicus Comes Bleſenſis, Stephanus Perticenſis, Marchio de Monteſerrato, & alii quamplures magni viri ac ſtrenui bellatores pro liberatione Terræ Sanctæ transfretantes, Vene- C tias perveniſſent, competentes Nuntios idem puer deſtinavit, qui eis patris & filii lachrymabiliter cauſam proponerent, promittens etiam ſe daturum eis triginta tria millia Marcharum argenti, quibus Venetis tenebantur; necnon & pecuniam, quam pro naulo dederant, ſi ei ſuccurſum præberent; & quòd ipſe puer cum virtute Imperii ſui ad liberationem Terræ-Sanctæ cum illis veniret, ac de fiſco ſuo etiam ſufficienter exercitui neceſſaria miniſtraret; Eccleſiam quoque Conſtantinopolitanam Eccleſiæ Romanæ ſubderet, & uniret. Verùm alibi legitur, quòd Comitibus Flandrenſi & Bleſenſi centum millia Marcharum pro quolibet; Marchioni de Monteſerrato, & Duci Venetiarum tantumdem D pro quolibet; Comiti Sancti Pauli quinquaginta millia; & quæ pro naulo dederant, perſolveret; & quòd propriis ſumtibus haberet in Terra promiſſionis milites quingentos per annos duos. Vocato igitur puero, & juramento ab eodem recepto, quòd promiſſa Nuntiorum impleret, ſtatim ventis & mari ſe commiſerunt, & navigantes Conſtantinopolim applicuerunt. Græci autem, qui de foris inventi ſunt, Francorum audaciam intuentes, intra urbis mœnia ſe ſe receperunt. Quumque per ſeptem dies terra & mari Franci, Flaminghi, & Veneti urbem fortiter obſediſſent, & frequenti varioque conflictu victoriam obtinerent, octava die Alexius Imperator egrediens cum ſexaginta millibus, alibi E triginta millibus equitibus, & infinita multitudine peditum armatorum ad dimicandum contra Latinos acies ordinavit. Latini verò, licèt Græcorum reſpectu pauciſſimi, cum lætitia tamen congreſſum exſpectabant, quia ſecurè de victoria confidebant. Quorum ille proditor ac tyrannus Alexius conſtantiam attendens, ſtatim cum ſuis fugiens, intra muros illico ſe recepit, multis comminationibus, quòd in craſtinum pugnaret aſſeverans. Sed nocte ſequenti cum liberis & uxore, pauciſque aliis aufugit. Porrò ſequenti die Franci urbem viriliter impugnaverunt, & cum ſcalis per muros aſcendentes, intra muros inter Græcos ſe audacter præcipitave-

veiunt, ac de illis non minimam ſtragem fecerunt. Audiens autem Dux Venetiarum, quòd Francos Græcorum multitudo concluſerat, eoſque morti & exitio dabat, cum Venetis, & ſtolo ſuo viriliter ad ſuccurrendum vênit, inter quos ipſe Dux licèt ſenex, & debilis corpore, fortis tamen & fremens animo, primus galeatus Francis pugnantibus ſe adjunxit, unde & Franeis aſſumtis viribu, ad pugnandum acerrimè recalleſcentibus, impio proditore Alexio cum hæreticis ſuis parvulos noſtros rebaptizantibus fugato, Civitas capitur. Kirſachus pater adoleſcentis è carcere liberatur: ſtatim in Palatio dominatur. Puer autem ipſe tam in Eccleſia Majori, quàm in Palatio Imperiali diademate ſolemniter coronatur. Qui adepto Imperio, ſinè mora, cuncta, quæ promiſerat Francis, implevit, rogatque eos, ut tota hyeme proxima ibi morentur.

CAP. XXXIII.

De morte ipſius Alexii pueri.

COronato itaque puero filio Kirſachi, Alexio nomine, rogat ipſe Latinos, ut ſint extra urbem ob diſcordias vitandas. Itaque Latini acquieſcunt, & ex diverſo interjacente portu in loco, ubi dicitur Turris Galathas Judæorum manſio, conſtruunt ſibi caſtra. Imperator claſſem incendere parat, quæ ipſum ad coronam adduxerat; at pars ejus ſuccumbit in omnibus. Itaque Græci exoſum eum jam habentes, Imperatorem ſibi creant alium. Mittit ad noſtros Morculphum ſibi familiarem, qui jurat ex parte Imperatoris ſe traditurum eis Palatium Blacherniæ quaſi pactionis obſidem. Accedit Marchio Montisferrati, ut recipiat illud, ipſique Marchioni illuditur. Morculphus revelat Græcis ſecretum de reddendo Palatio, & in odium Alexii ſtatim attollitur Imperator, qui mox in Dominum dormientem manum mittens, eum incarcerat; & Nicolaum, qui apud Sanctam Sophiam Imperiales infulas ſibi uſurpaverat, ſimiliter captum incarcerat. *Sic ſcribit Vincentius.* Sed *Hiſtoriæ de acquiſitione Terræ-Sanctæ Scriptor* ponit, quòd Morculphus ipſe, qui pueri Bajulus erat, clam nocte puerum ipſum Imperatorem & Dominum ſuum in Palatio Blacherniæ ſtrangulavit; & tunc adimpletum fuiſſe dicitur ſomnium, quod paulò ante puer viderat Imperator. Somniaverat ſiquidem, ſe ab apro ſtrangulari, qui ex materia cuprea apud Palatium Imperiale, quod Bucca-Leonis dicitur, habebatur. Qui licet viſione terrefactus, apri effigiem juſſiſſet in particulas conteri; nullâ tamen cautelâ etiam prævisum fatum potuit evitare. Ipſe autem Morculphus, ſtrangulato puero Imperatore, vitam ejus laqueo deſperationis terminatam fuiſſe confingens, eumque ſepeliri mandans, abſeratis portis Civitatis, in Eccleſia Sanctæ Sophiæ ſuſcepit Imperii diadema, & Nicolaum jam dictum, qui ſibi Imperiales infulas uſurpaverat, comprehenſum mandavit occidi.

CAP. XXXIV.

Qualiter Morculphus Imperator fugatur, & Conſtantinopolis capitur.

POſt hæc Kirſachus pater Alexii Imperatoris moritur. Clerus & Populus in perniciem Latinorum machinantur. Latini itaque terra frequenter marique impetuntur; ſed Dei ſunt virtute protecti. Quadam itaque die ad quærendum victualia ex Latinis egrediuntur circiter mille, quibus occurrit Morculphus Imperator cum grandi multitudine, moxque fugit, & arma vexillumque cum icone Sanctæ Dei Genitricis, quam ante ſe deferri faciebat, projecit. Una enim nocte naves ſuas ſexdecim ad entit, & velis expanſis in Latinas mittit; at cum multo labore Latinorum naves indemnes fuerunt, Domino protegente. Imperator quoque Morculphus cum Latinis colloquium petit; ſed Dux Venetiarum reſpondit ſe loqui nolle cum proprii Domini detentore. Sequenti autem nocte in Palatio Blacherniæ Morculphus ipſe Dominum ſuum necat, vitam ejus terminatam ſimulans laqueo, quem ipſe confinxerat. Latini porrò inſultum faciunt, ſed prævalentibus Græcis machinas ſuas perdunt. Porrò duabus navibus colligatis, quæ appellabantur Paradiſus, & Peregrina, primæ illarum ſcalæ muros attingunt. Itaque Latinis irrumpentibus urbs populoſa capitur à paucis, Græcis in Palatiis fugientibus. Latini de aſſaltu deliberant. Imperator Morculphus nocte fugit apud Judæos, & mane Græci Conſtantinum Imperatorem nominant; Latini verò pedites arma capiunt; Græci fugiunt; Palatia vacua deſeruntur. & de ſpoliis eorum divites efficiuntur Latini. Morculphus captus excœcatur, & de loco eminentiſſimo præcipitatus, ac per urbem tractus diſcerpitur. *In Hiſtoria de Acquiſitione Terræ-Sanctæ* habetur, quòd dum Morculphus ipſe fugiens apud Judæos turrem eminentiſſimam aſcendiſſet, quidam ex Francis vir corde magnanimus illum evaginato gladio inſequutus, poſt eum turrem aſcendit, & necem illi interminans, ait: *Tu verſute proditor, qui de ſtatu infimo ad ſublime aſcenderas ſolium, ſtatim ad exterminium deduceris.* Et hæc dicens, dum gladium elevaſſet, ut ei caput præcideret, Morculphus id advertens, nec habens quò diverteret, de cœnaculi feneſtra ſe dedit præcipitem, ſicque colliſus miſerabiliter expiravit. Ex cujus morte turris ipſa nomen ſortita in poſterum *Saltus-Morculphi* uſque in hodiernum dicitur. Cadaver illius lapidibus & ruderibus obrutum à Populo infamem meruit ſepulturam. Capta eſt igitur hoc modo Conſtantinopolis à Latinis Anno Incarnati Verbi Dei MCCIV. Urbs quidem de Mundi majoribus una, in hac magnificentia prima. Cujus captionem etiam poſt plures dies plerique Civitatis incolæ non credebant, tum propter Civitatis fortitudinem, tum etiam propter antiquam, quam habebant, prophetiam; Prophetatum ſiquidem erat, quòd deberet capi per Angelum, & ita eam capi per Angelum non credebant. Sed hoſtibus per murum, ubi Angelus pictus erat, Civitatem intrantibus, ſe deceptos incolæ per æquivocationem Angeli cognoverunt. Tunc Latini, qui Sancti Spiritus illuſtrati gratia in captione ejuſdem urbis ſcutum Filii Dei apprehenderant, obtenta urbe ipſa, ſcutoque humani hoſtis apprehenſo, ſtatim ad Eccleſias & Monaſteria tamquam prædæ famelici irreverenter diſcurrunt, & flammis ac rapinis quæque diripiunt. Ibi tunc avaritia mater cupiditatum ſic inter eos prævaluit, ut qui debebant prædam exponere in communi, eam in latibulis occultarent; tantumque ex hoc inter eos ſuccrevit odium, totque diſſidiorum ſunt obortæ querelæ, ut pauperes divitibus, & è contrario improperarent, quod omnia occupaſſent. Ante enim, quàm ingrederentur Civitatem, inter ſe Latini convenerant, ut ſpolia quæque deberent in publicum

ex-

exhiberi, ita tamen quòd ex integro Veneti medietatem omnium poſſiderent, & quòd Eccleſiæ A & Monaſteria a præda forent immunia. Obtulit autem Venetiarum Dux, ſe expoſiturum in publicum ex omni ſpolia per Venetos acquiſita quadringentas Marchas pro quolibet milite, ducentas verò pro quolibet Sacerdote & equite, centum verò pro unoquoque pedite. Franci tamen his acquieſcere nolentes, in tantum rapinis graſſati ſunt, ſicque eas diſtraxerunt, ut demum nonniſi Marchæ viginti pro milite, & decem pro Sacerdote & equite, quinque verò pro pedite obvenirent. Poſt hæc urbem inter ſe condiviſerunt, cujus dimidia pars à latere terræ Venetis, à litore verò reliqua ſorte Francis obvênit. Facta itaque urbis & prædæ diviſione, B conventum eſt inter Latinos, ut Franci Imperatorem, Veneti verò Patriarcham eligerent; ita tamen, ut ipſi Veneti Imperatori electo quartam partem ſuæ medietatis, & Franci tantumdem a latere Bucchæ-Leonis remittere tenorentur. Franci igitur Balduinum Comitem Flandriæ Imperatorem eligunt, quo conſecrato & coronato, diviſiſque terris & Inſulis Conſtantinopoli adjacentibus inter Francos & Venetos, relictâque urbis cuſtodiâ Balivis ſuis, Salonichum perrexit, inveſtiturus de Regno ipſo Marchionem de Monteferrato, qui tunc conjugem habebat relictam Kirſachi Imperatoris Conſtantinopolitani, Regiſque Hungariæ ſororem, ex C qua Imperator ipſe genuerat Alexium Imperatorem juvenculum, quem ſtrangulaverat Morculphus incubator Imperii. Quumque Salonichum veniſſet, recepto ibi homagio, Regnum ipſum tradidit Marchioni, qui ex ipſa conjuge ſua filium genuit, Regni etiam ſucceſſorem. Diſtat autem Salonichum à Conſtantinopolis urbe dietis quinque. Idem quoque Imperator Balduinus multas Civitates recepit à Campanis, quas poſtmodum Gauſridus Villæ Harduin poſſedit. Hi peractis reverſus eſt Balduinus Conſtantinopolim, vênitque ad eum uxor ejus, quæ diebus quindecim ſupervixit.

CAP. XXXV.

Qualiter Andrinopolitanos Balduinus Imperator obſidit, & de eorum excuſatione. D

INter hæc Andrinopolitani, qui in partem ceſſerant Venetorum, quum ab ipſis Venetis peſſime tractarentur, tractatu cum eis umſtantibus Civitatibus habito, Nuntios ſuos ad Regem Blancorum miſerunt, ſciſcitaturos, an poſſent ejus habere ſubſidium. Quo eis pollicente, Andrinopolitani eos, qui pro Venetis ad Civitatis cuſtodiam immorabantur, de Civitate ipſa ejecerunt. Quod quum Imperator Balduinus agnoviſſet, multum indoluit, & de aſſenſu Ducis Venetiarum, nec non Ludovici Comitis Bleſenſis, aliorumque Primatum, decrevit Civitatem E ipſam Andrinopolim, quæ primùm rebellionis cervicem erexerat, obſidere; eîque ſubacti univerſos incolas & habitatores ipſius gladio ſinè miſericordia trucidare. Eductis igitur copiis omnibus, Imperator ipſe ad obſidionem ejuſdem Civitatis, quæ dietis quinque à Conſtantinopoli diſtat, profectus eſt; ſed non multò poſt Rex quoque Blancorum Andrinopolitanis ſubſidio adfuit; qui dum multis incurſionibus Latinorum exercitum infeſtaret, ſolicitus ſi poſſet victualia eis ſubtrahere, Imperator Balduinus vallis & aggeribus juſſit caſtra ſua diligentiſſimè communiri. Miſit quoque ad Henricum Pictavienſem Comitem fratrem ſuum, qui tunc Turcorum terram incurſabat, Legatos ſuos, ut cum omnibus copiis feſtinaret ad eum. Interim Andrinopolitani fide interpoſita ad Imperatorem in caſtris venerunt, ex quibus unus vice omnium in hæc verba loquutus eſt: „ Quum nos Andrinopolitani Ci-
„ ves, tuæque Majeſtatis fideliſſimi, qui ex tua
„ ſalubri ſanctaque promotione non abſque in-
„ ſpirationis Divinæ edita interventu, feſtivis
„ ſumus gaviſi applauſibus, te propoſuerimus
„ perpetuò Dominum profiteri, non ab re ad-
„ mirari compellimur, cur tuam Civitatem,
„ tuique Imperii fideles hoſtili manu opprimere
„ tam ſubitò adveniſti. Nam ſi quid in Venetos
„ egimus, tui adventus cauſa extitit. Priùs
„ erat examine judicii diſcutiendum, utrum ne
„ rationabiliter ſubeſſet cauſa, quæ nos ad id
„ peragendum induxiſſet; quæ ſi rationi com-
„ perta fuiſſet adverſa, requirendi eramus, ut
„ debitam tranſgreſſionis ſatisfactionem impen-
„ dere deberemus. Quod enim in eoſdem Ve-
„ netos peregimus, non nos propria induxit
„ veſania, ſed illorum potiùs laſcivia impulit,
„ qui paſſim graſſantes, in illicitis (proh pudor!)
„ indifferenter voluptabantur in mares & fœmi-
„ nas. Quumque Dux illorum nefandiſſimos
„ actus diſſimularet corrigere, jugum dominis,
„ immo veriùs ſceleſtiſſimæ tyrannidis excutere
„ decrevimus, illud deinceps nulla ſorte paſſuri.
„ Tibi autem ſubjici volumus, & pro te tam-
„ quam ligii homines tuam hanc recognoſcere
„ Civitatem.

CAP. XXXVI.

De ſtrage Latinorum, & qualiter Balduinus Imperator nuſquam comparuit.

IMperator Balduinus, his auditis, communicato ſuorum conſilio, rogavit Venetorum Ducem, quatenus pro quiete Latinorum & felici ſtatu Imperii, irrogata diſſimulans, vice hujus Civitatis commutationis titulo ſibi aliam acceptaret. Quem quum ſuaſioni ſuæ repugnantem comperiſſet, juſſit aggredi Civitatem, & per occultas foſſiones fundamenta murorum ſuffodi, & adminiculis lignorum fulciri. Quumque ſolùm reſtaret ignem immittere, reverſus eſt ad tentoria Imperator. Quumque omnes diſcumberent, Blanchi & Cumani, qui Andrinopolitanis auxilio venerant, cum impetu & clamore maximo uſque ad vallum Latinorum irrumpunt, eos ad prœlium provocantes. Quod audiens Ludovicus Bleſenſis Comes, ex irruptione hac in iram commotus, ſtatim armis accinctus, accitiſque ſecum Stephano Comite Perticenſi, & Raynaldo de Monte Miralio, reliquiſque militibus ſuis, vallum contra edictum Imperatoris egreſſus eſt. Edixerat enim Imperator, ut in nullum eventum quiſquam vallum egrederetur. Dumque veloci equorum curſu Blancos & Cumanos fugientes inſequeretur, & qui in caſtris erant, vociferarent ad arma, Imperator Balduinus audito clamore, ſubitò apprehenſis armis cum ſuis militibus poſt Comitem equitavit, relictâ exercitus cuſtodiâ Campaniæ Seneſcalcho. Comes autem Ludovicus quum jam per quatuor leucas hoſtes fugaſſet, & in eorum inſidias ſuperveniſſet, vertere cœpit greſſum; ſed nonnulli ex ipſis egreſſi inſidiis ad curſum recentes inſequuti ſunt Comitem, quem in fuga deficientem ante Imperatoris adventum lethalibus eum vulneribus confoderunt, reliquis ejus comitibus interemtis. Quumque Imperatorem cum ducentis militibus electis accurrentem vidiſſent, ad ſuos properè ſunt reverſi.

Im-

Imperator verò procedens Ludovicum ipſum in A
campo jacentem ſemivivum comperit, reliquoſque morte proſtratos. Quo infelici eventu, dum ſupra Comitem magnis Imperator doloribus urgeretur, rogavit eum Comes voce, qua potuit, quatenus ſuper jam mortuo mœrorem compeſceret, & ſui ipſius, Latinorumque miſertus, reverteretur ad caſtra, quum Sol jam vergeret ad occaſum, & de propinquo magnæ, in quas inciderat, laterent hoſtium copiæ. Imperator ad hæc reſpondens, ſe potiùs mortem ſubiturum, quàm ut virum tanti nominis campo relinqueret inultum, concito greſſu, ultra progreſſus eſt. Quem quum Blanchi & Cumani advenientem vidiſſent, ſtatim de latibulis proſilientes, veniunt
ex adverſo, belloque congrediuntur acerrimo. B
Sed dum Latini hoſtium potentiam ſuſtinere non poſſent, paucis tamdem militibus peditibuſque fugæ præſidio evadentibus, reliqui, qui cum Imperatore Balduino advenerant, fuerunt gladiis hoſtium interemti. Veneti, qui Imperatorem ſequebantur, viſo ſuorum conflictu, mortiſque ſibi imminere diſcrimen, ad caſtra properè ſunt reverſi; quumque Duci & Mareſcallo Campaniæ infortunium, quod viderant, nuntiaſſent, clam omni eorum relicta ſupellectile, ſtatim ab obſidione diſcedunt, Rodeſtoc properantes.

CAP. XXXVII.

Qualiter Henricus frater Balduini Impera- C
tor Conſtantinopolitanus efficitur, & de morte ipſius.

QUum autem hujus adverſæ cladis Nuntius Conſtantinopolim adveniſſet, Latini, qui in urbe erant, nimirum contriſtati ſunt valde. Tunc Comes de Bethune, & Cardinalis quidam, qui in urbe remanſerant, Latinos in unum convocatos, quid in tam arduo agendum foret diſcrimine contuluerunt, hortatique ſunt, ut ad defenſionem Urbis ſe viriliter accingerent; nam pro unoquoque Latino erant centum in Urbe Græci. Communi tamdem omnium conſilio miſerunt Nuntium apud Rodeſtoch Civitatem ex-
ploraturum, qualis ſuorum fuiſſet eventus, qui D
ab obſidione diſceſſerant. Invênit autem ibi eos, nec non & Comitem Pictavienſem Henricum, qui poſt conflictum ibidem de terra Tur horum advenerat. Quumque omnes, qui in Rodeſtoch erant, agnoviſſent, quòd Blanchi & Cumani è regione diſceſſerant, Conſtantinopolim advenerunt, & omnium aſſenſu Henricum Pictavienſem Comitem Balivum Imperii elegerunt, ac ſibi homagium præſtiterunt, quouſque ſcirent, qualis fuiſſet finis Imperatoris Balduini. Hic autem Henricus Balivatum Imperii per annum tenuit, qui licèt per Monachos & alios in diverſis partibus Imperatorem Balduinum perquiri mandaſſet, nec unum ſolum, & nullum
habere indicium potuit. Vênit enim ad eum E
quidam ciens, quòd Imperatorem ipſum ipſe cum duobus comitibus furtivè diſtraxerat, & eum eiſdem retentum in ſilva dimiſerat. Unde Henricus Imperii Balivus Comitem Cononem de Bethuna tribus armatis Galèis ad ſilvam ipſam direxit; erat enim ſilva ipſa in litore magni maris. Comes igitur quum perveniſſet ad ſilvam cum militibus ſuis, concomitante eo, qui rem indicaverat, vênit ad arborem, ſub qua indicator ipſe Imperatorem cum duobus comitibus ſe dixerat reliquiſſe. Nihil autem ſub arbore repertum eſt, præter quàm panis & cæpæ reliquias. Et ſic perſcrutatoribus nihil reperien-
A tibus ad propria reverſis, Balduini Conſtantinopolitani Imperatoris exitus remanſit incertus. Latini igitur quid de Imperatore Balduino contigiſſet incerti, eumdem Henricum fratrem ipſius & Imperii Balivum Imperatorem efficiunt: qui dum Imperiales infulas aſſumſiſſet, partem terrarum Imperii recuperavit non minimam, quæ ab Imperii fidelitate defecerat; pacem cum Blanchis & Cumanis compoſuit, & Regis Blancorum filiam accepit uxorem. Obtinuit quoque ſuâ induſtriâ totam terram Imperii uſque ad Salonichum, & ipſum etiam Salonichi Regnum. De quo Conradum Marchionis Montisferrati filium ſuperſtitem inveſtivit, & coronavit in Regem. Paucis poſt hæc diebus in eodem Regno
B morante, è vita exceſſit, & qui cum eo erant, Conſtantinopolim ſunt reverſi.

CAP. XXXVIII.

Qualiter Petrus Comes de Alencione Henrico ſucceſſit, & in carcere obiit.

DEfuncto igitur Henrico ipſo Conſtantinopolitano Imperatore apud Salonichum, Latinorum Primores, qui in urbe ipſa erant, Legatos ad Petrum Comitem de Alencione miſerunt in Franciam. Hic enim conſanguineus erat Philippi hujus nominis III. Franciæ Regis, qui Comitiſſam de Namurro, ſororem quondam Bal-
C duini & Henrici Conſtantinopolis Imperatorum, habebat in conjugem: qui unà cum ejuſdem conjuge Conſtantinopolim veniret, percepturus Imperii diadema. Ipſe autem legatione perceptâ arripuit iter, & quum veniſſet Romam, coronationem ab Apoſtolico Innocentio ſibi & conjugi procuravit. Poſt hæc Apuliam tendens, devênit Brandicium, ut inde in Conſtantinopolim tranſiret, cum quo pariter idem Apoſtolicus Cardinalem direxit. Quumque eſſet Brandicii, mare intrans, Durachium applicuit, cujus Terræ Dominus occurrens, honore multiplici eum recepit, eique fecit homagium; falſa autem ſuggeſtione, ut rerum exitus declaravit, eumdem Petrum Imperatorem induxit, ut per ter-
D ram ejus tranſiret, Conſtantinopolim profecturus, dicens ſe facturum, quòd ab omnibus terrigenis ſibi præſtaretur homagium, ex quo ſubſequi innuebat, nullam poſtmodum repulſam Imperio habiturum. Imperator igitur verbis allectus hujuſmodi, poſita conjuge in navi, eo quòd portabat in utero, per terram Durachii profectus, concomitante eum ejuſdem Terræ Domino, quum ad oppidum munitiſſimum deveniſſet, idem Durachii Dominus eumdem Imperatorem Petrum cum omni gente ſub proditione retinuit, & ex ipſa gente pluribus interfectis, Imperatorem Dominum ſuum carceri mancipavit, & cum eo Comitem Sanſuerre, qui in ſquallore carceris animas exhalarunt.
E Uxor autem ipſius Imperatoris Petri, cùm Conſtantinopolim perveniſſet, filium peperit, qui fuit poſtea Imperator. Ipſa verò paulò poſt defuncta eſt. Græci interea cognito quòd Petrus Imperator fuerat à Domino Durachii cum gente ſua captivatus, in rebellionem converſi ſunt, & conſpiratione facta cum terrarum incolis, qui Imperatori Henrico homagium fecerant, Imperii ſtatum contra Latinos pervertere nitebantur.

CAP.

CAP. XXXIX.

Qualiter Henricus Comes de Namurro obtinuit Imperium, qui & viduam adamavit.

LAtini autem his cognitis, Comiti de Namurro, qui ex Imperatrice genitus fuerat, ſolemnes direxerunt Nuntios, ut Conſtantinopolim feſtinanter accederet, ſuſcepturus Imperium, cui ſuccedebat de jure. Qui ſub hac re conſultus ire abnuit; fratrem tamen ſuum Henricum natu minorem illuc direxit; ut eum de ipſo Imperio coronarent. Arrepto igitur Henricus itinere, tranſivit Hungariam viſurus Reginam ſororem ipſius, ut ipſius opitulante favore per Hungarorum & Blancorum Regna ſecurus tranſiret. Quod & factum eſt. Quumque Conſtantinopolim perveniſſet, ſuſcepit ibi Imperii diadema. Non multum autem in Imperio ipſo profecit, eo quòd modicam armatorum manum conduxerat; & niſi Blan hi, quorum amicitiam Henricus frater Balduini ſibi nanciſci curaverat, adſtitiſſent, ferè totum Imperium amiſiſſet. Eo autem imperante quum uxorem non haberet, in amorem cujuſdam viduæ, quæ filia fuerat Balduini de Villa-Nuda, prolapſus eſt, ita ut plus debito exardeſcens occultè eam deſponſaverit in uxorem; eamque cum matre in Palatio retinens, ſic raptus erat, ut diſtractus a ceteris ab ejus amplexibus nullatenus poſſet vacare. His cognitis Latinorum Primores turbati, & indignati pariter contra eum, nactâ ſibi horâ, thalamum ejus ingreſſi ſunt, & capientes matrem viduæ, mari eam ſubmerſerunt, viduæque naſum mutilantes, cæſariem etiam truncaverunt. Hoc autem improperio commotus animo Imperator, videns ſe in ultione deficere, mare intrans Romam pertexit, & Papæ Innocentio III. querelam rei hujus propoſuit. Pontifex tamdem Romanus verbis & donis ipſius animum mitigavit, & ut ad Imperium reverteretur, induxit. Eo autem redeunte Conſtantinopolim, dum per terram Gaufridi de Villa Hardoin, cujus filius uxorem habebat quondam Henrici Imperatoris fratris Balduini filiam, diverteret, languens in domo ipſius, debitum ibi naturæ perſolvit.

CAP. XL.

Qualiter Johannes Hieruſalem Rex apud Conſtantinopolim præficitur.

HIs igitur eventibus alternantibus tam diſcriminoſis quàm damnoſis, viduato plurimùm Conſtantinopolitano Imperio, & quantùm ad Latinos, in nihilum ferè redacto, non enim niſi ſolam Urbem cum ſupereminenti quodam Colle poſſidebant Latini, multi proponebant relicta Urbe diſcedere; quidam tamen animi magnificentioris & ſanioris conſilii ſuaſerunt, Legatos ad Papam dirigere, quatenus procuratione ejus habere poſſent in Dominum & Conſtantinopolitanum Imperii Gubernatorem Comitem Brenenſem, Terræ Hieroſolymitanæ Regem, qui de partibus illis advenerat, cujus quidem circumſpectionis præſidio ſperabant poſſe iterum Imperium reformare. Miſſi ſunt itaque Legati ad eumdem Papam, & Regem Johannem. Rex autem licèt diu reluctaretur annuere, tamdem precibus & promiſſis Papæ in-

A ductus, & deſolationem Conſtantinopolitani Imperii à Latinis ægrè ferens, bis conventionibus annuit proficiſci, ut videlicet juvenculus, quem Comes de Alencione Petrus Imperator ſuperſtitem ſuum reliquerat, filiam ejuſdem Regis Johannis acciperet in uxorem, & poſt aſſumtas Imperii infulas ipſe eum ejus ſubditis ſibi humagium exhiberet; & quod terra, quam ipſe acquireret, quæ prædeceſſorum fuerat, in ditionem ipſius Imperatoris & ejus hæredum pervenire deberet. Quumque conventiones ipſæ Papæ & Latinis, qui apud Conſtantinopolim erant, placuiſſent, Rex Johannes profectus Venetias, mare ibi intravit, & deinde Conſtantinopolim appulit. Qui à La-
B tinis honorificè ſuſceptus, quum diebus aliquibus moram ibi contraxiſſet, puer Imperatoris quondam Petri filius filiam ejuſdem Regis Johannis a cepit uxorem. Quibus Imperialibus diadematibus inſignitis, idem Rex Johannes ab ipſo Imperatore juvenculo & ſibi ſubditis juxta conventiones initas recepit homagium, & ſuper Imperii gubernatione fidelem curam adhibuit.

CAP. XLI.

De Guillielmo Rege Siciliæ & geſtis ejus.

GUillielmus Siculorum Rex imperante Friderico I. in Sicilia regnat. Cœpit Anno
C ejuſdem Friderici ſecundo, qui fuit Annus Domini MCLIV. nam ipſo anno Princeps utilis ac ſtrenuus & actibus clarus Rogerius Siciliæ Rex poſt inſignes de Sarracenis victorias atque terras recuperatas defunctus eſt; qui Guillielmum (*) hunc non ſe inferiorem, regni ac victoriarum ſucceſſorem reliquit. Hic filiam Ricardi Regis Angliæ Juhannam nomine duxit uxorem. Eo autem tempore, quo Alexius Kirlachum fratrem ſuum Conſtantinopolitanum Imperatorem exoculari fecit, & Imperium occupavit, idem Rex Guillielmus parata claſſe mirabili, miſit in Græciam, volens ipſum Imperium obtinere. Peregrinos etiam, qui ad ſubſidium Terræ-Sanctæ transfretare volentes per ejus regnum
D tranſitum habebant, retineri mandavit, ut eum ſuis illos in Græciam mitteret: unde ſequutum eſt, ut Chriſtiani in bello, quod Guido Hieruſalem Rex cum Saladino habuit, ſuorum paucitate defecerint, & idem Rex Hieruſalem cum multis Principibus in manus incidit Saladini. Quum autem claſſis ejuſdem Regis Guillelmi perveniſſet in Græciam, Sicilienſes magnis incurſionibus Græcorum terras invadentes, Durachium & Salonichum ceperunt. Quibus munitis dum verſùs Conſtantinopolim tranſirent, Græci eorum ſucceſſibus ſe gaudere ſimulantes, ad Capitaneum claſſium acceſſerunt. rogantes eum, ut ad vindictam Imperatoris Kirſachi, quem frater ejus incubator Imperii exoculari fecerat,
E ſtrenuè intenderet, ſuper quo ſibi aſſiſtere promiſerunt. Tamdem allectationibus variis, fictiſque ſermonibus ſuggeſſerunt, ut per terram Conſtantinopolim accederet. Qui verbis eorum adhibita fide, dum Philippis Civitati hoſpitatus fuiſſet, quæ à Conſtantinopoli ſex diſtat dietis, Græci ex condicto una dierum ſimul ex pagis circumſtantibus adunati, in ipſo diei ortu Sicilienſes invadunt, & eos mactantes ut pecudes, quoſdam vinculis mancipарunt, pauci tamen evaſerunt. Poſt hæc Rex Willelmus pœnitentia ductus,

(*) Ignoraſſe noſter videtur Guillielmum II. Siciliæ Regem, & Rogerii Regis filium; heic enim tantummodo agit de Guillielmo II. Primi filio.

ctus, quia cauſa fuerat detrimenti inæſtimabilis Terræ-Sanctæ, quum veniſſet ad eum Tyrenſis Archiepiſcopu, qui notificato ſibi ſtatu miſerabili ejuſdem Terræ, & quantum diſcriminis imminebat, niſi ſuccurreretur celeriter, miſit apud Tyrum Conrado Marchioni Montisferrati ejuſdem Urbis Domino Galèas ducentas cum armatis militibus, & inſuper juſſit claſſem magnam parari, ut ipſe etiam transfretaret. Sed interim Deo aliter diſponente ſublatus eſt à rebus humanis, nullo hærede ſuperſtite relicto maſculo, unicâ tamen filiâ Conſtantiâ nomine, quam Henricus VI. accepit uxorem. Regnicolæ autem conſanguineum ejus Tancredum Apuliæ Comitem ſibi præfecerunt in Regem Anno Domini MCLXXXIX. de cujus geſtis dicetur ſub temporibus Henrici VI. Imperatoris.

CAP. XLII.

De nequitia Roberti de Botua.

RObertus de Botua Anno Friderici I. Imperatoris ſecundo, vir omni plenus nequitia, nepotum ſuorum Caſtra ingreſſus, doloſè tyrannidem exercet in terra. Qui ſpiritu etiam zelotypiæ ſuccenſus, quemdam ſuum hominem ſatis fidelem cum alio viro & alia muliere intra domunculam comburendos jubet includi. Illi verò inſtar trium antiquorum puerorum de domo ardente & flamma ſuper capita eorum in modum lucidæ nubis volitante, illæſi permanſerunt; quos foràs egreſſus quum perſequeretur iniquus ille miniſter, cui dominus ſuus hoc facinus injunxerat, & evaginato gladio unum ex eis ferire voluiſſet, repentè quædam invisibilis perſona retro eum per comam capitis apprehendit, & cum equo, cui inſidebat, præcipitem in terram dedit. Unde & mox ad Sanctum Jacobum ſe iturum eſſe ſpopondit. Sed & illi, quos propria conſervavit innocentia, gratiam Dei non in vacuum recipientes, vitam ſuam in melius mutaverunt.

CAP. XLIII.

De Rege Saladino & morte ejus.

SAladinus, Rege Turchorum Noradino, Anno ſcilicet Domini MCLXXIV. defuncto, ipſe Saladinus genere humilis, conſilio & armis ſtrenuus, Regnum occupat. Exhæredat enim filios Noradini; Ægyptum aggreditur; Babylonem, & Cairam Regni caput pervadit; Regem, quem alii Mulenem vocant, alii Caphany, perimit; omnem regiam ſtirpem exterminat, ac Regnum Syriæ & Ægypti ſub una redigit poteſtate. Qui tamdem apud Damaſcum Anno Domini MCXCIII. imperante Henrico VI. rebus exceſſit humanis. Quum autem ſciret ſibi mortem imminere, ſigniferum ſuum vocavit dicens: *Tu, qui ſoles ferre vexilla mea per bella, fer vexillum meum, ſcilicet panniculum vilem per totam Damaſcum ſuper lanceam clamitando. Ecce Rex Orientis moriens non fert ſecum, niſi hoc pallium vile.* Et ſic mortuus eſt. Huic enim ſucceſſerunt duo filii ſui, Saphadinus ſuper Syriam, & Meralucius ſuper Ægyptum. Verumtamen inter eoſdem, & Saphadinum, qui fuerat Saladini frater, de Regno diutiùs concertatum eſt.

CAP. XLIV.

De quibuſdam Archiepiſcopis Mediolanenſibus.

ALghiſius Mediolanenſis eligitur hoc tempore Archiepiſcopus, Anno ſcilicet Domini MCLXXVI. Hic fuit origine Mediolanenſis, ex ſtirpe illorum de Pirovano. Qui annis octo, menſibus novem Mediolanenſem rexit Eccleſiam. Sepultus eſt in Eccleſia Hyemali. Cui ſucceſſit Ubertus Anno Domini MCLXXXVI. qui fuit natione Mediolanenſis ex progenie illorum de Crivellis. Erat enim Archidiaconus Mediolanenſis. Qui quum Archiepiſcopatum ipſum annis duobus & menſibus quatuor tenuiſſet, ad Summum Pontificatum evectus eſt, & mutato nomine dictus eſt Urbanus hujus nominis III. de quo dictum eſt ſupra ſub Friderico Imperatore. Poſt quem Milo, natione de Cardano, Archiepiſcopatum accepit, tenuitque annis ſex & menſibus octo, qui fuit Archipresbyter Mediolani, & Epiſcopus Taurinenſis ſimul & ſemel.

CAP. XLV.

De ceteris eventibus tempore Friderici.

ANno Imperatoris Friderici I. ſecundo Luna paſſa eclipſim XI. Kalend. Julii in poſterioribus partibus Geminorum, qui fuit Annus Domini MCLIV.

Anno Domini MCLVI. ſignum Crucis apparuit in Luna.

Anno Domini MCLVII. tres Lunæ viſæ ſunt, & in medium ſignum Crucis.

Anno Domini MCLIX. Nonis Septembris tres Soles viſi ſunt in parte Occidentali ſed duobus paulatim deficientibus, Sol dici, qui medius erat, remanſit uſque ad occaſum. Eodem anno Cumani locum, qui Inſula dicitur, ſituatum ſupra colliculum in lacu eorum, ſolo everterunt, decernentes, ut numquam reædificaretur: quod etiam Imperator pacto confirmavit. Erat quidem Oppidum munitiſſimum, & opulentiſſimum valde, cujus incolæ dira rebellione ſæpe Civitatem & Epiſcopatum Cumanum infeſtabant. Fuit præterea antiquitate locus inſignis, & manus quondam Regum Langobardorum effugientibus aſilum. Appellabatur enim in geſtis Langobardorum Inſula Cumacina. Quod oppidum diruit Anſprandus tutor Liutperthi Regis Langobardorum, imperante Juſtiniano II. circa Annos Domini DCC. Ipſi autem Inſulani poſt aliquot annos everſionis a Cumanis factæ ædificaverunt, & habitaverunt locum, qui dicitur Vaream.

Anno Domini MCLX. fit eclipſis Lunæ, & moritur Regina Franciæ uxor Ludovici VII. filia Imperatoris Hiſpaniæ. Hoc tempore miracula Beatæ Mariæ Virginis de Monte Amatoris, quæ habentur ex Mariali Libro, contigerunt.

Anno Domini MCLXVI. completi ſunt ab adventu Anglorum in Britanniam Majorem Anni octingenti triginta. A Baptiſmate eorum ſexcenti triginta quatuor. Ab introitu Normannorum centum.

Anno Domini MCLXIX. qui fuit Annus Friderici Imperatoris XVI. in partibus Orientis & in Terra promiſſionis, exigentibus peccatis hominum, terræmotus multas Urbes, Eccleſias, Oppida, & Villas ſubruit, & innumera Populorum millia hians terra deglutivit, & ædificiorum caſu morituros operuit. Inter ceteros, qui

tam

tam repentino cadebant excidio, Hermannus quidam genere Memienſis, educatus Antiochiæ, quum eſſet in Caſtro Curlario, quod eſt de jure Patriarchatus Antiocheni, in Eccleſia Beati Petri, dum videret coruſcationes, fulgura, tonitrua; & hiatus terræ ex his dumtaxat, qui erant in Eccleſia, pluſquàm centum quadraginta vivos deglutiſſet: ipſe quoque collo tenus jam delapſus piiſſimam Matrem Domini apud Rochmador patrocinantem invocavit, & preces ſuas exaudiendas continuò ſenſit. Nam quum circumquaque morientes rugirent, & ad inferiora terræ ruerent, hic licèt coarctaretur à terra, & pæne ſuffocaretur, auxilio Reginæ Virginum à terra extractus evaſit vivus. Ante Nativitatem Apoſtolorum Petri & Pauli; circa horam ſextam, contigit hoc opus horrendum. Eodem Anno in Sicilia Urbs Catania ante horam primam terræmotu ſubvertitur, & Epiſcopus & Clerus & Abbas de Mileto cum quadraginta Monachis, & omnis Populus circiter quindecim millia morte pereunt repentina. Plura etiam Caſtella in Sicilia ipſâ horâ cum innumerabili Populo concuſſa ſunt.

Anno Domini MCLXXIII. acies igneæ apparuerunt in cœlo de nocte III. Idus Februarii. Henricus Regis Angliæ filius contra patrem vaſtat Normanniam, multique moriuntur.

Anno Domini MCLXXV. facta eſt eclipſis Solis horâ ſextâ Idibus Decembris.

Anno Domini MCLXXIX. Alexander Papa Lateranente Concilium celebravit.

Anno Domini MCLXXX. Johannes Epiſcopus Carnotenſis obiit, qui ſocius Sancti Thomæ Cantuarienſis Vitam ipſius ſcripſit. Luna adhuc prima circa horam ſextam apparet in feſto Sancti Thomæ ſidere perlucido eam comitante, nec multò etiam ab ea Eccleſia diſtante.

Anno Domini MCLXXXV. in media Quadrageſima factus eſt terræmotus in Gothia, & in ſequenti menſe Aprilis eclipſis Lunæ particularis.

Anno Domini MCLXXXVI. Godefridus Comes Britanniæ, tertius filius Regis Anglorum, Pariſius obiit, & in Eccleſia Beatæ Mariæ ante Altare, annuente Philippo, ſepultus eſt.

Anno Domini MCLXXXVII. Saladinus totum ſibi ſubjicit Orientem, à quo etiam capta eſt Hieruſalem. Eodem Anno fuit eclipſis Lunæ pæne univerſalis VIII. Kalend. Aprilis. Eodem Anno, IV. Septembris capitur Aſcalon à Turchis. Ipſa die fit eclipſis Solis particularis in decimo octavo gradu Virginis, & duratione duabus horis apparuerunt etiam ſtellæ in die ſicut in nocte.

Anno Domini MCLXXXVIII. ſecunda die Februarii fit eclipſis Lunæ univerſalis, horâ noctis quartâ, & duravit per tres horas. Item IV. Idus Februarii paulò ante auroram, ſereniſſima nocte, viſa eſt Luna uſque ad terras in momento deſcendere; & factâ morulâ, quaſi reſumtis viribus iterum uſque ad locum unde deſcenderat, paulatim aſcendere. Eodem anno Fridericus Imperator Crucem accepit, qui fuit annus ſui Imperii XXXV. Eodem anno Antiſiodorum conflagratur, & urbs Treenſis comburitur, & Belluacum, Pruinum, & Carnotum miſerabiliter incenduntur.

Anno Domini MCLXXXIX. Eliſabet Philippi Regis Francorum uxor obiit.

CAP. XLVI.

Qualiter Marchiones Eſtenſes potiti ſunt rerum Ferrariæ.

Guillelmus cognomento Marcheſello, filius Guillelmi, qui pio voto cum exercitu Chriſtiano transfretavit, Princeps in Populo Ferrarienſi per hæc tempora fuit. Hic ſine liberis deceſſit; ex fratre cujus, nomine Aldegardo, ſuperſtes fuit virguncula, nomine Marcheſella. Ordinaverat enim tradi conjugio in domum Taurelli patris Salinguerræ, viri præpotentis urbis Ferrariæ. Petrus Traverſaria, Princeps in Ravenna factionis ſuæ, ſtudio Optimatum de Ferraria, qui adverſabantur Taurello, & foverant ipſum Guillelmum, fraude ipſam virginem abduxerunt Ravennam, & eam tradiderunt in conjugium uni Marchionum Eſtenſium, nomine Obizoni, & ex eo hæreditatem puellæ ceperunt. Obiit puella ante tempus nuptiarum, teſtamento infecto. Joculi nobiles Cives Ferrariæ, nati ex ſorore ipſorum Guillelmi & Aldegardi, jure ſuccedentes in hæreditate, eam vindicare ſpreverunt, licèt adjutores haberent, & maluerunt Marchiones habere Principes ſuæ factionis, quam hæreditate potiri. Fertur tamen, hunc Guillelmum adverſarium fuiſſe Marchionibus Eſtenſibus, & propterea in conterminis eorum Caſtella conſtruxiſſe contra Marchiones ipſos in agro Ferrarienſi, ut apud Manerios, apud Ponticulum, in Paludibus apud Arcoadam.

CAP. XLVII.

De Primate Verſificatore eximio.

Primas Verſificator egregius fuiſſe his temporibus traditur, ſcilicet imperante Friderico I. & maximè dum Lucius hujus nominis III. Papa Romanus ſederet. Hujus ingenium fuit ultra humanum verſificari elegantius, & repentè, ex quo inter ceteros Verſificatores vir ipſe illuſtris habitus eſt eximius & excellens, cujus extant opera mira. Quòd autem temporibus Lucii Papæ fuerit, apparet, quòd dum ipſe Primas Canonicus eſſet Aurelianenſis, & idem Papa fuiſſet in Gallia, rogavit eum Primas ſuper obtentu unius beneficii. Quem quum obaudientem inveniſſet, invehit his verſibus contra eum.

Lucius eſt piſcis, Rex & tyrannus aquarum
A quo diſcordat &c. (*quæ jam ſuperius deſcripta habentur, ubi agitur de Lucio Papa.*)

Fertur quoque, quòd, dum in Curia Romana ſuper ejus in arte verſificandi ingenio an reliquos præcelleret, quæſtio verteretur, dictum eſt, alium eſſe, qui longè eo in arte ipſa præcelleret. Dumque inter multos Prælatos & illiteratos viros de pluralitate & excellentia amborum amica tamen contentio verteretur, tamen ad hæc ſopienda data fuit materia per Collegium Cardinalium Papæ mandato, ut ſuper ea ambo verſificari deberent. Erat autem materia breve, ſcilicet Compendium Novi & Veteris Teſtamenti. Qui igitur paucioribus eam comprehenderet verſibus, ille haberetur eximius. Primas duobus; alius quatuor eam comprehendit verſiculis. Hi autem fuerunt Primatis verſus, qui intercalares dicuntur.

Quos anguis triſti virus mulcedine pavit,
Hos ſanguis Chriſti mirus dulcedine lavit.

Illos verò quatuor verſus numquam reperi vel audivi.

Explicit Liber Primus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De initiis Imperii Henrici VI. & ejus conjugis.

HEnricus hujus nominis Sextus, defuncto patre Friderico hujus nominis Primo, ſucceſſit. Sumſit autem Imperium Anno ab Incarnatione Domini MCXCI. ab initio Mundi MMMMMCLIV. ſecundùm Hebraicam veritatem, ſecundùm verò Eccleſiam .... Iſte Henricus à patre ſuo Friderico Imperatore Italiæ præficitur, & uxorem duxit Conſtantiam filiam Rogerii Siciliæ Regis, Anno Domini MCLXXXVI. qui fuit Annus Imperii dicti Friderici XXXIII. Pro cujus dote ſomarios ferme centum quinquaginta auro, argento, & aliis pretioſis onuſtos a cepit. Ipſum autem Henricum & Conſtantiam ejus conjugem idem Fridericus coronis regalibus inſignivit. Poſt hæc idem Henricus cum magnu exercitu Romam tendens, in Campaniam appulit ob diſcordiam, quæ inter patrem ejus & Urbanum Papam hujus nominis Tertium vertebatur; multiſque irruptionibus ac direptionibus loca earum partium invaſit, & cepit. Deinde in Lombardiam reverſus, ſupra Comitem Savogenſem duxit exercitum, & dum primò expugnaſſet Caſtrum, quod Vellejanum dicitur, ſolo illud evertit.

CAP. II.

Qualiter idem Imperator Apuliam, Calabriam, & Siciliam acquiſivit.

HUnc Henricum Imperatorem Cœleſtinus Papa hujus nominis III. Anno ſexto Regni ſui in Imperatorem conſecravit. Qui quum eſſet vir ſtrenuus in agendis, acer in hoſtibus, & cùm omnibus accedentibus ad eum largus & munificus (eſſet), totam Apuliam, Calabriam & Siciliam hoc modo ſuo Imperio ſubjugavit. Guillelmo namque Rege Siciliæ abſque hærede Anno Domini MCXC. defuncto, Siculi Tancredum Regem eorum inſtituerunt; quamquam ad Conſtantiam ſororem quondam ipſius Regis Guillielmi, & uxorem præfati Henrici, Regnum ipſum eſſet jure hæreditario & fœdere etiam inito devolutum. Sed ad hæc Regni jura naneiſcenda obſuit Henrico patris ejus Friderici abſentia, qui ferè cum militibus univerſis Imperii Crucesignatis transfretationis arripuerat iter. In quo tamen itinere defuncto, & ipſo Henrico, ut dictum eſt, coronato receptoque à fidelibus homagio, ſtatuque Imperii in Alamanniæ partibus in melius reformato, habita quoque grandi pecunia ex redemtione, quam Angliæ Rex Ricardus perſolverat, ab Auſtriæ Duce, dum reverteretur à partibus ultramarinis in dolo detentus, copias univerſas eduxit in Apuliam profecturus. Qui Januam veniens, requiſiti ab eo Januenſes, in ejus auxilium magnum Galearum ſtolium paraverunt, in cujus ſervitii recompenſam idem Imperator Henricus Communi Januæ confirmavit Civitatem Syracuſanam cum omnibus ſuis pertinentiis per Privilegium aurea bulla munitum. Caſtrum quoque Gavii eis confirmavit, & Podium Monachi eis dedit. Ante verò quàm idem

A Imperator Henricus Alemannia eſſet egreſſus, contigit, Tancredum ipſius Siciliæ Regem filium ſibi æquivocum Regni inſtituiſſe ſucceſſorem. Qui audito Henrici Imperatoris adventu, cum omnibus ejus copiis obviam ei progreſſus eſt. Quumque ambo exercitus apud Neapolim conveniſſent, inter ſe congreſſi ſunt. Tamdem Imperator cum ſuis victus ſuccubuit: qui dum non multò poſt majori exercitu ſuas auxiſſet copias, interim tamen Siciliæ Rex Tancredus univerſæ carnis viam ingreſſus eſt. Apuli verò Domino privati, Terram Apuliæ & Calabriæ eidem Imperatori Henrico tradiderunt, reluctanta tamen viro quodam Inſulæ præpotenti, qui nitebatur nepotem ſuum ad Regni ſolium promo-

B vere; quem poſtmodum Imperator, Regno Siculorum obtento, tamquam ſibi rebellem occidi & nepotem exoculari mandavit. *Hæc habentur ex Hiſtor. a quiſit. Terræ-Sanctæ, quam ſcripſit Bernardus Theſaurarius.* Sed *Martinus Polonus in Chronica ſua ſcribit*, quòd idem Henricus Anno I. ſuæ coronationis, qui fuit Annus ſextus aſſumti Regni Regnum Siciliæ intrans, cepit totam Terram uſque Neapolim, & ipſam urbem per quatuor menſes obſedit, ibique ejus exercitum tanta lues invaſit, quòd omnes ferè mortui ſunt, ſicque Imperator cum paucis languens ab obſidione diſceſſit. Anno verò poſt hæc IV. ſui Imperii iterum ibi rediens magnas eduxit copias, Regnumque totum Apuliæ manu potenti ſubju-

C gans, plurimos ibi rebelles diverſis pœnis affecit. Tancredum Regis Tancredi filium cum matre ſua Margarita & Rege Epirotarum ſecum in Germania captivos deduxit.

CAP. III.

De morte hujus Henrici Imperatoris, & ejus Imperii diſpoſitione.

SUbjugato igitur hoc modo Siciliæ Regno, idem Imperator Henricus claſſem magnam parari mandavit, eam in ultramarinis partibus ad Terræ-Sanctæ ſubſidium tranſmiſſurus. Miſit quoque in Germaniam Nuntios, ut quicumque

D pio votu transfretare vellent, ad ipſius Terræ ſubſidium, ſublimes videlicet & infimi, divites & pauperes, properarent ad ipſum, percepturi ab eo nauli & victualium impenſas. Multi itaque Crucis aſſumto charactere ex Germania procedentes ad Henricum Imperatorem transfretandi causâ venerunt, equitum ferme quatuor millia, peditum verò numeru innumerus erat. His autem Imperator in neceſſariis providens, Cancellarium Alemanniæ exercitus eorum Capitaneum fecit, promiſitque de Siciliæ Regno non diſceſſurum, quamdiu in partibus Terræ-Sanctæ conſiſterent, & quòd eis non deeſſet auxilio. Ille autem, in cujus manu conſiſtunt Regum conſilia, Imperatoris Auguſti propoſitum anguſtiavit; nam

E Imperator ipſe apud Panormum paulò poſt lecto decumbens, dum ſibi mortem cerneret imminere, vocatis ad ſe Germaniæ Primatibus, Theobaldo Apuliam & Calabriam gubernandam reliquit, donec filius ejus Fridericus ad ætatem perveniſſet adultam. Hunc enim genuerat ex Conſtantia Rogerii Siculorum quondam Regis filia Romanorum Imperatrice. Cuidam alii Inſulam Siciliæ commendavit cum filio pariter & conjuge.

ge. Philippo verò fratri ſuo Sueviæ Duci curam commiſit Imperii, quouſque filius ejus Fridericus ad legitimam perveniſſet ætatem. Quod eo fideliter gubernante, à quodam Milite in thalamo ſuo occiſus eſt; quem poſtmodum Otto Imperator hujus nominis IV. trahi & ſuſpendi mandavit. His ita diſpoſitis Henricus Imperator in fata conceſſit, qui & Panormi in Majori Eccleſia Imperialibus exſequiis eſt ſepultus. Quumque poſt ejus mortem anno revoluto Imperatrix Conſtantia ægritudinem validam incurriſſet, accitis Prælatis & Proceribus Imperii apud Meſſanam Civitatem illis innotuit, ſe vello infantem Fridericum Imperiali diademate coronari, & ei à ſubditis homagium exhiberi, antequam ipſa à rebus eximeretur humanis, ut per hoc imminentia evitarentur diſcrimina. Prælati autem & Proceres, communicato inter eos conſilio, reſponderunt, eos non irrationabiliter hæſitare, an puer filius ejus eſſet, quum tempore ortus ipſius ipſa concipiendi tranſcendiſſet ætatem. Quum autem Imperatrix poſt multa ſuper fide hujus rei præſtanda ſe in omnem eventum ſtare eorum judicio obtuliſſet, decretum eſt, ut Imperatrix jurejurando aſſereret, puerum ipſum alvo geſtaſſe ex Imperatoris Henrici ſemine conceptum. Quo juramento ab Imperatrice præſtito, receptus eſt puer in Imperatorem, & diademate inſignitus. Paulò poſt Imperatrix è vita exceſſit. Poſt Innocentius Papa hujus nominis III. tres Cardinales in Siciliam miſit, cum quibus etiam tres Regni Epiſcopos ad pueri cuſtodiam deputavit, qui eum Panormi ducentes diu in tutelam habuerunt, qui in multis partibus poſtea dictus eſt Apuliæ puer.

CAP. IV.

De ſeditione orta in Regno Siciliæ.

MOrtua igitur Imperatrice Conſtantia Primores Siciliæ Regni Germanos, in quorum cuſtodiam Regni curam Imperator contulerat, moleſte ferentes, tamdem multis ſeditionibus & inſultibus hinc inde habitis, Germani ſeceſſerunt à Regno. Poſt hæc inter regnicolas ſubortæ ſunt ſimultates & odia, ita ut implacabiliter ſe invicem perſequentes, multis gravibuſque direptionibus, ac frequentibus incurſionibus Regnum dilacerant, ex quo variæ calamitates regnicolis ſunt inflictæ. Duæ namque ſolùm Civitates, Meſſana ſcilicet, & Panormum, & Oppidum Barletum in jus Regni manſerunt. Civitatem Saragocenſem acquiſiverunt Piſani, quam poſtmodum Genuenſes obſederunt, eamque ceperunt. Saraceni verò, qui in Regno Siciliæ erant, ſumtis animis ex hac diſcordi ſeditione Chriſtianorum, ſimul conglobati ſe in quodam monte munitiſſimo communientes, multis incurſionibus impetunt Chriſtianos. Inter hæc Tancredi quondam Regis Siciliæ filia, conſilio Romani Pontificis Cœleſtini hujus nominis III. & quorumdam Primatùm, in Campaniam pergens, Galtero Comiti de Brienne nupſit. Quo facto ipſa cum eodem Comite viro ſuo Urbem adiit; quos Papa benignè ſuſcipiens, dona illis multa contulit, ſuaſitque ut Apuliæ terram intrantes, eam ſibi procurarent acquirere, ſuum eis ſpondens auxilium, & Eccleſiæ Romanæ favorem. Galterus igitur cum conjuge ſua Tancredi filia Apuliam profectus, receptus eſt gratanter ab Apulis, & magnam illi portionem terrarum Apuliæ tradiderunt. Theobaldus tamen, cui Fridericus Imperator Apuliam & Calabriam gubernandam reliquerat, magnarum copiarum potentia fretus, Comitem ipſum Galterum perſequutus eſt; & tamdem dum Comes ipſe Galterus in obſidione cujuſdam Civitatis conſiſteret, Theobaldus ipſe cum aliquibus ex ſuis militibus nocte ad exercitum ipſius clam adveniens, latronis more tentorium ejus intravit, & ipſum Galterum Comitem interemit. Quod quum ſui agnoviſſent, ſtatim viribus & animis conſternati ab obſidione diſcedunt; ſicque Theobaldus terram recuperavit amiſſam. Hæc quæ dicta ſunt de morte Henrici Imperatoris, & Imperii ac Regni diſpoſitione, necnon & promotione Friderici pueri filii ejus ad Imperium, & ſeditione orta in Regno Siciliæ, *ſcribit Bernardus Theſaurarius in Libro acquiſitionis & perditionis Terræ-Sanctæ*. Sequitur de Romanis Pontificibus, & aliis eventibus tempore hujus Henrici.

CAP. V.

De Papa Cœleſtino Tertio.

COEleſtinus hujus nominis III. imperante Henrico VI. Romanam tenuit Cathedram. Sedit autem annis VI. menſibus VIII. diebus XI. Cœpit quoque Anno ſexto Regni hujus Henrici, qui fuit Annus Domini MCXCI. Qui die Paſchæ conſecratus in Papam, ſecundo die coronavit in Imperatorem præfatum Henricum. Hic fuit natione Romanus, ex patre Petro Hugonis. Palatium apud Sanctum Petrum ædificavit.

CAP. VI.

De Papa Innocentio Tertio ex Chronicis.

INnocentius hujus nominis III. defuncto Cœleſtino in Papatu ſucceſſit. Sedit Annis XVIII. menſibus IV. diebus XXII. Imperante Henrico hujus nominis VI. Cœpit autem Anno ejuſdem Henrici VIII. qui fuit Annus Domini MCXCVIII. Hic fuit natione Campanus, Caſtro Gaviniano, ex patre Tranſmundo. Conſecratus in Feſto Cathedræ Sancti Petri. Hoſpitale Sancti (*) Spiritus conſtruxit in Roma, & renovavit Eccleſiam Sancti Sixti. Librum Decretalium ordinavit. Librum *de miſeria humanæ conditionis*, & *Sermones* nonnullos compoſuit, & multa alia glorioſa. Univerſis Eccleſiis Romæ libram unam argenti pro ſingulis calicibus dedit, illis videlicet, quæ calices argenteos non habebant, tali pacto, quòd eos vendere non poſſent. Ottonem IV. in Imperatorem coronavit, & poſtmodum depoſuit. Hujus etiam Anno primo Pontificatus, XVII. Novembris, in Baſilica Lateranenſi, quæ Conſtantiniana dicitur, celebratum eſt Concilium Generale pro ſubſidio Terræ-Sanctæ, & pro ſtatu univerſalis Eccleſiæ, & multa alia ſtatuta ſunt ibi promulgata; in quo fuerunt Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique Prælati numero mille trecenti quindecim. Abbatis Joachimi Libellum, quem contra Magiſtrum Petrum Lombardum compoſuit, de Unitate ſeu eſſentia Trinitatis, ſicut habetur in Decreto *Damnamus* &c. damnavit, & etiam Amalricum quemdam Carnotenſem cum ſua doctrina, ſicut habetur in Decreto *Damnamus*. Hic Amalricus aſſeruit ideas, quæ ſunt

(*) *In margine antiqua manu adnotatur*: Fertur hunc Innocentium ſuis exhibuiſſe pecuniam, qua conſtructa eſt Turris ſublimis Romæ, quæ dicitur Comitis Johannis Pauli. Pro cujus rei piaculo conſtruxit Hoſpitale jam dictum.

ſunt in mente Divina, & creare & creari; quum ſecundùm Auguſtinum, nihil niſi æternum atque incommutabile ſit in mente Divina. Dixit etiam, quòd ideo finis omnium rerum dicitur Deus, quia omnia reverſura ſunt in eum, ut in Deo immutabiliter quieſcant, & unum individuum atque incommutabile in eo manebunt, & ſicut alterius naturæ non eſt Abraam, alterius Iſaac, ſed unius ac ejuſdem, ſic dixit omnia eſſe unum Deum. Dixit enim, Deum eſſe eſſentiam omnium creaturarum, & eſſe omnium. Item dixit, quòd ſicut lux non videtur in ſe, ſed in aere, ſic Deus nec ab Angelo, nec ab Homine videtur in ſe, ſed in creaturis. Dixit etiam, quòd in Caritate conſtitutis nullum peccatum imputabatur, unde ſub corporali ſpecie pietatis ſequaces ejus omnem turpitudinem liberè committebant. Aſſeruit præterea, quòd ſi homo non peccaſſet, in duplicem ſexum perditus non fuiſſet, nec generaſſet; ſed eo modo, quo Sancti Angeli multiplicati ſunt, multiplicati fuiſſent & homines, & quòd poſt reſurrectionem uterque ſexus adunabitur, ſicut, ut aſſerit, fuit prius in Creatione: talem dixit Chriſtum fuiſſe poſt reſurrectionem. Qui omnes errores inveniuntur in Libro, qui intitulatur *PeriPhyſeon*, qui ponitur inter alios Libros Pariſius condemnatos, & dicitur *Liber Amalrici*. Qui Amalricus fuit Pariſius flammis incenſus.

Hic etiam Innocentius Papa Regulam dedit Fratribus Tertii Ordinis Humiliatorum. Ante tamen, quàm data eſſet eis Regula, Fratres ipſi longo tempore per ſe habitum aſſumſerant, nondum ſcilicet apparentibus Prædicatoribus & Minoribus. Qui quidem Fratres Ordinis Tertii Fundatores fuerunt primi, & ſecundi Ordinis Humiliatorum. Dedit autem Innocentius ille eiſdem Fratribus Regulam ſecundo Anno ſui Pontificatus, qui fuit Annus Domini MCXCIX. Imperatoris verò Henrici VI. ultimus. Eccleſiam Sanctæ Mariæ trans Tiberim tempore præfati Concilii conſecravit. Demum, quum propter ſubventionem Terræ-Sanctæ inter Piſanos, Januenſes, & Lombardos pacem facere intenderet, in itinere ad hoc conſtitutus, apud Peruſium eſt defunctus, & in Eccleſia Sancti Laurentii tumulatus. Peruſinis autem electionis cauſa Cardinales ſtrictiſſimè arctantibus, ceſſavit Papatu ſolùm per unum diem, electuſque eſt Honorius hujus nominis III. Hujus temporibus duo inclyti Ordines ſcilicet Prædicatorum & Minorum initium habuerunt. Innocentius quoque iſte, *ut ſcribit Vincentius*, miſit in Franciam Legatum Petrum Capuenſem Diaconum Cardinalem ad reformandam pacem inter Francorum & Anglorum Reges, quam tamen non potuit reformare: accepit tamen ab eis, interpoſita eorum fide, treugas quinquennales Anno Domini MCXCVIII. Huic quoque Innocentio Papæ, ut ſcribit idem, Petrus Aragonum Rex, Comes Barcinoniæ, & Dominus Montis Peſulani Regnum ſuum obtulit Anno Domini MCCIII. imperante Ottone IV. Illudque ſibi ac ſucceſſoribus ſuis in perpetuum pro redemtione animæ ſuæ, ac progenitorum ſuorum, conſtituit cenſualem, & annuatim de Camera ipſius Regis CCL. Marabutinæ Apoſtolicæ Sedi reddantur, & ipſe ac ſucceſſores ejus eidem ſpecialiter fideles & obnoxii teneantur. Hic etiam Papa Innocentius Anno Pontificatus ſui XVII. qui fuit Annus Domini MCCVIII. Legatum in Franciam Gualonem Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem Juriſperitum miſit Philippo Regi III. & omnibus Regni ſui Principibus, mandans & præcipiens, ut cum magno exercitu terram Tholoſanam, & Albigenſium, ac Narbonenſem, atque adjacentes invaderent, atque omnes hæreticos, qui eas occupaverant, delerent. Et ſi forte in via vel in bello morerentur, ab ipſo Papa de omnibus peccatis à die nativitatis ſuæ contractis, de quibus confeſſi eſſent, abſolvebantur. Multi itaque Cruce ſignati Anno ſequenti iter arripiunt contra Albigenſes, quibus atque Comes adjungitur Tholoſanus, quem abſolverat idem Papa per Legatum. Biterris itaque capitur, omneſque pariter trucidantur, ita quòd decem & ſeptem millia hominum ferro & incendio pereunt. Idem quoque Innocentius Anno MCCIX. contra voluntatem Philippi Regis Francorum, & contradicentibus pro maxima parte Romanis, multis etiam ex Magnatibus Imperii diſſentientibus, Ottonem hujus nominis IV. Imperatorem coronavit.

CAP. VII.

De Uberto Archiepiſcopo Mediolanenſi.

UBertus Mediolanenſis Archiepiſcopus hoc etiam tempore Mediolanenſem regebat Eccleſiam. Hic fuit nativitate Mediolanenſis ex proſapia de Tertiago, & erat Archipresbyter Modoetiæ, quando ad Archiepiſcopatum fuit aſſumtus. Cœpit præſidere Anno Domini MCXCVI. qui fuit Annus VI. ejuſdem Henrici VI. ſeditque menſibus IX. & diebus V. ſepultus in Eccleſia hyemali.

CAP. VIII.

De Philippo ejus ſucceſſore.

PHilippus eidem Uberto in Archiepiſcopatu ſucceſſit, qui ſedit Annis X. menſibus IV. diebus VII. Hic fuit natione Mediolanenſis ex agnatione de Prendebonis. Cœpit Anno Domini MCXCVII. Sepultus eſt in Tyvulna Claravallis.

CAP. IX.

De Bonifacio Archiepiſcopo Januenſi.

BOnifacius his temporibus Archiepiſcopus Januenſis elevari juſſit Corpus Sancti Syri de ſubtus Altare Sancti Laurentii, & in area marmorea ſuper Altare venerabiliter collocavit, ubi etiam oſſa Sancti Felicis, & Sancti Romuli in alia arca fuerunt inventa. Hic Archiepiſcopus primò fuit Archidiaconus Januenſis, vixitque in Archiepiſcopatu annis XV. Cœpit Anno Domini MCLXXXVIII. Hujus tempore, ſcilicet Anno Domini MCXC. deſierunt eſſe Conſules in Civitate Januæ, pro eo quòd omnes ad Conſulatum aſpirabant; unde multa odia in Civitate ipſa inter cives ſuccreſcebant. Unde tunc primò cœperunt Poteſtates eligere. Fuit autem primus quidam Brixienſis nomine Manegoldus. Iſtius etiam Archiepiſcopi tempore, ſcilicet Anno ultimo, Commune Januæ emit Caſtrum de Gavio à Marchionibus, datis ſibi tribus millibus & ducentis Libris, & ipſos Marchiones in concives receperunt.

CAP.

by Google

CAP. X.

De Huguicione Piſano.

HUgucio Piſanus Epiſcopus Ferrarienſis per hæc tempora illuſtris habetur, qui *Librum Derivationum* utiliter digeſſit, non tamen ubique veracem, ſeu omnino perfectum.

CAP. XI.

De cæteris eventibus hujus temporis Henrici VI.

ANno primo Imperii Henrici hujus, qui fuit Annus Domini MCXC. vigeſimatertia Junii fuit eclipſis Solis in ſeptimo gradu Cancri, & duravit per quatuor horas. Eodem Anno, III. Idus Julii Acon recepta eſt à Chriſtianis poſt decurſum ferè biennium ex quo cœpit obſideri. Civitas Aſcalon multo auri pretio, Paganis petentibus, à Ricardo Angliæ Rege funditus evertitur. Philippus hujus nominis III. Francorum, qui Cruceſignatus transfretaverat, hoc anno reverſus eſt in Franciam. Eodem anno Pridie Idus Martii apud Nongentum in Pertico militum acies ex aere deſcendentium in terra viſæ ſunt, ibique facta inter ſe mirabili pugna ſubitò evanuerunt. Porrò XX. die Novembris fuit eclipſis Lunæ duabus horis. Eodem anno Ricardus Anglorum Rex rediens de ultramarinis partibus, Lopulilus Auſtriæ Dux obſervatâ ſtratâ & poſitis ubique cuſtodibus inventum in domo deſpecta captivavit. Tamdem ducentis millibus Marchis argenti pro redemtione liberatus, in Angliam per mare tranſvectus eſt. De his quære ſupra ſub temporibus Friderici I. ubi ſcripta ſunt ejuſdem Ricardi geſta. Anno Domini MCXCIV. Carnotum populoſa Civitas exuſtione ſubita exarſit, illoque incendio inſignis Eccleſia Beatæ Mariæ cum toto Clauſtro conflagravit & corruit, ubi Reliquiarum & hominum multitudo, & ornamentorum congeries immenſa deperiit. Eodem anno in pago Belluacenſi inter Clarum Montem, & Compenium, tantæ pluviæ cum tonitruis fulminibus, & tempeſtatibus factæ ſunt, quantas nulla memorat hominum antiquitas. Lapides enim ad quantitatem ovorum quadranguli mixti cum pluvia de Cœlo cadentes, arbores & fructiferas vineas & ſegetes penitus deſtruxerunt. Villæ quoque in pluribus locis à fulminibus deſtructæ ſunt & combuſtæ. Corvi etiam quamplures cum hujuſmodi tempeſtate viſi ſunt in aere de lo o ad locum volantes, & cum roſtris vivos carbones portantes & domos incendentes. Sed & utriuſque ſexus homines ictu fulminum interierunt, & alia multa horrenda eadem die monſtra ſunt.

CAP. XII.

De Cruce Dominica.

ANno Domini MCXCV. Vera Crux Chriſti, quæ antonomaſticè dicitur, Januam eſt delata. Ipſam quidem Crucem Sanctam Patriarcha Hieroſolymitanus ſemper in prœliis deferebat, & obtinebat victoriam. Accidit etiam, peccatis exigentibus, quòd Saladinus Hieruſalem cum Patriarcha & Sanctam Crucem accepit. Tempore autem procedente quum Imperator Græcorum cum Saladino compoſuiſſet,

A remittebat dictus Saladinus ipſi Imperatori Græcorum in quadam navi Crucem prædictam. Piſani navem manu armata ceperunt. Dum verò ſpolia dividerent, quidam Piſanus, nomine Fortis, Crucem illam latenter ſurripuit, & in Caſtro Bonifacii, quod olim Januenſes deſtruxerant, ſed Piſani reædificaverant, ſervandam repoſuit. Poſtmodum autem Januenſes navibus & Galêis armatis dictum Caſtrum ceperunt. Quod cernens dictus Fortis, de virtute Sanctæ Crucis confidens, ipſam pectori ſuo appoſuit, & per medios hoſtes ſecurus tranſiens, de Caſtro exivit, & in quadam Inſula ſe abſcondit. Sed tamdem ad Caſtrum rediens, ipſam Crucem Communi Januæ dedit, & Civis Januæ effectus eſt.
B Dicitur etiam, quòd dictus Fortis ſibi Crucem accipiens, & de ejus virtute confidens, ſupra mare tamquam ſupra terram ſolidam ire cœpit, & dum putaret ſe fugere, & ſe à Caſtro elongare, nutu Dei in Caſtro ſubitò ſe invênit, & ſic Januenſes Crucem accipientes, Januam illam miſerunt. *Hæc ſcribit de Cruce Dominica Jacobus de Varagine Archiepiſcopus Januenſis in Chronica ſua.*

CAP. XIII.

De initio Imperii Ottonis IV. & geſtis ipſius:

OTto hujus nominis IV. defuncto Henri-
C co VI. accepit Imperium Anno Domini MCXCVIII. ab initio Mundi MMMMMCLX. ſecundùm Hebraicam veritatem, ſecundùm verò Eccleſiam MMMMMM. . . . . & imperavit Annis . . . . Hic Otto Dux Saxonum, mortuo Panormi Henrico Imperatore, ad Imperium promotus eſt in hunc modum. Orta quidem diſſenſione inter Alemanniæ Principes, una pars hunc elegit Ottonem, alia Philippum fratrem ejuſdem Henrici Imperatoris, Sueviæ Ducem. Innocentius verò III. Papa huic Philippo adverſatus eſt propter eumdem Henricum Imperatorem fratrem ejus, quem dicebat in Regno Siciliæ contra Romanam Eccleſiam tyrannidem exercuiſſe, propter quod ipſum & omnes ejus
D fautores excommunicavit. Ottoni verò Duci Saxoniæ viriliter adhæſit, & cum Aquiſgrani procuravit in Regem Alamanniæ coronari. Poſtmodum coronavit eum Romæ in Baſilica Beati Petri, ut jura Eccleſiæ tueretur. *Hæc Martinus Polonus.* Scribit autem *Innocentius* in hunc modum: Philippus Dux Sueviæ frater Henrici quondam Imperatoris Anno Domini MCXCVIII. maximam partem Imperii obtinuit, contra quem Otto Dux Saxoniæ ſtetit, habens coadjutorem Regem Angliæ Ricardum avunculum ſuum, Comitemque Balduinum Flandrenſem, & Archiepiſcopum Colonienſem. Rex autem Francorum Philippus hujus nominis III. dicto Philippo Regi Alamanniæ Ducique Sueviæ confœderatus eſt,
E ſperans per eum Comitem Flandriæ ſibi ſubjicere, ac Regi Angliæ faciliùs poſſe reſiſtere. Otto poſtmodum, Anno ſcilicet Domini MCCVI. cum eodem Philippo Duce Sueviæ de Imperio contendit, & deficientibus à ſe partibus, intra Coloniam conſtitit, nam ei ſola tunc Colonia favebat; eamque Philippus Dux obſedit. Cives egrediuntur ſed repelluntur, & Ottone fugato Colonia capitur. Anno poſt hæc ſecundo Comes quidam Palatinus, qui linguâ eorum dicitur Landgravius, ideſt Comes Palatii, Philippum Imperatorem interfecit: cujus uxor filia Churſac Imperatoris Græcorum præ dolore moritur. Huic enim Philippo, *ut ſcribit Bernardus Theſaura-*

ſaurarius, dum Henricus frater ejus apud Panormum moreretur, curam commiſerat Imperii. Et dum Otto contra eum de Imperio contenderet, dicebat, ſe ideo Imperium gubernare, ut nepos ejus puer Fridericus Henrici Imperatoris filius illud poſſideret, quum ad ætatem legitimam perveniſſet, ſicut diſpoſuerat pater ejus. Hujus quoque Philippi necem Otto ipſe, ut ſe ab homicidii purgaret infamia, ultus eſt. Nam homicidam comprehendi juſſit, & diu jumento tractum laqueo ſuſpendi. Mortuo igitur Philippo, idem Otto, *ut refert Vincentius*, per induſtriam & auctoritatem Innocentii Papæ Imperium obtitur obtinere. Ipſe autem Innocentius Anno Domini MCCIX. contra voluntatem Philippi III. Francorum Regis, & contradicentibus pro maxima parte Romanis, multis etiam Magnatibus Imperii diſſentientibus Ottonem Imperatorem coronavit. Cujus pater Dux ſcilicet Saxoniæ de crimine læſæ majeſtatis ad Imperatore Friderico primo convictus, & univerſo Baronum Imperii judicio condemnatus atque à Ducatu fuerat in perpetuum dejectus.

In ipſa verò coronatione Papa jusjurandum exegit ab eo de Patrimonio & jure Beati Petri indemniter ipſi & Eccleſiæ Romanæ in pace dimittendo, & contra quoſcumque defendendo. Quo facto contra juramentum vênit ipſo die. Propter hoc igitur, & propter quaſdam expenſas, quas ab Imperatore Romani ex debito petebant, & propter quaſdam injurias, quas eis Theutonici irrogabant, ortâ diſcordiâ, Romani cum eis conflixerunt, multique de Theutonicis occiſi ſunt; plurimùm etiam eos damnificaverunt, ita ut quum de damnis ſibi relarciendis Imperator cum Romanis poſtmodum ageret, in illo bello ſe & mille & centum equos amiſiſſe præter homines & alia diceret. Rediens autem inde, ſicut dudum animo conceperat, Caſtra & munitiones occupavit, quæ ſcilicet juris Beati Petri erant, Radicoſanum, Montem Flaſconis, ac pæne totam Romaniam. Inde tranſiens in Apuliam, oppugnavit Terram Friderici filii Imperatoris Henrici, cepitque multas urbes atque Caſtella in Regno Apuliæ. Miſſi igitur hinc inde Nuntiis, quum Imperator ea, quæ occupaverat, reſignare nullatenus vellet; quin etiam à ſuis, quos in Caſtris poſuerat, ſpoliari Romipetas faceret: Papa communicato Fratrum conſilio excommunicationis ſententiam promulgavit in eum. Deinde quum nec ſic reſipiſcere vellet, ſed magis Eccleſiæ res occuparet, ac Romipetarum iter impediret, omnes ſubditos ejus Papa à fidelitate ipſius abſolvit, ſub anathematis intérminatione prohibens, ne quis eum in Imperatorem haberet aut nominaret. Sicque receſſerunt ab eo Landgravius Thuringiæ, & Archiepiſcopus Maguntinus, ac Treverenſis, Duxque Auſtriæ, & Rex Bohemiæ, multique alii tam Seculares, quàm Eccleſiaſticæ perſonæ. Ottone igitur auctoritate ejuſdem Papæ Innocentii reprobato, & Imperii poteſtate privato, à Baronibus Alemanniæ, Philippi III. Francorum Regis conſilio mediante, Fridericus Henrici quondam Imperatoris hujus nominis VI. filius, Anno Domini MCCXI. unanimiter in Imperatorem eligitur, rogantes ipſum Innocentium Papam, ut ejus confirmaret electionem. Qui licèt ſatis vellet, quia tamen Eccleſiam Romanam ſemper gravitatem & maturitatem in novis rebus obſervare conſuevit, diſſimulabat, & quia etiam illam progeniem non amabat. Tamdem de conſilio, ut dictum eſt, Regis Philippi, à Baronibus vocatus Fridericus Romam vênit, fuitque ſuſceptus honorificè à Romanis, adjuvantibus Bonifacio Marchione Montisferrati, Civibuſque Papienſibus, & Cremonenſibus, & omnibus ferè Lombardiæ Civitatibus. Tranſiens quoque etiam Alpes intravit Alemanniam, & vênit Conſtantiam. Cujus adventum ſciens Otto, ſequutus eſt eum cum CC. Militibus; jamque præmiſerat famulos & equos ſuos, in eamdem urbem ipſa die venturus. Itaque quum jam ab urbe per tres leucas diſtaret, Otto viriliter cum ſuis repulſus eſt. Dicunt tamen, quòd ſi tunc Fridericus per tres horas moram feciſſet, Alemanniam numquam intraſſet. Otto igitur à Conſtantienſibus ſic repulſus, acceſſit Briſach, à quo etiam, quia Theutonici cives illius oppidi contumeliis & injuriis afficiebant, eorumque filias & uxores violabant, non minore dedecore, quàm à Conſtantiis, eſt propulſus. Fridericus autem tam ab his, quàm ab aliis Imperii Baronibus eſt receptus.

CAP. XIV.

De pugna inter Ottonem, & Francos, & morte Ottonis.

POſt hæc idem Otto Anno Domini MCCXIV. allectus à Johanne Angliæ Rege pecunia mediante, congregavit exercitum in Comitatu Hannoniæ, oppido Valentianæ in terra Ferrandi Balduini Flandriæ Comitis. Fueruntque cum eo miſſi ab eodem Rege Johanne ad ejus ſtipendia Comites Boloniæ, Salesberiæ, & Flandriæ: Dux quoque Brabantiæ, cujus filiam idem Otto duxerat in uxorem; & multi alii Proceres & Comites de Alamannia, Hannonia, Brabantia, & Flandria. Rex autem Philippus Francorum hujus nominis III. congregatum movit exercitum, & ad urbem Tornacum pervênit. Otto verò cum ſuo exercitu vênit ad Caſtrum, quod dicitur Morecharia, diſtans à Tornaco per ſex milliaria. Receſſit autem Rex de Tornaco, ut iret ad Inſulam Caſtrum, & Otto cum exercitu ſuo ſequutus eſt eum. Quum autem nuntiatum eſſet Philippo quòd Otto ſequebatur eum, paratus ad pugnam Rex in prima belli fronte ſe poſuit, cui lateratim multi ſtrenui Proceres adhærebant, virtute ſpectabiles, & in armis exercitati. Ab oppoſita parte ſtabat Imperator Otto agmine conſertiſſimo, qui ſibi pro Vexillo erexerat Aquilam deauratam ſuper Draconem pendentem in pertica erecta in quadriga. Facto itaque pugnæ congreſſu, prœlium ingens ex utraque parte committitur; quod cùm ferventiſſime trium horarum ſpatio jam duraſſet, tamdem totum belli pondus in Ferrandum cum ſuis verſum eſt. Qui multis confoſſus vulneribus, & in terram proſtratus, cum pluribus ejus militibus captivatus eſt. Otto cum acie ſua nonniſi contra Philippum & ejus aciem pugnavit. Ab utraque parte prœliatur virtute mirabili, & cadunt multi; Francorum tamen virtus prævaluit, repulſaque tota Ottonis acie, pervenerunt ad eum; & quum unus Militum Regis Ottonem ipſum per frenum apprehendiſſet, & eum à turba, qua conſertus erat, extra habere non poſſet, alius Miles Girardus Stropha cultellum in ejus pectus impegit, & propter armorum ejus denſitatem ipſum lædere non valens, ictum reiteravit, & huic ſecundo ictui, caput equi, quod erat erectum & arduum, obviavit; & ideo cultellus mira fortitudine impulſus deſcendit in cerebrum per oculum equi receptus. Equus itaque lethaliter vulneratus ſe giravit, & versùs illam partem Aquilâ cum Carro dimiſsâ, ac prædæ diſpoſitâ, tergum ver-

verten à tergo receſſit. Quo Rex viſo ait ſuis: *hodie faciem ejus ampliùs non videbitis*. Quum igitur paululum proceſſiſſet equus, labitur; & ſtatim alius recens adducitur, in quem quum aſcendiſſet, fugæ velociter ſe commiſit. Carrus decerpitur, Draco frangitur, Aquila alis evulſis & confractis ad Philippum defertur. Otto (*) itaque à prœlio fugiens unà cum Duce Brabantiæ perrexit in Alamanniam. Fridericus verò bis cognitis contra eum copias ſuas eduxit. Quod Otto audiens, in Saxoniam apud fratrem confugit, quem Fridericus inſequutus, eum in quodam Oppido obſedit, in quo idem Otto morbo langueſcens diem clauſit extremum. Ante tamen, quàm moreretur, gravi arctatus obſidione, diadema cum ſceptro & reliquis Imperialibus inſigniis coactus eſt tradere Friderico.

CAP. XV.

De electione Philippi Ducis Sueviæ, & morte ejus.

DEfuncto Henrico VI. Imperatore filio quondam Imperatoris Friderici I. Otto Dux Saxonum ab aliquibus Principibus Theutonicis in Regem Romanorum electus eſt; poſtmodum ab iis, quibus à Summo Pontifice indultum eſt, ſolemniter de ipſius Romani Pontificis, Innocentii videlicet III., beneplacito, Aquiſgrani coronatus. Philippus quoque Dux Sueviæ, frater quondam ejuſdem Imperatoris Henrici, à quibuſdam aliis Principibus in Regem ſimiliter eſt electus, & coronatus, non tamen de conſenſu & voluntate Romani Pontificis. Unde inter ipſos Ottonem & Philippum inexorabilis diſcordia eſt ſuborta, quæ pernicioſa & diſcriminoſa multis ab obitu ejuſdem Henrici (quæ fuit Anno Domini MCXCVIII.) uſque ad Annum Domini MCCVIII. perduravit. Verùm quia Philippus ipſe theſaurum maximum poſſidebat, quem frater ejus Imperator Henricus, dum eſſet in Regno Siciliæ, in Alamanniam miſerat, ferè omnes Principes tam Clericos, quàm Laico, ſibi adhærentes habebat. Unde Ottone potentior habebatur. Nec ſolùm Philippus ipſe ad ſe muneribus Principes traxit, verume iam præfatus Innocentius Papa, qui dictum Philippum à principio exoſum habuerat, & coronam ei dare recuſaverat, audiens eum divitiis ac potentia prævalere, ſive timore, ſive pretio allectus, de Fratrum ipſius conſilio promiſit eidem conferre coronam. Anno itaque MCCVIII. menſe Junii Patriarcham Aquilejenſem Legatum pro coronatione ad ipſum Philippum tranſmiſit, ut eam ad libitum ſuſciperet. Quumque Placentiam veniens, in Theutoniam proficiſci feſtinaret, idem Philippus à quodam Principe Altigrano nomine in thalamo proprio, in quo jacebat infirmus, interfectus eſt Julio menſe, eodem Patriarcha adhuc Mediolani exiſtente. Hic enim Nobilis ideo hoc feciſſe fertur, motus ira pariter & dolore, ac etiam impropetio confuſus, quòd ipſe Philippus filiam, quam tradiderat filio ejuſdem Nobilis in uxorem, indebitè abſtulerat. Defuncto itaque Philippo, idem Otto Romanorum obtinuit dominium, & totius Alemanniæ poteſtatem accepit, cui etiam Principes, tam Clerici, quàm Laici, fidelitatem ſolemniter juraverunt. Poſt hæc menſe Decembri Legati Civitatum Lombardiæ, ſcilicet Mediolani, Placentiæ, Papiæ, & Cremonæ, & aliarum multarum ad ipſum Ottonem in Alamanniam miſſi ſunt. Qui menſe Januario anni ſequentis, qui fuit Annus Domini MCCIX. cum eodem Rege Ottone ſolemne colloquium habuerunt. Eodem quoque Anno idem Otto cum magna Theutonicorum expeditione Lombardiam primitus intravit. Caſtrametatus eſt in Pitcheriæ partibus, qui à Lombardorum Civitatibus milites petiit, cum eo pro ſua coronatione profecturos ad Urbem. Quibus habitis Romam perrexit, & ab eodem Innocentio coronam accepit, diuque in Thuſcia & in Romandiola moram contraxit. Anno verò ſequenti Otto ipſe Imperator vênit Bononiam, Mutinam, Rhegium, atque Parmam, in qua colloquium ſtatuit. Deinde vênit Placentiam. Poſt hæc a ſingulis Civitatibus Lombardiæ habito militum ſubſidio in Apuliam copias ſuas eduxit. Qui obſeſſo Monte-Flaſcone, multiſque locis captis & deſtructis, Apuliam intravit, & plurimas Civitates, oppida, & loca partim armis, partim ſponte cepit & habuit, & demum totam Apuliam ſuperavit. Anno autem Domini MCCX. Averſam obſedit, & pacto eam obtinuit, ſimiliter & Neapolim. Quumque Siciliam proficiſci pararet, Legati de Alamannia, & Mediolano atque Placentia venientes ad eum, innotuerunt, Papam Innocentium, necnon quoſdam Alemanniæ Principes, ac etiam Marchionem Eſtenſem, necnon Cremonenſes cum eorum ſequacibus, Rogerium Fridericum quondam Henrici VI. filium, in Imperatorem elegiſſe, ſibique promiſiſſe dare coronam. Quo audito, Imperator precibus & admonitione eorum repatriare diſpoſuit. Quumque in partibus Montis Flaſconis veniſſet, cum Nuntiis Papæ colloquium habuit, ſperans poſſe invenire concordium. Sed quum nil proficeret, per Thuſciam & Marchiam veniens, Lombardiam intravit, Anno videlicet MCCXI. Et quum veniſſet Placentiam, demum Laude applicuit, ibique colloquium ferè omnium Rectorum Civitatum Lombardiæ, Comitum, Marchionumque celebravit. Ad quod intereſſe contemſit Azo Eſtenſis Marchio. Imperator verò ſciens, Marchionem ipſum quædam ſibi diſcriminoſa tractare, ſtatuit ei comparendi terminum coram eo, quem tamen poſtmodum contumacem Imperiali banno ſubmiſit. Deinde ſemotus Imperator Mediolanum acceſſit, ubi morâ dierum quindecim habitâ, demum Cumas perrexit, Alemanniam profecturus.

CAP. XVI.

De ceteris eventibus ſub tempore Ottonis.

REgina Hungariæ Anno primo Ottonis, Philippi III. Regis Franciæ ſoror, quum poſt mortem viri ſui multo apparatu terras tranſmarinas peteret, jamque Ptolæmaidem appuliſſet, paulò poſt defuncta eſt. Sed & in eadem Urbe, iiſdemque diebus Comes Trecenſis Henricus nepos ejus, qui Rex in Terra-Sancta fuerat conſtitutus, dum in ſuperiori cœnaculo palatii ſui feneſtræ innitendo ſe applicaret, miſerabili præcipitio collapſus exſpirat. Cujus mater, nomine Maria, ſoror ejuſdem Philippi Regis Francorum ex parte patris, & ſoror Ricardi Regis Angliæ ex parte matris erat, & Comitatum Campaniæ ſatis ſtrenuè viriliterque regebat: quum de filii mor-

(*) *In margine additur*. Cauſa hujus prœlii dicitur fuiſſe, quia dicebat Otto Philippum promiſiſſe ſibi ſe daturum Pariſius, ſi aliquando Otto ipſe Imperium obtineret. Sed Philippus tam arduam quæſtionem maluit belli judicio terminare.

morte, ac ſororis ſuæ Reginæ Hungariæ nuntium accepiſſet, nimis indoluit, & non multò poſt obiit; ejuſque filius indolis egregiæ Theobaldus nomine in Comitatu ſuccedit. Theobaldus iſte ætatis annorum XXV. Anno Domini MCCI. obiit, & quia maſculum heredem non habuit, Rex Philippus Francorum III. terram ſuam ſub tutela recepit: unicam enim filiam habebat; ſed poſtea natus eſt ei filius poſthumus, ejus uxore tempore mortis prægnante.

CAP. XVII.

De Johanne Rege Anglorum.

JOhannes Anglorum Rex hujus Ottonis tempore, Anno ſcilicet Regni ejuſdem ſecundo, qui fuit Annus Domini MCXCIX. regere cœpit. Manſit in Regno annis XVII. Hic dictus eſt Johannes Sinè-Terra, frater quondam Ricardi Angliæ Regis, cui defuncto ſinè liberis ſucceſſit in Regno. Hujus neptem, reformata pace inter ipſum & Philippum III. Franciæ Regem, Ludovicus ejuſdem Francorum Regis unigenitus in uxorem duxit Anno Domini MCC. Fuit autem filia Regis Caſtellæ, pro quo matrimonio idem Rex Angliæ Johannes omnes munitiones, Urbes, & Caſtra, totamque terram, quam Rex Francorum ceperat, præfato Ludovico & heredibus ſuis quitavit: totam etiam terram ciſmarinam poſt deceſſum ſuum, ſi ipſum ſinè herede mori legitimè contingeret, eidem conceſſit. Anno ſequenti idem Johannes in Franciam perrexit, quem idem Rex Philippus Pariſius valde honorificè ſuſcepit, eique munera pretioſa multa & varia dedit. Ipſo etiam Anno inter Vernonem, & Inſulam Andeliaci, cum Rege Angliæ colloquium habuit, ſubmovens eum tamquam hominem ſuum ligium, ut pro Comitatu Pictavienſi & Andegavenſi, & pro Ducatu Aquitaniæ poſt dies quindecim veniret Pariſius, ſuper his, quæ adversùs eum proponeret, reſponſurus. Et quia non vênit, Arturio filio Gaufridi Comitatum Britanniæ, necnon Pictavienſem & Andegavenſem tradidit. Rex Johannes poſt hæc ipſum Arturium apud Mirabellum cepit, &, ut fertur, latenter peremit. Super quo à Baronibus apud Regem Franciæ accuſatus, cujus Vaſſallus erat, quum comparere nollet, poſt multas citationes per judicium Parium exheredatus eſt. Ceterùm Johannes ipſe Anno Domini MCCVI. Andegavis cepit, totamque deſtruxit. Purrò Vicecomes Chaorcenſis recedens à fidelitate Regis Francorum, conſœderatus eſt Regi Anglorum. Quo audito Rex Philippus in Pictaviam rediit, & Rege Anglorum apud Chaorcum exiſtente, terram Vicecomitis deſtruxit. Tamdem datis treugis Rex Johannes, exhauſtis loculis, rediit in Angliam, & Rex Philippus in Franciam. Anno poſt hæc XIII. Regni ejuſdem Johannis, qui fuit annus ſecundus Imperii Friderici II. & Incarnationis Domini MCCXIII. idem Johannes ſpontaneè de communi conſilio Baronum ſuorum obtulit, & liberè conceſſit Deo, & Apoſtolis ejus Petro & Paulo, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Innocentio III. Papæ ejuſque ſucceſſoribus totum Regnum Angliæ, totumque Hiberniæ Regnum, cum omni jure ac pertinentiis ſuis pro remiſſione peccatorum ſuorum, ac totius ſui generis vivorum ac defunctorum. Et fecit & juravit homagium pro prædictis Regnis Deo, ac prædictis Apoſtolis, & dicto Innocentio Papæ, ut ea de cetero tamquam Feodarius reciperet ac teneret ab ipſo Papa ejuſque ſucceſſoribus. Ad cujus judicium ſtatuit, ut de propriis reditibus prædictorum Regnorum pro omni ſervitio ac conſuetudine, ſalvo per omnia denario Beati Petri, Eccleſia Romana mille Marchas percipiat annuatim, videlicet in feſto Sancti Michaelis quingentas, & in Paſcha totidem: ſeptingentas ſcilicet pro Regno Angliæ, & trecentas pro Regno Hiberniæ, ſalvis ſibi & heredibus ſuis juſtitiis, & libertatibus, atque Regalibus ſuis.

Huic Regi Johanni Wilelmus Rex Scotorum extra Civitatem Lincolnienſem ſupra quemdam montem in conſpectu omnis Populi fecit homagium, & juravit ei fidelitatem ſuper Crucem Uberti tunc Cantuarienſis Archiepiſcopi, & eidem Johanni tamquam Domino ſuo per chartam ſuam conceſſit, quòd Alexandrum filium ſuum ſicut hominem ſuum ligium maritaret, promittendo firmiter, quòd idem Guillielmus Rex, & Alexander filius ſuus Henrico filio Regis Angliæ Johannis tamquam ligio Domino ſuo contra omnes mortales fidem & fidelitatem teneret. A quo quidem Guillielmo, pro eo quòd deſponderat filiam ſuam Comiti Boloniæ præter ipſius Regis Johannis Domini ſui aſſenſum, pro tranſgreſſione & temeraria præſumtione, hujus debitam ſatisfactionem accepit. Demum Anno Domini MCCXIV. idem Johannes Angliæ Rex Urbem Andegavis, quam occupaverat, muro circumvallare cœpit, & arridente fortuna quum in brevi ſupradicta municipia obtinuiſſet, Aquitanorum & Pictavorum auxilio, ſe de facili reſiduum terræ recuperare præſumens, Caſtrum, quod Rupes Monachi dicitur, obſedit. Ludovicus autem Philippi Francorum Regis filius congregatum exercitum movit, ut prædictis obſeſſis ſuccurreret. Cujus adventum Johannes non ſuſtinens, ab obſidione diſceſſit. Anno poſt hæc Regni ejuſdem Johannis XVII. qui fuit Annus Domini MCCXVI. idem Rex vita defungitur. At ſupradictus Ludovicus, qui acceptis obſidibus ab Angliæ Baronibus, quando transfretaverat, præfatu adhuc vivente & fugiente, eo mortuo liberavit eoſdem, & confidens de Anglis, quos tempore Regis eos lethaliter perſequentis ab imminenti morte liberaverat, & quorum juratoriam cautionem habebat, cum paucis iterum in Angliam rediit. Tamdem Ludovicus Rex, videns dolos Baronum Angliæ, & impedimenta portuum, quæ ſibi paraverant, ac perſequutionem totius Regni, præter Londoniam, contra ſe ipſum, ad pugnam diffinierat congredi cum Anglis; at ipſis devitantibus pugnam, facta oppoſitione, rediit in Franciam. Eidem autem Johanni Anglorum Regi filius ejus Henricus ſucceſſit. De quo dicetur ſub temporibus Friderici Secundi.

CAP. XVIII.

De Petro Rege Aragonum.

PEtrus Rex Aragonum, Comes Barcinoniæ, & Dominus Montis-Peſulani, Anno Domini MCCIV. eodem Ottone imperante Regnum ſuum obtulit Innocentio Papæ hujus nominis III. illudque ſibi ac ſucceſſoribus ſuis in perpetuum pro remedio animæ ſuæ ac progenitorum ſuorum conſtituit cenſuale, & annuatim de Camera ipſius Regis CCL. Marabotinæ Apoſtolicæ Sedi redduntur; & ipſe ac ſucceſſores ejuſdem ſpecialiter fideles & obnoxii teneantur.

CAP. XIX.

De Uberto Mediolanenſi Archiepiſcopo.

UBertus Mediolanenſis Archiepiſcopus hoc tempore efficitur, Anno ſcilicet Domini MCCVII. qui ſedit Annis IV. menſibus III. Hic ex agnatione de Pirovano Mediolanenſis fuit origine, & Romæ Cardinalis. Obiit die Paſchæ, ſepultus in Hyemali Eccleſia juxta pulpitum, cui ſucceſſit Gerardus de Seſſa.

CAP. XX.

De Ottone Archiepiſcopo Januenſi.

OTto natione Alexandrinus hoc tempore, Anno ſcilicet Domini MCCVI. eligitur Januæ Archiepiſcopus; qui vixit in Archiepiſcopatu annis XXXVI. Hic priùs fuit Epiſcopus Bobienſis, qui dum fama & virtutibus polleret, & reverenda canitie & maturitate præditus eſſet, ad hanc Archiepiſcopalem Cathedram eſt translatus.

CAP. XXI.

De initio Ordinis Minorum.

ORdo alter nobilis Minorum eodem tempore, ſcilicet Anno Domini MCCVII. vel ſecundùm alios MCCIX. per Beatum Franciſcum virum humillimum à ſeculo abdicatum, ac Deo conjunctum inchoat. Qui hodie numero & ſcientia divinorum pollet in Orbe. Hunc poſtmodum Ordinem Honorius Papa hujus nominis III. Anno Domini MCCXVI. qui fuit annus Friderici II. Imperatoris quintus, confirmavit.

CAP. XXII.

De captione Syracuſæ.

SYracuſæ Civitas hoc tempore, Anno ſcilicet Domini MCCVIII. à Januenſibus, ducibus Comite Alamanno, & Comite Henrico de Malta, natione Januenſibus obſidetur & capitur. Dictus enim Alamannus ibi ſactus eſt Comes, juravitque Civitatem ipſam Syracuſanam tenere ad honorem Communis Januæ, & ſingulis annis Eccleſiæ Sancti Laurentii Januæ pallium unum offerre. Sequenti Anno idem Comes Henricus Inſulam Creti prœliando cepit. Suffultus etiam Januenſium auxilio Raynerium Dandalum Venetiarum Ducem prœlio cepit, & eum carceri mancipavit. Eodem etiam Anno Fridericus quondam Henrici VI. Imperatoris filius, qui metu Piſanorum Ottoni Imperatori faventium Siciliam egredi non audebat, patrocinantibus ſibi Januenſibus, in Civitatem ipſam Januæ vênit, & ſumtibus Communis menſibus ibi tribus moram contraxit: ipſos autem Piſanos, qui Ottoni adhærebant, Innocentius Papa hujus nominis III. omnibus ſeudis & privilegiis eorum privavit; & inſuper Archiepiſcopum Piſanum primatu, quem in Inſula Sardiniæ obtinebat, ſententialiter amovit.

CAP. XXIII.

De initio Imperii Friderici Secundi.

FRidericus hujus nominis Secundus, Ottone ab Eccleſia reprobato, eligitur Imperator. Cœpit autem Anno Domini MCCXI. Mundi verò MMMMMMCLXXIV. ſecundùm Eccleſiam, ſecundùm verò Hebraicam veritatem MMMMMCLXXIV. & imperavit annis XXXIX. Hic Fridericus patre genitus eſt Henrico VI. Imperatore, & matre Conſtantia Regis Siculorum Rogerii filia. Qui Ottone, ut ſuperiùs dictum eſt, auctoritate Innocentii Papæ III. qui eum creaverat, reprobato, & Imperii collati poteſtate privato, à Baronibus Alamanniæ, Philippi III. Regis Francorum conſilio mediante in Imperatorem unanimiter electus (*) eſt, rogantibus Papam, ut ejus confirmaret electionem. Qui licèt ſatis vellet, quia tamen Eccleſia Romana ſemper gravitatem & maturitatem in novis rebus obſervare conſuevit, diſſimulabat, & etiam quia illam progeniem non amabat. Erat autem tunc Fridericus iſte Siciliæ Rex, quod Regnum ſibi ex jure materno pervenerat. Sororem verò Regis Aragonum duxit uxorem, cum qua idem Aragonum Rex fratrem ſuum Provinciæ Comitem cum quingentis equitibus pro recuperanda Terra ejuſdem Friderici tranſmiſit, quam nonnulli ejus ſubditi in rebellionem converſi occupaverant. Cum quibus idem Fridericus totam terram, quæ inter Panormum & Meſſanam erat, recuperavit, cum ipſa etiam Urbe Meſſana, in qua Comes præfatus non multò poſt ultimum clauſit diem. Inter hæc Romanus Pontifex Innocentius jam dictus quum per annum ſuſtinuiſſet, ſi Otto Imperator, quem ipſe ſententiis ſuis involverat, reſipiſcens ad cor rediret, & ingratitudinem exuens, ſuum cognoſceret promotorem: tamdem ejus pertinaciâ cognitâ, audito quòd Fridericus Siciliæ Rex apud Meſſanam erat, & cum Aragonum Regis ſorore contraxerat, ſignificavit ei, quòd ſi poſſet Alamanniam proficiſci, mitteret per Apoſtolica ſcripta Prælatis Germaniæ, ut eum Aquiſgrani coronarent in Regem. Quo ſacto Romam venire deberet, recepturus Imperii diadema. His autem cognitis, Fridericus ſtatim lætus claſſem parari fecit, & mare navigans Gajetam applicuit. Priùs tamen inſcios timens caſus, filium ſuum ex conthorali ſua genitum in Regem Siculorum ſolemniter coronavit. Moratus eſt autem diebus pluribus apud Gajetam, timens Regnicolarum inſidias, qui ad ejus necem æmulatione perfida aſpirabant. Miſit itaque ad Genuenſes, ut armatis galèis recepturi eum Gajetam venirent. Quod & factum eſt. Manſit itaque apud Januam menſibus ſeptem (**), nec eam exivit aliquando: timebat enim Ottonem, cui Piſani favebant. Qui Otto, cognitis Papæ promiſſionibus, quas fecerat Friderico, ad omnes partes Thuſciæ & longiùs Nuntios & exploratores miſerat, qui magnis precibus inducerent, & muneribus multis allicerent terrarum incolas, ut ipſius Friderici tranſitum obſervarent.

CAP.

(*) *In margine adnotatur.* Creatus fuit Imperator Fridericus in die Sancti Stephani, unde quidam:
Chriſtus heri, Cæſar hodie proceſſit ad ortum,
Jus utriuſque movet occaſum Solis ad ortum.
Sol hodie, Sol ortus heri, ſub luce duos:
Filius hic hominis, Filius ille Dei.

(**) *In margine* menſibus tribus.

CAP. XXIV.

De coronatione Friderici in Alamannia.

PHilippus interea Rex Francorum hujus nominis III. audito Friderici adventu in Genuenſi Civitate, profecturi Alemanniam ad ſuſcipiendam Romani Regni coronam, quòdque Otto ipſius Philippi hoſtis Friderici proceſſibus inſidiabatur, hortatus eſt Genuenſes per ſolemnes Legatos & literas, quòd ad expeditionem Friderici viriliter, celeriter, & efficaciter intenderent, ut poſſet Alemanniam proficiſci, ſperarentque ex hoc ab ipſo Philippo digna pro B meritis reportare. Procuratione igitur Genuenſium cum Longobardis, maximè Boniſacio Marchione Montisferrati, Papienſibus, & Cremonenſibus, idem Fridericus Alemanniam perrexit, & Aquiſgrani coronatur in Regem. Qui poſt hæc ſtatim Crucis inſignitus charactere, transfretandi votum emiſit in Terræ promiſſionis ſubſidium. Archiepiſcopi quoque & Epiſcopi Germaniæ eidem ex mandato Apoſtolico adhæſerunt. Magna etiam pars Regni, totaque Lotharingia. In exitu autem de Civitate Genuenſi, concomitatus Legato Papæ, & Marchione Montisferrati, & Comite Sancti Boniſacii, & Papienſibus, & Cremonenſibus Legatis, tranſivit per Montemferratum, & Aſt Civitatem appli- C cuit. Deinde Papiam veniens à Clero & Populo magnifice receptus eſt. Et quum vellent concomitantes eum Cremonam ducere, Mediolanenſes & Placentini, qui Ottoni adhærebant, ſummè indignati fuerunt. Unde emiſſo Mediolanenſium Carrocio, & eductis copiis omnibus, Mediolanenſes & Placentini ad impediendum Friderici iter, ſeſe in Epiſcopatu Laudenſi ad Lambri tranſitum pararunt. Sed Cremonenſes & Papienſes, his cognitis, eorum copias nocte ducentes, quum Papienſes Fridericum uſque ad Lambrum conduxiſſent, Cremonenſes ipſum Fridericum recipientes, Cremonam duxerunt. Qui inde ſecedens, & Mantuam pergens, demum Veronam perrexit. Revertentes D autem Papienſes, Mediolanenſes ex latibulis eos aggreſſi ſunt, & victores facti multo ex Papienſibus trucidarunt, & quamplures Mediolanum victos duxerunt. Unde tam Imperator, quam Cremonenſes contra Mediolanitas odium immortale conceperunt; ſed vindictam cautè diſtulerunt. At Mediolanitæ, qui ſemper immortali odio totum genus Friderici Magni perſequuti ſunt cum Papianis auxiliantibus, olim Turres & Urbem Cremonæ complanarunt, non expectaverunt ſibi bellum inferri; ſed exercitu congregato fines Cremonenſium aggreſſi ſunt. Sed & Cremonenſes eductis copiis multò minoribus, juramento firmaverunt, quòd ſi congreſſus fieret, nullus eorum prædæ vel homini ca- E piendo vacaret, ſed agmine confecto & indiſſoluto cuneos hoſtium penetrarent. Quum autem eſſet dies Pentecoſtes, ſupplicaverunt Cremonenſes, ut propter diem ſanctum differetur pugna ſaltem in craſtinum. Quod quum illi negarent, Papiani cum illis congreſſi ſunt, & breviter de illis triumpharunt. Nec multò poſt Mediolanenſes, recollectis viribus, fines Papienſium intraverunt, qui eductis copiis eos aggreſſi ſunt; & licèt Mediolanitæ ad retardandum eorum impetum, ignem domibus & caſtris impoſuiſſent, ipſi tamen per medios ignes cum furore tranſeuntes, eos ab obſidione fugaverunt, multos ex eis interficientes, & multos capien-

A tes. Sic igitur Mediolanenſes bis eo Anno victi ſunt, qui fuit Annus Domini MCCXIII. qui Ottoni depoſito aſſiſtebant.

CAP. XXV.

De aſcenſu Friderici in Alamanniam.

FRidericus autem Alamanniam pergens, ut dictum eſt, coronatur in Regem. Contigit autem, quòd poſt coronationem, dum eſſet in Lotharingia, quæ ſibi adhæſerat, comperit inſinuatione Militis cujuſdam, quòd tractatu ad mortem proditus inſtanti nocte debebat interimi. Quumque ſceleris hujus patratores ignoraret, & B familiares timeret inimicos, conſilio ejuſdem Militis ipſa nocte, cunctis remotis arbitris, juvenem quemdam in proprio lecto locavit. Ipſe verò poſt thalami oſtia ſe occultavit. Horâ autem noctis, qua cuncta ſpirantia ſervant ſilentium, dum proditores thalamum Regis ingreſſi, puerum ſopore lecto detentum inveniſſent, opinati Regem dormientem eſſe, funeſtis cum gladiis occiderunt. Rex verò Fridericus ex latibulo proſiliens, ad Militem vitæ Regiæ ſervatorem ex condicto confugit: qui cum multis militibus rei obſervans eventum, Regem expectabat. Sicque Rex exitum triſtem proditionis evaſit. Noctis tamen reſiduo, & die ſequenti rumor inſonuit, Regem Fridericum fuiſſe per- C emtum. Quod dum ad aures Philippi Regis Francorum perveniſſet, vehementer contriſtatus eſt, Ottonis potentiam perhorreſcens, qui eumdem Philippum, eo quòd Friderico ſavebat, nimiùm habebat exoſum. Sed quum non poſt modicum innotuiſſet eidem Regi Friderici ſalutem, illud magno amplexus eſt gaudio. Poſt hæc Fridericus, mediante Metenſi Epiſcopo, apud Vallem Colotis cum Ludovico filio Philippi Regis Francorum, & Regni ejuſdem Magnatibus, concilium celebravit Anno ſupramemorato. Percuſſerunt autem inter ſe fœdus amicitiæ perpetuum, ſicut fuerat inter prædeceſſores eorum.

CAP. XXVI.

D

De coronatione Friderici in Alamannia.

ORto denique prœlio inter Regem Franciæ Philippum, & Regem Angliæ, cui Otto ſavebat, contigit Francorum Regem potiri victoria; unde Otto à prœlio fugiens una cum Duce Brabantiæ, dum reverſus eſſet in Alamanniam, Fridericus his cognitis contra eum copias ſuas eduxit. Quod audiens Otto, in Saxoniam apud fratrem ſuum confugit, quem Fridericus etiam inſequutus in quodam Oppido illum obſedit, ubi morbo langueſcens diem clauſit extremum. Priùs tamen ea obſidione arctatus Imperiales inſulas tradidit Friderico. Hoc igitur E modo Fridericus in amfractuoſo ſuæ promotionis primordio gravibus exaſperatus injuriis, & dolis inteſtinis afflictus, tamdem felici fortuna Imperium eſt adeptus. Procedente autem tempore, dum Legati tranſmarinæ gentis ad eumdem Apoſtolicum veniſſent, nuntiantes ei afflictiones & anguſtias, quibus Chriſtiani opprimebantur à Sarracenis, & eius implorantes ſubſidium, Romanus Pontifex Honorius per Apoſtolica ſcripta Chriſtianos univerſos ad paſſagium invitavit. Miſit quoque Friderico, qui tunc in Alamannia erat, quòd Romam veniret, recepturus Imperii diadema, & ſubſequenter tranſfretaturus ad Terræ promiſſionis ſubſidium. Impera-

perator igitur, commiſſo filio ſuo Henrico Alamanniæ Regno, Romam vênit, ibique cum conjuge ſua Conſtantia in Baſilica Sancti Petri coronationis ſuæ recepit inſignia, ætatis ejus Anno XXVIII. feſto Luciæ, reſtitutis tamen priùs Civitatibu & Oppidis, quæ Romanæ Eccleſiæ uſurpaverat Otto. Poſt hæc dum Papa Imperatorem requireret, ut tran ſfretationis iter arriperet, excuſavit ſe Imperator, tum quòd multi erant in Regno Siciliæ Sarraceni, quos, quum ab Africæ Rege haberent ſubſidia, Regno ipſo volebat excludere, hæſitans ne, ipſo abſente, res novas molirentur Regnicolæ; tum quòd Apuliam & Calabriam ac etiam Siciliam libero nondum poſſidebat dominio; rebellium adhuc graſſante perfidia: quibus ritè diſpoſitis, ſe transfretaturum ſpopondit. Pergens itaque Imperator Apuliam, Capuam vênit. Regni autem multi Proceres, cognito quòd Imperator Imperii aſſumſerat inſulas, ſupplices ad eum venientes, Terras, quæ in eorum poteſtate erant, ei tradiderunt: multi verò ejus horrentes potentiam, ſeceſſerunt ad partes ultramarinas. Quidam Templariorum Ordinem aſſumſerunt, nonnulli ab Imperatore ſuſpendio traditi ſunt. Sarracenos quoque, qui in Regno Siciliæ erant, cepit, & mittens eos in Apuliam, fundata magna Civitate in litore maris, ſtatuit ibi colonos, quorum genus ibidem & in aliis Apuliæ partibus uſque hodie perſeverat.

CAP. XXVII.

Qualiter Imperator Regis Hieruſalem filiam duxit uxorem, & diſcordia inter eos.

INter hæc urgentibus negotiis tranſmarinis, Johanne Hieruſalem Rex Apuliam appulit; cujus adventum Imperator Fridericus lætanter excipiens, multis eum honoravit muneribus Anno Domini MCCXXII. Contigit autem, Rege Johanne inibi moram contrahente, Imperatricem Conſtantiam vita defungi. Procurante verò Romano Pontifice, idem Rex Johannes filiam ſuam unicam Imperatori Friderico ſpopondit uxorem, magnis ſingulorum applauſibus. Diligebant enim ſummo amore ſe ſe ad invicem Imperator, & Rex. Poſt hæc dum Rex ipſe Romam profecturus eſſet, Imperator concomitatus eſt eum, quos Papa Innocentius hujus nominis IV. qui Honorio ſucceſſit, obviam eis Urbe egreſſus cum proceſſione ſolemni recepit. Quumque Rex Johannes ſtatum miſerabilem Regni Hieroſolymitani Papæ narraſſet, profectus eſt ad Regem Francorum, Anglorum, & Hiſpaniarum, à quibus honorificè receptus, conſummatiſque ſeli iter, quæ ſibi incumbebant, ductaque in uxore Heliſabet filia Regis Galliciæ, ad Imperatorem Apuliam eſt reverſus. Miſitque pro filia, Imperatori matrimonio, ut ſpoponderat, traditurus; quam, dum veniſſet, Imperator ſequenti anno ſuſcepit in conjugem, & imperiali eam inſigniens diademate, effecit Auguſtam. His tandem ſolemniter geſtis, dum Imperator Hieroſolymitanum Johannem Regem adhuc in Regno Siciliæ commorantem unicè diligeret, & ſummo eum honore tractaret, contigit, procurante hominis inimico ſatore diſcordiæ, qui zelatus eſt mutuum ſinceritatis affectum Imperatoris & Regis, Imperatorem in Regis neptem, quæ filiam Imperatoris uxorem concomitata fuerat, oculos impudicos injicere, & demum illiciti amoris excandeſcente flamma cupidinis, florem ejus virginitatis eripuit; unde ſequutum eſt, ut Imperatricem exoſam habuerit. Quadam autem die dum Rex Johannes Imperatricis thalamum, viſiturus filiam, introiſſet, reperit eam mœrentem & triſtem. Quo percontante mœroris cauſam, non ſine lacrymis & cordis anguſtia Imperatoris viri ſui ſcelus genitori Regi narravit. Quod Rex audiens, contriſtatus valde, blandis tamen verbis conſolatus eſt filiam. Quumque Rex ipſe Imperatorem adiret, & Imperator ei aſſurgens ſalutationis proferret alloquium, ſalutationem ejus reſpuit, & torvo eum vultu reſpiciens, furibundo ſermone ait: *Non eſt mihi illius optatio grata ſalutis, cujus fidem probroſi ſceleris macula infecit*. Interminatuſque eſt ſibi ſtatim necem inferre, niſi eum propria conſcientia retraheret à delicto. Imperator verò, his auditis, Regem ſuſpectum habuit & exoſum; præcepitque ei, ut Siciliæ Regnum exiret, qui egreſſus Langobardiam intravit, ubi receptus eſt tanto honore, ut eidem Langobardi obtulerint Regni conferre coronam. Rex verò gratias de oblatis & collatis agens, dixit ſe ideo nolle in Regno aliquid innovare, quum id ad Imperatricem ejus filiam pertineret.

CAP. XXVIII.

Qualiter Imperator cum Rege reconciliatus eſt.

INterea Imperator tumefacto corde ex improperiis, quæ a Rege Johanne audierat, Imperatricem multis affecit verberibus atque minis, ut ferè abortiretur fœtus, quem geſtabat in alvo. Poſt hæc in quodam oppido eam recludi mandavit. Quum autem agnovit, Regem Johannem eſſe in partibus Lombardiæ juſſit eam educi de carcere, & tamquam legitimam eam tractavit; timens quoque, ne Rex ipſe Johannes Terram ejus invaderet, ſciens eum Romanos & Langobardos favorabiles habere, miſit ad eum Legatos per eoſdem, inſinuans ſe velle ad eum ſupplicem ire, omnem ſibi præſtaturum ſuper commiſſis emendam. Rex autem contemplatione filiæ motus, animum ſuum pacavit, & Imperatoris legationem admiſit. Tunc Imperator collectis gentium copiis vênit in Lombardiam, intendens etiam rebelles ſibi ſubjicere Langobardos. Quumque ad Regem Johannem ſupplex acceſſiſſet, Rex omnem ſibi indignationem remiſit, & pacem inter ipſum & Langobardos compoſuit, hoc adjecto, quòd Langobardi tenerentur mittere quingentos equites in paſſagio ultramarino, duobus ibi annis eorum ſumtibus moraturos. His denique compoſitis, Imperator in Apuliam remeavit, Rex verò in Bononia pingui remanſit, quem non multò poſt Innocentius IV. ad ſe vocavit, & univerſum Patrimonium Beati Petri in cuſtodiam ei tradidit, concedens ei, ut univerſos reditus ejuſdem Patrimonii ad proprios ſumtus haberet. Inter hæc Imperatrix Regis Johannis filia filium enixa eſt nomine Conradum, & paulò poſt vita ipſa defungitur, cujus morte cognita pater ejus Rex Johannes contriſtatus eſt valde, in hoc tamen conſolationem aliquam reſumens, quòd ſuperſtitem reliquerat ſobolem.

CAP. XXIX.

Qualiter Papa excommunicavit Imperatorem.

INnocentius verò Papa hujus nominis IV. advertens aptum tempus imminere Paſſagii, Imperatorem iteratò requiſivit, ut transfreta-

tionis

tionis ſuæ arrepto itinere debitum peregrinationis expleret: alioquin quod juſtum ſuper hoc eſſet, decerneret. Tunc Imperator ſe profecturum velle reſpondit, & diem generalis paſſagii ſtatuens, per omnes Provincias Romani imperii miſit edictum, ut omnes Cruce-ſignati apud Brunduſium cum omnibus eorum copiis convenirent. Claſſem quoque maximam, & grandem apparatum victualium parari mandavit. Quumque peregrini univerſi conveniſſent Brunduſium, & omnia eſſent parata, Imperator cum reliquis ventis ſe commiſit & mari. Ipſe tamen Imperator galeam intrans, & univerſos præcedens, quum nox adveniſſet, clam retroceſſit Brunduſium; ſed reliqui rei hujus ignari navigantes, & ſecundum ventum habentes, duce Deo, paucis diebus Acon pertigerunt. Papa verò cognito, quòd retroceſſerat Imperator, turbatus eſt valde; ſeque deluſum reputans, & peregrinos deceptos, protulit in eum excommunicationis ſententiam. Imperator autem ad Soldanum, ut fertur, Nuntios ſuos miſit, facturos cum eo pacem percuſſam. Qui quum rediiſſent, ipſe ſtatim abſque conſcientia Papæ iter transfretationis arripuit. Deſcendens quoque in Inſulam Cypri, moratus eſt inibi diebus aliquibus, miſitque ad Soldanum Ægypti Mareſcallum ſuum cum gente non pauca ut percuſſæ pacis tractatum compleret. Qui veniens Acon multa cum Nuntiis Soldani habuit clandeſtina colloquia. Chriſtiani autem, qui in Acon erant, Nuntios ad Papam miſerunt, Mareſcalli tractatus & colloquia clandeſtina ei referentes. Moratus itaque diebus aliquot Imperator apud Inſulam Cypri, quum Mareſcallus ipſius nunciaſſet ei, quæ apud Soldanum tractaverat, ipſe ſtatim mare intrans pertranſivit Acon. Poſt hæc miſit Nuntios ſolemnes ad Innocentium Papam, quòd eum ab excommunicationis ſententia liberaret, promittens ſe numquam ad ciſmarinas partes regreſſurum, donec omnem promiſſionis Terram à Sarracenorum perfidia liberaſſet, & in Chriſtianorum potentiam redegiſſet. Papa verò reſpondit, ſe nullatenus eum abſoluturum, quum verſipellem & ſubdolum eum eſſe recognoſceret, & Chriſtianorum Fidei diſcrepantem. Mandavit inſuper Papa Prælatis tranſmarinis, ne ejus conſiliis intereſſent, nec ſe illius actibus immiſcerent.

CAP. XXX.

De pace inter Imperatorem & Soldanum.

SOldanus autem agnitâ diſcordiâ, quæ inter Imperatorem, & Romanum Pontificem, nec non Templarios, ac Cives urbis Acon ſuccreverat, miſit Imperatori, quòd conventiones ſecum initas ſervare non poterat, quum propter mortem Corradini fratris ſui terram pro libito non poſſet diſponere. Quo indignatus Imperator, juramentum emiſit; quòd niſi conventiones cum eo initas adimpleret, de omni cum Regno ſuo exterminare contenderet. Erat autem pacis percuſſæ tractatus hujuſmodi. Soldanus tenebatur reſtituere Chriſtianis univerſam terram Hieroſolymitanam, quam Chriſtiani poſſederant, excepto Krach de Monte Regali, & tribus aliis oppidis ſitis in terra Tyri, & Sagittæ: quæ tria Caſtra retinebant quidam Saracenorum Proceres. Oppidum verò Krach adeò inexpugnabile erat, ut quorumlibet obſidentium perſeverantiam derideret. Mille Sarraceni moraturi erant in Templo Hieruſalem, ita tamen quòd Chriſtiani peregrini liberè & ſine tributo poſſent illud intrare. Liceret quoque Imperatori reædificare Civitates & oppida, quæ ruinam paſſa fuerant in Regno Hieroſolymitano; nulla tamen de novo fundaret. Similiter & Saracenis licitum eſſet in ſibi retentis. Treugæ quoque decennales ſervari deberent. Sub his tamdem conventionibus pax firmata eſt inter Imperatorem & Soldanum. Univerſi autem Sarraceni Hieruſalem exiverunt, iis, qui in Templo moraturi erant, dumtaxat exceptis. Imperator quoque Civitatem Sanctam introiens coronatus ipſa Dominica de *Lætare*, manſionem Salomonis, quæ Templariorum erat, Sarracenis ad habitandum conceſſit. Habebat enim Templarios in ſpeciali exoſos ex diſcordia Papæ. Regiam verò Domum, quæ Turris David, hoſpitandam Alamannis conceſſit. Miſit præterea Imperator literas ad Papam, & etiam filio ſuo, qui tunc in Alamannia erat, & etiam Regi Franciæ, ſignificans eis pacem, quam cum Soldano compoſuerat. Hanc autem pacem non acceptavit Papa; ſed miſit iteratò literas Prælatis Eccleſiarum, ut Imperatoris ſententiam ſuper excommunicatione latam publicare iteratò deberent, aſſerens, pacem ipſam criminoſam fore Chriſtianis, eo quòd Sarraceni retinuerant ſibi Templum. Præterea mandavit Regi Johanni, ut terram Siculorum Regni velut propriam, & non ad Imperii jura ſpectantem ſibi procuraret acquirere. Quo mandato illectus, multas invaſit Civitates & oppida in detrimentum Imperatoris.

CAP. XXXI.

De diſcordia inter Imperatorem & Regem Johannem.

HIs agnitis Imperator, relicto Balivo ſuo in Hieruſalem, transfretavit, & in Apuliam venit, & ſtatim manſiones Templariorum cum omnibus bonis eorum ſequeſtrari mandavit, & eos eliminari de Regno. Congregavit inſuper copioſum exercitum, & contra Regem Johannem ſibi adverſantem proceſſit, miſitque filio ſuo, ut de Alamannia omnibus eductis copiis properaret ad eum. Rex verò Johannes, his cognitis, ſentiens ſe non poſſe Imperatoris potentiæ reluctari, miſit ad Regem Franciæ Ludovicum VIII. ut ſibi ſuccurreret. Contraxerat enim olim cum patre ejus Philippo amicam notitiam. Miſit autem ei Ludovicus Rex Franciæ Belluacenſem Epiſcopum cum non parva equitum comitiva. Imperator tamen Fridericus omnem, quam invaſerat terram Rex Johannes, recuperavit. Dux quoque Auſtriæ, qui cum Imperatoris filio de Alamannia venerat, Romam perrexit ad Papam, procuraturus inter ipſum & Imperatorem pacis concordium. Quumque Dux ipſe ad annuendum pacis tractatui Papam inveniſſet difficilem, tamdem per ipſum Ducem certâ pacis formâ compoſitâ, & eo ſpondente, quòd ipſam Imperator ſervaret, Papa annuente, miſſi ſunt à Papa duo Cardinales ad Imperatorem; qui compoſitioni Ducis condeſcendentes, Duce ipſo procurante, Imperator ab excommunicatione abſolutus eſt, & inter ipſum & Papam reformata concordia. *Hæc ex Hiſtoria de Paſſagio ultramarino traducta ſunt, quam compoſuit Bernardus Theſaurarius.* Per hæc autem & alia, quæ à diverſis Scriptoribus recitantur, patet, inter ipſum Imperatorem Fridericum Secundum, & nonnullos Romanos Pontifices perniciosiſſimam Urbi & Orbi convaluiſſe diſcordiam. Nam Honorius Papa hujus nominis III.

qui

Digitized by Google

qui Fridericum ipſum coronaverat Imperatorem, adhuc Ottone vivente, eumdem tamquam ſibi rebellem anathemati ſuppoſuit, & omnes Barones ab ejus fidelitate abſolvit. Gregorius quoque IX. ejuſdem ſucceſſor, Honorii ſententiam, quam idem Honorius contra Imperatorem ipſum fulminaverat, roboravit.

CAP. XXXII.

De diſcordia inter Imperatorem & Papam.

HÆc autem orta inter Imperatorem ipſum & Gregorium Papam diſcordia, magnarum cladium fuit initium. Suggerunt quidam, hanc fuiſſe inter eos cauſam diſſidii. Gregorius, ut ajunt, cum Imperatore affinitatem contrahere voluit. Fridericus hoc ut filius placeret, perſuadere non potuit. Mandavit Imperatori Papa, ut cum exercitu ſuccurreret Terræ Sanctæ. Exſequutus eſt Imperator mandatum. Quumque cum exercitu eſſet in Syria, Papa per Ducem ſuum pæne totam Apuliam de poteſtate illius eripuit. Quo comperto Imperator cum Sarracenis inducias bello fecit, & celeriter actuaria navi vectus Italiam petit. Pauca oppida, quæ ſibi in fide perſtiterant, confeſtim recepit. Cetera in brevi in deditionem habuit, vel expugnavit. Dehinc hoſtis fuit Romani hujus Pontificis. Hæc cauſa ſuggeritur à quibuſdam. Ceterum diſſonè ab aliis dicitur. Ajunt enim, Fridericum adeptum Imperium, ſtudio Rectorum Eccleſiæ & pacto tunc juraſſe Eccleſiam fovere, & exercitum Chriſtianum in Terram-Sanctam ipſummet adducere. Quum ille id agere tergiverſando prorogaret diu & diu, mandatum habuit efficax à Papa, ut ad certum terminum trans mare exercitum duceret. Invitus, ut ajunt, tranſivit. Bello Sarracenis non fuit infeſtus, quin immo dicunt repertas literas ejus, & traditas Romano Pontifici, quibus apparebat, amicum eum factum eſſe Soldano, & clam eum fovere; eoque ejus Regnum in Apulia imperium eſſe à Duce miſſo a Papa. Talia auſtruuntur utrinque. Scit Deus, quis juſtiùs induit arma. Demum Innocentius hujus nominis IV. Gregorio ſuccedens, quum jam Imperator duos ex Cardinalibus ſervaret in vinculis, nec in Italia poſſet Papa Imperatori obſiſtere, Genuam petit, inde Lugdunum, quò Concilium Anno Domini MCCXLV. convocavit. Ad quod Imperator aliquot Cardinales, & Prælatos pergentes cepit, aſſerens eos ad inſidias ejus niti. Tamdem ad Concilium illud perſonaliter citatus, ut dicitur, ire contemſit. Unde Papa contra ipſum tulit ſententiam, & tamquam de multis calumniatum, eum privavit Imperio, cujus ſententiæ ſequitur exemplum.

CAP. XXXIII.

Sententia depoſitionis lata in Fridericum II. Imperatorem.

„ INnocentius IV. in Concilio Lugdunenſi ad rei memoriam ſempiternam. Ad Apoſtolicæ dignitatis &c. Sanè quum dira guerrarum commotio nonnullas profeſſionis Chriſtianæ provincias diutiùs afflixiſſet, nos ad Fridericum dictum Imperatorem, & Principem ſecularem, hujus diſſenſionis & tribulationis auctorem, à felicis recordationis Gregorio Papa prædeceſſore noſtro pro ſuis exceſſibus anathematis vinculo innodatum, ſpeciales Nuntios noſtros, & magnæ auctoritatis viros, videlicet venerabiles fratres P. Albanenſem, Guillielmum Sabinenſem Epiſcopos, ac dilectum filium Willelmum Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Prèsbyterum, Cardinales, qui ſalutem zelabantur ipſius, duximus deſtinandos; facientes ſibi proponi per ipſos, quòd Nos & Fratres noſtri, quantum in nobis erat, pacem per omnia ſecum habere, nec non cum omnibus hominibus optabamus. Parati enim eramus ſibi pacem, & tranquillitatem dare, ac Mundo etiam univerſo. Et quia Prælatorum, Clericorum, omniumque aliorum, quos detinebat captivos, & omnium tam Clericorum, quàm Laicorum, quos ceperat in Galêis, reſtitutio poterat eſſe pacis plurimùm inductiva, quum ut illos reſtitueret, hoc idem tam ipſe, quàm Nuntii ſui, antequam ad Apoſtolatus vocati eſſemus officium, promiſiſſent. Rogari & peti fecimus per eoſdem, ac proponi inſuper, quòd iidem pro nobis parati erant audire ac tractare pacem, ac etiam audire ſatisfactionem, quam vellet facere idem Princeps de omnibus, pro quibus erat vinculo excommunicationis adſtrictus; & offerri præterea, quòd ſi Eccleſia in aliquo contra debitum læſerat, quod non credebat, parata erat corrigere, ac in ſtatum debitum reformare. Et ſi diceret ipſe, quòd in nullo contra juſtitiam læſerat, vel quòd Nos eum contra juſtitiam læſiſſemus, parati eramus vocare Reges, Prælatos, & Principes tam Eccleſiaſticos, quàm Seculares ad aliquem tutum locum, ubi per ſe vel ſolemnes Nuntios convenirent. Eratque parata Eccleſia de conſilio Concilii ſibi ſati facere, ſi eum læſiſſet in aliquo, ac revocare ſententiam, ſi quam contra ipſum injuſtè tuliſſet, & cum Dei manſuetudine & miſericordia, quantum cum Deo & honore ſuo fieri poterat, recipere de injuriis & offenſis ipſi Eccleſiæ, ſuiſque per eum irrogatis ſatisfactionem ab ipſo. Volebat etiam Eccleſia omnes amicos ſuos ſibi adhærentes in pace ponere, plenaque ſecuritate gaudere, ut numquam hac ratione & occaſione poſſent aliquod perſonarum vel rerum ſubire diſcrimen. Et licèt ſic apud eum pro pace paternis monitis & precum curaremus inſiſtere lenitate, idem tamen Pharaonis imitatus duritiam, & obturans more aſpidis aures ſuas, preces hujuſmodi & monita elata obſtinatione deſpexit.

Et infra:

„ Propter quod non valentes abſque gravi Chriſti offenſa ejus iniquitates ampliùs tolerare, cogimur urgente Nos conſcientia juſtè animadvertere in eumdem. Sed & ut ad præſens de ceteris ejus ſceleribus, quatuor graviſſima, quæ nulla poſſunt tergiverſatione celari, commiſit. Dejeravit enim multotiens pacem quondam inter Eccleſiam reformatam & Imperium, temere violando &c. *& infra*; perpetravit etiam ſacrilegium, capi faciens Cardinales Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac aliarum Eccleſiarum Prælatos & Clericos, Religioſos & Seculares, venientes ad Concilium, ad quod idem Prædeceſſor noſter eos duxerat convocandos &c. *& infra*. De Hæreſi quoque non dubiis & levibus, ſed evidentibus argumentis ſuſpectus habetur &c. *& infra*: Præter hæc Regnum Siciliæ, quod eſt ſpeciale patrimonium Beati Petri, & quod idem Princeps ab Apoſtolica Sede tenebat in Feudum, jam ad tantam in Clericis & Laicis

„ exi-

A ,, exinanitionem, ſervitutemque redegit, quòd
,, eis pæne penitus nihil habentibus, & omnibus
,, exinde fere probis ejectis, illos, qui reman-
,, ſerunt ibidem, ſub ſervili quaſi conditione
,, vivere, ac Romanam Eccleſiam, cujus ſunt
,, principaliter homines & vaſſalli, offendere
,, multipliciter & hoſtiliter impugnare compel-
,, lit. Poſſet etiam meritò reprehendi, quòd
,, mille florenorum annuam penſionem, in quam
,, pro eodem Regno ipſi Eccleſiæ Romanæ te-
,, netur per novem annos & ampliùs ſolvere
,, prætermiſit. Nos itaque ſuper præmiſſis &
,, quampluribus aliis ejus nefandis exceſſibus,
,, cum Fratribus noſtris & Sacro Concilio deli-
,, beratione præhabita diligenti, quum Jeſu
B ,, Chriſti vices, licèt immeriti, teneamus in
,, terris, nobiſque in Beati Petri perſona ſit di-
,, ctum: *Quodcumque ligaveris ſuper terram,*
,, *erit ligatum & in cœlis, & quæcumque ſol-*
,, *veris ſuper terram, ſolutum erit & in cœ-*
,, *lis*: memoratum Principem, qui ſe Imperio,
,, & Regnis, omnique honore & dignitate red-
,, didit tam indignum, quique propter ſuas ini-
,, quitates adeò ne regnet vel imperet, eſt
,, abjectus, ſuis ligatum peccatis & abjectum,
,, omnique honore & dignitate privatum à Do-
,, mino oſtendimus & denuntiamus, & nihilo-
,, minus ſententiando privamus. Omnes, qui ei
,, juramento tenentur fidelitatis adſtricti, à ju-
,, ramento hujus perpetuò abſolventes, auctori-
C ,, tate Apoſtolica firmiter inhibendo, ne quiſ-
,, quam de cetero ſibi tamquam Imperatori vel
,, Regi pareat, vel intendat; & decernendo
,, quoſlibet, qui deinceps ei velut Imperatori
,, vel Regi conſilium vel auxilium præſtiterint,
,, ſeu favorem, ipſo facto excommunicationis
,, vinculo ſubjacere. Illi autem, ad quos in eo-
,, dem Imperio Imperatoris ſpectat electio, eli-
,, gant libere ſucceſſorem. De præfato Siciliæ
,, Regno providere curabimus cum eorumdem
,, Fratrum noſtrorum conſilio, ſicut videbitur
,, expedire.

Exemplar autem Literarum, quas ad ſui ex-
cuſationem idem Fridericus Imperator ſuper
ipſa depoſitionis ſententia lata in Concilio Lug-
D dunenſi Anno Domini MCCXLV. Regi Franco-
rum Ludovico hujus nominis IX. nunc ab Ec-
cleſia canonizato, miſit, tale eſt.

CAP. XXXIV.

Excuſatio Imperatoris ejuſdem ſuper ipſa ſententia.

,, ETſi cauſæ noſtræ juſtitiam per vulgaris
,, famæ præloquium, & multorum veridi-
,, ca teſtimonia nuntiorum ad Serenitatis veſtræ
,, notitiam perveniſſe credamus, quia tamen
Segniùs irritant animum demiſſa per aurem,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.....
E ,, ipſam puram & nudam veritatem, proceſ-
,, ſus videlicet, quem erga nos hactenus Sum-
,, mi Pontifices habuerunt, veſtro conſpe-
,, ctui præſentamus. Ad cujus inſpectionem ple-
,, nariam & attentam de tot temporibus & die-
,, bus veſtris negotiis deputatis unum ſufficiens
,, tempus & diem nobis affectio veſtra conce-
,, dat. Quod ſi licuerit diligenter attendere,
,, conſilia regia rectè conſiderent, ſi fuerit in
,, prædeceſſoribus noſtris rectitudinis zelus, ſi
,, in nobis tot & tantis injuriis laceſſitis juſta
,, debuerat aut debeat defenſio denegari; ſi
,, demum Chriſti Vicarii Chriſti vices imple-
,, verint, & ſi Petri ſucceſſores ejus imitentur

A ,, exemplum. Conſiderent etiam quo jure cen-
,, ſeri debeat proceſſus hujuſmodi contra nos
,, habitus, vel quo nomine debeat nuncupari.
,, Si dici ſententia valeat, quam Judex incom-
,, petens promulgavit; nam etſi nos noſtræ Ca-
,, tholicæ Fidei debito ſuggerente manifeſtiſſime
,, fateamur, collatam à Domino Deo ſacroſan-
,, ctæ Romanæ Sedis Antiſtiti plenariam in ſpi-
,, ritualibus poteſtatem, quantumcumque, quod
,, abſit, ſit ille peccator, & quod in terra liga-
,, verit, ſit ligatum in cœlis, & quod ſolverit,
,, ſit ſolutum, nuſquam tamen legitur divina
,, vel humana ſibi lege conceſſum, quòd tranſ-
,, ferre pro libito poſſit Imperium, aut de pu-
,, niendo temporaliter in privatione Regnorum
B ,, Regibus & Principibus judicare. Nam licet
,, ad eum de jure & more majorum conſecratio
,, noſtra pertineat, non magìs ad ipſum depoſi-
,, tio ſeu remotio pertinet, quam ad quoſlibet
,, Regnorum Epiſcopos, qui Reges ſuos, pro
,, ut aſſolent, conſecrant & inungunt. Vel eſto
,, ſinè præjudicio noſtro, quòd habeat hujuſmo-
,, di poteſtatem, eſtne iſtud de plenitudine po-
,, teſtatis ipſius, quod nullo prorſus ordine juris
,, ſervato, animadvertere poſſit in quoſlibet,
,, quos aſſerit ſuæ juriſdictioni ſubjectos? Pro-
,, ceſſit enim contra nos nuper, ut dicitur, non
,, per accuſationis ordinem, quum nec accuſa-
,, tor comparuiſſet idoneus, legitimo denuncia-
,, tore ceſſante, nec per inquiſitionis modum,
C ,, quam clamoſa inſinuatio non præceſſit; quum
,, etiam nullorum inquiſitorum, & nullarum in-
,, quiſitionum nobis facta fuerit copia, ſi qui
,, fortè fuerunt, quum nonnulli fuerint publicè
,, per hujuſmodi Judices ad inquiſitorem addu-
,, cti. Aſſerit enim omnia fore notoria, quæ
,, nos notoria eſſe negamus, quum per legiti-
,, mum teſtium numerum non probentur. Sic
,, enim quilibet Judex per ſe poſſet ſolummodo
,, aſſerendo notorium, ſpreto juris ordine quem-
,, libet condemnare. Intulerunt in nos ſiqui-
,, dem in Concilio, ſi ut dicitur, aliqui teſtes
,, iniqui, ſed valde perpauci, quorum aliquos
,, veluti Calinenſem Epiſcopum, ſuis fratre vi-
,, delicet & nepote per nos ex cauſa proditio-
D ,, nis ad ſuſpendium legitimè condemnatis, of-
,, fenſa rationabilis nobis reddidit odioſum.
,, Alios tamquam ex ultimis partibus Hiſpaniæ
,, prodeuntes, Tarraconenſem ſcilicet, & Com-
,, poſtellanum Antiſtites, negotiorum Italiæ ne-
,, ſcios & ignaros, natalis zonæ longinquitas,
,, & eorum venenoſæ ſubornationis inductio no-
,, ſtræ juſtitiæ fecit infeſtos. Sed & eſto ſinè
,, præjudicio noſtro, quòd legitimi fuerint, ſub-
,, ſiſtentibus teſtibus, actore, & judice, defuit
,, reus, qui vel præſens, vel contumaciter ab-
,, ſens, ſecundùm juſtitiam debuit condemnari.
,, Citati namque fuimus in prædicatione ſua,
,, ſicut audivimus, licèt prorſus informiter;
,, quòd ipſi citanti & aliis nullis omnino perſonis
E ,, aut cauſis expreſſis factum juſtitiam deberemus
,, per nos vel reſponſales idoneos comparere.
,, Præſentes profectò citati non fuimus, ſed ex
,, juſtis cauſis abſentes, à quarum allegationi-
,, bus noſtri legitimi reſponſales fuere repulſi.
,, Nec abſentes contumaciter fuimus, quum
,, præter id quòd nulla fuerit citatio, ut eſt di-
,, ctum, & ideo, pro ut ordo juris expoſtulat,
,, locum citatio non haberet. Contumaciam
,, noſtram Magiſter Thaddæus de Sueſſa magnæ
,, Curiæ noſtræ Judex, fidelis noſter, & plenæ
,, procurationis mandatum excuſat; cujus au-
,, ctoritas, pro eo quòd fuerat criminale judi-
,, cium, ad quod fruſtra Procurator interveniſſet,
,, nul-

,, nullatenus enervatur: quum ipſius citationis tenor, qui nos aut procuratores noſtros exigit, manifeſte contrarium dediſſet intelligi, videlicet quòd contra nos non criminaliter, ſed civiliter fuiſſet agendum.

,, Prædictis & omnibus abſque noſtro præjudicio circumſcriptis, dato ſinè præjudicio, quòd manifeſte fuerimus contumaces, non eſt iſta legitimæ contumaciæ pœna, quòd delatus, aut accuſatus, & contumax privato vel publico judicio, nullo de ſua cauſa diſcuſſo, per diffinitivam ſententiam debeat condemnari. Sunt etenim etiam & aliæ pœnæ contumacium Civilibus Legibus & Canonibus in talibus introductæ. Denique poſito, quòd omnia prædicta juris præſidio fulciantur, licet irrefragabilia cauſæ noſtræ deficiant, ipſius pronuntiationis tenor ipſam ſententiam eſſe nullam oſtendit, per quam non Procurator noſter præſens, ſed & nos abſentes extitimus condemnati. Quam ipſo jure nullam eſſe ſententiam, Leges & jura quælibet manifeſte declarant. Evidentes quoque proceſſus, & præcedentes iniquitatem cauſæ notant, quas dicta ſententia comprehendit: multiplex perjurium videlicet de ſacramento pacis præſtito per nos, ſicut aſſerit, non ſervato; præterea demania noſtra per privilegia Divorum Auguſtorum & noſtra Eccleſiæ Romanæ conceſſa, violenter à nobis poſtmodum occupata; de Cardinalibus & Prælatis captis, ad Concilium convocatis; de quibuſdam Eccleſiis & Eccleſiarum Prælatis, rebus, & Cleri is Regni noſtri per Officiales de Regno nobis abſentibus violatis. A quibus omnibus nos incorruptibilis veritas & publica monumenta defendunt, pro ut ſeriatim hæc omnia fida relatio latoris præſentium, ac ipſorum munimentorum tenor manifeſtiſſime profitetur. Quamquam ad tam diræ ſententiam pœne, ſi tamen ſententia dici poteſt, quæ contra nos præcipitata dignoſcitur, in prædictis Venerabilem Friſingenſem Epiſcopum, dilectum Principem, Fratrem H. Magiſtrum Domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum, & Magiſtrum Petrum de Vineis magnæ Curiæ noſtræ Judicem, dilectos fideles noſtros, quos ultimò pro omnimoda conſummatione pacis tractatæ ad Concilium mittebamus, ſaltem per triduum, ad multorum Nobilium & quampluriùm Prælatorum inſtantiam Summus Pontifex noluit præſtolari; non exſpectato etiam Magiſtro Gualtero de Ocra, Capellano, Notario, & fideli noſtro, qui de conniventia Summi Pontificis, & quorumdam ex Fratribus ad nos miſſis per viginti dies exſpectari debuit. Nec fuit ſolummodo per biduum, quo tempore prædicti proceſſus iniqu * Lugdunum oſtabat, ad multam Nobilium & quampluriùm Prælatorum inſtantiam exſpectatus. Nec quod de ceſſatione Cenſus adjicitur pro Regno Siciliæ, nos ab ipſius Regni dominio vel jure ſecludit; quem cenſum ante diſcordiam inter nos & Eccleſiam, abſentes a Regno ſolvi mandavimus, pro ut literæ noſtræ inter rationes Rationalium inventæ manifeſtè declarant. & quem pro tempore ſupradicto, Domino Deo teſte, uſque in præſentem diem credimus exſolutum, præſertim quum à nobis nuſquam extiterit requiſitus. Poſt diſcordiam verò cenſum eumdem conſignatum Prælatorum, & publicarum perſonarum ſigillis apud Ædes ſacras deponi mandavimus, & hodie depoſitum conſervatur.

,, Apparet nihilominus animoſa & ampulloſa non minùs ex ipſius inflictæ pœnæ ſeveritate ſententia, per quam Imperator Romani Imperii auctor & Dominus læſæ Majeſtatis crimine dicitur condemnatus, per quam fit ridiculosè legi ſubjectus, qui legibus omnibus Imperialibus eſt ſolutus. De quo temporales pœnæ ſumendæ, quum per temporalem ordinem ſuperiorem non habeat, nec ſunt in homine, ſed in Deo. Spirituales autem pœnas per Sacerdotales nobis perſonas indicendas tam pro contemtu clavium, quàm pro aliis tranſgreſſionibus humane patratis nedum à Summo Pontifice, quem in ſpiritualibus Patrem noſtrum & Dominum profitemur, ſi tamen nos in filium debita relatione cognoſcat, ſed & per quemlibet Sacerdotem reverenter accipimus, & devotè ſervamus. Ex quibus omnibus manifeſtè liquet, quòd hi potiùs ignominiosè, quàm juſtè habendos nos duxerunt de Catholica Fide ſuſpectos, quam nos teſte Summo Judice in omnibus & ſingulis ejuſdem Articulis ſecundùm univerſalis Eccleſiæ diſciplinam & approbatam Sanctæ Eccleſiæ Synodum & Symbolum, firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur. Animadvertat igitur induſtria Regia, ſi prædictam nullam ſententiam ipſo jure, nullum proceſſum ſervare, non minùs in noſtrùm, quàm omnium Regum & Principum, ac quarumlibet temporalium dignitatum perniciem, debeamus. Advertat & aliud, qualis ex iſtis initii exitus exſpectatur. A nobis incipitur, ſed noveritis, quòd finietur in vobis; quia noſtrâ potentiâ conculcatâ, reſiſtentiam aliquam non exſpectant. Veſtram igitur juſtitiam in cauſa noſtra tuentes, vobis & veſtris heredibus à longè providete. Nec illud omittimus, quin fidei veſtræ conſtantiam ex confœderatione tractata nobiſcum ad præſens fiducialiter requiramus, ut nedum adverſario noſtro, aut Nuntiis, aut Legatis ipſius occultè vel publicè faveatis, quin nobis potiùs toto poſſe viriliter aſſiſtatis; nullum omnino Nuntium populum veſtræ ditioni ſubjectum in diſpendia noſtra convertere molientem aliquatenus admittentes; pro certo ſcituri, quòd per nos, in quibus inchoata eſt tantæ temeritatis audacia, quæ ad depoſitionem noſtram, velut cujuslibet Sacerdotis auctoritate ſuæ vim ditionis oſtendit, taliter aſſiſtente nobis dextera Regis Regum, quem ſemper juſtitia comitatur, iſtis præcipuis occurretur, dummodo ſe nobis illorum potentia non opponat, Regum & Principum ſcilicet, quos communiter cauſa noſtra contingit, & quorum non minùs vertitur intereſſe, quàm noſtrum, quod vobis & aliis Orbis terræ nobilibus cauſam juſti timoris in talibus noſtra defenſio non relinquit. Inviti tamen hoc facimus teſte Deo; ſed neceſſariò provocati, veluti qui peſte multiplici Chriſtianitatem noſtris temporibus vidimus attritam. Ad cujus auxilium unà vobiſcum, pro ut etiam nupertimè ſcripſimus, totis nos intendere viribus ſperabamus. Requirat autem de manibus ejus hoc Dominus, qui tanto diſcrimini materiam ſubminiſtrat.

,, Datum Anno Incarnationis Dominicæ MCCXLV. menſis Septembris . . III. Indictione, Imperii noſtri Anno . . . . . . Regni Hieroſolymitani Anno . . . . . . Siciliæ verò . . . .

De iſto autem Innocentio idem Imperator futurorum quodam præſagio, quum quidam ſibi congratularentur, quòd ille, cui faverat, ſublima-

matus fuerat in Papatu, ægro vultu ait: *amicum perdidi; qui quondam meus amicus fuit, adverſarius dirus erit*. Nec eum ſefellit opinio; nam vix biennio latuit inter eos ſimultas. Mox alterutrum adverſati ſunt palam cum maximo Chriſtianorum diſcrimine.

CAP. XXXV.

De infelicitate ejuſdem in filiis.

HUnc etiam Fridericum Imperatorem, quamquam in filiorum ſobole læta fors ſibi arriſit, in uno tamen eorum fuit infeliciter novercata. Nam Henricum primogenitum ſuum Anno Chriſti MCCXXIX. qui fuit Imperii ejus XVIII. carcere truſit, quia contra eum res novas moliens, tractaverat cum Gregorio Papa IX. abjecto patre potiri Imperio, quo carcere vitam finivit. Licet autem ſuis demeritis Henricus iſte ſic miſerè occubuerit, Imperator tamen eo mortuo Regem imitatus David ſuper Abſalone primogenito, de ipſius ſublatione paternum affectum non exuit, ut ejus ſequens docet Epiſtola, quæ talis eſt. „ Miſericordia pii Patris, & ſeveri Judicis exuberante judicium, Henrici noſtri primogeniti filii fatum lugere compellimur, lacrymarum ab intimis adducente natura diluvium, quas offenſæ dolor juſtitiæ rigor intrinſecus firmabant. Mirabuntur forſitan diri Patres, invictum publicis hoſtibus Cæſarem dolore domeſtico potuiſſe convinci. Subjectus tamen cujuslibet Principis animus quantumvis rigidæ naturæ dominantis imperio, quæ vires ſuas exercens in quoslibet, Reges & Cæſares non agnoſcit. Fatemur, quòd qui vivi Regis ſupplicatione flecti nequivimus, ſumus ejuſdem filii caſu commoti. Sumus tamen eorum nec primi, nec ultimi, qui tranſgredientium filiorum detrimenta pertulerunt, & verò poſtmodum eorum funera deplorarunt. Luxit namque David primogenitum Abſalonem, & in Pompeji generi ſui fortunam & animam ſoceri perſequentis magnificus ille Julius Cæſar paternæ pietatis officio lacrymas non negavit. Nec dolor acerrimus ex tranſgreſſione conceptus, eſt parentibus efficax medicina doloris, quòd in obitu filiorum natura perurgente non doleant contra naturam irreverenter offenſi. Volentes igitur, & etiam non valentes circa prædicti filii noſtri funus omittere quæ ſunt patris, fidelitati veſtræ præcipiendo mandamus, quòd ejus exſequias cum omni devotione celebrantes, animam ejus cum decantatione Miſſarum & aliis Eccleſiaſticis Sacramentis Divinæ miſericordiæ commendetis, manifeſtis indiciis oſtendentes, quòd ſicut in gaudiorum tripudiis exultatis, ſic & doloribus noſtris flebiliter condoletis. „ In alio quoque ejus filio etiam adverſata eſt illi fortuna. Nam Anno Chriſti MCCXLIX. Bononienſes in agrum Mutinenſem duxerunt exercitum. Henricus verò Rex Sardiniæ Friderici Imperatoris filius ex concubina Cremonenſi, illò repentino greſſu & propero equitatum duxit, & modica requie laſſis equis indulta Mutinæ, Bononienſium petit exercitum. Conſertâ pugnâ Hencii exercitus in fugam convertitur: ipſe Rex captus longâ, honeſtâ tamen, carceris cuſtodiâ (*) à Bononienſibus ſervatur publico Palatio, in quo & terminum vitæ dedit.

CAP. XXXVI.

De obſidione quarumdam Civitatum Italiæ.

FRidericus iſte tranſiens per urbem Venetias Anno Chriſti MCCXXXIII. in Foro-Julii fœdus & amicitiam cum Ecellino de Romano Tyranno in Verona, Vicentia, & Padua ſanxit. Sequenti anno Vicentiam occupat, & in Germaniam tranſit. Alio verò anno ipſe Imperator de Germania in Italiam veniens, apud Curtem-Novam Mediolanenſes bello impetit, & prœlio fortiter expugnavit (**). Eorum Rectorem, ſcilicet filium Ducis Venetiarum de familia Teupulorum, bello captum ſuſpendio perdidit; multos ex eis Nobiles in Apuliam captivavit. Currum eorum captum Romam in ſignum victoriæ titulo tali tranſmiſit.

Urbs decus Orbis ave: victus tibi deſtinor ave
Currus ab Auguſto Frederico Cæſare juſto.
Fle Mediolanum; nam ſentis ſpernere vanum,
Imperii vires proprias tibi tollere vires.
Ergo triumphorum Urbs memor eſſe priorum,
Quos tibi mittebant Reges, qui bella gerebant.

Anno verò Chriſti MCCXXXVIII. idem Imperator Civitatem Brixiam obſedit, & tamen voti ſui compos non exſtitit. Subſequenti quoque anno Paduam vênit, & ſpretis Azzone Marchione Eſtenſi, ac Rizardo Comite de Sancto Boniſacio Veronenſi, fœdus & amicitiam cum Ecellino de Romano, atque Salinguetra de Ferraria ſanxit. Gregorius Papa contra ipſum Imperatorem excommunicationis, ut dictum eſt, ſententiam promulgavit: omnes Proceres à juramento fidelitati, quod Imperatori præſtiterant, abſolvit. Gregorium quoque de Monte-Longo in Italia Legatum conſtituit, ut in omnibus, conatibus Imperatoris obſiſteret. Anno demum Chriſti MCCXLI. Imperator ipſe Faventiam obſedit, qua tamdem potitus eſt. Fertur duos cives ejuſdem Urbis Hæreticorum ſectæ clam nocte ad eum veniſſe, qui ab eo percontati quinam eſſent, aut quid afferrent, dixerunt: *Nos de numero bonorum hominum ſumus tibi fideles in omnibus*: quos quum ſprevisſet, dicitur reſpondiſſe: *Utinam Rectores Eccleſiæ, qui mihi adverſantur, ſic rectè agerent, quemadmodum rectè credunt*. Anno verò Chriſti MCCXLV. Gregorius Papa Lugduni, ut dictum eſt, Concilium celebrans, Imperatorem citavit, & venire contemnentem privavit Imperio.

CAP. XXXVII.

Obſidio Parmæ.

SEquenti verò anno Landgravius in Germania Princeps operâ Eccleſiæ Romanæ electus Imperator, contra Conradum Friderici filium duxit exercitum. Qui anno altero fato conceſſit. Poſt quem eligitur Guillielmus Hollandiæ Comes, qui mox in brevi à Frixonibus eſt occiſus. Fridericus verò Imperator de Apulia vênit in Æmiliam, Civitati Parmæ infeſtus, quam Anno Chriſti MCCXLVIII. maximis copiis obſedit. In cujus ſuburbiis Civitatem condidit, quam Victoriam appellavit, ſtatuens animo urbe Parmâ ſubverſâ; eam, quam condiderat, inclytam & populoſam facere, multitudine Civium urbis ſubvertendæ. Huic rei Cremonenſes maximè

erant

(*) *In margine additur*. Heic cadit Epiſtola Friderici ad Bononienſes, & reſponſio.

(**) Si quis de hac victoria plenius ſcire deſiderat, legat Epiſtolas, quas dictavit Petrus de Vineis: *Exultet* &c. Et *Quia noſtræ vorum conſcientia* &c.

erant ſubſidio. Ceterùm Bononienſes, Mantuani, Ferrarienſes, & ceteri, qui adverſabantur Friderico, Parmenſibus erant auxilio. Interea dum Fridericus ſolatio aucupii abeſſet à caſtris, & plurima pars Cremonenſium repatriaſſet, priuſquam alii ſucceſſuri in locum ipſorum ad obſidionem veniſſent (mutabantur enim per vices) Cives Parmenſes uno agmine portas erumpunt, novam Civitatem impugnant, capiunt, diripiunt, incendunt. In qua opima ſpolia habuerunt, inter quæ Coronam Imperialem, quam uſque ad Henrici VII. tempora ſervantes, eidem Henrico Imperatori in caſtris apud Brixiam obtulit per ſolemnes Nuntios illuſtris Dominus Ghibertus generoſæ proſapiæ de Corrigia, Civitatis Parmæ Dominus generalis. Currum Cremonenſium capiunt. Fridericus viſo eminus fumo Cremonam aufugit.

CAP. XXXVIII.

De Legibus ab eodem Imperatore contra Hæreticos conditis.

FRidericus iſte Secundus nonnullas contra Hæreticos ſeveriſſimas condidit Leges, quas in volumine Codicis juſſit annotari, ac in Statutariis ſive Capitularis Civitatum habentur à pluribus. In quibus Legibus Patarenos, Speroniſtas, Leoniſtas, Arianiſtas, Circumciſos, Paſſaginos, Joſepinos, Cartanenſes, Albanenſes, Franciſcos, Barmarolos, Commixtos, Waldenſes, Bulgaros, Cormellos, Warmos, Orteolos, Cumilios de Aquanigra, & omnes Hæreticos utriuſque ſexus quocumque nomine ccnſeantur, perpetua damnavit infamia, diffidavit, atque bannivit; & qui inventi fuerint ſola ſuſpicione notabiles, niſi ad mandatum Eccleſiæ venerint, tamquam infames & banniti ab omnibus habeantur. Et quòd Poteſtates, Rectores, Conſules &c. pro defenſione Fidei præſtent corporaliter juramentum, quòd de terris ſuæ juriſdictioni ſubjectis univerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos exterminare bona fide ſtudebunt, alioquin pro non Rectoribus habeantur. Credentes præterea, receptatores, defenſores, & fautore Hæreticorum bannivit; ſtatuens, ut ſi quis poſtquam fuerit talium communione notatus, ſatisfacere contemſerit infra annum, ex tunc ipſo jure ſit factus infamis, & ad publica officia ſeu conſilia ne ad teſtimonia admittatur. Sit etiam inteſtabilis, nec ad hæreditatis alicujus ſucceſſionem accedat. Si Judex fuerit, ſententia ejus nulla: Si Advocatus, ejus non admittatur patrocinium: Si Tabellio, ejus inſtrumenta nullius penitus ſint momenti. Et quòd domus Patarenorum, receptatorum, defenſorum, & fautorum, ſive ubi docuerint, vel ubi aliis manus impoſuerint, deſtruantur, nullo umquam tempore reparandæ. Adjecit & alia multa in Catholicæ Fidei fulcimentum, quæ Legum ipſarum docet plenè contextus.

CAP. XXXIX.

De Magiſtro Petro de Vineis.

PEtrus de Vineis, dictator floridiſſimus, hujus Secundi Friderici temporibus in Imperio claruit, de quo dictum eſt illud monoſticum:

Hic redit in nihilum, qui fuit ante nihil.

Item & illud diſtichon:

Vinea per ſaltum &c.

A Ipſe namque infimiſſimo genere ortus, utpote ex patre ignoto, & matre abjecta, muliercula videlicet, quæ mendicando ſuam & filii vitam inopem miſerè ſuſtentabat, liberalibus tamdem diſciplinis inſudans, pauper & modicus, caſu ad Imperatorem perductus, ſacrum ejus Palatium ingenio ac ſucceſſibus dives incoluit, tantumque proceſſu temporis, ac Imperiali favore, dictandi arte, ac Juris Civilis peritia effloruit, ut ferè nulli ſui temporis in eiſdem facultatibus eſſet ſecundus. Contigitque, ut Imperatoris oculis ob hoc factus gratioſus & carus, magnæ Curiæ Protonotarius, Conſiliarius, & Judex, ac in arcanis conſcius ſit effectus. Cujus quidem ſingularis familiari- B tatis apud Imperatorem fuit illud ſignum inſigne, quod in Neapolitano Palatio, Imperatoris, & Petri effigies habebantur. Imperator in throno, Petrus in Cathedra reſidebat. Populus ad pedes Imperatoris procumbens, juſtitiam ſibi in cauſis fieri his verſibus innuebat.

Cæſar amor Legum, Friderice piiſſime Regum,
Cauſarum telas noſtras reſolve querelas.

Imperator autem his aliis verſibus ad hæc videbatur tale dare reſponſum.

Pro veſtra lite Cenſorem juris adite:
Hic eſt; jura dabit, vel per me danda rogabit.
Vineæ cognomen Petrus Judex eſt ſibi nomen.

Imperatoris enim figura reſpiciens ad Populum, digito ad Petrum ſermonem dirigere indicabat. C Sed quum in honore eſſet Petrus, non intellevit; nam ex proditionis nota, ut aliqui ferunt, ab Imperatore carceri truſus atque cœcatus, horrendo ſquallore miſerè vitam finivit. Malè enim tractaſſe dicitur ſuper diſcordia inter Imperatorem & Papam. Aliqui ad hanc infidelitatem peruuctum eſſe ferunt, quòd nudatus Imperator theſauris ſuis ex ipſa diſcordia, ipſum Petrum magno theſauro privaverit. Nonnulli referunt, quòd in vitula ejus arabat. Quanta autem qualiave ejus fuerint laudum præconia ſequens docet Epiſtola, quam Magiſter Nicolaus dictator eximius compilavit, quæ talis eſt.

Dotis præclaros alumnos (*) &c.

D

CAP. XL.

De morte ejuſdem Friderici.

DEnique Anno Chriſti MCCL. feſto Luciæ, qui fuit Annus coronationis ejuſdem Friderici XXX. ætatis verò LVII. idem Fridericus morbo correptus moritur, Conrado Rege, & duobus filiis filii ſui primogeniti Henrici carcere mortui, Hentio quoque Rege Sardiniæ carcere clauſo apud Bononiam, Manfredo Principe Tarentino, & aliis ſexus promiſcui relictis liberis. Compererat autem Fridericus ab Aſtrologis, ſe moriturum ad Portas-ferreas, quum perveniſſet ad Oppidum nomen habens à Flore. E Ultimo igitur vitæ ejus termino quum eſſet in Samnio ægrotus, oppido, cui nomen eſt Florentinum, ſtratum ei fuit cubile in thalamo juxta Turris parietes, quibus caput lecti hærebat; oſtium Turris muro erat obſtruſum, intus tamen poſtes ferrei perſiſtebant. Juſſit ſcrutari, qualis eſſet Turris introrſum. Relatum eſt in ea parte parietis, qua jacebat eſſe oſtium obſtruſum muro, ac poſtes ſerreos, eſſe: hoc audito meditari cœpit & dixit: *hic eſt locus mei finis jam mihi prædicti: fiat Dei voluntas: heic terminum vitæ dabo.* Non multò autem

poſt

(*) *In margine adnotatur*: Eſt in tertia parte Operis Epiſtola XLIV.

poſt eo inibi decedente, verificatum eſt, quod dixerat Imperator. Fuit autem non proceius, obæſo corpore, ſubrufus, ſuper homines prudens, ſatis literatus, linguarum doctus, omnium artium mecanicarum, quibus animum dederat, artifex peritus; aucupio falconum maximè obléctabatur. Satis liberalis dignis, non profuſus in dando: opibus exuberavit; nam præter Imperii jura Rex erat Siciliæ per genus maternum, ex Conſtantia videlicet Regis Rogerii filia genitus, Rex Hieruſalem per Conjugem, Rex Alamanniæ per electionem, Dux Sueviæ jure Proavorum. Muliebrium amplexuum amator nimius; nam venuſtarum mulierum greges ſervabat: modicæ clementiæ in puniendo: beneficus in familiares dilectos, quos ſibi plurimùm perfidos eſſe comperiit; in prole inclytus. Ex prima conjuge Henricum primogenitum genuit jam nominatum. Ex ſecunda, filia Regis Hieroſolymitani Johannis, Conradum genuit, propter quam, ut dictum eſt, Regnum Hieroſolymitanum poſſedit. Ex tertia uxore, quæ filia fuit Anglorum Regis, ſobolem vidit. Ex ſorore verò Marchionum Lanzonum ejus concubina Manfredum genuit, qui fuit etiam paternæ incontinentiæ imitator. Ex concubina Cremonenſi Hentium quoque filium habuit. Conradus inter ceteros alter Abſalon fuiſſe dicitur. Hentius in armis ſtrenuus, & nobilis indolis, quem etiam omnes adverſarii laudabilem virum teſtantur, & in ſagittando mirabilis induſtriæ. Manfredus, qui regnans cunctos una & ſumma liberalitate reſpexit, Tito Veſpaſiani filio, ingenio in omnibus arguto & cunctis benefico, jure poſſe conferri videtur. Epitaphium autem ejuſdem Friderici in ipſius Mauſolæo apicibus exaratum in Matrici Panormitana constructum Baſilica hujuſmodi fuiſſe refertur.

Si probitas ſenſus, virtutum copia, cenſus,
Nobilitas orti poſſent reſiſtere morti:
Non foret extinctus Fridericus, qui jacet intus.

Quidam autem verſificator eximius, volens nomini ejuſdem Friderici alludere, ait:

FRE fremit in Mundo, DE deprimit alta profundo,
RI ius rimatur, CUS cuſpide cuncta minatur.

Qualiter verò idem Fridericus de Imperio & Regnis ſuis diſpoſuit, patet ex contextu voluntatis ejus extremæ, continentiæ infraſcriptæ.

CAP. XLI.

Teſtamentum Friderici Imperatoris.

„ IN nomine Dei æterni, & Salvatoris noſtri
„ Domini Jeſu Chriſti. Anno ab Incarna-
„ tione ejuſdem MCCL. die XVII. menſis De-
„ cembris, VIII. Indictione &c. Primi paren-
„ tis incauta tranſgreſſio ſic poſteris legem fa-
„ talis conditionis indixit, ut eam nec diluvii
„ protinus ad pœnam effuſio effrenis abduceret,
„ nec vaſtitatis Baptiſmatis tam celebris unda
„ limiret, quin fatalitatis eventus mortalibus
„ ſeneſcentis ſui parentis laſcivia tranſgreſſionis
„ in pœnam culpa transfuſa, tamquam cicatrix
„ ex vulnere, remaneret. Nos igitur Fridericus
„ Secundus divinà favente clementia Romano-
„ rum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem,
„ & Siciliæ Rex, memores conditionis huma-
„ næ, quam ſemper comitatur innata fragilitas,
„ dum vitæ nobis inſtaret terminus, loquelæ &
„ memoriæ in nobis integritate vigentibus, ægri
„ corpore, ſani mente, ſic animæ noſtræ con-
„ ſulendum providimus, ſic de Imperio, & Re-
„ gnis noſtris duximus diſponendum, ut rebus
A „ humanis abſumti vivere videamur, & filiis
„ noſtris, quibus nos divina clementia fœcun-
„ davit, quos præſenti diſpoſitione ſub pœna
„ benedictionis noſtræ volumus eſſe contentos,
„ ambitione ſublata, omnis materia ſcandali
„ ſopiatur.
„ Statuimus itaque, Conradum in Regem
„ Romanorum electum, & Regni Hieroſoly-
„ mitani heredem dilectum filium noſtrum no-
„ bis habere de Imperio & omnibus aliis per-
„ tinentiis, & quocumque modo acquiſitis, &
„ ſpecialiter in Regno noſtro Siciliæ. Quem ſi
„ decedere contigerit ſinè liberis, ei ſuccedat
„ Henricus filius noſter. Quo defuncto ſine li-
„ beris, ſuccedat ei Manfredus filius noſter.
B „ Conrado autem morante in Alamannia, vel
„ alibi extra Regnum, ſtatuimus prædictum
„ Manfredum Balivum prædicti Conradi in Ita-
„ lia, & ſpecialiter in Regno Siciliæ: dantes
„ ei plenariam poteſtatem omnia faciendi, quæ
„ perſona noſtra facere poſſet, ſi viveremus,
„ videlicet in concedendis Terris, Caſtris, &
„ Villis, parentelis, dignitatibus, beneficiis,
„ & omnibus aliis juxta diſpoſitionem ſuam,
„ præter antiqua demania Regni Siciliæ. Et
„ quòd Conradus & Henricus prædicti filii no-
„ ſtri, & eorum heredes omnia, quæ ipſe fe-
„ cerit, firma & rata teneant & obſervent.
„ Item concedimus & confirmamus dicto
„ Manfredo filio noſtro Principatum Tarenti-
C „ num, videlicet à Porta Roſeti uſque ad or-
„ tum fluminis Brandani, cum Comitatibus
„ Montis-Caveoſi, Tricarici, & Gravinæ; pro-
„ tenditur ad maritimam Terræ Bari uſque ad
„ Polymanum cum tota maritima uſque ad di-
„ ctam Portam Roſeti, ſcilicet Civitatibus,
„ Caſtris, Villis, pertinentiis, juſtitiis, & ra-
„ tionibus omnibus eidem honori pertinentibus,
„ ſcilicet quæ de demanio in demanium, & quæ
„ de ſervitiis in ſervitia. Concedimus etiam,
„ & confirmamus eidem, quidquid ſibi in Im-
„ perio eſt à noſtra Majeſtate conceſſum, ita
„ tamen quòd prædicta omnia à prædicto Con-
„ rado teneat, ac etiam recognoſcat.
„ Item ſtatuimus, quòd Fridericus nepos no-
D „ ſter habeat Ducatum Auſtriæ, & Styriæ,
„ quos à prædicto Conrado teneat & recogno-
„ ſcat; cui Friderico judicamus pro expenſis
„ decem mille uncias auri.
„ Item ſtatuimus, ut Henricus filius noſter
„ habeat Regnum Arelatenſe, vel Hieroſolymi-
„ tanum, quorum alterum dictus Conradus præ-
„ fatum Henricum habere voluerit; cui Hen-
„ rico judicamus pro expenſis centum mille un-
„ cias auri.
„ Item ſtatuimus mille uncias auri expen-
„ dendas pro ſalute animæ noſtræ in ſubſidium
„ Terræ-Sanctæ, ſecundùm ordinationem dicti
„ Conradi, & aliorum Nobilium Cruce-ſigna-
„ torum.
E „ Item ſtatuimus, quòd omnia bona Militiæ
„ Domus Templi, quæ Curia noſtra tenet, re-
„ ſtituantur eidem, ea ſcilicet, quæ de jure de-
„ bent habere.
„ Item ſtatuimus, quòd homines Regni no-
„ ſtri ſint liberi & exemti ab omnibus genera-
„ libus collectis, ſicut conſueverunt eſſe tem-
„ pore Willielmi Regis Secundi conſobrini no-
„ ſtri.
„ Item ſtatuimus, quòd Comites, Milites,
„ & Barones, & alii Feudatarii Regni gaudeant
„ juribus & rationibus ſuis, quæ conſueverunt
„ habere tempore Regis Willielmi in collectis
„ & aliis.

„ Item

Item ſtatuimus, ut Eccleſiæ Luceriæ & Soræ, & ſi quæ aliæ læſæ ſunt per Officiales noſtros, reficiantur & reſtituantur.

Item ſtatuimus, quòd tota Maſſaria noſtra, quam habemus apud Sanctum Nicolaum de Offido, omneſque proventus ipſius depurentur ad reparationem & obſervationem Pontis ibi conſtructi vel conſtruendi.

Item ſtatuimus, ut omnes captivi in carcere noſtro detenti liberentur, præter illos de Regno, qui capti ſunt ex proditionis nota.

Item ſtatuimus, quòd præfatus Manfredus filius noſter omnibus benemeritis de familia noſtra providεat vice noſtra in Terris, Caſtris, Villis, ſalvo demanio Regni Siciliæ. Et Conradus, & Henricus prædicti filii noſtri, & heredes eorum ratum, & firmum habeant quidquid idem Manfredus ſuper hoc duxerit faciendum.

Item volumus & mandamus, ut nullus de proditoribus Regni aliquo tempore reverti audeat in Regnum, vel nec aliqui de eorum genere ſuccedere poſſint; immo heredes noſtri teneantur de eis vindictam ſumere.

Item ſtatuimus, quòd mercatoribus creditoribus noſtris debita exſolvantur.

Item ſtatuimus, ut ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ matri noſtræ reſtituantur omnia jura ſua, ſalvo in omnibus & per omnia jure & honore Imperii, heredum noſtrorum, & aliorum noſtrorum fidelium, & ipſa reſtituat jura Imperii.

Item ſtatuimus, quòd ſi de præſenti infirmitate nos mori contigerit, in Majori Eccleſia Panormitana, in qua divi Imperatoris Henrici, & divæ Imperatrici Conſtantiæ parentum noſtrorum memoriæ recolendæ tumulata ſunt corpora, corpus noſtrum debeat ſepeliri. Cui Eccleſiæ dimittimus uncias auri quingentas pro ſalute dictarum animarum parentum noſtrorum, & noſtræ, per manus Berardi Panormitani Archiepiſcopi familiaris & fidelis noſtri erogandas in reparatione ipſius.

Quæ acta ſunt in præſentia ipſius Archiepiſcopi, & Bertoldi Marchionis de Hoembruch dilecti conſanguinei & familiari noſtri, Richardi Comitis Caſertani dilecti generi noſtri, Petri Ruffi de Calabria Mariſcalli noſtri, Magiſtri Richardi de Monte-Nigro magnæ Curiæ noſtræ Juſtitiarii, Magiſtri Johannis de Ydrunte, Fulconis Ruffi, Magiſtri Johannis de Procida, Magiſtri R. de Panormo Imperii & Regni noſtri Siciliæ magnæ Curiæ noſtræ Judicis, & Magiſtri Nicolai de Brunduſio publici Tabellionis Imperii, & Regni Siciliæ, & Curiæ noſtræ Notarii, noſtrorum fidelium, quos præſenti diſpoſitioni noſtræ mandavimus intereſſe. Quam per Conradum filium & heredem noſtrum & alios ſucceſſivè ſub pœna benedictionis noſtræ tenaciter volumus obſervari: alioquin noſtra hereditate non gaudeant. Id autem omnibus fidelibus noſtris præſentibus & futuris ſub ſacramento fidelitatis, quo nobis & heredibus noſtris tenentur, injungimus, ut prædicta illibata teneant & obſervent.

Præſens autem Teſtamentum & ultimam voluntatem noſtram, quam robur & firmitatem volumus obtinere, per prædictum Magiſtrum N. ſcribi & Sacroſanctæ Crucis Chriſti, & propriæ manus noſtræ, & ſigillo noſtro juſſimus communiri.

Defunctus eſt poſt hæc apud Florentinum

A Oppidum Apuliæ Fridericus, cujus mortem quum ſui truculentis gemitibus nuntiaſſent, per manus Berardi Panormitani Archiepiſcopi in Majori Panormitana Eccleſia cum Divis Auguſtis ejus parentibus, ſicut diſpoſuerat, honorificè tumulatum eſt corpus ejuſdem.

CAP. XLII.

De Honorio Papa.

HOnorius hujus nominis III. Friderico II. imperante apud Peruſium in Papam eligitur, Anno ſcilicet Domini MCCXVI. qui fuit Annus ejuſdem Friderici V. Sedit autem annis B X. menſibus VIII. diebus XXIII. Hic anno primo ſui Pontificatus Ordinem Prædicatorum confirmavit, qui Henrici VI. Imperatoris temporibus inchoarat, Beato Dominico natione Hiſpano inventore ejuſdem Ordinis procurante. Nam Innocentius Papa Ordinem ipſum confirmare decreverat, ſed morte præventus non potuit. Ipſe quoque Honorius in Baſilica Sancti Petri præfatum Fridericum Imperatorem coronavit. Similiter & Petrum Comitem Altiſiodorenſem Conſtantinopolis Imperatorem apud Sanctum Laurentium foris murum. Eccleſiam Sancti Laurentii extra muros, & Eccleſiam, quæ dicitur Sancta Sanctorum, renovavit. Tribunam etiam, & anteriorem partem Sancti Pauli fecit; nec C non & Domum Caſæ Marii, & Ciburium Sancti Petri. Reædificavit quoque Eccleſiam Sanctæ Bibianæ. Fridericum Imperatorem jamdictum, qui & Rex Siciliæ erat, tamquam ſibi rebellem anathematizavit, & ejus Barones à fidelitate, quam ſibi præſtiterant, abſolvit. Moritur autem idem Honorius Anno Domini MCCXXVII. & Romæ in Eccleſia Beatæ Mariæ Majoris ſepelitur.

CAP. XLIII.

De Gregorio Papa IX. ex Chronicis.

D GRegorius natione Campanus ſucceſſit Honorio. Hic priùs dictus eſt Ugolinus; & dum eſſet Oſtienſis Epiſcopus, apud Septemſolium fuit electus in Papam. Sedit autem annis XIV. eodem Secundo Friderico imperante. Iſte Gregorius hujus nominis IX. Heliſabeth filiam Regis Hungariæ relictam Lantgravii canonizavit, nec non & Beatum Dominicum, Prædicatorum Ordinis inventorem, innumeris miraculis corruſcantem, & Beatum Franciſcum Minorum. Sententiam, quam Honorius prædeceſſor ſuus contra Fridericum Imperatorem fulminaverat, roboravit. Quumque Concilium Romæ celebrare niteretur, & ab Imperatore Friderico viæ per terram & per mare arcerentur, duo Cardinales, ſcilicet Jacobus Præneſtinus Epiſcopus in Franciam Legatus ab Honorio Papa, ſubſidii cauſa E latenter miſſus, dum reverteretur, & Otto in Angliam ab eodem Papa directus, ſimiliter rediens, Petrus quoque de Collemedio Archiepiſcopus Rothomagenſis, Abbates quoque Cluniaci, Ciſtercii, & Clarævallis per mare ad Concilium venientes, ab Imperatoris ejuſdem fautoribus capiuntur. Hic etiam quum ab eodem Imperatore, qui tunc ex magna parte Patrimonium Eccleſiæ occupaverat, in Urbe obſideretur, videns etiam omnes pœne Romanos pecunia fore corruptos, excipiens capita Apoſtolorum, & proceſſionem à Laterano uſque ad Sanctum Petrum faciens, animos Romanorum ſic

revocavit, ut ferè omnes contra Imperatorem Cruce ſignarentur. Quod Imperator, qui jam credebat ſe intraturum in Urbem, audiens timuit, & longè retroceſſit ab Urbe. Deinde Gregorius Papa tantis tribulationibus concuſſus obiit Romæ Anno XIV. ſui Pontificatus, menſe Auguſto, qui fuit Annus Domini MCCXL. Qui per Fratrem Raymundum Ordinis Prædicatorum Pœnitentiarium & Capellanum ſuum ex pluribus voluminibus Decretalium volumen unum compilavit, mandans ubique Doctoribus illo uti. Idem quoque Gregorius Regulam Fratrum Eremitarum habitantium in Monte Carmeli, quem Helias frequentaſſe legitur, ab Honorio III approbatam confirmavit; & ne poſſeſſiones vel reditus reciperent, diſtrictè eis prohibuit. B Regulam autem eorum edidit Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus, ſcilicet ut ſinguli ſingulas habeant cellulas ſeparatas, & cetera, quæ idem Pater eis tradidit obſervanda. Sed Anno Domini MCCXXXVIII. propter Paganorum inſultus pulſi ſunt ab illo loco, & per varias mundi regiones diſperſi. Habitus eorum ab initio fuerunt mantelli barrati, quos tamdem Honorii Papæ IV. tempore in Cappas albas commutarunt, circa ſcilicet Annum Domini MCCLXXXV.

CAP. XLIV.

De Cœleſtino IV. Papa, Mediolanenſi origine.

C COeleſtinus hujus nominis IV. defuncto Honorio, in Papatu ſucceſſor ejus eligitur. Hic fuit natione Mediolanenſi, proſapia illorum de Caſtellione, & dictus eſt prius Gaufridus; & erat tunc Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis. Sedit autem diebus XVII. & ceſſavit menſibus XX & diebus XIV. Quumque eſſet vita & ſcientia laudabilis, ſenex & infirmus, citò moritur, & in Sancti Petri Eccleſia ſepelitur.

CAP. XLV.

De Papa Innocentio IV. natione Januenſi, ex Chronicis.

D INnocentius hujus nominis IV. poſt Cœleſtinum Romanus Pontifex eligitur, Anno ſcilicet Domini MCCXLIII. Friderico II. imperante. Hic Januenſis natione, de Comitibus Lavaniæ, dictus eſt prius Senebaldus; ſeditque XI. annis, menſibus VI. Qui non multo poſt electionem ſuam ſedes Cardinalium plures ex longo tempore vacuas, Presbyteris quibuſdam nominatis ex diverſis mundi partibus evocatis, brevi temporis ſpatio replevit, & Eccleſiam Romanam à tempore Papæ Gregorii multis, ut fertur, debitis obligatam, per induſtriam ſuam exoneravit. E Eodem Anno idem Papa perrexit in Franciam apud Lugdunum. Denique Anno Domini MCCXLV. in eadem Civitate Generale Concilium circa feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli contra Fridericum Imperatorem convocavit, eumque ibidem tamquam ſchiſmaticum, & hoſtem Eccleſiæ condemnavit, Imperio ipſum privando; procuravitque, Landgravium Thuringiæ in Regem Alamanniæ eligi contra eum. Quo Anno IV. Regni ſui vita privato, Guillielmum

A Hollandiæ Comitem ſimiliter Regem fieri procuravit. Hic quoque Innocentius Lugdum canonizavit Sanctum Edmundum Confeſſorem, Cantuarienſem Archiepiſcopum; & apud Peruſium Beatum Petrum Martyrem Ordinis Prædicatorum natione Veronenſem, quem hæretici propter ipſius contra ipſos prædicationem inter Cumas & Mediolanum occiderunt. Canonizatus autem fuit Anno X. Pontificatus Innocentii prædicti, qui fuit Annus Domini MCCLIII. Canonizavit etiam Aſſiſii Sanctum Stanglampb (*) Cracovienſem Epiſcopum, qui ab iniquo Principe fuerat interfectus. Hic conſtituit, ut Octava Nativitatis Beatæ Mariæ celebraretur in Eccleſia. Tamdem mortuo Friderico, anno ſcilicet ſequenti, qui fuit Annus Domini MCCLI. idem B Innocentius in Italiam vênit, & primò Januam natale ejus ſolum, deinde Padum tranſiens, Ferrariam intravit, ibique in feſto Beati Franciſci Populo prædicavit. (**) Inde profectus Bononiam, per Romandiolam tamdem pervênit Neapolim cum magno exercitu. Sed poſt paululum ibi fato conceſſit, & ſepelitur. Quo anno inſtitutus eſt Ordo Fratrum de Pœnitentia Jeſu Criſti apud Maſſiliam de ſpeciali mandato Innocentii ejuſdem. Iſte etiam Innocentius IV. ut ſcribit Jacobus de Varagine, Archiepiſcopus Januenſis, qui dicit ſe illo anno Prædicatorum Ordinem intraſſe, quo idem Innocentius à Gallia Italiam repetens Januam vênit, primus ut Cardinales pileos deferant ex rubro ſcarleto, inſti- C tuit, hac de cauſa, ut recitari audivi à Domino Petro de Columna Cardinali. Nam antea univerſi Prælati tam in Romana Curia, quàm alibi, nigros pileos indifferenter portabant. Contigit autem, quòd dum Flandriæ illuſtris Comitiſſa Curiam hujus Innocentii Papæ adiiſſet, quadam dierum obvium ſibi habuit Abbatem quemdam. Quem dum advertiſſet faſtuoſo commeatu, opinata eum Cardinalem eſſe, reverenter eum ſalutavit. Alia verò die, cùm uni ex Cardinalibus obviaſſet humiliter incedenti, longè eum minori reverentia exceptum ſalutavit, credens Abbatem, aut Priorem eſſe. Quumque à domeſticis ejus Cardinalem eum eſſe fuiſſet edocta, ſtatim errore cognito, eam puduit, & Papam D adiens, hanc ſpecialem gratiam impetravit, ut deinceps inter Cardinales & ceteros Prælatos diſcretio fieret, quòd videlicet ad dignitatis eorum evidentiam pileos ex ſcarleto Cardinales deferrent.

CAP. XLVI.

De quibuſdam Archiepiſcopis Mediolanenſibus.

GErardus ex progenie illorum de Setta anno ſequenti imperante eodem Friderico, qui fuit Annus Domini MCCXII. in Archiepiſcopum Mediolani electus eſt, quum eſſet Electus Novariæ, & Apoſtolicæ Sedis Legatus: qui circa E menſes octo Mediolanenſem rexit Eccleſiam; tamen electus fuit & non conſecratus nec etiam confirmatus. Obiit autem Cremonæ.

Henricus de ſtirpe illorum de Setara Civitatis Mediolanenſis ſedit in Eccleſia Mediolanenſi annis XVI. & menſibus X. Cœpit anno Domini MCCXIII. qui fuit Annus Friderici hujus II. Hujus anno ſexto fundata eſt Eccleſia Sancti Andreæ de Vercellis, quam venerandus vir Guala de . . . . Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Car-

(*) Ideſt Stanislaum.
(**) Hunc Papam prædicantem ſe puerum audiviſſe teſtatur Magiſter Ricobaldus Ferrarienſis.

Cardinalis maximis & propriis impendiis conſtrui fecit. Hic Archiepiſcopus conſecravit Monachas Sancti Apollinaris, & Eccleſiam Hoſpitalis de Venra dedicavit. Conſecravit etiam Eccleſiam Sancti Godoardi anno ultimo ſui Pontificatus. Cauſavit etiam & obtinoir Epiſcopatum Cremonæ; Terram quoque Sanctam viſitavit. Ja et ad Sanctum Naborem.

Guillielmus ex parentela de Rozolo poſt hunc in Archiepiſcopatu ſucceſſit, & ſedit annis X. menſibus V. Cœpit Anno Domini MCCXXX. Hic priùs erat Archidiaconus, fuitque valde caſtus, literatus, benignus. Miſericors & prudens erat, & ſepultus eſt in Eccleſia Clarevallenſi.

CAP. XLVII.

De Paſſagio ultramarino, & ceteris eventibus.

ANno Domini MCCXVII. qui fuit Annus Friderici II. Imperatoris VI. treuga Chriſtianorum & Saracenorum exſpirante, in primo paſſagio generali poſt Concilium Lateranenſe congregatus eſt exercitus Domini in Acon copioſus cum tribus Regibus, ſcilicet Hieruſalem, Hungariæ, & Cypri. Adfuit Dux Auſtriæ, & Dux Bavariæ, & magna Militia Regni Theutonici, necnon & Prælati quamplurimi. De profectione autem peregrinorum contra Damiatam & captione Hieruſalem per Conradinum Turquiæ Soldanum, & miſeria obſeſſorum in Damiata, & captione ejuſdem Urbis & civium ejus, ſtrage & ſpoliorum diſtributione, & aliis ibidem geſtis in ipſo Paſſagio, habetur *in Hiſtoria de Acquiſitione Terræ-Sanctæ*. Anno gratiæ Chriſti MCCXIX. Regina Civitatum Hieruſalem, quæ videbatur inexpugnabiliter munita, deſtructa eſt à Corradino filio Saphadini foris & intus. Muri enim cum turribus redacti ſunt in acervos lapidum, præter Templum Domini & Turrim David. De hac captione habetur in eadem Hiſtoria Acquiſitionis Terræ-Sanctæ. Anno Domini MCCXXI. Damiata ad Sarracenos pervênit. Anno Domini MCCXXII. apparuit ſtella crinita, & obiit Rex Franciæ Ludovicus hujus nominis VIII. cui filius ejus ſucceſſit in Regno ejuſdem nominis, qui poſtmodum canonizatus eſt. Anno Domini MCCXXIII. die Natalis Domini hora prandii fuit ingens in Italia terræmotus, ita ut ædificia caderent, & terra in multis partibus ſcinderetur, propter quod homines in campeſtribus habitabant. Hic autem terræmotus potiſſimùm Brixiam concuſſit. Eodem anno Beatus Dominicus Fundator Ordinis Prædicatorum animam Deo reddidit. Anno ſequenti Beatus Franciſcus pater Minorum dato vitæ termino ad Chriſtum pervenit.

Anno eodem ſcilicet Domini MCCXXIV. qui fuit Friderici XII. Marchio Eſtenſis cum Mantuanis, & Riciardus Comes de Sancto Bonifacio cum Veronenſibus caſtra poſuerunt apud Ferrariam Pado medio exiſtente: acto tamdem de pace recepti ſunt obſidentes in eam Urbem. Veronenſes recepti hoſpitio auſu temerario cœperunt dicere matronis hoſpitibus: *Facite bonam cœnam: novas nuptias hac nocte habebitis*, & etiam attrectare aliquas cœperunt, ad ſtupra parati. Vulgato hoc rumore, Salinguerra princeps, ſive auctor alterius factionis, arma corripi ſuis jubet, hoſtes receptos aggreditur, expugnat, capit, & ſpoliat. Anno Domini MCCXXVII. Saonenſes & Albinganenſes facti ſunt Communi Januæ rebelles; ductoque magno exercitu contra eos, deferentes in manibus cruces, venerunt ad mandata Januenſium. Anno Domini MCCXXVIII. Rex Caſtellæ Sarracenos pellit ex Hiſpania, & Rex Aragonum armis obtinuit Inſulas Baleares, Majoricam, Minoricam, atque Valentiam. Anno Domini MCCXXX. capti fuerunt piratæ quatuor pro Commune Januæ & eorum exigentibus demeritis omnes adjudicati ſuſpendio. Quum autem ducerentur ad patibulum, tantaque conveniſſet ad ſpectaculum judicii utrioſque ſexus hominum multitudo, ut qui eos conducebant, tranſire non poſſent, Poteſtas Civitatis Spinus nomine equum aſcendit, & huc atque illuc diſcurrendo equus terrefactus juxta oſtium majoris Eccleſiæ aſcenſorem portavit, qui ſupra lapidem cadens, fractis crure & femore, poſt modicum exſpiravit. Tamdem ad patibulum piratis poſitis, duobus ex eis exſpirantibus, reliqui duo tamdiu ſupervixerunt ſuſpenſi, quouſque relator miraculi ad Poteſtatem & Januenſes pervênit. Quo audito catervatim diſcurrens Populus videre miraculum, adhuc viventes depoſuerunt tyrannos, quorum unus dicebatur Recuperatus de Portu Veneri, & alius Wilelmus de Vintimillio. Hii autem narrarunt, qualiter cum ſumma devotione ſe voverant reliquiis Beati Johannis Baptiſtæ, quæ habentur in matrice Eccleſia Januæ, & ſic vivi fuerant reſervari; ſicque liberè ſunt dimiſſi, cunctis ſtupentibus & Deum laudantibus in ſuo glorioſiſſimo Præcurſore. Hoc mira ulum recitat Jacobus de Varagine Archiepiſcopus Januenſis in Chronica ſua.

Anno Domini MCCXXXII. Januenſes elegerunt in eorum Poteſtatem Paganum de Petra Sancta civem Nobilem Mediolani contra mandatum Imperatoris Friderici. Quo indignatus juſſit, omnes Januenſes, qui in Regno Apuliæ & in partibus ultramarinis erant, capi; ſed eos poſtmodum abire permiſit, ſentiens ſibi Januenſes per mare infeſtos. Anno Domini MCCXXXIII. Frater Johannes Ordinis Prædicatorum Populos plures convenientes in unum agrum Brixienſem contraxit cum eorum carrociis, & paces plures inter eos firmavit; in labiis enim ejus fuit gratia multa diffuſa, ut facilè homines quæcumque perſuadebat, amplecterentur. Anno Domini MCCXXXV. Guidoctus Parmenſis proſapia de Corrigio Epiſcopus Mantuæ, die Rogationum in Eccleſia Beati Andreæ cæſus gladiis, & peremtus eſt juſſu Advocatorum io ea Civitate potentum, quamobrem exterminati ſunt à Populo univerſo; nec ultra reditus patuit. ſed perpetuò exularunt. Anno Domini MCCXXXIX. in Burgundia Imperiali circiter quinque millia hominum ſuffocati ſunt ruina unius montis ab aliis ſciſſi, cujus partes per plura paſſuum millia per vallem unam delapſæ ſunt, & plurimas caſas villarum operuerunt. Eodem Anno hora diei ſeptima menſe Januario fuit tanta eclipſis Solis, quantam nulla ætas meminerit. Stellæ enim in cœlo apparuerunt, quemadmodum nocte ſerena, quas ſe vidiſſe reſtatur Jacobus de Varagine tunc puer; quo etiam Anno defunctus eſt Otto natione Alexandrinus Archiepiſcopus Januæ reverendæ memoriæ, & famæ præclaræ, quum ſediſſet annis XXXVI. in eodem Archiepiſcopatu Januenſi. Cui ſucceſſit Johannes de Ti ino, qui ſedit annis XII. quum eſſet Archidiaconus Januenſis. Qui tantam in conſpectu Papæ & Cardinalium gratiam invênit, ut infra tres dies ſui adventus ad Curiam expediri meruerit. Fuit enim homo literatus valde, & maximè in arte Medicinæ multùm peritus.

CAP.

CAP. XLVIII.

De Nicolao Piſce.

NIcolaus Piſcis hoc etiam tempore in Regno Siciliæ natus eſt. Hic enim, dum puer eſſet, delectabatur eſſe in aquis aſſiduus; cujus mater ob hoc indignata, maledictionem illi imprecata eſt, ut ſcilicet ſemper eſſe delectaretur in aquis, & extra eas non poſſet vivere; quod ſiquidem contigit, nam ſemper ex tunc in aquis maris vixit ut piſcis. Diu extra aquas eſſe non poterat; nautis apparebat, & cum eis in navibus aliquandiu erat, maris æſtus illis prædicens, & ſecreta quæ viderat in profundo. Anguillam maximum piſcium eſſe dixit, & inter Siciliam & Calabriam pelagus profundiſſimum eſſe. Imperator Fridericus cum eo ſermonem habuit, & projecto in fundo vaſe argenteo, inſtitit illi, ut deſcenderet in profundum, ac vas illud afferret. Ille verò ait: *ſi deſcendero in profundum, non revertar*: Experiri tamdem promiſit; & quum deſcendiſſet, ultra non comparuit hominum viſui. Reminiſcor, quòd dum puer eſſem, audire conſuevi matres, dum puerulis vagientibus terrorem vellent incutere, hunc eis Nicolaum ad memoriam reducebant.

CAP. XLIX.

De rudibus in Italia ritibus.

PEr hæc tempora rudes erant in Italia ritus & mores. Nam viri inſulas de ſquammis ferreis capite geſtabant inſutas biretis, quas Majatas appellabant. In cœna vir & uxor una manducabant paropſide. Uſus inciſorum ligneorum non erat in menſis. Unus vel duo ſcyphi erant ad potum in familia. Nocte cœnantes menſas facibus illuſtrabant, tenente facem uno puero vel ſervo; nam candelarum de ſepo vel de cera uſus apud eos non erat. Viri chlamydibus pelliceis ſine operimento, vel laneis ſive pellis & inſulis de pignolato utebantur. Feminæ nubentes tunicis de pignolato veſtiebantur. Viles tunc erant cultus virorum & feminarum. Aurum & argentum rarum, vel nullum erat in veſtibus. Ciborum lautitiâ homines plebeji ter in ſeptimana carnibus recentibus veſcebantur. Tunc prandio edebant olera vel legumina cum carnibus cocta. Cœnam autem ducebant ipſis carnibus reſervatis. Non omnibus erat uſus vini æſtate. Modicâ numorum ſummâ ſe locupletes reputabant. Parvæ tunc erant cellæ vinariæ. Horrea non ampla habebant, promtuariis contenti. Modica dote nubebant feminæ, quia earum cultus tunc erat parciſſimus. Virgines ante nuptias tunicâ de pignolato, quæ dicebatur *ſottanum*, & paludamento lineo, quod *ſoccam* dicebant, erant contentæ. Ornatus capitis non pretioſus erat virginibus. Matronæ vittus latis tempora & genas cum mento vittabant. Virorum gloria erat eſſe armis & equis locupletes. Nobilium locupletum gloria erat turres excelſas habere, quo tempore Urbes Italiæ turribus inclytæ viſebantur. Nunc verò præſenti laſciviente ætate multa inhoneſta ſunt inducta rebus priſcis; verùm plurima ad perniciem animarum. Mutata eſt enim parſimonia in lautitiam: veſtimenta quoque materia & artificio exquiſito, nimioque ornatu cernuntur. Illic argentum, aurum, margaritæ mirè fabricata, phrygia latiſſima, fulcimenta veſtium ſerica, vel varia, pellibus exoticis, ideſt peregrinis, ideſt pretioſis. Irritamenta gulæ non deſunt. Vina peregrina bibuntur. Ferè omnes ſunt potatores in publico. Obſonia ſumtuoſa. Eorum magiſtri coquinarii habentur in pretio magno. Omnia ad gulæ irritamenta & ambitionis quæruntur. Ut his ſuppeditari poſſit, avaritia militat. Hinc uſuræ, fraudes, rapinæ, expilationes, prædæ, contentiones in Republica. Vectigalia illicita, innocentum oppreſſiones, exterminia civium, relegationes locupletum. Verùm deus noſter eſt venter noſter: pompis, quibus renuntiavimus in Baptiſmo, inſiſtimus, facti adeò transfugæ ad hoſtem generis noſtri. Bene autem Seneca morum cultor Libro Declamationum noſtra tempora deteſtatur his verbis: ait enim: *In deterius quotidie res data eſt: omne enim certamen ad turpia. Torpent ecce ingenia deſidioſæ juventutis, nec in alicujus rei honeſtæ labore vigilatur. Somnus & languor, ac ſomno & languore turpior malarum rerum induſtria invaſit animos. Cantandi, ſaltandi quoque obſcœna ſtudia effeminatos tenent: capillum frangere, ad muliebres blanditias extenuare vocem, mollitie corporis certare cum feminis, & immundiſſimis ſe excolere munditiis noſtrorum adoleſcentum ſpecimen eſt.* Hac igitur morum diſcrepantia, ſive mutati ne illorum ſopitur aſſertio, qui antiquitati præferendos vel comparando adſtruunt eſſe modernos. Contra quos etiam Furii Albini antiquitatis periti ſententia poteſt adduci, quam recitat Macrobius Saturnalium Libro. *Vetuſtas quidam ait, nobis ſemper, ſi ſapimus, adoranda eſt. Illa quippe ſecula ſunt, quæ hoc Imperium* (Romanum ſcilicet) *vel ſanguine, vel ſudore nobis pepererunt, quod non niſi virtutum faceret ubertas. Sed quod fatendum eſt, in illa virtutum abundantia vitiis quoque illa ætas non caruit. Divitiæ autem, ut ait Titus, avaritiam induxerunt & luxum.*

CAP. L.

De Michaile Scotto Aſtronomo.

MIchael Scottus Aſtronomiæ peritus hoc tempore agnoſcitur, imperante juniore ſcilicet Friderico. Hic, ut fertur, quum comperiſſet ſe moriturum, lapillo certi ponderis parvi excogitavit novam capitis armaturam, quæ vulgò *cerebrerium* ſive *cerobotarium* appellatur, qua jugiter caput munitum habebat. Quadam autem die dum in Eccleſia hora ſacrificii in oſtenſione videlicet ſive elevatione Dominici Corporis caput ea munitione pro reverentia ſolita exuiſſet, lapillus fatalis in caput ejus decidit, atque illud ſauciavit puſillum. Quo bilance penſato, & tanti ponderis invento, quanti timebat, certus mortis diſpoſuit rebus ſuis, eoque vulnere poſt modicum fati legem implevit. Ejus igitur occaſu, modo, quo dictum eſt, præcognito, verificatum in eo cernitur verbum Flavii Joſephi diſertiſſimi Hiſtoriographi, qui ait: *Fatum homines vitare non poſſunt, etiamſi praviderint.* Michael iſte dictus eſt ſpiritu prophetico claruiſſe. Edidit enim verſus, quibus quarumdam Urbium Italiæ ruinam, varioſque prædixit eventus.

CAP. LI.

De obſidione Ferrariæ & ejus deditione.

ANno Domini MCCXL. Gregorius de Monte-Longo Legatus in Italia a Gregorio IX, Papa

Papa conſtitutus, ut Imperatoris & fautorum ejus obviaret conatibus, nec non & Dux Venetiarum, ac Bononienſes, Mantuani, & exules Ferrarienſes cum eorum Duce Azzone Marchione Eſtenſi Ferrariam obſederunt. Anno enim præterito Imperator Fridericus Paduam veniens, ſpretis eodem Azzone & Rizardo Comite Sancti Bonifacii, cum Ecellino de Romano, ac Salinguerra de Ferraria ſanxerat fœdus. Manſerunt autem in obſidione à Calendis Februarii uſque ad Calendas Junii. Venetis autem obſidendæ Urbis alia ſuberat cauſa. Nam quum Veneti navi una lunga diſcurrerent per ora Padi, quibus mare ingreditur, & prohiberent naves peregrinas cum mercibus Ferrariam commeare, Salinguerra præſidio equitum quingentorum ab Imperatore datorum, & ferè univerſæ plebis Civitatis ejuſdem, eam tutabatur. Diu impugnationibus, maximè navalibus, & machinis actum eſt. Nullæ erant in Civitate Baliſtæ. Plures ex potentibus Civitatis animo clam a Salinguerra ad hoſtes deſciverant. Perſuaſum fuit Salinguerræ, ut aut trucidari ſineret, aut vinculis arctari. Neutrum fieri voluit: erat enim vir quaſi octogenariu, prudens in rebus. Erat quoque in ea Civitate vir ab eo ſecundus potentia Hugo de Rambertis factionis illius. Huic ab hoſtibu promiſſa ſunt plurima. Quoniam ſi pax fieret, ipſe utriuſque factionis favore fultus præſtaret ceteris. His fidem adhibens ait Salinguerræ, ſe proſu pacis frui velle, ne fruges ultantis anni perderet, & ut parvum præſidium, quod in oppidulo ſui ruris locaverat, ſervaret incolume. Cui ait Salinguerra: *Ego ſiquidem pacem præopto maturam; ſed non eam, qua hoſtes nobis ſuperiores, freti tot præſidiis inimiciſſimis nobis, hac Urbe eo animo potiantur, ut ſe victores putantes, audeant impunè quæcumque ira, odium, & libido ſuaſerit perpetranda. Ceterum ſi conciver exules viribus nobis pares admitterentur intus mœnia, mihi non eſſent timori.* Tunc ille, qui à Salinguerra in primatu ſecundus erat, maxima clientela, illectus pollicitis multis ab iis, quorum intererat, ut voti compotes eſſent, montes aureos polliceri; *Volo*, inquit, *omnino hanc Civitatem pace gaudere*. Cui Salinguerra: *Si hanc pacem præoptas, abnuere profecto nequeo: nam hoſtes potentiſſimi ſunt extra mœnia. Plurimi quoque civium intus cohabitantium hoſtibus animo favent. Tu qui hactenus propugnator fuiſti, nunc deficis. Fiat igitur, ſicut optas. Verum hoc ſcito, quòd hujus pacis gladio mihi genitalia, tibi verò nares abſcindis. Ego quidem genitalibus abſciſſis operimentum honeſtè prætendam. Tu verò faciei deformationem naſo reſecto velare non poteris.*

Acto igitur de pace, Salinguerra venit in caſtra, data fide reditus. De pace non concordatur. Redit ille in Civitatem. Tunc obſidentes inter ſe ajunt: *Imprudenter egimus; retinendus erat vir iſte. Agatur denuo, & quæcumque petit, promittantur. Polliceitur res noſtræ non pereant. Conveniatur iterum, nec dimittatur, niſi nobis pateat Urbis ingreſſus.* Quum horum perſuaſor eſſet Gregorius de Monte-Longo Apoſtolicæ Sedis Legatus, quæ contra Deum, & bonos mores, ac jus gentium erant, Azzo Eſtenſis Marchio ſcelus abhorrens, irritam fidem facere recuſabat. Qui nihilominus Legatus in fraudis conceptum totus exæſtuans, conſulebat, ac perſuadebat inſtanter, ut juramenti fide, ac honeſto calcato, quod utile ſibi foret, amplecteretur, ut ſolùm poſſet urbe potiri, Salinguerra dumtaxat excluſo. Vocatur itaque iteratò Salinguerra, fide ut priùs data, ad doloſæ pacis compoſitionem in caſtra. Acceſſit. Quæ petit, promittuntur. Firmantur promiſſa. Pactum fuit, ut Salinguerra cum ſuis in domo ſua conſervaretur conditionibus æquis, nec quidquam injuriæ cuiquam fieret: ſed utraque pars æqua pace conviverent. Secundùm igitur pacta Legatus, Dux Venetorum, Poteſtas Bononienſium, Azzo Marchio cum omni comitatu caſtrorum ſe cum Salinguerra in Civitatem perducunt, & atrium ejus petunt directè, ut fidem ſervare viderentur, qua promiſerant eum incolumem in domum ſuam traducere & ſervare. Tandem à cunctis in aula diſcumbitur. Vinum de more miſcetur, Fit aliquandiu ſermo feſtivus ac jucundus. Mox Paulus Traverſaria Princeps in Ravenna in conventu ſurgit, orat, auditur. Salinguerram in multis accuſat. Quo finem verbis dante, ſurgit Salinguerra; ab objectis ſe purgat; illata refellit. Tunc multi iterum iterumque pedibus ſtrepere incœperunt, ne poſſet audiri. Quod ut Salinguerra vidit, animo æger & tabidu, certus de eo, quod ſibi futurum ſuſpicatus fuerat, locum ſeſſioni petit. Tunc omnes ſubſellia & aulam deſerunt. Secum Salinguerram ducunt ad flumen Padum. Veneti eum navi impoſitum traduxere Venetias, & carceri mancipaſunt, ubi terminum vitæ dedit. Hugo pacis ſuaſor in Civitate remanſit. Sed quum poſt paucos dies conſiliis ſecretis non admitteretur, animo tabuit. Ruri tandem relegatus, inde metu necis abſceſſit. Ceteri ejus factionis conſortes conſternati diffugiunt. Quidam noctibus impetuntur. Non ſolùm autem Hugo ipſe in exilio dies malos conſumſit, verùm omnis ejus proſapia uſque in præſentem diem natali ſolo privatur. Hæc autem contigerunt ſuaſu Apoſtolicæ Sedis Legati Gregorii de Monte-Longo. Eo Anno Fridericus Urbem Ravennam obtinuit, defuncto Paulo Traverſaria ſuperiùs memorato. Eo Anno apud Cremonam facta eſt tempeſtas maxima, ceciditque lapis grandinis, in quo erat Crux & imago Salvatoris expreſſa, deſuper quo literis aureis ſcriptum *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*; & cecidit in Monaſterio Sancti Gabrielis. Et de aqua in qua liquefactus eſt lapis, inunxerunt Monachi oculos cujuſdam Fratris ſemicœci, qui ſtatim clarè vidit.

CAP. LII.

De Leone Archiepiſcopo Mediolanenſi.

LEo Archiepiſcopus Mediolanenſis hoc Anno ſedere cœpit, manſitque in Archiepiſcopatu Annis XVI. menſibus IV. Hic fuit ex proſapia Valvaſorum de Perego, natione Mediolanenſis, & de Ordine Minorum ad Archiepiſcopatum aſſumtus. Toto tempore animoſus & optimus ſermocinator, libertatis & nobilitatis cuſtos; ſepultus eſt in Eccleſia Sancti Salvatoris de Lignano.

CAP. LIII.

De deſtructione Hungariæ.

ANno Domini MCCXLII. gens Tartarorum, occupatis Orientalibus partibus, & crudeliter ſubactis, in duo agmina ſe dividentes, Hun-

Hungariam & Poloniam intraverunt, ubi campeſtri bello cum ipſis habito frater Regis Hungariæ, Dux Colomanus in Pannonia, & in Polonia Nobilis Dux Seſeciæ Henricus occiditur. Reliquum verò vulgus tam in viris, quàm mulieribus, quos invenire potuerunt, in ore gladii exterminantes, ſic Terras illas, maximè Hungariam, redegerunt in ſolitudinem, ut præ fame valida matres puerorum ſuorum carnibus vel.e-rentur, & plerique pulvere cujuſdam montis pro farina uterentur.

A

CAP. LIV.

De puero mirabili.

ANno Domini MCCXLVII. inter Lugdunum & Viennam ſuper *Rhodanum* in villa, quæ dicitur Baohm, natus eſt puer habens barbam, caput, capillos, pecten, & virilia ad modum hominis trigenarii, & vixit circiter duos annos. Anno ſequenti fuit Panormi terribilis terræmotus.

Explicit Liber Secundus.

IN-

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De initio Imperii Conradi Quarti.

Conradus, defuncto Friderico Imperatore hujus nominis II patre ſuo, accepit Imperium, Anno ſcilicet Incarnationis Dominicæ MCCLI. qui fuit ab origine Mundi Annus Sexies milleſimus ducenteſimus octavus ſecundùm Eccleſiam, ſecundùm verò Hebraicam veritatem Quinquies milleſimus . . . . Tenuitque illud annis ſerme duobus, in arcu tamen & pharetra. Nam quum ortâ inter nonnullos Romanos Pontifices, & ipſum Imperatorem Fridericum, damnoſæ contentionis diſcordiâ, Innocentius Papa hujus nominis IV. depoſitionis in eumdem Fridericum ſententiam protuliſſet in Concilio Lugdunenſi, Anno ſcilicet Domini MCCXLV. qui fuit annus Imperii ejuſdem Friderici XXXIV. Lantgravius Thuringiæ in Germania Princeps, operatione ejuſdem Innocentii, eligitur Imperator Anno ſequenti, & contra ipſum Conradum duxit exercitum. Demum Anno altero migravit à ſeculo. Poſt quem Wilelmus Hollandiæ Comes eligitur Imperator, & Aquiſgrani coronatur in Regem Alemanniæ. Sed Anno V. Regni ſui à Friſonibus in Glacie eſt occiſus, qui fuit Annus Domini MCCLV. Quo mortuo, ut dictum eſt, quidam Alemanniæ Principes Ricardo fratri Regis Anglorum, quidam verò Regi Caſtellæ adhæſerunt. Sed Ricardo prævalente, Aquiſgrani in Regem Alemanniæ coronatur Anno Domini MCCLVI. Et hi tres imperiali benedictione caruerunt. Similiter & Conradus, qui tamen patre adhuc Friderico vivente & imperante, & de ipſius beneplacito, quamquam eſſet ſecundogenitus, poſt videlicet Henricum primogenitum ſuis demeritis ſimili ordinatione privatum, in Regem Romanorum, & futurum Imperatorem per Principes Imperii Electores apud Viennam fuit electus ſolemniter, cujus electionis tenor ſequitur in hac forma.

CAP. II.

Electio Conradi in Romanorum Regem.

„ EXſpectatio gentium Jeſus Chriſtus, quem mittendum ſæpe Prophetarum oracula prædixerunt, auferens ſceptrum de Juda, & ligans ad vineam pullum ſuum, hoc eſt ad novæ plantationis Eccleſiam Romanum Imperium alligans, & in ipſius clypeo tutelam noſtræ Fidei poſitam, manifeſtiſſimè præſagivit. Probat hoc clariùs frequentium rerum eventus, interpres eujuslibet, & probatio certa præſagii, dum nedum Imperio patiente naufragium, ſed mirante ſolummodo ſpumoſis incurſibus procellarum, interdum Hæreſum germina, quæ materialis Imperii ferra non reſecat, in demolitionem vineæ Domini Sabaoth perniciosè ſuccreſcunt. De inexcuſabili itaque negligentiæ vitio manifeſtiſſimè convincitur, quod tam nobile Fidei ſulcimentum qualibet hominis proviſione non adjuvat, ſed conquati patitur, quaſi Fidem non diligat, qui Fidei negligit armaturam. Nec tamen ad

A

quorumcumque Fidelium culpam aut notam juſtè reducitur, ſed illorum potiſſimè negligentia condemnatur, ad quos divina ſententia ſeu more major vis & auctoritas proviſionis hujus pertinere noſcuntur. Nam quamquam in urbis initiis poſt memorabile Trojanorum exitium, & deletam tam inclytam Civitatem, apud illius congregationis patres ſumma Regni poteſtas & Imperialis creationis ſuffragium reſideret: ex ſucceſſivis tamen & continuis incrementis Imperii, poſtmodum caleſcente virtute, tantæ fortunæ faſtigium apud unicam Civitatem, licèt præ ceteris Regiam, non potuit contineri. Sed poſtquam etiam remotiſſimos terminos quadam girovaga peregrina-

B

tione luſtravit, tamdem apud Germaniæ Principes, non minùs probabili, quàm neceſſaria ratione, permanſit, ut ab illis origo prodiret Imperii, per quos ejuſdem utilitas & defenſio procurantur. Quum igitur nos Sigiſridus Maguntinenſis, Theodericus Treverenſis, & Beurardus Colonienſis Archiepiſcopi, Gerbertus Bambergenſis, Sigiſridus Ratiſponenſis Imperialis Aulæ Cancellarius, Friſingenſis, & Pataviensis Epiſcopi, Otto Palatinus Comes Rheni, Dux Bavariæ, Venceslaus Rex Bohemiæ, Henricus Lantgravius Thuringiæ, & B. Dux Carinthiæ Principes, qui circa hæc Romani Senatoris locum accepimus, qui patres & Imperii lumina reputamur, coram tre-

C

mendo Judice de cura tantæ villicationis oporteat reddere rationem, nobiſcum ſolicita meditatione penſantes, quòd tantum negotium non tam fortis judicio, quàm induſtria proviſionis indigeat; illud etiam diligentiùs attendentes, quòd poſt unius Regnantis occaſum interſtitium temporis inter prædeceſſoris obitum, & plenum dominium ſucceſſoris, quod Interregnum antiquitus veteres appellabant, grande poſſet Imperii & Catholicæ Fidei maximum afferri diſcrimen, prævenire ſalubrius tempus eligimus, quàm diſpendium temporis exſpectare. Nam licèt per vires, induſtriam, & labores excellentiſſimi Domini noſtri Friderici Romanorum Imperatoris ſem-

D

per Auguſti, Hieruſalem & Siciliæ Regis, cujus vitam & Imperium cupimus, ſatis ad præſens Imperio ſit proviſum: quia tamen præeminentia dignitatis longioris vitæ beneficium Regibus non concedit, præſentis vitæ lubricum meritò formidantes, ipſo vivente ſalubriter & regnante feliciter, de Succeſſoris nobis electione providimus, ne per ejus interitum juſtitia diminutionem ſtatus pateretur, imperium, & tranquillitas interiret.

„ Et quum de ſubſtituenda perſona diligenti meditatione nobiſcum & ſolicitè penſaremus, præteritorum proviſio ſalubre conſilium præ-

E

buit in futuris. Conſiderationibus etenim noſtris occurrit, qualiter Divi Cæſares progenitores Imperatoris ejuſdem, qui longis retro temporibus Imperio præfuerunt, non ſolùm ut domini, juſtitiæ ſolium in ſtyre tenuere, ſed tamquam patres Imperii paternæ dilectionis zelum ad omnes & ſingulos habuerunt: qualiter nec perſonarum periculis, nec rerum parcendo diſpendiis, & plerumque per dura bellorum diſcrimina, Imperii noſtri fines in citramarinis & tranſmarinis partibus produ-

,, xerunt : propter quod parentum laboribus
,, fraudari filios noſtri noluere majores. Nos
,, ipſorum veſtigiis laudabiliter inhærentes,
,, præſentem Imperatorem, quem in exaltatio-
,, nem Romani nominis & dignitatis Auguſtæ
,, prædeceſſorum ſuorum verum ſucceſſurem
,, agnoſcimus, & filium experimur, in ſobole
,, ſua ſimili retributione decrevimus honorare:
,, ut dum filium ejus ex nunc in futurum Impe-
,, ratorem noſtrum poſt ejus mortem aſſumimus,
,, juſtè pro Imperio hactenus laboraſſe ſe gau-
,, deat, laboretque libentiùs amodo, velut la-
,, borum ſuorum fructum non relicturus extra-
,, neo, ſed omni voto parentum filio paraturus.
,, Sicque nos, inſpirante nobis tam ſalubre con-
,, ſilium gratia Summi Regis, ad voluntatem &
,, preces ejuſdem Domini noſtri Imperatoris,
,, apud Viennam unanimiter vota noſtra contu-
,, limus in Conradum antedicti Domini Impe-
,, ratoris filium, Regni Hieroſolymitani legiti-
,, mum ſucceſſorem. Eligentes ipſum ibidem in
,, Romanorum Regem, & in futurum Impera-
,, torem noſtrum, poſt obitum patris haben-
,, dum; ac etiam fide data eidem Domino Im-
,, peratori ſacramento firmavimus, quòd Con-
,, radum præfatum à nobis in Regem electum
,, poſt mortem prænominati patris ſui Dominum
,, & Imperatorem noſtrum habebimus, eidem
,, in omnibus, quæ ad Imperium & jus Im-
,, perii pertinent intendentes; ſibique jurabimus
,, fidelitatem eidem, pro ut eſt moris & juris
,, Imperii ſacramenta præſtantes, ac ad obti-
,, nendum ſolemniter Imperii diadema, ſibi, pro
,, ut de jure tenemur, conſilium & auxilium
,, impendemus. Et licèt Henricum primogeni-
,, tum ſuum pridem nobis in Regem ſimili pro-
,, viſione duxerimus eligendum; quia tamen
,, quum in honore foret, non intellexit, ſed ab
,, Aquilone ſedem ſibi conſtituens, contra pa-
,, trem loco tanti regiminis ſe monſtravit indi-
,, gnum, juſto patris judicio, & ejus ultronea
,, voluntate, quam ſibi conſcientia propriæ
,, tranſgreſſionis ingeſſit, ab eodem Henrico
,, ſacramento ſoluti, quod de electione ſua
,, ſimiliter feceramus, Henrico, Conradum
,, velut David Sauli ſancta deliberatione provi-
,, dimus ſubrogandum. Ad cujus rei memoriam
,, &c. Interfuerunt ſimiliter . . . . . . Patriar-
,, cha Aquilejenſis & alii quamplures &c.

CAP. III.

Epiſtola Conradi Regis, per quam Manfredo fratri ſuo ejus in Italiam adventum ſignificat.

NUntiata igitur Conrado præfato ſui genitoris morte, dum eſſet in Germania, compoſitis ibi Regni, & Imperii negotiis, ad partes Italiæ, & maximè in Regno Siciliæ venire diſpoſuit. Quem quidem adventum Manfredo fratri ſuo his literis nuntiavit.

,, Conradus Dei gratiâ in Romanorum Re-
,, gem electus, ſemper Auguſtus, Hieruſalem
,, & Siciliæ Rex, cariſſimo fratri ſuo Manfredo
,, Principi Tarentino, honoris Montis Sancti An-
,, geli Domino, ac in eodem Siciliæ Regno ſuo
,, Bajulo generali &c. Nuntiata nobis nuper in
,, Germaniæ partibus, in quibus dirigente dex-
,, tera Domini greſſus noſtros contra inimicos
,, & rebelles Imperii omnia juxta votum &
,, deſiderium noſtrum feliciter agebamus, ama-
,, ra morte glorioſiſſimi & ſereniſſimi Cæ-
,, ſaris patris noſtri, qui nec ante ſe ſimi-
,, lem habuit, nec creditur habere ſequen-
,, tem, quantum & qualiter nos primùm, &
,, deinde Principes, & alios Imperii Nobi-
,, les & Magnates dolor inæſtimabilis in intimis
,, cordis afflixerit, ſatis advertere fraternitas
,, tua poteſt, quum non ſolùm humana natura
,, tam crudelem & irreparabilem caſum lugeat,
,, verumetiam Eccleſia. Sanè quum divina po-
,, tentia nos ex conceſſione paterna poſt mortem
,, ipſius tam ad Imperii culmen, quam ad Re-
,, gni Siciliæ regimen duxerit erigendos, &
,, te, & alios fratres noſtros nobis reliquerit
,, laborum noſtrorum participes, & conſortes
,, honoris & oneris, ut in vobis velut in fratri-
,, bus conſolemur: fraternitatem tuam nolumus
,, ignorare, quòd nos indicto ſtatim generali col-
,, loquio apud Auguſtam, ubi omnes Imperii
,, Principes duximus evocandos, negotiis noſtris
,, & Imperii de ipſorum conſilio ſalubriter ordi-
,, natis, relictoque cariſſimo ſocero noſtro Duce
,, Bavariæ & Comite Palatino Rheni ſuper om-
,, nibus noſtris & Imperii negotiis loco noſtri,
,, ecce quòd cum celeritate & ſine intermiſ-
,, ſione qualibet, continuatis dietis, partes Ita-
,, liæ & Regni Siciliæ, quod inter alias omnes
,, Terras eſt noſtra hæreditas pretioſa, petere
,, ordinavimus feſtinanter. Datum &c.

CAP. IV.

De Conrado Rege Siciliæ, & ejus morte.

DEnique idem Conradus Anno primo Regni aſſumti, qui fuit Annus Domini MCCLI. Germania egreſſus, per Veronam in Apuliam tranſivit navigio. Mox Anno Domini MCCLIII. Neapolim obſedit, qua expugnata, muros ejus funditus evertit. Sed quum potitus eſſet Regno Siciliæ, tandem duobus annis in Regno completis, infirmitate correptus XIII. Kalend. Junii exſpiravit. Aliquorum fuit opinio, quòd exhibitione veneni fuerit extinctus. Qui filium Conradinum nomine Regni ſucceſſorem reliquit.

CAP. V.

De Manfredo Rege Siciliæ, qualiter Regnum accepit, & de Papæ proceſſu contra eum.

MAnfredus Imperatoris Friderici Secundi ex concubina filius, Princeps Tarentinus, honoris Montis Sancti Angeli Dominus, defuncto Conrado fratre ſuo Romanorum & Siciliæ Rege, Regnum ipſum Siciliæ accepit, & XIII. annis regnavit. Hic fratre ſuo Conrado vivente in eodem Regno Siciliæ generalis Bajulus erat ejus, ſicque ipſo Conrado defuncto, & Conradino ejus filio, & in Regnis hærede, ut aliqui referunt, ab eodem Manfredo literis, & Nuntiis mendaciter publicato (erat enim tempore mortis patris ſui Conradi in Alemannia) Siciliam, Apuliam, Calabriam, & magnam partem Italiæ, diffidente ab eo Eccleſia, obtinuit, ſibique coronam aſſumſit, quem Raynaldus Agrigentinus Epiſcopus in Regem inunxit. Quod factum quia in præjudicium Eccleſiæ videbatur, Alexander Papa hujus nominis IV. graviter ferens, primò ipſum Manfredum excommunicationis involvit ſententia. Demum contra ipſum magnus, ſed in nullo proficiens, exercitus mittitur. Aggravans præterea idem Pontifex ſuos in eumdem Manfredum proceſſus, ipſum, eo quòd non ſolùm Regnum Siciliæ, ſed & Marchiam Anconitanam occupavit, niſi in certum tempus occupata

A pata dimitteret Eccleſiæ Romanæ, anathematizavir, & quicquid circa Regni collationem actum extiterat, annullavit. Agrigentinum Epiſcopum, quia eum inunxit in Regem, & excommunicavit, & anathematizavit, & ab omni Epiſcopali dignitate omnique officio & beneficio finaliter & ſententialiter depoſuit, ac etiam degradavit. Surrentinum quoque Archiepiſcopum, & Abbatem Montis Caſini, ab Eccleſiæ Surrentinæ, & ab ejuſdem Monaſterii regimine, pro eo quòd unctioni & coronationi interſuerunt, amovit. Salernitanum, Acherontinum, Montis-Regalis Archiepiſcopos, qui eidem Manfredo coronam impoſuerunt, ipſumque in Regni ſolio Panormi inthronizarunt & introduxerunt, simili-
B ter excommunicavit, & anathemati ſubjecit. Tamdem Urbanus hujus nominis IV. Alexandri ſucceſſor Anno Domini MCCLXIII. Carolo Comiti Provinciæ fratri Ludovici IX. Franciæ Regis, quem poſtea Bononiæ Papa canonizavit, ipſum Regnum Siciliæ, ut illud à Manfredo eriperet, contulit. Carolus igitur Anno Domini MCCLXV. Menſe Januario, jam compoſito cum Eccleſia Romana, ut dictum eſt, parvo comitatu, navi per mare clam appulit Romam, & fœdus cum Eccleſia ſanxit, factuſque Romanorum Senator cruce-ſignatur. Eodem Anno menſe Septembri cometes Stella tam notabilis apparuit, qualem antea ſe vidiſſe nullus tunc vivens meminerat. Ab Oriente enim cum magno ſulgore fugens
C uſque ad medium hemispherii versùs Occidentem comam perlucidam protrahebat. Quæ licèt multa ſigna portenderet, ut ſubſequentia docebunt, eadem tamen nocte qua idem Urbanus Papa fatalem conditionem exſolvit, diſparuit. Ab Occidente quoque erat ei cauda fumea deſinens in acutum longitudine haſtæ militaris. Sequenti menſe Decembris exercitus Francorum, duce Comite Flandriæ Caroli ejuſdem genero, Ferrariam tranſien perrexit Bononiam in auxilium Caroli, qui tunc in ea urbe degebat.

CAP. VI.

De prœlio inter Manfredum, & Carolum,
D *& morte Manfredi.*

DEmum anno ſequenti, qui fuit Annus Regni Manfredi XIII. & ultimus, Incarnationis verò Domini MCCLXVI. primâ ſextâ feriâ menſis Martii, idem Carolus ſupranominatus à Clemente Papa hujus nominis IV. ſucceſſore Urbani in Regem Siciliæ coronatur. Qui poſtmodum Thuſciam, Campaniam, Apuliam, Calabriam, Siciliam, & magnam partem Italiæ ſibi & Eccleſiæ ſubdidit. Manfredus igitur his cognitis, quòd ſcilicet Papa Carolum Regem Siciliæ ordinaverat, ſe contra eum parat ad prœlium. Carolo verò ſuas educente copias in agro Beneventano, acie dirè pugnatur. Dum pugna
E conſeritur, Comes de Caſerto, & Thomas Comes de Acerra, viri ſororum Manfredi, eo relicto, ut compoſitum fuerat, cum ſuis aciebus prœlio intentato aufugiunt. Manfredus, quum ſibi perſuaderetur, ut prœlio cederet, & fuga ſibi conſuleret, *Malo*, inquit, *hodie mori Rex in acie, quàm vivere exul & calamitoſus*. Et procedens cum ſuis fortiſſimis pugnando, aliquandiu hoſtibus obſtitit. Equus, cui inſidebat, transfixo oculo pugione, inſurgens dolore ſuper circumſtantes equos defertur. Rex ipſe pugione ilia & frontem confoſſus, equo delabitur, pedibus equorum proteritur. Dehinc pugna declinat. Victor Carolus hoſtes cædit & fugat. Par-

A tâ victoriâ cadavera ſpoliantur: edicto à Carolo, ne quis cadavera humet, quoaduſque de Manfredo aut vivo aut mortuo veritas haberetur. Dehinc die tertia cadaver Manfredi à ſtratore equi ejus ſervato, ut conderet ſepulturæ, nuntiatur Carolo ab illo, & ad ſepulturam poſcitur. Allatum in caſtra agnoſcitur. Mox ignobili ſepulturæ mandatur. Nam Carolus juſſit ſcrobem fieri ſecus Pontem quemdam, ibique humari corpus ritu vilium hominum. In quo verè, quum non ſit vindicta ad mortuos, generoſitati ſuæ idem Carolus plurimùm derogavit. Scribit autem idem Carolus in quibuſdam ſuis literis, quas Papæ Clementi hujus nominis IV. ſuper hoc conflictu direxit, quòd dum ipſe Ca-
B rolus audiviſſet, Manfredum ipſius hoſtem publicum à Sancto Germano per Terram-Laboris ſe tranſtuliſſe Beneventum, ipſe Carolus per Aliphanos & Theleſinos campos contra ipſum Manfredum proceſſit. Sicque die Veneris XXVI. menſis Februarii Anni Domini MCCLXVI. Nonæ Indictionis, ipſe Carolus ad quemdam montem pervênit, unde ſubjectus & admodum patens campus ordinatas jam hoſtium acies oſtendebat. Inſtructis igitur copiis & cuneis ex adverſo ad pugnam proceſſit. Et quum per magnam horam fuiſſet utrimque pugnatum, cedentibus duabus prioribus Manfredi aciebus, reliquæ ſe fugæ retro commiſerunt. Facta eſt itaque ibidem hominum tanta
C ſtrages, ut campus celaretur oculis ex ſuperjacentium corporibus occiſorum. Magnum quoque captivorum numerum ad carceres Caroli bellicus eventus adduxit, inter quos Jordanus, & Bartholomæus dictus Simplex, dicti Comites, eorumque fratres, necnon Petrus Aſini de Ubertis Florentinus Ghibellinæ factionis auctor. De Manfredo autem, quia verbo invaleſcente de caſu ejuſdem incerto, cujus etiam dextrarius, cui inſediſſe dicebatur, retentus extiterat, tamdem inter mortuorum corpora inveſtigari fecit Carolus, eumque repertum Ricardo Comiti Caſertano, qui fidelis erat Caroli, & prædictis Jordano, & Bartholomæo captivis, aliiſque, qui eum familiariter noverant & tractaverant,
D dum vivebat, fecit oſtendi. Quo ab eis recognito, idem Carolus corpus ipſius cum quadam honorificentia, naturali pietate inductus, ſepulturæ non tamen Ecaleſiaſticæ tradi fecit apud Pontem Valentinum extra mœnia Beneventi.

Hac igitur parta victoria Carolus toto ſtatim potitus eſt Regno. Quum autem Nobiles, qui in prœlio ceciderant, ſcilicet Comites Jordanus, & Bartholomæus, & Petrus Aſini, Manfredi quondam ſtrenui pugnatores, quos Carolus captos prœlio, ut dictum eſt, in Galliam direxerat, diu carcere macerati eſſent, fugam meditati cuſtodes occiderunt. Fugientes igitur comprehenſi ſunt, & ſignificato Carolo Regi negotio, mandavit, ut ſingulis ſiniſtri pedes & ma-
E nus dextræ abſcinderentur, atque oculi evellerentur. Poſt hæc anno ſequenti juſſu prædicti Caroli decollantur. Alibi dicitur, quòd mortem ſibi inedia conſciverunt. Hoc modo Manfredus vita privatur & Regno, qui dignitate ſpectabilis, divitiarum opulentia fœcundus, ſolatiorum amœnitate jucundus, cunctos regnans una & ſumma liberalitate reſpexit, & qui in omnibus ingenio arguto & univerſis benefico, Tito Veſpaſiani Auguſti filio viſus fuit jure potuiſſe conferri. Ipſe enim Titus virtutum omnium vir adeò fuit, ut deliciæ humani generis diceretur. Manfredus iſte in quadam ſua Epiſtola, quam ſcripſit Senatui, Populoque Roma-

no, probare nititur, quòd Romana Eccloſia non A
habet ſe intromittere ad coronandum, ſeu dan-
dum cuiquam Imperii diadema; ſed tamen Urbs
Roma maxima Mundi caput hoc tantum habet
conferre auctoritate ſui Senatus, Proconſulum,
& Communis. Epiſtolæ autem tenor ſi. incipit:
,, Armonia cœleſtis imperii ſuæ cunctipotentiæ
,, folio ſingula conceſſit Papæ diſpenſationis ar-
,, bitrio &c. *Et infra*. Ceſſent (*) itaque,
,, ceſſent Romanæ Prælati Eccleſiæ falcem eo-
,, rum mittere in ſegetem alienam. Quoniam
,, non eſt eorum agere, quod dictum Cæſari
,, reperitur: *Ecce do tibi meum imperium &*
,, *gladii poteſtatem*. Quum & alibi ſcriptum
,, ſit: *quæ Dei ſunt Deo: quæ autem ſunt Cæ-*
,, *ſaris, reddantur Cæſari*. Quamquam igitur B
,, poſt mortem Divi Auguſti progenitoris noſtri
,, contra Deum & juſtitiam hoc uſurpare ten-
,, taverint Romanæ Prælati Eccleſiæ, de piis
,, impii, de ſanctis iniqui, de pacificis bellici
,, enormiter transformati, quum hoc non poſ-
,, ſint nec debeant quoquo modo, ut factorum
,, practica, & juris theorica comprobatur. Nam
,, ille improvidus Conſtantinus tentans Sacerdo-
,, tibus ſubmittere alienum, nullius ſervitutis
,, characterem imponere potuit futuris Impera-
,, toribus, quibus ſolummodo judicare, non au-
,, tem leges imponere concedit, Codice de....
,, Lege. *Digna vox*: quum etiam par in pa-
,, rem nullum imperium habeat, ut jure legi-
,, tur Digeſtorum ff. *de arbitris* l. *nam & ma-* C
,, *giſtratus*. Præterea quum Auguſtum ab au-
,, gendo dici mandaverit legiſlator, jam dicto
,, Conſtantino donante, non autem, ut teneba-
,, tur, Imperium adaugente, fuit donatio illa
,, nulla, quum & juris alieni donatio in præju-
,, dicium domini, vel cujus intereſt, nullius ju-
,, ris valletur auxilio, ſi Digeſtorum & Codi-
,, cis volumina exquirantur. Verè quippe ve-
,, locitati ventorum tradiderunt Romanæ Præ-
,, lati Eccleſiæ vocem angelicam tunc dicentem:
,, *Hodie diffuſum eſt venenum in Eccleſia San-*
,, *cta Dei* &c. Contra has probationes multa
per Eccleſiam adducuntur, & ſic inter Pontifi-
catum & Imperium non abſque maximo anima-
rum & corporum detrimento grande & grave D
ſubortum eſt diſſidium Populo Chriſtiano. Mihi
autem videtur, ſalvâ ſemper cujuſque ſuperio-
ris & prudentioris ſententiâ, quòd hanc diſſidii
litem facer ille ſacrorum Canonum Codex ſatis
patenter determinet XCVI. Diſtinctione. Inquit
enim Nicolaus Papa: ,, Quum ad verum ven-
,, tum eſt, ultra ſibi nec Imperator jura Ponti-
,, ficatus arripuit, nec Pontifex nomen Impera-
,, torium uſurpavit. Quoniam ille mediator Dei
,, & hominum homo Chriſtus Jeſus actibus pro-
,, priis, & dignitatibus diſtinctis, officia Pote-
,, ſtatis utriuſque diſcrevit propria, humilitate
,, volens medicinali ſurſum efferri, non vana
,, ſuperbia in inferno demergi, ut & Chriſtiani
,, Imperatores pro æterna vita Pontificibus in- E
,, digerent, & Pontifices pro curſu temporalium
,, tantummodo rerum Imperialibus legibus ute-
,, rentur, quatenus ſpiritualis actor à carnali-
,, bus diſtaret incurſibus, & Deo militans mi-
,, nimè ſecularibus ſe negotiis implicaret, ac vi-
,, ciſſim non ille rebus Divinis præſidere videre-
,, tur, qui eſſet negotiis ſecularibus implicatus.
Sed de adventu Conradini in Italiam, & bello
cum Carolo.....

(*) *Hoſtis Pontificum hæc ſunt verba, quorum ſimilia Dantes Aligherius, & alii eiſdem diſcordiarum temporibus effudere. Porro legendi Bellar-*

CAP. VII.

De adventu Conradini in Italiam, & prælio inter ipſum, & Carolum.

CONradinus, Conradi Regis filius ex Friderico Auguſto, heres ejus in Regnis Hieroſolymitano & Siculo, Anno Chriſti MCCLXVII. cum exercitu Germanorum menſe Auguſto devénit Veronam, ibique duxit hyberna. Carolus interim Rex Siciliæ oppidum Thuſciæ, quod Podium Bonizi dicitur, arctâ obſidione vallavit. Eò ſe contulerant univerſi Optimates factionis Ghibellinorum. Quumque obſeſſos fame & obſeſſores hyemis ſævitia premeret, tandem actum eſt, ut incluſi cum equis & armis, & omnibus eorum utenſilibus, oppido dedito, incolumes poſſent abſcedere. Et ſic Rex Carolus potitus eſt oppido: obſeſſi liberè ſunt digreſſi. Anno autem Chriſti MCCLXVIII. idem Conradinus relictâ Veronâ, per Papiam iter faciens, Piſas per mare pervénit cum magno exercitu Theutonicorum, Longobardorum, atque Thuſcorum, volens Apuliam intrare, & de manu Caroli Regnum auferre. Quum verò ex tali adventu adverſarii ejus timerent, fertur tunc temporis, Clementem Papam hujus nominis IV. dum in Eccleſia Fratrum Prædicatorum apud Viterbium in Feſto Pentecoſtes celebraret ac prædicaret, publicè dixiſſe: *Ne timeatis, quia ſcimus, quod iſte juvenis a malis hominibus ſicut ovis ducitur ad mortem, & tali ſcientia hoc ſcimus, qua poſt articulos Fidei major non eſt*. Quod quidem verbum audientes in multam admirationem deduxit, & ſe præſentem fuiſſe aſſerit Jacobus de Varagine Archiepiſcopus Januenſis, quum tunc eſſet Prior Provinciæ Lombardiæ Ordinis antedicti. Igitur Conradinus cum ſuo exercitu Romam perveniens, quum more Imperiali fuiſſet à Romanis receptus, aſſociato ſibi Senatore Urbis Henrico fratre Regis Caſtellæ, & quamplurimis Romanis, contra Carolum Regem Apuliam potenter intravit. Aderant & cum eodem Conradino viri ſtrenui & illuſtres Dux Auſtriæ, Comes Girardus de Piſis, filius Comitis Galvanei, cum Henrico filio ſuo, & idem Galvaneus, ac Conradinus de Antiochia. Henricus autem Regis Caſtellæ frater hac de cauſa contra Carolum cum ipſo Conradino confœderatus erat; nam quum priùs Carolum contra Manfredum & ope manus & multæ pecuniæ creditæ mutuo, adjuviſſet, nec ei Carolus debitè reſponderet, erga eum animum geſſit hoſtilem, & ſic ad Conradinum ſe contulit. Motis igitur utrinque exercitibus, Conradinus cum ſuis inter Sculchulæ & Charci montes in quadam planitie, Carolus verò in quodam colle prope Albam, qui per duo ferè milliaria inde diſtabat, ſua caſtra fixerunt. Die autem menſis Auguſti XXIII. juxta flumen, quod inter utrumque decurrebat exercitum, apud campum Paleſtinum aciebus occurritur, prœlium conſeritur. Conradino copioſior erat exercitus, nam cum ipſo erant Germani, Lombardi, Thuſci, Romani, & quidam Hiſpani. Carolus igitur imparem ſe numero ſentiens, uſus eſt artibus. Delegit enim ex omni exercitu ſuo equites quingentos præſtantiores ad pugnam: ceteros equites aciebus inſtructis ad prœlium conferendum præmittit. Arma quoque ejus & inſignia quemdam militem induit, eumque præmiſit

minus, Baronius, Odoricus Raynaldus, ac innumeri alii, qui Apoſtolicæ Sedis jura tuentur.

miſit in acie pugnaturum. Conſertâ pugnâ diu cædes utrimque aſperrima fuit. Cæduntur tamdem, & ſternuntur Franci, non valentes hoſtium impetum ſuſtinere. Ipſe quoque Miles, qui Regis armis erat inſignis creditus eſſe Rex, notatus in acie ab Hiſpanis, & eorum Duce Henrico fratre Regis Caſtellæ perimitur. Fuſis hoſtibus atque cæſis, Conradini milites, Germani præſertim, diffunduntur ad prædam. Conradinus in acie integra eminus prœlii erat ſpectator. Interea Carolus in officin Sacrificii ſupplex orabat. Ubi verò ab his, qui erant in ſpeculando rem, audivit acies ſuas ſuſas & cæſas, jam peracto Miſſæ officio cum manu quingentorum equitum, quos ſervaverat, de monte digreditur. Quòd ubi hoſtes ad prædam diffuſi viderunt, magno metu perculſi ſunt, cernentes Carolum adventare compoſito greſſu, quem interemtum in campo jacere putabant. Carolus igitur diſperſos aggreditur. Verùm quum tempus reintegrandi acies hoſtibus non daretur, quippe feſſi pugnando, & incompoſiti erant, licèt numero ſuperiores, aciem integram & vegetorum virorum impetum declinarunt. Conradino verò cum Carolo volenti confligere datum eſt conſilium, ne ſe pugnæ committeret cum viris fortiſſimis, quos & rerum deſperatio audaciores reddebat, quoniam id in ancipiti eſſet eventu. Sed diſpoſitis rebus aliàs cum Rege militibus inope congrederetur, à quo plurima pars Regni Siculi jam deſciverat, ejus fortunæ favendo. Conradinus igitur, amplexus conſilium cum magna parte ſui exercitus inde digreditur. Henricus Urbis Senator Regis Caſtellæ frater captus eſt integro prœlio. Cruentâ nimis licèt victoriâ, victor Carolus, campo tamen potitus eſt, nam pæne omnis ejus exercitus prœlio cecidit.

CAP. VIII.

De fuga Conradini & ejus captione.

CONradinus cum Duce Auſtriæ ac paucis Nobilibus ſtatuit furtivo aditu in Regnum prodire, quòd pro parte majori ſe in Carolum erexerat. Præmittit ergo nuntium ad Caſtellum maritimum, qui conducat Liburnam, ideſt navem negoriatorum, qua veheretur in Regnum. Et quia non parvo pretio conducta eſt navis, ſuſpicio fuit Domino Caſtelli, quòd magnæ fortunæ viri eam conſcenſuri eſſent. Debiles igitur remiges ipſi navi aſſignati ſunt, validiores alia remigaturos ſervavit. Conradinus & comites plebejo habitu navem conſcendunt, & in altum remigant. Confeſtim altera Liburna, qua Caſtelli Dominus validioribus remigibus vehebatur, ſubſequitur; nec mora ad primam appropiant. Imperat remigibus, ut ſtatim regrediantur. Conradinus & Comites ſciſcitantur, quiſnam ſit iſte, in cujus poteſtatem devenerunt. Ut autem audierunt, eum eſſe Romanæ gentis, quæ vulgò dicitur Frangipane, quæ quondam amiciſſima fuerat Friderici Auguſti, clam aſſerunt, Conradinum in navi adeſſe, qui in paternum & avitum Regnum poſſeſſurus accedit, orantque Caſtelli Dominum nomine Johannem, ne iter inceptum impediat, ſed potiùs adjuvet, & cum eis tendat, magna præmia habiturus. Excluſis precibus prædo navis Johannes eos in Caſtellum perducit. Quo comperto Carolus ibidem accelerat equitatu non magno. Captos petit & recipit, ac inde ſecum abducit. Sunt qui dicant, per Romanum Pontificem Clementem IV. Carolo amiciſſimum, ac per Cardinales fuiſſe decretum, ut Conradinus cum comitibus in carcerem veniret Eccleſiæ. Nam idem Clemens, ne ipſe Conradinus ſub Regni Siciliæ titulo in præjudicium Regis Caroli Regium ſibi nomen adſcriberet, Anno ſecundo ſui Pontificatus in Viterbienſi Eccleſia diſtrictè inhibuerat, ne aliquis eidem ſicut Regi ſcriberet, nec literas ab eo veluti à Rege reciperet, neve ſub ipſius dominio vel regimine ſe ſubderent, & maximè Italici, neque faverent, ſub pœna excommunicationis, ſi Laici eſſent; ſi verò Prælati, privationis dignitatum. Mandavit inſuper memorato Conradino, ut de Verona & tota Italia cum omni gente ſua diſcederet, nec de Imperio, vel Italia, & ſpecialiter de Regno Siciliæ ſe intromitteret: alioquin ipſum Regno Hieroſolymitano privaret. Demum ipſum Conradinum in excommunicationis & alias latas in eum ſententias incidiſſe denuntiavit, & Regno Hieroſolymitano privatum. Prætetea Ludovicum Ducem Bavariæ, Comitem Tiroli, Boſium de Duaria, Manfredum Maletam Comitem Camerarium, Conradum, Fridericum illuſtris Regis Caſtellæ germanum, Guidonem Novellum, Fridericum Lanceam, Conradum de Antiochia, & ceteros, cujuſcumque forent præeminentiæ, dignitatis, ac ſtatus, quia contra ipſas ſententias venire præſumſerunt, denuntiavit in eaſdem etiam incidiſſe.

CAP. IX.

De nece Conradini & comitum ejus.

CArolus autem, ne Conradinus & comites, quos à Johanne receperat, in carcerem Eccleſiæ devenirent, hoc modo, licèt infeſto, providit. Convocatis enim Juriſperitis conſuluit eos, ſi Conradinum & ceteros captivos legitimè poſſet neci damnare, allegans quòd contra eum juſtum Regem Siciliæ arma moverint, quòdque Monaſteria ſpoliaverint, & quædam ſuccenderint. Diu igitur ſe conſultoribus ſuper his in diverſa trahentibus, plurimorum tamen erat ſententia, & præcipuè Guidonis de Suzaria eo tempore præſtantiſſimi Juriſperiti atque Doctoris, Conradinum non eſſe reum mortis captum fugiendo à prœlio, tum etiam quòd Regnum, quod jure avito & paterno ſuum eſſe credebat, armis peteret, ut eo poſſet potiri. Et quum Carolus inſiſteret, dicens: *Hi Monaſteria incenderunt*: reſpondebatur, *non conſtat, quòd hi juſſerint fieri, quum ſæpè prophani homines, qui caſtra ſequuntur, talibus oblectentur injuſti*. Quidam autem Juriſperitus, immo veriùs juris iniquus nomine . . . . Caroli Regis ſubditus, multumque familiaris, divinam diſplicentiam Regiæ poſtponere complacentiæ, tremendumque ſuperni Regis non paveſcens judicium, poſſe fieri juſtè quod allegabat Carolus, conſulendo aſſeruit. Hujus conſilium atque ſententiam, immo ſævitiam amplexus Carolus, Conradinum & ceteros neci addixit. Dum igitur luderet calculis Conradinus, defertur ſibi Caroli judicium, & modicum temporis aſſignatur, ut ipſe & ejus comites poſſent ſaluti animarum conſulere. Hæc autem apud Neapolim acta ſunt. Condito igitur teſtamento, & confeſſione acta peccatorum, VI. Kalend. Octobris in litore ducti ſunt neci damnati. Tunc mortis lectâ ſeverâ ſententiâ, Conradinus veſtimentum ſuperius exuit, & quum flexis genibus oraſſet, cervicem porrexit carnifici, hanc ultimam vo-

cem

cem edens : *ab genitrix , quæ profundi mœroris nuntium ex me ſuſcipies!* Carnifex verò cervicem ejus mucrone abſcidit. Dux Auſtriæ, ut Conradini propinqui cervicem feriri vidit, quanta potuit indignantis animi voce rugitum emiſit, & doloris deſperationem , nec erga Deum culpam voluit fiteri. Ipſe igitur Dux, nec non Comes Girardus de Piſis, filius Comitis Galvanei , quem Carolus hujus rei ſpectator juſſit in ſinu patris occidi , ultimò ipſe Galvaneus, decapitati ſunt Anno Dominicæ Incarnationis MCCLXVIII. Henrico fratri Regis Caſtellæ pepercit Carolus , quia voluit. Conradino de Antiochia etiam vitam indulſit, reſpectum habens ad fratres Johannis Gaditani Cardinalis , quos idem Conradinus captivos tenebat. Pauci ſpectatores bujus judicii lacrymas continebant , præſertim equites Franci ; qui quoniam minùs timebant , Caroli deteſtabantur lævitiam . Cadavera litore ſunt humata more eorum, qui pelago necati ſunt . Nec licuit cuiquam Religioſo ea cimiterio condere . In quo Carolus ejus pertinax odium oſtendit , nec eſſe etiam adverſùs à ſe cæſum hoſtem morte pacatum : quod, quum non ſit ira ad mortuos, contra bonos mores patuit exſtitiſſe. Carolus tamen Secundus ejuſdem Caroli filius & ſucceſſor ſuper ſepulturas eorum Oratorium conſtrui permiſit, quod Fratres Ordinis Sanctæ Mariæ de M nte Carmelo concelebrant. Hæc quæ de prœlio iſto dicta ſunt , ſcribit *Magiſter Ricobaldus Ferrarienſis Hiſtoriarum Scriptor diligens*, qui ſe audiviſſe teſtatur ea à Johanne Judice Cive Regino, tunc in comitatu & familia jam dicti Guidonis de Suzaria, qui & præſens actis interſuit. Nonnulla quoque ex aliis Chronicis addita ſunt, & ex ſententiis Papæ Clementis IV. & Epiſtolis Caroli. Quidam autem lamentationis ſcribens Epiſtolam, & mortem complangens hujus Conradini, ſic inter cetera ait contra ipſum Carolum invehens : *Illum enim quondam illuſtrem Regem Conradinum Secundum , à patre ſecundum numero vel cognomine, at omine non ſecundum, ex Imperatorum antiquorum proſapia propagatum, cauſam rationabilem, quamvis infelicibus auſpiciis, proſequentem, non in prælio, non in armis, non in ejus contrarium tunc intentum, verùm inermem, profugum , in Romana maritima nequiter interceptum, poſt diutinum ejus carcerem, poſt probroſa ludibria , poſt multas ex eo factas oſtentationes ad pompam , ut qui jam eum abinde per Campaniam uſque Neapolim ignominioſè poſt ſe traxerat compeditum, contra juſtitiam, immo quod eſt gravius, contra Deum, contra conceſſam pluries ei de mortis ſecuritate fiduciam, contra jus omne belli, contra conſuetudinem à priſcis Majoribus approbatam , qui neminem Regem, quem etiam armis cepiſſent, vita privandum providè ſtatuerunt , inhumaniter & impiè trucidavit, auſus apocopare capite nobiliſſimum ejus corpus .*

CAP. X.

De Carolo ſeniore Siciliæ Rege ex Chronicis .

CArolus igitur ſubacto, ut dictum eſt , in prœlio Rege Manfredo , & corruente ac interfecto Conradino, nullo ſibi adverſante, Regno Siculorum potitur, quum jam Regnum illud duobus annis licèt in arcu & pharetra tenuiſſet, ab eo ſcilicet anno , quo fuit ab Urbano Papa hujus nominis IV. Rex ejuſdem Siciliæ ordinatus , ut in præcedentibus demonſtratur, qui fuit Annus Domini MCCLXVI. Deinde verò illud tenuit Annis XVI. videlicet uſque ad Annum , quo Rex Aragonum Regnum illud intravit, qui fuit Annus Domini MCCLXXXII. poſt quod Carolus adhuc ſupervixit Annis IV. De his autem & aliis geſtis ejuſdem Caroli hæc breviter ſubſcribuntur. Nuceriam urbem Saracenorum idem Carolus Anno ſequenti, qui fuit in Regno ejus IV. Incarnat. Domini MCCLXIX. diu ab ipſo obſeſſam in deditionem recepit hoc pacto, ut ſingulis ſextis Feriis nomine tributi magnum pondus auri eidem Regi exhiberent. Tunc maximi terræmotus , & Mons Anconæ ſciſſus in mare demerſus eſt, quo concuſſu fluctus uſque in litus Liburniæ pervenerunt. Sequenti Anno idem Carolus unà cum Rege Franciæ Ludovico viro ſancto fratre ſuo , Rege Navarræ, Rege Angliæ Eduardo, ab ipſo Carolo vocati, caſtra in litora Carthaginis poſuerunt, ut Tunitio potirentur. Sed ibi Franciæ & Navarræ Reges deceſſerunt . Tandem pactione, auro recepto à Barbaris, Chriſtianorum inde diſceſſit exercitus. Porrò deficientibus, qui Regnum Siciliæ ab extrinſeco impeterent , Regnicolis æris, & rerum, & collectarum onera inferuntur. Multi quoque proditionis notati crimine ſeveriter affliguntur . Stupra & adulteria in Siculas committuntur à Francis. Quo injuriæ genere plus ceteris Siculi ad vindictam animati, potiſſimè cùm querelis eorum nec querelantibus aditus pateret , nec auditionis janua præberetur; ex quo patrantibus hujuſmodi ſcelera impunitate talium magìs creſcebat audacia, calamitoſi Siculi, ultionum eos Domino animante , feſtis diebus Dominicæ Reſurrectionis , Anno ſcilicet Dominicæ Incarnationis MCCLXXXII. qui fuit Annus Regni ejus XVI. ab ipſo Rege Carolo jugum excutientes, primò deſciverunt , occiſis omnibus Francis, qui erant in Regno. Monachi quoque ejuſdem gentis caſum ſimilem experti ſunt. Mulieres etiam Siculæ, quæ ex Francis conceperant, evacuatæ ſunt ferro diſſectis uteris. Petrus verò Arragonum Rex illuſtris , qui cum claſſe ſua erat in Africæ pelago, ibidem perveniens, Siciliam ingreſſus eſt, ejuſque Regno potitus. Hujus autem rei novitatem tractaſſe ac procuraſſe fertur multis periculis, ſudoribus, ac diſpendiis vir ſagax & perſpicax Magiſter Johannes de Procida , olim Notarius, Phyſicus, & Logotheta Regis Manfredi, calamitatum etiam Siculorum Carolo ipſo regnante non exſpers : cujus quidem tractatus ſeriem ſuccinctam, tum ad majorem Hiſtoriæ cognitionem , tum ad poſterorum exemplar, quòd ſcilicet vir ille corde magnanimus, & animo conſtans, rem tantam tamquam periculoſam auſus eſt aggredi, per abrupta videlicet montium, & devexa terrarum, per viarum anguſtias, per marinos fluctus , & hominum inſidias, diſpendiis propriis & laboribus non parcendo , ut jugum excuteret ſervituti , tum ex quadam admiratione inſolitæ rei, quòd ſcilicet in tractatu tam arduo fortuna ut plurimùm fallax ſic arriſerit uni viro .

CAP. XI.

Qualiter tractatu Magiſtri Johannis de Procida Rex Arragonum Siciliæ Regnum obtinuit .

SIculi, ut præfatum eſt, Carolo Rege ſuper eos nullo rebellionis obice regnante pro libito, non ſolùm exactionibus , & oneribus aliis crebris & maximis opprimebantur, ſed inexcogita-

A gitatis etiam modis afflicti exilio damnabantur & neci. Et quod ſuper omnia magis ignominioſum, & ideo gravius erat, in mulieres eorum libido Gallica indifferenter effundebatur. Quibus tamdem cordibus tumidi, ad moliendas novas res in Regno animos eorum diſponunt. Tamdem Magiſter Johannes de Procida, quem calamitates hujuſmodi his afflicti. adſciverant, advertens, utpote vir circumſpectiſſimus, aptum excutiendæ ſervitutis tempus adeſſe, nactis ſibi diebus & horis, cum nonnullis ex Primoribus Regni, quos magis ad novarum rerum molimina noverat proclives & avidos, clandeſtina ſæpe colloquia iniit. Et tamdem ſicut erat vir prudens, & potens in opere & ſermone, modico B tempore multorum animos ad ejus propoſitum inclinavit. Nec obſtabat niſi ſolùm Romani Pontificis metus, quin diſponerent in communem eventum jugum à ſe ſervitutis excutere. Tunc idem Johannes ad Papam Nicolaum hujus nominis III. perſpicaci conſilio clam iter arripuit nemine conſcio. Noverat enim, Papam erga Regem Carolum animum genere aliqua nube reſperſum, licèt occultè. Cujus rei cauſam nonnulli hanc fuiſſe aſſerunt, quòd cum eo idem Rex recuſaverat affinitatem contrahere; alii referunt, quòd Regi arridente in Regno fortuna, eum modo debito non recognoſcebat in Dominum, & ut dictum eſt, Regnicolas non tractabat ut ſubditos, ſed ut ſervos. His igitur præ- C conſideratis, non improvidè Magiſter Johannes, quum ante Papæ conſpectum remotis arbitris venire curaſſet, poſt multam de ſtatu Regni & aliis cum ipſo Papa collationem habitam, ipſum ad ejus conceptum propoſitum animavit, utpote vir in cujus labiis loquendi gratia erat diffuſa. Dixit enim inter cetera, quòd ſua procuratione ad laudem Dei, & honorem Sedis Apoſtolicæ Regnum ipſum Siciliæ in pacis & quietis pulchritudine reformaret, & quòd ad hoc peragendum neceſſaria expediret. Unde Papa ſibi in his prorſus aſſentire promiſit, dummodo fide dignis indiciis eidem conſtaret, Primates Siculos in hoc eſſe voto conformes. Lætus itaque Johannes & impiger Siciliam eſt reverſus, & D quum revelaſſet tractatus conſciis, quos apud Papam egerat, cœperunt in eorum confirmari propoſito, & animoſiores effici, ſuffulti aſſenſu Romani Pontificis. Requirente autem Magiſtro Johanne, unuſquiſque eorum propriæ manus chirographum proprio roboratum ſigillo, vel ſaltem ipſum ſigillum eidem Johanni exhibuit in evidens teſtimonium, quòd erant juxta Domini Papæ beneplacitum eidem Johanni ſuper his, quæ diceret, & acturus eſſet, voto conformes, ſe ſe uſque ad mortem opere completuros. His igitur ſignis Magiſter Johannes ad Papam non poſt multum temporis eſt reverſus. Quæ quum Papa læto animo eſſet amplexus & percontaretur ab eo, quid opus eſſet negotio: *Tria*, inquit, *expe-* E *diunt: ſcilicet tuus per Apoſtolica ſcripta conſenſus, pecunia, & milites bellicoſi. Primum quum obtinuero, ego reliqua procurabo*. Et quum modos ad hæc indicaſſet & vias, Papalis aſſenſus obtinuit literas. Poſt hæc ad Petrum Arragonum Regem iter occultum arripuit. Hic enim filiam quondam Regis Manfredi habebat uxorem. Et quum apud ipſum Regem Arragonum perveniſſet, ſecreta ſecum colloquia habuit, & tamdem diſcuſſa priùs Regia voluntate, an Siculorum Regnum vellet, & attentaret ſibi acquirere quod juris conjugis erat, ſi fortunam in hoc haberet propitiam, & multo honore quondam Regum Manfredi & Conradini neces ulciſci, ipſoque Rege id ſe libenter amplexurum reſpondente, Johannes cuncta, quæ geſſerat, eidem Regi aperuit, promiſitque ſe ſufficientem habiturum pecuniam, ſi Rex ipſe ſolùm inveniret equites opportunos; ad quod tamen opus ſibi eſſe literas Regales innuit, teſtificantes ſuper omnibus, quæ condixerant, Regis aſſenſum. Rex verò & equites ſe præparaturos dixit, & literas conceſſit.

CAP. XII.

De adventu ejus ad Conſtantinopolitanum Imperatorem.

His peractis Johannes à Rege diſcedens, continuatis dietis Conſtantinopolim ad Imperatorem perrexit. Huic enim Rex Carolus adverſabatur, & quaſdam jam invaſerat Inſulas, magnamque claſſem parabat, ut hoſtiliter Imperium ejus intraret. Qua conſideratione diu ante Johannes ipſe Imperatorem hunc adire propoſuerat, non diffidens eum habere propitium in agendis. Quumque multa ſimul habuiſſent colloquia, & ad perſequendum Carolum, Regnumque auferendum, ſuo eum voto reperiſſet conformem, dum poſſibilitas appareret, Johannes hoc poſſe fieri commodè innuit, dum tamen Imperator eidem in opportuna pecunia ſubveniret, ſeriemque tractatus aperuit. Quo cognito Imperator pollicitus eſt pecuniam neceſſariam ſe daturum. Johannes verò factus de promiſſo ſecurus, ad Regem Arragonum reverti feſtinat, & inſinuans ei quæ apud Imperatorem egerat, promiſit ei Rex ſe opportunos equites habiturum. At ne Carolus ex præparamento hujuſmodi ſibi aliquid ſiniſtri ſuſpicari poſſet, ſeu ex conjecturis aliquibus ad Regni ſui tuitionem ſibi aliquatenus providere, condictum eſt inter eos, quòd Rex ipſe fingeret, in Africam ſe adversùs Saracenos claſſem velle parare, & tam mercenarios quàm ſubditos & auxiliares equites ſibi procurare; quod & fecit. Inſuper etiam Romanum Pontificem requiſivit, quòd ad conterendos Chriſtianæ Fidei hoſtes ſibi aſſiſtere dignaretur. Papa verò omnium conſcius eidem Arragonum Regi certam pecuniæ ſummam tranſmiſit. Igitur Rex ipſe hac ſumta pecunia, & quam Conſtantinopolitanus pollicitus fuerat Imperator, & conductis equitibus opportunis, claſſeque parata, dum nonnulli jam adversùs Saracenos fierent incurſus hoſtiles, & nec Carolus ſibi aliquid ſuſpicaretur machinatum adverſi (tunc enim in Apulia morabatur) Magiſter Johannes in Siciliam adiit, & nactis ſibi locis, temporibus, atque horis, quæcumque egerat, conſpiratis ſuis indicavit. Poſtmodum verò diem certam apud ſingulos ordinavit, in qua univerſi cum eorum complicibus rem diu tractatam in lucem & partum producerent: univerſos Gallicos, qui in Regno erant, indifferenter & immiſericorditer trucidando. Qua etiam die Petrum Arragonum Regem Magiſter Johannes juxta ſuam ordinationem venturum in Regnum illis cum magna claſſe prædixit.

CAP. XIII.

De cæde in Gallicos Siculorum defectione.

His igitur ritè diſpoſitis, idem Johannes ad Regem Arragonum feſtinavit, & quum ei omnia intimaſſet, quæ apud primores Siculos fuerant ordinata, contigit denique, ut tractatibus fortuna in omnibus applaudente, fortita ſin-

ſingula ſint effectum. Nam præordinata die tractatuum conſcii per Regni Civitates & oppida armis arreptis cum eorum complicibus, ſequacibus, & fautoribus, in clamore & furore contra Gallicos debacchantes, non ſolùm eos in ore gladii trucidarunt, ſed etiam mulierum Sicularum, quæ ex eis conceperant, uteros aperientes, nondum natos lapidibus alliſerunt, ne infeſta eis ſoboles ſupereſſet in Regno. Rex quoque Arragonum Petrus, condicta etiam die ex Africæ pelago cum omnibus copiis callido itinere Meſſanam applicuit adversùs Gallicos cum ſuis ſimilia peracturus. Hoc igitur modo Magiſtri Johannis ſolicitudine non dormiente nec dormitante, Siculi à Rege Carolo deſciverunt, Regi Arragonum adhærentes. Qui & Regno ipſo potitus eſt, & coronatus in Regem Anno, ut prædictum eſt, Dominicæ Incarnationis MCCLXXXII. diebus Paſchalibus qui fuit annus, ex quo Carolus Regnum illud obtinuerat, ſextus decimus.

CAP. XIV.

De proceſſu Papæ contra Regem Arragonum.

INter hæc autem defuncto Romano Pontifice Nicolao, qui ut dictum eſt, his tractatibus aſſenſerat, Martinus hujus nominis IV. eidem Nicolao in ſede, non in horum voto ſucceſſit. Qui quum defectionem Siculorum à Carolo ægrè tuliſſet, & quòd Arragonum Rex erat Siciliæ Regno potitus, contra eum, ut deſiſteret, & diſcederet, ſuos fecit proceſſus, & tamdem involutum excommunicationis ſententiis Regno & omni eo, quod ab Eccleſia tenebat, privavit eumdem. Regnum quoque ipſius Carolo filio Philippi IV. Regis Franciæ contulit occupandum, unde poſtmodum mala plurima ſunt ſequuta, & multus ſanguis humanus effuſus: fuitque Crux contra ipſum Regem Petrum, & Arragonenſe Regnum ex parte Sedis Apoſtolicæ prædicata, conceſſâ plenariâ indulgentiâ peccatorum. Carolus etiam his cognitis, mente attonitus, & animo ſtupefactus, ingemuit corde, ipſique Petro Arragonum invectivas & comminatorias literas direxit, quòd præſumtuoſum aditum & temerarium ejus exceſſum corrigens, ſe à Regno ſuo Siciliæ abſentaret. Earumdem autem literarum tenor ſubſequitur in hæc verba.

CAP. XV.

Epiſtola Caroli Regis Siciliæ Petro Regi Arragonum, ut ab ejus Regno diſcedat.

,, CArolus (*) Dei gratiâ Rex Siciliæ, Du-
,, catus Apuliæ, Principatus Capuæ, An-
,, dagaviæ, Provinciæ, Forcalquerii Comes,
,, Petro Filio quondam illuſtris viri Domini
,, ... Regis Arragonum. Si de ſanæ
,, mentis conſideratione librata lance juſtitiæ
,, tuum appendiſſes conſilium, & ſi non ad ſa-
,, tuam mentis animadverſionem te denuo in-
,, clinaſſes, profectò tuas rapidas manus more
,, violenti prædonis ad Regnum noſtrum Siciliæ,
,, quod cum multis bellicis angnſtiis & ſangui-
,, nis effuſione ab occupantium retentione retra-
,, ximus, matre jubente & ſuadente Eccleſia,
,, nulla honoris ac lucri affectione pertractus,
,, aliquatenus convertiſſes. Sed veraciſſimè in-
,, tuemur, quòd tuum eſt infatuatum conſilium,
,, dum tuam rapacem dexteram fuiſti conatus
,, extendere, ut capta præda, captiſque ſpoliis
,, exultares. Non conſideraviſti tu improbe
,, noſtræ Matris Eccleſiæ inſuperabilem excel-
,, lentiam, quæ habet cunctis nationibus impe-
,, rare, & cui totus Orbis terrarum, & omnes
,, obediunt creaturæ. Hæc eſt, in qua Chriſtus
,, fixit totius Chriſtianæ Fidei fundamentum:
,, hæc eſt, quam terra, pontus, æthera colunt,
,, adorant & prædicant, & tenentur ei omnes,
,, qui ſub Sole ſunt, reddere tributaria debi-
,, ta, & præſtare obſequia capitibus incli-
,, natis. Non conſideraviſti celſitudinis noſtræ
,, potentiam, quæ altitudinem collium reddit
,, ad plana, montium cacumina declinat ad
,, infima, ſuperborum elata cornua confun-
,, dit & deſtruit, prava in directa convertit,
,, & aſpera in vias planas deducit. Et ne
,, longè exempla petantur, conſidera demens,
,, conſidera ad quid quondam Manfredi Princi-
,, pis Tarentini olim filii Friderici Imperatoris
,, ſoceri tui devenerit ingenioſa potentia, dum
,, in campo Beneventano contra nos prœlium
,, attentaſſet. Ubi eſt ejus ſpectabilis dignitas?
,, ubi divitiarum opulenta fœcunditas? ubi ſo-
,, latiorum & jocorum amœna jucunditas? Hæc
,, omnia cum Regno & Principatu & cum toto
,, ſuo dominio unus & mœſtus dies ſubjecit, &
,, ejecit; dum auſus fuit in campo belliger con-
,, tra noſtram potentiam apparere. Animadverte
,, animadverte inſane, ad quid Conradini affinis
,, tui devenerit ſuperbia: quomodo ſuus innu-
,, meroſus exercitus noſtro marte proſtratus eſt;
,, & quomodo prædo in prædiis, recto judicio
,, mortis patibulum inveniſſe, ac crudeliſſimum
,, ſpiculatoris gladio paſſus fuiſſe ſupplicium
,, diræ necis. Hæc te terrere debuiſſent inſipiens.
,, Dicis enim in corde tuo: non eſt Deus. Cor-
,, ruptus es abominabilis factus es gentibus,
,, dum in talibus matrem offendis Eccleſiam,
,, hoſtem te præparas ceteris Chriſtianis. Spu-
,, tum miſiſti in cœlum: ipſum in faciem tuam
,, cadet. Omnis enim, qui ſe ultra ſui ſtaturam
,, extendit, & ſuperbo ſpiritu ad alta conſcen-
,, dit, ruinæ detrimentum attingit. Stultum
,, namque & fatuum eſſe dignoſcitur, aliquem
,, contra majorem, & cui par eſſe non poteſt,
,, contendere, & debilem cum armis aſſurgere
,, contra fortem. Nam ei ſua temeritas triſtes
,, parit eventus, & ſemper ſua vota ſucceſſibus
,, caruerunt. Quare tibi præcipiendo præſen-
,, tium tenore mandamus, quòd confeſtim lectis
,, apicibus noſtris, à Regno noſtro Siciliæ cum
,, tua gente improperiosè diſcedas, & ab eo
,, numquam ad illud reverſurus te debeas ab-
,, ſentare: alioquin noſtra victricia lilia tam per
,, mare quàm per terram ſic hoſtiliter, ſic po-
,, tenter contra te & tuos complices dirigemus,
,, quòd Deo dante, cujus res agitur, de te &
,, tua gente, & de proditoribus noſtris Regni
,, Siciliæ ac aliis exterminium faciemus, ſic quòd
,, væ illis erit, qui ad vaſa non poterunt habe-
,, re recurſum, & qui ſe non poterunt à poten-
,, tia magnifici noſtri exercitus abſentare.

His receptis ab Arragonum Rege literis, Regi Carolo in hanc formam reſponſum tranſmiſit.

CAP.

(*) *Num commentitiæ ſint Literæ iſtæ Caroli & Petri Regum, Lectorum judicium eſto. Meo ſententia ridendum otioſi alicujus, ne dicam fatui, commentum in his continetur.*

CAP. XVI.

Reſponſiva Regis Arragonum ad prædicta.

„ PEtrus Dei gratiâ Arragoniæ & Siciliæ Rex
„ Carolo Andagaviæ, Provinciæ, & Forcal-
„ querii Comiti. De magna cordis tui arrogan-
„ tia ſuperba manavit epiſtola, quæ in ſingulis
„ ſuis partibus cymbalis corruſcationis viſa eſt
„ ignes evomere, fulgoris ſagittas emittere, &
„ atroces minas ſermonibus eructare. Cujus
„ epiſtolæ intellecto & conſiderato tenore, de
„ nullius ſtatera juſtitiæ ejus manabant loquelæ,
„ ſed omni humilitate vacua procelloſas ampul-
„ las, & minarum grandines exſpargebat. Ve- B
„ rumtamen conſiderare debueras, quòd nec
„ leporinam imitamur naturam, quòd perti-
„ meſcamus minas verborum tuorum, frondi-
„ bus arboris leviores, nec meticuloſarum ra-
„ narum mores proſequimur, quæ quovis ſono
„ puſillo fugiunt, ſe in ſecuris ſtagnorum ſuo-
„ rum latebris receptantes. Citò enim vero
„ experimento cognoſcere poteris, ſi pedes no-
„ ſtros convertemus in fugam, & ſi latebroſa
„ receptacula repetemus. O quantæ occiſionis
„ ſtrage primò terra madeſcet! O quanti ſan-
„ guinis aſperſione mare tingetur! Nam ipſius
„ procellæ liquidæ tinctæ cruoris liquore per-
„ emta corpora ad peregrina litora tranſporta-
„ bunt. Et tunc ſi more bellorum in aliquo C
„ Arragones offendentur, quum ſinè ſtrage
„ utriuſque partis bella non poſſint procedere,
„ ſperamus tamen in Deo, in quo totus noſter
„ cogitatus & anchora ſpei noſtræ conſiſtit, quòd
„ ſic docebit manus noſtras ad prælium, & di-
„ gitos noſtros fortificabit ad bellum, quòd in-
„ gemiſcet, & dolebit Gallica natio de diro
„ exterminio ſuæ gentis. Triſtis erit Provincia,
„ & ſicut Rachel lugebit de occiſione filiorum,
„ dum non videbit eos ſua ſabbata venerari.
„ Inſons Apulus & Calaber ingemiſcet, & La-
„ tinis atque Græcis ſonus in organum miſeræ
„ lamentationis erumpet. Tunc dicetur à ſingu-
„ lis: beatæ ſunt ſteriles, quæ non conceperunt,
„ & maximè beatæ ſunt, quæ nullum filium la- D
„ ctaverunt. Inflatus etiam tenor epiſtolæ tuæ
„ præfatæ Regis Manfredi ſoceri noſtri nobilem
„ potentiam fuiſſe tuo marte præcluſam, nec-
„ non & Regis Conradi Secundi noſtri affinis
„ floridam adoleſcentiam ſpiculatoris gladio tuo
„ protervo, & iniquo judicio fuiſſe deſtructam
„ non ſinè tui elatione ſpiritus te jactabat. Sed
„ non conſideras impie, quòd unde credis ac-
„ quirere gloriam, inde tibi infamiæ nomen aſ-
„ ſurgit & periculum reſervatur. Sanguis qui-
„ dem ipſorum vociferat ſuper terram. Juſtæ
„ lacrymæ miſerandæ matris Regis Conradi
„ aſcendentes ad æthera, jam cœli propulſave-
„ runt tribunal, & effuſæ ante conſpectum Ju-
„ dicis & Regis, jam meruerunt exauditionem E
„ attingere. Ipſe enim ſanguinem juſtum judi-
„ cat, & ulciſcitur interemtorum filios inno-
„ centum. Si tu verò Regem juvenem & ado-
„ leſcentem, & agnum ſinè macula, ſui Regni
„ jura recuperare volentem, captum à te & ad
„ occiſionem ductum, tua falſa & feroci ſen-
„ tentia condemnatum turpiter occidiſti: credis
„ tam facinoroſum ſcelus ſinè pœna tranſire, &
„ peccatum tranſcendere ſic enorme? O nefas!
„ quantum furor tuus à rationis tramite devia-
„ vit, dum Regem captivum ad necis excidium
„ tradidiſti! O ſcelus nefandum! quis umquam
„ Princeps captum Principem trucidavit? Nonne

A „ ille magnanimus Alexander Porum Indorum
„ Regem captum in bello non occidit, ſed po-
„ tiùs conſervavit? Et ne longè exempla peta-
„ mus: nonne tu, & magnificus quondam Rex
„ Franciæ frater tuus, capti à Sarracenis implo-
„ rantes ab eis miſericordiam, fuiſtis miſericor-
„ diam conſequuti? Tu verò Nerone neronior,
„ & crudelior Sarracenis, innocentem agnum
„ in tuo recluſum carcere mortis judicio ſubje-
„ ciſti, ſubvertendo Regum, Ducumque cle-
„ mentiam in ſeveritatis contrarium, & par-
„ cendi genus in ſeveræ ultionis mortem impiè
„ pervertendo. Viri enim ſanguinum & doloſi
„ ſuos dies dimidiare non poterunt, & Regna
„ diu non ſtabunt.

„ Conſidera proterve, conſidera, quantam
„ afflictionem Regnicolis miſeris intuliſti; non
„ enim contentus eras indebitarum collectarum
„ gravare oneribus, ſed ſubtiles vias, & occa-
„ ſiones tinctas colore mendacii invenire cona-
„ tus es, per quas ipſos pro rebus reos faceres,
„ & ab eis tamquam a barbaris aurum ſubtili-
„ ter extorqueres, & quos puræ fidei tenebat
„ integritas, ex mendaciorum maculabas infa-
„ mia, ut ipſos divitiis ſpoliares. Demum in-
„ differenter omnes proditorum nomine macu-
„ labas, ut eorum ſubſtantiam tu inſatiabilis
„ uſurarius uſurpares. Poſt hæc eis inſontibus
„ diræ necis ſupplicium inferebas. Unum tamen
„ nefandum, & cunctis nationibus odioſum ab
„ horrida Gallicorum gente non abſque Dei
„ judicio fuit commiſſum, quòd proterva tua
„ gens Gallica lectum miſerorum Regnicola-
„ rum non ſinè magna & gravi eorum injuria
„ violabat. Et dum pro vindicandis eorum in-
„ juriis, & puniendis hujus ſceleris patratoribus
„ ad te nitebantur recurrere, aditus negabatur
„ eiſdem. Tu verò tamquam ſurdus, & ob-
„ audiens non intendere voces calamitoſorum
„ clamantium ſimulabas; & ſic audacia ſceleris
„ indultis creſcebat, & pullulabat undique li-
„ centia tam nefandi criminis patratorum. Hæc
„ & alia innumerabilia ſcelera de ſummo car-
„ dine Deus ultionum reſpiciens, tuum, ut vera-
„ citer credimus, diſſipabit dominium: tuamque
„ ſuperbam potentiam deponet de ſede, & no-
„ ſtram humilitatem dignabitur exaltare. Nam
„ ſemper Dominus injuſtas iras ultionis percutit
„ gladio, nec virgam peccatorum ſuper ſor-
„ tem juſtorum diu ſtare permittit, ne juſti ex-
„ tendant ad impia manus ſuas. Quid ergo im-
„ pie tamquam tuba vocem tuam exaltas? Non
„ deſinis ab ira, non deſinis? ſemper in tua ſu-
„ perbia malignaris? Jam Regis nomen non
„ habes dum Regnum amiſeris. Hoc tibi acci-
„ dit ex nutu divini ſpiraminis, Siculorum corda
„ tangentis. Nec adhuc cognoſcis improbe ca-
„ ſum tuum. Jam tua cadit ſuperbia; nam ſu-
„ perbis Deus reſiſtit, & frangens elatorum
„ cornua reſpicit manſuetudinem humilium ſer-
„ vientium. Juſtam namque cauſam fovemus;
„ nam hereditaria jura Regni Siciliæ, Ducatus
„ Apuliæ, & Capuæ Principatus, ſereniſſimæ
„ Dominæ uxoris noſtræ filiæ quondam Regis
„ Manfredi, & amitæ Regis Conradi proſequi-
„ mur; ad cujus proſecutionem negotii jam
„ Deus vias proſperas præparavit, ſuam in no-
„ bis licèt indignis auxiliatricem dexteram por-
„ rigens, ut te Altiſſimo & cunctis gentibus
„ odioſum evellamus, & radicitus confunda-
„ mus. Et ne labores contra nos cum ſpernendo
„ tuo exercitu properare; nos enim contra te
„ ſic mirificè, ſic potenter, Deo nobis favente,
„ cum exercitu noſtro victorioſo tam per mare

„ quam per terras cum inſigniis noſtris victri-
„ cibus veniemus, quòd te tuamque prolem &
„ gentem de facie terræ delebimus, & leonem,
„ qui pullos aquilæ interficiens deplumavit,
„ noſtro dracone ſic interficiemus morſibus to-
„ xicatis, ſic in nihilum reducemus, quòd non
„ invenietur de ipſo memoria ſupra terram.
„ Tunc ſcies & ſenties, quid Arragonum dex-
„ tera valeat, quid tibi interitus Regum pro-
„ fuerit, & effuſio ſanguinis innocentum.

CAP. XVII.

Qualiter prælium condictum fuerit inter Carolum & Petrum Reges.

NOn multò poſt præfatus Carolus adverſùs Petrum Arragonum Regem bellum movit, eductiſque copiis ad partes Siciliæ profectus eſt, & obſeſſâ Meſſanâ, quum parum profeciſſet, Calabriam reverſus eſt. Nam Petrus Rex Arragonum denuntiavit ei per literas, ut inde diſcederet. Formidabat enim hunc Petrum præ aliis Carolus. Eo autem exiſtente in planum Sancti Martini belli pactum hujuſmodi inter ipſum Carolum & præfatum Arragonum Regem initum eſt, quòd videlicet eorum quilibet centum haberet Milites, quos vellet & poſſet, in plano Burdegalenſi ad pugnandum ad invicem, ſcilicet centum contra centum, inter quos ipſi ambo Reges computari deberent; & qui victus eſſet, perpetuò haberetur infamis, & privatus honore ac nomine Regio dein eps foret, uno cliente contentus: non veniens etiam ad eamdem diem ſic paratus, pœnas ſimiles ac perjurium incurrebat. Sed hic tractatus effectu caruit, quum non ſimul campo convenerint. Dicitur enim, quòd Carolus die & loco ſtatutis affuit cum ſuis. De adventu autem Regis Arragonum juxta condictum, ſeu bellicas pactiones, diverſi diverſa ferunt. Nonnulli dicunt, cum nocte, quæ diem bellicam præcedebat, Anni Domini MCCLXXXIV. Calendis Junii, cum ſuis militibus, & nonnullis perſonis authenticis in loco prœlii adveniſſe, & quum diei aurora conſurgeret, factâ modicâ morâ ibidem proteſtatus eſt publicè qualiter ſe præſentaverat juxta condictum loco & die cum ſuis; ſed legitimis urgentibus ac imminentibus cauſis ampliùs morari cum tam modica gente non poterat ſine perſonæ diſcrimine. Nam iiſdem ferme diebus Princeps Tarentinus Carolus ejuſdem Regis Caroli filius de Francia venerat cum Atrebatenſi, Bolonienſi, Domini Martini, & Burgundiæ Comitibus, & aliis multis Nobilibus, qui dicebantur ad Regis Francorum inſtantiam eidem inſidias tetendiſſe. Alii ferunt, quòd nocte ipſa, ut dictum eſt, duobus concomitatus ſodalibus ſuit loquutus ſeniori Burdegalenſi in loco privato & remoto, prætendens, quòd propter Regis Franciæ timorem ibidem pactum ſervare non audebat. Ego in medio veritatem relinquo, quam Dominus novit. At iiſdem temporibus præfatus Rex Arragonum per milites & mercenarios equites Regis Franciæ Philippi hujus nominis IV. cum auxilio cujuſdam nobilis de Aragonia, Johannes nomine, cognomento Longus, qui rebellionis adverſùs Dominum ſuum caput erexerat, versùs Navarram aggreditur, & multa caſtra occupantur, & multi ex Arragonenſibus ceciderunt, Petro eodem abſente, & ſibi ſubſidium procurante ad Regni tuitionem. Idem etiam Philippus Rex Francorum Anno ſcilicet Domini MCCLXXXV. contra eumdem Petrum Arragoniæ Regem uſque Gironam duxit exercitum, è quo idem Philippus infirmus egrediens, in Pirpiniano jura naturæ perſolvit ætatis ſuæ anno XLII.

CAP. XVIII.

De captione Principis Caroli Regis primogeniti, & ſtrage ſuorum.

POſt hæc præfato Rege Siciliæ Carolo de Franciæ partibus per mare deſcendente, ſe tranſtulit versùs Apuliam, cujus adventum ſcientes Siculi & Hiſpani in Meſſanæ partibus per mare potentiam habentes, cum vigintiſeptem Galêis armatis & munitis venerunt per mare Neapolim, ut ſua ſagacitate poſſent ibidem aliquos offendere ante Regis adventum. Et tamdem per ſeptem milliaria à Portu Neapolitano exeuntes ad pugnandum, tamdem Princeps Salernitanenſis, filius Regis Caroli primogenitus, qui dimiſſo certis ex cauſis Comite Atrebatenſi Roberto avunculo ſuo in Calabriam, illuc venerat, motus & incitatus indiciis & clamoribus hujus animoſitatis damnoſæ, ſumens inſolitam audaciam, cum ſuis bellatoribus Galêas intravit, & præfatos inimicos aggrediens contra eos pugnavit viriliter cum paucis Galêis. Nam viginti duæ reverſæ ſunt per fraudem nautarum Neapolim, in quibus erant Nobiles & ſtrenui bellatores. Verùm idem Princeps cum ſuis remanentibus captus eſt à Siculis & Hiſpanis non ſinè magna alterutrum occiſione:

Experimſque fuit, quod non ſit ludus in undis.

Ductus eſt Princeps apud Meſſanam cum aliis novem Proceribus, quos elegit, & carceris cuſtodiæ mancipatus eſt. Reliqui Nobiles numero CC. & ultra gladio cæſi ſunt in vindictam quondam Conradini occiſi Neapoli. Quarto die ſequenti, Carolo veniente Neapolim, quoſdam Neapolitanos, qui capto Principe ſpiritum dicebantur rebellionis aſſumſiſſe, quaſi juſſis à ſuis ſequacibus cruciari permiſit. Acta ſunt hæc Anno Domini MCCLXXXIV. Regina quoque Petri Arragonum Regis uxor, quæ & Manfredi Regis nata fuerat, feriâ ſextâ denuntiari juſſit eidem Principi Carolo captivato, ut animæ conſuleret, ſubiturus necem, quam illius genitor Carolus Rex ſubire coegerat Regem Conradinum apud Neapolim. Quo audito ait ille, ſe æquanimiter & lætè necem pati ea die, qua Dominus Jeſus Dei Filius pro ſe mortem ſubierat. Quæ ut Reginæ delata ſunt ait: *Et ſi ille cauſa diei æquanimiter moritur, ego etiam illius gratia, qui ea die paſſus eſt, ejus miſerebor*, eumque juſſit ſervari incolumem.

CAP. XIX.

De morte Philippi Francorum, Petri Arragonum, & Caroli Siciliæ Regum.

PHilippus Rex Francorum IV. Anno Domini MCCLXXXV. factus hoſtis Petro Regi Arragonum ſuæ conjugis patri, quòd Siciliæ Regnum acceperat, & quòd ipſi Philippus ab Eccleſia Romana Regnum Arragoniæ ſibi conceſſum erat, maximum in Arragoniam duxit exercitum; urbem Girondam vi cepit; fame tamdem & lue muſcarum pæne totus defecit exercitus. Ipſe Rex Franciæ infirmus egrediens ab exercitu, in Pirpiniano morbo defecit. Nec multò poſt Petrus Arragonum Rex parvo vulnere, quod in prœlio habuit, animam exhalavit,

vir

vir in armis prævalens, & aſtutus conſilio, ac pugnator intrepidus. Qui duos reliquit filios Jacobum, & Fridericum. Sequenti anno quum Rex Carolus parato exercitu versùs Calabriam ſe tranſtuliſſet, cupiens Civitatem obſidere Meſſanam, & quæ conceperat implere nequiviſſet, tamdem menſe Januario gravi ægritudine correptus eſt, quam tamen ægritudinem diſſimulavit pro viribus, ne ejus adverſarii animarentur exinde, ſperans convaleſcere citò. Sed Deo aliter diſponente, die VII. ejuſdem menſi occubuit. Ferunt nonnulli, quòd mœrore rerum urgentium ejus apocopata ſit vita. Nam filius ejus Carolus captus, ut dictum eſt, à Rege Arragonum tenebatur. Theſauri & pecuniæ, quas filio reliquerat tendens in Galliam, in belli ſumtus, rediens audivit exhauſtos. Nobiles captos cum filio in vindictam Conradini, quem nece damnaverat, audiverat nece mulctandos. Ipſe etiam, poſtquam ex Africa duxerat exercitum, congeſto auro multo à Barbaris, & ex Regno ſummum apparatum armorum & claſſis paraverat, impetiturus bello Græcorum Imperium; ſed excutientibus jugum ejus Siculis, ingruerunt ſibi nimium res adverſæ. Italicos enim parvipendebat illiberalis, & ingratus; obſequentibus ſui indulgens, ſubjectos opprimens. Vir autem fuit prœlio ſtrenuus. Unum præ aliis formidavit, Petrum videlicet Regem Arragonum. Quo ſuperveniente in Siciliam, dum ipſe Carolus Meſſanam obſideret, & denuntiante Carolo eidem per literas, ut Regno Siculo cederet, quod juris conjugis erat, confeſtim deſerto exercitu ſuo in Calabriam rediit. Reliquit autem, ut dictum eſt, filium ſibi æquivocum tunc captivum, qui etiam genuit Robertum, qui in præſens regnat. Retentus eſt autem uſque ad tempora Pontificatus Bonifacii Papæ, qui fuit Anno Domini MCCXCIV. quibus temporibus Carolus cognomento ſinè Terra, Philippi hujus nominis V. Francorum Regis filius, vocatus ab eodem Bonifacio ad recuperandum Siciliæ Regnum, pro armis pacem inter Jacobum Arragonum Regem, Petri ſæpe dicti filium, ab hac tunc luce privati, & Eccleſiam Romanam compoſuit. In qua compoſitione actum eſt, quòd idem Jacobus Principem Carolum Caroli Regis jam defuncti filium relaxaret. Ipſe verò Jacobus Regnum Arragonum, Fridericus verò frater ejuſdem Jacobi Regnum Siciliæ, quibus ab Eccleſia genitor eorum privatus fuerat per Martinum Papam, licitè poſſiderent. Et ne idem Princeps Carolus Caroli filius, licèt Regnum patris non poſſideret, prorſus à nomine Regio eſſet excluſus, Regem ſe Siciliæ intitulari deberet; Fridericus verò ſe Regem Trinacriæ appellaret. Quod & factum eſt. Pulchrè autem de tituli variatione in uno & eodem Regno decretum fuiſſe dignoſcitur; nam ut antiquæ tradunt Hiſtoriæ, & Iſidorus etymologicus teſtis eſt, Sicilia olim Trinacria dicta fuit, eo quòd trina acria, aut promontoria habeat, Pachinum, Pelorum, Lilibæum.

Expletis, ut ſuccinctè præmittitur, geſtis Conradi Romanorum Regis, Friderici Secundi Imperatoris filii, Manfredi, Conradini, & Caroli Siciliæ, Petrique Arragonum Regum ſuper variis mutuiſque conflictationibus, ambitione & cupiditate regnandi, ac punitionibus peccatorum, gladio ultore divino, ſubſequitur de tyrannide Ezelini, qui fuit præfatis Regibus contemporaneus. Subſequenter deinde ponetur de Romanis Pontificibus, & ceteris eventibus ab ipſius Conradi temporibus uſque ad tempora Rodulfi Imperatoris.

CAP. XX.

De Ezelino de Romano.

Ezelinus de Romano, qui per Lombardiam & Marchiam Tarviſinam inhumanam diu exercuit tyrannidem, imperante ſcilicet Friderico II. & regnantibus Conrado, Manfredo, & Conradino, moritur Anno Domini MCCLIX. De cujus geſtis hæc pauca. Hic, ut habetur in Chronicis, Anno Domini MCCXXXVII. imperante Friderico Montagnanam Caſtellum obſedit. Poſt hæc cum eodem Imperatore Friderico fœdus & amicitiam firmavit, adjuncto Salinguerra Ferrariæ Domino. In qua amicitia, fœdereque Imperator ipſe ſprevit Azzonem Marchionem Eſtenſem, & Ricardum Comitem Sancti Bonifacii de Verona. Quum autem idem Ezelinus Veronæ, Vicentiæ, ac Paduæ dominaretur, ad obſidendam Mantuam maximas copias traxit, Anno ſcilicet Domini MCCLVI. Cui erant auxilio Cremonenſes cum Duce ſuo Uberto Marchione Pelavicino. In ea quoque expeditione erant in armis undecim millia Paduanorum. Suburbia igitur Mantuæ igne populatur & ferro. Interea Alexander Papa hujus nominis IV. Philippum Ravennatem Archiepiſcopum contra Ezelinum Legatum conſtituit. Qui congregato exercitu Cruceſignatorum Venetorum, Ferrarienſium, & exulum Paduanorum, Paduam impetit levi impugnatione. Qui præſidio ejus Urbis præfectus fuerat urbem deſtituit; qua ſinè conflictu victor Cruceſignatorum potitur exercitus die XX. Junii. Ea urbs direpta & exhauſta opibus omnibus, quæ inde auferri potuerunt. Ezelinus Mantuam obſidens, ejus audito clam nuntio, repentè motis caſtris Veronam traxit exercitum. Ibi undecim millia Paduanorum inermium ædibus quieſcentium capit, & in carcerem truſit, quos tandem omnes inedia & igne conſumſit. Inde petit Paduam, ſed nihil profecit. Sequenti anno Philippus jam dictus Archiepiſcopus Ravennas, Apoſtolicæ Sedis Legatus, à Brixienſi urbe admiſſus eſt. Qui mox eorum fraude ab Ezelino apud Turreſellas captus eſt, & truſus in vincula. Tamdem Anno Domini MCCLIX. facta eſt confœderatio contra eumdem Ezelinum per Cremonenſes, ducibus eorum Uberto Marchione Pelavicino, & Boſio de Duaria ex una parte, & Mantuanis & Ferrarienſibus, duce eorum Marchione Eſtenſi Azzone ex altera, hoſtes hoſtibus, Herodes Pilato, in perniciem Ezelini confœderati ſunt. Hujus cauſa fuit potiſſima, quòd Ubertus Marchio Dux Cremonenſium in perniciem Ezelini conſenſit, quòd obſequebatur Manfredo tunc Siciliæ Regi. Nam mortuo Conrado Rege, ſuperſtite filio infante Conradino in Germania, Manfredus vices Regni gerebat (datâ nequicquam operâ, extinguere veneno Conradi filium) literis & nuntiis fictis aſtruxit Conradi filium eſſe defunctum. Et ſtimulato dolore ac fletu veſtem pullam indutus eſt. Regem ſe conſtituit, & inclytè Regnum adminiſtravit. Ezelinus, qui Conradum dilexerat, comperto quòd natus Conradi vivebat, de cujus interitu audierat, lætus ait: *Vivit proles Conradi, & quam citò adoleverit, ego ipſe in poſſeſſione eum Regni aviti & paterni inducam, ejecto Manfredo Mugardo, qui regnat indebitè.* Eapropter Man-

fredus Rex juſſit Uberto Marchioni, ut ad Ezelini exterminium operam daret. Boſius etiam erat infeſtus Ezelino, quòd eum apud Brixiam capere molitus fuerat, quando poſiti ſunt ea. Igitur Ezelinus cum ingenti exercitu equitum tenens Mediolanum per aliquos ſibi promiſſum, flumen Adduam ſuperavit, ponte munito præſidio. Inſequitur hoſtium exercitus, & ad pontem perveniunt, quem occupant victo Ezelini præſidio. Rediens igitur Ezelinus, ſpe, quam conceperat, caſſus, ad pontem contendit, ſperans ea parte reditum facere. Pontem invenit ab hoſtibus occupatum, & ibi prope numeroſas copias inſidentes. Erant ibi Cremonenſes, Mantuani, ac Ferrarienſes cum eorum ducibus nominatis. Ezelinus dum ripas Adduæ peragrat, vadum quærens, pes ejus ſpiculo figitur. Equitatus Brixienſis, qui cum eo erat, ipſius juſſu primùm flumen vadavit die XXVII. Septembris. Qui confeſtim ſuperato amne motis ſignis propero greſſu aufugit, Ezelino relicto. Ezelinus equitatum reliquum per vadum trans flumen traduxit, cui hoſtes occurrunt. Ezelinum inde fugientem inſequuntur. Capitur Ezelinus clava ictus in capite. Paucis poſt diebus mederi recuſans moritur, & ſepelitur apud Sulcini Palatium diſtrictus Cremonenſis, quum jam annis XXXIV. in Marchia Tarviſina exercuiſſet infamem ac deteſtabilem tyrannidem. Fuit enim ultra Tyrannos ſanguinarius & crudelis. Sontes & inſontes fictis cauſis neci damnabat. Carceres refertos pueris & mulieribus ſingulis habebat in Urbibus: parvulos excœcabat, & peremtis partibus genitalibus natis privabat. Quicumque locuples, vel prudens, & potens erat, hic conſpiraſſe arguebatur. Fratrem ſuum virum pium ejus acta abhorrentem carcere maceratum peremit. Sororis ejus filium ſibi æquivocum in compedibus conſumſit. Ejus impia facta exponere non ſufficeret etiam facundus poeta. Horreo magnitudinem truculentiæ ipſius ſtilo retexere, quum ſit nimia.

CAP. XXI.

De damnatione ipſius ex hæretica pravitate.

PRæterea, quod non tantum in eo fuit deteſtabilius, ſed & damnoſius, publicè damnati hæretici fuit filius, hæreticorum cognatus; eumque Chriſtianæ Fidei contrarium ac hoſtem ejus, religioni Chriſtianæ opera contraria manifeſtarunt. Unde Innocentius Papa hujus nominis IV. eundem Ezelinum factis contra eum multis proceſſibus, & diuturna tolerantia, per ſex videlicet annorum curricula, vocationis, exſpectationis, & longanimitatis abuſum, ſicut manifeſtum hæreticum ſententialiter judicavit, ipſum excommunicatum & anathematizatum cum damnatis hæreticis judicando, adſcripta illius damnationis ſtipendia recepturum. Quam ſententiam idem Romanus Pontifex apud Lateranum tulit V. Idus Aprilis Pontificatus ſui Anno XI. qui fuit Annus Domini MCCLIV. Regni verò Conradi nati Friderici Secundi Imperatoris Secundus & Ultimus. In qua quidem ſententia ejuſdem Ezelini valdè deteſtatur tyrannidem, dicens *truculentam ipſius inhumani hominis rabiem, ſævamque barbariem, quem diræ malignitatis enormitas fecit inſignem, & Mundo non incognita factorum atrocium multitudo ſpectabilem, humana ſocietas noſcitur pertuliſſe prorſus in ligné. Qui ſub hominis vultus effigie bellualem animum retinens, Chriſtiani ſanguinis ſitibundus & ſuis rigidus, alienis implacabilis, adverſus communia humanitatis fœdera bellum geſſit. Cujus effera crudelitas ſic in omnes exarſit, ut nec fortunæ, nec vitæ pepercit etiam amicorum, nec ſexum miſeratus fuerit in quibuslibet, vel ætatem; nec alicujus Religionis vel Ordinis veneratus honorem, cæcans parvulos innocentes, adultos nequiter perimens, diverſis excogitatis in eos generibus tormentorum. Et quod probroſum eſt cogitare vel loqui, horrido ſectionis impiæ cultro tam feminas, ut dicitur, eunuchizare, quàm mares, ſpem futuræ prolis occidens in ſuperſtitibus occiſorum, ut ex internitione quodammodo fiat eorum etiam, quos adhuc de lumbis natura non protulit homicida.* Hæc ex jam dicta ſententia ſunt collecta. Sequitur de Alberico ejus fratre altero Tyranno.

CAP. XXII.

De cæde Alberici fratris Ezelini.

ALbericus de Romano Ezelini germanus, quum jam diu ſævam tyrannidem Terviſii exercuiſſet, adeò ut ipſa Civitas & hominibus, & opibus pæne eſſet exhauſta, cognita nece fratris, Anno Domini MCCLX. cum uxore & liberis quatuor in arcem Sancti Zenonis aufugit. Tarviſini, Paduani, & Azzo Marchio Eſtenſis arcem obſidione cinxerunt. Quum diu incluſi rebus deficerent, ii qui erant loci præſidio deditionem faciunt, invito Alberico. Erat cum eo vir Judex Conſiliarius ejus, Jacominus de Tebaldis Civis Bononienſis. Hic operi civium ſuorum, qui in exercitu erant, obtinuerat, ut egredi poſſet impunè. Petenti ei licentiam exeundi arcem ab Alberico, ipſe reſpondit: *Epulaberis mecum dapibus, quas mecum paraſti. Numquam enim mihi ſævienti aut gerenti perperam piè perſuaſiſti.* Ait ille: *Timebam non obſequi vobis.* Eductus eſt igitur Albericus cum uxore tyranna, & filiis, extra arcem in hoſtium caſtra, cujus os erat trunco ligni obſtructum. In ejus conſpectu primò filii ejus tres trucidantur: uxori tyrannæ veſtes tenus inguina abſcinduntur, ita ut obſcœnæ partes paterent: demum crematur rogo, & cum ea filia nubilis. Ultimus Albericus pulſatus faciem membris natorum tantæ cladis ſpectator, in fruſta diſſectus eſt. Judex Conſiliarius cæſus eſt in partes minutas. Albericus licet minùs debaccharetur olim in ſanguine innocentum, Ezelino tamen fratre fuit injuſtior. Horum neces horrendas, ſive futurum finem infauſtum, in hoc Sancti Zenonis loco pronoſticaſſe fertur quidam inſanus, qui per annos fermè ſeptem ante hoc judicium, univerſam Marchiam Tarviſinam aſſiduis replebat clamoribus, talia verba repetens: *Ad Sanctum Zenonem conterantur nates.* Sequitur de Romanis Pontificibus, qui ſucceſſivè præſederunt à tempore Conradi Regis Friderici filii uſque ad Rodulphum Romanorum Regem, & de ceteris Prælatis & viris illuſtribus illorum temporum.

CAP. XXIII.

De Papa Alexandro hujus nominis IV. ex Chronicis.

ALexander, natione Campanus, de Civitate Anagniæ, hujus nominis IV. regnante Conrado Romanorum Rege filio Friderici II. in Romano Pontificatu ſedere cœpit, Anno ſcilicet Domini MCCLIV. Sedit autem annis VII. menſibus

Digitized by Google

bus III. & ceſſavit menſibus III. Hic bellum geſſit contra Manfredum, ejuſdem Friderici filium, eo quòd acceperat Siciliæ Regnum, eumque depoſuit. Duos peſtiferos Libellos reprobavit, quorum unus damnabat Religioſos eleemoſynis viventes; alter verò aſſerebat, quòd Evangelium Chriſti & Novi Teſtamenti doctrina neminem ad perfectum perduxit, & evacuari debere doctrinam Joachim, quam conditor Libri Evangelium æternum nominavit, totam perfectionem hominum ſalvandorum in illa ponendo. Hos Libellos Papa jam dictus irritos duxit & frivolos. Alibi legitur, quòd Evangelii & Novi Teſtamenti doctrina evacunda erat poſt MCCLX. annos, & in ſexageſimo Anno debere inchoari doctrinam Joachim. Dicebatur etiam ibi, quòd Sacramenta Novæ Legis in ſexageſimo Anno evacuarentur. Quæ omnia & auctoritas Apoſtolica, & prædicti temporis experientia exſufflavit. Hic etiam Anagniæ canonizavit Beatam Claram, quæ fuit Ordinis Sancti Damiani. Moritur autem Viterbii, & in Eccleſia Sancti Laurentii tumulatur.

CAP. XXIV.

De Papa Urbano IV. ex Chronicis.

URbanus hujus nominis IV. Alexandro ſucceſſit. Cœpit Anno Domini MCCLXI. ſeditque annis III. & menſe uno. Vacavit autem Sedes menſibus V. Alibi dicitur IX. Hic fuit natione Gallicus de Civitate Trecenſi, priùs vocatus Jacobus. Fuit Patriarcha Hieroſolymitanus. Duas ordinationes fecit. Exercitum Sarracenorum, quem Manfredus in Patrimonium Eccleſiæ miſerat, per Cruceſignatos fugavit. Comiti Provinciæ Carolo fratri Ludovici hujus nominis IX. Francorum Regis, conſilio Cardinalium, Regnum Siciliæ dedit, ut illud à Manfredo eriperet, Anno Domini MCCLXIII. Moritur tamdem Peruſii, & in Eccleſia Sancti Laurentii ſepelitur.

CAP. XXV.

De Papa Clemente IV. ex Chronicis.

CLemens hujus nominis IV. eidem Urbano ſucceſſit. Cœpit autem Anno Domini MCCLXV. ſeditque anni III. menſibus IX. diebus XXI. & ceſſavit Papatus annis II. menſibus IX. Hic fuit natione Provincialis de Villa Sancti Ægidii, priùs vocatus Guido. Fuit etiam primùm in matrimonio, & liberos habuit. Defuncta verò uxore factus eſt Clericus, qui primò Advocatus & Juriſconſultus famoſus, mox Regis Franciæ Conſiliarius, tamdem propter ejus vitam laudabilem efficitur Podienſis Epiſcopus. Mox Archiepiſcopus Narbonenſis; deinde Sabinenſis Epiſcopus Cardinalis. Quo fungens officio, ab Urbano Papa IV. in Angliam propter pacis reformationem Legatus mittitur, ubi agens legationis officium, mortuo Urbano, ipſe abſens à Cardinalibus Peruſii in Papam eligitur. Qui Eccleſiæ ita præfuit, ut nullo digniori Epiſcopo ea ætate Eccleſia Romana ſit gubernata. Nam jejuniis, vigiliis, & orationibus, ac aliis bonis operibus intentus fuit, multaſque, quas tunc Eccleſia ſuſtinebat, tribulationes Deus ejus meritis creditur extinxiſſe. Conradinum Regnis Hieruſalem & Siciliæ privavit ſententia. Ipſe etiam Viterbii canonizavit Sanctam Edvvigem quondam Duchiſſam Poloniæ miræ devotionis viduam. Mortuus eſt Viterbii, & in Eccleſia Sancti Laurentii ſepultus.

CAP. XXVI.

De Gregorio Papa X. ex Chronicis.

GRegorius hujus nominis X. Clementi ſucceſſit. Cœpit Anno Domini MCCLXXII. & ſedit Annis IV. menſibus VIII. diebus XV. Hic fuit natione Lombardus de Civitate Placentia ex proſapia Vicecomitum, priùs vocatus Theobaldus; qui dum eſſet Leodienſis Archidiaconus, in Syriam devotionis cauſa adiit, & eo morante in ultramarinis partibus, ut dictum eſt, apud Acon, Cardinales, quorum vota jam duobus annis, novemque menſibus diſſenſerant in electione Pontificis, eis exiſtentibus in Palatio Viterbienſi, tamdem in Papam eum unanimiter elegerunt. Creditum eſt à multis, quòd aliqui ex Cardinalibus opinarentur, eum eſſe defunctum, & ideo ut conclavim evaderent, conſenſiſſe: unde quidam;

Gregorius Denus congregat omne genus:
Scandit per ſaltum ſubitò Theobaldus in altum;
Ex odio Fratrum fit pater ipſe patrum.

Fertur etiam, quòd quum nuntiata ſibi electione Acon urbem exiviſſet, ciſmarinas ad partes venturus, fervore ductus ſpiritus ad Terræ-Sanctæ zelum, in qua diu fuerat peregrinus, versùs urbem Acon manum extendens ait: *Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui; ſi non propoſuero Hieruſalem in principio lætitiæ meæ.* Fuit autem vir timoratus & juſtus. Unam ordinationem quinque Epiſcoporum Cardinalium quamplurimum laudabilem fecit, quia viros honeſtos & valentes aſſumſit. Anno etiam III. ſui Pontificatus ad ſubſidium Terræ-Sanctæ procurandum, quam viſitare perſonaliter intendebat, prout verbis jam expreſſis innuerat, Lugduni ſolemne Concilium celebravit, in quo Græcorum ſcilicet Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Archiepiſcopus Nicænus, & Magnus Logotheta (duo alii perierunt in mari) & Tartarorum ſolemnes Nuntii affuerunt. Græci ad unitatem venire promiſerunt ibidem: in ſignum cujus Spiritum Sanctum confeſſi ſunt à Patre Filioque procedere, Symbolum in Concilio ſolemniter decantando. Nuntii verò Tartarorum intra Concilium baptizati, & cum Papa concordes ad propria redierunt. Numerus autem Prælatorum, qui fuerunt in ipſo Concilio, quingenti Epiſcopi, ſexaginta Abbates, & alii Prælati circa mille. Multa præterea utilia in eo Concilio ſunt ſtatuta, videlicet pro ſubſidio Terræ-Sanctæ, pro electione Summi Pontificis, pro ſtatu Eccleſiæ univerſalis. Decimas pro paſſagio ab Eccleſiis colligi fecit. Rodulfus Romanorum Rex, & Philippus Francorum Rex hujus nominis V. cum multis Baronibus transfretandi voto Cruce-ſignati ſunt. Rediens mox à Concilio idem Romanus Pontifex, quum eſſet apud Aricium, vita defungitur Anno Domini MCCLXXVI. IV. Idus Januarii, ibique ſepelitur: vir quidem miræ experientiæ in ſecularibus, nec intendens pecuniarum lucris, ſed pauperum eleemoſynis, & qui ad Terræ-Sanctæ ſubventionem totis animis inhiabat, Gregorii VIII. Prædeceſſoris ſui in hoc verè voto conformis. Sequitur de ceteris Prælatis & Doctoribus horum temporum.

CAP.

CAP. XXVII.

De Ottone Archiepiſcopo Mediolanenſi ex Chronicis.

OTto natione Mediolanenſis ex proſapia Vicecomitum Anno Domini MCCLXI. qui fuit Annus primus Pontificatus Urbani IV. Archiepiſcopus Mediolanenſis efficitur: qui ſedit Annis XXXIII. diebus XVIII. Huic autem Archiepiſcopatum contulit præfatus Urbanus ad inſtantiam Octaviani Cardinalis, cujus tunc erat Camerarius. Reſervaverat enim ſibi Papa Archiepiſcopatum ipſum, decidendo diſcordem electionem factam de Raymundo Epiſcopo Cumano, qui erat de proſapia Turrianorum, & fuit poſtmodum Aquilejenſis Patriarcha, & quodam alio. Hic fuit vir prudentiſſimus, & conſtantiſſimus, & largus pauperibus, amator juſtitiæ, & promotor Cleri, multumque reverens Religioſis Ordinum paupertatis. In adverſariis quoque expugnandis virtuoſu & fortis, & etiam proſtratis mitis & clemens. Nam quum Turrianorum proſapia dominaretur in Urbe Mediolani, & ipſe cum Capitaneis & Valvaſoribus exularet, in quo quidem exilio fuit Anni ferè . . . . contigit, quòd dum ipſi Turriani apud Burgum Dexium eſſent conflicti, & multi ex eis occiſi, multique capti, Neapoleo major ex Turrianis, & totius illius factionis caput & auctor, ad conſpectum ejuſdem Archiepiſcopi fuit victus adductus; & quum ab eo injuriarum & offenſionum remiſſionem & excommunicationis abſolutionem, nec non de bonorum Eccleſiæ Mediolanenſis invaſione indulgentiam & remiſſionem expectaret, Archiepiſcopus reſpondit, quòd injurias remittebat, & abſolutionem impendebat ſuper excommunicatione. De bonis autem non erat ſuum remittere, quæ ſua non erant. Præbendam in Eccleſia Mediolanenſi conſtituit pro Lectore Theologiæ de propriis impendiis reditus C. librarum in Anno, & hoc perpetuò. Matthæum ex jam dicta proſapia Vicecomitum, natum Theobaldi fratris ejuſdem Archiepiſcopi, non ſinè multa induſtria ad primum honoris gradum promovit; etenim operativa circumſpectione factus fuit Mediolanenſis Capitaneus. Quod officium dum multis jam geſſiſſet Annis, factus etiam fuit ab Adulfo, & demum ab Alberto Romanorum Regibus, eorum & Imperii Vicarius in partibus Lombardiæ, eidem committentes merum & mixtum Imperium, & omnem juriſdictionem ac poteſtatem, quæ eis in Imperio competebat, Regio nomine exercendas. Henricus præterea VII. Romanorum Imperator ſuum etiam in Mediolano Vicarium fecit; quo defuncto Univerſitas Mediolanenſis eum præfecit in Dominum, nec non Civitates Pergami, Papiæ, Novariæ, Vercellarum, Alexandriæ, & Terdonæ. Capellam quoque in eadem Eccleſia hyemali Mediolanenſi ſub titulo Virginis Agnetis ordinavit, eamque dotavit largiter, conſtituens ibi proprium Sacerdotem: In qua & ipſe in alto & condigno ſepulcro rubro marmore quieſcit. in quo etiam ſculptis & deauratis apicibus Epitaphium verſibus hexametris perpolitis legitur, quod tale eſt:

Inclytus ille Pater, Patriæ lux. gloria patrum,
Fulgor juſtitiæ, fidei baſis, arca ſophiæ,
Largitor veniæ, portus pietatis egenis,
Intrepidus paſtor, quem moles nulla laborum
Ardua devicit, populo latura quietem,
Ille priùs Princeps & Præſul amabilis, in quem
Altus virtutum ſplendor convenerat omnis;
Clara Vicecomitum proles, Venerabilis Otto,
(*) Quo Mediolanum radiabat lampade tanta,
Nunc plange ademtum regia tota patrem.
O dolor, o vulnus! cinis hoc in marmore factus;
Chriſte pater vitæ, requieſcat ſpiritus in te.
Annis undenis ter ſenis terque diebus
Præfuit Eccleſiæ Paſtor bonus Ambroſianæ.
(**) Mille ducenteno quinto novieſque deceno
Quarto hic Auguſti bis liquit gaudia Mundi.

Ex hoc patet, quantus hic vir fuerit in vita ſua. Huic ſucceſſit Franciſcus natione Parmenſis.

CAP. XXVIII.

De Galtero Archiepiſcopo Januenſi.

GAlterus de Vexano Januenſis Archiepiſcopus VI. his temporibus ſedit annis XXI. Cœpit Anno Domini MCCLI. poſt cujus mortem vacavit Archiepiſcopatus annis duobus. Hic factus fuit Archiepiſcopus per Innocentium Papam hujus nominis IV. Anno ſcilicet ultimo Pontificatus ipſius, cui multa erat familiaritate conjunctus. Nam quum eſſet priùs Archidiaconus Lunenſis, fecit eum Papa in Anconitana Marchia Marchionem, & poſtmodum de Archiepiſcopatu Januenſi providit eidem. Fuit autem vir magnæ honeſtatis, pietatis, & gratiæ; & licèt eſſet nobilis genere, moribus tamen ſe nobiliorem effecit. Peritus quoque in Jure multa fuit virtute conſpicuus, tantaque fama præclarus, ut aliquando Sede vacante tractatum ſit inter Cardinales de ipſius aſſumenda perſona. Ipſe quoque à Sede Apoſtolica impetravit, ut nullus Clericus Januenſis Diœceſis, maximè tempore guerræ, poſſit de diſtrictu Januenſi obtentu aliquarum litterarum extra ſuam Diœceſim aliqua cauſa citari. Tamdem vir Deo amabilis, & hominibus gratioſus, plenus bonorum dierum, & operum bono odore fragrans, beato fine quievit, Anno ſcilicet Domini MCCLXXIV. Cui ſucceſſit Bernardus natione Parmenſis. Ejus tempore, ſcilicet Anno Domini MCCLXX. facti ſunt Capitanei Populi Januenſis Nobiles viri Obertus Spinula, & Obertus de Auria, quod officium per annos XXII. exercuerunt, excepto quòd Obertus Auria contra vota Populi anno quintodecimo reſignavit. Sed in locum ejus Conradus natus ipſius ſubſtitutus eſt, ſtetitque in eo officio annis ſeptem. Ejus etiam tempore Januenſes habuerunt guerram cum Piſanis & Venetis, qui XXVI. Galêas amiſerunt. Armaverant enim naves IV. & Galêas XL. quas contra eoſdem Piſanos & Venetos miſerant Acon; & tunc erat Capitaneus Populi quidam Willelmus Buccanigra, qui tenuit Capitaneatum annis V. & cœpit Anno Domini MCCLVII. Admiratus claſſis hujus fuit Rubeus de la Turcha. Tamdem poſt longam diſcordiam fecerunt partes compromiſſum in Dominum Papam Alexandrum hujus nominis IV. & durante treuga Piſani & Veneti Turrem excelſam & formoſam, quam in Acon ædificaverant, Januenſes ſolo everterunt.

CAP.

(*) *Apud Corium non leguntur hi duo verſus.*
(**) *Adduntur ex Corio hi duo, qui in Moto Eſtenſi non leguntur.*

CAP. XXIX.

De Accurſio Legum Commentatore.

ACcurſius Legum Commentator apud Bononiam per hæc tempora moritur, Anno ſcilicet Domini MCCLVIII. Hic fuit genere Thuſcus, oppido . . . . . .

CAP. XXX.

De Oddofrido, & ſcripturis eorum.

ODdofridus huic paucis ſupervixit annis, vir natione Bononienſis; & in Juris peritia Accurſio non inferior. Hi ambo ſepulti ſunt Bononiæ apud Fratrum Minorum Eccleſiam; quibus conſtructæ ſunt ſupra tumbas eorum in operimentum inſigne ſpecioſæ pyramides.

CAP. XXXI.

De morte Azzonis Eſtenſis Marchionis.

AZzo Marchio Eſtenſis his etiam temporibus, Anno ſcilicet Domini MCCLXIV. ſextodecimo Februarii Ferrariæ moritur. Apud Minorum Eccleſiam corpus ejus conditum eſt marmore rubro, in cujus funere etiam qui adverſæ factionis erant, neque lachrymas nec gemitus continebant non fictos. Vir autem fuit liberalis, innocens tyrannidis iſtius: quem ſummè pudebat quemquam à ſe poſtulantem dimittere triſtem, in hoc imitatus Titum Imperatorem.

CAP. XXXII.

De Alberto Theutonico.

ALbertus Theutonicus Ordinis Prædicatorum, Philoſophus, & in Scripturis mirabilis per hæc tempora vir illuſtris habetur.

CAP. XXXIII.

De Palæologo Imperatore Græcorum.

PAlæologus Græcorum Imperator Anno Domini MCCLIX. Conſtantinopolim, quæ olim per Venetos & Gallicos capta fuerat, ut in Hiſtoria Andronici & Kirſachi Imperatorum legitur, quæ poſita eſt ſub Friderico Primo, prœlio recuperavit. In alia Chronica habetur, quòd Anno MCCLXI. Balduinus Imperator & Veneti Urbem Conſtantinopolim ſuccenderunt.

CAP. XXXIV.

De clade Florentinorum in Comitatu Senenſi.

FLorentini & Lucani Anno Domini MCCLXI. in Thuſcia Italiæ mirabilem habuerunt eventum, nam quum confiſi de ſuorum multitudine & fortitudine Comitatum Senenſium intraſſent, & Senenſes freti auxilio Regis Manfredi Siciliæ, ipſis ad bellum obviam exiviſſent, Florentini & Lucani fraude ſuorum ſunt decepti; nam in inchoatione primi conflictus præcipui inter Florentinos erant ad hoſtes accedentes, & in ſuos cum Senenſibus plurimùm ſunt debacchati. Dicuntur autem de Florentinis tunc inter mortuos & captivos pluſquam ſex millia hominum corruiſſe. Apud locum, à quo Monſapertus dicitur, illata eſt clades: pars Ghibellina tunc potita eſt Urbe Florentiæ. Auxilio Senenſibus erant equites Regis Manfredi, duce illis Comite Jordano, & exules Florentini. In exercitu Florentinorum fuiſſe dicuntur jumentorum, quæ appellantur ſalmarii, mille & ſexaginta. Ferebant enim, præter impedimenta exercitus, eſcalia ad Caſtelli cujuſdam ſubventionem, quod Montalcinum dicitur, Senenſibus valde infeſtum. Poſt hæc Anno Domini MCCLVII. die Reſurrectionis Dominicæ menſe Martio pars Guelforum à Ghibellinis tunc dominantibus in Civitate Florentiæ recepta, mota ſeditione Ghibellinos expellit Florentia, quæ & uſque in præſentem diem exulat ipſa Urbe.

CAP. XXXV.

De victoria Bohemorum ex Hungaris.

REx Hungariæ Anno Domini MCCLX. pro quibuſdam terris Regem Bohemiæ eſt aggreſſus, habens in exercitu ſuo diverſarum Orientalium nationum & Paganorum circa quadraginta millia equitum. Cui Rex Bohemiæ cum centum millibus equitum, inter quos fertur habuiſſe mille equos ferreis coopertos phaleris, ad reſiſtendum occurrit; & tunc in confinis Regnorum fuit prœlium inchoatum. Ex colliſione equorum & armorum tantus pulvis de terra ſurrexit, ut media die vix homo hominem cognoſcere potuiſſet. Tandem Hungari Rege eorum graviter vulnerato terga vertentes, quum cedentes effugere feſtinarent, in quodam fluvio profundiſſimo, quo tranſeundum eis erat, præter alios occiſos, circa quatuordecim millia hominum ſunt ſubmerſa. Subſequenter Rege Bohemiæ victoriâ habitâ Hungariam intrante, Rex Hungariæ pacem quærit, terraſque, quæ cauſa diſcordiæ fuerant, reſtituit, & in futuram amicitiam matrimonium confirmavit.

CAP. XXXVI.

De novitate Verberantium in Italia.

EOdem Anno Autumni tempore inaudita novitas fuit per omnem ferè Italiam, quæ à quibuſdam infimis & ſimplicibus perſonis fuiſſe dicitur inchoata. Nam pæne omnes viri ſenes & juvenes, parvi & magni, brumali tempore nudi corpora infra tamen umbilicum tecti verecundia, etiam pedes, longo agmine bini euntes per urbes & caſtella & pagos villicolæ vicatim incedebant, terga eorum flagellis ex nervibus, alii ſpinis, alii manicis ferreis cædentes, laudes Dominicas & Genitricis ejus pſallentes, vexillis ante latis, & crucibus, ac per ſingula compita clamitantes *pax, pax*. Mulieres verò noctibus per vicos congregatim id faciebant. Et quamquam à primordio hujus piæ novitatis deliri & fatui à quibuſdam ſic ſe cædentes haberentur, tamdem pia devotione creſcente ſacrilegus habebatur, quicumque id facere detrectaſſet. Ex hoc infinitæ diſcordiæ, ac hoſtilitates inter concives pacatæ ſunt; nam qui homicidia commiſerant, gladiis denudatis ad hoſtes ibant, & flexis genibus injuriatis ad vindictam ſumendam offerebant: qua humiliatione compuncti & humiliati qui offenſi erant, proſtratis gladiis in fletu & lacrymis offenſores ſuos pacis oſculo amplexabantur. Tyranni tamdem urbium edictis & mulctis hanc devotiſſimam novitatem com-

compeſcuerunt. Quæ tamen uſque in hodiernum diem perdurat in hominibus, qui ſua Collegia piè fecerunt.

CAP. XXXVII.

De fuga Saracenorum ex Hiſpania.

ALphonſus Rex Caſtellæ iiſdem temporibus, ſcilicet Anno Domini MCCLXIV. Saracenos, qui in Hiſpanias penetraverant, armis & prœlio ſtravit atque retruſit. Ipſi enim Saraceni, procurante, ut fertur, Rege Granatæ tributario ipſius Regis Caſtellæ, in multitudine magna ex Africa per anguſtum mare intrantes Hiſpanias, magnam plagam in Chriſtianos exercuerunt, intendentes, quam olim perdiderant, recuperare Hiſpaniam. Sed illarum partium adunati Chriſtiani, & Cruce-ſignatorum ex diverſis partibus auxilio adjuti, licèt cum multo Chriſtianorum ſanguine, de Saracenis triumpharunt.

CAP. XXXVIII.

De Vetulo de Montanis domino Aſſaſſinorum.

VEtulus de Montanis infauſtæ quondam religionis, immo deluſionis, Arſacidarum, ſive Aſſaſſinorum Abbas, ſeu Dominus, his temporibus, Anno ſcilicet Domini MCCLXII. à magno Tartarorum Orientalium Rege Alchuì nomine cum omnibus ſatellitibus ſuis exterminatus, dominio & vita privatur. De cujus peſtifero exordio, doctrina, fide, moribus, atque fine hæc pauca ex diverſis Libris Hiſtoricis traducta hoc à me loco breviter ſunt digeſta.

CAP. XXXIX.

De mirabili obedientia ſubditorum ipſius Domini.

IN Provincia Phœnicis, quæ & Tyrus, in qua ſunt Civitates Tyrus, & Sidon circa fines civitatis Anteradi, quæ nunc Tortoſa dicitur, diſtans ab Achon leucis XII. Populus quidam ſcopulis & montibus undique circumcluſus inhabitat, habens Caſtella decem fortiſſima, & propter viarum anguſtias & rupes inacceſſibiles inexpugnabilia cum ſuburbanis, & vallibus omnium fructuum & frugum fertilitate fœcundiſſimis, & amœnitate jucundis. Ii autem, qui Aſſaſſini dicebantur, XL. millia eſſe ferebantur. Habebant autem Dominum non per ſucceſſionem, ſed per electionem, qui Senex ſive Vetulus dicebatur, non tam ratione ætatis provectæ, quàm prudentiæ & dignitatis præeminentia. Locus autem, unde venerunt, eſt in Syria, in partibus videlicet Orientalibus valde remotis, verſùs Civitatem Baldachenſem, & partes Perſidis provinciæ. Erant autem in tantum ſuo domino obedientes, ut nil adeò eis grave eſſet, quod non hilari animo & ardenti voluntate ad ejus nutum perficerent. Unde quum Henricus Campaniæ Comes, qui fuit terræ Hieroſolymitanæ Dominus, dum compoſita per eum inter Armenos & Antiochenos pace, rogatus ab ipſo Vetulo, quòd per terram ſuam diverteret, vidit una dierum turrim excelſam deambulans cum eodem Vetulo, in cujus ſummitate juvenes albis tunicis inſidebant. Quumque interrogaret Vetulus, an Comes ſic obedientes haberet ſuos ſubditos, quemadmodum ipſe ſuos, intercipiens Comitis reſponſum, duos ex juvenibus, qui ſupra turrim erant, ſigno noto vocavit; qui ſtatim ſe ſe de turri præcipitantes, colliſis ad terram corporibus, animas exhalarunt. Comes verò ſtupefactus aſſeruit, non ſic profectò ſuos obedientes exiſtere, immo pæne ipſos nuntios * Dei habebat. Itaque Senex ille, vir quidem religioſus, quamquam infauſtæ regulæ obſervator, magnum & amœnum viridarium Palatus marmoreis, muris perornatis operibus diverſis, polymitis coloribus, & cælaturis variis laqueatis, nec non muris, & antemuralibus circumcluſum. Erant autem muri teſtudineati, & intra teſtudines per fiſtulas conducebatur vinum, lac, mel, oleum, & aqua, quæ in medio viridarii oriebantur. Erant etiam intra ipſorum murorum teſtudines de omni genere cibi, & omni ſpecie veſtium: lecti quoque regales. In eodem etiam viridario omnis herbarum & arborum maneries habebatur; in quo nutriri & cuſtodiri mandabat filios ruſticorum ſuorum, ex quo primùm loqui didicerant, quouſque ad ætatem annorum XX pervenissent. Eligebat autem illos, quos aſpectus, actus, & inceſſus, quantumcumque juvenilis, audaciores præmonſtrabat futuros. Nutritii autem eorum in omni erant Lingua facundi, qui & ipſos pueros in omni idiomate inſtruebant, eoſque dogmatizabant, quòd ii ſoli ſalvarentur, qui adimplendo Vetuli mandata mortui eſſent, aſſerentes illum Dei eſſe Prophetam. In eo etiam viridario introducebantur puellæ ab ipſa infantia magis venuſtiores, quarumque ex aſpectu natura ad actus venereos proclivis eſſe videretur futura. Hæ doctæ pſallere, choreizare, ac melodiari, & tympanizare, ſonorum ſive conſonantiarum peritiâ, quæ ad aurium pertinent voluptatem, ſeu choreizandi induſtriâ, pſallendi agilitate, & cantandi ſuavitate puerorum demulcebant auditum, & ſpiritus in concupiſcibilibus incitabant. Ab ipſa quoque infantia præelectæ puellæ ad explendas puerorum voluptates uſque ad conceptionem in eodem viridario morabantur: poſt conceptionem verò ſtatim nocte illas Vetulus mandabat excludi. Dogmatizaverat præterea Vetulus gentem ſuam, quòd viridarium iſtud deliciarum erat Paradiſus; de qua Mahometus in Alcorano ſuo Legem Saracenicam continente, dicit, quòd *ambulantes in Paradiſum, habebunt mulieres venuſtis oculis, veluti margaritas fulgentes, ſui operis præmium. Quidquid ergo de pomis voluerint, obtinebunt; & quòd ibi ſunt flumina aquarum, in quibus nihil noxium eſt; flumina quoque lactis, cujus ſapor numquam deficit; flumina etiam vini bibentium delectatio; & flumina mellis puriſſimi omnem dulcedinem ſuperantis*. Et ideo hoc viridarium plantari fecerat ad inſtar illius, de quo loquitur Mahometus; & continuè Alcoranum eis legi mandabat. Ceteris autem hujus viridarii prohibebatur ingreſſus. Quum autem pueri, ut dictum eſt, in viridario nutriti ad annum XX. perveniſſent, data eis lethargica potione, extra viridarium portabantur, quos ad ſe Vetulus jubebat adduci. Quibus quum dixiſſet, quòd de Paradiſo exiverant, in quadam eos turri faciebat includi, ubi ſerpentum & vermium aſpectu, magnoque eos jejunio macerabat. Dicebaturque eis, quòd ille erat horrendus locus Inferni, ex quo veriùs autumabant, ſe ſe de Paradiſo exiviſſe; ſentientes ſcilicet ſquallorem & horrorem tam diſſimillimi à viridario loci, & ſuſtinentes tam arctam cibi penuriam poſt lautiſſimas epulas, in quibus fuerant enutriti. Quumque ad aliquem occidendum per Mundi partes eos man-

mandare volebat, nuntiari eis faciebat, quòd ſi volebant ex Inferno egredi, & in Paradiſum reverti, ejus ad plenum voluntatem implerent. Quibus reſpondentibus, præſto eos adeſſe, dabat ſingulis tres cultellos, & ad interſectionem hominum ad quæcumque loca decreverat, cum ipſis ſe cultellis intrepidè exponebant, & morte neglecta ſatagebant per verſutias & aſtutias Domini ſui mandata complere. Promittebat enim eis propter hujuſmodi exequutionem mandati, etiamſi morerentur, longè eos majores delicias habituros ſinè ſine poſt mortem in patria ſempiterna, quàm eſſent illæ, in quibus fuerant enutriti. Qui autem propter hoc tale mandatum Veteli moriebantur, Martyres reputabantur à ſuis, & inter ſanctos à Populo illo fatuo in multa reverentia habebantur. Parentes quoque eorum, qui occiſi erant, ipſe Senex multis & magnis ditabat muneribus. Si ſervi erant, liberi permittebantur abire.

Ab his igitur Aſſaſſinis, quos, ut dictum eſt, Vetulus ſæpe mittebat ad vitam Magnarum & Nobilium intercipiendam, multi ſunt occiſi, etiam Reges, & Præſides. ac Magnates; inter quos treugarum tempore cum Sarracenis filium Tripolitani Comitis adoleſcentem ſpectabilem in Eccleſia Beatæ Mariæ apud Anteradum, ſive Tortoſam, ante Altare procumbentem nequiter occiderunt. Unde Militia Templi non ceſſavit eos perſequi pro tam religioſa immunitate violata, donec humiliarentur uſque ad ſervitutem tributi. Tria namque millia Byſantiorum annuatim Templariis ſolvere cogebantur. Conradum præterea Marchionem Montisferrati contra perfidos Sarracenos, in ultramarinis partibus tunc pugilem ſtrenuum, Tyri Dominum, in eadem Civitate duo ex his biennio ſecum familiaritate contracta, & ejus facti aſſeclæ, funeſti gladiis trucidarunt. Odoardum præterea Anglorum Regem illuſtrem: quum ad Terræ-Sanctæ ſubſidium transfretaſſet, ab uno horum Aſſaſſinorum, fingente ſecreta ſecum habere pandenda conſilia, & ideo cum eodem Rege remotis arbitris recluſus in thalamo, gladio veneno infecto percuſſus fuit in humero. Qui tamen Rex licèt, quum nil ſibi tale referri metueret, ſtupidus eſſet effectus, reſumtis tamen viribus & ſpiritu, ut erat corde magnanimus, & in opere ſtrenuus, arrepto ſuppedaneo, in eum impegit, unde corruens exſpiravit. Rex autem quamquam ex vulnere brachii fuiſſet poſtmodum curatus, tamen in omni vita ſua per temporum quædam interſtitia tanto vulneris cruciabatur dolore, quòd ſemper aliquid ſtillabat humidi, ut non niſi reſecta cicatrice poſſet mederi. Et hoc virtute veneni contingebat, quo infectus fuerat gladius Aſſaſſini. Hi autem homicidæ, ſive ſicarii, transfigurabant ſe in diverſas ſpecies, & tum contra inferiores perſonas dedignabantur aliquid machinari. Ex talibus autem Vetulus iſte indiſſerenter verebatur à cunctis, ita quòd Principes multi promiſſis tributis & donis ejus amicitiam captare curabant.

CAP. XL.

Qualiter converſi ad Fidem iterum recidivarunt.

HIc etiam Vetulus ſuper omnes alios Sarracenos cum omni gente ſua Legem Mahometi, & ejus inſtituta diligenter & arctiſſimè ſervaverunt, uſque ad tempora videlicet cujuſdam Vetuli, qui naturali præditus ingenio, diverſarum ſcripturarum exercitatus ſtudio, Chriſtianorum Legem & Chriſti Evangelia cœpit cum omni diligentia legere & perſcrutari, admirans miraculorum virtutem, & doctrinæ ſanctitatem, ex quorum comparatione frivolam & irrationabilem cœpit abominari Mahometi doctrinam; & tamdem veritatis lumine illuſtratus ſubditos ſuos artibus maledictæ Legis ſtuduit paulatim revocare. Unde exhortatus eſt eos, & mandavit, quòd vinum cum modeſtia biberent, & carnes porcinas manducarent. Tandem verò poſt multas admonitiones, & varias ipſius Vetuli prædicationes, in hoc omnes concorditer conſenſerunt, quòd relictâ Mahometi perfidiâ, perceptâ Chriſti baptiſmi gratiâ efficerentur Chriſtiani; ita tamen quòd ejuſdem eſſent ditionis & libertatis, ut alii Chriſtianorum Legi ſubjecti. Erant enim tunc temporis Fratribus Militiæ Templariorum tributarii, duo millia Byſantiorum eiſdem annuatim perſolventes pro ſe uritate cujuſdam Terræ ſuæ, quæ in confinio terræ prædictorum Fratrum ſita erat; qui multas eis moleſtias occaſione viciniatis inferre conſueverunt. Præfatus autem Aſſaſſinorum Dominus unum de familiaribus ſuis virum eloquentem, prudentem, & ſtrenuum, de quo plurimùm confidebat miſit ad Regem Hieruſalem. Rex autem legationis intellectâ causâ pro tanti Populi viſitatione, & tot animarum a Diaboli laqueis liberatione Deo gratias agens, Nuntium Senis cum ſummo gaudio & honore magno recepit, & ipſum ad propria revertentem, ut Domino ſuo bonam Regis & Chriſtianorum voluntatem & magnum deſiderium nuntiaret, uſque ad fines Regni ſui deduci præcepit. Qui dum ſuos fines jam ferè ingreſſus Tripolim pertranſiiſſet, quidam ex Chriſtianis, vir Belial & iniquus, Dei timorem ante oculos ſuos non proponens, hominem de regio ducatu & Fidei Chriſtianorum ſinceritate confidentem, improviſum nil ſibi tale metuentem in detrimentum Chriſtiani nominis, & maximè Orientalis Eccleſiæ, interſecit. Unde Populus ille, qui tamquam planta novella nondum plenè radicatus erat in Fide, cum ira & magna indignatione à tam ſancto propoſito reſilivit. In uno igitur corporali homicidio proditor ille animas occidit innumeras.

CAP. XLI.

De morte & exterminio Vetuli, & gentis ſuæ.

DEnique quum gens illa in ſua reverſi perfidia eſſent, & Dominus eorum has peſſimas conſuetudines exerceret, non ſolùm in ſubditorum æternam perniciem, ſed in Chriſtianorum grande periculum atque diſpendium: contigit, ultionum Domino faciente, quòd Anno, quo ipſa Deitas carnem pro nobis aſſumſit MCCLXII. ut præmiſſum eſt, magnus Tartarorum Orientis Rex Alcbui nomine, volens hanc nationem ſibi ſubigere, eorum facinora execratus, quæ prorſus inhumana erant & cunctis nationibus pernicioſa, adverſùs Vetulum copioſum miſit exercitum. Princeps autem exercitus caſtrametatus eſt cum omni gente ſua apud Oppidum, in quo morabatur Vetulus ipſe. Manſit autem exercitus in obſidione ipſa annis tribus. Erat enim oppidum natura munitiſſimum, victualibuſque refertum. Tamdem ipſis victualibus obſeſſorum multitudini deficientibus, qui in eo erant, deditionem fecerunt. Potiti igitur Tartari oppido violentia famis, infamem illum Vetulum cum omnibus ſuis ſatellitibus, gladiis tru-

trucidarunt. Sicque Divino judicio illius perfidæ genis deſicit nomen & genus, Tartaris exterminantibus univerſa.

CAP. XLII.

De mirabili puellæ jejunio.

ANno Domini MCCLXV. puella quædam in Claromonte annorum ferme XIV. per annum ab omni cibo abſtinuit, ſed poſt ad communem uſum hominum rediit.

CAP. XLIII.

De pugionibus.

ANno Domini MCCLXVI. Italici exemplo Francorum pugionibus uti cœperunt, enſibus obſoletis.

CAP. XLIV.

De captione Antiochiæ.

ANno Domini MCCLXVII. Soldanus Babyloniæ, Armeniâ vaſtatâ, Antiochiam unam de formoſioribus Civitatibus Orbis cepit, & tam viris quàm mulieribus occiſis & captis, ipſam in ſolitudinem redegit. Eodem anno prœlium Caroli & Conradini.

CAP. XLV.

De exilio Uberti Pelavicini, & Boſii de Duvaria Cremonenſis.

AMatinus de Amatis, princeps factionis alterius Cremonenſium, anno eodem, quum longo tempore exules fuiſſent, principantibus in ea Uberto Marchione Pelavicino, & Boſio de Duvaria, procurante Legato Eccleſiæ, in ipſa Civitate recepti ſunt. Nam dudum ipſe Boſius, infidelium ejus conſilio, ea Civitate licentiaverat ipſum Ubertum, ut ipſe ſolus principaretur. Quo exacto, iidem, qui id ſibi perſuaſerant, egerunt, quòd Eccleſia Romana ibi miſit Legatum pacem compoſiturum inter Cives & exules. Quum Legatus accerſitus Cremonam veniſſet, ſubitò conclamatum eſt de pace. Boſius obſiſtere fuit impos. Admittuntur exules. Poſt demum excitata de induſtria ſeditione partium, Principes Civitati relegantur. Mox Amatinus cum ſuis revocatur. Boſius cum ſuis excluditur. Multi ex ſuis extruduntur Cremona: multi diffugiunt. Boſius, qui ingentes pecunias proſperando congeſſerat, in caſtello ſuo Rochetta ſummè munito ſe contulit, qui obſeſſus præſidio equitum quos conduxerat cum pecuniis abiit. Et tamdiu exul fuit, donec egens & decrepitus terminum vitæ dedit, hoſtibus & ſuæ factionis hominibus inviſus per Italiam, quoniam auctor fuerat calamitatis eorum. Nam primùm caſus Ezelini de Romano cauſa fuit cum hoſtibus ejus, ut ſupra agitur. Et quum à Rege Manfredo recepiſſet pecunias, quibus expendendis in conducendo milites exercitui Francorum pergenti ad Carolum contra Manfredum tranſitum prohibere cum Uberto Marchione promiſerat, eas pecunias non expendit, ſed ſibi ſervavit. Quapropter Rex Manfredus in eo ſperans, inventus eſt imparatus copiis exercituum, eoque ſu cubuit. Denique ipſum etiam Ubertum Cremona, ut dictum eſt, fecit abire. Exules quoque factionis amborum per Italiam vagi & profugi, & nonnulli alienarum Civitatum facti habitatores & cives uſque ad mortem manſerunt. Quorum etiam ſoboles uſque ad adventum Imperatoris Henrici VII. in Italiam, quæ fuit Anno Domini MCCCXI. Cremonam patriam ſuam non vidit. Tunc enim ab ipſo Imperatore introducti fuerunt ipſi exules Cremonenſes XLIV. Anno expulſionis eorum. Ipſo Anno pars Guelforum recepta pace à Ghibellinis, mota ſeditione, Ghibellinos expellunt Florentia, & uſque in præſens exulant tempus.

CAP. XLVI.

De captione urbis Baldac, & morte Caliph.

MAgnus Tartarorum Dominus Halau iiſdem temporibus, Anno videlicet Domini MCCLXVIII. collecto magno exercitu cum Sarracenis confligit in Parthia, & ſuperatis Sarracenis urbe Baldac potitus eſt. In qua Civitate ſummus eorum Sacerdos, quem Caliph appellant, Turrem habebat auro confertam. In ea quoque Civitate erant etiam Sarracenorum equites centum millia & amplius: peditum verò innumerabilis multitudo. Reperto autem theſauro Caliphi, aurum videlicet, & argentum, gemmæ, & alia ſupellectilis pretioſa, quæ omnia in Turri ipſa congeſta fuerant, Tartarorum Dominus vehementer obſtupuit, motus incredibili quantitate theſauri, & ſtatim ad ſe Caliphum juſſit adduci, adversùs quem talia invehens ait: *Quæ te avaritia deteſtanda in hanc adduxit miſeriam, ut tanto ditatus theſauro tuam neglexeris defendere libertatem? Debueras profectò theſaurum illum profuſiſſimis impenſis contribuere genti tuæ, ut copiis opportunis Civitas referta tuam & eorum potuiſſet conſervare ſalutem, præſcius etiam factus, quod capitales hoſtes tui contra te feſtinabant, hanc obſeſſuri Civitatem.* Cui ille ſtupidus & confuſus reſpondit. *Non tulit animus ex ipſo theſauro quicquam detrahere.* Tunc Rex Tartarorum ait: *Quia tu magis fuiſti auri avidus, quàm tuæ ſalutis, ego nunc te auro replebo.* Itaque auro eliquato juſſit os ejus oppleri. Sic triſtem vitæ finem invênit, qui inani triſtitia vixit. Alii referunt, quòd eum in turri intra theſaurum proprium juſſit includi, omni cibo privatum. Quarta autem die repertus eſt fame conſumtus in tanta copia auri. Fuit itaque ultimus Caliphorum. Non enim poſt ipſum Sarraceni Caliphum aliquem habuerunt.

CAP. XLVII.

Qualiter Tartari ſubiugaverunt provinciam Mangi Duce Bajam.

EOdem Anno Cublay Magnus Cham, ſive Rex Tartarorum, copioſum miſit exercitum adversùs provinciam nomine Mangi, præfecitque exercitui virum ſtrenuum & inſignem nomine Bajam Cingſan, quod nomen Bajan in lingua noſtra ſonat idem quòd *centum oculi*. Volebat autem idem Tartarorum Rex, ut ipſe exercitus illam ſibi ſuppeditaret provinciam. Horum autem adventu, licet equitum & peditum claſſes innumerabiles haberent, Rex provinciæ non expavit, reſponſo augurum animatus. Erat præterea provincia iſta Mangi civitatibus & opibus potens & inclyta, cujus Rex Faoſur nomine divitiis & potentia Reges ceteros,

by Google

A ros, excepto magno Cham, præcellebat. Verumtamen Regoicolæ rarò noverant arma tractare. Locorum tamen naturali munitione univerſa provincia tutabatur; & quamquam delicioſè viventes, laſciviis & voluptatibus dediti eſſent. Rex tamen juſtitiam ſumme colebat, & bumanitatem fovebat immenſam. Singulis enim annis ultra viginti mille infantes expoſitos Regiis impendiis nutriebat: puellas inopes ad nuptias convolantes dotabat. Quum igitur Bajam Præfectus exercitus Tartarorum provinciam ipſam intraſſet, præmiſit Nuntios ad Civitatem provinciæ ejuſdem primam Carcangin nomine, quòd ſe Regi magno Tartarorum ſummitteret. Quibus negantibus proceſſit ad aliam Civitatem, & B deinde ad tertiam, quartam, & quintam. Et quum ab omnibus daretur repulſa, tamdem intrepidus poſt ſe relinquere inimicos, progreſſus eſt ad ſextam Civitatem, eamque viriliter expugnavit; qua ſubacta reliquæ Civitates conſternatæ ſunt. Ipſe verò ſtrenuè cum ſuo exercitu armis uſus, tamdem duodecim Civitates ſucceſſivè ſubegit. Poſt hæc ad Metropolitanam Civitatem Quinſay nomine debellandam proceſſit, in qua erat Regia ſedes Provinciæ. Rex igitur Tanſur, conſternatus multitudine Tartarorum, eorum potentiam eſſeratam prævidit evadere; navem enim nocte conſcendens aufugit, quem ex ſuis ſequutæ ſunt naves numero ferè mille, ſeque in inexpugnabiles Oceani In- C ſulas contulerunt, ubi etiam Rex ipſe vitæ ſuæ conceſſit. Regina verò, cognitâ viri ſui fugâ, in ſexu muliebri virilem gerens animum, ſuos ad deſenſionem hortata, quum tamdem agnoviſſet Bajam Præfectum eſſe exercitui Tartarorum, quod nomen, ut dictum eſt, ſonat *centum oculi*, recordata eſt verbis augurum, qui diu prædixerant, provinciam ipſam non niſi à viro centum oculorum ſuperari poſſe. Volens igitur ſibi & ſuis ſatalia evitare diſcrimina, cum ipſo Bajam Præfecto exercitus compoſuit, & Regnum ipſum dominio Regis Tartarorum ſubmiſit. Quum autem Regina fuit ad Regem Tartarorum perducta, tractavit quidem eam, dum ipſa vixit, ſecundùm exigentiam Regiæ dignitatis.

CAP. XLVIII.

De Armanno, qui ut Sanctus Ferrariæ eſt combuſtus.

ARmannus, cui ut Sancto à Populo Ferrarienſi per annos fermè XXX. delatus eſt honor, Anno Domini MCCLXIX. Ferrariæ obiit. Hujus autem corpus cum hac reverentia, ut dictum eſt, in matrici Eccleſia Ferrarienſi ſpecioſo mauſolæo conditum & tractatum. Tamdem à Bonifacio Papa hujus nominis VIII. facta inquiſitione ſuper ejus vita per Inquiſitores pravitatis hæreticæ Ordinis Prædicatorum, actum eſt opere Fratris Guidonis Inquiſitoris, quòd oſſa illius clam nocte combuſta ſunt, & ſepulchrum diruptum. Hunc verò Fratrem Guidonem, quamquam Populo Ferrarienſi inviſum, ſive odioſum, Benedictus ſucceſſor Bonifacii Epiſcopum Ferrarienſem ordinavit Anno I. ſui Pontificatus, qui fuit Annus Domini MCCCIV.

CAP. XLIX.

De victoria Venetorum ex Januenſibus.

ANno Domini MCCLXVIII. Januenſes quum XXVII. Galêas præparaſſent ituri Achon, Venetos cum Galêis XXIV. apud Trapanam obvios habuerunt. Tamdem ſive puſillanimitate Admirati, nomine Lanfranchus Borbious, ſive proditione ipſius, Januenſium Galêæ diſpertiæ ac captæ fuerunt. Ipſe enim Admiratus ſcapham intrans, latenter aufugit. His cognitis Univerſitas Januenſium XXV. Galêas præparari juſſit, eiſque Obertum Auriæ Admiratum præfecit; qui adversùs Venetos progrediens, Civitatem quamdam Venetorum apud Cretam, quæ dicitur Terra-Nuva, bellando cepit, eamque ferro & igne conſumſit, & multos captivos Januam duxit.

Explicit Liber Tertius.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De Philippo IV. Rege Francorum.

PHilippus hujus nominis IV. Anno Domini MCCLXXI. Rhemis in Regem inungitur. Hic fuit Ludovici juſti hujus nominis IX. Francorum Regis filius, qui quum cum patre ſuo ultimo transfretaſſet, corpus patris ſui apud Tunicium in caſtris defuncti in Franciam detulit, tenens per Urbem-Veterem, per Florentiam, & Cremonam. Sepelivit autem patrem, fratrem, uxorem, & ſororium Regem Navarræ Theobaldum, qui omnes in ſecundo itinere defuncti ſunt. Unxit autem eum & coronavit in Regem Sueſſionenſis Epiſcopus, vacante tunc Sede Rhemenſi. Uxor ejus fuit Heliſabet Petri Regis Arragonum filia, qui poſtmodum Regnum accepit Siciliæ; Ex qua genuit Philippum hujus nominis V. Regni ſucceſſorem & Carolum Andegavenſem Comitem. Hæc, ut dictum eſt, Heliſabet Regina, dum reverteretur de paſſagio ultramarino, in ipſo itinere defuncta eſt, Anno Domini MCCLXX. Poſt hanc verò Philippus ipſe Rex aliam duxit uxorem, ſcilicet Margaritam Ducis Brabantiæ filiam, ex qua genuit filium Ludovicum nomine, qui fuit poſtmodum Comes Ebroycenſis, & filiam nomine Heliſabet, quam poſtmodum Rex Angliæ ſenior Edoardus ſibi matrimonio copulavit. Anno denique MCCLXXXV. idem Rex Philippus eidem Petro Regi Arragonum factus hoſtis, cujus filiam habuerat in uxorem, ut prædictum eſt, volens ſibi Regnum Arragoniæ, eidem ab Eccleſia conceſſum, vindicare, eo quòd Petrus ipſe Siciliæ Regnum acceperat, maximum in Arragoniam duxit exercitum, & urbem Girondam vi cepit. Fame tamdem & lue muſcarum pæne totus ejus defecit exercitus. Ipſe verò ab exercitu ſuo infirmus digrediens, tamdem in Pirpiniano morbo defecit Anno ætatis ſuæ XLII. Regni verò XV.

CAP. II.

De Eduardo Rege Anglorum.

EDuardus ſenior hujus nominis IV. Anno Domini MCCLXXII. Rex Angliæ coronatur. Hic Henrici quondam Anglorum Regis filius, quum adhuc patre vivente inter ipſum Henricum & Barones eſſet orta diſcordia, in qua idem Henricus & frater ejus Ricardus Rex Alamanniæ, Eduardus & ceteri ejus filii capti fuerunt, ipſe tamen Eduardus velocitate equi evaſit, & cum ipſis Baronibus tamdem confligens, patrem & avum clam liberavit. Simonem quoque de Monteſorte Comitem Leyceſtriæ cum filio, cognato, & multis aliis interfecit. In cujus Simoni vindictam, quum Rex Franciæ Philippus hujus nominis IV. & Carolus Rex Siciliæ de Tunicio redeuntes, apud Viterbium moram traherent, Guido de Monteforti filius ipſius Simonis Henricum filium præfati Ricardi Alemanniæ Regis, qui cauſa orandi in templum venerat, ibi (quod dictu nefas eſt) vulnerat, & ex hinc tractum membratim lacerat Anno Domini MCCLXX.

A

CAP. III.

Qualiter Eduardus transfretavit Achon.

EDuardus iſte unà cum Regibus Siciliæ Carolo, Navarræ Theobaldo, Franciæ Philippo IV. in Terram Hieroſolymitanam transfretare diſponens, quum omnes Reges caſtra in litora Carthaginis poſuiſſent, ut Tunicio potirentur, ibi tamdem Rex Franciæ, & Rex Navarræ legem fatalis conditionis exſolverunt, fuitque ibi hominum interemtio magna. Tamdem Chriſtianorum diſcedens exercitus, dum rediret ad propria, circa Portum Trapani triſte naufragium ſubiit. Rex verò Angliæ Eduardus à
B caſtris Tunicii navigavit Achon ſubſidio Terræ Sanctæ. Manſit autem ibi triennio, & Turrim quamdam ibi conſtruxit: quumque de induciis actum eſſet cum Sarracenis, per Italiam in Angliam reverſus eſt eques.

CAP. IV.

Qualiter Eduardus fuit ab Aſſaſſinis percuſſus.

SEd quod non eſt ſilentio prætereundum, dum Rex ipſe apud Acon moraretur, Vetulus de Montanis Arſacidarum Dominus miſit unum ex Aſſaſſinis, ſive ſatellitibus ſuis, ut eumdem Re-
C gem occideret. Qui quum ad Regem ipſum occidendi cauſa veniſſet, finxit die quadam ſe cum Rege ſecreta habere colloquia. Rex autem nil adverſi ſuſpicatus, remotis arbitris, hunc ſatellitem recepit in thalamum. Ipſe verò locum & horam nactum ſe cernens, exemto gladio veneno infecto, Regem percuſſit in humero. Rex verò ſtatim ſe erigens, utpote vir magnanimus atque ſtrenuus, arrepto ſuppedaneo, quum ferrum non haberet ad manum, in ſicarium fortiter impegit, ita ut ad terram colliſus occumberet. Poſt hæc licèt Rex curatus eſſet ex vulnere, tamen ſemper dum vixit, cicatrix aliquid humidi ſpirans per temporum etiam interſtitia virtute veneni ſic doloribus Regem affligebat vulnus, ut non niſi iteratò ſecaretur cicatrix &
D mederetur, poſſet dolor ipſe ſedari.

CAP. V.

Qualiter Scoti recognoverunt eum in Dominum, & poſtea effectos rebelles ſubegit.

AD hunc Regem Eduardum, ut ipſe ait in quadam Epiſtola, quam miſit Bonifacio Papa VIII. refert (cujus quidem originale ego ipſe vidi & legi) vacante Regno Scotiæ per mortem Alexandri Regis Scotorum, & ſubſequenter per mortem Margaritæ Reginæ Scotiæ ejuſdem Eduardi neptis, Epiſcopi, Abbates, atque Barones, & Communitates totius Regni
E Scotiæ ad ipſum Eduardum tamquam ad legitimum defenſorem, Ducem, aurigam, Capitaneum, & Dominum capitalem, ejuſdem Regni ſic vacantis gratis & ſpontanea voluntate accedentes, ipſius Regis Eduardi, & progenitorum, ac anteceſſorum jus, nec non poſſeſſionem ſuperioris & directi dominii in Regno eodem, & ipſius Regni ſubjectionem ex certa ſcientia purè,

rè, ſimpliciter, & abſolutè recognoverunt; & præſtitis ſibi ab eiſdem debitis & conſuetis fidelitatum juramentis ac Civitatibus, Burgis, Villis, Caſtris in manu ipſius Regis traditis, ad cuſtodiam ipſius Regni cunctos officiales deputavit. Poſtmodum verò diverſæ perſonæ ſuper ſucceſſione in dictum Regnum Scotiæ jure hæreditario inter ſe contendentes, & ad ipſum tamquam ad ſuperiorem Dominum Regni Scotiæ accedentes, de voluntate & aſſenſu expreſſo eorumdem Johannem de Balliolo debitè præfecit in Regem Scotorum. Qui poſtmodum Johannes, & Prælati, ac Barones, Communitates, ac ceteri incolæ Regni in exhæredationem ipſius Regis Eduardi & hæredum ipſius unanimiter conſpirarunt, contra debitum homagii & fidelitatis juramentum; ſpretiſque monitionibus & mandatis ipſius Regis Eduardi, idem Rex Johannes cum omni Regno ac nonnullis conductitiis ſe ad apparatus bellicos contra ipſum Eduardum expoſuit, & hoſtilibus aggreſſibus ac incurſibus Anglorum Regnum invaſit, & quaſdam Villas deprædatus, eas conſumſit incendio. Captis quoque navibus Regni Angliæ cum ingenti exercitu Anglicis ſtragem dedit immenſam. Monaſteriorum quoque & Eccleſiarum inhumanè patravit incendia. Infantes in cunis, mulieres in puerperio decumbentes impia & atroci ſævitia trucidando, & quod auditu horrendum eſt, à nonnullis mulieribus mamillæ atrociter ſunt abſciſſæ. Clericulos in Scholis primas literas & Grammaticam addiſcentes ad numerum circiter CC. obſtructis Scholarum oſtiis, igne ſuppoſito concremarunt. Tamdem his & aliis innumeris injuriis & offenſis Rex Angliæ ſtimulatus, bello legitimo contra ipſum Johannem indicto, adeò contra ipſum & gentem Scoticam extendit potentiæ ſuæ vires, ut brevi tempore ſubegerit Regnum ipſum. Quod idem Johannes ſponte reddidit in manus ejuſdem Eduardi, proditiones & ſcelera memorata coram ipſo & Regni Angliæ Proceribus publicè recognoſcens. Quo pacto idem Eduardus Prælatos, & Barones, & Communitates Regni Scotiæ ad regiam pacem ſuſcepit, & in Civitatibus, Villis, ac locis Regni Officiales & Miniſtros inſtituit. Hanc autem epiſtolam ideo Papæ tranſmiſit, ut per eam Papæ inſinuaret, quòd prælibatum Regnum Scotiæ tam ratione proprietatis, quam poſſeſſionis, ad Regem Anglorum pertinet pleno jure, ſupplicans Papæ, ut ex continentia epiſtolæ motu ſui animi informato, fidem non adhiberet ſuggeſtionibus æmulorum, ſed ſtatum ejus ac jura regia haberet paternis affectibus commendata. Miſit autem hanc Epiſtolam Anno Domini MCCCI. Pontificatus ejuſdem Bonifacii Anno ſeptimo, Regni verò Eduardi vigeſimo nono.

CAP. VI.

De initio Regni Angliæ.

CONtexebat etiam in eadem Epiſtola, unde Regnum Britanniæ, quæ nunc Anglia dicitur, originem ſuumque exordium ſumſerat, in hunc modum. „ Sub temporibus Heli & Samuelis Prophetæ vir quidam ſtrenuus & inſignis Britus nomine de genere Trojanorum „ poſt excidium urbis Trojæ cum multis nobilibus Trojanorum applicuit in quamdam Inſulam tunc Albion vocatam à gigantibus inhabitatam. Quibus ſua & ſuorum devictis potentia & occiſis, eam Inſulam ſuo nomine „ Britanniam, ſocioſque ſuos Britones appellavit, & ædificavit Civitatem, quam Trinovantum nuncupavit, quæ modò Londonia „ nuncupatur. Et poſtea regnum ſuum tribus „ filiis ſuis diviſit, ſcilicet Locrino primogenito „ illam partem, quæ tunc Albania à nomine „ Albanacti, nunc verò Scotia nuncupatur; & „ Cambrio filio minori partem illam nomine „ ſuo tunc Cambriam vocitam, quæ nunc Wallia vocitatur, reſervata Locrino ſeniori Regia „ dignitate. Itaque biennio poſt mortem Bruti „ applicuit in Albania quidam Rex Hunnorum „ nomine Humber, & Albanactum fratrem Locrini occîdit. Quo audito Locrinus Rex Britonum perſequutus eſt eum; qui fugiens ſubmerſus eſt in flumine, quod de nomine ſuo „ Humber vocatur; & ſic Albania, quæ & „ nunc Scotia dicitur, revertitur ad eumdem „ Locrinum. Proceſſu temporis duo filii Dumvalli Regis Britonum, ſcilicet Belinus, & „ Brenius, inter ſe patris Regnum diviſerunt, „ ita quòd Belinus ſenior diadema Inſulæ cum „ Britannia, Wallia, & Cornubia poſſideret; „ Brenius verò ſub eo regnaturus Scotiam acciperet. Petebat enim Trojana conſuetudo, ut „ dignitas hæreditatis primogenito perveniret. Qualiter autem ſucceſſivis temporibus Reges Britanniæ & maximè Arturus Princeps famoſiſſimus, & ſuccedentes Angliæ Reges in Inſula prædicta, ſcilicet Eduardus dictus Senior filius Eluredi, Adelſtanus, Edredus, Edgarus, Eduardus Martyr, Egelredus, Edmundus, Canutus, Willelmus Baſtardus, Willelmus Ruffus, Henricus Primus, Mathildis ejus filia, Stephanus, Henricus Secundus, Henricus pater hujus Eduardi Scotiam ſibi rebellem ſubegerint, & Scotos ſubjectos eis & ſubmiſſos habuerint, per eamdem Epiſtolam ſerioſè & luculenter oſtendit.

Defunctus eſt Eduardus iſte in ſenectute bona, vir adeò victoriarum felix, ut in omni prœlio fortuna illi arriſerit. Prudens quoque, conſtans, & munificus, Fideique Chriſtianæ pugil aſſiduus. Corpore verò adeò procerus fuit, ut inter magnos etiam maximus appareret. Reliquit autem filium ejus nominis æquivocum, & Regni ſucceſſorem.

CAP. VII.

De ſeditione & clade Bononiæ inter cives.

EOdem Anno ſcilicet MCCLXXII. Bononiæ magna eſt orta ſeditio, quum altera partium ſecundùm decretum ſuum, quod in petra ſculpſerant, exercitum vellent ducere in Mutinenſes, quòd exules cives reciperent, ut fœdera pacis exſtabant, & altera pertinaciter prohiberet. Obtinuit tamdem pars Jeremiarum, qui ex Ferraria, Rhegio, Parma, & Cremona ſubſidia convocaverant in Mutinam; & egit, quòd petra illa, quæ decretum continebat, de muro evulſa confringeretur omnino; & quia Livienſes niſi ſunt favere animo parti Lambertatiorum, propoſitæ ſunt Livienſibus duræ conditiones in parendo Communi Bononiæ, invitis Lambertatiis. Livienſes potiùs bellum pati ſtatuerunt, quàm eas conditiones ſubire, quum ſervitutis jugum ſibi viderent innecti. Porrò Anno ſequenti factio Jeremiarum, invita altera parte obtinuit decreto, exercitum apud Livium ſiſtere, ubi caſtris poſitis Rex Angliæ Eduardus rediens Acon, dum iter per Italiam faceret, ad ea caſtra pervênit: qui audita belli cauſa, de compoſitione tractavit, ſed infecto abſceſſit negotio, quum nullatenus partes bellum agentes de fœdere conve-

venirent. Tamdem diſſidentibus partibus obſeſſorum, domum regrediuntur. Aliquorum ex Lambertatiis fuit animus facere erumpere Livienſes in caſtra, & cum his cædere adverſarios cives. Hoc prohibuit Caſtellanus princeps partis Lambertatiæ.

CAP. VIII.

De prima expulſione partis Imperialis.

ALtero Anno iterum Bononiæ diſſidentibus partibus, ſeditio & miſerrima cædes fuit, atque incendia multa. Nam pars Jeremiarum decreto obtinuit, ut denuo Urbem Forlivium obſiderent. Altera pars adverſa, quæ Lambertatiorum dicitur, obſiſtebant dicens: *Non Forlivium ducatur exercitus, ſed Mutinam, quæ concives ſuos contra fœdera Urbe excluſit. Quos tunc cives induximus recipere, ab ea Civitate nunc exules opem noſtram implorant; quibus nunc exulibus, tunc Mutinam obtinentibus juramento promiſimus conſervare & reducere, ſi quando ab iſtis tunc exulibus expellerentur.* Facto decreto obſidendi Forlivium Currus vexillifer in Plateam educitur. Seditio exoritur. Lambertatii Currum introducere, unde eductus fuerat, moliebantur. Hinc cives adverſi obſiſtunt. His cauſis bellum inter cives cœptum eſt: quadraginta diebus continuis obſiſtunt: luce ac tenebris, ferro, machinis, & igne pugnatum eſt. Multi peremti utrinque: ædes plurimæ ſuccenſæ: quies nec ad ſomnum dabatur. Ipſæ matronæ ſuccinctæ pugnantibus ferebant ſuppetias; plurimæ ſumma animi ægritudine tabeſcebant, quum hinc viros & filios, inde patres & fratres pugnantes infeſtis alterutrum armis viderent. Utrinque à ſociis & amicis implorantur ſubſidia. Parti Jeremiarum obſequebantur complices ex Parma, Rhegio, Mutina, atque Ferraria, ex quibus urbibus pars Imperialis erat excluſa. Lambertatiis ad opem ſe paraverant Livienſes, atque Faventini. Nulla tamen ſubſidia agrum Bononienſium audebant attingere. Plurima pars Bononienſium Jeremiis favebant, & ſuperiores erant numero multo ſocietatum plebis pro illis agentis. Fraude res acta eſt. Simulato enim de belli depoſitione & concordia, actum eſt per Tribunos Plebis, quos Antianos vocant, ut deni ex potentioribus utriuſque partis convenirent in Palatium publicum acturi de bono quietis. Vocantur utrique, adeunt. Erat partis Lambertatiorum princeps Caſtellanus de Andalays vir potens & dives, quem ſua pars colebat ut ducem. Huic perſuaſum fuit, ne in Palatium iret, quum illic inſidiæ agerentur. Parêre reipublicæ voluit, ut tumultus & ſeditio ſedarentur: adiit tamdem cum ſuis decimus. Simul ac vero utrique deni in Palatium, Tribus armatæ, quæ Palatium armis tenebant, denos Optimates Jeremiarum domum dimittunt. Caſtellanum cum ſuis capiunt, & includunt. Pugna denuo inſtauratur: auxilia utrinque acceſſuntur, quæ quantociùs accelerant. Verùm quum Jeremiarum parti maxima veniſſent ſubſidia, & adverſariorum auxilia non venirent, præhabito à ſuis metu eorum, qui capti erant, Lambertatii impares Urbe diffugiunt uſque Faventiam, quam Civitatem eodem anno pars victrix obſidione cinxit. Machinis maximè pugnatum eſt, ſed Urbe defenſa fuit negotium imperfectum.

CAP. IX.

De clade Bononienſium ad Pontem Sancti Proculi.

SEquenti Anno, qui fuit Annus Domini MCCLXXV. iterum Bononienſes cum eorum ſubſidiis ad populandos Faventinorum agros maximum duxerunt exercitum. Eis dux erat Malateſta de Arimino. Exules Bononienſium cum Livienſibus & Faventinis ſibi eo bello gerendo ducem præfecerant Guidonem de Monteſeltro virum bellandi ſolertem. Ad defendendum igitur agrum Faventinum conveniunt univerſi factionis, quæ dicitur Imperialis, in regione Flaminiæ. Exercitus Bononienſium ultra Pontem Sancti Proculi, qui à Civitate abeſt tribu millibus paſſuum, copias educunt, & miſſis populatoribus acie equitum inſtructas in urbis ejus direxerunt conſpectum. Peditum verò globus maximus illinc maxima intercapedine aberat. Guido adverſæ partis dux, cum exulibus Bononienſibus, copias longè numero impares è Faventia educit ex omni equitatu & peditatu acie una in cuneum ducta in hoſtes prodit. Quos ubi ſtipendiarii equites Bononienſium appropinquare viderunt, locum trepidi deſerunt: ita metu concuſſus omnis equitatus fugâ diſcedit. Jam acie peditum Bononienſium adventabat; & quum equites ſuos viderent præcipites fugere, ſiſtunt gradum; hoſtes ſupervenientes his denuntiant, ut ſe priùs dedant, quàm cæde perdantur. Abnuitur deditio. Conglobati igitur ſiti, metu, & mœrore tabeſcentes perſiſtebant fixi. Tunc adductis baliſtis ſternuntur. Conſtipatione porrò potiùs, quam hoſtium ferro, ſeſe conficiunt. Inanes demum, quum nec vires ad gladios vibrandos ſuppeterent, cæduntur ab hoſtibus exulibus: pauci ſervati, plurimi cæſi ſunt. Victores ex victorum hoſtium ſpoliis locupletati.

CAP. X.

De doloſa pace Bononienſium, & exitio partis Imperialis.

MOx Anno Domini MCCLXXIX. operâ Bertholdi primi Comitis in Romandiola pro Eccleſia Romana pax immatura acta eſt inter cives & exules Bononiæ, & in Civitatem reducti ſunt odiis non extinctis. Nam neuter alteros civicis oculi intueri poterant. Agebant Lambertacii, ut Senatus Civitatis, qui modò dicitur Conſilium, eſſet in eo ſtatu, in quo fuerat antequam exilio ceſſiſſent, ut ſcilicet pars dimidia Senatus eſſet ex illis. Abnuebant alteri dicentes, Lambertatios non eſſe virorum & fortunarum cenſu compares eis. Sic diſſidentibus utriſque utrinque res tentantur. Feſto Nativitatis Domini ſtatuta res erat ad facinus à factione Jeremiarum. Quod ut compertum eſt ab aliis, Vigiliâ Natalis rem præoccupant. Armis plateam Communis occupant Lambertacii, & adverſarios ex ea diu prohibent, viriliter rem gerentes. Cedunt tamdem multitudini hoſtium capeſſentium pugnam. Fuſi igitur relicta Urbe diffugiunt. Pauciſſimi cæſi alterutrum; plurimi diffugientium ad ædes concivium tutum habuere confugium, qui humanitate ſervati ſunt; mox ad loca tuta perducti, & uſque in præſentem diem factio illa excluſa vagatur exilio.

CAP.

CAP. XI.

Deteſtatio partium Guelfæ, & Ghibellinæ.

NAm per omnem ferè Italiam duæ partes adverſæ, Guelfa ſcilicet & Ghibellina, quæ Imperii & Eccleſiæ velaminibus invidioſa nomina induere, altera alteram in malo ſuperant. Guelfi dolis & perfidia, Ghibellini verò temeritate ac truculentia & ira. Hæ ſunt ſectiones diabolicæ, & factiones adverſæ, quæ ſic in animis hominum ſerpunt, & innatæ convaleſcunt, ut etiam ferè nondum nati docti ſint ſuos imitari. Hæ ſunt diſcordiarum totius Italiæ ſeminarium, quæ provinciam ipſam ſuis adeò contagiis infecerunt, ut quod eſt extremiſſimum à natura, ipſe filius fiat ſeditioſus in patrem. Hæ ſunt, quæ fuerunt & erunt populis majori exitio, quam bella externa, quàm fames, quàm morbi, quæ publica mala, quàmque & alia, in nos Dei iras convertunt.

CAP. XII.

De morte Octaviani Cardinalis.

OCtavianus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis his temporibus, Anno ſcilicet Domini MCCLXXII. vita defungitur. Hic quantis claruerit virtutibus in Eccleſia Dei, ſequens ejus docet epitaphium, quod tale eſt: *Fuit quidem Presbyter Cardinalis Sanctæ Mariæ in Vialata, de Civitate Florentiæ; vir ſtirpe, ſcientia, forma, pietate, moribus & vita inſignis ſepultus eſt.*

CAP. XIII.

De Ottone Archiepiſcopo Mediolani.

HUjus familiaris & Camerarius fuit vir venerabilis Otto, prolapia Vicecomes de Mediolano, cujus interventu Urbanus Papa hujus nominis IV. Archiepiſcopatum Mediolanenſem conceſſit.

CAP. XIV.

De prælia apud Tartaros pro Regno Carajam.

EOdem Anno MCCLXXII. ortum eſt grande prœlium apud Tartaros pro Regno Carajam & Vociam. Miſerat enim magnus Cham Tartarorum Dominus quemdam ex Principibus ſuis nomine Naſcardinum cum duodecim millibus equitum ad cuſtodiam Regni Carajam. Erat autem vir prudentiſſimus, & ad prœlia ſolers. Rex verò provinciæ Mien, quæ à provincia Carajam duabus dietis diſtat, cognito adventu Naſcardini Præfecti exercitus magni Cham, timuit ne Regnum ejus invaderent. Magnas itaque eduxit copias, habuitque elephantorum duo millia, lignea caſtra ad pugnandum ſupra ſe ferentia, ita ut in unoquoque caſtro duodecim aut quindecim armati conſiſterent habiliter ad pugnandum. Fuerunt etiam in ejus exercitu equitum LX millia & peditum armatorum .... Eductis igitur copiis apud urbem Vociam, quæ ab exercitu magni Cham tribus diſtabat dietis, Naſcardinus hac cognita multitudine expavit; ſed in ſuorum probitate fidens, pavorem diſſimulavit, & inſtructis aciebus vênit in planum urbis Vociam, hoſtes exſpectans. Erat autem non longè à loco nemus arboribus vaſtis & ſpiſſis valde condenſum. Unde Naſcardinus, vir bellorum doctus, arte non viribus putans vincere hoſtes numeroſos in paucitate ſuorum, ſi eos ad nemus poſſet convertere, quamprimum Regem cum copiis ſuis advertit, acies præmiſit ad prœlium: ſed quum equi Tartarorum elephantos conſpexiſſent, tanto pavore conſternati ſunt, ut nullis ſtimulationibus poſſent ad progreſſum urgeri. Nondum enim magnus Cham habuerat in ſuis exercitibus elephantos. Tunc Tartari ad terram deſcendentes, ligatis equis ad arbores, pedes viriliter prœliantur, tantaque in elephantos cæde baccharunt, ut præ mortis & vulnerum anguſtiis ſe ſe in fugam effrenom mitterent, & rapido curſu nemus intrantes vagi palanteſque diffugerent, caſtella lignea inter nemoris condenſitatem rumpentes. Tartari viſâ elephantûm fugi ſtatim equos aſcendunt, & cum hoſtibus diro & ſatis communi marte pugnarunt. Tamdem utrinque multis cæſis & mortuis Rex Mien ſe cum ſuis convertit ad fugam, quos Tartari inſequentes magna in eos cæde deſæviunt. Poſtmodum ad elephantos converſi, ducentos ex eis ceperunt, reliqui beneficio nemoris evaſerunt. Tunc primùm magnus Cham elephantis uti cœpit in prœliis.

CAP. XV.

De initia Imperii Rodulphi.

ROdulphus Comes Aneſburch, genere Germanus, poſt diutinam vacationem Imperii circa partes Baſileæ electus eſt in Regem Romanorum. Cœpit Anno Domini MCCLXXIII. ab origine Mundi ſexmille CCXXXII. ſecundùm Eccleſiam, & regnavit annos circiter XX. Hujus electionem Papa Gregorius hujus nominis X. approbavit in favorem Terræ-Sanctæ, ad quam plurimùm anhelabat, & intendebat illuc perſonaliter proficiſci. Ipſe verò Rodulphus ad ejuſdem Papæ petitionem Crucem tranſmarinam ſuſcepit; cujus quidem devotionis affectum ad ipſum Romanum Pontificem, & matrem Eccleſiam, & ad Imperii Romani quietem, ſtatumque proſperum, ſequens docet Epiſtola, quæ talis eſt.

CAP. XVI.

Epiſtola Rodulphi miſſa per Italiam.

„ ROdulphus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Vicarius Sacri Romani Imperii. Fidelibus per Italiam conſtitutis, ad quorum notitiam præſentes literas venire contingerit, gratiam ſuam & omne bonum. Superni conſilii ſapientia, quæ ſecretum utique cœli girum ſola cernit, intuitu incitati protoplaſti in poſteros proſpiciens diſcrimina derivari, & quòd eſt profluus curſus omnis ad malam naturam, quæ vitiorum cernitur quodammodo imitatrix, immutata plurimùmque humani generis patitur imbecillitas, nunc peſte, nunc clade, nunc fluctibus bellicæ tempeſtatis involuta. Lunæ ſiquidem corruſcantiâ jam diu ſubluctâ de noſtræ humilitatis emiſphærio, condenſata tenebrarum umbroſa caligine facta fuit nox, peroſa oculis, pedum greſſibus in offenſam, quia tranſierunt beſtiæ acervatim, vulpeculæ, apri de ſilva, ſingulares feræ depaſcentes Vineam Domini, catuli rugientes, ut caperent innocentes.

tes. In medio etiam Ægypti ſummiſſa vertigine in oblivionem veritas venerat, & claves cœleſtis clavigeri quodammodo factæ fuerunt contemtibiles, & libertatis Eccleſiæ pulchritudo contorpuit ſitibunda tyrannide conculcata. Sed Dei mediator & hominum, qui in ira miſericordiam animi continere didicit, poſt multiplices diræ percuſſionis anguſtias, quibus Orbis attritus commarcuit, quibus Chriſtianæ compaſſionis eſt ſoluta junctura, ſciſſurâ diſpendiis agitatâ, ſic afflictorum miſerandæ miſeriæ Dominus noſter Jeſus Chriſtus jam viſus eſt fidelium lachrymas dextera gratiulæ conſolationis abſtergere, & ſingultuoſorum lamenta lugubria prohibere. Diſpoſuit enim in Apoſtolica Sede Gregorium Vicarium, virum ſecundùm cor ſuum, veluti ſplendidiſſimum luminaris ſolaris ſidus, injubilans præexcellentiâ, ſanctitatis operibus, & juſtitiæ radiis præfulgentem, uti in noſtra ſublimatione mirabili arbitrari veriſimiliter poterit quilibet ſidus & æquus interpres pro... divino lunaris globi lunare faſtigium, fluctumque hactenus ſtatus Imperii nubila..... deterſa univerſali exſpectationi fidelium luminarium utrorumque jucunda ſerenitas amodo clariùs & radiantiùs euceſcat, ut reſtituatur Hieruſalem, ſicut fuerat in diebus antiquis, & ponendo ipſius dexteram quaſi deliciæ & ſolitudinis in v a * ſicut ortus. Qualiter autem operationis divinæ myſterio, cujus occulta judicia, admiranti voce prophetica * imputantur abyſſus, ut conſcendamus ad Imperiale faſtigium, ſumus jam in Regni ſolio ſolidati, ad veſtræ univerſitatis notitiam jam pridem celebris famæ præconio non ambigimus perveniſſe.

A bono illo igitur patreſamiliâs protinus & inſtanter à nobis exigitur debitum, qui peregrè proficiſcens ſuam familiam in temporalibus ſolicitudini noſtræ diſpoſuit. Quinque talenta, quæ credidit, cogimur reddere duplicata; & vice reciproca nos excitant ad tributa fortunæ beatioris auſpicia, ut ab eis, quo Romanæ ditionis Imperium ſuo locuplete gremio conſovet, dignæ fidelitatis & obedientiæ debitum exigamus. Admirandum tamen utrumlibet conditionis eſt debitum, ſi ſubtiliter intueamur; citiùs ſolutio debitoribus emolumenta non minuit Auguſti fidem, immo plus ſolventi creſcit in commodum, quàm ſuſcipienti proficiat in profectum; ſi tamen quum ipſius regiminis exequimur officium, ad vindictam malorum laudemque bonorum, & Imperialis honoris ſtipendia quærimus, quum clariſi amur in fama, & retributionis æternæ ſcilicet pulchritudine reficimur, dum proficiſcimur in ſalute. Ipſius etiam juſtitiæ divinæ juſſionis edictum, quæ ſunt Cæſaris Cæſari perſolvantur, recipienti plus commodi & honoris acquiritur; quam non ſolventi vexationis & oneris aggravatur. Porrò ſedatis ad præſens in Regno Germaniæ bellicæ tempeſtatis erroribus, quibus idem Regnum per multa tempora exſtitit quamplurimis calamitatum oppreſſionibus tribulatum, ecce convertimur ad Italicæ ſimultatis ſolvenda diſcrimina, & ejus inteſtini belli, rupturâ domeſticâ rebus publicis turbatis, zizaniam penitus exſtirpandam. Gladii flectentur in vomeres, & in falces lanceæ convertentur, in tranquillæ quietis amœnitate de cetero reflorente. Hinc eſt, quòd Legatos noſtros ſolemnes, Rodulphum Curiæ noſtræ Cancellarium, Fratrem Beringerium Magiſtrum Hoſpitalis Sancti Johannis per Alamanniam, ac Beringerium Comitem de Ureſtinburg, exhibitorem præſentium, viros utique tam generoſitatis ingenuitate ſpectabiles, quàm honorum & morum prærogativa conſpicuos, nec non fide, ac circumſpectione præſignes, ad vos tamquam matris Eccleſiæ & Imperii Romani fideles duximus præmittendos, ut viam ante faciem noſtram ſtrenuis diſpoſitionibus præparent, ex parte noſtri culminis vos ſalutent; de mora ſerenitatem noſtram excuſent; de noſtro felici & feſtino adventu corda veſtra lætificent; de fortunatis noſtris auſpiciis vos fœcundent; in devotionem Sanctæ matris Eccleſiæ, & ipſius Imperii vos corroborent; indevotos ad devotionem Imperii & veritatis viam alliciant modis, quibus convenit, atque trahant; & fidelitatis debita obedientiæ à vobis tamquam Imperii fidelibus & Sanctæ matris Eccleſiæ devotis filiis petant, & recipiant ſolita juramenta; ſingula & univerſa faciant, tractent, ordinent, & diſponant, quæ de bono ſtatu Imperii & ſalute fidelium, & devotorum ipſius noverint expedire, gratum & ratum habituri quidquid per ipſos factum, tractatum, ordinatum, ſeu geſtum fuerit in præmiſſis. Vos igitur, in quibus vires & viriles animos peramica ſtrenuitas propagatione gratuita derivavit, exſurgere ſequimini, & erigite mentes veſtras ad contemplandum Imperii ſpe imen & decorent. Vos quidem, ejuſdem Imperii generoſa poſſeſſio, veſtrum agnoſcite poſſeſſorem, ut Rex veſter & rebellibus formidabilis, & vobis veniet placidus & manſuetus.

Dat. Tuhugno VI. Idus Julii, III. Indictione, Regni noſtri anno II.

Hujus tamen Epiſtolæ conceptus non pervênit ad partum, nam licèt annis XX. ut dictum eſt, regnaverit, implicitus tamen in multiplicibus agendis in Regno Germaniæ, numquam, ut præmiſſis inſinuabat literis, Regnum Italicum viſitavit, nec diadema ſumſit Imperii. Fuit autem non præpotens Procerum, ſed quia erat vir pruden in agendis, & in armis ſtrenuus, juſtus, & Deum timens, civilis, & parcus, ideo fuit electus à Regni Proceribus, ad quos Romani Imperatoris ſpectat electio. Rex Bohemiæ potens, & pe uniæ nimiæ poſſeſſor, huic obedire contemſit, cum quo congreſſus prœlio duriſſimo, mortuus eſt in acie Rex Bohemiæ, cujus filio Rex Rodulphus pacem reddidit, atque ei in matrimonio filiam copulavit. His Regni jura occupata vindicavit, qui interdum Fratri Alberti Philoſophi de Ordine Prædicatorum genere Theutonici conſilio utebatur. Tamdem morbo terminum vitæ dedit. Fuit autem corpore procerus, affabilis, facundus, & ſtrenuus, ac omni veſte contentus. Sepultus eſt apud Pirram Civitatem Alſaciæ Anno Domini MCCXCI. in cujus locum Adulphus eligitur. Sequitur de Romanis Pontificibus huic Rodulpho Regi contemporaneis.

CAP. XVII.

De Papa Innocentio V. ex Chronicis.

INnocentius hujus nominis V. regnante Rodulpho ſedit Romæ menſibus IV. & diebus II. & ceſſavit Papatus diebus XVIII. Cœpit Anno Domini MCCLXXVI. Hic fuit natione Burgundus de Tarantaſia, primò vocatus Petrus, qui à pue-

puetitia in Ordine Prædicatorum exiſtens, Doctor in ſacra Scriptura eximius effectus eſt, mox in Archiepiſcopum Lugduni, demum in Epiſcopum Oſtienſem, Cardinalis ſactus à Gregorio Papa X. tamdem in Summum Pontificem aſſumitur. Licèt autem multa facere propoſuiſſet, morte præventus nil notabile fecit. Mortuus eſt itaque Anno prædicto X. Kalendas Julii, & Romæ ſepultus in Eccleſia Lateranenſi.

CAP. XVIII.

De Papa Adriano V. ex Chronicie.

ADrianus hujus nominis V. eodem Anno in Papam electus ſedit menſe uno & diebus IX. Ceſſatio dierum XXVIII. Hic ſuit natione Januenſis, de agnatione Comitum de Fliſco, ſive de Lavania, vocatus primò Ottobonus, electuſque ſuit in Lateranenſi Palatio. Erat autem tunc Diaconus Cardinalis Sancti Adriani, nepos Innocentii Papæ IV. ex fratre. Numquam fuit in Presbyterum ordinatus, præventus morte. Idem Innocentius Papa eum ad Cardinalatum promovit. Clemens quoque IV. Legatum eum miſit in Angliam pro guerra, quæ ibi inter Barones & Regem exorta fuerat, ſedanda. Mox ut Papa factus eſt, conſtitutionem, quam Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi de conſtrictione Cardinalium propter electionem Summi Pontificis acceleranda ediderat, ſuſpendit, proponens eam aliter ordinare; ſed morte præventus conſtitutionem ſic ſuſpenſam teliquit. Moritur Viterbii, & ibi ſepelitur in Eccleſia Fratrum Minorum. De iſto Adriano fertur, quòd amicis & propinquis de ſua promotione gaudentibus dixit: *Quare gaudetis? melius erat vobis habere unum Cardinalem vivum, quàm Papam mortuum.*

CAP. XIX.

De Papa Johanne XXI. ex Chronicis.

JOhannes hujus nominis XXI. eodem Anno in Papam eligitur & ſedit menſibus VII. & ceſſavit menſibus VII. & diebus VII. Hic ſuit natione Hiſpanus, primò vocatus Magiſter Petrus. vir literatus apprimè. Magis oblectabatur quæſtionibus ſcientiarum, quam negotiis Papatus, & quamquam magnus eſſet Philoſophus, fuit tamen diſcretione & naturali ſcientia vacuus; dumque lætus degeret ſpe longioris vitæ conceptæ, & novo cubiculo lectitaret ſolus in Palatio novo Viterbii, repentè Palatium corruit, & ſolus tignis & lapidibus attritus XV. Maji. Diebus quinque ſupervixit, munitus tamen Sacramentis Eccleſiæ. Sepultus eſt autem in ea Civitate apud Eccleſiam Sancti Laurentii.

CAP. XX.

De Papa Nicolao III. ex Chronicis.

NIcolaus hujus nominis III. Johanni Papæ ſucceſſit. Cœpit Anno Domini MCCLXXVII. regnante Rodulpho, & ſedit annis II. menſibus VIII. & ceſſavit diebus XXVIII. Hic fuit natione Romanus de agnatione Urſinorum, priùs vocatus Johannes Gaytanus, eratque tunc Diaconus Cardinalis Sancti Nicolai in carcere Tulliano. Vir prudens, & ſummæ honeſtatis aſpectu. Magnopere hic ſtuduit genus ſuum exaltare & locupletare, ut ſui potentiores eſſent in Urbe, qui habitabant Regionem Sancti Petri. Summis ſumtibus conſtruxit Palatia, & Pomerium, quæ ſunt circa Sanctum Petrum ex pecunia collecta de Decima proventuum univerſarum Eccleſiarum occaſione Paſſagii, quod ſtatuerat facere Gregorius X. Papa, ut ibi celebritas Curiæ Romanæ eſſet in veſtibulis ædium propinquorum ejus. Bertholdum germanum ſuum ex prole Urſinorum in Romandiolam, ut pacaret eam, Comitem primum miſit. Cardinalem quoque Latinum conſanguinitate ſibi propinquum Legatum eum eo direxit, qui in ea legatione multa in Provincia legationis ſuæ circa Eccleſiæ ſtatum, & bonos mores decrevit, & inter cetera, ut non liceat mulieribus per publicum incedere, niſi capite peplo velito; nam priùs vittis aut ſericis funiculis crines compoſitæ publicè incedebant; tamen in multis boneſtatem ſuppeditavit laſcivia. Caſtellum Surianum, quod Nobilium erat, ad jus Eccleſiæ Romanæ pertraxit, tamquam de bonis illorum, quos convinci fecit, ut hæreticos. Id Caſtellum maximis ſumtibus reædificatum & pollens fratri ſuo Urſo conceſſit. Tamen tempore mortis ejus quum monitus fuiſſet ab eo, qui ejus confeſſionem audivit, ut id reſtitueret dominis antiquis, mandavit fratri, ut id reſtitueret. At ille obſtruxit aures, nec umquam reſtituit. In eodem Caſtro Sutiano reſidens idem Papa, quod eſt prope Viterbrum loquelâ perditâ ſubitò moritur. Carolum Regem Siciliæ à Vicariatu Thuſciæ certis ex cauſis amovit, & conſtitutiones fecit tam de electione Prælatorum, quàm Senatoris Urbis. Regulam Sancti Franciſci Fratrum Minorum declaravit, ponens in ordine Decretalium. Ordinationem unam fecit novem Cardinalium. Parum ante promotionem ſuam Tiber flumen in tantum excrevit, ut ſuos tranſcendens alveos (quod cunctis cernentibus erat formidini) ſupra altare Beatæ Mariæ Rotundæ per quatuor pedes & ampliùs aſcenderit. In iſto Romano Pontifice Nicolao III. Libellus, qui intitulatur *Incipit initium malorum*, habet exordium, & in ipſo Libello ipſe Pontifex, & nonnulli ejus ſucceſſores variis modis ſunt effigiati cum obſcuriſſimis ſubſcriptionibus. Eſt enim Papa iſte in habitu Pontificali habens ſcilicet mantum & mithram, & ſupra eam catuli urſi figuram; in manu Crucis ſignum, ſecus verò pedes ſunt etiam duo catuli urſini, ſurſum quaſi hærendo ad eum reſpicientes hinc & inde. Fertur à nonnullis Abbatem Joachim Libelli hujus ſpiritu prophetico fuiſſe auctorem. Sepultus eſt idem Nicolaus apud Urbem in Eccleſia Sancti Petri, ubi ſupra lapidem monumenti ſculpta cernitur ejus imago lapide perpolito cum epitaphio tali:

Noſtra tulere gravem præclari Solis eclipſim
Secula, quum rapuit mors impia te Nicolae,
Papa ſacer, cujus à ſacro fonte Johannis
Nomen, & hac alma clarus genus exſtitit: unde
Largiſluè divina manus dans plurima cunctis
Dona creaturis, tibi talia tanta tot uni
Contulit, ut poſſet erga te prodiga dici.
Qua virtute tuus animus, qua dote carebat?
Corpus & exterius tibi quid ſors blanda negavit?
Sacra in te triplex quadruplexq; politica virtus
Fulſit, ut eſſe domus ſeptenis fulta columnis
Ritè putarere, ſibi quam Sapientia ſtruxit.
Corporis egregio decus adjecere decori
Mira pudicitia, graviumque decentia morum.
Qualis eras intus, foris eluctbat, eratque

Ipſa patens ſpecies probitatis imago latentis.
Te gradus evexit ſummus. Tibi copia rerum
Affluxit, meritoſque tibi dedit Orbis honores.
Quæ latè diffuſa tibi celeberrima fama
Nominis implevit; ſed te virtutibus almis
Vincebas, majorque tua tu laude fuiſti.
Cujus honeſta novis auxit præſentia famam.
O decus humani generis, quo Præſule felix
Splenduit Eccleſia, requievit Patria, riſit
Roma, rigor vitium deprimens: promovit honeſta.
Siccine te nobis te mors ſubtraxit amara?
Heu nimiùm jactura gravis! tamen haud ſinè fructu.
Mors tua quippe docet, quàm ſit mors ipſa timenda,
Quæ tibi non parcens, nulli ſe parcere clamat.
Pro meritis æterna ſacris te vita coronet.
Amen.

CAP. XXI.

De Papa Martino IV. ex Chronicis.

MArtinus hujus nominis IV. defuncto Nicolao III. in Papatu ſucceſſit, regnante Rodulpho. Cœpit Anno Domini MCCLXXXI. & ſedit annis IV. menſe I. diebus II. Ceſſavit diebus VIII. Hic fuit natione Gallicus de Civitate Turonis, priùs vocatus Simon tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis, Legatuſque fuerat multis annis in Franciam. Fuit autem electus Viterbii, & conſecratus in Urbe-Veteri. Urbanus Papa hujus nominis IV. eum ad Cardinalatum promovit. Ordinationem Cardinalium fecit, inter quos Domnum Petrum de Mediolano creavit Presbyterum Cardinalem ad titulum Sanctorum Marcellini & Petri. Hic Martinus fuit electus in Senatorem Urbis ad vitam, qui in loco ſui inſtituit Carolum Regem Siciliæ Senatorem, & de familia ejuſdem Regis exiſtentis in Urbe-Veteri ſumſit Milites ad regendum tam Patrimonium, quàm Campaniam, Marchiam, & Ducatum. In Romandiola verò deſtinavit Johannem de Appia cum ſoldariis Francigenis ferè octingentis contra Guidonem Montis Feltri, qui terram Eccleſiæ tenebat in partibus illis, anno ſecundo ſui Pontificatus. Qui Johannes Faventiæ equitum congregavit exercitum. Nocte igitur præcedente Calendas Majas in ſuburbium Forlivii, licèt foſſa & vallo munitum, traxit exercitum. Manè exeuntes Livienſes Duce ſuo jam dicto Guidone, qui in acie communibus erat armis, nullis inſignibus diſcretus à ceteris; expoſuerat enim militem quemdam cum ſuis inſignibus, qui & in pugna cæſus eſt. Impletâ igitur foſsâ, quæ media erat inter utramque aciem, pugna conſeritur. Primo progreſſu utraque pars vincit, & vincitur; nam fuſi ſunt equites Furlivienſes, & in Urbe regreſſi plurimi; multique ex hoſtibus equites eos inſequuti ſunt, & carcerem etiam publicum fregerunt, & exſolverunt compeditos. Pedites verò partis externæ ipſo congreſſu, abjectis haſtis, præcipiti fuga trans foſſam evadere moliti ſunt; ſed impedientibus alteris alteros, multi foſſa demerſi, licèt aquis vacua à ſupercadentibus ſunt oppreſſi & mortui. Inter reſiduos pedites Forlivienſes & equites Francos, qui cum Comite Johanne ſtiterant, pugna diu acris fuit. Alii ſic ſcribunt, quòd Johannes ipſe congregatis aciebus prima die Maji ordinavit tres turmas militum & unam peditum, ſtabiliens in burgo in facie civitatis Forlivii. Sed pars adverſa tam per ipſam Portam, quàm alias diverſimodè ſuos emi-

A ſit bellatores, ut plus aſtutia quàm jure belli poſſet ſuperare Johannem. Sicque factus eſt conflictus, in quo corruit idem Johannes, & alii plurimi fortiſſimique bellatores, præſertim ex equitibus Francis ferè quingenti. Tandem Forlivienſes victores præda hoſtium ſunt potiti. Alibi ſcribitur, quòd ipſe Johannes rebus deſperatis cum paucis maturo greſſu diſceſſit; cui abeunti Guido nullum ex ſuis occurrere voluit, quum nonniſi multa ſuorum cæde poſſet occidi vel capi. Vir quidem animo & corpore præſtans. Qui, ut *Ricobaldus Ferrarienſis Hiſtoriographus ſe vidiſſe teſtatur*, comitatus cuneo XXI. equitum, incolumis Faventiam rediit.

Anno ſequenti Papa Martinus in Romandiolam exercitum inſtauravit, ipſo Johanne duce
B exercitus, atque circùm obſedit Forlivium. Cives autem ægrè reſiſtebant, premente frumenti inopia; quo metu quidam ex civibus clam de urbis deditione agere cœperunt. Quod ut Guido ſenſit, de Urbis deditione, & ſalute ſui & ſuorum egit. Facta eſt igitur deditio his pactionibus, quòd ipſe Guido, & exules Bononienſes incolumes cum armis & equis abierunt. Civitas in poteſtatem Romanæ Eccleſiæ ceſſit: foſſæ & aggeres ſolo æquati ſunt: portarum Urbis poſtes abacti ſunt: cives aliqui relegati, aliqui ſunt proſcripti. Alii dicunt, quòd idem Papa Guidonem de Monte-Forti virum ſtrenuum in Romandiolam miſit, ut ejus præſentia confortarentur ſtipendiarii Papæ. Qui ſtatim & civita-
C tes occupatas à Guidone de Monte-Feltro, eo reſtituente, & jurante Eccleſiæ ſtare mandatis, ac ſe transferente ad locum ſibi aſſignatum, obtinuit, totaque Romandiolæ Terra ad Papæ mandata rediit, excepta Urbe-Veteri, quam idem Guido de Monteforte hoſtiliter eſt aggreſſus, eamque depopulatus eſt, & quinque Caſtra accepit. Petrum Regem Arragoniæ, qui Siciliæ Regnum acceperat, excommunicavit, & Regno depoſuit, Arragoniamque ſuppoſuit interdicto; fuitque Crux contra Arragones prædicata. Regnum etiam Arragoniæ Carolo filio Regis Francorum conceſſit. Ex his autem multa mala ſequuta ſunt, & humanus multus ſanguis effuſus. Eodem tempore idem Papa apud Montem-Flaſ-
D conem ſe transtulit. Peruſini tunc contra ipſius Papæ inhibitionem ſupra Fulginates exercitum facientes, quidquid extra muros civitatis fuit, undique devaſtarunt, unde ab eo excommunicati fuerunt. Papa tamdem Martinus audita Caroli morte lugubres cum Cardinalibus & Peruſinis celebrandas dies hæredibus proſcripti Principis, nec non Atrebatenſi Comiti viro ſtrenuiſſimo, pro cujus induſtria Regnicolæ quamplures potiùs timore quàm fidelitate præſtabant Gallicis obſequium, centum ferè millia Librarum Turonenſium eidem Comiti deſtinavit. Parum poſt verò, die videlicet Reſurrectionis, qui fuit in die Annuntiationis, poſtquam celebraſſet, & refectionem ſumſiſſet, arripuit eum
E infirmitas occulta, ex qua licèt ſe graviter pati diceret, Phyſici morbum ignorantes & cauſam, aſſerebant nullum eſſe in eo mortis indicium. Feriâ poſt hæc quartâ exſulvit debitum conditionis humanæ. Fertur à multis, quòd Papa iſte multùm avidus erat comedendi anguillas, & quòd ex earum comeſtione morbo correptus eſt. Nutriri quidem faciebat eas in lacte, & ſubmergi in vino. Unde quidam huic rei alludere volens, ait:

Gaudeant anguillæ, quòd mortuus eſt homo ille,
Qui quaſi morte reas excoriabat eas.

Iſte etiam Romanus Pontifex in eodem Libello,

cujus

cujus titulus, *Incipit initium malorum*, effigiatus eſt in Pontificali habitu, habens juxta ſe anguillæ figuram, & aviculam alis expanſis mithræ adhærentem, roſtrumque protendentem ad os anguillæ in dextera quoque defert vexillum.

CAP. XXII.

De Papa Honorio IV. ex Chronicis.

HOdorius hujus nominis IV. Martino ſucceſſit. Cœpit Anno Domini MCCLXXXV. regnante Rodulpho, & ſedit annis III. Hic fuit natione Romanus ex progenie Sabellorum, priùs dictus Jacobus, tunc Diaconus Cardinalis. Ad hunc autem eligendum concordes fuerunt Cardinales prima die, qua ſimul convenerant ad electionem futuri Pontificis celebrandam, licet impotens ad id crederetur, & penitus inhabilis famosè diceretur, nam pedibus erat ita ægrotus, ut nec ambulare nec ſtare poſſet: manus autem ſic contractas habebat, ut digitos exceptis pollicibus unum ad alterum jungere non poſſet; immo etiam carne ſuperexcreſcente ferè unus ab altero ſecerni non poterat. Et quum celebraret, ponebatur Corpus Domini inter ipſos pollices, & quodam inſtrumento ligneo, quo inſidebat, volvebatur ad Populum. Tamen erat ſermone potens, ita ut multoties feratur dixiſſe: *Si manibus, & pedibus ſumus inhabiles, lingua tamen noſtrum officium exſequimur*. Studuit magnificare opibus ſuos, unde multùm captator pecuniarum erat. Nam quum quadam vice eſſet cum Cardinalibus in Conſiſtorio, habita fuit mentio de quodam Abbate, qui diu pro confirmatione ſua in Curia fuerat; & quum Papa à verbis diverteret, Benedictus Cardinalis, qui fuit poſtea Papa dictus Bonifacius, fertur dixiſſe quaſi jocando: *Credo, Pater, in vobis illud verificatum Evangelii. Quum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*. Hic ſtatim poſt electionem tam Comiti Atrebatenſi in Apulia viriliter militanti, quàm ceteris ſtipendiariis pro incertis partibus per Martinum Papam ordinatis, eos animosè confovendo, præſtavit ſtipendia, & animavit ad ſuſcepta negotia ſollicitè proſequenda. Mortuus eſt Romæ in die Cœnæ Domini apud Sanctam Sabinam, & apud Sanctum Petrum ſepultus juxta ſepulcrum Nicolai Papæ III. Iſte etiam Pontifex figuratur in eodem Libello, qui intitulatur *Initium malorum*, in hac forma. Sedet enim in cathedra, ſupra mithram aquilam geſtans, & manu dextera genu innititur. Siniſtro autem humero innixum eſt animal, quod dicitur Rhinoceros, faciem dirigens in vultum ipſius Papæ.

CAP. XXIII.

De Papa Nicolao IV. ex Chronicis.

NIcolaus hujus nominis IV. Honorio defuncto ſucceſſit. Cœpit Anno Domini MCCLXXXVIII. ſeditque Annis IV. Hic fuit natione de Eſculo Civitate Marchiæ Anconitanæ; qui à pueritia Ordinem Minorum intrans, quum eſſet Miniſter Provincialis, miſſus eſt per Papam Gregorium X. ad Græcos pro Fide, cum quibus ad Concilium Lugdunenſe pervênit; ibique factus eſt Generalis Miniſter dicti Ordinis, vacante miniſterio per aſſumtionem Bonaventuræ de Bagnareto ad Cardinalatum. Mox per Nicolaum Papam III. factus eſt Cardinalis Presbyter tituli Sanctæ Pudentianæ, tunc vocatus Frater Hieronymus. Tamdem, ut dictum eſt, ad Papatum aſſumitur. Iſte ad petitionem Januenſium Obizonem proſapiâ de Fliſco de Comitibus Lavaniæ nepotem Innocentii IV. & Adriani V. eis in Archiepiſcopum conceſſit, quum eſſet Patriarcha Antiochenus ab ipſo Innocentio creatus. Sed occupatâ Antiochiâ à Sarracenis, coactus erat ad ciſmarinas regredi partes. Priùs tamen factus fuerat adminiſtrator Eccleſiæ Ravennatis. Moritur idem Nicolaus Romæ, & ſepultus eſt in Eccleſia Sanctæ Mariæ Majoris juxta ſepulcrum Beati Hieronymi. Vir fuit multa honeſtate, prudentia, & humilitate præditus. Columnenſium de Urbe proſapiam multùm dilexit, & eorum conſiliis hæſit; unde fertur, quòd dum puerulus quidam, qui ferebatur habere ſpiritum prophetiæ ex hoc ei familiaris eſſet, & de multis eum percontaretur, inter cetera percontatus eſt Papa puerulum ſic dicens: *Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei à quo regitur?* Et ille ſtatim reſpondit: *ab illis de la Columpna*. Iſte Romanus Pontifex etiam in eodem Libello, qui intitulatur, *Incipit initium malorum*, deſcribitur in hunc modum. Eſt enim incluſus Columnæ, ita ut nonniſi caput appareat mithratum, & ante ſe alias duas habet columnas, in quarum una eſt caput avis, roſtro ſuſtinens nidum, in quo eſt caput ſcois Clerici. Eſt etiam ibi ſubſcriptio talis. *Nicolaus Papa IV., confuſio, error concitabitur*. Sed de ceteris eventibus regnante Rodulpho.

CAP. XXIV.

De Bernardo Archiepiſcopo Januenſi, & ejus ſucceſſore Obizone.

BErnardus his temporibus, Anno ſcilicet Domini MCCLXXVI. ab Innocentio V. Papa in Archiepiſcopum Januenſem promotus eſt. Hic fuit natione Parmenſis, & vixit in Archiepiſcopatu annis X. Vir in Jure Canonico valde peritus, & in agendis ſolicitus & diſcretus; multaque laudabilia & utilia in Archiepiſcopatu geſſit. Moritur Januæ & ibidem quieſcit. Huic ſucceſſit Obizo de Fliſco, de quo dictum eſt ſupra ſub Nicolao Papa IV.

CAP. XXV.

De dominio Guidonis de Polenta.

GUido Minor de Polenta Anno Domini MCCLXXV. præſidio equitum ſibi ab Arimino delato, adverſarios cives præpotentes in Ravenna prævênit, & ipſius Urbis potitus eſt dominio.

CAP. XXVI.

De fœmina fœcundiſſima ſobole.

ANtonia mulier Mutinenſis per hæc tempora modum fœcunditatis in prole egreſſa eſt; nam ante annum XL. ſuæ ætatis quadraginta duos peperit filios ex viro exule Mutinæ. Decies & pluries gemellos enixa eſt: quaternos pluries: ſex interdum; aliquando ternos. Tantis puerperiis ſenectutem non ſenſit.

CAP. XXVII.

De expulſione Nobilium de la Turre ex Mediolano facto conflictu.

TUrriani tunc Mediolani primores cum complicibus eorum apud Dexium conflicti, Mediolano pulſi ſunt Anno Chriſti MCCLXXVII. regnante Rodulpho, Pontificante Nicolao III. Papa. Exules enim Cumani factionis, quæ Ruſcanorum dicitur, dum XIV. annis præſtantiores ejuſdem factionis apud Mediolanum ab ipſis Turrianis tenti fuiſſent captivi, bonæ memoriæ Johannes tunc Cumanus Epiſcopus proſapiâ de Advocatis ex eadem Civitate Cumana oriundis, more boni paſtoris, ſubditorum zelans quietem, Cives Cumanos inteſtinæ diſſenſionis puncturis afflicto, ad pacis reformavit quietem, & captivos alioſque exules ad lares proprios curavit reducere. Tamdem malitia hominum faciente, recidivantibus eiſdem civibus, factio, quæ Vitanorum dicitur, ſeditioſis incurſibus victa, exulare coacta eſt. Quumque Ruſcanorum factio adverſæ factionis timeret inſidias, & potiſſimè Turrianorum abhorrerent potentiam, qui Vitanos fovebant, Othonem Archiepiſcopum Mediolani proſapiâ Vicecomitum, qui tunc erat cum Capitaneis & Valvaſſoribus factionis adverſæ Turrianorum, in Civitate Cumana cum ſequacibus ejus recipiunt. Demum Ruſcani felicibus his animati ſucceſſibus, confœderatique cum eodem Archiepiſcopo & complicibus ſuis decreverunt Mediolanum hoſtiliter accedere, debellaturi Turrianos. Quumque manu armata omnes apud Burgum Marliani Comitatus Mediolanenſis veniſſent, Turriani concito congreſſu cum ſequacibus eorum Burgum Dexium, quòd à Mediolano decem millibus paſſuum diſtat, applicuerunt. Quo cognito Cumani, qui erant in Marliano, Deſium feſtinant, diſtans inde tribus millibus paſſuum. Appropinquantibus autem ad hoſtes, prœlium duriſſimum inchoatur. Tamdem Burgo obtento Turriani cæduntur: multi ex eis mortui, multique capti ſunt. Corruit ibi vir nobilis & ſtrenuus Franciſcus Turrianæ proſapiæ ſecundus in potentatu à Napoleone domus ejuſdem. Caput ejus, ejectis in cœno inteſtinis, pilo ſive lancea geſtatum eſt à Ricardo Comite de Languſco in Mediolano. Deinde per Novariam & Vercellas ad ludibrii oſtentationem Languſcum delatum eſt. Similiter & caput Andrioti nepotis ejus. Hoc autem factum eſt ab ipſo Comite Ricardo in vindictam Comitis Guifredi conſanguinei ſui, qui dum eſſet ejuſdem factionis Capitaneorum & Valvaſſorum Poteſtas, in quodam conflictu ab ipſis Turrianis pugione confoſſus exſtiterat. Hoc modo exules Mediolani, ſcilicet Capitanei & Valvaſſores, ſubactis hoſtibus, Mediolano potiti ſunt anno prædicto die Feſto Agnetis, in quo exinde ipſi Capitanei & Valvaſſores annua ſolemnia peragunt. Ex captivis fuerunt Neapoleo ſupradictus, Carnevalis frater ejus, Muſca, Guido filius dicti Franciſci, qui poſtea fuit Mediolani Dominus, Arech, & Lombardus fratres, nepotes dicti Neapolionis, omnes ejuſdem Turrianæ proſapiæ. Qui ab his, quos dudum, ut dictum eſt, victos Mediolani tenuerant, ſcilicet à Ruſconibus ſervati ſunt apud Caſtrum Baradellum juxta Cumas. Tamdem Neapoleo, Carnevalis, & Lombardus famis inedia, & carceris ſquallore, ſpiritus exhalarunt. Reliqui à Lotherio principe factionis Ruſcanorum (datâ pecuniâ per Raymundum, qui fuit Epiſcopus

A Cumanus, tunc Aquilejenſis Patriarcha, Turrianæ proſapiæ) carceres evaſerunt, & cum reliquis complicibus à Mediolano exularunt; ac ex eis plurimi ſub umbra ejuſdem Patriarchæ apud Aquilejam domicilium habuerunt uſque ad Annum Domini MCCCII. quo Anno Matthæus Vicecomes, qui erat Capitaneus Mediolani, & Imperii Vicarius Generalis, quum jam dominium Mediolani, & ferè omnium Civitatum Lombardiæ ſuperioris tenuiſſet, a . . . . ſuſtinentibus, eorum fautoribus & complicibus, dum eſſet apud Trivilium cum exercitu ſuo reſtiturus hoſtibus, Alberto videlicet Scoto Placentiæ, Philippono Comiti de Languſco Papiæ, & Antonio de Fuxiraca Laudæ Dominis, qui adjunctis ſibi Tur-
B rianis hoſtiliter Comitatum Mediolanenſem intraverant, deſertu à ſuis (quamquam ſtipendiarii pugnam capeſcerent) renuntiavit dominio in manibus hoſtium. Quo ſecedente, Turriani Mediolani dominio poti i ſunt, exulante cum paucis Maphæo uſque ad adventum Henrici Imperatoris.

CAP. XXVIII.

De translatione Corporis Magdalenæ.

ANno Domini MCCLXXX. qui fuit Annus ultimus Pontificatus Nicolai Papæ III. Carolus devotus Princeps Comes Provinciæ, poſt-
C modum Siciliæ Rex, relevavit, & tranſtulit glorioſum Corpus Sanctæ Mariæ Magdalenæ, repertum in tumulo marmoreo, quod erat in illo ſancto Oratorio, in quo Sanctus Maximinus eam ſepelivit, in villa ſui nominis Maximina. Corpus itaque Sanctum memoratus Princeps collocavit in capſa pretioſa, & caput ſeorſum in quadam pulcherrima theca ex argento, & auro, & lapidibus pretioſis, quas de induſtria prius fecerat fieri. Interfuere autem prædictæ translationi Narbonenſis, Arelatenſis, & Aquenſis Archiepiſcopi, & plures alii Epiſcopi, Abbates, & Religioſi, & plurimi Nobiles viri cum ipſo Principe.

D
CAP. XXIX.

De monſtruoſo piſce marino.

ANno Domini MCCLXXXI. reſidente Papa Martino in Urbe-Veteri, Anno ſcilicet primo ſui Pontificatus, piſcis marinus in effigie leonis captus fuit in illa plaga marinæ, quæ ſita eſt verſus Montem-Altum, & portatus apud ipſam Urbem-Veterem. Multitudo Curialium ad videndum monſtrum hoc (nec mirum) confluebat: pellis enim ejus piloſa erat, pedes breves, cauda & caput leoninum, aures, & os inter dentes & linguam habebat. Quaſi leo refere-
E batur, ita quoque in ejus captione planctus horribiles emiſerat; ſicque multi pronoſtica futurorum exinde aſſerebant. Et ecce quòd parum poſt in Regno Siciliæ Panormitani, excitato furore, Gallicos qui ibidem morabantur tam mares quàm fœminas, ſenes ac juvenes occidentes, ut jam dictum eſt ſub temporibus Caroli Regis Siciliæ, ab ipſo Carolo deſciverunt: deinde tota Sicilia rebellis effecta Petrum Regem Arragoniæ in ſuum defenſorem & Dominum vocaverunt. Hæc autem de Siciliæ Regno acta ſunt Anno ſequenti.

CAP.

CAP. XXX.

De dominio Girardi de Camino in Urbe Tarvixio, & nece filii.

GIrardus de Camino Anno Domini MCCLXXXIII. ſeditione orta Tarviſii invaſit eam Urbem, & extruſo adverſario ſuo Gerardo de Caſtellis adverſæ partis principe, dominio hujus Urbis potitus eſt uſque ad mortem, filio relicto Rizardo; tyrannus quidem æquiſſimus, ac tolerabilis ſatis. Quum autem filius ejus in dominio ſucceſſiſſet, una dierum ludendo ſcachis, Wezilo fratre ejus, ut creditur, procurante, ab aſſaſſino occiſus eſt, fratre & propinquis præſentibus, à quibus quum ſtatim eſſet occiſus, hoc verbum dicitur emiſiſſe: *Non fuit iſtud in promiſſo actum*. Poſt hæc idem Wezelus à complicibus ſuis expulſus eſt patria.

CAP. XXXI.

De ſtrage Piſanorum in mari, & captione eorum à Genuenſibus.

PIſanus exercitus Anno Dom. MCCLXXXIV. regnante Rodulfo, navali prœlio in mari Piſano à Genuenſibus ſuperatus eſt in hunc modum. Piſani enim Galêas LXXII. & alia ligna plura armaverant, ut Riperiam Januenſem percurrentes hoſtiliter incurſibus & direptionibus invaderent. Quod præſcientes Januenſes Galêas XCVI. paraverunt, quibus Obertum Auriæ tunc Capitaneum Populi Januenſis Admiratum præfecerunt. Ex iſtis XCVI. Galêis Januenſium per dies aliquot antea præparatis, XXXVI. contra ipſos Piſanos in Sardiniam conductæ fuerant, quibus Benedictus Zacharia conſtitutus fuerat Admiratus. Contigit autem caſu fortuito, ut ambo Admirati, ſcilicet Obertus & Benedictus cum ſtolis eorum ſimul ſe jungerent in Portu Piſano. Qui quum Piſanorum Galêas inveniſſent ibidem, illas potenter invadunt, & captis ex eis XXXIII. multæ aliæ fuerunt in mari ſubmerſæ. Quanta autem ibi ſtrages & occiſio Piſanorum ibi fuerit, compaſſio eſt referre, & ſtupor audire. Capti enim & adducti ad carceres Januæ fuerunt ex Piſanis tredecim millia; perierunt autem ter mille ferro & ondis. Manſerunt autem in captivitate annis XIV. Facta enim inter ipſos Genuenſes & Piſanos pace, captivi jam dicti Piſanorum exhibiti ſunt.

CAP. XXXII.

De inundatione magna in Venetiis.

EOdem Anno Carolus Caroli Regis Siciliæ filius pater Roberti, qui nunc regnat, juxta Portum Neapolis captus eſt claſſe à Siculis, de quo ſupra in geſtis patris dictum eſt. Eodem Anno in Urbe Venetiarum adeò intumuerunt aquæ maris, ut naves per eorum plateam ſint actæ per aquas, ædes aquis immerſæ, res corruptæ. Hoc autem fortè fuit futuræ peſtis eorum præſagium, quæ contigit Anno decimo ſubſequenti. Philippus Rex Franciæ hujus nominis IV. Anno Domini MCCLXXXV. morbo apud Pirpinianum defecit, de quo ſupra dictum eſt. Non multò poſt Arragoniæ Rex Petrus parvulo vulnere occubuit. Carolus quoque Rex Siciliæ anno ſequenti morbo defecit. Martinus Papa IV. eodem anno moritur, de quibus dictum eſt ſupra.

CAP. XXXIII.

De Obizone Marchione Eſtenſi, & filio ejus Azzone.

OBizo Marchio Eſtenſis Ferrariæ Dominus Anno Domini MCCLXXXVIII. ſtudio Lanfranchi de Rangonibus, diſſidentis à quibuſdam concivibus, Dominus Mutinæ ordinatur in vita, acto inter conventiones, ut exules exularent, & ut filiam fratris ſui Tobiæ conjugaret filio ipſius Obizonis Aldebrandino. Quod factum eſt. Ut verò ingreſſus eſt Mutinam, reduxit exules ſuæ partis, ſcilicet illos de Saxolo & complices: exules verò veteres, ſcilicet Graſulphos neglexit. Mox poſt paucos dies actum fuit Senatus ſive Conſilii eorum decretum, quòd idem Obizo factus eſt Dominus Mutinæ cum ejus ſucceſſione: quod dominium in vita poſſedit, & poſt eum Azzo. Quo mortuo, nulloque legitimo herede relicto, exſpiravit Marchionum dominium in urbe Mutina, quod aſſumſit mortuo Henrico Imperatore Raynaldus de Bonacolſis. Obizo iſte accepit uxorem filiam Alberti de la Scala Capitanei Populi Veronæ, quo formidati Paduani, quum eſſet idem Albertus adverſæ partis eorum princeps, Caſtellum Baldum anno ſequenti conſtruxerunt apud flumen Aticem. Anno tandem MCCXCIII. idem Obizo poſtquam Ferrariæ dominium annis IX. & XX. diebus obtinuerat, in ea Civitate Ferrariæ moritur. Reliquit autem filium primogenitum Azzonem dominii ſucceſſorem, qui cum Paduano Populo guerram maximam habuit. Nam anno ſequenti Paduani duo Caſtella in montibus ſita Cerrum & Calaonum in deditionem habita diruerunt. Arcem Eſteoſem uſque ad ſolum æquarunt. Pace tandem facta Paduani obtinuerunt Pagum Abbatiam, & tertiam partem juriſdictionis Lendenariæ, ceſſam ei Populo ab Aldebrandino ſecundo trium filiorum Obizonis Marchionis. Poſtmodum Anno Domini MCCXCV. cœptum eſt bellum inter Parmenſes, & ipſum Azzonem, qui Azzo anno altero ſequenti, Bononienſibus adjuvantibus Parmenſes ex fœdera, bellum intulit.

CAP. XXXIV.

De prælio Guelforum de Florentia cum Aretinis Ghibellinis.

ANno Domini MCCLXXXIX. congregatis maximis copiis Guelphi de Florentia in agrum Aretinum duxerunt exercitum. Ibi erant Ghibellini bellicoſi, ſed numero impares, quibus præerat Epiſcopus Aretinus, qui bellis & ſeditionibus ſemper fuerat oblectatus. Ejus nepos Willielmus, dux belli ſtrenuiſſimus, congreſſum prœlii declinari conſuluit, quum hoſtes longè ſuperiores numero eſſent, & viri in armis viriles. Hunc Epiſcopus increpuit ut trepidum prœlii, & juſſit pugnari, alioquin cum hoſtibus ipſe componeret. Ille ab Epiſcopo arma Epiſcopi petiit, ne Epiſcopus in pugnam procederet; quæ quum indueret, repetiit ea Epiſcopus atque induit, venitque in aciem jam grandævus. Pugnatum eſt utrimque viriliter: multi caſi: vix plures pauciores ſuſtinuerunt acie penetrata: pauciores vincuntur, & cæduntur pugnando: victoribus non fuit incruenta victoria. Ceciderunt hoc prœlio utrimque viri fortiſſimi, inter quos Boncomes Guidonis de Monte-Feltro filius.

Ce-

Cecidit etiam Epiſcopus, qui captus, ut per coronam clericatus cognitus eſt, quis eſſet denuntians, à captore cæſus eſt gladio. Hoc prœlio opes partis Ghibellinæ & Aritii corruerunt.

CAP. XXXV.

De everſione urbis Tripolis.

TRipolis Syriæ Civitas An. Domini MCCXC. à Sarracenis ſubvertitur funditus, cunctis Chriſtianis incolis peremtis, aut in captivatem ductis.

CAP. XXXVI.

De captione Stephani Comitis Romandiolæ.

STephanus de Dinazano, vir Romanus, Comes Romandiolæ, eo anno Ravennæ captus eſt. Ipſe enim pro Eccleſia Comes, & in Romandiolam miſſus à Papa Nicolao IV. qui nimium res Cardinalium de Columna Petri & Jacobi fovebat, Arimini ſtatum immutavit. Primò hominem plebejum, ſtrenuum tamen, pro libertate illius civitatis agentem, (obſequebatur enim Plebs illi) fictis cauſis cepit, & turpiter morte mulctavit immeritum. Malateſtam tunc exulem reduxit, cujus ope Cives oppreſſit. Quum Ravennam deveniſſet, ea potiri cogitavit, & excludere eos, qui præerant, cujus urbis opportunitate opes quammaximas ſperabat acquirere. Guidonis de Polenta tunc Poteſtati Florentiæ filii, ut viderunt ejuſdem Stephani conſilium, ex agris convocant viros, & nocte intromittunt Ravennam: mox occupatis viis in ore vehiculorum, Comitem manè aggrediuntur in ædibus Archiepiſcopalibus habitantem. Ædes impugnantur: equites comites per vicos diſperſi ſpoliantur armis & equis. Comes deditionem fecit. Captus eſt & cum eo filius, & carcere includuntur. Tandem habita remiſſione injuriæ ab eodem Papa Nicolao extruſus & liberatus eſt.

CAP. XXXVII.

De excidio urbis Acon.

ACon urbs Syriæ Phœnicis Anno Chriſti MCCXCI. regnante Rodulpho, anno videlicet Regni ejus XVII. Pontificatus verò Nicolai IV. anno III. ex quo verò primùm à Chriſtianis ſub Balduino Hieruſalem poſt Godefridum Regem capta eſt, CLXXXVIII. everſa eſt funditus, occiſis & captis ibidem pluſquam triginta millibus perſonis utriuſque ſexus. Cauſam autem proditionis hanc ajunt fuiſſe. Confluxerant in ea urbe multi pſeudo-Chriſtiani cruce-ſignati, propoſitâ veniâ peccatorum. Hi fœdis operibus in Civitate ipſa, ut prius, intenti, cœlum non animum mutantes, quotidie in lupanaribus & tabernis degebant, & venientes Acon Sarracenos cum mercimoniis offendebant. Ad eam urbem quum Soldanus Ægypti legatos miſiſſet, & peracto negotio abirent, eos hujuſmodi Chriſtiani inſequuti ſunt, eoſque captos ſpoliantes interfecerunt, & demum Acon reverſi ſunt. Quo comperto à Soldano, denuntiavit his, qui in Acon urbe præerant, ut aut malefactores ſibi tradant, aut juſtè perimant. Hoc eſſe æquius viſum eſt omnibus incolis. Cruce-ſignati numero multi huic obſtiterunt, non ſe Sarracenos timere jactantes; propter quod Soldanus Ægypti tantum congregavit exercitum, quòd campum, qui per ſex millia paſſuum patet in urbis conſpectu, implevit caſtris. Diebus XLII. urbem impugnavit, machinis muros diruit: ibi erant ſpicula more imbris. Urbs vi capta eſt, viri & fœminæ præter juvenes peremti; ceteri abducti præter eos, qui confugerunt ad naves. Urbs ſpoliata, incenſa, & ſubverſa eſt. Nonnulli etiam ferunt, cauſam proditionis fuiſſe multitudinem Dominorum, & diverſitatem Nationum ibidem, quæ faciebant contrarietatem voluntatum.

CAP. XXXVIII.

De Fratre Jacobo de Varagine Archiepiſcopo Januenſi.

JAcobus de Varagine Anno Domini MCCXCII. à Nicolao Papa IV. factus eſt Archiepiſcopus Januæ. Sedit annis VII. Hic fuit de Ordine Prædicatorum, qui multa utilia legentibus compoſuit. Compilàvit enim in uno volumine Legendas Sanctorum. Fecit etiam duo Volumina Sermonum de omnibus Sanctis, & de omnibus Evangeliis. Fecit quoque Librum, qui dicitur Marialis, totus de Beata Virgine compoſitus, & ſecundùm ordinem Alphabeti diſtinctus.

CAP. XXXIX.

De initio Imperii Adulphi.

ADulphus Comes de Anaxove, genere Germanus, defuncto Rodulpho in Romanorum Regem eligitur; Cœpit Ann. Domini MCCXCIV. qui fuit ab exordio Mundi ſex mille CCLIV. Regnavit annis IV. tantùm apud Theutonicos. Benedictionem enim Imperialem & Imperii coronam non habuit. Hic fuit vir in armis ſtrenuus, atque magnanimus; cui Adalbertus Dux Auſtriæ Rodulphi quondam Regis Romanorum filius non obediens, contra eum etiam bellum ſuſcepit. Congregato itaque exercitu hinc inde, idem Adulphus Rex cum eodem Adalberto Auſtriæ Duce, feſto Beati Johannis Baptiſtæ prœlio congreſſus eſt, pugnaveruntque ſimul. In qua pugna Adulphus Rex, magis viribus, quàm conſilio uſus rem gerens, occubuit, & ſui convertuntur in fugam Anno Domini MCCXCVIII. præſidente tunc in Sede Romana famoſi nominis Bonifacio Papa VIII. Adalbertus victor factus eſt illi ſucceſſor in Regno, qui & ipſe à nepote ſuo filio fratris ſui occiſus eſt. Rex iſte Adulphus nobilem virum Matthæum Vicecomitem Capitaneum tunc Populi Mediolani, Cumarum, Novariæ, Vercellarum, Alexandriæ, & Terdonæ, per literas Regales patentes Regali Sigillo munitas Vicarium ſuum & Imperii in Lombardia provincia ſtatuit, committens eidem Matthæo merum & mixtum imperium, & juriſdictionem omnem & poteſtatem ejus nomine inibi exercendas. Quæ literæ datæ fuerunt XII. Kalend. Aprilis, Indictione VII. Anno Domini MCCXCIV. Regni ejus Anno ſecundo, unde videtur, quòd regnare incœpit Anno Domini MCCXCIII. Sed de Romanis Pontificibus huic Adulpho contemporaneis.

CAP. XL.

De Cœleſtino V. Papa.

COEleſtinus hujus nominis V. regnante Adolpho in Papam eligitur. Cœpit Anno Domini

mini MCCXCIV. qui fuit Annus primus Regni ejuſdem Adulphi; ſeditque menſibus V. & diebus V. & vacavit Sedes non per unam integram diem. Hic fuit converſatione Anachoreta, ſive Eremita de Abrutio, oriundus prope Sulmonam provinciæ Terræ-Laboris, vocatus priùs Frater Petrus de Murono, de Ordine, qui à pleriſque dicitur Sancti Damiani. Qui quaſi Eremita degebat in magna auſteritate vitæ. Vir quidem magnæ abſtinentiæ & parſimoniæ, multos in eo ordine habens diſcipulos in illis circumvicinis partibus, quibus ipſe præerat tamquam pater. Cujus electio ſive promotio ad Papatum fuit tam miranda, quàm inopinata, & quaſi tabula in Mundi theatro, quòd vir ſcilicet ex pauperrimo & humillimo ſtatu tantis Prælatis præeſſet & Clericis. Inopinatè ſanè fuit ad Papatum electus; quum enim Cardinales, mortuo Nicolao IV. Papa, ſe de Roma in Peruſio tranſtuliſſent, & duobus annis ſic fixi & in voluntatibus duri manſiſſent, quòd in unum convenire non poſſent, tamdem die VII. Julii anni ſupradicti in hunc Fratrem Petrum, cujus famam ſanctitatis, & odorem bonæ opinionis aliqui ex ipſis audierant, ſuos oculos dirigentes, ex improviſo priùs in ipſum pariter convenerunt, ipſumque communiter Peruſii Romanum Pontificem elegerunt; miſeruntque inde electionis decretum ad ipſum, qui tunc erat in partibus Apuliæ in ſuo habitaculo colens Deum. Poſtmodum accedentes ad eum, fuit in Civitate Aquila conſecratus; deinde vênit Neapolim, ubi cum Cardinalibus ſtetit, fecitque ordinationem unam Cardinalium ſatis magnam, ex quibus fuit Guillielmus Pergamenſis titulo Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis.

Quumque eſſet vir ſimplex, Deum timens & diligens, ſeculi contemtor, ac in rebus ſecularibus minùs expertus, Theologiæ ac orationi magis deditus moleſtum fuit ei fungi Papatu, quia etiam talium rerum imprudentem ſe ſciebat; duodecim enim Cardinales fecit, & poſtmodum alium, ſcilicet Archiepiſcopum Beneventanum, quem tempore, & modo non debito fecit Preſbyterum Cardinalem de plenitudine ſimplicitatis. Alia etiam multa dando, ſcilicet dignitates, & prælaturas, officia, & beneficia non ſuis temporibus, & abſque Cardinalium conſilio ad quorumdam ſuggeſtionem contra ſtatuta prædeceſſorum ſuorum, & conſuetudinem Curiæ Romanæ. Ad hæc etiam conſiderabat, quòd ob hæc à contemplatione divinorum animus ejus plurimùm avertebatur. Gemens igitur de ſuæ conditionis ſtatu, perſuaſoque ſibi, ut nonnulli referunt, fraudulenter ab aliquibus Cardinalibus, maximè ab eo, qui ſibi ſuccedere ſtuduit, & perfecit: elegit ipſe abjectus eſſe in domo Domini, & habitare ſecum; unde in conſpectu Cardinalium & Populi celebratâ priùs Miſsâ in Vigilia Sanctæ Luciæ anni ejuſdem apud Neapolim reſignavit Papatui oneri & honori, deponens ibidem Papatus inſignia & ſe exuens Papalibus ornamentis, exemplum tantæ humilitatis & abjectionis voluntariæ relinquens poſteris, à nullis, ut reor, aut pauciſſimis imitandum. Unde non tam ſuam electionem, quàm reſignationem admirati ſunt univerſi. Fertur, ante Papatum & poſt miraculis claruiſſe. Quòd ſi dicatur miraculum, unde mirantur homines, quod rarum eſt & inſolitum evenire, miraculoſa ejus reſignatio Orbi proponitur in exemplum.

Hic igitur profeſſionem ſuam fugere nolens, latère, & redire ad eremum diſpoſuit, ſicut priùs. Clam igitur aſſumto humili habitu, profectus eſt peregrè. Sed à Boniſacio, qui ſequenti die, ſcilicet in feſto Luciæ, fuit in Papam electus, ſtudioſè comprehenſus in fuga, reducitur, & Abbati Montis Caſini in cuſtodia traditur. Siquidem Boniſacius, quod ſibi & Eccleſiæ accidere poterat, ſcandalum, ſi ab aliquibus memoratis Cœleſtinus pro Papa deinceps haberetur, ſic evitare voluit. Quod quidem ſcandalum ex pluribus, quæ tempore ipſius Boniſacii facta fuerunt, viſibiliter timebatur, maximè quòd aliquibus dubium videbatur, utrum Papa potuerit Papatui reſignare, ex quo poterat ſchiſma in Eccleſia generari. Super quo etiam Boniſacius ipſe Conſtitutionem fecit expreſſam, quæ habetur in Sexto, quòd videlicet potuit Papa, & poteſt reſignare Papatui. Verumtamen raró videmus, quod potentia hæc ſortiatur effectum. Detentus igitur Cœleſtinus apud Montem Caſinum, non poſt multùm latenter evaſit. Unde Abbas velut improvidus in carcere truſus eſt apud Maltam in lacu Sanctæ Chriſtinæ, ubi paucis diebus pane tribulationis & aqua amaritudinis ſupervixit afflictus. Cœleſtinus autem tranſfretare diſponens, in Apuliam vênit; & quum ibi aliquot diebus propter maris æſtum moram contraheret, cognito ab Apulis ſumma reverentia recipitur, & ad eum multis confluentibus devotè tractatur. Carolus verò primogenitus Caroli Secundi Regis, cognomento Martellus, mandante Patre, ut Papæ applauderet, detentum duxit apud Anagniam, ubi tunc Papa Boniſacius reſidebat, quem Boniſacius in Caſtro Sulmonis, quod eſt in Campania, carceri mancipavit, in quo terminum vitæ dedit IV. Calendas Junii.

Eodem Anno idem Carolus cognomento Martellus, ejuſque uxor animas exhalarunt. Fertur, quòd Boniſacius ipſe, dum eum teneret in vinculis, una dierum ipſum viſitavit, quæſivitque ab eo, qualiter ſibi eſſet. At ille inter cetera reſponſionis verba ſic ait: *In Papatu ut vulpes ſubiſti: regnabis ut leo: morieris ut canis*. Nempe nec ſecus evenit. Sepultus eſt idem Cœleſtinus in quodam Monaſterio ſui Ordinis, quod dicitur Sancti Antonini, videlicet in Eccleſia retro Altare Anno Domini MCCCII. vel III. Et quum, ut dictum eſt, in vita & poſt mortem ferretur clarere & claruiſſe miraculis, de ejus Canonizatione tempore Clementis Papæ V. apud venerabiles viros in Curia fuit ſermo habitus de ejus Canonizatione, fuitque propoſitum aliquoties in Conſiſtorio coram Papa publicè & privatim. Tamdem fide de miraculis facta, ſub nomine Sancti Petri Confeſſoris Sanctorum Confeſſorum Catalogo fuit annotatus Anno Domini MCCCXIII. à tranſitu ejus Anno X. vel XI. fuitque inſtituta ejus celebritas XIV. Calendas Junii, qua die tranſivit ex hoc Mundo. De eo etiam dicitur, quòd in Papatu adeò ſe gerebat deſpectum, ut vilem etiam equitaret aſellum. Conceſſa quoque fuit in ipſius feſtivitatis die accedentibus ad ejus ſepulcrum reverenter annuatim, ipſius ſuffragia petituris, quinque annorum & quinque quadragenarum; accedentibus verò ſingulis Annis intra ejuſdem feſti octavam, unius anni, & unius quadragenæ de injuncta ſibi pœnitentia indulgentia gratioſa. Iſte in Libello, qui intitulatur *Malorum initium*, eſt in figura Religioſi, habens videlicet cucullam, caput quoque clericali inſignitum corona; falcem verò meſſoriam in manu dextra bajulat, & roſam in ſiniſtra cum ſuperſcriptione hujuſmodi: *Cœleſtinus Papa V. Elatio, paupertas, obedientia, caſtitas, temperantia, gaſtrimargia*.

CAP.

CAP. XLI.

De Papa Bonifacio VIII. ex Chronicis.

BOnifacius hujus nominis VIII. abdicante ſe Cœleſtino Papatus officio, ipſe die ſequenti in Papam eligitur. Cœpit Anno Domini MCCXCIV. Cœleſtino ſuo prædeceſſore vivente, ſeditque Annis VIII. menſibus IX. vel ſecundùm alios VI. Vacavit Sedes diebus X. Hic fuit natione Campanus de Anagnia Civitate, priùs nominatus Benedictus Gaitanus, qui primò Notarius Papæ ſub Innocentio V. & aliis gradatim ferè omnibus in Curia functus officiis, Diaconus Cardinalis titulo Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Papa Martino promovente, ac deinde Sancti Martini in Montibus Presbyter Cardinalis tunc erat. Electus eſt ipſe non invitus, non gemens. Perſuaſor enim fertur abdicationis Cœleſtini, quum vir eſſet omnium callidiſſimus, & vaſer in omnibus ac prudens, longa & aſſidua in agendis ſolicitudine ac exercitatione. Multa irritavit acta per Cœleſtinum. Statuit feſta Apoſtolorum, & Evangeliſtarum, & Doctorum quatuor Eccleſiæ ſub honore feſti duplicis celebrari ab univerſali Eccleſia: quod ordinamentum fecit Anno primo ſui Pontificatus. Anno verò Domini MCCXCVI. Villam Apamienſem in novam erexit Civitatem, primum in eadem Civitate Epiſcopum conſtituens.

Duos Cardinales Romanos Jacobum & Petrum de Columna decapellavit, ac depoſuit, privans eos omni Cardinalatus titulo, commodo, & bonore. Sequenti quoque Anno Conſtitutionem edidit decretalem contra eoſdem, *Extra de Schiſmaticis*, *Ad ſuccidendos*. Hos tamen ſucceſſor ejus Benedictus XI. reconciliavit ad Eccleſiæ unitatem, non tamen reſtituit ipſos ad Cardinalatum, ſed per hoc eos habilitavit. Sed Clemens V. ipſius Benedicti ſucceſſor eos ad Cardinalatum reſtituit. Duriſſimè illos perſequutus fuit Bonifacius ipſe, & ſinè ulla miſericordia eos exulare coegit, dum vixit; fuitque tam ſevera perſequutio, ut vix reperirent latibulum, quò effugerent manus ejus. Caſtra eorum & ædes diripuit. Nonnulla tradidit Urſinis, ut eis faceret boſtes, & multa alia eis gravamina irrogavit. Venientes ad ejus miſericordiam ſupplices nigris veſtibus, nudo ſcilicet capite & pedibus, & cingulos ad collum ferentes, ac de ſe oſtentationem Populo facientes, ſpretis lachrymoſis eorum confeſſionibus atque precibus, velut aſpis ſurda, non eſt miſertus eorum; unde & ipſe poſtmodum non dormitantibus Columnenſibus immiſericordem & miſerabilem habuit finem, ut infra dicetur. Ludovicum quondam Francorum Regem hujus nominis IX. tranſactis jam ab ejus obitu Annis XXVII. & hoc priùs multoties à prædeceſſoribus ventilato & diſcuſſo, canonizavit in Sanctum, III. Idus Auguſti Anno Domini MCCXCVII. Sextum Librum Decretalium, opus quidem utile, quum in eo multa dilucidentur dubia & obſcura, & de novo neceſſaria ordinentur, quæ conflari, & ordinari fecit per tres ſolemnes & peritos viros, edidit, publicavitque prædicto Anno V. Nonas Martii, Pontificatus ſui Anno IV. Celebritatem de Corpore Chriſti fieri inſtituit menſe Junio.

Indulgentiam peccatorum plenam conceſſit Anno Domini MCCC. omnibus viſitantibus limina Apoſtolorum Petri & Pauli Romæ, & facientibus ibi quindenam intra Annum centenarium; ſtatuitque eamdem Indulgentiam in omni Anno centenario ab omnibus viſitantibus eadem ſacra limina ſic haberi. Unde factus eſt ad Urbem ipſam ex omni ferè natione Chriſtiani Populi concurſus mirabilis virorum pariter & mulierum, nobilium & plebejorum, ex quorum oblationibus Papa ipſe maximam congeſſit pecuniam. Fuit autem hujuſmodi Indulgentiæ forma.

„ BOnifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.
„ Ad certitudinem præſentium & memo-
„ riam futurorum. Antiquorum habet fida re-
„ latio, quòd accedentibus ad honorabilem Ba-
„ ſilicam Principis Apoſtolorum de Urbe con-
„ ceſſæ ſunt remiſſiones magnæ, & Indulgentiæ
„ peccatorum. Nos igitur, qui juxta officii no-
„ ſtri debitum ſalutem appetimus & procura-
„ mus libentiùs ſingulorum, hujuſmodi remiſ-
„ ſiones & Indulgentias omnes & ſingulas ratas
„ & gratas habentes, ipſas auctoritate Apoſto-
„ lica confirmamus & approbamus, ac etiam
„ innovamus, & præſentis ſcripti patrocinio
„ communimus. Ut tamen Beatiſſimi Petrus &
„ Paulus Apoſtoli eo ampliùs honorentur, quo
„ ipſorum Baſilicæ de Urbe devotiùs fuerint à
„ Fidelibus frequentatæ, & Fideles ipſi ſpiri-
„ tualium largitione munerum ex hujuſmodi
„ frequentatione magis ſenſerint ſe refectos:
„ Nos de omnipotentis Dei miſericordia & eo-
„ rumdem Apoſtolorum ejus meritis & aucto-
„ ritate confiſi, de Fratrum noſtrorum conſilio,
„ & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, omnibus
„ in præſenti Anno MCCC. à Feſto Nativitatis
„ Domini Noſtri Jeſu Chriſti præterito proximè
„ inchoato, & in quolibet Anno Centeſimo ſe-
„ quuturo ad Baſilicas ipſas accedentibus reve-
„ renter, verè pœnitentibus & confeſſis, vel
„ qui verè pœnitebunt, & confitebuntur, in
„ hujuſmodi præſenti & quolibet Anno Centeſi-
„ mo ſequuturo, non ſolùm plenam & largio-
„ rem, immo pleniſſimam omnium ſuorum con-
„ cedimus veniam peccatorum. Statuentes, ut
„ qui voluerint hujuſmodi Indulgentiæ à nobis
„ conceſſæ fore participes, ſi fuerint Romani,
„ ad minus XXX. diebus continuis, vel inter-
„ polatis, & ſaltem ſemel in die: ſi verò pe-
„ regrini fuerint aut forenſes, modo ſimili die-
„ bus XV. ad Baſilicas eaſdem accedant.
„ Unuſquiſque tamen plus merebitur, & Indul-
„ gentiam efficaciùs conſequetur, qui Baſilicas
„ ipſas ampliùs & devotiùs frequentabit. Nulli
„ ergo &c. Si quis autem &c.
„ Datum Laterani XIV. Kalend. Martii,
„ Pontificatus noſtri Anno VI.

Fecit præterea Concilium Romæ Kalendis Novembris MCCCIII. convocans omnes Prælatos, & Doctores Theologiæ & Juris Canonici ac Civilis, nec non Regnicolas de tota Francia & Franciæ Regno, omnibuſque privilegiis & gratiis Regibus Francorum à Sede Apoſtolicæ indultis, ſimultate inter ipſum orta & Philippum hujus nominis V. Franciæ Regem, privavit eumdem. Multis tandem coruſcationibus contra Regem ipſum præviis, pluvia nulla apparuit fructum ferens. Succeſſor quoque illius, Benedictus nomine, eidem Regi omnia reſtituit & conceſſit. Verumtamen Bonifacius ipſe adeò erat contra Regem ipſum implacabili animo motus, ut in ipſius Regis odium fœdera inierit cum Adalberto Duce Auſtriæ tunc Rege Romanorum, ipſumque in Regem & in Imperatorem confirmaverit, eumque vocaverit Romam venturum, ac ab eo percepturum Imperii diadema, diſſimulans qualiter admiſerit Anno Quarto ſui Ponti-

tifi-

tificatus Legatos ejuſdem Adalberti Regis. Quibus, quum ei denuntiarent, Regem ipſum Adalbertum ad Romanam Sedem velle accedere, coronam de more ſumturum, animosè reſponderat: illum non eſſe legitimè electum, & indignum Imperio, quòd erga Dominum ſuum Adulphum olim Romanorum Regem ſcelere bellum acceperat, ac proditione occiderat. Sedens etiam idem Bonifacius in ſolio armatus, cinctus enſem, & caput diademâtum, ſtricto dextrâ capulo enſis accincti, dixerat: *Nonne poſſum Imperii jura tutari? ego ſum Imperator*. Miſerat etiam per Apoſtolica ſcripta omnibus Prælatis Germaniæ, ut ipſi Adalberto hoſti Eccleſiæ bellum inferrent. Sed noviſſimis ſubortis odiis, vetera fuerant abdicata; & niſi captione & morte fuiſſet præventus, licèt mirabilia fecerit in vita ſua, mirabiliora feciſſet, quæ tamen in fine mirabiliter defecerunt. Fuit [illegible]aptus Anagniæ propria Civitate in Vigil[illegible]tivitatis Virginis, quæ eſt dies VII. menſis Septembris; aurumque nimis ſitiens, aurum ibidem perdidit & theſaurum. Simultatis autem cauſa inter ipſum Papam, & Regem fuiſſe fertur hujuſmodi.

Venientes ſiquidem Nuntios & Ambaxiatores Regis ejuſdem ad Romanam Curiam ipſe Bonifacius Papa interdum conviciis & verbis tumidis pertractabat, & inter cetera ſciſcitabatur ab eis, à quo Rex Regnum Franciæ teneret, & quòd prorſus erat expediens, ut vel à Papa, vel ab Imperatore illud recognoſceret. Tamdem poſt multa Regem ipſum privilegiis omnibus, ut dictum eſt, privavit, & Regem Adalbertum in Regem & Imperatorem confirmavit, Regnum Franciæ ſicut & alia Regna eidem ſubjiciens. Rex verò Philippus ex his in ſupremam excandeſcens iram, Concilium omnium Prælatorum Regni Franciæ congregavit, ibique publicè aſſerendo propoſuit, Bonifacium ipſum eſſe ſimoniacum, hæreticum, & homicidam, nec Papatus fungendi officio dignum, & ſibi non eſſe parendum. Hæc autem omnia certis allegationibus & rationibus demonſtrans, ſingulos accerſivit Prælatos, eiſque præcepit, ne ipſi Bonifacio tamquam Papæ intenderent, aut obedirent, ſed potiùs eum tamquam ſchiſmaticum, ſimoniacum & homicidam prorſus evitarent, & quòd eidem Regi in hoc adhærerent & aſſiſterent fideliter & omni poſſe eorum. Super quibus etiam promiſſionem & juramentum exegit à ſingulis, ac etiam ſub propriæ manus uniuſcujuſque ſubſcriptione recepit, Archiepiſcopo Burdegalenſi dumtaxat excepto. Hic vocabatur Bertrandus de Gotho natione Vaſco, cui ipſe Bonifacius Archiepiſcopatum Burdegalenſem contulerat, & qui poſtea fuit Papa, vocatus Clemens V. Hic ob Regis timorem, à cujus voto in præmiſſis diſcrepabat, ſumto militari habitu clam Regnum exiens ad Curiam Romanam properavit, in quo itinere, dum per Lombardiam tranſiret, veniens Aſt, in Conventu Fratrum Prædicatorum divertit, ubi tunc erat Prior Frater Iſnardus Papienſis, cui dum Archiepiſcopus rem aperuiſſet, multa eum hoſpitalitate ſuſcepit. Et demum quia ſe Regis indignationem timere dicebat, & ne ipſum in itinere intercipi faceret, idem Prior in habitu Fratrum uſque ad loca tuta Archiepiſcopum ipſum comiter & benignè conduxit, quem poſtmodum Archiepiſcopus ipſe Papa creatus collatæ hoſpitalitatis non immemor, nec ingratus, Antiochenum Patriarcham inſtituit, & poſtmodum Epiſcopatus Papiæ adminiſtrationem ſibi conceſſit ad vitam.

A Quum autem perveniſſet ad Papam, aliquandiu ibidem moram contrahens multam gratiam in conſpectu Papæ, & Cardinalium, ac etiam affinium Papæ, notitiam & familiaritatem ac benivolentiam acquiſivit. Mortuo tamdem Papa Bonifacio, interventu quorumdam Prælatorum & nobilium, reſtitutus eſt ad gratiam Regis Philippi, ex cujus poſtmodum interventu, & ex contracta familiaritate ac benivolentia Cardinalium & aliorum Curialium ad Papatum pervênit: à quo quum eſſet apud Viennam, ubi Concilium celebrabat, requiſitum fuit ex parte dicti Regis cum inſtantia vehementi, quòd oſſa quondam Bonifacii Papæ exhumari faceret, & tamquam hæretici incendio tradi. Non tamen B id fuit admiſſum certis ex cauſis. Qualiter autem Bonifacius ipſe captus fuerit, paucis hic conſeritur verbis.

Die quidem prædicta menſis Septembris VII. Sarra de Columna, & .... Miles Regis Franciæ tractatu habito cum illis de Zeccano, de Albano, de Supino, de Structula, & pluribus aliis potentibus de Campania cum illis de Aginulfo, de Anagnia, & aliis terræ Nobilibus, paululum poſt mediam noctem introductis in Civitatem Anagniæ, ubi Papa reſidebat, clam omnibus militibus & peditibus, quos potuerant adunare, in maxima ſiquidem quantitate, inſultum ex improviſo fecerunt in Papam & in Nepotes ipſius. Quod quum Curiales & reliqui ci- C ves Anagniæ perſenſiſſent, viribus & animis contabuerunt, eo maximè quòd non ſolùm omnes portæ Civitatis & paſſus, ſed etiam aliquotum Cardinalium ædes ſubitò fuerant per aggreſſores munitæ. Facto igitur prœlio contra domos Papæ & Nepotum uſque ad horam meridiei, & Papa ferè à ſuis omnibus derelicto, immo quaſi omnibus familiaribus ſuis factis contra eum adverſis, tamdem Palatium ejus captum eſt, & omnes ejus Nepotes, excepto Franciſco Cardinali, & Comite Fundi, qui clandeſtinè fugierunt. His cognitis Papa paucis eum concomitantibus dixit: *Aperite mihi portas cameræ, quia volo pati martyrium pro Eccleſia Dei*. Et ſtatim Cruce de vero Ligno coram D oculis ſuis poſita, apertis portis, dum aggreſſores cameram ingrederentur, invenerunt eum extenſo collo ſupra Crucem. Quos dum vidiſſet, intrepidè ad eos loquutus ait: *Venite amputare mihi caput, quia martyrium pati volo*. Ipſi verò manus non injecerunt in eum, ſed tamen in arcta eum detinuerunt cuſtodia. Poſt hæc ſpoliaverunt Eccleſiæ theſaurum à Conſtantini tempore congregatum. Spoliaverunt etiam Petrum Hiſpanum, Theodericum de Urbe-Veteri, Fratrem Gentilem Cardinalem, ac Nepotes Papæ omnibus rebus eorum. Papam autem detinuerunt, multis eum conviciis laceſſentes, quibus magnanimitatem & conſtantiam ſemper oſtendit. Nepotes ejus ducti fuerunt ad ædes E illorum de Aginulpho. Poſt hæc Lucas proſapiâ de Fliſco Cardinalis, cognito, quòd hujuſmodi exceſſus Populo Anagniæ diſplicebant, quamvis ad eos perpetrandos nobiles ſequuti fuiſſent ut pecudes, grandem conſcendens equum cum univerſa ejus familia, multiſque vexillis, auxilium popularium invocans, ad Palatium Papæ acceſſit, & quum magna Populi caterva ſumtis armis eum ſequuti fuiſſent, facto virili aggreſſu contra eos, qui detentum Papam conſervabant, & alios, qui Urbem intraverant, ipſos de Civitate expulit, ſicque Papa cum Nepotibus reſtitutus fuit priſtinæ libertati. Et Cardina-

dinales, qui fugerant, & omnes latitantes apparuerunt ſecuri. Magna quoque theſauri Eccleſiæ diſperſi portio recuperata fuit. Circa verò veſperarum horam, procurante Fratre Nicolao Epiſcopo Oſtienſi, qui poſtea Papa factus dictus eſt Benedictus, Papa cum Cardinalibus colloquium habuit, & ad inſtantiam Populi pro reconciliatione Nobilium Anagniæ rogantis, mitem pro eis, miſertus eſt eorum, & omnem remiſit eis injuriam & offenſam, ac etiam aliis, qui fuiſſent culpabiles de prædictis exceſſibus. Et hoc modo facta fuit pax inter Papam & Nepotes, ac Nobiles de Anagnia ſupradictos,

Poſt hæc Romam veniens triceſima quinta die à captione ſua in lecto doloris & amaritudinis, poſitus inter anguſtias ſpiritus, quum eſſet corde magnanimus, exſpiravit V. Idus Octobris. Sequenti verò die fuit in tumulo, quem ſibi vivens ex marmoreo lapide & opere ſumtuoſo præparari fecerat, poſitus in Eccleſia Sancti Petri. Alia die facies imaginis Beatæ Virginis, quæ ex candido marmore ſculpta in teſtudine monumenti erat, nigerrima apparuit; & quòd divino contigerit miraculo, per hoc indicatur, quia poſtmodum albefieri non potuit ulla appoſitione colorum. Morte ſua verificatum patuit quod prædixiſſe fertur Cœleſtinus de eo, quum ad ipſum videndum in carcere acceſſiſſet; inquit enim: *in Papatum ut vulpes ſubiſti, regnabis ut leo, morieris ut canis*. Fertur enim, quòd præ indignatione animi vehementi in ipſis mortis anguſtiis brachia corrodebat, ut canis. Hic eſt Bonifacius, de quo Magiſter .... hos verſus compoſuit.

Nomina bina bona tibi ſunt, niſi verteris illa:
Papa Bonifacius nunc, & quondam Benedictus
A te tibi nomen eſt bene fac, bene dic Benedicte.
Sed hæc convertens, male fac, male dic maledicte. (*)

Hic eſt, qui Guidonem de Monte-Feltro ſtrenuum ducem bellorum, quum abdicatis jam ſeculi pompis Ordinem Minorum fuiſſet ingreſſus, ſolicitavit, ut depoſito habitu dux belli eſſet contra Columnenſes, & pollicitus fuit ei plurima, allegans ei, quòd multùm mereretur obedientia ſui, maximè quòd contra hæreticos ageret. Qui quum conſtantiſſimè recuſaret id ſe facturum, dicens, ſe Mundo renuntiaſſe, & jam eſſe grandævum, Papa reſpondit: *Doce me ſaltem hoſtes illos ſubigere, qui talium es peritus*. Tunc ille ait: *Plurima eis polliceminí, pauca obſervate*. Quod & fecit. Iſte Bonifacius Papa figuratus eſt etiam in Libello, qui intitulatur *Initium malorum*, in hunc modum; mithram quidem habet & chlamydem, & poſt faciem duo capita crinita & redimita coronis. Eſt etiam ibidem vaccæ figura erecta, dentibus dextrum humerum ejus mordens; ſuperſcriptionem verò habet talem. *Bonifacius Papa VIII. Hypocriſorum deſtructor*. Sequitur de ceteris eventibus, quæ Adulfi Regis Romanorum & Bonifacii hujus Papæ temporibus contigerunt,

CAP. XLII.

De formidabili terræmotu apud Urbem Reate, ubi erat Curia Papæ.

HUjus Papæ Bonifacii anno IV. qui fuit Annus Domini MCCXCVIII. eodem Papa ac univerſis Cardinalibus orto jam Sole convenientibus in unum ad Miſſarum ſolemnia in Majori Eccleſia Reatina, dum forent circumamicti Pontificalibus ornamentis, primâ Dominicâ de Adventu, in qua de more Romanæ Eccleſiæ cantatur Evangelium: *Erunt ſigna in Sole & Luna & Stellis, & in terris preſſura gentium*: nullo turbati temporis imminente præſagio, ecce ſubitò magnum immiſit undique terræmotum, qui totius Civitatis am[illegible]tum & terræ concentrum concuſſionis malle[illegible]ns, videbatur ipſam Eccleſiam totam in [illegible] debere convertere, ac Civitatis ipſius abyſſum eviſcerare profundam. Unde multitudo, quæ in Eccleſia convenerat, perterrita & ſtupefacta mortaliter, ut imminentis vitaret periculi ſortem, curſitat hinc inde per Eccleſiæ angulo, & ſemiviva ad tremulos muros cohæret. Tandem Summus Pontifex ſurſum erigens oculos, & manus in cœlum attollens, de ſolio ſurrexit, & converſis in fugam pedibus foràs cum toto Populo exivit illæſus. Et quia ſtare ſub periculo erat Deum tentare, extra Civitatem ad loca declinavit minora. Sed audito, quòd multa & magna Civitatis ædificia corruerant, ſub tecto pernoctare ſuſpectus, ſub parentis ætheris ſpatio trahere moram diſpoſuit. Cardinales quoque nonnulli in campis ultra muros Civitatis caſtra metati ſunt. Tandem Civitate quarta vice vibrata, reliqui, qui remanſerant, attoniti è Civitate fugiunt pedites, non curantes domicellos habere præambulos phaleratos, non exſpectantes equos, nec capellos rememorantes ſuis imponi capitibus. En tota terra tremuit: caſa quælibet ruinam minabatur: diſpendium ululabat omnis caro, & omnis homo fugiebat; tota plangebat vicinia; murmur in Populo reboabat, nihilque demum reſtabat, niſi *Deus in adjutorium, & Miſerere mei Deus*. Podium Vaſconis à Civitate ipſa quinque milliaribus diſtans funditus everſum eſt, & in momento ultra CL. habitatores ipſius hujus ruinæ cauſa oppreſſit. Cives & habitatores Reatinæ Civitatis innumeros ſuſtulit talis occaſio. Hoc autem ideo rememoratione dignum eſt, & per conſequens utile, ut ſi modernis temporibus ſimile contingeret, non tendant mortales peſtem fugere, ſed fugare; non de pedum levitate, ſed de precum facultate confidant, illud ſemper Davidicum memoriæ retinentes: *Si aſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades; ſi ſumſero pennas meas diluculo & habitavero in extremis maris, non effugiam, Domine, manus tuas.*

CAP. XLIII.

De clade Venetorum apud Portum Layacii.

ANno Domini MCCXCIV. qui fuit annus primus Regis Adulphi, dum quidam Januenſes mercatores ad partes Romaniæ pergerent cum XVIII. Galêis, & duobus Lignis octuaginta remi-

(*) Quam multa in hunc Pontificem conficta fuerint, neminem latet; Hujuſmodi calumniarum ſolutiones vide apud Odoricum Raynaldum in ejus vita, & plures alios ſanioris criſis Scriptores.

migum, cognito quòd Veneti naves tres Januenſium pretioſis onuſtas mercibus ceperant, & multa enormia in pluribus locis contra Januenſes egerant, zelo patriæ animati, ſtatim depoſitis mercibus apud Peiram, electo ſibi in Admiratum nobili viro Nicolino Spinola, concivibus ſuis paſſis injuriam ſunt profecti ſubſidio. Quumque duos Fratres Ordinis Minorum præmiſiſſent ad Capitaneum Venetorum, quòd Januenſes cum navibus & rebus eorum treugarum tempore captos dimitterent, Veneti in ſua multitudine confidentes, habebant enim Galêas XXVIII. & Ligna IV. octuaginta remigum, non ſolùm nolle reſtituere reſponderunt, ſed ad expugnandas Januenſium Galêas hoſtiliter properarunt. Quo cognito Januenſes, quum pauciores eſſent hoſtibus, prœlium declinantes, ſe in portu Layacii receperunt. At videntes ſtolium Galêarum Venetorum contra ſe properantium, accinxerunt viriliter ſe ad pugnam, elongati à portu. Et ecce victoria inſperata Januenſibus ſubſequuta eſt; nam diu acriter propugnatn, debellati tamdem & capti ſunt Veneti, & XXV. ex Galêis eorum mercibus pretioſis onuſtis. Reliquæ tres fugæ præſidio evaſerunt; qua ſtrage Veneti confuſi, & cordibus effecti timidi, conati ſunt illatam injuriam emendare. Catalanos enim & Siculos, Tarviſinos & Paduanos, Ferrarienſes & Cremonenſes in eorum auxilium convocant precibus, & promiſſis ſibi confœderare pertentant. Nautas & bellatores conducunt; Galêas de novo inſtruunt: arma & cetera neceſſaria bellicis actibus componunt, & præparant. At Januenſes ex adverſo opportunè ſe ad defendendum viriliter præparant. Inter hæc quum ad aures Papæ Bonifacii iſta perveniſſent, Legatos ad Civitatem Januæ & Venetiarum direxit, mandans etiam per literas Apoſtolicas, ut unaquæque Civitas Ambaxiatores ad eum cum pleno mandatn dirigerent; treugas quoque inter utraſque Civitates indixit. Quumque ad Papæ veniſſent præſentiam, diu in Curia morati ſunt; & quum Papa circa pacem Caroli II. & Siculorum eſſet plurimùm occupatus, Veneti ad propria ſunt reverſi. Januenſes quoque conſiderantes treugas exſpiraſſe, & negotium protelari, etiam receſſerunt. Tamdem poſt multos apparatus utriuſque partis & legationes magnificorum verborum hinc inde directas, eorum tonitrua & coruſcationes nullæ pluviæ ſunt ſequutæ. Conradus Auriæ, & Conradus Spinola eodem tempore Anno ſcilicet Domini MCCXCV. creati ſunt Capitanei Populi Januenſis, unde ſeditio Civitatis extincta fuit, & quievit à prœliis, in quibus fuerat menſibus ferme duobus. Sequenti Anno Veneti, congregato ſtolio Galêarum Peiram civitatem Januenſium juxta Conſtantinopolim ceperunt, & Fogiam Benedicti & Emmanuelis de Zachariis Civium Januenſium deſtruxerunt.

Magiſter Thaddæus Medicorum magiſter obiit Bononiæ hoc tempore, Anno videlicet Domini MCCXCIV. & apud Eccleſiam Fratrum Minorum conditus eſt ſepulchro.

CAP. XLIV.

Qualiter Guido Comes de Monte-Feltro ſe ſeculo abdicavit.

GUido Comes de Monte-Feltro Anno Domini MCCXCVI. ſtrenuus dux bellorum olim adverſùs Bononienſes Forlivienſis conductor belli, & poſt Piſanorum clades rerum reparator eo-

rum, depoſitis honoribus ſeculi, Ordinem Beati Franciſci ingreſſus eſt, in quo terminum vitæ dedit. Hunc cum inſtantia ſollicitavit Papa Bonifacius, ut depoſito habitu dux belli eſſet contra Columnenſes Romanos, ut ſupra dictum eſt in geſtis ejuſdem Papæ.

CAP. XLV.

De ſeditione inter Papam & Columnenſes.

ANno Domini MCCXCVII. magna Romæ ſeditio orta eſt inter Bonifacium Papam, & duos de Columna Cardinales Jacobum & Petrum, quibus mandavit, ut pileos deponerent Cardinalatus inſignia, quos, quum non parêrent, ac ceteros Clericos ejuſdem generis privavit Eccleſiaſticis beneficiis & honore. Palatia eorum in Urbe dirui fecit. Caſtella eorum impugnari juſſit: victa, dirupta tradita ſunt Urſinis, ut faceret eos Columnenſibus hoſtes. Quæ ſubigi non potuerunt, paſſa ſunt populationem agrorum. Seditionis cauſa & res diverſimodè fertur, ſed hæc verificatur teſtimonio majori. Orta ſiquidem dudum ſimultate gravi inter ipſum Bonifacium Papam tunc Cardinalem vocatum Benedictum, cognomine Gaitanum, & Jacobum ac Petrum de Columna Cardinales, ipſe tunc Benedictus Cardinalis propter Columnenſis proſapiæ ſublimitatem & potentiam de pari non auſus contendere, & multa ob hæc convitia ſub diſſimulatione tolerans, tamdem cum ipſis pacificatus eſt, & in amicitiæ robur fuerunt parentelæ contractæ. Semper tamen Benedictus ipſe, utpote vir vafer & magni cordis occultum convitiorum gerebat in pectore vulnus, quod in temporis proceſſu detexit. Nam promotus mirabili vaframento ad Apoſtolatus apicem per abdicationem Cœleſtini, ſuper qua promotione pariter Columnenſes & Urſinos ſibi habuit aſſiſtentes, quum tamen ad utroſque diſpari voto afficeretur quamquam occultè, quum Cardinalatus fungeretur officio, cœpit tunc latentis dudum odii in Columnenſes ſigna detegere. Nam licêt promotionem ipſius ingenti fuiſſent amplexi lætitia, & maximis eam applauſibus præveniſſent, ipſe nihilominus ut erat homo pertinax & implacabilis, nullis eos honoribus ſeu gratiis promovebat, ſed novercaliter potiùs pertractabat. Quòd dum Columnenſes hoc adverterent, & his indiciis patenter cognoſcerent ſibi quæ in eum geſſerant deperiiſſe, cœperunt tumefactis animis in propatulo ejus ingratitudinem deteſtari. Sicque in eos indignatio animi efferbuit, ut ad reales offenſiones ejus etiam manus injicerent. Sciarra quidem Columnenſis proſapiæ, nacto ſibi loco & tempore, theſaurum, quem idem Bonifacius ad ſe perduci faciebat, & quem in Cardinalatu congeſſerat, manu violenta ſurripuit; cujus exceſſus cauſâ Bonifacius corde tumefactus in tantam excanduit iram, non ſolùm adverſùm dictum Sciarram, verumetiam adverſùs præfatos Cardinales, & univerſam eorum ſtirpem, quòd proceſſus jam dictos & alios duriſſimos fecerit, inſerens in eiſdem, dictos Cardinales de Columna fuiſſe omnium incentores. Ex quibus vulnera, cædes, direptiones, & alia infinita ſunt mala ſequuta.

CAP. XLVI.

De Eduardo V. Anglorum Rege.

EDuardus hujus nominis V. Anglorum Rex ſupradicto Anno regnare cœpit, regnavitque annis .... Hic fuit Eduardi IV. filius, vir fortiſſimus, corpore formoſus, & ſimilis multum patri, ſed nimium capiti ſuo potiùs, quàm aliis ſapientioribus credens. Comitem Lincaſtri, & Comitem Euſordis ſibi rebellantes armis edomuit. Sed à pluribus fertur, quòd Comitem Lincaſtri ſub ſpe deditionis ad eum venientem ſuſcepit, & ei promiſſionis fœdus non ſervans, ipſum Comitatu depoſuit, & poſtmodum vita privavit.

CAP. XLVII.

De Adalberto Duce Auſtriæ Rege Romanorum.

ADalbertus Dux Auſtriæ filius quond. Rodulphi Regis, mortuo Adulpho Rege, electus eſt ab Electoribus Imperii Aquiſgrani in Regem Romanorum Anno Domini MCCXCVIII. qui fuit ab origine Mundi ſecundùm Eccleſiam ſex millia CCLVII. & regnavit annis X. Hic, ut dictum eſt, Rodulphi quondam Regis Romanorum primogenitus fuit, qui quum Adulpho Regi prædeceſſori & tunc domino ſuo obedire contemneret, tamdem bello contra eum ſuſcepto, Adulphus magis viribus quàm conſilio utens, prœlio occubuit, & ſic Adalbertus victor eſt electus in Regem. Qui Anno ſequenti miſit ſolemnes Legatos ad Bonifacium Papam nominis hujus VIII. denuntiantes, quòd ad eum volebat accedere, ab Apoſtolica Sede coronam de more ſumturus; quibus Papa reſpondit, illum non eſſe electum legitimè, & indignum Imperio, qui erga dominum ſuum ſcelere bellum cepit ac proditione occiderit. Et ſedens in ſolio armatus & cinctus enſem, habenſque in capite Conſtantini diadema, ſtricto dextrâ capulo enſis accincti, ait: *Numquid ego Summus ſum Pontifex? Nonne iſta eſt Cathedra Petri? Nonne poſſum Imperii jura tutari? Ego ſum Cæſar: ego ſum Imperator*; eoſque talibus verbis dimiſit. Deinde .... Epiſcopum Nepeſinum, & ſucceſſivè Epiſcopum Anconitanum Ordinis Minorum in Germania miſit, per quos mandavit cunctis Præſulibus, ut bellum inferrent Adalberto indigno Electo, hoſti Eccleſiæ. Quod & fecerunt. Sed ipſe Adalbertus diviſis copiis ſuis ſingulos Epiſcopos ſibi bello infeſtos protrivit atque ſubegit. Poſtmodum gravi ſuborta diſcordia inter Regem Francorum Philippum hujus nominis V. & ipſum Papam Bonifacium, idem Papa cum eodem Adalberto fœdera init, eumque in Regem & Imperatorem confirmavit, eidem ſubjiciens Regnum Franciæ, ſi ut alia Regna, ac privans eumdem Regem Philippum omnibus privilegiis & gratiis hactenus per Sedem Apoſtolicam Regibus Francorum conceſſis. Quæ tamen poſtmodum Benedictus Papa ei reſtituit & conceſſit, vocavitque ipſe Bonifacius eumdem Adalbertum, ut ipſe Romam veniret, Imperii ab eo diadema ſumturus. Attamen Papa interim captus fuit, & paulò poſt, quum relaxatus fuiſſet, dolore & anguſtia occubuit, & ſic Adalbertus Imperiali benedictione & diademate caruit. Regnavitque tantùm apud Theutonicos, qui & hunc finem ſortitus eſt. Erat ei nepos fratris ſui filius, qui in Rheno necuit, nomine ...... Qui quum Regem patruum multis precibus & aſſiduis flagitaret, ut paternæ ſubſtantiæ portionem ſibi debitam jure naturæ concederet, & aſſignaret eidem, Rex nepotis preces verbis ſolùm admittens, ſemper tamen protelabat effectum. Nepos tamdem ſe ſuis ſemper fruſtrari petitionibus cernens, & quòd nec legitimam, nec illegitimam hereditatis partem concedebat eidem, unde cogebatur non ſecundùm ſui ſtatus decentiam vivere, tactus dolore & indignatione pariter cordis intrinſecus, inſtinctu etiam quorumdam Principum motus, quibus Rex erat inviſus, quum avidiſſimus & importunus nimiùm eſſet in perquirendo & exigendo Regalia & Imperialia jura, cum nonnullis in necem patrui conſpiravit. Nacto itaque ſibi loco & tempore, dum cum Rege equitaret ſupra Rhenum, conceptum animi diſſimulans, & Rex navem intraſſet, ut flumen tranſiret, ipſe de induſtria cum conſpiratis ſuis navi Regis ſe immiſit. Equi quoque tranſvecti ſunt. Quum autem ad aliam ripam fluminis attigiſſent, & egreſſi de navi Regem equum aſcendentem fingeret ſe nepos in equo componere, exemto gladio Regem obtruncat, quem corruentem ad terram ceteri enſibus & equorum pedibus contriverunt, Anno Domini MCCCVIII. Kal. Maji. Hujuſmodi autem Rege nece conſumto, verificatum in eo apparet verbum illud Dominicum: *Qui gladio ferit, gladio peribit*. Occiderat enim, ut dictum eſt, Adulphum Regem & Dominum ſuum, contemnens ei parère. Occiſus eſt autem & ipſe à nepote, hereditatem debitam illi negans. Nepos ipſe aufugit, & diu latuit exul & profugus. Tamdem fato eum trahente apud Piſas cognitus captus eſt, & ad Henricum Imperatorem, qui ibi erat, perductus. Quo, Imperatore mandante, in vincula conjecto, & humiliatis in compedibus pedibus ejus, ſquallore carceris & animi triſtitia non multùm poſt ultimum clauſit diem. Reliqui complices à filiis Regis & propinquis ſeverè perſequuti, tamdem in quodam oppido comprehenſi ſunt, & gladiis trucidati. Hic Adalbertus Vicarium ſuum conſtituit in Lombardiæ provincia, nobilem virum Matthæum Vicecomitem Capitaneum Populi Mediolani, qui ab Adulpho ſimiliter fuerat inſtitutus. Sequitur de Romanis Pontificibus contemporaneis eidem Adalberto Regi.

CAP. XLVIII.

De Papa Benedicto XI. qui fuit de Ordine Prædicatorum ex Chronicis.

BEnedictus hujus nominis XI. regnante Adalberto in Papam electus eſt. Cœpit Anno Regni ejuſdem V. qui fuit Annus Domini MCCCIII. undecimo Kalend. Novembris, & ſedit menſibus VIII. diebus XVII. vacavit verò Sedes menſibus X. diebus XXIX. Hic fuit natione Lombardus de Terviſio, priùs vocatus Frater Nicolaus de Ordine Prædicatorum, qui humillimo loco natus, primò erudivit pueros in Grammatica. Alii dicunt, quòd à primævo juventutis ſuæ Anno, ſcilicet XIV. Ordinem ipſum intravit, in quo religioſè enutritus & converſatus, Lector exſtitit annis XIV. poſtmodum Prior Provincialis electus eſt in Lombardia, deinde Magiſter Generalis ejuſdem Ordinis creatur, & de Magiſterio in Cardinalem aſſumitur. Factu Epiſcopus Oſtieoſis, tamdem ad Papatum promotus eſt. Sed dum Cardinalis eſſet,

miſit

Digitized by Google

miſit eum Boniſacius Papa Legatum in Hungariam. Factus igitur Papa denuntiavit excommunicatos publicè, & in ſcriptis, & nominatim actores ſceleris & captionis prædeceſſoris ſui Boniſacii, & generaliter omnes ſui complices. Reconciliavit præterea ad Eccleſiaſticam unitatem Jacobum & Petrum de Columna; non tamen reſtituit eos ad Cardinalatum, ſed per hoc ipſos habilitavit, quos Boniſacius prædeceſſor ejus Cardinalatu privaverat. Simultatem quoque, quæ ſuborta fuerat inter Regem Franciæ Philippum hujus nominis V. & ipſum Papam Boniſacium, ſedavit & extinxit, ac privilegia, quibus Regem privaverat ipſe Boniſacius, eidem Regi reſtituit & conceſſit, ſicut antiquitus, præſentibus Nuntiis ejuſdem Regis in Conſiſtorio Peruſii Anno Domini MCCCIV. qui ſuit annus ſui Pontificatus II. Caritativus fuit multùm, & in Papatus officio Fratribus ſui Ordinis, ita ut ferè ſingulis Conventibus maximè Provinciæ Lombardiæ multa porrexerit ſubſidia caritatis. Duos ſui Ordinis in Cardinalatu inſtituit, quorum unus Frater Nicolaus de Prato Epiſcopus Oſtienſis. Et quum eſſet vir multis virtutibus præditus, unum tamen in eo notatum eſt, quòd videlicet fuerit adeò pertinaciſſimæ conceptionis, ut quod ſemel de aliquo in ſe concepiſſet, ſive in bonum, ſive in malum, ab inde non poſſet avelli. Hic quum in prandio apud Peruſium ficus primi temporis in magna quantitate manducaſſet, ſtatim gravi correptus dolore ac ægritudine migravit à ſeculo. Fuit aliquorum opinio, quòd ficus fuerint veneno infectæ. Sepultus eſt autem in Eccleſia Peruſina Nonis Julii Anno Domini MCCCIV. Ejus effigies in Libro, qui intitulatur *Principium malorum*, talis eſt: mithratus quidem & chlamydatus ante ſe habet urſæ figuram, dextro ejus adhærentis lateri, quæ eſt ſurſum manus erecta & gemini catuli ubera ejus ſugunt. Supra caput ſuperſcriptionem hanc habet: *Benedictus Papa IX.*

CAP. XLIX.

De Papa Clemente V. ex Chronicis.

CLemens hujus nominis V regnante Adalberto in Papam Peruſii eligitur Nonis Junii Anno Domini MCCCV. qui fuit annus regni ejuſdem Adalberti VII. & ſedit annis VIII. menſibus X. diebus XV. & ceſſavit Papatus annis ampliùs quàm duobus. Hic fuit natione Vaſco, de loco, qui Vinhandrian dicitur, Burdegalenſis Diœceſis, ex patre Beraudo Milite. Vocabatur autem priùs Bertrandus de Goth, ſeu de Gotho, fueratque priùs Convenarum Epiſcopus annis quinque, qui eſt in Vaſconia ex ſuffraganeis Archiepiſcopi Auxitani. Exinde tranſtulit eum Boniſacius Papa VIII. ad Sedem Burdegalenſem Anno Domini MCCXCIX. ubi jam ſederat Archiepiſcopus annis ferè ſex. Recepto igitur ſuæ electionis decreto in Burdegalia ſede ſua XI. Kal. Auguſti, vocari Clemens voluit & elegit, fuitque Lugduni conſecratus eodem Anno, XVIII. Kalend. Decembris. Anno primo ſui Pontificatus fecit unam ordinationem decem Cardinalium in Lugduno XVII. Kalend. Januarii, & ibi reſtituit ad Cardinalatum Jacobum & Petrum de Columna, quos depoſuerat Boniſacius Papa, & poſtmodum Benedictus XI. habilitaverat ad Cardinalatum. Aliam ordinationem etiam fecit Cardinalium VIII. apud Avinionem Sabbato in jejunio quatuor Temporum Adventus MCCCXII. ex quibus aſſumtus fuit ad Cardinalatum Jacobus de Civitate Caturcho, tunc Avinioni Epiſcopus, qui poſtmodum factus Papa dictus eſt Johannes XXII. Aliam fecit de Cardinalibus quinque Anno Domini MCCCXIV.

Henricum præterea Romanorum Imperatorem hujus nominis VII. & tunc Regem, mortuo Adalberto prædeceſſore ſuo, concorditer electum à Principibus in electione Romani Regis vocem habentibus, præſentato eidem Papæ Clementi electionis ſuæ decreto per ſolemnes Ambaxiatores Nuntios. & Procuratores Regis prædicti, Sigiſridum videlicet Curienſem Epiſcopum, Amadeum Sabaudiæ, Johannem Dalfini, Viennenſem, & Albanenſem, Comites, Guidonem de Flandria, Johannem Comitem de Saraponte, & Simonem de Narmilla Theſaurarium Metenſem Anno ſui Pontificatus IV. qui fuit An. Dom. MCCCIX. menſe Julii, reputavit, nominavit, approbavit, decrevit, & declaravit Romanorum Regem juſtitia exigente, ac fore idoneum, ſufficientem, & habilem ad dignitatem Imperialis celſitudinis obtinendam. Verùm quum certis ex cauſis idem Papa non poſſet ad Urbem ad præmiſſorum exſequutionem perſonaliter ſe conferre, Arnaldo Sabinenſi Apoſtolicæ Sedis Legato, Leonardo Albanenſi, & Nicolao Oſtienſi Epiſcopis, Franciſco Sanctæ Luciæ in Silice, & Lucæ Sanctæ Mariæ in Via-Lata Diaconis Cardinalibus, ipſius unctionis & coronationis exſequutionem commiſit. Quòd ſi non omnes exſequutioni poſſent intereſſe, quatuor, tres, duo, aut unus ex eis eam nihilominus exſequi poſſent. Tres autem ex Cardinalibus ipſis ipſum Henricum Imperatorem coronaverunt Romæ in Eccleſia Lateranenſi, duobus aliis in itinere morte præventis. Sed quum inter nonnullos fuiſſet orta quæſtio de loco dicentes, quòd de more coronari debebat in Eccleſia Sancti Petri, ad quam tamen accedere non poterat ex ſeditione ſuborta in ea Urbe per quoſdam eidem Imperatori rebelles, Papa ipſe ſuper his conſultus per Apoſtolica ſcripta quæſtionem & omne dubium diremit, dicens: *Placet & placuit: licet & licuit* ſcilicet apud Lateranum coronatio fieri. Celebrata fuit coronationis ſolemnitas Anno Pontificatus ejuſdem Clementis ſeptimo in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, qui fuit Annus Domini MCCCXI Kalend. Octobris. Apud Viennam ſupra Rhodanum ordinavit Concilium, in quo reſidente Papa propoſuit de agendis, videlicet de ſtatu Ordinis Militiæ Templi, qui de infanda profeſſione graviter culpabantur: item propoſuit de paſſagio tranſmarino, necnon & de reformatione totius ſtatus Eccleſiæ, & conſervatione Eccleſiaſticæ libertatis. Fuit præterea in eodem Concilio ex parte Regis Franciæ Philippi hujus nominis V. per ipſius ſolemnes Nuntios requiſitum, ut oſſa quondam Boniſacii Papæ exhumarentur, & etiam cremarentur tamquam hæretici. Non tamen requiſitio fuit admiſſa, quæ ideo fuit propoſita, quia Boniſacius ipſe eidem Regi multùm fuerat adverſatus, unde & grandis inter eos fuerat oborta ſimultas, ut dictum eſt ſupra in geſtis ejuſdem Boniſacii.

Sequenti verò menſe Martii, Feriâ IV. in hebdomada Sancta, XI. Kalend. Aprilis Anno Domini MCCCXII. idem Papa in privato Conſiſtorio Ordinem Templariorum caſſavit, & penitus annullavit. Anno quoque ſequenti in prædicto Concilio, celebrata ſecunda ſeſſione, caſſatio dicti Ordinis fuit publicè promulgata. Caſſatus itaque & annullatus fuit Ordo ipſe, & ſublatus de medio Ordinum quantum ad ſtatum & habitum

bitum atque nomen, anno ab ipſius Ordinis inchoatione CXCII. ſive confirmatione ab Honorio Papa hujus nominis II. facta, Lothario II. imperante CLXXXIV. cujus reſtitutio ſoli Domino reſervata. Cauſam autem privationis & caſſationis dictorum Templariorum, & contra eos proceſſum talem idem Clemens Papa ſuis literis aſſignavit, quas direxit Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis. Referebat ſiquidem in literis ipſis, fuiſſe ad aures Philippi Francorum Regis hujus nominis V. quòd ſinguli Fratres ejuſdem Ordinis in principio profeſſionis eorum expreſſis verbis Dominum Jeſum Chriſtum abnegabant, & adorabant in ſuis Capitulis idolum, aliiſque ſe neſariis immergebant, quæ narrando ruborem ingererent. Et tamen idem Rex in quibuſdam ſuis literis expreſſit videlicet, quòd in ipſo ingreſſu ſuique profeſſione Ordinis ipſius Cru ifixi eju. imagine ſuis conſpectibus præſentata ter abnegabant, & ter ſpuebant in eum. Poſtmodum quoque exuti veſtibus, quas in ſeculari habitu deferebant, nudi in Viſitatoris præſentia conſtituti, qui eos ad profeſſionem recipiebat, primò in poſteriori parte ſpinæ dorſi, ſecundò in umbilico, demum in ore, in humanæ dignitatis opprobrium, juxta profanum ſui Ordinis ritum, deoſculabantur ab ipſo. Poſt hæc profeſſionis ſuæ voto ſe obligabant, quòd alter alteri illius horribilis & tremendi concubitus voto requiſitus ſe exponeret abſque repulſa. Rex autem Philippus de Prælatorum & Baronum Regni deliberatione ſolemni, Magiſtrum majorem & alias ſingulares perſonas dicti Ordinis, quæ tunc erant in ejus Regno, una die excuſſâ & excogitatâ diligentiâ capi fecit ad requiſitionem . . . . . . Inquiſitoris hæreticæ pravitatis in ſuo Regno Eccleſiæ judicio præſentandas, eorum bonis mobilibus & immobilibus diligenti cuſtodiæ aſſignatis, ſi dictus Ordo convictus legitimè damnaretur, in Terræ-Sanctæ ſubſidium deputandis, alioquin fideliter pro ipſo Ordine conſervandis. Deinde præſa us Magiſter, præſentibus majoribus perſonis Eccleſiaſticis Pariſius, Magiſtris in Theologia & aliis, corruptionem erroris abnegationis Chriſti in Fratrum profeſſionibus contra primam inſtitutionem Ordinis, inſtigante Satana, palàm & ſpontaneè eſt confeſſus. Quampluri etiam Præceptores, Majores, & Fratres dicti Ordinis ex diverſis Regni Franciæ partibus, & aliqui etiam aliunde dicta ſcelera ſunt confeſſi, veram tamen, & non ſimulatam ſe de commiſſis habere pœnitentiam aſſerentes, prout hic idem Papa per literas dicti Regis ſe accepiſſe aſſeruit. Nonnullos inſuper Fratres ejuſdem Ordinis magnæ generoſitatis & auctoritatis viros ſuper pravitate jam dicta præfatus Summus Pontifex perſonaliter examinare curavit, qui dictum facinus abnegationis Jeſu Chriſti in ingreſſu dicti Ordinis à ſe ipſis commiſſum ſponte confeſſi ſunt plenariè coram ipſo; & adjecit unus ex eis, vidiſſe ſe quemdam Nobilem in præſentia du entorum dicti Ordinis Fratrum aut plurium, ex quibus centum vel circa Milites erant ultra mare, videlicet in Regno Cypri, per eumdem Magiſtrum de Capitulo intra Terræ Templi receptum eodem Magiſtro jubente prædictum in ſua receptione hæreticum facinus commiſiſſe. Ex præmiſſis itaque dictus Papa Clemens mandavit ipſis Inquiſitoribus, quòd prudenter, cautè, & ſecrete omnes & ſingulos Templarios provinciarum ſuarum, & alios, quo in ſua quiſque Inquiſitor provincia reperiret capi facerent, & eorum bona mobilia & immobilia, quæ ad eos pervenirent, ejus & Apoſtolicæ Sedis nomine cuſtodiri & etiam detineri. Capti igitur fuerunt virtute Regis Franciæ prædicti, ſaxitis bonis eorum, ſubitò una die in Regno Franciæ, III. Idus Octobris, in Feſto Sancti Eduardi, Anno Domini MCCCVII. qui fuit Annus ejuſdem Clementis ſecundus, & combuſti ex eiſdem quinquaginta quatuor una die; alia die quatuor: poſtmodum in Silvanecto novem; alii cremati in menſe Maji MCCCX. Bona ipſorum Templariorum Papa ipſe Fratribus Hoſpitalis Sancti Johannis Hieroſolymitani conceſſit, qui & hodie poſſident. Dicitur autem, Papam, & Regem ex bonis ipſis Florenos ducenta millia percepiſſe. Ceteri Fratres, qui perſequentium manus potuerunt effugere, relicto habitu in Orbe vagantur. Horum autem novitas non ſolùm fuit mirabilis, ſed & ad credendum difficilis.

In præfato quoque Concilio idem Papa Clemens nonnullas conſtitutiones, quas cum pluribus aliis ordinari fecerat, promulgavit: in quarum una declaravit juramentum, quod ab Imperatore Henrico VII. eidem Papæ & Romanæ Eccleſiæ fuit præſtitum, & ab ejus ſucceſſoribus præſtabitur, exiſtere & cenſeri debere juramentum fidelitatis. In alia verò declaravit, ſententiam & proceſſus omnes, & quidquid ex eis ſequutum eſt, latam & factos per dictum Imperatorem contra Robertum Siciliæ Regem, fuiſſe ac eſſe irritos & inanes. Ex his autem & aliis Conſtitutionibus decreverat fieri Librum unum, quem volebat Septimum Decretalium appellari. Verùm quia Conſtitutiones illæ nondum erant formatæ ad plenum, nec excoctæ & limatæ ad purum, ſuſpenſæ ſunt, donec ex more ad Studia generalia mitterentur, fuitque dicti Libri Septimi publicatio quaſi biennio protelata, ut medio tempore ſingula limarentur. Poſtmodum in feſto Beati Benedicti Anno Domini MCCCXIII. idem Papa in Carpentorate, ubi erat Curia, fecit prædictum Librum coram ſe in Conſiſtorio publicari, cœpitque Papa exinde ægrotare, unde poſtmodum obiit. Et ſic Liber ille, ut moris eſt, non fuit miſſus ad Studia generalia, nec expoſitus communiter ad habendum, ſed involutus remanſit, uſque ad futuri ſucceſſoris diſpoſitionem. Succeſſor autem ipſius Clementis, ſcilicet Johannes hujus nominis XXII Doctoribus & Scholaribus Avinione commorantibus, ubi & ipſe tunc Curiam Romanam habebat, communicandum ab eis Librum ipſum ſub Bulla tranſmiſit, mandans, ut ex eo uſuri de cetero eſſent in judiciis & in ſcholis, Anno ſcilicet ſecundo ſui Pontificatus, qui fuit Annus Domini MCCCXVII. Kalend. Novembris. Cœleſtinum V. Papam, qui ante & poſt dictus eſt Frater Petrus de Murone, canonizavit Anno Domini MCCCXIII. Sublatus eſt tamdem Clemens iſte Papa ab humanæ ſortis conditione XII. Kalend. Maji Anno Domini MCCCXIV. apud Rocham-Mauram, Caſtrum Regis Francorum ſupra Rhodanum. Fuitque inde corpus ejus reportatum apud Carpentorate, ubi erant Cardinales. Sequenti menſe de Carpentorate exportatum fuit in Vaſconiam patriam ſuam, & ſepultum in Eccleſia à ſe electa, quæ dicitur Beatæ Mariæ de Fuzeſta Diœceſis Vaſatenſis, ubi paulò priùs Canonicos inſtituerat ſeculares in Villula nimis inſigni, ſed ſatis ſterili & exili. Et quamquam vivens torrentem poſſideret divitiarum, ſic tamen à domeſticis ſuis moriens etiam veſtimentis nudatus eſt, ut unicum tantùm palliolum repertum ſit, quo poſſet contegi corpus ejus, ut Religioſi, qui tunc aderant, poſtmodum retulerunt.

runt. Fertur etiam, quòd ea nocte, qua mortuus eſt, ſic fuit deſertus ab omnibus, ut ex cereorum igne ſupra eum delapſo pars corporis ſit aduſta. In vita tamen multùm dilexit propinquos, & divitiis ac honoribus illos auxit. Contulit uni nepotum Comitatum Venuſinum. Alium fecit Marchionem. Iſte in Libro, qui intitulatur *Principium malorum*, ſuam etiam habet effigiem in hunc modum. Eſt enim chlamidatus & A mithratus habens ſub ſe vulpis figuram; ſupra cujus dorſum tria ſunt ante faciem ejus erecta vexilla cum hac ſuperſcriptione. *Clemens Papa V.* Fuit autem vir magnanimus, auctor & cultor Romani Imperii, nec minùs ceterorum Regum exaltator. Raros conventus cum Confratribus habens, locis abditis abſtractus & ſolitarius manſit, ex quo fama contra ejus pudicitiam laboravit.

F I N I S.

Digitized by Google

CHRONICON
PARMENSE

Ab Anno MXXXVIII. uſque ad Annum MCCCIX.

AUCTORE

ANONYMO SYNCHRONO

Nunc primùm in lucem prodit

E MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ ESTENSIS.

Digitized by Google

IN CHRONICON PARMENSE

PRAEFATIO


LUDOVICI ANTONII MURATORII.

EX MSto Codice Eſtenſis Bibliothecae nunc primum profero in lucem *Chronicon Parmenſe* ab Anno 1038. ad Annum uſque 1309. deductum. Alterum ejuſdem Hiſtoriae Codicem antiquiorem, & fortaſſis Auctoris manu ſcriptum, adſervare dicuntur Monachi Benedictini in inſigni Monaſterio Parmenſi Sancti Johannis. Atque inde, ut veri videtur ſimile, Frater Franciſcus Bordonus, in *Theſauro Eccleſiae Parmenſis*, de Gratia Epiſcopo agens, qui ab Anno 1224. ad Annum uſque 1236. Cathedram Parmenſem tenuit, nonnulla verba attulit. Laudat ipſe *Indiculum ſuum MStum:* at ea ipſa in hocce eodem Chronico leguntur. Et quidem quanti facienda ſit haec Hiſtoria, facile intelligas, quum non tantum res Parmenſium, ſed etiam finitimarum gentium complectatur illius Auctor, idque praeſtiterit laudabili quodam candore, & ſine ſtudio partium, omnium inſuper, quae ſcribebat, ſatis ſe conſcium prodens. Anonymus eſt Auctor; floruiſſe tamen ipſum puto ſub finem Seculi XIII. & initium ſequentis. Ea enim, quae de illis temporibus ſcribit, tamquam teſtis ocularus ſcripſiſſe videtur. Hinc autem potiſſimum deprehendas, quot motus ac turbines in univerſa Italia, & Langobardia praeſertim, excitarint, atque foverint dirae Guelphorum & Gibellinorum factiones; & quamdiu *Societas Lombardorum* viguerit, jam ſub Frederico I. Imperatore incboata; & quae regiminis forma eſſet in Italicis Populis turbulentiſſimo Seculo Aerae Chriſtianae XIII. In bis ergo Annalibus Parmenſes habebunt unde ſuam Hiſtoriam illuſtriorem faciant: habebunt & reliquae Langobardicae Civitates. Atque, ut uno tantum exemplo utar, narrat Parmenſis Hiſtoricus Angelus celeberrimam obſidionem Parmae a Frederico II. Imperatore Anno 1247 inſtitutam, eoque anno Civitatis Praeturam Philippo Vicedomino Placentino fuiſſe commiſſam, Sanſovinum arguens, quaſi in aſſentationem Corrigienſis Familiae falſo ſcripſerit, munus hoc Gerardo de Corrigia eodem anno collatum. Falli Angelum, Sanſovinum vero non ficta narraſſe, Chronicon hoc teſtatur, quum Vicedominus Anno tantum ſequenti Praetor Parmenſis fuerit renuntiatus. Multa ad eam obſidionem ſpectantia ignoravit Angelus, quae hinc erant petenda, quum & in aſſignando die inclytae illius victoriae, quam Anno 1248. Guelphi de Frederico apud Parmam retulerunt, ab Hiſtorico noſtro recentior iſte Scriptor diſſentiat.

Quod tamen mirum eſt, Chronicon iſtud Angelo notum fuiſſe videtur. Paginâ enim 311. & 312. Hiſtor. Parmenſ. memorat *Hiſtorias Parmenſes extractas ex antiquo Libro, quem appellant de Canibus, ubi multa enarrantur ad Parmenſem, aliaſque Civitates ſpectantia:* atque ex eis nonnulla profert, quae ipſiſſimis verbis in Chronico noſtro leguntur. Attamen conſerenti multis aliis in locis cum Angeli Hiſtoria Chronicon iſtud, continuo apparebit, Angelum ejus uſu ac monumentis caruiſſe. Nunc videndum ſupereſt, an Hiſtoriae hujus Auctor dicendus ſit *Salimbenus Parmenſis* a Voſſio laudatus Lib. 2 Cap. 59. de Hiſt. Latin. *Circa Annum* 1280. (ita ſcribit ille) *Salimbenus de Salimbenis Parmenſis Ordinis Minorum res ſuo tempore in Italia geſtas literis committebat, pleriſque etiam admixtis, quae ad Religionis ſtudium pertinerent.* Salimbenum etiam Blondus in ſuis Hiſtoriis teſtem advocavit, & ſupra memoratus Angelus *Salimbenem Minoritam* Theologum & Hiſtoricum Parmenſem cum in multis locis, tum ad Annum Chriſti 1285. laudat, ejuſque teſtimonio utitur. Aetas quidem congruere poſſit; verum neque ea, quae Voſſius ſcribit, neque pauca illa, quae ex Salimbeno Angelus refert, cum Chronico noſtro conſentiunt. Adde etiam Sigonium, cui minime ignota fuit Salimbeni Hiſtoria. Is enim Catalogum texens

Chronicorum MStorum, quibus eſt uſus ad contexendam Hiſtoriam Regni Italici, inter alios his verbis Salimbenum nobis deſeribit: *Parmae Chronicon Fratris Salimbeni Ordinis Minorum MStus ab Anno* 1070. *uſque ad* 1280, *in quo non ſolum Parmae, ſed etiam totius Lombardiae res continentur*. Verum Hiſtoria nunc mihi evulganda latius excurrit, atque adeo diverſa deprehenditur a Salimbeni Chronico, quod quidem dolendum eſt aut excidiſſe, aut carceri alicui traditum, unde exſolvere miſerum mihi non liceat.

CHRO-



CHRONICON PARMENSE

Ab Anno MXXXVIII. uſque ad Annum MCCCIX.

ANno ab Incarnatione Domini MXXXVIII. Civitas Parmæ combuſta fuit à Chonrado Roge.

In MLV. in feſto Sancti Laurentii prædicta Civitas Parmæ Divino judicio accenſa eſt.

In MLXXVI. Rex Major Henricus vênit Italiam, & ivit Canuſiam ad Papam Ildeprandum, qui eum abſolvit ab excommunicatione.

In MLXXXV. magna mortalitas hominum fuit per totam Italiam, & talis fames, quòd mater comedebat filium. Et ſextarium frumenti vendebatur tribus ſolidis Parmenſibus, & ſextarium ſpeltæ duobus ſolidis Parmenſibus.

In MXCVI nono Aprilis in Depoſitione Sancti Ambroſii, viſæ fuerunt in multis locis frequenter in illa nocte ſtellæ, quæ ceciderunt de cœlo, & in Aſcenſione Domini, quæ fuit in illo & eodem anno, & in feſtivitate Sancti Ambroſii cecidit magna nix.

In MCIV. tertio die menſis Januarii, terræmotus fuit maximus in hoc Regno, & maxima pars Eccleſiæ Sanctæ Mariæ dirupta fuit in MCXVII

In MCVI. Indictione XIV. Pridie Novembris, conſecrata fuit Eccleſia Sanctæ Mariæ à Paſchaſio Papa.

In MCXXI. Cremonenſes à Parmenſibus capti fuerunt, & in captivitatem ducti numero MCCC.

In MCXXXI. in Brixillo magna pars Cremonenſium ex majoribus capta fuit, & multi in Pado necati fuerunt.

In MCVIII. quinto Idus Maji in feſto Sancti Mayoli Abbatis combuſtum fuit Caſtrum Burgente in parvo ſpatio unius diei à Populo Parmenſi.

In MCLIX. Placentini obſidentes Caſtrum Gablani ferè omnes à Parmenſibus capti & in carcore recluſi.

In MCLII. in feſtivitate Beati Agapiti, Parmenſes equitaverunt ſuper Reginos uſque ad flumen Situlæ, devaſtantes & comburentes omnia, & in reditu fugaverunt eos uſque ad muros Civitatis, & ceperunt ferè omnes. Item eodem anno in Vigilia Beati Matthæi Parmenſes ceperunt & combuſſerunt Burgum Sancti Domnini, & omnes Burgenſes in captivitatem duxerunt.

In MCLIII. in feſto Sanctorum Johannis & Pauli, quod eſt quarto die ante feſtum Sancti Petri, Parmenſes pugnaverunt contra Cremonenſes & Placentinos ad Caſalunculum, & multos ceperunt. Item eodem anno Parmenſes pugnando ceperunt Turrim de Guaſtalla.

In MCLV. Rex Fredericus poſuit caſtra in ripa Taronis prope Eccleſiam Sancti Nicolai die V. menſis Maji.

In MCLXVII. Placentini, Cremonenſes, Brixienſes, & Mantuani caſtrametati fuerunt in ripa Taronis. In feſto Sancti Laurentii milites Parmenſes pugnaverunt cum omnibus illis ab hora nona uſque ſerò, & multos ex illis ceperunt.

In MCI. tempore Henrici Imperatoris fuit obſeſſa Ferraria.

In MCX. Henricus filius major Henrici exſpoliavit omnes Eccleſias de theſauro.

In MCXI Imperator Henricus cepit Paſchalem Papam.

In MCXV. obiit Comitiſſa Matelda.

In MCXVI. fuit maximus terræmotus per triginta dies in octava Sancti Johannis Evangeliſtæ, tertio die intrantis menſis Januarii.

In MCXXII. fuit ordinatio Chonradi Regis.

In MCXXXV. fuit Epiſcopatus Ferrariæ tranſlatus ibi, ubi nunc eſt.

In MCXXXVIII. fuit maximum prœlium inter Cremonam & Mediolanum.

In MCXLIX. Sanctus Thomas Archiepiſcopus occiſus fuit.

In MCLIII. Terdona deſtructa fuit à Friderico Imperatore.

In

In MCLVI. inventus fuit Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

In MCLVIII. Cremona deſtructa fuit.

In MCLXII. Mediolanum deſtructum fuit ab Imperatore Friderico.

In MCLXVII. reverſi ſunt Mediolanenſes ad patriam.

In MCLXX. obiit Rex . . . . & Arcenta capta fuit à Ferrarienſibus. Et eodem anno Parmenſis Conſulatus in principio introitus, & in concordia Parmenſis Conſilii, promulgavit legem, & ordinamentum ſtatuit ſuper quartis & donationibus mulierum.

In MCLXXI. Venetia combuſta fuit.

In MCLXXXVII. Saladinus perfidus Sarracenus cepit Civitatem Acri circa Sanctum Petrum; habuit veram Crucem Chriſti, & multas Civitates Chriſtianorum; & eodem anno cepit Hieruſalem Civitatem Sanctam.

In MCCVI. guerra incœpta fuit inter Sarengueram & Dominum Marchionem Eſtenſem.

In MCCVIII. in die Sancti Sixti, Dominus Soimellus, & Ziliolus, & Dominus Guizardus intraverunt Ferrariam cum parte Domini Sarengueræ, & per vim ceperunt eam.

In MCCX. Imperator Otto fuit Ferrariæ, & fecit pacem inter Dominum Marchionem & Dominum Sarengueram.

In MCCXI. exivit pars Domini Sarengueræ de Ferraria die Jovis primo menſis Maji.

In MCXLVII. Chonradus Imperator, & Rex Francorum perrexerunt in partibus ultramarinis contra Paganos.

In MCLVIII. Fridericus Imperator vênit Mediolanum, & fixit ibi tentoria, & manſit ibi duos menſes, & ædificavit Laudem in loco, qui dicitur Montegrave, ſemper devaſtando Epiſcopatum Mediolanenſem in circuitu. Poſtea in quarto menſe exercitus Mediolani fame conſtricti ſinè omni tenore venerunt ad Imperatorem Fridericum, & poſuerunt arma ſua ad pedes ejus, & Civitatem ei tradiderunt deſtruendam. Et deſtructa eſt Civitas prædicta ab Imperatore Friderico; & omnes aliæ Civitates Langobardæ ejus voluntati & imperio ſe ſubjugarunt.

In MCLXXXIV. intrante menſe Octobris Papa Lucius & Imperator Fridericus ſimul fuerunt Veronæ.

Anno Domini . . . . incœpit Ordo Cluniacenſis, & Anno Domini MLXXXVI. incœpit Ordo Carthuſienſis.

Anno Domini MC . . . . VIII. incœpit Ordo Ciſlercienſis. Anno D mini MCXX. incœpit Ordo Præmonſtratenſis.

Anno Domini MCC. incœpit Ordo Prædicatorum. Anno Domini MCCX. incœpit Ordo Minorum.

Item MCLXXVIII. per totam Italiam fuit tempus carum, quod dicebatur malum Mignochi, quia ſextarium frumenti vendebatur quinque ſolidis Imperial. & ſextarium ſpeltæ duobus ſolidis Imperial. & omnes non valentes habere panem, comedebant radices herbarum ſalvaticarum. Et magna mortalitas eodem anno fuit.

In MCLXXX. flumen Tarnnis, & Parmæ, & Hentiæ miſerunt ſe ſimul, & flumen Parmæ intravit in foveam, & de muro rupit, & de terralio diruit, & magna pars fovearum impleta fuit ſequenti die poſt feſtum Sancti Matthæi.

In MCLXV. Dominus Maladobatus de Maladobatis, & Socii de Parma fuerunt Conſules Parmæ. Dominus Niger Graſſus de Mediolano fuit Poteſtas Parmæ in MCLXV. & in ſuo regimine fuit primum Carrocium nomine Crevacorum. Et fuit Poteſtas per tres annos completos, & ab eo tempore retro nemo foreſterius extiterat Poteſtas Parmæ. Et ſextarium frumenti valebat quatuor ſolidos Imperial. denariorum, & plus: & ſextarium ſpeltæ duos ſolidos denariorum & plus. Et Imperiales Mediolanenſes currebant per totam Italiam. Et in Vigilia Sancti Jacobi prædictus Niger in dicto ſuo regimine obiit, & ibi ſepultus fuit cum maxima triſtitia & honore, & obiit in MCLXXVIII.

In MCLXXIX. Dominus Ubertus Baſolus, & Dominus Maladobatus, & Socii de Parma fuerunt Conſules.

In MCLXXXI. Dominus Ugo Arpini, & Guido Roglerii, Guido Baratus, Albertus Gilii, & Albertus Tebaldi de Parma, fuerunt Conſules. Et ſequenti tempore fuit tempus ita carum, quòd ſextarium frumenti vendebatur quatuor ſolidos & quinque ſolidos Imperiales, & ſextarium ſpeltæ duos ſolidos Imperiales. Et immenſa mortalitas hominum fuit his duobus annis in Civitate Parmæ, & alibi in multis locis, ita quòd quatuor & quinque cadavera omni die per magnam partem dictorum duorum annorum erant in Eccleſia Majori Sanctæ Mariæ, & per multas alias Eccleſias Civitatis Parmæ, quinque, octo, & decem, & plura ad ſepeliendum per diem in una Eccleſia.

In MCLXXXII. Dominus Rolandus de Parma fuit Poteſtas Parmæ. Et eodem Anno in Kalendis Aprilis Parmenſes equitaverunt cum Domino Merollo Marchione Malaſpina ad Carpanetam, & prœliando capta fuit cum quibuſdam Conſulibus Rhegii, & aliis majoribus & melioribus ipſius Civitatis, qui eam tueri volebant, & ducti ſunt Parmam in carceribus.

In MCLXXXIII. Dominus Manfredus Baratus de Parma fuit Poteſtas. Et hoc Anno fuit facta Pax Conſtantiæ.

In MCLXXXIV. Dominus Gilius Bernardi, Bennatc, & Socii de Parma fuerunt Conſules.

In MCLXXXV. Dominus Rainerius de Gomola de Mutina fuit Poteſtas Parmæ. Et hoc Anno Dominus Fridericus Imperator reædificavit Cremam de menſe Martii.

In MCLXXXVI. Dominus Paganus de Modolana de Cremona fuit Poteſtas Parmæ. Et ipſo Anno, die Dominico, VIII. Kalendis Febrnarii, Henricus Rex filius Imperatoris Friderici, celebravit nuptias ſuas apud Mediolanum, & ibidem cum uxore ſua & patre coronatus eſt.

In MCLXXXVIII. Dominus Pelavicinus Marchio de Pelavicinis de Epiſcopatu Placentiæ fuit Poteſtas Parmæ. Et eo Anno Parmenſes ſconfixerunt Cremonam Caſalunculi, quod eſt in terra circum Caſalium Epiſcopatus Parmæ.

In MCLXXXIX. Dominus Ancellerius de Burgo de Cremona fuit Poteſtas Parmæ.

In MCXC. Dominus Albertus Barattus & Socii de Parma fuerunt Conſules Parmæ.

In MCXCI. Dominus Gerardus Vicedominus, & Dominus Jacobus Maffei, & Socii de Parma fuerunt Conſules Parmæ.

In MCXCII. Dominus Bernardus de Cornazano de Parma fuit Poteſtas Parmæ.

In MCXCIII. Dominus Guido de Rogleriis, & Dominus Gerardus Rubeus, & Socii de Parma fuerunt Conſules Parmæ.

In MCXCIV. Dominus Azo de Guidabovis, & Dominus Odobertus de Uliveriis, & Socii de Parma fuerunt Conſules Parmæ.

In MCXCV. Dominus Ramponus, & Oldezonus Guaſconi de Parma fuerunt Conſules Parmæ.

In

In MCXCVI. Dominus Balius, & Jordanus de Sancto Michaele de Parma fuerunt Conſules Parmæ. Et eo Anno incœptum fuit Baptiſterium Majoris Eccleſiæ Parmæ Beatæ Mariæ.

In MCXCVII. Albertus de Porta, & Sighifredus Bernardi Rubei de Parma fuerunt Conſules Parmæ. Et hoc Anno die Jovis VII. intrantis Maji, Luna obiit in ſero, habens colorem ſanguineum & nigrum, & diu ſtetit hoc modo.

In MCXCVIII. Dominus Ancelerius de Burgo de Cremona fuit Poteſtas Parmæ. Et in illo Anno factum fuit Caſtrum de Rivo Sanguinario. Et obiit dictus Dominus Poteſtas in Parma ad feſtum Sanctæ Mariæ, & honorificè ibi ſepultus fuit. Et eodem Anno fuerunt electi Rolandus Rubeus, & Guido de Rogleriis hinc ad Annum novum, & ab ipſis Kalendis Januarii uſque ad annum.

In MCXCIX. Dominus Guido de Rogletiis, & Rolandus Rubeus de Parma fuerunt Rectores Parmæ. Et in illo Anno fuit exercitus magnus de Burgo Sancti Domnini de quatuor Carrociis de menſe Maji. Quia Parmenſes cum Cremonenſibus, Rheginis, & Mutinenſibus, & eorum fautoribus erant ibi pro defendendo dictum Burgum Sancti Domnini à Placentinis, qui erant cum Mediolanenſibus, Brixienſibus, Cumanis, Vercellenſibus, Novarienſibus, Aſtenſibus, & Alexandrinis, & eorum fautoribus. Et quum propè eos veniſſent cum duobus Carrociis, ſummo diluculo de caſtris receſſerunt, & vegetes, & multa alia dimiſerunt. Quos Parmenſes & Cremonenſes ſunt inſequuti, & cum cis ſtrumum incœperunt & fecerunt, & circa CC. equites ceperunt, & Parmam captivos duxerunt.

In MCC. Dominus Gerardus de Vicedominis de Parma fuit Poteſtas Parmæ.

In MCCI. Dominus Rolandus Rubeus de Parma fuit Poteſtas Parmæ.

In MCCII. Dominus Guido Lupus Marchio de Parma fuit Poteſtas Parmæ.

In MCCIII. Dominus Matthæus de Corrigia fuit Poteſtas Parmæ.

In MCCIV. Dominus Belotus Boſeti de Cremona fuit Poteſtas Parmæ. Et illo Anno fuit mortuus Ubertus Baſolus.

In MCCV. Dominus Gerardus Vicedominus. Dominus Ambroſius de Henzola, & Dominus Thebaldus de Ficianis de Parma fuerunt Conſules Parmæ.

In MCCVI. Dominus Albertus de Dovaria de Cremona fuit Poteſtas Parmæ. Et tunc fuit primus exercitus de Gonzaga.

In MCCVII. Dominus Roglerius Bracha de Cremona fuit Poteſtas Parmæ. Et tunc nix magna Sanctæ Agathæ.

In MCCVIII. Dominus Parocius de Burgo de Cremona fuit Poteſtas Parmæ. Et tunc Commune Parmæ fecit fieri moram, quæ eſt juxta Bechariam de capite Pontis à mane.

In MCCIX. Dominus Albertus Martellus Marchio de Cremona fuit Poteſtas Parmæ. Et fuit ſuo tempore ſtrumum Baſoli.

In MCCX. Dominus Paganus Alberti Gilii de Parma fuit Poteſtas Parmæ. Et illo Anno Imperator Otto fecit concilium in Civitate Parmæ. Et tunc foveæ de Sancta Cruce fuerunt factæ & cavatæ.

In MCCXI. Dominus Conradus Munarius de Mutina fuit Poteſtas Parmæ. Et illo Anno facta fuit pax Baſoli. Et Moneta denariorum parvorum Parmenſium primò facta fuit. Et Domus Fratrum Religionis veteris incœpta fuit extra Portam Pediculoſam.

In MCCXII. Dominus Albertus Taverncrius, Dominus Pronus de Tebaldis, Dominus Baldoinus Vicedominus, Dominus Ambroſius de Henzola, Dominus Johannes Brazolus, & Domaſolus de Parma fuerunt Conſules Parmæ.

In MCCXIII. Dominus Lambertinus Guidonis Buvali de Bononia fuit Poteſtas Parmæ. Et illo Anno, die Dominico, ſecundo intrantis menſis Junii fuit prœlium de Caſtro Leone, quando Cremonenſes habuerunt Carrocium de Mediolano. Et eodem Annu fuit exercitus de Ponte Doſuli. Communiter etiam venerunt ibi Parmam Mantuani, Ferrarienſes, & Mutinenſes ad obſidendum dictum Caſtrum occaſione Domini Baldoini Vicedomini de Parma, qui erat Poteſtas Mantuæ tunc temporis, qui fuerat interfectus ab Albertino Nepote Salinguerræ, qui ſtabat in dicto Caſtro. Qui verò ceperunt dictum Caſtrum, & illud deſtruxerunt & combuſſerunt, & hoc fuit X. die Novembris.

In MCCXV. Dominus Robertus Pii de Mutina fuit Poteſtas Parmæ. Et in illo Anno iverunt Parmenſes ad Caſtrum Novum de Placentia. Et eo Anno fuit facta battalia ad Caſtrum Cruviachi inter Petrum Guidonis Roglerii, & Dominum Rolandum Capitaneum de Nuceto.

In MCCXVI. Dominus Yſachus de Dovaria de Cremona fuit Poteſtas Parmæ. Et illo Anno Parmenſes iverunt ad Pontem Nurum de Placentia, de Ponte retro de Buſco, & ibi fuit ſtrumum, & altera pars fuit in fletu & dolore magno. Et hoc fuit à veſperis uſque ſerò. Et tunc Parmenſes equitaverunt uſque ad Montalem, & uſque ad Domum Infirmorum. Et hoc fuit die Feſto Decollationis Sancti Johannis Baptiſtæ. Item alia die ſequenti milites Parmenſes prœliati fuerunt cum Placentinis, Laudenſibus, Cremaſchis, & Mediolanenſibus juxta Pontem, qui eſt ad buccam Caſtri prope Fontanam, & multos ex illis ceperunt, & pauci de militibus Cremonæ prœliati fuerunt. Et hoc fuit ab hora nona uſque ad Veſperas, ad Pontem Nurum. Item eodem Anno Padum fuit congelatum. Et illo Anno die Sabbati IX. intrantis Aprilis incœptum fuit batizari primò in Batiſterio Parmæ de novo incœpto, qui dies Sabbati erat die Sabbati Sancti ipſo Anno.

In MCCXVII. Dominus Gabriel de Camino de Marchia Treviſana fuit Poteſtas Parmæ. Et illo Anno fuit primus exercitus de Zovenalta in Epiſcopatu Cremonæ.

In MCCXVIII. Dominus Guido de Rhegio fuit Poteſtas Parmæ. Et illo Anno fuit ſtrumum de Zibello inter Mediolanum, Papienſes, Placentinos, & ſuos ſequaces ex una parte, Cremonenſes, Parmenſes, & Mutinenſes ex alia. Et fuit prima dies Jovis Junii incœptum in hora nonæ, & duravit uſque ad Veſperas; & multi de Mediolanenſibus & ſuis ſequacibus fuerunt capti & interfecti, & multi in carcere ducti ad Parmam. Et facto prœlio prædicto venerunt Regini, & ideo dictum eſt poſtea *Auxilium Reginorum*.

In MCCXIX. Dominus Ponzamatus de Cremona fuit Poteſtas Parmæ.

In MCCXX. Dominus Niger Marianus de Cremona fuit Poteſtas Parmæ. Et eo Anno factum fuit Caſtrum Mariani in Epiſcopatu Parmæ, & à pronomine Poteſtatis nominatum extitit Et eodem Anno Parmenſes fuerunt ſecunda vice in ſervitium Reginorum, & exercitus de Gonzaga.

In MCCXXI. Dominus Torellus de Strata de Papia fuit Poteſtas Parmæ. Et illo Anno incœptum

tum fuit Palatium Communis ædificari, & ibi fuit poſitus Torellus lapideus nominatus à nomine Poteſtatis.

In MCCXXII. Dominus Brozardus de Burgo de Cremona fuit Poteſtas Parmæ. Et illo Anno fuit terræmotus magnus per totam Italiam, & fuit in Nativitate Domini inter Sextam & Nonam, & homines fugiebant extra Civitatem, credentes ſe ſubitò mori, & magna pars Brixiæ deſtructa fuit.

In MCCXXIII. Dominus Henricus de Avocatis de Cremona fuit Poteſtas Parmæ. Et in illo tempore factæ fuerunt Scalæ Palatii Communis verſus Portam Pediculoſam, & verſus Sanctum Petrum.

In MCCXXIV. Dominus Manfredus de Cornazano de Parma fuit Poteſtas Parmæ. Et hoc Anno obiit Dominus Oppizo Epiſcopus Parmæ.

In MCCXXV. Dominus Comes Ubertus de Ravaldeſco de Brixia fuit Poteſtas Parmæ.

In MCCXXVI. Dominus Ubertus de Montemerlo de Terdona fuit Poteſtas Parmæ. Et tunc Imperator Fridericus venit Parmam primò, quum eſſet coronatus.

In MCCXXVII. Dominus Torellus de Strata de Papia fuit Poteſtas Parmæ ſecunda vice. Eo Anno per totam Italiam fuit magna fames: nam de menſe Maji ſextarium frumenti valebat decem ſolidos Imperiales, & ſpeltæ ſex ſolidos Imperiales. Et in Civitate Bononiæ corba frumenti valebat XX. ſolidos Imperiales.

In MCCXXVIII. Dominus Comes Ubertus de Ravaldeſco de Brixia fuit Poteſtas Parmæ ſecunda vice. Et illo die V. Octobris in Feſto Sancti Herculiani, quum Bononienſes, Imolenſes, Faventini, & univerſi Romagnoli, & Ferrarienſes habentes ſecum mille equites de Lombardia, ſcilicet de Mediolano, de Placentia, de Brixia, & de eorum partibus, & aliquibus militibus de Florentia, qui venerant in eorum ſubſidium, veniſſent hoſtiliter ad obſidendum Caſtrum Bazani diſtrictus Mutinæ, Parmenſes cum Carrocio eorum habentes ſecum in ſuum auxilium mille equites, & quatuor mille pedites de Cremona, iverunt in auxilium Mutinenſium, & dicti Caſtri Bazani. Et quum Bononienſes eſſent cum prædictis in dicto aſſedio, & multos ex Mutinenſibus cepiſſent, & maxima damna eis intuliſſent, & inferrent quotidie, Parmenſes cum ſuis ſuper Stratam Claudiam equitaverunt cum Carrocio uſque ad Rhenum, omnia incendio in diſtrictu Bononiæ ſupponentes & devaſtantes. Quæ nova quum ad Bononienſes & ſuos ſuperveniſſent, & fumum & ignem viderent; dimiſſo aſſedio, verſus Bononiam reverſi ſunt. Quo ſcito per Parmenſes, ipſi in continenti Parmenſes directis aciebus contra Bononienſes obviaverunt eis in Strata ad Sanctam Mariam in Strata, & ibi prœlium arduum fuit inter ipſas partes, inceptum ſummo mane, & duravit uſque ad primum ſomnum, ita quòd ſtella groſſa de ſero jam fuerat tramontata. Et tamdem Bononienſes cum ſuis quaſi omnes capti & mortui fuerunt. Mutinenſes, qui erant capti, recuperati fuerunt. Similiter & Florentini, qui ibi erant, capti ſunt & ducti in carceribus cum aliis. Et tunc ut ipſi Florentini dimitterentur, compoſitio facta fuit inter Parmam & Commune Florentiæ. Et Commune Florentiæ juravit & promiſit de non querendo contra Commune Parmæ; & ſic relaxati fuerunt dicti Florentini. Tres verò milites de Parma, qui tranſierant Rhenum, ibi per Bononienſes interfecti fuerunt.

In MCCXXIX. Dominus Cavalcabos de Cremona fuit Poteſtas Parmæ. Et illo Anno in Feſto Sancti Olderici ſturmum & battalia magna fuit inter Bononienſes & Romagnolos & alios milites de Lombardia, qui cum eis erant ex una parte, & Parmenſes & Mutinenſes & ſuos ſequaces ex alia. Et hoc fuit ad Sanctum Cæſareum diſtrictus Mutinæ. Et inceptum fuit ante Veſperas, & duravit uſque ad mediam noctem. Tamdem Bononienſes cum ſuis conflicti fuerunt; & pro majori parte capti & ducti fuerunt in carceribus Parmam & Mutinam. Et Carrocium Bononienſium captum fuit, & ſtrabucarum, & projectum fuit in quodam foſſato, & coopertum de fraſchis, & quod Mutinenſes voluerunt ducere Mutinam, ſed Parmenſes noluerunt, immo prohibuerunt. Manganellas verò Bononienſium Parmam duxerunt, & gubernaverunt eas ad Eccleſiam Majorem. Item eodem Anno in Civitate Parmæ maximum ſtrumum fuit in Galegana.

In MCCXXX. Dominus Henricus de Tintis de Cremona fuit Poteſtas Parmæ. Et illo Anno flumen Padi ita crevit, quòd fuit uſque ad Gaynagum per totum. Item eo Anno foveæ de Capite Pontis amplificatæ fuerunt. Item eo Anno de menſe Junii Parmenſes iverunt in ſervitium Populi Placentiæ ad guaſtandum Sanctum Laurentium, & Caſtrum Archuatum, quæ loca tenebant cum militibus Placentinis de diſcordia & guerra, quam ſimul habebant. Item eodem Anno Parmenſes iverunt Pontremulum contra Malaſpinos.

In MCCXXXI. Dominus Guielmus Amatus de Cremona fuit Poteſtas Parmæ. Et eo Anno recuperata fuit Rocca Vallis Sazulinæ, & plenæ magnæ fuerunt, & Parmenſes iverunt Pontremulum contra Malaſpinos.

In MCCXXXII. Dominus Gerardus Manaria de Cremona fuit Poteſtas Parmæ. Et eo anno fuit factus murus in glarea Communis in ripa Parmæ à ſero de ſubtus à Ponte lapidum, cujus memoria in quodam lapide marmoreo ſculpta fuit cum manaria.

In MCCXXXIII. Dominus Anſaldus de Mari de Janua fuit Poteſtas Parmæ. Et illo Anno factæ fuerunt Paces per Fratrem Gerardum de Mutina. Et ſtatuta Communis emendata, & banniti omnes abſoluti. Et Frater Cornetus venit Parmam; & omnes ibant poſt eum cum ramis arborum & candelis accenſis, clamando: *Benedictus ſit Pater: benedictus ſit Filius: benedictus ſit Spiritus Sanctus*. Et tunc fuit devotio Fratrum Prædicatorum. Et impletum fuit campum; & Milites & Populus & Dominæ & aliæ mulieres portabant terram de glarea ad implendum Borram, quæ erat valde magna juxta Eccleſiam Fratrum Prædicatorum.

In MCCXXXIV. Dominus Raynerius de Monte Merlo de Cremona fuit Poteſtas Parmæ. Et in illo Anno fuit ſturmum de Zovenolta: nam Placentini, Mediolanenſes, & Brixienſes cum ſuis ſequacibus, cum duobus ſuis Carrociis ex una parte, & Parmenſes, Cremonenſes, & Papienſes cum duobus ſuis Carrociis ex alia, de menſe Julii inſimul prœliati fuere in tantum quòd ambæ partes ita feſſæ fuerunt, quòd nihil ſibi prœlii facere poterant inſimul. Et tamdem fecerunt treguam in campo poſt Veſperas. Et ſummo mane veniente ante diem Mediolanenſes cum ſuis ſequacibus retroceſſerunt cum Carrociis ſuis. Et in dicto prœlio mortui fuerunt Dominus Thomaſius de Zeticaldis, & unus illorum de Catena, & unus illorum de Sancto Michaele. Item eodem anno fuit hyems ita aſpera, quòd vineæ,

ficus,

ficus, & oliveta frigore ſunt extincta.

In MCCXXXV. Dominus Raynaldus Mellioris de Florentia fuit Poteſtas Parmæ. Et illo anno fuit cavata Scultenna causâ deſtruendi Epiſcopatum Bononiæ. Sed hoc fuit potiùs in eorum utilitatem.

In MCCXXXVI. Dominus Oſpinellus de Sommo de Cremona fuit Poteſtas Parmæ. Et in illo anno, die Dominico, XV. intrantis Septembris, Parmenſes, Cremonenſes, & quinquaginta milites de Mutina, & totidem de Regio iverunt in Epiſcopatum Brixiæ obviam Domino Friderico Imperatori, causâ ducendi eum in Lombardiam, non obſtantibus Mediolanenſibus, Brixienſibus, Bononienſibus, & Mantuanis cum ſuis ſequacibus, qui erant caſtrametati ad Nigrizolum in Epiſcopatu Brixiæ contra ipſum Dominum Imperatorem, volentes eum prohibere venire in Lombardiam. Qui Dominus Imperator non obſtantibus prædictis ſuis contrariis vênit, & caſtrametatus eſt juxta Montem Clarum cum Cremonenſibus & Parmenſibus, qui ibi erant. Et alia die equitavit cum prædictis in Epiſcopatum Mantuæ & Brixiæ, devaſtando & comburendo prædictos Epiſcopatus non obſtantibus prædictis. Et etiam ceperunt Marchariam, & multa Caſtra, & Villas devaſtaverunt ibidem. Et Parmenſes fecerunt ibi unum Carrocium, & pueri clamabant poſt Pontem; *Chi to latte*. Item eodem anno quidam Clericus pro morte Gerardi Nanli pro ſententia fuit coctus in una caldaria in Platea Communis poſita; ſed is primò per Dominum Epiſcopum Gratiam degradatus fuit ab omni Ordine & Officio Eccleſiaſtico. Item eodem Anno Dominus Imperator cum Cremonenſibus, Parmenſibus, Papienſibus, Mutinenſibus, Reginis, & Veronenſibus, cum Domino Yzolino, cum trabuchis & manganis cepit per vim Montem Clarum in Epiſcopatu Brixiæ, & diruerunt ipſum in totum. Deinde reverſus eſt in Alemanniam; & poſtea vênit tertiò in Lombardiam. Item eodem anno obiit Dominus Epiſcopus Gratia, Epiſcopus Parmenſis.

In MCCXXXVII. Dominus Nicolaus Adeſardi de Mutina fuit Poteſtas Parmæ. Et illo Anno Dominus Fridericus Imperator cum Cremonenſibus, Parmenſibus, Mutinenſibus, & Regienſibus, & cum ſuis fautoribus ivit in Epiſcopatum Brixiæ devaſtando & comburendo eos. Qui verò ivit etiam cum prædictis obviam Mediolanenſibus & Brixienſibus & eorum fautoribus juxta Curtem Novam. Et cœpit ſturmum & bartalia cum prædictis: & eos rupit & fugavit; & Carrocium Mediolanenſium eis abſtulit, & eum miſit Romam. Et de Mediolanenſibus, Brixienſibus, & Placentinis capti fuerunt bene ſex mille, qui omnes miſſi fuerunt in Apuliam. Et fuit exercitus Montis Clari. Et eo Anno Elephas vênit Parmam.

In MCCXXXVIII. Dominus Gerardus Franciſcus, & Dominus Gerardus de Corrigia de Parma, ambo fuerunt Poteſtates Parmæ. Et illo Anno fuit obſeſſa Brixia à Domino Friderico Imperatore. Et Dominus Papa Gregorius tunc exiſtens, admonitione præmiſſa excommunicavit dictum Dominum Fridericum Imperatorem, qui deinde profectus eſt in Apuliam.

In MCCXXXIX. Dominus Comes Simon de Apulia fuit Poteſtas Parmæ pro Imperatore. Et illo Anno fuit rupta Bononia à Parmenſibus & Mutinenſibus apud Caſtrum Vignolæ, & fuerunt de Bononia capti duo mille ſexcenti, & multi fuerunt necati in flumine Scultennæ. Et hoc fuit tempore Nundinarum Septembris, quando erant plenæ. Et tres de Parma fuerunt capti ultra Scultennam, ſcilicet Dominus Rominus Gualchi, Dominus Cornulus Notarius, Juhannes Bonus Calzolarius viæ Sancti Quintini. Item eodem Anno die Veneris III. Junii circa Nonam apparuit Sol obſcuratus ita quòd ſtellæ ſicut de nocte videbantur. Item eodem Anno Caſtrum Plumatii & Caſtrum Crevacorii diſtrictu Bononiæ capta fuerunt à Parmenſibus & Mutinenſibus, & multi fuerunt ducti Parmam & Mutinam in carceribus; & dicta Caſtra deſtructa fuerunt in totum.

In MCCXL. Dominus Bonifacius de Gorzano de Mutina fuit Poteſtas Parmæ. Et illo Anno fuit duellum adjudicatum inter Contrabonos de vicinia Sancti Vitalis.

In MCCXLI. Dominus Teſta de Aritio fuit Poteſtas Parmæ. Et illo Anno fuit ædificatum Caſtrum Grondulæ ad expenſas Pontremulenſium. Item eodem Anno facta fuit pax inter Bononienſes, Parmenſes, & Mutinenſes, ut carcerati ad propria undique redirent. Item iſto Anno obiit Dominus Papa Gregorius IX.

In MCCXLII. Dominus Ottolinus de Sommo de Cremona fuit Poteſtas Parmæ. Quo Anno Dominus Bertolus Tavernerius fecit percuti cum baſtonis Dominum Senatiam de Henzola in Strata publica intra confines Plateæ Communis ſub mala voluntate. Et illo Anno Vechietus interfecit Dominum Sturbarbatum de Oldezonibus ſub Volta ſua propria, & recuperavit in domo illorum de Henzola. Et hoc fuit occaſione dictæ percuſſionis factæ in dictum Dominum Senatiam; nam dictus Vechietus non potuit interficere prædictum Dominum Bertolum propter bonam cuſtodiam, quam faciebat, & magnam. Et fuit principium mali ſtatus Civitatis Parmæ. Et propter hoc multi milites Civitatis Parmæ ſe cuſtodiebant cum armis. Et hoc anno Dominus Sinibaldus de Lavania Cardinalis factus fuit Papa, & appellatus Dominus Innocentius Papa IV. Et eodem Anno Turres & Portæ Pontremuli ex præcepto Domini Friderici Imperatoris, moti amore Communis Parmæ, inceptæ fuerunt deſtrui. Item eodem anno Epiſcopus Martinus Parmenſis obiit.

In MCCXLIII. Dominus Princivalus de Oria de Janua fuit Poteſta Parmæ. Et illo anno carcerati de Bononia, qui erant Parmæ, quia Commune Bononiæ noluit obſervare pacta, quæ juraverat de relaxando illos de Parma, quos in carcere tenebat, poſiti fuerunt in carceribus in ſtechatis lignorum in glarea Communis de Puteo Roſeghelli apud murum Parmæ ad cœlum ſerenum, qui Bononienſes fuerunt capti Vignolæ. Item illo Anno dictæ Turres & Portæ de Pontremulo expletæ fuerunt dirui, affirmando ſe dictus Poteſtas Communis Parmæ, & reputando ſibi factum tortum, quod erat factum à Pontremulenſibus contra Parmenſes. Et ob hoc exercitus Parmæ, qui erat paratus ire contra Pontremulum, remanſit; quod quidem ingenioſè factum fuit. Nam Dominus Ubertus Palavicinus, dum eſſet Vicarius Imperatoris in Lunixana, ivit de ejus mandato ad Villam Francham, & ibi finxit ſe eſſe graviter infirmum de perſona, & miſit pro omnibus Conſiliariis de Pontremulo, qui velociter venerunt coram eo, qui ipſos omnes fecit carcerare, & tenuit donec dictæ Turres, & Portæ omnes diruptæ fuerunt; & ſic adimpletum fuit. Item eodem Anno quaſi in fine regiminis dicti Domini Poteſtatis dictus Dominus Poteſtas cum banderiis & vexillis ivit levatis, & cum Populo univerſo cucurrit ad do-

mum de Portonariis de Porta Pediculoſa, & ipſam cepit, & deſtruxit in totum cum omnibus rebus ibi exiſtentibus. Et hoc quia dicti de Portonariis acceperant de domo ſua de Palatio Communis de fortia Communis & Poteſtatis eos, qui inculpabantur de morte Sozi Guidonis Amici.

In MCCXLIV. Dominus Guido Maratinus de Papia fuit Poteſtas Parmæ pro Imperatore. Quo anno Populus cucurrit ad domum Henrici Vaghi. Et Dominus Ugo de Sancto Vitale, qui tunc erat Poteſtas Mercatorum, fuit Capitaneus Populi per tres dies tantùm tunc temporis, & infra tertium diem omnia fuerunt reſtituta per Commune Parmæ in denariis numeratis prædicto Domino Henrico. Et dictus Dominus Ugo fuit condemnatus in quatuor Libras Parmenſes, quæ condemnatio fuit caſſata & abſoluta vi Populi, & fuit conſtitutum, quòd Conſules viciniarum & meſteriorum, qui ab inde retro non ſtabant ad Brevia ad conſilia Communis, de cetero ſtarent ad Brevia. Et quidquid Populus voluit, in totum habuit. Item eodem anno Fratres Prædicatores dimiſerunt locum Sanctæ Mariæ Novæ, & venerunt ad ſtandum in vicinia Sancti Pauli juxta foveam Communis. Item eodem anno Dominus Innocentius Papa IV. timore Imperatoris Friderici fugit ad Terras Regis Franciæ, & Curiam, & ſedem ſuam fecit apud Lugdunum, & vocavit omnes Prælatos, & Generale Concilium celebravit. Et hoc anno facta fuit Campana magna Communis.

In MCCXLV. Dominus Thebaldus Franciſcus pro Imperatore fuit Poteſtas Parmæ. Quo anno prædictus Dominus Fredericus Imperator cum ſuis hæredibus privatus fuit Corona Imperii perpetuò ſicut Tyrannus Eccleſiæ à dicto Domino Innocentio in ſupradicto Concilio. Et quum Cardinales redibant à dicto Concilio, venientes per mare, fuerunt capti à Piſanis, & ducti in carceribus Piſis. Item illo anno pars Eccleſiæ Civitatis Parmæ, ſcilicet Lupi, & illi de Corrigia, & Rubei, & alii quaſi omnes timore Imperatoris exierunt Parma, & iverunt Placentiam. Et illo anno fuit focus de Sancto Salvatore die Sabbati Sancti, ex quo multæ domus fuerunt arſæ. Et illo anno in dicto Concilio per dictum Dominum Papam electus fuit in Regem Romanorum Dominus Langravius Rex Alamanniæ.

In MCCXLVI. Dominus Maſſinerius de Burgo de Cremona fuit Poteſtas Parmæ pro Imperature per VII. menſes, & IX. dies. Et Dominus Trencha de Foliano pro eodem Imperatore fuit Poteſtas Parmæ per III. menſes. Et Dominus Henricus Teſta de Aritio pro eodem Imperatore fuit Poteſtas Parmæ eodem anno die IX. exeunte Octobri uſque ad annum novum. Et dicto tempore illi de Sommo, qui erant Parmæ, fuerunt mortui in Platea Communitatis Parmæ malo modo. Item eodem anno fuit exercitus in Epiſcopatu Placentiæ apud Foloſtam per Regem Henricum, Parmenſes, & Cremonenſes. Et ambulatorium, quod eſt in domum Domini Poteſtatis, & Palatium Communis factum fuit. Et tintinellum cum chorda auticalchi poſitum fuit ad Turrem Communis. Et tunc temporis dictus Imperator habebat in ſuo dominio Palatium & Turrim Epiſcopi, & tam in Civitate, quàm extra percipiebat omnes redditus Epiſcopi, & magnas coltas imponebat Eccleſiis Civitatis & Epiſcopatus; & cuſtodiebat diligenter omnes Turres Civitatis: & nemo audebat præſentare aliquas literas Papales ſub pœna amiſſionis pedis & manus. Item eodem anno quum Dominus Gherardus Arcilis, Jacobus de Berceto, & Gibertus de Gente nollent obedire mandatis Imperatoris, fugerunt Placentiam & Mediolanum, & ibi cum Domino Gregorio de Montelongo Legato ibi pro Eccleſia ordinaverunt de intrando in Civitatem Parmæ, eum illis de parte Eccleſiæ, qui erant tunc extra.

In MCCXLVII. Dominus Henricus Teſta de Aritio ſupradictus ſecunda vice fuit Poteſtas Parmæ. Quo anno incœpta fuit guerra inter Parmam & Imperatorem prædictum; nam Domini Lopi, Domini de Corrigia, Domini de Rubeis, & alii Parmenſes partis Eccleſiæ, qui erant extra, die Dominico, XVI. intrante Junio, fuerunt Parmam. Et quum venirent, dictus Poteſtas cum militibus Parmenſibus partis Imperii, volens prohibere adventum eorum, obviam eis iverunt uſque ultra Taronem. Et prœlium fuit inter intrinſecos & extrinſecos; & tamdem dictus Poteſtas & Dominus Manfredus de Cornazano, & Dominus Ugo de Manghirotis in ipſo prœlio mortui fuerunt, & ſic omnes intrinſeci in conflictu fuerunt. Et prædicti de parte Eccleſiæ redierunt, & tunc quum fuerunt in Platea Communis, Dominus Gerardus de Corrigia, qui aliter dicebatur Dominus Gerardus de Dentibus, ad vocem Populi factus fuit Poteſtas Parmæ, & habuit Palatium, Domum, & Turrim Communis, & omnes Turres Civitatis, & totam Civitatem in continenti in ſuo dominio. Et cuſtodes, qui ibi erant pro Rege Henrico, expulit. Qui Rex Henricus tunc erat in Epiſcopatu Brixiæ in obſidione cujuſdam Caſtri. Quum is prædicta ſcivit, ignem miſit in albergatis, & reverſus eſt, & vênit in Pratis de Blanconigro, & ibi in ripa Taronis caſtrametatus eſt. Similiter & quum Dominus Fridericus pater ejus, quondam Imperator, eſſet in itinere causâ capiendi Dominum Papam Innocentium, quum rediret à Concilio, vel aliter ſi potuiſſet, quum ſcivit prædicta eventa in Civitate Parmæ, vênit cum ſuis ſequacibus feſtinanter, & invênit ſibi clauſas Portas Civitatis; & caſtrametatus eſt juxta Civitatem per duas baleſtratas, affoſſando ſe circumquaque à latere de Capite Pontis. Quo etiam tempore Dominus Gregorius de Montelongo, qui erat Placentiæ pro Legato Eccleſiæ cum Domino Bernardo Rolandi Rubei, per montana, & cum mille militibus de melioribus Civitatis Mediolani, & eum CD. militibus de Placentia vênit Parmam in auxilium Civitatis, & partis Eccleſiæ. Item eodem tempore incontinenti Dominus Comes de Sancto Boniſacio cum militia Mantuæ vênit in auxilium Civitatis Parmæ. Qui Mantuani magnam guerram facere incœperunt, & fecerunt Cremonenſibus, eundo per terram & aquam, comburendo & devaſtando omnia per Epiſcopatum Cremonæ uſque ad Caſalem-Majorem. Item ſimiliter Dominus Marchio Eſtenſis cum Ferrarienſibus vênit Parmam in auxilium Civitatis Parmæ & partis Eccleſiæ. Cui Domino Marchioni, ſic ſtanti in Civitate Parmæ, accepta fuerunt duo Caſtra ſcili et Eſt, & Calaon, per Dominum Ycelinum de Romano ſive de Marca. Item ſimiliter milites de Regio, qui erant extra pro parte Imperii, venerunt Parmam in ſuccurſum, ut & alii hinc inde multi & à multis partibus venerunt in ſuccurſum dictæ Civitatis Parmæ, & partis Eccleſiæ, & ſteterunt omnes, quouſque fuit foſſa ducta & munita pro defenſione Civitatis. Et duæ Portæ quotidie armatæ ſtabant cum prædictis, & ſinè intervallo circæ & foveæ fiebant die noctuque, palancara, bitiſreda, & alia neceſſaria ad defenſionem, maximè à latere de Capite Pontis.

Et

Digitized by Google

Et erant Milites forenſes, qui erant Parmæ, duo A
mille, & Milites Parmenſes erant mille& ultra.
Dominus verò Legatus præfatus ſemper reman-
ſit ad defenſionem Civitatis. Et fuit obſeſſio ta-
lis, quòd nullus poterat exire de Civitate ab
aliqua parte ultra dimidium milliare vel plus,
ſinè maximo periculo haveris & perſonæ. Et
non remanſit aliquod Caſtrum ad mandata Com-
munis, ſeu Villa, niſi Colurnium cum Civitate,
& Ugolinus Domini Lanfranchi de Cornazano,
& Alpeſelle Domini Jacobi de Berzeto. Colur-
nium verò pro Commune Parmæ munitum fuit
valde bene. Item eodem tempore Pars Imperii
Mutinæ cepit & carceravit Cinquantiram Mi-
litum de Parma, qui pro Communi Parmæ tunc
erant Mutinæ in eorum ſuccurſum, causâ colli- B
gendi blavas timore Bononienſium. Et ipſos Mi-
lites omnes & omnes Scholares de Parma, qui
tunc erant Mutinæ ad ſtudendum cepit, & ſpo-
liavit omnibus equis, armis, libris, & rebus
eorum. Deinde Milites, & Scholares, ligatos
catenis ferreis manibus & pedibus, miſit omnes
in manibus dicti quondam Imperatoris. Et ſimi-
liter pars Imperii de Rhegio idem fecit de om-
nibus militibus & peditibus de Parma, qui ive-
runt ad præcepta Imperatoris apud Cuvriachum,
& de Cuvriacho uſque ad Rhegium, & de Rhe-
gio ſuper Palatio Domini Epiſcopi. Qui tunc
ibi fuerunt per Rheginos Imperiales capti, om-
nes numero LXXX. & plures fuerunt, & ligati
tranſmiſſi ad dictum quondam Domioum Impe- C
ratorem; qui quidem fraudulenter à quibuſdam
Parmenſibus decepti ſunt, qui Domino Ugolino
de Advocatis, qui tunc erat Poteſta Mercato-
rum Civitatis Parmæ, cum omnibus mercatori-
bus Civitatis Parmæ expreſsè promiſerunt & ju-
raverunt eos in Parmam reducere infra octo dies.
Dictus verò Dominus Imperator omnes eos in-
carceravit.

Item eodem tempore Milites de Parma ſcon-
fiēti fuerunt apud Fanum per Dominum Regem
Henricum & Dominum Yzolinum de Romano.
Et facta eſt fuga militum de Parma uſque ad
Monticulum, & de Monticulo uſque ad Civita-
tem. Et de Parmenſibus capti fuerunt LX. mi-
lites vel circa, & de forenſibus fuerunt capti D
quamplures; mortui verò fuerunt XIV. quos
omnes carceratos dictus Dominus Rex duxit
ad patrem Dominum Fridericum, & quos om-
nes ipſe quondam Imperator crudeliter car-
ceravit. Item dicto tempore ſextarium fru-
menti valebat duobus ſolidis Imperialibus, &
ſextarium ſpeltæ duodecim Imperiales, & duo-
decim ova dabantur pro uno Imperiali. Item
eodem tempore Dominus Blancardus de Blan-
cardis quum eſſet pro Communi Parmæ Capi-
taneus Grondulæ, deceptus tradidit in manibus
inimicorum, qui poſtea per manus eorum vênit
Parmam, & ad vocem Populi captus, & per
prædictum Dominum Poteſtatem fuit decapita-
tus ſententialiter in Platea Communis Parmæ. E
Item eodem tempore Dominus Albertus de Bo-
no-Segnoreto quum eſſet pro Communi Parmæ
Capitaneus Belfortis, reddit ipſum in fortiam
Domini Imperatoris, eo quòd Commune Parmæ
noluit ipſum Dominum Albertum recipere apud
Burgum Sancti Domnini ad ſtandum cum ban-
nitis; quod quidem fuit valde blaſmatum. Item
eodem Anno Dominus Ubertus de Valoſneria
recuperavit & intravit Caſtrum Valoſneriæ, &
ipſum cuſtodivit pro Communi; quod quidem
utile magnum fuit pro Communi Parmæ. Et
tunc Dominus Fridericus prædictus una die fa-
ciebat decapitari quatuor ex carceratis de Par-
ma, ſcilicet duos milites, & duos Populares,
& alia die duos, ſcilicet unum militem, &
unum peditem, prope Civitatem per duas bale-
ſtratas in Flazano de Religione veteri. Et nul-
lus ex ipſis mortuis audebat aliquem portare in
Civitate ex præcepto Domini Poteſtatis, & ex
reformatione generali Conſilii, & Domini Le-
gati; tamen per rebaldos portabantur ad do-
mum Fontiſvivi, & ibi ſepeliebantur, ſicut Do-
mino Abbati & Fratribus placebat. Et de Par-
ma nullus ſive Civis, ſive forenſis audebat mit-
tere aliquem nuntium, ſervientem, vel mulie-
rem ad carceres dicti Imperatoris, ſive in ca-
ſtris ejus in pœna vitæ. Et ſuper hoc ſtabant
cuſtodes ad Portas die noctuque. Similiter nul-
lus audebat intrare Civitatem Parmæ, qui eſſet
ex parte dicti Domini Friderici. Et multi fue-
runt capti, qui veniebant privati in plauſtris fœ-
ni, & palearum, & in vegetibus, aut in fon-
daceis. Et tormentati, confeſſi, combuſti in gla-
rea Communis. Et multæ mulieres captæ, tor-
mentatæ, & combuſtæ. Decapitati verò à præ-
dicto Domino Friderico fuerunt numero X. vel
XII. Carcerati verò prædicti omnes cuſtodieban-
tur expenſis Imperatoris ſolùm per Apulienſes
& Sarracenos, qui erant cum eo. Et quum om-
nes ducti forent prope Civitatem per duas bale-
ſtratas, ut decapitarentur, Papienſes, qui erant
cum Imperatore, ab eo quæſierunt ex dono,
quòd parceret omnibus aliis mortem; & quidem
eis contulit multos. Et tunc carceratos habebat
Dominus Imperator mille de Parma, tam de
captis Mutinæ, & Rhegii, quàm Fani, & in
aliis pluribus locis, Villis, & Caſtris. Et factâ
gratiâ prædictâ ab Imperatore Papienſibus pe-
tentibus, potiùs Parmenſes remanere vivos,
quàm mortuos, quum mors illorum nihil vale-
ret ad habendum Civitatem, nullus ex Parmen-
ſibus poſtea illa morte mortuus fuit; parentes
namque eorum carceratorum de morte eorum
gaudebant potiùs, quàm de vita. Papienſes ve-
rò pro Communi Civitatis & diſtrictus eorum
juxta ſuum poſſe erant ibi cum Imperatore. Et
etiam ibi erant cum ipſo multæ aliæ Civitates
& Epiſcopatus, & innumerabilis multitudo ba-
leſtrariorum Sarracenorum tam equitum, quàm
peditum. Et habebat ibi dictus Imperator de-
cem millia militum cum innumerabili Populo
diverſarum Civitatum, & habebat cuſtodes ſu-
per Turrim de Horto, quæ eſt juxta Civitatem
per duas baleſtratas. Carcerati verò ſæpe &
ſæpiùs quamplurimi ex fœtore & terrore interfi-
ciebantur, & moriebantur in dictis carceribus.
Et omni mane milites Domini Imperatoris ve-
niebant ad glaream prope Religionem veterem,
& ſtabant ibi ſæpe ſerò exſpectantes, & cuſto-
dientes Gualianas ſuas, quæ ibant quotidie per
montana & planitiem uſque ad Stratam Clau-
diam, & etiam uſque Padum, comburentes &
devaſtantes omnia quæ inveniebant, ſed cum
eis ducentes & aſportantes cuppos, lateres, &
alia ædificia domorum, ut ſuas domos de ipſis
facerent in caſtris Domini Imperatoris juxta
ſuum mandatum. Et alia die currebant uſque
Colurnium illud idem facientes; Et ſic totum
Epiſcopatum Parmæ in brevi deſtruxerunt &
combuſſerunt.

Item eodem tempore fuit fames valida in Ci-
vitate Parmæ, ita quòd panis factus ex farina
ſementis lini comedebatur pro bono & optimo
pane. Et fiebant turtæ in duabus cruſtis, qua-
tuor, & quinque. Herbæ crudæ, radices, &
fructu comedebantur ibi plenariè, & multi
propter famem cum familiis eorum recedebant

de Civitate, & ibant ad ſtandum alibi. Item eo tempore Dominus Jacobus de Berzeto interfecit Duminum Andream de Borgarellis ſub Palatio Communis, qui tunc erat Notarius Maſſarii Communis; propter quod Dominus Ugo de Adigheriis cum Populo magno cucurrit ad domum dicti Domini Jacobi, & eum diruit, & exſpoliavit in totum. Et tunc pro bono ſtatu, & timore Imperatoris, ordinatum fuit, quòd nullus de parte Eccleſiæ loqueretur cum dicto Domino Jacobo, immo facerent ei vivam guerram ubique terrarum. Et omnes, qui venerant de Placentia unà cum Poteſtate & Domino Marchione Eſtenſe, Domino Comite de Sancto Bonifacio Rheginis, atque toto Conſilio generali, juraverunt, & firmaverunt, ipſum & ſuos hæredes pro poſſe deſtruere. Unde bannitus cum ſuis filiis & familiis extra Civitatem fugit. Et in pleno Conſilio firmaverunt, quòd hæredes dicti Domini Andreæ haberent officium Notariæ Poteſtatis hinc ad XX. Annos, & quòd poſſint illud fieri facere per interpoſitam perſonam, ſecundum voluntatem eorum & amicorum ſuorum, donec ipſum per ſe facere poſſent, & ſcirent. De dicto rumore dictus Dominus Fridericus Imperator nihil ſcivit, nec ſcire potuit propter optimam cuſtodiam, quæ fiebat ad Portas, & maximè in Capite Pontis. Erant autem duæ Portæ Civitatis clauſæ versùs partem illius ab adventu Domini Legati, & pontes etiam glareæ optimè cuſtodiebantur, quapropter Imperator ea neſcivit. Item eodem tempore Fridericus quondam Imperator retro cum ſuis aliquantulum ſe faciens, ædificavit Civitatem nomine Victoriam, & conſtruxit Burgos, & domus muratas & cuppatas, faciens ibi circumquaque foveas magnas valde & palancata, bitifredos, & betreſchas, & pontes levatores, & molendina ponens ibi in Canale de Navilio, qui erat conſuetus venire ad Civitatem, & alia multa pro defenſione dictæ Civitatis ſuæ. Et longitudo dictæ Civitatis fuit à Strata Claudia uſque ad Stratam de Fragnano, & erat prope Civitatem Parmæ per quatuor baleſtratas, & habebant ibi Cremonenſes Carrocium ſuum. Item eo tempore Dominus Octavianus Cardinalis de mandato Domini Papæ cum magno exercitu, ſcilicet cum Mediolanenſibus, Brixienſibus, Mantuanis, Ferrarienſibus, & Venetianis vênit ſuper Tajatam, habens Navilium valde magnum. Ab alia verò parte Civitatis erat Rex Henricus cum Yzolino de Romano. Et duravit dictus exercitus per duos menſes & plus. Item eo tempore domus & turres illorum de parte Imperii de Parma quotidie deſtruebantur, & de trabibus, caſellis, & latcribus eorum fiebant munitiones Civitatis, ubi expediebat. Et molendina de brachiis & equis, propter defectum aquarum & canalium, facta fuerunt per Civitatem, & pali ſpezzati, & ſtrinati per omnes vicinias, conteſtas, & palancata. Item eodem tempore Mantuani & Ferrarienſes venerunt per Padum, & duxerunt Parmam in magna quantitate frumentum, ſpeltam, melicam, hordeum, ſalem, & alia victualia, quæ deficiebant multùm in Civitate. Item eo tempore Dominus Imperator quondam, uno mane in aurora Sabbati furtivè vênit ad Portam de Ulmo, & catenâ projectâ cum graffis ferreis ad palancatum, de ipſo deſtruxit tres perticas & plus. Quo rumore audito omnes cucurrerunt, & maximè Dominus Comes de Sancto Bonifacio, qui cuſtodiebat illa nocte. Quare Imperiales nihil lucrati fuerunt; nam plurimi ex ipſis mortui fuerunt per baleſtrarios, qui erant ſuper Portam de Ulmo. Item & tempore Rex Henricus cum militia valde magna & certa quantitate peditum tvtt in obſidione Colurnii. Et ſic ſtando, Parmenſes una nocte privatim fecerunt unam Cluſam in flumine Parmæ, & totam aquam derivaverunt per foſſata in albergarias, & exercitum dicti Regis. Unde propter curſus aquæ abundantiam dictus Rex cum ſuis dimittens ibi plauſtra & multa alia, ſummo mane ſubitò aufugit, & diſceſſit ab obſidione prædicta. Item eodem tempore magna mortalitas fuit in Civitate Parmæ, ita quòd ſæpe & ſæpiùs quatuor & plures ſepeliebantur ad unam Eccleſiam. Dominus verò Papa Innocentius à principio uſque ad finem vitæ ſuæ fecit omnia bona quæcumque potuit pro defenſione Civitatis Parmæ, & fuerunt bona & auxilia infinita & inæſtimabilia. Similiter Dominus Albertus de Flisco de domo dicti Domini Papæ Comes Lavaniæ multa fecit pro defenſione Civitatis Parmæ, mittens ſuis expenſis multos baleſtrarios, & fieri faciens multos muros ad Civitatem. Nam & ipſe ſuis expenſis fecit fieri murum, qui eſt ad Pontem Galeriæ de Domo Fratrum Prædicatorum uſque ad Portam Sancti Bernabei, cum turriſino, quod eſt ibi prope dictam Portam. Item eodem Anno Dominus Lantgravius electus in Regem Romanorum diem clauſit extremum.

In MCCXLVIII. Dominus Philippus Vicedominus de Placentia fuit Poteſtas Parmæ. Et eo tempore Militia Parmæ fuit ſconficta apud Colliculum per Parmenſes extrinſecos; ſed quidam per Dei gratiam evaſerunt. In qua ſconficta Dominus Bernardus Rolandi Rubei fuit captus & mortuus ab ipſis extrinſecis. Et ipſa die pro morte ipſius fuerunt mortui quatuor ex majoribus partis Imperii, qui erant in carceribus Communis Parmæ. Propter quod dictus Imperator quatuordecim ex carceratis Parmæ, quos habebat, miſit in Apuliam in carceribus. Item eodem tempore quadam die Sabbati Parmenſes equitaverunt apud Foſſam, quæ eſt inter Hentiam & Parmam, & hoc quia Mantuani venerant cum navigio magno valde, & cum ſeptem navibus incaſtellatis ibidem ad prohibendum Cremonenſes facere quemdam Pontem, quem incœperant. Qui Mantuani contra voluntatem Cremonenſium tranſierunt, & quum tranſiſſent, ſtando ibi per ſpatium modici temporis, omnes receſſerunt, dimiſſis ibi ſeptem navibus incaſtellatis, nullo rumore ibi facto, & neſcitâ causâ quare. Sed dictum fuit, proditionem factam, vel hoc divino judicio proceſſiſſe. Et tunc Cremonenſes expleverunt Pontem prædictum, faciendo ibi fortilitias, & quæ voluerunt, ita quòd nullus poterat venire à Mantua versùs Parmam. Item eo tempore Dominus Fridericus prædictus vênit ad Pontem ſuperiorem fluminis Parmæ, clamando *Johannes*, *Johannes*. Quo rumore audito omnes indifferenter maſculi & fœminæ cucurrerunt ad defenſionem dicti Pontis, & viriliter defenderunt eum; quare is inſalutato hoſpite reverſus fuit ad Civitatem ſuam. Et tunc proptcrea catenæ ferreæ fuerunt poſitæ pro Communi ad Pontem ſuperiorem & inferiorem ad majorem defenſionem eorum. Item eodem Anno die Martii XIII. intrantis menſis Februarii, magna multitudo militum & peditum erant apud Colurnium propter timorem, & occaſione Regis Henrici. Et alii, qui erant domi, omnes indifferenter invocato Jeſu Chriſti nomine, armis veræ pœnitentiæ præmuniti exiverunt, & iverunt ad Civitatem Victoriæ prædictam, & eam per vim ceperunt, deſtruxerunt, & combuſ-

buſſerunt. Et dictus Imperator cum Cremonenſibus & aliis ſuis ſecum ſequacibus expulſus fuit. & exſpoliatus de omnibus ſuis rebus. De Cremonenſibus & aliis, qui ibi erant cum jam dicto Imperatore, capta fuerunt ultra tria millia. Numerus verò mortuorum fuit innumerabilis. Et Carrocium Cremonenſium ibi per Parmenſes habitum fuit & ductum & gubernatum in Baptiſterio Parmæ. Et multa & inæſtimabilia bona, res, & divitiæ, & ornamenta tam auri, quàm argenti, & deſtrariorum infinitorum habita ibi fuerunt, & Corona etiam Oloferni aurea cum gemmis pretioſis ibidem habita fuit per quemdam Parmenſem nomine Curtopaſum, quæ vênit in Commune Parmæ. Et duravit fuga Imperatoris & ſuorum, qui evaſerunt ſolùm cum perſonis, uſque ad Burgum Sancti Domnini, & de Burgo Sancti Domnini uſque Cremonam ſinè aliqua mora. Et Poteſtas Parmæ, & Dominus Legatus, & Milites Parmenſes perſequuti fuerunt eo uſque ad flumen Taronis; & multi ex Parmenſibus tranſierunt dictum flumen per duo milliaria & ultra, & multos ex fugientibus ceperunt, & Parmam in carceribus duxerunt. Et tunc Civitas Parmæ non ſolùm ſuos recuperavit captivos, ſed etiam omnes, qui erant de parte Eccleſiæ per totam Italiam, & illos, qui fuerunt miſſi in Apuliam. In quo conflictu Marchio Lancea fuit captus, cujus viſcera lethaliter fuerunt proſtrata. Judex Thaddæus de Suaſa in captura prædicta remanſit ſemivivus cum manibus amputatis. Item eodem Milleſimo Dominus Guielmus de Gholonga electus eſt in Regem Alamanniæ, & in futurum Imperatorem.

In MCCXLIX. Dominus Raynerius de Valbona de Faventia fuit Poteſtas Parmæ. Et eo anno fuit factus exercitus generalis per Commune Parmæ cum hominibus de Mantua apud Brixillum causâ ducendi Parmam bladum, & ſalem, & alia victualia. Et Caſtrum Brixilli fuit ædificatum & expletum. Et tunc Civitas Parmæ munita fuit à prædictis frumento, ſale, & aliis victualibus. Item eodem anno dictus Imperator quondam cum maxima militia reverſus fuit in loco Civitatis Victoriæ, & ibi fecit magnum conflictum, & poſtea receſſit. De quo reditu Parmenſes multùm timuerunt, credentes ipſum velle reædificare dictam Civitatem. Et poſt modicum temporis ivit in Apuliam in ſuo malo nomine. Deo gratias; amen. Item eodem Anno Rex Henricus filius Imperatoris prædicti fuit captus per Bononienſes & ſuos ſequaces & ductus in carceribus Bononiæ, ubi ſtetit per XXII. annos & plures, & in ipſis carceribus diem clauſit extremum. Et eodem anno Parmenſes equitaverunt & combuſſerunt Burgos Civitatis Regii. Item eo anno Rex Franciæ Cruceſignatus tranſivit mare in ſubſidium Terræ Sanctæ, & tunc recuperavit Damiatam.

In MCCL. Dominus Caſtellanus Domini Hoſtiæ de Bononia fuit Poteſtas Parmæ. Et illo anno Bononienſes cum ſuo exercitu generali conduxerunt blavam, quam emerant mercatores de Parma, per planiciem prope Cuvriachum; & hoc malo velle Mutinenſium, & Rheginorum, & aliorum inimicorum Communis Parmæ. Et ibi erant Parmenſes cum ſuo exercitu generali exſpectantes dictam blavam; qui ambo exercitus ſimul ſe conjungentes cum vexillis & tubis cœperunt clamare *Pax*, *Pax*. Item eodem anno Parmenſes fuerunt ſconficti juxta Civitatem per Cremonenſes & Parmenſes extrinſecos partis Imperii, qui erant numero tria millia inter milites & pedites. Et multi ex Parmenſibus necati fuerunt in foveis Civitatis. Et fuerunt Parmenſes ducti captivi in Cremonam numero MDLXXV. mortui verò innumerabiles. Et Carrocium Parmenſium nomine Blancardum, quod Parmenſes ſecum duxerant, acceptum fuit per Cremonenſes, & ductum Cremonam. Et prædicta fuerunt die Jovis XVIII. intrantis Auguſti. Unde vocatus fuit poſtea in Parma dies ille ad memoriam *La mala Zobia* Item tertia die adveniente Parmenſes equitaverunt ad Caſtrum Mozani, ubi erat Dominus Alverius de Palude in obſedio, & audito à Parmenſibus, quòd Mantuani veniebant in ſuccurſum Civitatis Parmæ, feſtinanter cucurrerunt ad dictum Caſtrum. Et dictum Dominum Alverium cum ſuis ſequacibus conflixerunt, & centum de ſuis ceperunt, quos omnes captivos Parmam duxerunt in carceribus & XX. & plures interfecerunt. Item eodem anno Dominus Fridericus quondam Imperator prædictus exiſtens Apuliæ obiit, & quidam dicebant de quodam fluxu ventris, & quidam quòd Rex Manfredus ejus filius eum de quodam veneno mortifero toſſicavit. Item eodem anno fuit focus de Sancto Bernabeo ita maximus, quòd tota Contrata & vicinia prædicta, excepto Eccleſia & tota vicinia Sanctæ Trinitatis præter Eccleſiam, combuſta fuit, & Burgum de Navilio uſque ad Pontem de Bononia, qui pons etiam combuſtus fuit, & fuerunt domus ariæ numero CCCLXXIII. Item eodem anno Mediolanenſes unà cum Placentinis conduxerunt Parmam blavam, quam emerant Mercatores Communis Parmæ in partibus ſuis. Et hoc malo velle inimicorum.

In MCCLI. Dominus Manuellus Maji de Brixia fuit Poteſtas Parmæ. Et illo anno Caſtrum Brixilli captum fuit per Cremonenſes: & Capitanii & cuſtodes & alii, qui ibi erant, capti fuerunt, & ducti Cremonam in carceribus.

In MCCLII. Dominus Raynerius de Calbulo de Faventia fuit Poteſtas Parmæ. Quo anno factus fuit exercitus generalis per Commune Parmæ apud Medexanum; Et in ipſo exercitu fuit Dominus Gregorius de Montelongo Eccleſiæ Legatus, & Vicarius Domini Regis Guilielmi, & Militia Placentiæ. Et Dominus Ubertus Pelavicinus cum Cremonenſibus & Parmenſibus extrinſecis vênit ibi in auxilio Caſtri Medexani. Et tunc flumen Taronis propter pluvias crevit ita quòd nullo modo poterat vadari; de quo quia Parmenſes non erant niſi duæ portæ, timuerunt. Et ſic ſtando ibi, adverſarii confuſi de ipſo loco fugerunt, quibus videntibus Parmenſes dictum Caſtrum per concordiam habuerunt. Item eo anno fuit obſeſſum Caſtrum Berceti à Parmenſibus, in quo Caſtro erant banniti de Parma. Et dictum Caſtrum vênit ad mandata Communis per concordiam; & dicti banniti affidati cum armis & rebus ſuis, quas portare potuerunt, exiverunt, & iverunt ad Burgum Sancti Domnini. Et eodem anno Caſtrum Miarum vênit ad mandata Communis Parmæ, & Dominus Guido de Brixia fuit Capitaneus dicti Caſtri.

In MCCLIII. Dominus Henricus de Morio de Mediolano fuit Poteſtas Parmæ. Et eo anno ſtando per modicum tempus in dicto regimine, rumor fuit in Civitate Parmæ inter partem Eccleſiæ occaſione pacem faciendi cum Uberto Pelavicino & cum Parmenſibus & Cremonenſibus. Quæ pax ad dictum rumorem facta fuit inter prædictos. Et Dominus Ghibertus de Gente de Parma, qui fuit auctor dicti rumoris, factus fuit

ſuit Poteſtas Parmæ, & Mercadantiæ uſque ad ſex annos. Et prædictus Dominus Henricus licentiatus fuit, & ſoluto ſibi integrè de ſalario ſuo receſſit. Item eodem tempore facta dicta pace & completa, ut ſupra dictum eſt, Caſtrum Brixilii, quod à Cremonenſibus tenebatur, reſtitutum eſt Communi Parmæ, & banniti omnes undique abſoluti, & carcerati omnes, qui erant Cremonæ, & Burgi Sancti Domnini, de Parma, & Parmenſes undique ſunt relaxati, & fuerunt dicti carcerati, qui reverſi fuerunt Parmam de Cremona, & Burgo, CCCXVIII. omnes alii verò mortui extiterant in dictis carceribus propter gravia tormenta & importabilia eis facta. Nam quotidie ponebantur ad cavallettos, & ad dextras in modum Crucis pendentes, & victualibus eis ſæpiùs denegatis, & propter fœtorem mortuorum, qui mortui de carceribus non extrahebantur niſi priùs per vivos remanentes ſolveretur taxa eorum eis impoſita, & panis eis non dabatur. Et ſæpo vivi abſcondebant panem & alia victualia in corporibus mortuorum, ne guardæ eorum ſæviſſimi invenirent illa, quando carceres ſerrabant. Et vocabantur dicti carceres, in quibus erant illi de parte Eccleſiæ, *Infernus*, & verè erant. Mortuis verò dabatur Padus pro ſepulchro. Salarium verò primum dicti Poteſtatis fuit Librarum quingentarum quinque millium Imperialium. Poſtea verò fuit electus Poteſtas hinc ad decem Annos Poteſtas Populi & Mercadantiæ. Item eodem Anno Dominus Albertus de Sancto Vitale Electus Parmenſis obiit in pace.

In MCCLIV. Dominus Ghibertus de Gente prædictus erat & fuit Poteſtas Parmæ. Et eodem anno die X. intrantis Junii, prædictus Dominus Ghibertus & ejus hæredes, fuit electus Poteſtas Parmæ uſque ad decem annos. Et die Dominico XII. exeunte Junio deputatum ſibi fuit ſalarium pro anno duo millia Librarum Imperialium. Et erat Poteſtas Communis & Populi & Mercadantiæ. Et pars Eccleſiæ timebat de eo ad mortem, & non audebant loqui ſimul ultra duo vel tres. Et habuit totam Civitatem & Epiſcopatum in ſuo dominio & poteſtate. Item eodem Anno, die X. intrantis Decembris apud Neapolim obiit Dominus Innocentius Papa IV., qui in articulo mortis exiſtens, ſæpe & pluries dicebat: *Domine, Domine, propter iniquitatem corripuiſti hominem*. Et eodem Anno Dominus Alexander Papa IV. electus eſt in Papam.

In MCCLV. Dominus Ghibertus prædictus de Gente exiſtens Poteſtas Parmæ. Quo Anno Rex Conradus filius Imperatoris obiit.

In MCCLVII. Dominus Ghibertus de Gente prædictus exiſtens Poteſtas Parmæ fuit. Quo Anno Dominus Ubertus Pelavicinus cœpit habere dominium Papiæ, & ſecundò Placentiæ. Et in iſto Anno mortuus eſt in prœlio Rex Guillielmus. Et tunc fuit diviſio inter Electores de electione Imperatoris; nam quidam elegerunt Comitem Richardum fratrem Regis Angliæ, & quemdam Regem Caſtellæ. Sed Dominus Papa nullum ex ipſis noluit confirmare.

In MCCLVIII. Dominus Ghibertus de Gente prædictus exiſtens Poteſtas Parmæ fuit. Quo tempore per totam Italiam fuit carum tempus; nam ſextariom frumenti vendebatur octo ſolidos Imperiales, & omni die Sabbati claudebatur Platea Communis, & nullus audebat emere ultra unam minam, vel unum ſtarium frumenti ſub maxima pœna: ſuper quibus erant in Platea Communis, & per totam Civitatem cuſtodes deputati. Et Communia Villarum Epiſcopatus Parmæ cogebantur per Commune Parmæ ducere ad Civitatem quæcumque habebant ad vendendum in Platea Communis. Et erat regimen Poteſtatis, quòd ſi aliquis interficiebatur ab aliquo, qui eſſet notus vel propinquus dicti Poteſtatis de parte Imperii, contra maleſactorem nihil inveniebatur; ſed quædam inquiſitiones ſimulatè fiebant contra eum.

In MCCLIX. Dominus Ghibertus de Gente prædictus exiſtens Poteſtas Parmæ fuit. Eo tempore Civitas Brixiæ capta à Domino Yzolino de Romano, & à Domino Uberto Pelavicino per fortiam & per tradimentum, ut dicebatur, & ſuo tempore mutavit bis monetam. Eodem anno contentio orta fuit inter Dominum Yzolinum de Romano & Dominum Ubertum Pelavicinum, ita quòd prœliati fuerunt inter ſe, in quo prœlio dictus Dominus Yzolinus per dictum Dominum Ubertum captus fuit, & in vinculis dicti Domini Uberti ductus & detentus vulneratus. Ex quibus vulneribus verè, ut dicebatur, poſt quatuor vel ſex dies ſinè pœnitentia mortuus eſt, & ſepultus in Soncino diſtrictu Cremonæ. Item eodem Anno Porta de Sancto Michaele de Arcu & Porta Sanctæ Crucis factæ fuerunt de lapidibus & quadrellis. Item eodem Anno dictus Dominus Ghibertus de Gente, qui extiterat Poteſtas Parmæ per ſex Annos & ſex menſes, depoſitus & remotus fuit à Poteſtaria dictæ Civitatis Parmæ de concordia duarum partium ex tractatu Domini Uberti Pelavicini, quia dictus Ghibertus noluit dicto Domino Uberto dare dominium, vel bailiam Civitatis Parmæ.

In MCCLX. Dominus Henghiramc Franzelaſta de Piſtorio fuit Poteſtas Parmæ. Et ipſo Anno Porta de Sancto Bernabeo facta fuit. Item eodem Anno captus fuit, & terribili morte mortuus fuit Dominus Albricus de Romano unà cum uxore & ſex filiis & duabus filiabus. Item eodem anno fuit ſcovamentum magnum pro amore Dei in Parma, & in Rhegio, & Mutina, & alibi etiam por Lombardiam; & paces inter homines habentes guerras factæ ſunt. Et illi de Rhegio & de Mutina venerunt Parmam ad ſe verberandum cum corrigiis & ſcopis, cum illis de Parma amore Dei, & in remiſſionem peccatorum. Et banniti de Parma abſoluti occaſiono dictarum pacium. Et omnes Parmenſes tam magni quàm parvi, cum Conſulibus & vexillis Viciniarum, ibant per Civitatem ſe verberando, exiſtentes omnes nudi à bragherio in ſurſum & excalceati. Et dictus Dominus Poteſtas ſe verberavit. Dominus verò Ubertus Pelavicinus & Cremonenſes cum ſuis refutaverunt dictum ſcovaimentum & paces, & quia noluerunt benedictionem, elongabitur ab eis. Item eodem Anno diſcordia magna fuit inter Regem Hungariæ & Regem Bohemiæ. Item eodem Anno Florentini ultra ſeptuaginta millia bellatorum fuerunt ſconfiсti à Senenſibus, & ſuis fautoribus, ex quibus Florentini capti fuerunt ultra ſeptem millia, & mortui ultra decem millia.

In MCCLXI. Dominus Jacobus Buticella de Papia fuit Poteſtas Parmæ. Et eodem Anno facta fuit Porta de Sancto Franciſco.

In MCCLXII. Dominus Albertus de Turrizella de Papia fuit Poteſtas Parmæ. Et eodem Anno facta fuit Porta de Moneta cum domibus juxta illam Portam.

In MCCLXIII. Dominus Ugo de Savignano de Mutina fuit Poteſtas Parmæ. Eodem Anno diſcordia magna fuit in Civitate Parmæ inter partes Eccleſiæ & Imperii, de recipiendo Domi-

mi-

minum Ubertum Pelavicinum in Parma, vel non. Et tamdem ad concordiam & compoſitionem venerunt, quia Parmenſes juraverunt & promiſerunt, dictum Dominum Ubertum & ejus hæredes perpetuò à dextris & à ſiniſtris adjuvate & manutenere, & dare ei omni Anno mille libras Imperiales, ſcilicet medietatem ad Nativitatem Domini, & aliam medietatem ad Sanctum Petrum. Et dictus Dominus Ubertus juravit & promiſit non venire Parmam abſque conſenſu & voluntate Parmenſium. Et quos denarios dictus Dominus Ubertus non habebat, ſed amici ejus de Parma ſub prætextu dicti Domini Uberti illos habebant & recipiebant, & inter ſe dividebant; quod in toſſicum pluribus redundavit. Et tunc Civitas & Diœceſis interdicta fuit. Item eodem Anno facta fuit domus ſeu Carcer Communis, quæ dicta fuit Camuſina, ſuper caſamento quondam Domini Jacobi de Berzeto, in quo carcere coercebantur latrones peſſimi & alii malefactores.

In MCCLXIV. Dominus Manfredus de Piis de Mutina, qui Camixanus dicitur, fuit Poteſtas Parmæ. Et illo Anno obiit Dominus Urbanus Papa IV. de menſe Septembris. Et eodem Anno apparuit in cœlo una Stella longa habens caudam longam per unam vel duas perticas, quæ videbatur quaſi fumus. Item eodem Anno die Dominico intrante Decembri, Guelphi de Florentia & pars Eccleſiæ de Mutina expulerunt de Mutina partem Imperii. Et Marchio Eſtenſis, & Comes de Sancto Bonifacio cum Ferrarienſibus & Mantuanis Mutinam in auxilium partis Eccleſiæ intraverunt. Quorum occaſione partes Civitatis Parmæ per totam hebdomadam ſteterunt armatæ, & quatuor utriuſque partis electi fuerunt de melioribus Civitatis, qui viderent & examinarent de bonu ſtatu Civitatis. Qui ſupraſcripti ſtabant de die & de nocte ſuper Palatium Communis. Die autem Jovis circa horam Nonam pugnaverunt partes inter ſe apud Sanctum Tiburtium, & apud domos Baldichinorum. Et tunc Fariſci fuerunt derobati à parte Imperii: Et Dominus Jacobus Groſſus Canonicus Parmenſis cum multis militibus & peditibus ibant per Civitatem cum Crucibus Eccleſiarum cridando Pacem. Et Dominus Baldichinus, qui erat Capitaneus partis Imperii . . . . . . die Veneris ſequenti circa Veſperas, & fuit III. exeunte Decembri, veniente die Sabbati, cum ſuis cœpit expugnare in capite Pontis contra partem Eccleſiæ, & ad domos Rubeorum maximè. Et tunc fuit ſturmum ubique per totam Civitatem quaſi per totam noctem in Porta Nova, & ad Voltam Oldecionorum, & ad domos Baldichinorum. Et combuſtæ fuerunt domus eorum, & tota pars Imperii concluſa fuit in Palatio Communis & ſubter, cum tabulis Cambiatorum, & ibi ſe cuſtudiebant pulſando campanas Communis tota nocte. Et tamdem pars Eccleſiæ obtinuit. Et de voluntate partium Dominus Ghibertus de Gente, & Dominus Jacobus Tabernerius de Parma, pro bono pacis facti fuerunt Poteſtates Parmæ. Et prædictus Dominus Manfredus de Piis Poteſtas Parmæ, & etiam Dominus Matthæus de Gorzano de Mutina electus & futurus Poteſtas Parmæ, fuerunt licentiati, & eis integraliter ſulutum fuit de ſalariis eorum. Item eodem tempore fuit quidam canis in Burgo Sancti Johannis in Civitate Parmæ in domo illorum de Nauli, qui omni mane ſicut audiebat cridare mortuos, in continenti incipiebat latrare, & vellent aut nollent illi de domo, oportebat quòd oſtium ei aperiretur, & in continenti ibat ad domum defuncti, & intrabat domum, & egrediebatur ſæpe & ſæpiùs, & expellebat omnia alia animalia de tota Contrata defuncti, & ſtabat ibi quaſi per totam diem, intrando & exeundo domum. Et quum defunctus portabatur ad Eccleſiam, ibat ſub barra. Et hoc duravit per decem Annos continuos. Et multùm omnes mirabantur. Et nullus audebat ei dicere vel facere malum. Et nominabatur ab omnibus *Canis Mortuorum*.

In MCCLXV. Dominus Ghibertus de Gente & Dominus Ja obus Tavernerius ambo de Parma, fuerunt Poteſtates Parmæ. Et ipſo Anno & tempore factum fuit ſacramentum per partes de Parma ſuper Altare Sanctæ Mariæ Majoris Eccleſiæ Parmenſis, de dicta pace manutenenda. Et iſto Anno conflictus factus fuit inter Marchionem Montisferrati, & Ubertum de Scipiono nepotem Domini Ubetti Pelavicini in Alexandria apud Nizzam, & capti fuerunt de illis dicti Domini Uberti de Scipiono quingenti equites. Item eodem Anno & tempore Dominus Carolus Comes Provinciæ electus per Eccleſiam in Regem Siciliæ, cum ſua gente ivit per mare Romam, & ibi inveſtitus fuit de Co r na. Item eodem tempore de menſe Novembri multi milites & pedites & baleſtrarii de Francia & de ultramontanis partibus venerunt in Lombardiam, causâ eundi ad dictum Dominum Regem Carolum. Et ipſis congregatis cum Mediolanenſibus & Pergamenſibus, causâ faciendi tranſitum eorum per Lombardiam, Dominus Ubertus Pelavicinus cum Cremonenſibus, & Dominus Boxius de Dovaria cum omnibus ſuis ſequacibus & amicis, quos in illis partibus habere potuerunt, dimiſſa Civitate Brixiæ munita per eos, venerunt apud Soncinum cau â prohibendi tranſitum prædictorum. Qui Franciſci viriliter tranſierunt contra voluntatem prædictorum prohibere volentium. Et tranſierunt omnes prædicti Franciſci apud Portas Brixiæ & ſagittaverunt in Civitatem, & plures vulneraverunt. Et erant bene dicti Franciſci ſexaginta millia. Et hoc fuit die Mercurii IX. intrantis Decembris. Et ſi habuiſſent victualia, per vim cepiſſent Brixiam. Et ceperunt Palazolum per vim die Martis XV. intrante Decembri. Et venerunt ad Montem-Clarum, quod ceperunt, & Carpolam, & multa alia Caſtra, quæ omnia diviſerunt. Et ibi erant caſtrametati in exercitu Dominus Comes de Sancto Bonifacio, & Marchio Eſtenſis cum Mantuanis & Ferrarienſibus, qui illuc venerant in eorum & dicti Regis auxilium. Et ibi ceperunt CCCC. cavalcatures & M. pedites ex illis Domini Uberti Pelavicini, & ſuorum de Cremona, & de aliunde. Quo facto Dominus Ubertus Pelavicinus & ſui ad propria ſunt reverſi.

In MCCLXVI. Dominus Nicolaus de Paciletiis pro parte Eccleſiæ & Dominus Andalo Andaloi pro parte Imperii, ambo de Bononia fuerunt Poteſtates Parmæ. Et illo Anno Dominus Rex Carolus eum tota militia cœpit ire versùs Apuliam, & cepit Pontem de Ceperano. Et ivit de menſe Februarii ad Sanctum Germanum, & eum cepit per vim, & multos Sarracenos de illis Manfredi Principis Tarentini, qui dicebatur Rex Apuliæ, cepit, & multa alia Caſtra & loca iverunt ad mandata dicti Domini Regis Caroli. Item eodem Anno quum ipſe Dominus Rex Carolus audiviſſet, quòd dictus Dominus Manfredus cum octomillibus militibus iviſſet de Capua Beneventum, ipſe Dominus Rex Carolus ivit ad dictum locum equitando per XL. milliaria, tranſ-

tranſeundo montes & flumina, ita quòd nimis fatigati erant. Et erat tunc dies Veneris XXVI. intrante Februario. Et tunc dictus Rex Carolus cum ſuis pugnavit cum dicto Rege Manfredo. In quo prœlio dictus Rex Carolus obtinuit. Et dictus Rex Manfredus interfectus fuit cum ſuis, exceptis iis, qui per fugam evaſerunt. Et ex illis dicti Regis Manfredi Comes Jordanus & multi alii Baroni capti fuerunt. Et Sarraceni de Nuceria venerunt ad mandata dicti Regis Caroli, quam quidem in quatuor partes diviſit. Et die V. intrante Martio Comes Camerlengus dedit dicto Regi Carolo quatuor Coronas aureas, inter quas erat una quondam Domini Friderici Imperatoris, quæ inæſtimabilis erat. Et qui Rex Carolus abſtulit illis de Nuceria equos & arma. Item eodem Anno in die Paſchatis Reſurrectionis Domini, qui tunc fuit IV. exeunte Martio, partes de Parma fuerunt ad arma, & pars Eccleſiæ obtinuit, & pars Imperii conflicta & expulſa fuit per totam Civitatem; & ſcuta & arma partis Imperii, quæ erant facta ad alonum, arſa & deſtructa fuerunt. Et dictus rumor fuit elevatus in capite Pontis ad domum Contiſæ à quibuſdam de parte Domini Uberti Pelavicini in Vicinia Sancti Gervaſii. Et fugerunt prædicti de parte Imperii per andronas; & nullus eorum audebat apparere. Et Volta de Guaſconcinis, & Volta de Oldezonibus de Porta Nova combuſtæ fuerunt per illos de parte Eccleſiæ. Et tunc aſcendit ignis in ſummitate Turris Rogleriorum in Carrubio in nido Corvorum; de quo timuit pars Eccleſiæ, ne eſſet ſignum inimicorum. Die ſequenti multi de parte dicti Uberti Pelavicini confinati fuerunt; & alia die ſequenti redierunt, & habebant dicti de parte Domini Uberti Pelavicini arma ad alonos, qui dicta arma raſpaverunt, qui non fuerant ad rumorem timore partis Eccleſiæ. Et illi de parte Eccleſiæ habebant arma ad . . . . Et duravit dicta robaria per tres dies. Die verò Dominico ſequenti, quidam de parte dicti Domini Uberti Pelavicini intraverunt Burgum Sancti Domnini. Die verò Jovis VIII. intrantis Aprilis, prædicti Poteſtates ambo reverſi ſunt ad propria, eo quòd eis fuit prohibitum facere inquiſitionem & rogitum de prædictis robaria & rumore. Propter quod die Martis VI. intrante Majo, Dominus Johannes de Norenghis cum aliis Anzianis Populi Parmæ, & aliis ſuis ſociis, ſcilicet cum Poteſtatibus Beccariorum & Calzolariorum, & Domino Johanne Trocario, Advocatis Mercatorum, & Domino Baldo de Froa tunc Capitaneo Cruſatorum, cum quatuor Conſulibus Juſtitiæ, habuerunt regimen ſuum Parmæ, & rexerunt uſque ad adventum ſequentis Poteſtatis, qui vênit Parmam die Sabbati de menſe Maji. Dominus Albricus de Soardis de Pergamo fuit Poteſtas Parmæ dicto Anno ſubſequenti à prædictis electus uſque ad Annum novum proximè venturum, ad exitum cujus per tres menſes Dominus Jacobus de Porta fuit factus Capitaneus Populi. Et eo Anno tempore dicti Domini Albrici, die Lunæ I. menſis Auguſti, pars Imperii intravit Columium, & Guardas, quæ ibi erant pro parte Eccleſiæ, ceperunt. Et die Mercurii proximè ſequenti III. Auguſti, dictus Dominus Poteſtas & Milites & Populus duarum Portarum cum certis militibus de Rhegio equitaverunt ad ipſum Caſtrum Columnii, & ipſum expugnaverunt à duabus partibus, & ipſum per fortiam ceperunt, & omnes quos ibi invenerunt, Parmam captivos duxerunt, & multos occiderunt, & totum Columium combuſſerunt, & quoſdam de illis, qui prodiderant locum eis, per gulam ſuſpenderunt, & quibuſdam capita amputaverunt. Militia verò de Mutina tunc remanſit ad cuſtodiam Civitatis Parmæ, quia feſſi ea die venerant Parmam è Mutina. Item eodem Anno & tempore fuit exercitus Parmenſis ad Caſtrum de Monte Dalerio, ſed propter maximum frigus & nivem & arduum tempus non bono modo receſſerunt. Item eodem tempore multi de parte Domini Uberti Pelavicini, & de parte Imperii fuerunt ſconfitti per illos de parte Eccleſiæ de Parma apud Viarolum, & ducti Parmam in carceribus. Eodem anno capta fuit domus Dominæ Ægidiolæ de Sancto Secundo; & Caſtrum Soragnæ, & Caſtrum de Nuceto, & multa alia bona facta fuerunt per partem Eccleſiæ de Parma tempore dicti Domini Albrici Poteſtatis Parmæ. Nam victorioſus homo fuit ipſe Poteſtas. Item eo anno Dominus Ubertus Pelavicinus Dominus & Poteſtas Cremonæ fuit expulſus de ipſo dominio per Dominum Boxium de Dovaria, & ivit Burgum Sancti Domnini.

In MCCLXVII. Dominus Albertus de Fontana de Placentia fuit Poteſtas Parmæ. Et ipſo anno Parmenſes iverunt in obſidione ad Burgum Sancti Domnini, & ſe poſuerunt à latere ſuperiori cum manganis & trabuchis. Item eodem anno Caſtrum Bargboni, & Caſtrum Tablani venerunt ad mandata Communitatis Parmæ, & Caſtrum de Alpeſelle, & multa alia Caſtra devaſtata fuerunt in totum. Item eodem anno Dominus Aldigherius de Laſenata fuit tertius Capitaneus Populi Parmæ per ſex menſes. Item eodem tempore ſtando Parmenſes in dicto abſedio Burgi Sancti Domnini cum Mutinenſibus & Rheginis aliquibus, auditum fuit quòd Dominus Boxius de Dovaria, qui exierat de Cremona cum multis aliis, & volebat venire Cremonam, & intrare per fortiam, & exinde expellere Legatum, qui ibi erat pro Eccleſia Romana, & qui fecerat fieri pacem inter Cremonenſes intrinſecos & extrinſecos, & reddiderat Capeletos in Cremonam, & Inſutos de Placentia eodem Anno: Poteſtas Parmæ & milites omnes, dimiſſo Populo, cum militibus Mutinenſibus & Rhegini rediere Parmam à dicto abſedio, & eis aſſociatis uſque citra flumen Taronis equitaverunt Cremonam incontinenti, & feſtinanter quamcitiùs potuerunt. Et omnes de parte Domini Boxii de Dovaria expulerunt, & domos eorum funditus diruerunt. Cremonenſes verò firmaverunt exercitum ad Rocham dicti Domini Boxii, quam habebat apud Olium, cum tallia militum de Parma. Item eodem Anno Dominus Andreas de Marano Civis Parmæ fuit quartus Capitaneus Populi Parmæ. Item eodem Anno Caſtrum de Monte-Palerio per vim captum fuit à Parmenſibus, & funditus devaſtatum, & omnes, qui ibi inventi fuerunt in ipſo Caſtro, ad arbores per gulam appenſi fuerunt, exceptis tribus Nobilibus, quibus amputatum fuit ſcilicet caput. Item eodem Anno habitatores de Medexano, quaſi omnes capti fuerunt ab extrinſecis Parmæ; & hoc ita evênit eis. Nam extrinſeci diviſerunt ſe in duas partes, una quarum habebat arma & inſignia Communis Parmæ, & alia habebat inſignia inimicorum. Et incœperunt inter ſe prœliari apud Medexanum per duas baleſtratas. Et una pars, ſcilicet illa, quæ habebat inſignia inimicorum, cœpit fugere & ſe rumpere & dimittere equos & arma. Videntes autem prædicta dicti de Medexano, contra voluntatem Capitanei eorum, causâ lucrandi de equis & armis,

armis, exiverunt ad eos. Qui inimici incontinenti ceperunt omnes eos, & duxerunt ad Burgum Sancti Domnini in carceribus. Item eodem Anno Caſtrum de Parola Domini Uberti Pelavicini per vim captum & devaſtatum in totum, & arſum; & omnes qui fuerunt ibi habiti numero XXXVI. per gulam appenſi fuerunt, & tres cum Capitaneo nomine Ubertino de Caſalechio decapitati fuerunt. Item eodem Anno banniti, qui erant capti in Columnio, & qui erant in Turre Communis in carceribus, quadam nocte rupta Turri exiverunt, & auſugerunt omnes ſani & ſalvi, & iverunt omnes ad Burgum Sancti Domnini, excepto uno de Niciis, qui ſe necavit in ſovea de Sancta Cruce. Item [B] eodem tempore Caſtrum Miani, & Caſtrum Ravarani, & Caſtrum de Curtizellis Marchionum, cum multis aliis venerunt ad mandata Communis Parmæ, & finaliter fuerunt deſtructa per Commune Parmæ.

In MCCLXVIII. Dominus Robertus de Robertis de Rhegio fuit Poteſtas Parmæ per primus ſex menſes. Et eo Anno Beroaria de Parma ſconfiċta fuit apud Medexanum per extrinſecos, & mortui pro majori parte, & Dominus Ugo de Ferrapecoris eorum Capitaneus mortuus fuit, & Dominus Ugo de Peronis fuit ibi captus cum multis aliis. Dominus Andreas de Azonibus Civis Parmæ fuit quintus Capitaneus Populi Parmæ, electus per ſex menſes. Item [C] eodem tempore Dominus Conradus de Monte-Magno de Piſtorio datus à Domino Rege Carolo fuit Capitaneus foreſterius Civitatis Parmæ, & fuit per totum Annum. Dominus Manfredus de Saxolo de Mutina fuit Poteſtas Parmæ eodem Anno per alios ultimos ſex menſes dicti Anni. Dicto Anno & tempore dictorum Dominorum Manfredi Poteſtatis, & Conradi Capitanei, fuit conductus exercitus Communis Parmæ ad Burgum Sancti Domnini, & dictus Poteſtas in dicto exercitu fuit, & regere incœpit. Et ipſa die dederunt prœlium dicto Caſtro, & in ipſo exercitu erant bene triginta millia perſonarum. Item eodem Anno Campana Populi, quæ eſt ſuper Campanile ſuper ſcalis Palatii Communis, [D] fuit poſita versùs ſerò. Item eodem Anno die XVI. intrantis Octobris, vénit Parmam filia filii Du is de Burgundia, quæ erat uxor dicti Regis Caroli, & in ſuo adventu ad Dei honorem & ejus factus fuit Miles Dominus Rolandus de Aldigheriis. Item eodem tempore & Anno die Dominico XXI. menſis Octobris Burgum Sancti Domnini vénit ad mandata Communis & Populi Parmæ; & ſic dicto tempore facta fuit pax inter Commune Parmæ & Parmenſes intrinſecos ex una parte & Parmenſes extrinſecos ex alia, & Burgum Sancti Domnini. Et dicta pax annunciata & publicata fuit die Mercurii XXIV. dicti menſis; & bona pacta fuerunt in Conſilio generali Communis in Palatio Communis. Et [E] in ſero propter lætitiam in ſeparatione Conſilii ſuper ſcalis Palatii fuit ita maxima Strica, quòd multi in ipſa necati & mortui fuerunt. Item eo Anno & tempore, die XIII. intrantis Novembris, idem Poteſtas & Capitaneus cum certis Sapientibus iverunt Burgum Sancti Domnini causâ faciendi ibi unam fortitiam, quæ ex pactis factis in Pace ibi ad voluntatem partis Eccleſiæ fieri debebat. Et tunc poſuerunt Dominum Ubertum Pelavicinum extra Burgum, aſſociantes eum uſque ad Caſtrum Varani. Et quum dicti Sapientes rediiſſent, exiſtimantes ubi dicta fortitia meliùs fieri poterat pro parte Eccleſiæ, dixerunt ſe velle capere totum locum.

[A] Quod quidem videntes Burgenſes, & ſui Sapientes, incontinenti deliberato conſilio Dominus Adegherius de Henzola, qui ibi jam erat Poteſtas pro Communi Parmæ, cum Sapientibus Burgi vénit ad Eccleſiam Sancti Domnini coram Poteſtate & Capitaneo & Sapientibus Parmæ, & ſponte, antequam vellent dictam fortitiam fieri, dederunt claves, & omnes fortitias dictæ Terræ, & ſe omnes cum majoribus dicto Domino Poteſtati & Capitaneo & Sapientibus de Parma, ut facerent de ipſa Terra & hominibus ad voluntatem Communis Parmæ, non obſtantibus pactis Pacis & Privilegiis ſuis. Unde dicti Domini Poteſtas, Capitaneus, & Sapientes de Parma, conſiderantes, quòd ſemper dicta Terra [B] ſuo poſſe obſtabat Civitati Parmæ, conſiderantes etiam guerras ſolitas, & quæ in futurum accidere poterant, pro meliori ſtatuerunt, ipſam Terram in totum deſtruere. Et ſic per vicinias Civitatis & Villas Epiſcopatus diviſione facta inter eos per preſas & partes, finaliter deſtructa fuit. Et ordinatum fuit per Commune Parmæ, quòd numquam reſici deberet, ſed aburgari, & extendi versùs Civitatem à ſovea Caſtri uſque ad Parolam, & in magnis bannis & pœnis; quod ſic adimpletum fuit.

In MCCLXIX. Dominus Manfredus de Saxolo de Mutina fuit Poteſtas Parmæ primis ſex menſibus dicti Anni. Quo tempore dicta deſtructio etiam continuando tempus facta fuit & [C] completa. Item eodem tempore Populus univerſus cum armis, tubis, & banderiis cucurrit ad Terram de Baſiliganola ad domum dicti Bernabei Canini, & ejus domos, & arbores, vineas, & omnia bona deſtruxerunt. Et hoc occaſione mortis Gerardi Graſſi Notarii de Burgo Riolo Viciniæ Sancti Johannis. Item eodem tempore obiit Dominus Ubertus Pelavicinus in Caſtro illorum de Pelegino. Item eodem tempore Dominus Conradinus filius Domini Regis Conradi vénit de Alamannia uſque Veronam, & à Verona uſque ad Papiam, & poſtea Piſas, & Romam, & deinde in Apuliam, ad inſtantiam Ghibellinorum, & partis Imperii de Thuſcana, & de aliis partibus, causâ recuperandi [D] Apuliam. Et tunc dictus Rex Carolus cum gente ſua vénit obviam ei. Et habebat idem Dominus Conradinus innumerabilem multitudinem Baronum, Comitum, militum, peditum, & aliorum ſuorum. Et inito prœlio inter ipſos Dominum Regem Carolum & ſuos ex una parte, & dictum Dominum Conradinum & ſuos ex altera, in eo prœlio prædictus Dominus Conradinus captus fuit, & præſentatus dicto Domino Regi Carolo, qui poſt paucos dies fecit dictum Dominum Conradinum decapitari Neapoli. Et Dominus Henricus frater Regis de Caſtello captus fuit, & poſitus in carceribus. Conflictus verò vivorum & mórtuorum non fuit numerus. Dominus Oddo Belotus de Cortona [E] fuit Capitaneus Populi per ſex menſes ultimos dicti Anni & temporis.

In MCCLXX. Dominus Gerardus Bojardus de Rhegio fuit Poteſtas Parmæ dicto Anno & milleſimo per ſex menſes ultimos dicti Anni. Et prædictus Dominus Gerardus fuit Poteſtas Parmæ in MCCLXX. per totum illum Annum. Et eo Anno deſtructæ fuerunt Turres de Rogleriis, & domus Domini Giberti de Gente, & plurium aliorum. Item eodem tempore ſextarium ſalis valebat in Parma XXIV. ſolidos Imperiales. Item eodem Anno Dominus Rex Franciæ, Dominus Rex Navarræ, Dominus Odoardus filius Regis Angliæ, & Dominus Rex Carolus,

rolus, cum multis Baronibus, Comitibus, Militibus, & aliis tranſierunt per mare contra Regem Tunixi, in quo tranſitu prædicti Domini Reges Franciæ & Navarræ morte naturali obierunt, & multi alii. Et pax facta fuit inter prædictos Chriſtianos & Sarracenos. Et multæ naves Chriſtianorum prædictorum in reditu, quem faciebant cum magna gente in mari per tempus contrarium perierunt in portu Trapanæ. Dominus Scholagius de Cavalcantis de Florentia fuit Capitaneus Populi pro primis ſex menſibus, & etiam pro ſecundis.

In MCCLXXI. Dominus Pelegrinus de Guidonibus de Mutina fuit Poteſtas Parmæ. Dominus Riboldus de Joſano de Cremona fuit Capitaneus Populi primis ſex menſibus. Eodem anno Dominus Rex Philippus Rex Franciæ de menſe Martii, & Dominus Rex Carolus fuerunt Viterbii, ubi Cardinales erant pro Papa faciendo, qui ſteterant per biennium, quòd ſe non poterant concurdare, & procurabant ibi de novo Papa faciendo. Et quum propterea eſſent in Eccleſia Civitatis ejuſdem, Comes de Monteforte, qui erat Vicarius in tota Thuſcia pro Domino Rege Carolo, armata manu, & appenſatè, tempore, quo Chriſti Corpus levabatur, interfecit filium Henrici quondam Regis Ricardi de Anglia, qui jam fuerat electus in Regem per Eccleſiam Romanam, & aufugit in Terris Comitis Rubei de Maritima. Et ita non electo Papa, Dominus Rex Philippus cum ſuis reverſus eſt Parmam die Mercurii primo Aprilis, & emendavit in Terra de Calerno quindecim domos, per ſuos ibi arſas, CC. Libras ſponte & ſua propria voluntate. Et die ſequenti diſceſſit, & faciebat multùm honorificè deferri cum eo oſſa Patris ſui, & oſſa fratris ſui nomine Johannis Triſtani, & oſſa uxoris ipſius Regis in Franciam, qui obierant, ut ſupra ſcriptum eſt, in tranſitu, quem faciebant contra Tunixium. Item eodem anno exiſtente Poteſtate Arimini Domino Giliola de Laſenara, idem Poteſtas cum Domino Malateſta expulerunt partem Imperii de Arimino, & Ugolinum de Ferro de Seſſo de Rhegio, qui ibi erat Capitaneus partis Imperii, & totam ipſam partem. Item eodem anno fuit carum tempus; & Commune Placentiæ dedit Parmæ magnum ſuccurſum de blava, ducendo eam per Padum & terram. Et Commune Cremonæ gratis & amore Communis Parmæ conceſſit, ut poſſet duci dicta blava per Padum ad voluntatem Parmenſium. Et per Commune Parmæ ſolvebatur ducentibus blavam foreſteriam in Parma ad vendendum XII Imperiales de ſtara frumenti, & VI. Imperiales de ſtara alterius blavæ, ultra pretium, quod vendebatur. Dominus Borgognonus Anguſola de Placentia fuit Poteſtas Parmæ ſex ultimis menſibus dicti anni. Dominus Lazarus Novellus de Luca fuit Capitaneus Populi eodem Anno. Et fuit magna careſtia per totam Italiam. Et ſextarium frumenti vendebatur X. ſolidos Imperiales in granariis, & XII. ſolidos Imperiales. Et Libra carnium recentium ſine ſale XX. denarios Imperiales, & ſalitarum II. ſolidos Imperiales. Et tria ova dabantur pro uno Imperiali. Et pondus caſei recentis octo ſolidos Imperiales. Item eodem anno in Calendis Septembris Dominus Thebaldus Vicecomes de Placentia electus fuit in Summum Pontificem, & nominatus fuit Dominus Gregorius Papa X. Item eo Anno Caſtrum de Corvaria diſtrictus Rhegii, in quo erat unus ex filiis Domini Jacobi de Palude, & multi alii banniti, & proditores Communis Parmæ & Rhegii, fuit obſeſſum per Commune Parmæ & Commune Rhegii de menſibus Julii, Auguſti, & Septembris. Et tamdem venit ad præcepta, quum aquam non haberent. Qui affidati receſſerunt cum perſonis, & havere eorum. Et totum Caſtrum deſtructum & dirupatum fuit. Et hoc per Dominum Epiſcopum Parmenſem ſagaciter & ſapienter tractatum fuit, quia ſecundùm documentum cujuſdam antiqui hominis de contrata, aqua dicto Caſtro ſecretè ſubtracta fuit, & hoc neſciebatur per Parmenſes & per Rheginos.

In MCCLXXII. Dominus Nordius Bonæpartis de Tarviſio fuit Poteſtas Parmæ per Annum unum: qui Poteſtas in fine ſui regiminis factus fuit de Fratribus Gaudentibus ad domum Fratrum Prædicatorum Parmenſium. Dominus Antholinus de Rodelia de Rhegio pro primis ſex menſibus dicti anni, & Dominus Rolandus de Albrigonibus, vel Rucinentis de Rhegio, pro ſex ſequentibus menſibus, fuerunt Capitanei Populi Parmæ. Item eodem anno Dominus Guido & Dominus Matthæus de Corrigia fuerunt expulſi de Poteſtaria & dominio Civitatis Mantuæ per quemdam eorum nepotem nomine Pinamontem de Bonacoſſis de Mantua. Qui Dominus de Corrigia dictum dominium per magnum tempus tenuerat. Et qui Dominus Pinamontes adhæſit parti Imperii, & duxit Veronenſes in Mantuam, & de Mantua expulit quos voluit, & multa mala fecit. Item eodem anno emtæ fuerunt domus Bocaciorum juxta Camuſinam Communis ab angulo Magiſtri Rolandini Parmenghi uſque ad angulum de Malgariis. Item eodem anno fuit maxima careſtia in Civitate Parmæ, & ſextarium frumenti vendebatur XII. ſolidos. Et tunc Commune Parmæ miſit Communi Ferrariæ ſeptem millia Librarum Imperialium pro tribus millibus modiis blavæ. Et conſtitit ſextarium conductum in Parma cum expenſis XIII. ſolidos Imperiales. Et Commune Parmæ dabat ſtarium dictæ blavæ Populo ſuo, & hominibus Epiſcopatus ſui pro VI. ſolidis, & pro IV. ſolidis Imperialibus. Item eo anno orta fuit diviſio inter Bononienſes, ita quòd quemdam lapidem, in quo per Commune habebant ſculpitum quoddam Privilegium, quo tenebantur ampliare Epiſcopatum ſuum versùs Mutinam removerunt.

In MCCLXXIII. Dominus Simon Donari de Florentia fuit Poteſtas Parmæ per unum annum. Et illo anno Commune Parmæ fecit fieri duo navilia, quæ nihil valuerunt, & multum conſtiterunt. Item eodem anno Dominus Gregorius Papa X. cum Cardinalibus ſuis, & aliis Prælatis tranſivit per Parmam, causâ eundi Lugdunum ad quoddam Concilium, quod ibi fieri ſtatuerat. Et hoſpitatus fuit ad Religionem Veterem. Item eodem anno ſextarium frumenti valuit IV. ſolidos & dimidium. Item eodem anno facta fuit pro Communi una Campana groſſa, & facta fuit ad domum Fratrum Prædicatorum. Item eo anno Dominus Odoardus Rex Anglicus veniendo de ultra mare, & redeundo ad partes ſuas, tranſivit per Civitatem Parmæ. Item eo anno Dominus Comes Rodulphus de Hasburgo fuit electus Imperator Romanorum per Principes Alamanniæ. Item eo anno, quum Dominus Poteſtas tormentaret Ubertinum de Piſſe, contra quem inquirebat de certis equis, qui furati fuerant in hoſpitio ſuo, & quos invenerat in ripa Taronis, quidam populares ſocii dicti Ubertini ad rumorem projecerunt lapides ad domum Poteſtatis. Et

bene

bene multi fuerunt banniti & condemnati; & nihilominus dictus Ubertinus fuit tormentatus. Et dicebatur, quòd dictus Poteſtas illud fecit potiùs causâ habendi ad ſuam voluntatem unam ex filiabus dicti Ubertini, quæ pulcherrimæ erant, quàm alia cauſa rationabili. Item eo anno pondus caſei ad Paſcha venditum fuit XII. ſolidos Imperiales. Dominus Antonius de Bombetariis de Cremona pro primis ſex menſibus fuit Capitaneus Civitatis & Populi Parmæ, & Dominus Ugolinus de Savignano de Mutina pro ſecundis ſex menſibus.

In MCCLXXIV. Dominus Rolandus de Albrigonibus de Rhegio fuit Poteſtas Parmæ per unum annum. Et eodem anno partes de Bononia Eccleſiæ & Imperii de menſe Maji fuerunt prœliatæ ſimul in Civitate, ardendo & ſpoliando ſe invicem. Et dictus Poteſtas, & militia Civitatis Parmæ, cum certa quantitate Populi, & aliquot militibus de Cremona. & de Rhegio, & cum Mutinenſibus, iverunt uſque ad Rhenum in auxilium partis Eccleſiæ Bononienſis. Et factâ inter ipſos aliquâ concordiâ, quæ modicum duravit, Parmenſes & prædicti alii, ſani & ſalvi ad propria redierunt. Et ſtando per paucos dies, dicta pars Eccleſiæ Bononiæ iteratò convocavit amicos ſuos, ſcilicet Parmenſes, Regino., Mutinenſes, Ferrarienſes, & Florentinos; & ita die II. intrante Junio circa horam tertiam ambæ dictæ partes incœperunt ſimul ad invicem prœliari, & ſe offendere igne & ferro quantum poterant. Et tamdem pars Eccleſiæ, quæ dicebatur Zeremiarum obtinuit, & partem Imperii, quæ dicebatur Lambertatiorum, expulit de Civitate, & quoſdam Magnates utriuſque partis, quos in Palatio detinebant, liberaverunt, & relaxaverunt, ſcilicet illos de parte Eccleſiæ; illos verò de parte Imperii in carceribus poſuerunt. Et in dicto rumore Bononienſes Capitaneum eorum, quem ante habebant, licentiaverunt, & Dominum Rolandinum Putalium Civem Parmæ in ſuum Poteſtatem elegerunt. Qui Dominus Rolandinus Poteſtas cum Bononienſibus & aliis ſuis amicis obſedit Faventiam uſque ad Portas, in qua Civitate dicti Lambertatii ſe reduxerunt. Et etiam dicti Bononienſes expulerunt partem Imperatoris de Imola, & Imolam de ſuis munierunt. Item eo anno dictus Dominus Gregorius Papa X. de Placentia, convocatis omnibus Prælatis de toto Mundo Chriſtianorum, congregavit & celebravit Generale Concilium Lugduni. Et ibi in ipſo Concilio ordinatum fuit generale paſſagium ultra mare in ſubſidium Terræ-Sanctæ. Et quòd in dicti paſſagii auxilium omnes Eccleſiæ de Mundo ſolvere deberent decimam omnium reddituum ſuorum uſque ad ſex annos quolibet anno. Et fuit majus Concilium, quod numquam fuit. Et in eo fuerunt Græci ad accipiendum certa Sacramenta, & articula Fidei, in quibus errabant. Et fuit numerus dictorum foreſteriorum, qui fuerunt ad Concilium prædictum, CLX. millia. Et magna mortalitas ibi fuit, & obierunt ibi plures Cardinales, & multi Prælati, & alii ſinè numero. Et fuit ibi ordinatum, quòd nullus uſurarius ſtaret in ſua Civitate, de quo Concilium nihil ſcivit. Item eodem anno Ambaxatores Græcorum tranſierunt per Parmam causâ eundi ad dictum Concilium pro certis articulis Fidei, in quibus errabant. Item in dicto Concilio dictus Dominus Rodulfus electus Imperator per Dominum Papam approbatus & confirmatus fuit. Dominus Datus de Canzeleriis de Piſtorio fuit pro primis ſex menſibus Capitaneus Populi Parmæ. Dominus Rodolfinus de Galateſio de Ceſena pro ſecundis ſex menſibus dicti anni.

In MCCLXXV. Dominus Cleregatius de Monſelece de Padua fuit Poteſtas pro primis ſex menſibus. Et eo anno de menſe Februarii fuit nix magna & groſſa per duo brachia & circa. Item eodem anno die XIII. intrante Junio prœlium fuit apud Faventiam ad Pontem Sancti Proculi inter Bononienſes intrinſecos habentes ſecum certos milites de Parma, de Mutina, & de Rhegio, & de aliis ſuis amicis ex una parte, & Faventinos, & Comitem Guidonem de Monte-Feltro, & Bononienſes extrinſecos ex alia, in quo prœlio conflicti fuerunt Bononienſes intrinſeci cum ſuis, de quibus Bononienſibus fuerunt capti & mortui quaſi ter mille, & dimiſerunt vexillum Carrocii ſui. Et poſtquam erant capti & ligati, interficiebantur; & multa opprobria ibi ſuſtinuerunt. Item eodem tempore ſextarium frumenti valebat IV. ſolidos Imperiales. Dominus Oppezinus de Saxo-Ferrato pro primis ſex menſibus dicti anni fuit Capitaneus Populi Parmæ. Dominus Johannes de Peſcarolo de Cremona pro ſecundis ſex menſibus. Item eodem anno ſtrata de Porta Nova ab angulo Petri Montani uſque ad angulum de Bergonciis, ampliata fuit à latere de ſero dictæ ſtratæ. Dominus Conradus de Monte Magno de Piſtorio fuit Poteſtas Parmæ per ſex ultimos menſes poſt Sanctum Petrum. Item eo tempore die V. intrantis Decembris, præfatus Dominus Papa Gregorius X. redeundo à ſupradicto Concilio cum Cardinalibus & Prælatis pluribus, vênit Parmam, & hoſpitatus fuit ad Palatium Domini Epiſcopi Parmenſis, & ibi jacuit per unam noctem, & receſſit mane adveniente. Item eodem anno Civitas Parmæ in publica concione more ſolito congregato cum vexillis & banderiis Communis & viciniatum omnium Civitatis, juraverunt mandata dicti Domini Papæ, & dicti Domini Rodulfi electi Imperatoris, & fidelitatem Nuntiis.

In MCCLXXVI. Dominus Azo de Manfredis de Rhegio fuit Poteſtas Parmæ pro primis ſex menſibus ante Sanctum Petrum. Et ipſo tempore frumentum valebat IV. ſolidos Imperiales. Item eodem anno de menſe Januarii prædictus Dominus Gregorius Papa X. redeundo Rumam à ſupradicto Concilio, quum fuit in Civitate Aretii, infirmatus in pace obiit, & ibi ſepultus ad majorem Eccleſiam dictæ Civitatis Aretii. Et ibi Deus multa mirabilia oſtendit ex devotione, in illuminando cœcos, & infirmos curando. Item eodem anno & menſe Januarii, Cardinales elegerunt in Papam Magiſtrum Petrum Oſtienſem de Ordine Fratrum Prædicatorum, & nominatus fuit Dominus Innocentius Papa V. Item eodem anno Rolandinus Teſta, qui Curſus dicebatur, filius quondam Domini Guidonis Teſtæ, interfecit Anſelminum de Zeſſo ſub Porticu Sancti Vitalis, in modum aſſaſſini, qui fuit captus in Monaſterio Sancti Johannis apud Eccleſiam per famulos Poteſtatis. De quo certi Milites de Parma noluerunt fieri vindictam pro Communi; & Populus vice dicti Poteſtatis in Vigilia Sancti Bernabei fecit dicto Rolandino amputari caput in Platea Communis in arengo more ſolito. Et tunc Milites, qui nolebant, iverunt ad Villas ſuas. Item eodem anno in Vigilia Sancti Johannis Baptiſtæ prædictus Dominus Innocentius Papa V. obiit apud Romam. Item & in ipſa Vigilia circa auroram diei vênit in Civitatem Parmæ tam maxima inundatio

aquarum propter multitudinem pluviarum, quòd flumen Parmæ exivit de loco ſuo, & vénit per Civitatem, & maxime per Stratam Claudiam à Sancto Gervaſio uſque ad foveas de Sancta Cruce, ita quòd per ipſam ſtratam poterat navigari cum navibus. Et hoc ſimiliter vénit in Feſto Sancti Petri & Sancti Leonardi. Quod inauditum fuerat ab omnibus perſonis viventibus, tunc. Et per alias Vicinias & Burgos Civitatis tam magna vénit, quòd domus, viæ, & ſtratæ fuerunt plenæ in pluribus locis: & omnia alia flumina Epiſcopatus Parmæ creverunt & exierunt de lectis ſuis, ſuffocando lina, fœna, & blavas. Et homines aſcendebant arbores in Villis, & ſuper domos, ut evaderent, credentes ſe necari occaſione dictæ aquæ. Item eodem anno menſe Martii pax inter Placentinos intrinſecos & extrinſecos facta eſt. Item eodem anno pax inter Januenſes & Piſanos facta eſt inter intrinſecos & extrinſecos. Item eodem anno Dominus Gerardinus de Boſchettis de Mutina fuit Capitaneus Populi Parmæ per ſex primos menſes. Et eodem anno fuit magna mortalitas beſtiarum. Dominus Philippus de Taxignano de Luca fuit Poteſtas Parmæ per ſex ultimos menſes poſt Sanctum Petrum dicti anni. Item eodem anno die XI. intrantis Julii, Dominus Ottobonus de Fliſco Cardinalis fuit electus in Papam, & vocatus fuit Dominus Adrianus Papa V. & vixit in Pontificatu tantùm circa XXXV. dies, & obiit in civitate Viterbii. Et poſt paucos dies Dominus Petrus Spagnolus fuit electus in Papam, & fuit nominatus Dominus Johannes Papa XXI. Fuerunt illo anno quatuor Papæ. Dominus Ruſtichellus de Canzelleriis de Piſtorio eodem anno fuit Capitaneus Populi Parmenſis per ſex menſes ultimos poſt Sanctum Petrum. Et illo anno in Vigilia Sancti Andreæ vénit magna nix, quæ ſtetit ſuper terram uſque ad Kalendas Aprilis. Et homines non potuerunt ſeminare legumina; & blavæ ſeminatæ perierunt quaſi omnes. Et fuit magnum & longum hyems & gelu; & pecudes quaſi omnes mortuæ ſunt per Epiſcopatum Parmæ. Et illo Anno valebat ſtarium frumenti V. ſolidos Imperiales.

In MCCLXXVII. Dominus Maphæus de Mazis de Brixia fuit Poteſtas Parmæ per primos ſex menſes. Et illo Anno die XXI. Januarii fuit prœlium inter Mediolanenſes intrinſecos & extrinſecos apud Caſtrum, quod dicitur Decem, in Epiſcopatu Mediolani. Et pars extrinſeca, quæ vocabatur Capitanei & Vavaſſores, in dicto prœlio obtinuit, & pars intrinſecorum, quæ dicebatur Dominorum de la Turre, conflixit. Et dicti de parte extrinſeca venerunt, & intraverunt Mediolanum, & illos de la Turre quaſi omnes ceperunt, & multos occiderunt, & pauci per fugam evaſerunt, in quibus fuit mortuus Dominus Franciſcus de la Turre, & duo alii de la Turre. Capti verò fuerunt Dominus Napolionus, Dominus Carnovalis, Dominus Lombardus, Dominus Muſca, Dominus Rochus, & Dominus Guidetus, omnes de la Turre, qui omnes dicti fuerunt in carceribus à Cumanis in Caſtro Barelli. Dominus verò Caſſonus de la Turre cum duobus aliis aufugerunt Cremonam. Item eodem Anno incœpta fuit Doana Salis Communis Parmæ. Item eo Anno de menſibus Aprilis & Maii, Commune & Homines Papiæ obſederunt Caſtrum de Petra diſtrictus Papiæ, in quo Caſtro erant Milites & Militia Papiæ, qui tunc tenebant partem Eccleſiæ. Et in auxilium Communis Papiæ fuerunt Mediolanenſes cum Carrocio eorum, & Marchio Montis-Ferrati cum pluribus aliis Civitatibus. Et in auxilium dicti Caſtri & partis Eccleſiæ fuerunt Cremonenſes, Populus & Milites cum tota Militia Civitatis Parmæ, & aliquot Militibus de Rhegio, & de Mutina, & de Brixia, & ſteterunt in Civitate Placentiæ in auxilio dicti Caſtri, & exiſtentium in eo: tamen nihil fecerunt. Poſtea verò Mediolanenſes & alii, qui erant in abſedio, de dicto loco malo modo receſſerunt, & ipſum Caſtrum non habuerunt. Item eodem Anno fuit maxima caritudo blavæ, ita quòd ſextarium frumenti poſitum fuit ad decem ſolidos Imperiales, & ſextarium ſpeltæ V. ſolidos Imperiales. Et ſecretè per Epiſcopatum vendebatur XX. ſolidos Imperiales ſextarium frumenti. Et magna mortalitas hominum & fœminarum, & Militum fuit per Lombardiam & totam Italiam. Item eodem Anno fuit ampliata Strata Claudia de Porta Sanctæ Chriſtinæ versùs meridiem à Porticu Sanctæ Chriſtinæ uſque ad Porticum Sancti Vitalis rectâ lineâ. Item eodem Anno Dominus Conradinus de Savignano de Mutina fuit Capitaneus Populi Parmæ per ſex menſes ante Sanctum Petrum. Dominus Leonardus de Donatis de Cremona fuit Poteſtas Parmæ per ſex menſes poſt Sanctum Petrum. Et illo Anno fuit paucum bladum per totam Lombardiam, ita quòd ſtarium frumenti vendebatur XII. ſolidos Imperiales, & ſtarium ſpeltæ VI. ſolidos Imperiales. Et fuit magna mortalitas per totam Lombardiam. Item eodem Anno Domini Cardinales, qui erant tantùm VII. quum ſe concordare non poſſent circa electionem Domini Papæ futuri, & fuerant diſcordes per ſex menſes, & plus, in Civitate Viterbii, fuerunt recluſi in Palatio Communis Viterbii, ut ipſam electionem facerent, & detenti propterea fuerunt per dictum Commune Viterbii. Item eodem Anno poſt Sanctum Michaelem fuit magna abundantia aquarum, ita quòd propterea nullo modo potuit ſeminari; unde multæ terræ remanſerunt ad ſeminandum, & melicæ non potuerunt colligi nec ſiccari. Item eo Anno quidam banniti & maleſactores Civitatis Parmæ & Cremonæ intraverunt Guaſtallam, ut expoliarent partem Eccleſiæ; & prœliando ibi cum illis de dicta parte, Pegorarii de Caſtro Gualterio cum hominibus de contrata velociter cucurrerunt, & dictos maleſactores pro majori parte ceperunt, qui requiſiti à Commune Cremonæ, dati fuerunt ipſi Communi, ut punirentur omnes, excepto uno, qui interfecerat Alexandrinum Nauli Civem Parmæ, qui ductus fuit Parmam, ubi dicta occaſione ad inſtantiam filiorum quondam dicti Domini Alexandrini ſuſpenſus fuit per gulam. Et tunc Pino de Gente, ſive Pinonus tamquam proditor, bannitus fuit per Commune Parmæ, & omnia ſua bona intus & extra devaſtata fuerunt. Item eo Anno, die XV. intrante Novembri, pax fuit facta inter Militiam Papiæ, quæ erat extra Papiam, & Commune Cremonæ, & Homines de Alexandria ex una parte, & Commune Papiæ, & Marchionem Montisferrati ex alia: & carcerati fuerunt relaxati. Item eodem Anno de menſe Novembri Poteſtas Parmæ cum tota militia Parmæ & cum certa quantitate militum de Rhegio & de Mutina, in ſervitium Bononienſium iverunt Imolam, & ibi ſteterunt per XXXIII dies. Et tunc pars Eccleſiæ de Forlivio exivit Civitate, & intravit Caſtra ſua contra Commune Forlivii. Item eodem Anno Commune Parmæ miſit Sarzanam ad ducendum frumentum emtum per Com-

Commune in Apulia. Item eodem Anno die Jovis VI. intrante Novembri, Dominus Johannes Gaytanus Cardinalis de Urſinis de Roma fuit electus in Summum Pontificem, & vocatus fuit Dominus Nicolaus Papa IV. Item eodem Anno Dominus Gerardus Blancus Civis Parmæ, & tunc Canonicus Parmenſis, fuit factus Cardinalis Romæ ad titulum Baſilicæ XII. Apoſtolorum Presbyter Cardinalis vocatus. Item eodem Anno ſextarium frumenti valebat XI. ſol. Imper. Item eodem Anno D. Caſſonus de la Turre cum aliis de la Turre intraverunt in Civitatem Laudi de menſe Junii. Et tunc Mediolanenſes cum Carrocio eorum & Papienſes per Commune cum Carrocio eorum cum ſuis ſequacibus venerunt ad offendendum Laudum, & in abſedio ſe poſuerunt. Et tunc Dominus Patriarcha Aquilejenſis, qui erat de Domo illorum de la Turre, cum multis militibus Furlanis, & aliis baleſtreriis, & Militia de Parma, & de Cremona, & de Rhegio, & de Mutina, iverunt Laudum in ſervitium illorum de la Turre. Et ſic Mediolanenſes cum ſuis receſſerunt, & Parmenſes cum ſuis ſani & ſalvi ad propria ſunt reverſi. Item eodem Anno Dominus Merollus de Valoſneria, Franciſcus Cavaturta, & alii carcerati, qui erant in Camuſina Communis, effugerunt de carceribus. Et factum fuit à cuſtodibus per denarios: qua de cauſa ſecuritates eorum cuſtodum, qui erant XX. pro Communi Parmæ, banniti fuerunt & condemnati.

In MCCLXXVIII. Dominus Nicolaus de Brocha de Luca fuit Capitaneus Populi Parmæ ante Sanctum Petrum. Item eodem Anno & milleſimo ordinatum fuit per Commune Parmæ, quòd Pons de Galeria, & Pons Dominæ Ægidiæ ſuper flumen Parmæ, qui erant, & per tempus præteritum extiterant de aſſidibus, fierent de lapidibus & quadrellis, & duæ moræ in utroque Ponte deberent fieri quolibet Anno, quouſque eſſent completi ambo. Et ſic duæ moræ in utroque Ponte dicto Anno & milleſimo factæ fuerunt. Dominus Azo de Burgo de Cremona fuit Poteſtas Parmæ per ſex menſes poſt Sanctum Petrum. Et eo Anno de menſe Auguſti Dominus Marchio Montisferrati, & Mediolanenſes cum toto ſuo poſſe venerunt ad guaſtandum Laudum. Et tunc Militia Parmæ cum certa quantitate peditum, & cum certa quantitate Reginorum & Mutinenſium, & Cremonenſium, univerſi incœperunt ire versùs Laudum, & prædicti receſſerunt de guaſto. Item eodem Anno Dominus Poteſtas cum banderiis & vexillis levatis & tubis cum Populo univerſo, armata manu furore maximo, cucurrerunt Pratoſellum ad domos illorum de Zeſſo, quas domos cum omnibus rebus in eis exiſtentibus combuſſerunt, & deſtruxerunt in totum. Et hoc fuit occaſione mortis Franciſci de Catena per eos factæ, & ferutæ in Dominum Gerardum de Boſſeto. Item eodem Anno valebat frumentum VI. ſol. Imper.

In MCCLXXIX. Dominus Jacobus Vanutii de Aſſiſio fuit Poteſtas Parmæ ante Sanctum Petrum. Et in illo Anno non vênit nix in terra niſi ſemel in Quadrageſima, quæ tantùm duravit per unam diem. Et non fuit gelu in ipſo hyeme. Et illo Anno fuit maxima abundantia blavæ. Item eodem Anno quidam bonus homo de Cremona, nomine Albertus, qui fuerat portator vini, ſive Leoniſer, obiit Cremonæ, & ad ſepulturam ipſius apparuerunt magna mirabilia, ut dictum fuit. Quapropter maxima multitudo perſonarum ad hoc Cremonam iverunt. Et certi Brentatores de Parma, qui Cremonam iverunt propterea, quum fuerunt Parmæ, fecerunt depingi figuram ejus ad troſinam Eccleſiæ Sancti Petri in Platea Communis Parmæ. Ad quam figuram magna miracula dicta ſunt fieri ad curandum infirmos. Et tota Civitas, Clerus, & Populus illuc iverunt. Et travachæ, & pavioni erant in Platea Communis, ubi jacebant infirmi, & ibi omni die Miſſa celebrabatur. Et hæc miracula inter alia fuerunt, quia omnes Meſterii de Parma à majore uſque ad minorem iverunt ad dictam figuram cum palliis, & canellis; & oblationes maximæ per eos ibi factæ fuerunt, quæ bene valuerunt CCC. Libras Imperialium & ultra. Ex quibus emtæ fuerunt domus illorum de Malabranchis in Vicinia Sancti Stephani in Strata Claudia per Commune Parmæ, & Meſteria, & in ipſis ædificatum fuit Hoſpitale unum, quod fuit vocatum Hoſpitale Fratris Alberti, perpetuò ad honorem Dei duraturum ad ſubſidium pauperum, & pietatis, & hoſpitalitatis opera faciendum. Dominus Guielmus Graſſonus de Mutina fuit eo Anno Capitaneus Populi Parmæ per ſex menſes ante Sanctum Petrum. Et eo Anno valuit frumentum V. ſolidos Imperiales. Dominus Bertolinus de Madiis de Brixia fuit Capitaneus Populi Parmæ eodem Anno per ſex menſes poſt Sanctum Petrum. Dominus Jacobus de Rodelia de Rhegio fuit Poteſtas Parmæ eodem Anno per ſex menſes poſt Sanctum Petrum. Item eodem Anno Dominus Marchio Montisferrati, & Mediolanenſes cum toto ſuo poſſe equitaverunt apud flumen Addæ, volentes dictum flumen trahere de lecto, ne veniret Laudum. Et hoc fuit de menſibus Julii & Auguſti. Et prædictus Poteſtas Parmæ ivit cum tota militia, & certa quantitate peditum & equitum in ſervitio illorum de Laudo & illorum de la Turre, qui ibi erant cum Cremonenſibus. Et tunc quum Poteſtas cum Militia Parmæ fuit Laudæ, dictus Dominus Marchio cum ſuo exercitu, cavamento dimiſſo, non bono modo receſſit. Et tunc dictus Dominus Poteſtas cum Militia in civitate Laudi, & duo millia peditum de Parma in Terra de Pizo Guitoni diſtrictus Cremonæ fecerunt Feſtum Beatæ Mariæ de Auguſto. Et tunc ipſo tempore Dominus Gerardus Blancus de Parma Cardinalis Romanus vênit Parmam, & ibi dictum feſtum fecit. Item eodem Anno, die XIII. exeunte Octobri, quum per ſententiam datam à Domino Inquiſitore hæreticæ pravitatis quædam mulier nomine Todeſcha, uxor Ubertini Blancardi Albergatoris, de Vicinia Sancti Jacobi de Capite Pontis combureretur in glarea Communis extra Portam Capellinam, tamquam hæretica, quæ fuerat, pediſſequa quondam Dominæ Olivæ de Fredulfis, quæ ſimul peccato Hæreſiæ combuſta extiterat; quidam mali homines inſtinctu diabolico inſtigati cucurrerunt ad domum Fratrum Prædicatorum, & ipſos per fortiam intraverunt, & expoliaverunt, & multos ex Fratribus percuſſerunt, & vulneraverunt, & quemdam nomine Fratrem Jacobum de Ferrariis interfecerunt, qui erat homo annoſus & virgo, ut dicebatur, & qui non videbat, & qui ſteterat in Ordine per XL. Annos & plus. Et prædicta prohiberi non potuerunt per bonos homines. Qua de cauſa omnes Fratres mane adveniente cum Cruce levata receſſerunt, & Civitatem exeuntes iverunt Florentiam ad Dominum Fratrem Latinum Cardinalem, & tunc Legatum Eccleſiæ in Lombardia, & qui erat ejuſdem Ordinis, ad ſe conquerendum de prædicto acceſſu. Poſt quos Fratres Poteſtas, Capitaneus,

An-

Antiani, & Canonici Parmenſis Eccleſiæ, & multi alii boni homines iverunt continuò uſque Rhegium, & de Rhegio Mutinam, & de Mutina Bononiam, ſemper inſtantes & ſupplicantes eiſdem Fratribus, quòd placeret eis redire Parmam, & promittentes eis reficere domos & omnia damna reſtituere ad eorum libitum, & eorum nudo verbo credendo. Qui Fratres omnino recuſaverunt. Sed protinus iverunt Florentiam ad dictum Dominum Legatum, ad accuſandum Commune Parmæ de prædictis, quod Commune nullam certè culpam habebat. Per Commune facta verò inquiſitione de prædictis malefactoribus, multi banniti & condemnati fuerunt, & quidam carcerati, & uni amputata fuit manus propter falſum teſtimonium, quod in prædictis reddiderat. Et etiam domus omnes dictorum Fratrum integraliter per Commune Parmæ fuerunt reſtitutæ abſque aliqua requiſitione. Dictus verò Legatus citari fecit Poteſtatem, Capitaneum, Antianos, & Conſilium cum XII. ex melioribus Civitatis, & uno Syndico Legiſperito cum pleno mandato, ut coram eo in Civitate Florentiæ comparerent ad certum terminum. Et tunc Dominus Bertolinus de Madiis de Brixia, qui tunc erat Capitaneus Populi Parmenſis cum VI. Ambaxiatoribus & uno Syndico vere non habente plenum mandatum, & cum uno Notario iverunt Florentiam ad dictum Dominum Legatum ad excuſandum Commune Parmæ. Qui Dominus Legatus nolens admittere excuſationem eorum & Communis Parmæ, licentiavit eos, & poſtea excommunicavit & interdixit totam Civitatem, & Conſiliarios excommunicavit; quæ die Lunæ XIV. intrante Decembri in Civitate Parmæ denuntiata fuerunt. Et poſtea per Commune Parmæ quatuor Ambaxiatores miſſi fuerunt ad Dominum Papam pro dicta excuſatione facienda. Qui habitâ audientiâ pro Communi Parmæ nihil lucrati fuerunt, niſi quòd Auditor eis datus fuit, qui Commune Parmæ de jure audire deberet. Et eo Anno valuit ſtarium frumenti VIII. ſolidos Imperiales. Item eodem Anno Pax de Bononia inter Lambertatios & Zernulios facta fuit; & die Jovis III. intrante Septembri, Lambertatii redierunt Bononiam propter ipſam partem. Item eodem Anno die Jovis XIII. exeunte Decembri fuit principium cujuſdam diſcordiæ inter Beccarios de Bononia. Et die Veneris ſequenti in hora Nonæ Lambertatii cucurrerunt ad arma, & ad rumorem in Platea Communis pedeſtres, & equeſtres, & cum baleſtrariis percutiendo & interficiendo omnes de parte Zernuliorum, quos inveniebant. Et etiam ceperunt unam domum illorum de Lambertinis, & ipſam combuſſerunt. Et incontinenti Zernulii, qui de parte Eccleſiæ dicebantur, congregaverunt ſe ſimul & cucurrerunt ad arma pedeſtres & equeſtres, & prœlium fecerunt contra Lambertatios, & de utraque parte multi mortui & vulnerati fuerunt. Tunc verò Lambertatii fuerunt expulſi per Zernulios de Civitate Bononiæ, & domus eorum combuſtæ & devaſtatæ fuerunt, & robatæ per Zernulios. Et ea de cauſa Parmenſes, Rhegini, & Mutinenſes iverunt in auxilium dictorum Zernuliorum ſecundò, quod de ſua extitit voluntate. Item eodem Anno cuilibet ex Pontibus de Galeria, & Dominæ Giliæ facta fuit una mora, ſeu pila per Commune Parmæ. Item eodem Anno dictus Dominus Poteſtas cum Capitaneo Populi, & cum Capitaneo Societatum, & Antiani Meſteriorum, & Populo univerſo, cum banderiis levatis & tubis cucurrerunt ad domos illorum de Putaleis, & ipſas diruerunt & deſtruxerunt in totum; & hoc occaſione mortis Peterzoli Reſtani Calzolarii de Vicinia Sancti Quintini, quem unus de Putaleis interfecerat. Et tunc Statuta Populi in ſuum favorem contra Nobiles & Potentes offendentes illos de Societate incœperunt fieri, & ſervari.

In MCCLXXX. Dominus Oddo de Oddis de Peruſia fuit Poteſtas Parmæ per ſex primos menſes ante Sanctum Petrum. Dominus Jacobus Buticella de Papia fuit Capitaneus Populi Parmæ dicto tempore. Item eodem Anno Caſtrum dictum de Cruce de Caſadei incœptum fuit fieri per Commune Parmæ. Et una Porta versùs Rhegium facta fuit, & elevata, & alia versùs Parmam fuit fundata & elevata ſuper terram; & magna privilegia & immunitates per Commune Parmæ facta fuerunt volentibus habitare ad dictum Caſtrum, quæ depicta & ſcripta fuerant in Palatio Communis. Dominus Manfredinus de Saxolo de Mutina fuit Poteſtas Parmæ eodem Anno per ſex ultimos menſes poſt Sanctum Petrum. Item eodem Anno Dominus Johannes Gaitanus Papa nominatus Dominus Nicolaus Papa IV. obiit non bono modo finè pœnitentia, ut dicebatur, & ſepultus fuit in Caſtro Smiriani Epiſcopatus Viterbii in fino menſis Auguſti. Item eodem Anno & tempore Bononienſes amiſerunt Faventiam, quam tenebant. Et Milites de Parma, qui ibant in auxilium dictorum B.nonienſium, fecerunt feſtum Natalis Domini in Civitate Mutinæ. Item eodem tempore flumen Pa.i taliter crevit propter multitudinem pluviarum & aliorum fluminum, quòd exivit de lecto, & deſtruxit aggeres à latere Cremonæ, ita quòd cooperuit terras ab utraque parte aqua, ita quòd homines in domibus ſtare non poterant, ſed fugiebant ad ſtandum ſuper domos & arbores. Et magna pars pullorum & beſtiarum perierunt fame, & ſe necaverunt. Et fuit flumen Padi uſque ad Pizum Epiſcopatus Parmæ, & ſtetit per multos dies antequam diſcederet. Item eodem Anno fuit tanta abundantia vini, quòd vix poterat gubernari; & multæ vineæ dabantur ad vindemiandum ad medium, & menſura vini dabatur per octo Imperiales, & melius vinum dabatur pro XII. Imperialibus: menſura & ſtarium frumenti valebat XXX. Imperiales. Item eodem Anno, die X. menſis Novembris, Dominus Thebaldellus de Acariſiis de Faventia dedit & tradidit civitatem Faventiæ Bononienſibus & illis de Imola, & Ravenna, & de Bagnacavallo. Qui Bononienſes, & prædicti alii partis Eccleſiæ intraverunt, & recuperaverunt civitatem Faventiæ, & expulerunt partem Imperii de eadem civitate, & tenuerunt eam poſtea pro parte Eccleſiæ. Et ea de cauſa Poteſtas Parmæ, & de Rhegio, & Poteſtas de Mutina, cum tota eorum militia equitaverunt in ſervitium dictorum Bononienſium, & fuerunt uſque Imolam, & ſteterunt ibi per plures dies. Item eodem Anno flumen Taronis ita crevit in feſto Sancti Martini, quòd exivit de lecto, & intravit terras ab utraque parte fluminis, & magnum damnum ultra modum in domibus & terris illius contratæ intulit. Item eodem Anno Dominus Poteſtas cum banderiis & vexillis & cum univerſo Populo cucurrit ad domum Dominorum de Rubeis o.caſione mortis Gerardi de Marzolaria, & domos maleficorum funditus diruerunt. Dominus Gerardus de Bojardis civis Rhegii fuit Capitaneus Populi Parmæ. Eodem tempore & eodem Anno factæ fuerunt duæ moræ ad Pontem de Galeria, & una ad Po.tem Dominæ

Gi-

Giliæ per Commune Parmæ. Et eodem tempore valebat ſtarium frumenti XXX. Imperiales.

In MCCLXXXI. Dominus Anſelmus de Rodengo de Brixia fuit Poteſtas Parmæ per ſex menſes ante Sanctum Petrum. Dominus Porexius de Adimaris de Florentia fuit Capitaneus Populi Parmæ per ſex menſes primos ejuſdem Anni. Item eodem Anno Dominus Simon de Turſia de Francia, qui erat Cardinalis ad titulum Sanctæ Cæciliæ, fuit electus in Summum Pontificem, & fuit nominatus Dominus Martinus Papa IV. Item eodem Anno, die XXV. Maji, Domini de la Turre cum ſuis fuerunt ſconfićti per Mediolanenſes intrinſecos. In quo conflictu flagellus fuit valde magnus & incredibilis, & mortui plures D. Et ibi mortui fuerunt Dominus Caſſonus de la Turre, & Dominus Sturza de la Porta de Parma, qui tunc erat Poteſtas Laudi. Item eodem Anno fuit inceptum Palatium novum Communis ante Eccleſiam Sancti Vitalis, & Carcer, dictus Debitorum, factus ſub ipſo Palatio, & ſtationes ſub eodem à latere Plateæ; & arma dictorum Dominorum Poteſtatis & Capitanei, & Societatis depicta ibi fuerunt. Item eodem Anno ampliata fuit ſtrata Communis à plateis uſque ad Sanctum Paulum versùs ſerò. Item eodem Anno factæ fuerunt fornaces plures per Commune Parmæ, & in quolibet Plebatu Epiſcopatus facta fuit una ex parte illorum de Plebatu. Item eodem Anno fuerunt poſiti ad Portam Sanctæ Mariæ Majoris Eccleſiæ Parmenſis duo leones lapidei marmorei, quorum unus eſt albus, & alter rubeus, ad honorem Beatæ Virginis, & decorem ipſius Eccleſiæ. Et tunc ſtarium frumenti valebat IX. Imperiales. Dominus Guidottinus de Bonghis de Pergamo fuit Poteſtas Parmæ eodem Anno poſt Sanctum Petrum per ultimos menſes. Dominus Guidochorius de Galutiis de Bononia fuit Capitaneus Populi per ſex menſes incipiendo ad Auguſtum. Item eodem tempore & Anno fuit carum tempus, ita quòd ſextarium frumenti vendebatur VI. ſolidos Imperiales, & ſtarium ſpeltæ II. ſolidos Imperiales. Et tunc fuit ordinatum per Commune Parmæ quòd Datium ſolveretur ducentibus blavam de alieno Epiſcopatu, XVI. Imperiales de ſtario frumenti, & VIII. Imperiales de ſtario cujuslibet alterius bladi. Et ob hoc ſtabant Notarii pro Communi in Comarchis, qui faciebant publica inſtrumenta de dicto blado conducto de alieno Epiſcopatu. Et etiam fuit ordinatum, quòd quilibet habens valimentum CCC. Librarum, mutuaret Communi XX. ſolidos Imperiales pro dicto Datio ſolvendo, & ut melius bladum haberent pro ſubſidio Populi Parmæ. Item eodem Anno & menſe Auguſti factum fuit in civitate Parmæ & in Palatio Communis Parmenſis generale Parlamentum omnium Civitatum, & Communium partis Eccleſiæ de Lombardia, in quo firmatum fuit de dando ſuccurſum militum omnium peditum Civitati Laudi, quoties caſus contingeret. Item eodem Anno Dominus Marchio Montisferrati vénit de Hiſpania cum D. militibus, & L. baleſtratiis ad equum, & totidem peditibus. Et facto dicto Parlamento, vênit cum amicis ſuis in abſedio Civitatis Laudi, & cum eo Mediolanenſes cum Carrocio ſuo, & Vercellenſes, Novarienſes, Terdonenſes, & Alexandrini. Similiter Papienſes cum ſuo Carrocio venerunt ſed non exiverunt ſuum territorium, ſtando ſemper ad Sanctam Chriſtinam. Item eodem anno, die Sabbati, VI intrante Septembri Cremonenſes & Parmenſes reddiderunt ſibi invicem Carrocia eorum, quæ ſibi tenebant. Et quodlibet Commune aptavit illud, quod habebat de novo. Et Cremonenſes duxerunt Carrocium Parmenſe uſque ad foſſatum Parmenſium, & Parmenſes duxerunt Carrocium Cremonenſium uſque ad dictum locum, & ibi cum maximo gaudio reddiderunt ſibi invicem dicta Carrocia. Manè verò Dominus Epiſcopus Parmenſis cum univerſo Clero cum vexillis ivit, & cum magno gaudio iverunt obviam Carrocio Parmenſi, quod vocabatur *Regolium* Parmæ, & ipſum duxerunt in Eccleſia Majori Sanctæ Mariæ Parmenſis. Carrocium verò Cremonenſium vocabatur *Gajardus*. Quod Carrocium Cremonenſium Parmenſes habuerunt in captione Victoriæ, & Cremonenſes habuerunt illud Parmenſium die Jovis mala. Et hoc totum factum fuit, quia Parmenſes ibant quotidie, & ire debebant ad præſens, Cremonam in auxilium Cremonenſium & Laudenſium, ne ibi recordarentur de aliqua retroacta injuria, propter quam poſſet ceſſari ſibi invicem dare auxilium, maximè in partem Eccleſiæ. Die verò Martis ſequenti Dominus Epiſcopus, Dominus Poteſtas, & Dominus Capitaneu prædicti cum Militibus & Populo univerſo cum tubis & vexillis omnium Viciniarum & campanis omnibus Civitatis pulſatis, exerſerunt dictum Carrocium de Eccleſia majori in Plateam ipſius Eccleſiæ cum magno gaudio & magnis arengariis, cauſâ eundi & ducendi ipſum Cremonam in ſubſidium Cremonenſium & Laudenſium, ſecundùm quod jam ordinatum erat. Et tunc quum eſſet totum blancum, depicta fuit in eo Beata Virgo Maria cum aliis figuris.

Item eodem anno & menſe Commune Parmæ generaliter, Milites, & Populus univerſaliter iverunt Cremonam in exercitum in auxilium Cremonenſium & Laudenſium. Et Cremonenſes jam exiverant, & caſtrametati erant ad Pizum Guitonum eorum diſtrictus. Parmenſes verò poſt eos euntes, caſtrametati fuerunt in ripa Addæ in Terra, quæ dicitur Crota, per unum milliare vel circa apud Pizum Guitonum. Et fuerunt ibi in dicto exercitu C. Milites de Rhegio, & C. Milites de Mutina, & L. Milites Domini Marchionis Eſtenſis, & CD. pedites de Mutina venerunt Cremonam, & ibi ſteterunt, exſpectantes, quòd Carrocium Parmenſe illuc duceretur. Die autem Veneris ſequenti Marchio Montisferrati & Mediolanenſes cum ſuis venerunt uſque ad terras Laudi ad guaſtandum, ſed nihil lucrati fuerunt, immo magnum damnum receperunt perſonarum & equorum; & facto guaſto receſſerunt ad propria. Et alia die adveniente Parmenſes & Cremonenſes cum ſuis amicis ſani & ſalvi ad propria redierunt. Item eodem anno Civitas Forlivii circumquaque fuit guaſtata per Milites Eccleſiæ & Domini Regis Caroli, & Bononienſes & ſuos amicos, & circumquaque combuſta & deſtructa. Et nullus de Forlivio exire auſus fuit, & facto guaſto prædicti ſani & ſalvi ad propria ſunt reverſi. Item eodem anno completum fuit Palatium novum Communis Parmæ, quod eſt ante Eccleſiam Sancti Vitalis, de muris, & exterius depicta arma Poteſtatis, Capitanei, & Populi. Item eodem anno Dominus Boxius de Dovaria de Cremona intravit Cremam cum CCCC. militibus, & CCCC. peditibus, & incœpit guerram cum Cremonenſibus. Et hoc fuit circa medium menſem Decembris. Et tunc Poteſtas Parmæ cum tota militia, & militia Placentiæ & Brixiæ venerunt Cremonam & munierunt Epiſcopatum Cremonenſem & Caſtra ſua. Item eodem Anno ſex-

ſextarium frumenti valebat VI. & VII. ſolidos Imperiales ad Nativitatem Domini. Et fuit tempus in principio hyemis valde humidum cum pluviis multis. Deinde fuit intenſum frigus cum multis nivibus. Item eodem tempore & Anno Dominus Papa excommunicavit Civitatem Forlivii; & omnes Fratres Religioſi, & Clerici de præcepto Domini Papæ exierunt Forlivio cum omnibus amicis ſuis, excommunicando eos majori excommunicatione. Et præceptum fuit per dictum Papam ſub ſimili excommunicatione, quòd ſi aliquis haberet aliquod depoſitum ab aliquo de Forlivio, quòd illud revelaret Nuntiis Domini Papæ, alioquin ſolveret de ſuo proprio, & aliter non abſolveretur in morte vel in vita. Et ob hoc aſſignati fuerunt Nuntiis Domini Papæ plures tribus millibus Librarum Imperialium. Et tunc per milites & alios, qui ibi erant pro Eccleſia Romana, ter omni ſeptimana guaſtum fiebat circumquaque Forlivium. Et erant ibi pro ipſa Eccleſia mille guaſtatores cum ſecuribus & manariis. Et multa alia damna tam ſpiritualiter, quàm temporaliter per ipſam Eccleſiam facta fuerunt contra Civitatem Forlivii. Et quum Ambaſciatores Forlivii iviſſent ad Curiam Romanam, & plenum non haberent mandatum, ſubitò inſalutato hoſpite de ipſa Curia receſſerunt.

In MCCLXXXII. Dominus Ludovicus Comes de Sancto Boniſacio de Verona, qui erat de extrinſecis Veronæ, fuit Poteſtas Parmæ per primos ſex menſes dicti Anni ad Annum novum. Item Dominus Johannes de Bonvicinis de Taculis de Rhegio fuit Capitaneus Populi Parmæ per ſex primos menſes dicti Anni, incipiendo à Februario. Item eodem Anno & tempore Palatium novum Communis, quod eſt ante Eccleſiam Sancti Vitalis, intus fuit completum de ſedibus & banchis, & fuit depictum intus per totum. Et tunc Poteſtas, & Capitaneus, Antiani, & Primicerius, & alii incœperunt ſe congregare in dicto Palatio pro negotiis Communis. Item eodem Anno Laudenſes & Mediolanenſes compoſuerunt ſe ſimul, & concordiam inter ſe fecerunt tali pacto, quòd non debebant retinere bannitos unum Commune alterius ipſorum. Sed Laudenſes non ſe ob hoc mutaverunt eſſe de parte Eccleſiæ, & ſe inter eos deſendere non debebant. Item eodem Anno quidam Placentini de parte Imperii intraverunt Petram Scarmonam districtus Placentiæ, & aſcendentes fuerunt quidam de Uluardis & de Granellis. Et tunc Placentini unà cum Parmenſibus obſederunt eos incontinenti, qui infra paucos dies venerunt ad præcepta Communis Placentiæ, & ſic compoſitio inter eos fuit. Item eodem Anno factum fuit Parlamentum in civitate Cremonæ, in quo fuerunt Placentini, Parmenſes, Rhegini, Mutinenſes, Bononienſes, Ferrarienſes, & Brixienſes. Et inter eos ordinatum fuit, quòd talia Militum eorum continuò ſtaret Cremonæ. Et ſic adimpletum fuit & ordinatum, quòd Ambaxatores ipſarum civitatum irent ad Curiam Romanam. Item eodem anno fuit intenſum frigus cum multis nivibus. Item eo anno frumentum venditum fuit ſtarium VIII. ſolidos Imperiales, & ſpeltæ V. ſolidos, melicæ VI. fabæ VIII. & cicerum IX. ſolidos Imperiales. Et tunc ampliatum fuit Datium pro Communi blavæ foreſteriæ, ita quòd pro quolibet ſtario frumenti dabantur XX. denarii Imperiales, & pro quolibet ſtario alterius bladi X. Imperiales, & pro quolibet ſtario panis VIII. Imperiales. Propter quod magna quantitas bladi & panis vênit Parmam, & mercatores habebant in Platea Communis domos de ſtoriis pro blado tenendo; & pro Communi mille Libræ datæ fuerunt in blava foreſteria. Et mercatores Communis undique iverunt pro blava acquirenda. Et una magna domus de ſtoriis ibi in Platea facta fuit pro blava Communis reponenda. Et Commune Bononiæ cum Ambaſciatoribus Communis Parmæ volebant cum Parmenſibus dividere panem & vinum, quod habebant rorum in Mundo. Item eodem Anno Dominus Boxius de Dovaria de extrinſecis Cremonæ intravit caſtrum Soncini Epiſcopatus Cremonæ. Quo audito à Parmenſibus incontinenti Dominus Poteſtas cum omnibus militibus de Parma equitavit Cremonam die I. Februarii, & miſſum fuit pro Rheginis, Mutinenſibus, & Bononienſibus, qui omnes incontinenti ſine mora ſequuti fuerunt Parmenſes Cremonam. Similiter Placentini & Brixienſes omnes ſimul cum Cremonenſibus equitaverunt versùs partes illas, loca & caſtra pro Communi Cremonæ muniendo. Item eo Anno poſt prædicta per tres dies, ſcilicet VIII. die Februarii, dictum fuit, caſtrum Riminenghi districtus Cremonæ voluit ſe contraire Cremonenſibus, & recalcitravit. Item eodem tempore Ambaxatores omnium dictarum civitatum partis Eccleſiæ ſecundùm quod ordinatum fuerat in dicto Parlamento iverunt ad Dominum Papam. Item eo tempore propter cariſtiam temporis, ſecundùm quod ordinatum extitit per Concilia generalia Communis, quilibet potens accommodavit Communi pro blava emenda ſecundùm quod volebant. Et proviſiones fiebant in Conſilio: & Syndicus Communis promittebat eis reddere quod præſtabant; & ad hoc habitæ fuerunt CCC. Libræ Imperialium. Et Dominus Epiſcopus Parmenſis cum univerſitate Clericorum donavit Communi C. Libras Imperialium. Et Dominus Ugo Rubeus Præpoſitus, & Dominus Brancaleo de Fliſco Archidiaconus Parmenſis Eccleſiæ accommodaverunt in omnibus C. Libras Imperialium Communi dicta de cauſa. Item eo Anno die Jovis facta dictus Dominus Poteſtas armata manu cum banderiis levatis, & cum Capitaneo Societatum, & Anziani Meſteriorum & Populi, cucurrit ad domum illorum de la Senaza, propter percuſſionem illatam per Gerardinum de la Senaza in Bonaventuram filium quondam Domini Butioni Baruffi, & ipſam domum funditus diruerunt. Item eo Anno Commune Parmæ miſit Mutinam C. pedites de certis militibus, occaſione mortis unius illorum de Savignano factæ in eum per unum de Guidotis. Et quia Milites de Mutina non trahebant ad Commune, ſed ad partes, poſt paucos dies Commune Parmæ miſit Mutinam alios C. pedites, cum XV. Ambaxatoribus, ad tres equos quilibet. Et tunc Poteſtas Mutinæ vigore prædictorum de Parma fecit decapitari illum de Guidotis, qui de prædictis inculpabatur, in Platea Communis Mutinæ, & multas & magnas condemnationes fecit in quoſdam alios, & duas Turres dirui fecit uſque ad fundamentum, & Milites omnes de Mutina confinavit ad Villas ſuas. Et Populus fremens fuit cum Poteſtate, & domus plures diruptæ, & multi alii banniti fuerunt ex utraque parte. Et hoc fuit initium mali ſtatus civitatis ejuſdem, & diminutio partis Eccleſiæ.

Item eo tempore & anno, VIII. menſis Aprilis, caſtrum Monteſerii fuit furtivè quaſi ablatum à quibuſdam de parte Imperii una mane de voluntate & conſenſu Domini Pinamontis Poteſtatis Mantuæ, & habuerunt omnes pontes & bar-

barbacanum, & totum caſtrum, exceptâ Rochâ. Et audito ab eis, quòd Parmenſes ibant ad eos, & quòd jam tranſierant Padum cum omnibus de Riveria, & de partibus illis, citò effugerunt; & duo ex eis fuerunt capti, quorum unus decapitatus fuit Cremonæ & alter ſuſpenſus, & duo alii in aqua necati ſunt, & qui dictum caſtrum intraverant, fuerunt numero LX. Item eo anno ampliata fuit Platea Communis a parte de ſubtus uſque ad domum quondam Domini Prandonis Rubei, & à Via Nova Beccariorum, uſque ad Viazolam de Ruffinis; & omnes domus tenentes caput ad Plateam pro Communi æſtimatæ fuerunt, ut pro Communi emerentur. Item eo Anno Cremonenſes cum Parmenſibus & aliis ſuis ſequacibus iverunt ad guaſtum faciendum ad caſtrum Soncini, in quo erat Dominus Boxius de Dovaria cum bannitis & inimicis partis Eccleſiæ, & ad caſtrum Riminenghi. Dominus Mathæus de Corrigia, & Dominus Andreas de Morano Legum Doctor eodem anno fuerunt miſſi pro Ambaxatoribus Communis Parmæ ad Curiam Romanam, ad Dominum Papam ad impetrandum gratiam excommunicationis & interdicti, in qua erat Commune Parmæ pro Fratribus Prædicatoribus. Et ita gratiâ Dei, & eorum ſenſu, & auxilio Domini Gerardi Blanchi de Parma Cardinalis, civitas Parmæ, Commune, & Conſiliarii omnes abſoluti fuerunt ab ipſa excommunicatione. Et Dominus Opizo Dei gratiâ tunc Epiſcopus primum ex commiſſione ſibi facta à Sede Apoſtolica, prædictos Poteſtatem, Capitaneum, & Conſiliarios, & Commune abſolvit & liberavit, præſtito ſacramento à Judice Poteſtatis loco Poteſtatis tunc abſentis, & ab aliis, de mandatis Eccleſiæ obſervandis, in manibus dicti Domini Epiſcopi Parmenſis, & datis bonis ſecuritatibus de parendo dictis mandatis, & quòd uſque ad unum menſem proximè venientem Syndicus pro Communi legitimè conſtitutus iret ad Dominum Papam ad audiendum ſententiam ejus ſuper prædictis, & ad parendum in totum. Et dicta abſolutio facta fuit & publicata die I. Martii. Et Frater Rolandus de Guercinis conſtitutus fuit Syndicus ad prædicta, qui ad Curiam Romanam pro prædictis adimplendis profectus eſt, & ad ſe coram Summo Pontifice præſentandum. Sed nulla alia ſententia facta fuit. Et Commune Parmæ ſolemnes Ambaxatores miſit Bononiam ad rogandum Priorem Provincialem Fratrum Prædicatorum, qui ibi erat, ut placeret ei mittere Fratres ſuo Parmam ad Conventum eorum pro divinis Officiis celebrandis, & aliis ſolito more. Item eodem anno die I. Maji Dominus Comes Romagnæ quum iviſſet unà cum ſuis ad Burgum Forlivii, & ipſum Burgum, & Portam ipſius, & multas domos per fortiam habuiſſet, Forlivienſes & Comes Guido de Monte Feltro obviaverunt prædictos, & eos finaliter ſconfixerunt, interfecerunt, & captivaverunt quaſi omnes, & duo millia & plures utriuſque partis mortui fuerunt, ex quibus duæ partes fuerunt de illis Comitis de Romagna. Item eodem tempore facti fuerunt certi cives de novo, numero XLII. & quidam dederunt Communi L. Libras Imperialium, quidam LX. & quidam LXX. Libras Imperialium, ſecundùm quod promittebant, & ſecundùm quod ordinatum fuerat per Commune. Item eodem anno, die II. intrante Junio, Dominus Marchio Montis-Ferrati hoſtiliter cum ſuis viribus, ſcilicet Aſtexanis, Novarienſibus, Alexandrinis, Vercellenſibus, Terdonenſibus, Cumanis, & Papienſibus cum Carrocio ſuo & Populo univerſo, qui venerant uſque Cremam, & Mediolanenſibus aliquibus, qui venerant cum ſuo Carrocio uſque Vavri, & ſimiliter CCCC. milites de Mediolanenſibus, & quatuor mille pedites venerunt etiam, & duo mille pedites cum Carrocio ſuo remanſerunt Vavri. Et dictus Dominus Marchio ſtetit ibi per VII. ſeptimanas, dicens & affirmans, ſe cum prædictis velle venire ad guaſtandum Epiſcopatum Cremonæ uſque ad Portas, & etiam civitatem. Cremonenſes verò, hoc audito, pro Communi exierunt civitatem ante adventum dicti Marchionis, & caſtrametati fuerunt Paderni cum certa quantitate militum de Placentia, & cavalcatorum de Brixia, & cum CCC. baleſtrariis de Parma, qui ultra Padernum caſtrametati ſunt in loco, qui dicitur Aqua-Longa, exſpectantes quòd dictus Marchio intraret Epiſcopatum Cremonæ. Parmenſes verò undique amicos ſuos vocaverunt. Et feſtinanter Poteſtas Parmæ cum militibus omnibus die VIII. intrante Junio equitavit illuc in auxilium Cremonenſium. Et militia Rhegii, Mutinæ, & Ferrariæ, & militia Placentiæ equitavit Padernum. Militia verò Brixiæ cum Bertolotis ſuis equitavit ad caſtrum Urtii, quod eſt prope Soncinum: deinde vènit Cremonam. Poſt verò omnes equitaverunt viriliter, & munierunt caſtra diſtrictus Cremonæ, & iverunt prope Cremam per duo parva milliaria, ubi erat dictus Marchio cum ſuis, & ibi diu ſteterunt, & trumbaverunt, & nemo exivit ad eos; & ſic redierunt ad albergarias ſuas ſani & ſalvi. Dominus Garſonus de Garſonibus de Mutina fuit Poteſtas Parmæ eodem Anno ante Sanctum Petrum per ſex menſes ultimos ipſius Anni. Qui Poteſtas ivit in dictum exercitum Cremonam, & ubi erant milites Parmæ in exercitu ipſo caſtrametati, incontinenti ſicut intravit in ipſam Poteſtariam. Dicto verò tempore, & ſic dicto exercitu durante, & completis quatuor ſeptimanis, Parmenſes & Placentini miſerunt pro Carrociis ſuis, & pro Populis ſuis. Qui Populi Parmenſes & Placentini cum Carrociis ſuis velociter iverunt Cremonam. Similiter Brixienſes miſerunt pro ſex millibus peditibus. Regini & Mutinenſes ſimiliter pro eorum Populo miſerunt. Qui omnes feſtinanter iverunt Cremonam. Dominus Marchio Eſtenſis requiſitus ab Ambaxatoribus Parmenſibus promiſit eis perſonaliter & magnificè in ipſum exercitum venire. Similiter Commune Florentiæ, & aliarum Civitatum Thuſciæ. Similiter & Dominus Comes de Romagna promiſit illuc venire cum magna militum quantitate, & eſſe ibi, ſi prœlium eſſe deberet, dummodo placeret Domino Papæ, quod ſibi placere firmiter ſperabat. Audiens autem prædicta dictus Dominus Marchio Montis-Ferrati, & ſciens firmiter, quòd Mediolanenſes nolebant intrare Epiſcopatum Cremonæ propter ſacramentum & treguam, quam cum eis habebant, ſubitò & non bono modo & inſalutato hoſpite, die Dominico, XII. Julii receſſit. Poſt verò tertium diem pars Eccleſiæ, ſcilicet prædicti Populi Parmenſis, & alii, cum magno gaudio & honore ſani & ſalvi ad propria remearunt. Et die Veneri. XVII. Julii Carrocium Parmæ ductum fuit Parmam cum magno honore per Populum Parmæ, Rhegii, & Mutinæ, & gubernatum in Baptiſterio Parmenſi. Milites verò Parmæ cum Cremonenſibus & cum Carrocio eorum intraverunt Zovenoltam, & ibi caſtrametati ſunt. Deinde equitaverunt omni die ad caſtrum Soncini & Riminenghi, & integraliter uſque ad

Portas deſtruxerunt & combuſſerunt ; deinde A ſani & ſalvi ad propria redierunt.

Item eodem Anno, dum adhuc erant prædicti Parmenſes milites & Populus in dicto exercitu, focus valde magnus fuit quadam nocte de Beccaria Sancti Georgii in domibus Guidonis Speltæ, & quatuor domus ex illo foco arſæ ſunt. Et duravit à primo ſomno uſque ad campanam diei. Et illa eadem nocte alia foca in Civitate Parmæ fuerunt, licèt parva ; ex quo maximus timor fuit in Civitate Parmæ, quia Parmenſes non erant domi. Dominus Guidotus Archidiaconus de Cremona fuit Capitaneus Populi Parmæ per ſex menſes ultimos incœptos ad Auguſtum. Item eodem Anno certa talia militum de Parma ivit in ſervitium Domini Papæ contra B Forlivium. Item eodem tempore Rolandus de Marzolaria cum aliis carceratis, qui erant in carcere debitorum ſub Palatio novo Communis, fracto ipſo carcere, furtivè de eo auſugerunt, & omnes exiverunt, niſi unus ſolus, qui non potuit exire per foramen muri ſactum ab eis ; & hoc fuit à latere Canalis Communis. Item eodem Anno pax & concordia facta fuit inter Mediolanenſes & Cremonenſes & Brixienſes ; & Placentini fuerunt fidejuſſores utriuſque partis. Item eo Anno ad Sanctam Mariam de Auguſto Dominus Guielminus & Ugolinus fratres & filii quondam Domini Jacobini Rubei facti fuerunt Milites, & fuit maxima Curia & honorabilis. C Et duravit bene unum menſem Curia de bagordis & aliis ſolatiis. Et boni homines de Parma & de Lombardia tam de Populo, quàm de Militibus donaverunt robas ad dictam Curiam. Et dictus Dominus Guielminus duxit in uxorem quamdam Dominam de illis de Carraria de Padua nomine Dominam Donellam, & renuntiavit Canonicatum Parmæ, quem habebat. Et dictus Dominus Ugolinus duxit in uxorem Dominam Helenam filiam Domini Cavalcabovis Marchionis de Vitaliana. Et Dominus Nicolaus de Fliſco prædictis fratribus contulit Ordinem Militarem. Et tunc etiam prædicti Domini de Rubeis, & alii de Rubeis, & illi de Marzolaria fecerunt inter ſe pacem de guerra, quam ſimul habebant, & parentelas etiam plures inter ſe fecerunt pro D ipſa pace melius obſervanda. Item eodem Anno factæ fuerunt duæ moræ ad Pontem de Galeria à quolibet capite. Item eo Anno ordinatum fuit per Conſilia generalia Communis Parmæ, quòd omnes Ruſtici, qui vellent ſolvere decimam bonorum ſuorum, fierent cives Parmæ, ita tamen quòd debebant in civitate ſtare, nec eſſe de Conſilio. Et facti fuerunt circa tria millia cives. Et pro ipſa decima venerunt in Commune XI. millia Librarum Imperialium. Et malè fuit obſervatum pactum per Commune. Item eodem anno generale Parlamentum omnium amicorum partis Eccleſiæ Lombardiæ factum fuit Cremonæ. Item eo Anno Cremonenſes recuperaverunt caſtrum Soncini, & Dominus Boxius de Dovaria E receſſit de ipſo caſtro inſalutato hoſpite, & ivit Cremam. Deinde receſſit infirmus & triſtis. Item eo Anno Dominus Rex Carolus amiſit totam Siciliam, & Dominus Rex Aragonæ ad inſtantiam Baronum Siciliæ eam in ſuum dominium habuit, & vênit illuc perſonaliter cum Catelanis, & tenuit eam. Et hoc fuit in civitate Panormi. Et ita evenit. quia euntibus Panormitanis ad unum eorum feſtum extra civitatem, ad quod ibant juxta morem cum Vexillis & cum Societatibus poſt prandium, quidam Francigena eques percuſſit de pede quemdam Panormitanum. Et incontinenti quaſi vox de Cœlo procedens *moriantur, moriantur Franciſci*. Et ſic dimiſſo feſto omnes Franciſchi, qui erant ibi pro dicto Rege Carolo, mortui fuerunt crudelibus flagellis, & nulli ſeu pauci evaſerunt. Et mane adveniente ita mortui fuerunt per totam Inſulam Siciliæ indiſſerenter. Et Siciliani miſerunt pro dicto Rege Aragonæ, quòd veniret ad accipiendum Siciliam. Et ita vênit, & eam accepit in ſuam. Et ſic orta fuit guerra inter Eccleſiam & dictum Dominum Regem Carolum ex una parte, & dictum Dominum Regem Aragonæ, & Sicilianos ex alia. Et ſuper hoc ordinatum fuit per ipſos Reges facere ſimul prœlium cum C. militibus ex utraque parte, & ipſis Dominis perſonaliter in plano Bordellæ, ad quem locum dictus Dominus Rex Carolus ivit ; ſed Dominus Papa non dimiſit prœlium, etiam excommunicando ipſum Regem, ſi iret ad ipſum prœlium, & ob hoc remanſit. Item eodem anno Dominus Robertus Comes Atrabatenſis dictus Concarteſe, eundo cum Comite Lanzono in auxilium dicti Regis Caroli, qui amiſerat Siciliam, fecit tranſitum per Parmam cum magna quantitate militum tam equeſtrium, quam pedeſtrium. Dominus Comes de Romagna dicto anno cum militibus Domini Papæ diceſſit ab abſedio caſtri Meldulæ propter cariſtiam magnam, & turpitudinem temporis. Item eodem anno emtæ fuerunt per Commune Parmæ domus, quæ tenebant caput ad Plateam nuvam à Beccaria parva uſque ad Viazolam de Vernaciis ; & incœptum eſt fieri fundamentum pro Communi ante illas domos, ut Palatium ibi fieret cum ſtationibus pro Mercatoribus. Item eodem anno de menſe Novembri & Decembri uſque ad Octavam Nativitatis Domini fuit tempus nubiloſum & pluvioſum ; & fuerunt flumina magna valde. Et eo anno valebat ſtarium frumenti VI. ſolidos Imperiales, melicæ III. Imperiales, ſpeltæ II. ſolidos. Item eodem anno quaſi in fine Decembris Dominus Otto de Veſcontis Archiepiſcopus Mediolanenſis armata manu & potenti cum Populo & certis militibus aſcendit Palatium Communis Mediolani, & Vicarium ibi exiſtentem pro Domino Marchione Montisferrati, ſive Poteſtatem expulit extra civitatem, & poſuit ibi Dominum Jacobum de Sommoripa de Laude pro Poteſtate Mediolani. Deinde ſocietatem contraxit cum Cremonenſibus, Placentinis, Brixienſibus, & totam civitatem cum Epiſcopatu ad ſua beneplacita & mandata habuit.

In MCCLXXXIII. Dominus Thebaldus de Bruſatis de Brixia fuit Poteſtas Parmæ per ſex menſes dicti anni ad annum novum. In quo anno die V. Februarii in Feſto Sanctæ Agathæ in Palatio Communis in Generali Conſilio Communis & Populi Parmæ facta & jurata fuit tregua perpetualis & concordia inter Commune Parmæ & Commune Mantuæ. Et quælibet pars promiſit alteri ſatisfacere de omnibus damnis, ſi qua dicerentur, à quo Deus avertat, ſine ſtrepitu judicii, & in brevi tempore. Item eodem milleſimo die VII. intrante Martio dictus Dominus Poteſtas cum Anzianis & Primiceriis, & Communis cum mille peditibus ad hæc deputatis, armata manu cum tubis & banderiis levatis ad ſonum campanarum Communis cucurrit ad domum de Adigheriis, occaſione mortis unius Correrii Communis, quem interfecerat Ubertinus filius quondam Domini Rolandi de Adigheriis, & domum pro parte malefactoris deſtruxerunt in totum. Item eo anno valebat

ſtarium

ſtarium frumenti VII. ſolidos Imperiales, ſpeltæ XXVIII. denarios Imperiales, melicæ totidem, fabæ V. ſolidos Imperiales. Item eo anno civitas Cerviæ tradita fuit in manibus Domini Comitis de Romagna, & hoc quia quidam Miles de Terra fuit percuſſus per Poteſtatem Cerviæ, & ipſe Poteſtas fuit mortuus. Item eodem anno caſtrum Riminenghi diſtrictus Cremonæ vênit ad præcepta Communis Cremonæ. Item eo anno civitas Forlivii, Forlimpopuli, Cæſena, & Berthenorium, cum omnibus ſuis caſtris & fortitiis, veniebant diſtrictæ ad mandata Domini Papæ, & ſuis obedire præceptis juraverunt. Intellectus tamen eorum fuit, quòd eos carcerare, ſeu interficere non deberet. Et tunc Dominus Guido de Monteſeltro cum omnibus bannitis cujuſcumque civitatis, qui ſteterant contra Eccleſiam, exivit de dictis civitatibus & caſtris & locis cum equis & armis & rebus eorum affidatis. Et hoc fuit, videlicet quia dicta civitas fuerat obſeſſa per Comitem de Romagna cum militibus, peditibus, & baliſtrariis Eccleſiæ, & Domini Papæ, & vaſtata circumquaque; unde timebant mori fame. Venerant ei ultramontani in ſervitium, & ad ſoldum Domini Papæ in maxima quantitate, ut ſupradictum eſt. Similiter Eccleſia, Parmenſes, Regini, Mutinenſes, Bononienſes, Imolenſes, & Faventini venerant ad dictum abſedium de mandato Domini Papæ. Item eodem anno Parmenſes inceperunt rædificare caſtrum Grondulæ, quod fuerat deſtructum tempore civitatis Victoriæ à Pontremulenſibus. Item eodem tempore quidam Cardinalis de mandato Domini Papæ vênit in Romagnam, & muros & portas civitatis Forlivii deſtruxit, & domo, etiam quamplures cum omnibus fortitiis ejuſdem civitatis, & omnes Turres etiam diruit uſque ad fundamenta. Item caſtrum Meldulæ cum omnibus aliis caſtris & fortitiis totius Epiſcopatus devaſtavit, & etiam Cæſenam, Forlimpopulum, & caſtra Comitatus de Monteſeltro in omnibus & per omnia uſque ad fundamenta diruit, & vaſtavit, & multos homines de ipſis civitatibus & locis in confinibus poſuit. Item mortuos tempore dictæ guerræ de ſepulcris cavari & extrahi fecit, & oſſa eorum extra civitatem & loca ad foſſata portari fecit propter excommunicationem, quam Dominus Papa tulerat, & interdictum occaſione dictæ guerræ & eorum inobedientiæ. Dominus Jacobus de Zoppo de Pergamo fuit Poteſtas Parmæ eodem anno per ſex ultimos menſes poſt Sanctum Petrum. Dominus Guilielmus Leccafarina de Placentia fuit Capitaneus Populi per ſex ultimos menſes inceptos ab Auguſto. Item eodem tempore facti ſunt omnes arcus, ſive voltæ Pontis de Galeria, quæ fuerunt numero octo, & incollatus, & planellatus per Dei gratiam, & totus completus. Et conſtitit in ſumma MDC. Libras Imperialium. Item eo anno ſtarium frumenti valebat V. ſolidos Imperiales, & uſque ad Nativitatem Domini fuit tempus pluvioſum, & ſinè frigore conſueto.

In MCCLXXXIV. Dominus Cardinalis de Tornaquincis de Florentia fuit Poteſtas Parmæ. Dominus Bernardus Ranſtedi de Luca fuit Capitaneus Populi Parmæ per ſex primos menſes ejuſdem anni. Item eodem anno Dominus Poteſtas cum armis & tubis & campanis pulſatis & mille peditibus cum ſocietate cucurrit ad domum Gerardi de Sancto Marco, & ipſam diruit, occaſione cujuſdam injuriæ dictæ & minarum contra Franciſcum Fini. Item eodem anno Poteſtas cum mille peditibus de ſocietate armata manu cum banderiis & tubis & campanis Communis pulſatis cucurrit ad domum Aughenii & Philipperii de la Senaza, & domum Tuſchi de Henzola, & Mulazanum ad domum Carrocii de Palude; & ipſas domos cum omnibus bonis devaſtaverunt. Et hoc fuit occaſione inſultus, quem fecerant contra Dominum Bertum Pontioni de Henzola, & etiam mortis filii ejuſdem banniti Communis, quem interfecerant malo modo. Item eodem anno Anziani Populi, Primicerii Societatis Cruſatorum, Octo Populi, Capitaneus Societatum unà cum Anzianis Meſteriorum & Artium civitatis Parmæ, juraverunt ſe ad invicem defendere, & manutenere ad bonum & pacificum ſtatum civitatis Parmæ. Quod quidem fuit quaſi initium minorationis ſtatus Societatis Cruſatorum. Dominus Thomaxinus de Robertis de Rhegio fuit Poteſtas Parmæ eodem anno per ſex ultimos menſes ejuſdem anni poſt Sanctum Petrum; & fuit electus per Anzianos & Primicerios & Capita Societatum & Anzianos Meſteriorum & Populi Parmæ. Dominus Myletus de Griffis de Brixia fuit Capitaneus Populi Parmæ per ſex menſes ultimos ejuſdem anni inceptos ab Auguſto. Et eodem anno Dominus Princeps de Apulia filius Regis Caroli prœliatus fuit in mari cum filio Domini Petri de Aragona, qui Princeps cum IX. Galêis captus fuit & ductus Meſſanam in carceribus. Item eodem anno maxima diſcordia & rixa fuit inter civitatem Mutinæ, & illos de parte Eccleſiæ. Et factæ ſunt ibi inter eos duæ partes una quarum dicebatur Boſchetti, & alia de Savignano. Et ob hoc bis centum pedites de Parma iverunt Mutinam ad cuſtodiam civitatis. Item eo anno Turris Eccleſiæ Majoris Parmæ fuit deſtructa, & poſtmodum de novo fundata, & elevata ſuper terram per unam perticam. Item eodem anno civitas Terdonæ fuit obſeſſa, & circumquaque devaſtata à Domino Marchione Montisferrati, non obſtantibus amicis. Item eodem anno per Commune Parmæ factæ fuerunt Cohentii duæ Turres, ſcilicet ab utraque parte Hentiæ in ripa Padi, & duæ aliæ de Coparmulis, ſcilicet ab utraque parte Parmæ in ripa Padi, & una alia in Terra de Turricella in ripa Taronis & Padi ab iſta parte in diſtrictu Parmæ. Et unum Bitifredum ſuper Pontem de Arzenoldo ſimiliter factum fuit. Et calzina dictarum Turrium fuit ducta per Padum à civitate Laudi. Item eodem anno fuit calor valde intenſus, & ſextarium frumenti valuit tribus ſolidis Imperialibus. Item eodem anno pars illorum de Boſchettis de Mutina expulit de civitate partem illorum de Savignano & ipſos de omnibus ſuis bonis exſpoliavit. Illi verò de Savignano intraverunt Saxolum & Savignanum, & alia ſua loca, & guerram maximam fecerunt Boſchettis, & illis de civitate Mutinæ, & magna damna ſibi invicem intulerunt. Et vix prœlium fuit inter eos. Et dicti de Savignano ſemper obtinuerunt. Et centum de melioribus illorum de Boſchettis mortui ſunt in dictis prœliis, & plures ducti & capti in carceribus ad dicta loca. Et pauci illorum de Savignano capti vel mortui fuerunt: & dicti de Savignano expugnando invaſerunt Magredam, & alia loca multa. Item eodem anno ad poſtulationem Parmenſium factum fuit Parlamentum in civitate Rhegii per civitates Societatis Lombardiæ pro reducendo ipſos Mutinenſes ad concordiam & pacem. Et in dicto Parlamento fuerunt ambæ dictæ duæ partes Mutinæ: Boſchetti verò noluerunt in aliquo obedire. Et tunc

tunc armatum fuit in dicto Parlamento non ſe intromittere de eis in offendendo vel in ſerviendo, & non dando eis Poteſtatem, nec Capitaneum, imponendo certam pœnam recipientibus Poteſtates vel Capitaneos eorum. Item eodem anno Regini de certis diſcordiis ortis inter eos, ſe ſimul concordati ſunt cum ſacramentis; & Parmenſes cum ſacramento facto in Conſilio generali fidejuſſores fuerunt utriuſque partis; & hoc factum eſt propter timorem Mutinenſium.

Item eodem anno Dominus Capitaneus Populi Parmenſis cum XII. Ambaxatoribus de Populo, & cum Ambaxatoribus aliarum civitatum Lombardiæ iverunt Mutinam occaſione faciendi pacem inter eos. Sed pars de Boſchetti repudiavit & noluit. Similiter & quidam Cardinalis, quum eſſet Legatus pro Eccleſia in Lombardia voluit facere pacem, & miſit pro ipſis partibus, & voluit, quod ſe deberent compromittere in ipſum; ſed illi de Boſchettis noluerunt ſe compromittere in dictum Cardinalem. Item eodem anno Dominus Marchio Montisſerrati per tradimentum quaſi in aurora diei intravit, & habuit civitatem Terdonenſem, & Epiſcopus dictæ civitatis captus fuit & carceratus, & à quodam milite ſubitò interfectus. Et in dicto furrore multi fuerunt mortui & ſpoliati. Item eodem anno Parmenſes & Regini fecerunt ſimul parlamentum ad Caſam Dei, ut dictos Mutinenſes ad concordiam reducerent. Et in ipſo Parlamento ambæ partes fuerunt; ſed pars de Boſchettis noluit obedire. Item eo Anno Piſani conficti fuerunt a Januenſibus in mari, in quo conflictu mortui innumerabiles fuerunt; capti verò fuerunt numero octo millia; qui omnes cum navibus & galeis ſuis fuerunt ducti Januam in carceribus. Et ſicut dictum fuit, dicti Piſani conficti fuerunt in eo loco maris, ubi ipſi ceperant Cardinales redeuntes a Concilio tempore privationis quondam Imperatoris Friderici, & quos Prælatos in carceribus duxerunt, & tenuerant per magnum tempus. Item eodem Anno valebat frumentum III. ſolidos Imperiales. Item eodem Anno omnes de parte Imperii civitatis Parmæ pronunciati fuerunt eſſe potentes, & puniri debere per Poteſtates ſi offenderent aliquem de Societate Cruſatorum. Et hoc ideo fuit, quia unus illorum de Paule, qui erant de parte Imperii, interfecerant quemdam nomine Bernocum de Peſcara quodam mane venientem ad Doanam pro ſale menſurando, & qui erat de Societate & homo ſenex. Item eo Anno quum Commune Parmæ faceret conduci certam quantitatem ſalis de versùs Bononiæ Parmam, & conductores & vecturales non venirent per ſtratam rectam propter guerram Mutinenſium, & venirent per contratam de Bazano diſtrictus Mutinæ, quæ ſtrata erat affidata ab utraque parte, pars intrinſecorum Mutinenſium, ſcilicet Boſchetti, habentes inſignia illorum de Savignano, inſultaverunt dictos carratores, & abſtulerunt XXXII. paria boum cum plauſtris & cum CXXVI. corbibus ſalis, qui ducebatur Parmam per prædictos carratores. Et ſuper hoc miſſi fuerunt Ambaxatores Mutinam pro dictis bovibus, carris, & ſale recuperando. Qui Mutinenſes dixerunt, ſe velle reſpondere Parmæ in Conſilio generali; & eorum reſponſio fuit nulla; ſed error pejor priore. Pro quo eis fuit per Commune Parmæ datus certus terminus ad reſtituendum dictum ſalem. Item eodem Anno Domini de la Turre compoſuerunt ſe juvare cum Domino Marchione Montisſerrati, faciendo depoſitum nomine, ut dicebatur, maximum, & etiam cum civitate Cumarum, ita quòd die Martis XIII. exeunte menſe Decembris prædicta civitas de Cumis extraxerunt de carceribus Baradelli, in quibus erant Dominus Muſca de la Turre, Dominus Arrichius de la Turre, & Dominus Antonius. Dominus Guidetus jam aufugerat de dictis carceribus, & venerat Parmam. Dominus verò Neapoleo, & Dominus Carnevali, & Dominus Lombardus de la Turre in dictis carceribus mortui extiterunt. Et poſtea inceperunt dicti de Cumo guerram cum Mediolanenſibus. Item eodem Anno Pons Dominæ Giliæ de Porta Nova expletus eſt, & conſtitit in ſummam MMDV. Libras & ſolidos VI. Imperiales, & hoc ſinè planellatione, & merlatione dicti Pontis per medietatem. Item eodem Anno die Jovis uno ante Natale, & in ipſa Nativitate, quæ fuit in die Dominico, quaſi in primo ſomno, audita ſunt tonitrua valde magna, numquam à viventibus talia ipſo tempore audita. Item eodem Anno mare ita crevit Januæ & Venetiis, quòd intravit per multas domos & ſtationes, propter quod Venetiani fuerunt in magno timore.

In MCCLXXXV. Dominus Albertus de Roſata de Pergamo fuit Poteſtas Parmæ per ſex primos menſes dicti Anni. Dominus Pinus Vernacii de Cremona fuit Capitaneus Populi Parmæ eodem Anno primis ſex menſibus inceptis à Februario. Item eodem Anno in feſto Epiphaniæ Dominus Rex Carolus Rex Apuliæ obiit in civitate Foziæ, & ſepultus fuit Neapoli ad Eccleſiam Archiepiſcopatus; & ad ſepulturam ejuſdem isti verſus ſcripti ſunt:

Eccleſiæ clypeus jacet hic, Fideique trophæus.
Sed fuit ipſe reus. Propitiare Deus:
Flet Lex Divina Karoli virtute ſupina,
Quæ fuerat Domina dum vixit & abſq; ruina.

Item eodem Anno Dominus Papa prædictus obiit die XVI. Martii. Et eo Anno valuit ſtarium frumenti III. ſolidos Imperiales. Item eodem Anno Poteſtas Parmæ cum XII. Ambaxatoribus, & cum Ambaxatoribus Rhegii, Bononienſium, & Ferrarienſium ivit Mutinam pro pace eorum facienda inter Aigonos, ſed Aigoni intrinſeci noluerunt. Item eodem Anno die ultimo menſis Martii prædicti electus fuit Dominus Papa, & vocatus fuit Dominus Honorius Papa IV. Item eo Anno Dominus Capitaneus Populi Parmæ cum XII. Ambaxatoribus Populi & cum Ambaxatoribus Rhegii, Bononiæ, & Ferrariæ, iverunt iteratò Mutinam pro pace ſua facienda, & pro emendatione petenda ſalis, quem abſtulerant Communi Parmæ in parte Bazani. Sed intrinſeci de Boſchettis noluerunt aliquid facere de prædictis. Item eo Anno facta eſt Domus magna cum ſtationibus Mercatorum juxta Plateam Communis à latere de ſuptus, ſcilicet à Viazola de Ruffinis uſque ad viam da Beccaria, & merlata atque depicta. Item eo Anno renovatum & ampliatum fuit foſſatum Parmenſe inter Epiſcopatum Parmæ & Cremonæ. Et hoc fuit, ne victualia conducerentur extra Epiſcopatum Parmæ. Et rupta fuit Via de Soragna, quæ ibat in Epiſcopatum Cremonæ. Item eo Anno ædificata & facta fuit Porta de Sancto Bernabeo, & fortitiæ factæ fuerunt in caſtro de Grondula, & una Porta facta fuit ad caſtrum de Caſadei versùs Rhegium. Et eodem Anno tres partes Pontis de Hentia in ſtrata Claudia factæ fuerunt de lapidibus & quadrellis, ſcilicet versùs Rhegium. Item eodem Anno Dominus Rex Franciæ armata manu intravit in Terras Domini Petri Regis Aragonæ, ex quibus aliquas habuit expugnando,

&

A & aliquæ venerunt ad mandata ejuſdem. Item
eodem Anno Dominus Gerardinus Rangonus de
Mutina pro parte intrinſeca de Boſchettis, &
Dominus Manfredinus de Saxolo pro parte ex-
trinſeca de Savignano, ad poſtulationem Com-
munis Parmæ fecerunt quidquid potuerunt; ſed
pars Boſchettorum repudiavit, petens magna &
impoſſibilia valde. Item eo Anno dictus Domi-
nus Poteſtas Parmæ armata manu cum MM. pe-
ditibus, banderiis levati, tubis, & campanis
Communis pulſatis, ivit Monticulum ad domum
Marchixii & Conſortum de Monticulo, qui ha-
buerant verba cum Gerardino Anſaldi viciniæ
Sancti Bartholomæi de Strata Rupta, occaſione
Prioratus Sancti Bartholomæi de Strata Rupta,
B & ipſas domos diruerunt. Item eo Anno exple-
tæ fuerunt Turres in partes Riveriæ Padi, ibi
factæ pro cuſtodiendo victualia à Cremonenſi-
bus. Item eodem Anno Mutinenſes intrinſeci
reſtituerunt Communi Parmæ medietatem dam-
ni ſalis, boum, & carrorum, quæ ſupra abſtu-
lerant Communi Parmæ Bazani, & de ſuperfluo
habuerunt pactum ad certum terminum deter-
minatum. Dominus Bonavolta de Malavoltis de
Bononia fuit Poteſtas Parmæ Anno eodem per
ſex ultimos menſes. Dominus Lazarus de La-
zaris de Piſtorio fuit Capitaneus Populi Parmæ
dictis ultimis menſibus. Eodem Anno ſtarium
frumenti valuit V. ſolidos Imperiales, & optimi
& ſaniſſimi vini valuit menſura X. ſolidos Impe-
C riales plauſtrum legitimum. Eodem Anno Do-
minus Guido & Dominus Matthæus de Corrigia
fratres iverunt Mutinam pro pace eorum facien-
da; & facto inter eos compromiſſu per utram-
que partem, & datis oſtaliis, tulerunt ſenten-
tiam pacis inter ipſas partes. Sed pars de Bo-
ſchettis non fuit juſſa velle tenere dictam ſen-
tentiam. Item eo Anno Dominus Rex Franciæ
tam propter caritudinem, quam mortalitatem
hominum & animalium receſſit de terris Domi-
ni Petri de Aragonia. Et in ipſo diſceſſu, ſcili-
cet die VIII. menſis Octobris, obdormivit in
Domino. Item eo Anno Dominus Petrus de Ara-
gonia prædictus exſpiravit, ſcilicet die X. men-
ſis Novembris, quia in quodam prælio vulnera-
D tus fuit ad mortem. Et tunc in ipſa infirmitate
accepit pœnitentiam, & juravit mandata Eccle-
ſiæ, & ſepultus fuit in Catelonia. Et inconti-
nenti Siciliani fecerunt in ſuum Regem Domi-
num Jacobum ejus filium mediocrem quondam
dicti Domini Petri, & eum coronaverunt, qui
fuit valde victorioſiſſimus. Item eo Anno ex
campanis Communis, ſcilicet magna, & una ex
parvis, fractæ fuerunt, & ipſo Anno factæ ſunt
de novo, quarum una parva facta fuit per Ma-
giſtrus de Parma ad Palatium de Arena, & fuit
ſatis bona; magna verò facta fuit ibidem bis,
ſed nihil valuit. Unde tunc fuit miſſus Piſas pro
quodam Magiſtro, qui vênit Parmam, & fecit
eam ad domum Fratrum Prædicatorum. Et eo
E Anno non fuit nix neque frigus aliquod.

In MCCLXXXVI. Dominus Thecla de Bon
delmontibus de Florentia fuit Poteſtas per to
tum unum Annum. Dominus Guido de Luviſi-
nis de Rhegio fuit Capitaneus Populi Parmæ
per totum unum Annum prædictum. Item eo-
dem Anno Aqua, quæ dicitur Rayghoſa, poſi-
ta fuit in foſſato Parmeſano cavato & ampliato
tunc temporis. Item eo Anno fuit nix valde ma-
gna circa medium Februarium. Et ſextarium
frumenti valuit VI. ſolidos Imperiales. Item eo
Anno Ambaxatores utriuſque partis Mutinæ ve-
nerunt Parmam occaſione ſententiæ Dominorum
de Corrigia, & ſuper hoc credentias & conſilia

quamplura fecerunt. Sed pars de Boſchettis re-
pudiavit, & noluit ſtare ad voluntatem Com-
munis Parmæ. Unde Ambaxatores ſubitò inſa-
lutato hoſpite de Parma receſſerunt. Item eo
Anno Commune Parmæ miſit duos de Anzianis
Populi cum duobus Ambaxatoribus Bononiam
causâ diſcordiæ prædictorum de Mutina, ut Bo-
nonienſes ſimul cum Parmenſibus firmarent &
facerent Societatem de novo propter dictam
ſententiam, & ut Mutinam ipſam ſervarent.
Qui Bononienſes facere noluerunt, dicentes, ſe
nolle intromittere de factis Mutinenſibus aliquo
modo. Item eodem Anno Poteſtas Parmæ ivit
Mutinam cum XII. Ambaxatoribus de Populo,
& cum Anzianis, causâ componendi inter ipſos
Mutinenſes, ut dicta ſententia mandaretur exſe-
quutioni in bona concordia & bona voluntate.
Sed pars de Boſchettis repudiavit. Item eodem
Anno Commune Parmæ miſit literas ſuas parti
intrinſecorum de Boſchettis de Mutina per quem-
dam Notarium, continentes, quòd deberent ſuos
Ambaxatores mittere Parmam inſtructos cum
pleno mandato ad adimplendum quidquid vellet
Commune Parmæ; alioquin inimicaret eos, &
auxilium daret parti extrinſecorum de Saxolo
& de Savignano. Qui de Boſchettis pro ni-
hilo habuerunt. Et tunc per Commune Parmæ
datus fuit illis de Savignano & de Saxolo in Po-
teſtatem & Rectorem Dominus Bernardus de
Ferro civis Parmæ, qui ivit ad dictum regimen
die ultimo Aprilis. Item eo tempore Pax Me-
diolani completa fuit in totum de voluntate par-
tium, & Domini Archiepiſcopi Mediolani. Item
eo tempore Regini fuerunt in malo ſtatu occa-
ſione mortis duorum fratrum de Canuſio, qui
mortui fuerunt per Scarabellum de Canuſio aſ-
ſaſſinum & bannitum Rhegii. Et tunc Poteſtas
Parmæ cum XII. Ambaxatoribus continuò ivit
Rhegium occaſione componendi ipſos, & nihil
facere potuerunt. Et iteratò quum rediiſſet Par-
mam, rediit Rhegium dictus Dominus Poteſtas
cum XX. aliis Ambaxatoribus occaſione prædi-
cta. Qui etiam tunc nihil facere potuerunt.
Item eodem Anno pars de Boſchettis intrinſeco-
rum Mutinæ equitavit ad guaſtandum & trabu-
candum caſtrum de Livizano diſtrictus Mutinæ,
in quo erat pars illorum de Savignano cum qui-
buſdam baliſteriis de Parma, qui ſtabant in
terra de Saxolo pro Communi Parmæ, numero
L. Et hoc ſcito à Parmenſibus, pietate moti
cœperunt viriliter avivare illam partem de Sa-
vignano. Et tunc Poteſtas Parmæ cum XL. mi-
litibus de melioribus civitatis, & cum aliis, qui
voluerunt ire ad ſoldum equitavit in terram de
Saxolo. Et hoc audito à parte de Boſchettis,
ſubitò de loco prædicto Livizani diſceſſerunt,
& ad propria redierunt. Item eo tempore de
menſe Maji centum milites cum equo uno, &
alii centum cum duobus equis, miſſi fuerunt per
Commune Parmæ, & expenſis dicti Communis
in auxilium dictorum de Saxolo & ſuæ partis;
quod totum fiebat causâ reducendi Boſchettos
ad pacem. Item eodem Anno in Paſcha Pente-
coſtes quidam banniti civitatis Rhegii prodito-
res intraverunt Monaſterium Sancti Proſperi de
ſuptus, ut interficerent Abbatem dicti Monaſte-
rii, & eo non invento, dictum Monaſterium
ſpoliaverunt de omnibus rebus tam ſacris, quàm
non ſacris. Et tunc vênit Nuncius Communi
Parmæ, quòd Mutinenſes cum ſuis ſequacibus
venerant Rhegium, & prœliabant cum cuſtodi-
bus Portarum, & quod Regini prœliabant ad
invicem. Et incontinenti Dominus Poteſtas Par-
mæ cum tota militia & cum Populo Sanctæ
Chri-

Chriſtinæ & Portæ Novæ, equitavit uſque ad Caſam Dei, & ibi ſcita veritate, quæ erat ſolummodo de prædictis bannitis, occaſione mortis quondam Domini Gherardi Bojardi, ſequenti die ad propria redierunt. Item eo Anno ordinatum fuit per Commune Parmæ facere exercitum generalem contra Mutinenſes intrinſecos, & cum poſſe amicorum Communis Parmæ.

Item eo Anno Ambaxatores Cremonæ, Brixiæ, & Placentiæ ad poſtulationem Communis Parmæ iverunt Mutinam, & eos rogaverunt, ut facerent pacem ſecundùm velle Communis Parmæ. Quod ſi non fieret, certificarent eos ex parte ſuorum Communium, quòd numquam deficerent facere voluntatem Communis Parmæ. Et Commune Mutinæ firmavit inter ſe mittere Ambaxatores ſuos cum Capitaneo ſuo Parmam cum pleno mandato pro pace facienda. Qui Capitaneus Mutinæ & Ambaxatores Mutinæ venerunt Parmam cum Ambaxatoribus Lombardiæ occaſione prædicta. Et ſtando Parmæ multa conſilia & multæ credentiæ factæ fuerunt, & in uno Conſilio erant concordes, & in alio diſcordes. Et ita electi fuerunt Octo Sapientes, ſcilicet duo per Portam, qui deberent eſſe cum dictis Ambaxatoribus pro prædicta pace tractanda. Et interim Vexilla Communis Parmæ data fuerunt per Dominum Poteſtatem; & datis aliis Vexillis, Vexillum Beatæ Mariæ datum fuit Domino Guidoni de Corrigia. Et datus fuit terminus dictis Mutinenſibus ad ſe concordandum. Qui viſo, ſicut dictum eſt, quòd dictum Vexillum datum erat dicto Domino Guidoni, incontinenti, & ante terminum eis datum fuerunt concordes. Et tunc fuit ordinatum, quòd Ambaxatores Mutinenſes utriuſque partis irent, & redirent cum pleno mandato. Item eodem Anno de menſe Junii Dominus Papa miſit Communi Parmæ, quòd comparere deberet coram eo cauſâ ſecuritatis, quam fecerant penes Dominum Epiſcopum Parmenſem occaſione abſolutionis excommunicationis, & interdicti lati in Commune Parmæ per Fratrem Latinum occaſione Fratrum Prædicatorum. Item eo Anno Ambaxatores Mutinæ utriuſque partis reverſi ſunt Parmam cum pleno mandato, & habito conſilio de voluntate partium in Vigilia Sancti Petri confirmata eſt Pax inter prædictos in Conſilio generali Communis Parmæ. Deo gratias, amen. Mane verò adveniente facta fuit concio in Platea Communis Parmæ more ſolito, in qua lecta fuerunt pacta & capitula dictæ pacis, & firmata per utramque partem vinculo juramenti, oſculo pacis interveniente, ad honorem Dei, & Beatæ Mariæ Virginis matris ejus, & Beatorum Johannis Baptiſtæ, Hilarii Confeſſoris, & Beati Geminiani Confeſſoris, Patronorum Populi Parmenſis & Mutinenſis, quibus ſemper copioſas gratias referamus. Et eo Anno ſecuritates Cuſtodum carcerum Communis, qui erant in banno pro ipſis cuſtodibus, jamdiu erat, ceperunt apud Curriachum principalem ſuum, pro quo fidejuſſerant, & ipſum præſentaverunt in fortiam Dominorum Poteſtatis & Capitanei & Communis Parmæ. Qui Dominus Poteſtas, habito conſilio Sapientum, fidejuſſores extraxit de bannis ſuis, & dictum principalem poſuit in carcerem Camuſinæ; & hoc ex vigore cujuſdam Statuti Populi procurati ad eorum inſtantiam, in quo continetur, quòd ſi quis fidejuſſiſſet penes Commune pro aliquo, & principalis præſtaret, fidejuſſores eſſent à fidejuſſionibus totaliter abſoluti. Item eo Anno Palatium novum Communis, quod eſt deſuptus in Platea Communis fuit expletum quaſi totum præterquam in angulo à latere Beccariæ Sancti Georgii, qui diruerat. Item eodem Anno Pons de Hentia de Strata Claudia completus fuit præterquam de planellatura. Item eodem Anno Poteſtas Parmæ cum magna quantitate Sapientum de Parma ivit Mutinam, cauſâ reconciliandi illos de Saxolo cum illis de civitate, ſecundùm quod ordinatum fuerat in Pace, & in compoſitione prædicta; & hoc fuit die Dominico intrante Auguſto. Item eodem Anno quidam Cardinalis ivit per Parmam cauſâ eundi in Franciam ad ducendum Dominum Regem Franciæ in Apuliam, ut dicebat. Item eodem Anno, quaſi in fine menſis Junii, Mutinenſes intrinſeci elegerunt Dominum Ugolinum filium quondam Domini Jacobini de Rubeis civem Parmæ in ſuum Rectorem, qui recuſans ipſum regimen acceptare, compulſus fuit de Communi Parmæ. Et die Mercurii IX. Julii ivit Mutinam, & in ipſum regimen intravit. Item eo Anno Dominus Archiepiſcopus Ravennæ tranſivit per Parmam cauſâ eundi ultra montes ad faciendum pacem inter Dominum Regem Franciæ & filium Domini Petri Aragonæ. Item eo Anno fuit magna mortalitas hominum & beſtiarum in civitate & Epiſcopatu Parmæ, & maximè de beſtiis minutis. Et non pluit quaſi per totum menſem Martii, & uſque ad medium Maji, propter quod homines multum timebant. Et eodem Anno non fuit nix neque frigus aliquod in civitate vel Epiſcopatu Parmæ. Et eo Anno ſcilicet poſt Sanctum Petrum ſtarium frumenti valuit IV. ſolidos Imperiales.

In MCCLXXXVII. Dominus Baruſaldinus de Lavalonzo de Brixia fuit Poteſtas Parmæ pro primis ſex menſibus ante Annum novum. Dominus Baſacomadre de Baſacomadris de Bononia fuit Capitaneus Populi Parmæ pro dictis primis ſex menſibus incœptis ad Februarium. Item eodem Anno & tempore fuit nix valde magna uſque ad bragherium in campis, & incœpit venire in feſto Sancti Antonii & Sanctæ Liberatæ Virginis, & duravit uſque ad finem menſis. Item eodem Anno Liber Societatis Cruceſignatorum, qui erat apud Dominum Capitaneum, fuit combuſtus in generali Concilio Communis, & hoc ideo contigit, quia multi in eo fuerunt reperti ſcripti indebitè. Et hoc fuit die Veneris VI. intrante Februario. Et ob hoc fuit ordinatum, quòd unus alius Liber de novo fieret ad exemplar illius, qui erat ad Sacriſtiam majoris Eccleſiæ, & qui deberet rubricari de cinabrio taliter quòd nullus poſſet ampliùs addi. Et ante combuſtionem dicti Libri factus fuit unus alius Liber, in quo erant ſcripti filii illorum, qui erant ſcripti in dicto Libro, & illi, qui eſſe debebant ſcripti in Libro Societatis prædictæ, ſecundùm reformationem Conſiliorum, qui omnes ſcripti fuerunt in dicto Libro novo. Item eodem Anno, prima die Martii, fuit tempus nivoſum & pluvioſum, & ea die receſſit dicta nix. Et quinto die ejuſdem menſis fuit nix per totam terram per unam palmam groſſam, & duravit per tres dies. Et fuit eo Anno intenſum frigus in Octava Epiphaniæ, & duravit uſque ad unum menſem. Item eo tempore dictus Dominus Poteſtas cum mille peditibus armatu manu, tubis, & campanis Communis pulſatis & banderiis levatis cucurrit ad Terram de Flaviano, & ipſum locum diruit occaſione mortis Henrici de Pereto & cujuſdam alterius. Et Dominus Conradus Caninus & filii tunc interfecerant Carotum de Palude, & quemdam nomine Archipresbyterum de Fornovo. Qui Domi-

nus

nus Conradus devaſtatus fuit de omnibus ſuis bonis. Item eodem Anno, die X. intrante Aprili pars dicta Soprana de Rhegio expulit de civitate Rhegii aliam partem dictam ue ſuptus, & ipſos de parte ipſa exſpoliavit. Et hoc fuit ipſis ambabus partibus exiſtentibus in magna concordia, & in magnis ludis. Et incontinenti Poteſtas Parmæ cum quatuor ex Anzianis & XX. Ambaxatoribus, cum tubis & honorificè iverunt Rhegium, qui nullam concordiam facere potuerunt. Et hoc ſcito à Mutinenſibus, fuerunt in maximo timore & rumore, & maximè pars de Savignano, quæ intraverat civitatem pro Pace facta in civitate Parmæ de eis. Et tunc Poteſtas Parmæ cum quatuor Anzianis & XX. Ambaxatoribus, duobus tubatoribus, & uno Notario ivit pro Pace eorum tenenda & firmanda. Similiter & Poteſtas Bononiæ cum ſuis Ambaxatoribus. Et eo modo vênit Poteſtas Cremonæ Mutinam, & quum ſæpe & ſæpiùs haberent malas reſponſiones à Mutinenſibus, in fine per Dei gratiam Dominus Archipresbyter Majoris Eccleſiæ Mutinenſis cum toto Clero, & univerſis Religioſis cum duplenis, & candelis accenſis, cum Crucibus & thuribulis devotiſſimè cum Brachio Beati Geminiani Patroni Mutinenſis ivit in Palatium Communis Mutinæ, ubi erat Conſilium modo ſolito congregatum cum omnibus Ambaxatoribus prædictis. Et tunc inſpirante Domino juraverunt XXV. de majoribus Civitatis de voluntate ipſius Conſilii, dictam pacem perpetuò tenere, & eam firmaverunt ad honorem Dei & Beati Geminiani, & totius cœleſtis Curiæ. E tunc ibi remanſerunt quatuor Ambaxatores cujuslibet civitatis pro parentelis inter ipſas partes faciendis & complendis. Et hoc fuit die Sabbati XII. exeunte Aprili. Item eo Anno de menſe Aprilis completa fuit Campana Communis, & ducta in Plateam Communis, & ibi poſita ſuper unam Turrim de lignis ibi conſtructa & approbata bona. Item eo Anno Dominus Honorius Papa IV. obiit, & ſepultus fuit Romæ. Et in eligendo alium Cardinales ſteterunt diviſi per magnum tempus. Item eo Anno miſſi fuerunt Ambaxatores Communis Parmæ apud Rhegium ad Priorem Provincialem Fratrum Prædicatorum, qui ibi erat, ut ex parte Communis Parmæ ſupplicarent eidem, quòd ei placeret reducere Conventum Fratrum Prædicatorum Parmam. Et in auxilium dictorum Ambaxatorum & Communis Parmæ ad intercedendum pro eis fuerunt Domini Poteſtas, & Capitaneus, & XXIV. civitatis Rhegii. Qui Dominus Prior benignè eos recepit, & promiſit facere quidquid petebant prædicti Ambaxatores Communis Parmæ.

Item eo Anno, die Veneris VII. exeunte Februario, Fratres Prædicatores de Parma reverſi ſunt Parmam cum magno gaudio & honore. Et eis iverunt obviam Dominus Epiſcopus Parmenſis, Domini Poteſtas, Capitaneus, Anziani, & Primicerii, cum tubis Communis, & omnes Sacerdotes & Religioſi, & maxima multitudo hominum, recipientes eos cum maximis cantis & melodiis. Et ita aſſociati fuerunt uſque ad Eccleſiam Majorem. Et ibi tunc prædicaverunt dictus Prior Provincialis, & Dominus Epiſcopus Parmenſis. Deinde aſſociati fuerunt uſque ad locum eorum. Et per Concilium extitit reformatum de dando eis CC. Libras Parmenſes. Et ita factum eſt, & M. Libras Imperialium uſque ad quinque Annos, ſcilicet CC. Libras quolibet Anno, pro Eccleſia facienda. Et ſtatim incœperunt dari pro primo Anno. Et per Commune Parmæ factum fuit ibi unum convivium magnum valde, in quo pranſi fuerunt cum ipſis Fratribus Poteſtas, Capitaneus, & Anziani & multi alii ex parte Communis. Et incontinenti Fratres incœperunt facere fornacem & alia præparaverunt fortiter laborare pro dicta ſua Eccleſia facienda & conſtruenda. Item eo Anno Commune Parmæ fecit cavari foveas civitatis, ſcilicet à parte interiori XII. brachia, & à parte exteriori fecit fieri quoddam foſſatum, & fuit hoc de menſe Junii. Item eodem Anno die IV. intrante Junio, meſteria & artes civitatis Parmæ, omnia ſimul in pleno Conſilio generali Communis, coram Poteſtate, & Capitaneo juraverunt ſe manutenere proviſiones, quas fecerunt pro civitate manutenenda in bono ſtatu, & hoc propter quoddam timores, qui erant in civitate, & ieiciebantur qui rumores incontinenti remanſerunt. Item eo Anno Palatium Novum Communis versùs Sanctum Georgium, ſcilicet ſponda, quæ diruerat, refecta fuit, & completa. Item eo tempore ſtarium frumenti valuit IV ſolidos Imperiales; & ipſo tempore Commune Parmæ habebat ſuper dicto Palatio MC. modia. Item eo tempore in Vigilia Sancti Johannis Baptiſtæ filii Domini Petri de Aragonia venerunt cum navigio eorum uſque ad Portum Neapolis, ibi exiſtentibus Domino Gherardo de Parma Cardinali pro Legato Eccleſiæ in partibus illis, & Domino Roberto Comite Atrabatenſi Bajolo filiorum quondam Domini Regis Caroli. Et ſic exercitus & Galeæ dictorum filiorum Regis Caroli exiverunt ad eos, & inito prœlio ibi in mari, exercitus dictorum filiorum Domini Petri de Arragonia obtinuit, & illos de parte filiorum Regis Caroli ſconfixit, & fugavit in totum. In quo prœlio mortui fuerunt ex ipſis partibus ambabus pluſquam ſex mille. Capti fuerunt ex illis filiorum Regis Caroli circa octo mille, inter quos fuerunt unus filius Comitis Flandriæ, Dominus Guido Comes de Monteforti, Dominus Raynaldus de Villa primogenitus Comitis Avellanenſis, & Dominus Oddo Pellizonus cum multis aliis Comitibus & Baronibus numero XXXII. Galeæ armatæ captæ fuerunt XLII. & fundatæ fuerunt in mari V. Illæ verò, quæ evaſerunt per fugam fuerunt IV. Et tunc tregua facta fuit inter ipſas partes à Feſto Sancti Michaelis proximè venturo uſque ad Annos IX. Et fuit ordinatum inter ipſas partes de faciendo parentelas inter eos, ſi & ſicut placeret Eccleſiæ & Domino Regi Franciæ. Item eodem Anno die Sabbati, XVII. Majii, Pino filius quondam Domini Giberti de Gente à nepotibus ſuis filiis Domini Lombardini fratris dicti Pini in Terra de Campigine Epiſcopatus Parmæ interfectus fuit. Et quia dictus Pino erat bannitus Communis, Poteſtas nullam inquiſitionem fecit de prædicta, nec officium aliquod. Dominus Robertus de la Croca de Pergamo fuit Poteſtas Parmæ eo Anno ultimis ſex menſibus poſt Sanctum Petrum. Dominus Gerardus de Anzelis de Placentia fuit Capitaneus Populi dictis ultimis ſex menſibus incœptis ab Auguſto. Item eodem Anno factum fuit in ſummitate Turris Communis unum artificium de lignis pro Campana magna nova ponenda, quæ quum ibi fuiſſet poſita, in tertia pulſatione fracta fuit. Item eo Anno quoddam Parlamentum civitatum Lombardiæ factum fuit in civitate Parmæ pro concordia Reginorum facienda. Sed pars intrinſecorum repudiavit. Item eo Anno quidam de Parma, nomine Niger de Pulis vocabatur, combuſtus fuit propter peccatum Sodomiticum,

Item

Item eo Anno factum fuit Palatium Notariorum per ipſos Notarios Parmæ in vicinia Sancti Vitalis. Item eo Anno incœptus fuit Pons Salariorum, & factæ ſunt ibi ſeptem moræ, & quinque voltæ. Et eo Anno flumen Parmæ diruit eas voltas. Item eo Anno incœpta eſt Porta Sancti Ægidii, dicta Pegoloti, & facta uſque ad voltam. Et textarium frumenti valuit IV. ſolidos Imperiales. Item eo Anno, die Veneris V. Septembris, pars Mutinæ, quæ dicebatur pars de Savignano, unà cum illis de Seſſo, & multis aliis bannitis partis Imperii, & cum certa quantitate Beroariorum & Suldatorum de Mutina & de Verona, cum parte Reginorum extrinſecorum, venerunt armata manu furtivè ad Portam Bazovariam civitatis Mutinæ, & cœperunt prœlium cum illis de parte intrinſeca Mutinenſium, rumpendo eis pacem, ſed in fine nihil facere potuerunt, & fugientes iverunt Saxolum, & eum ſpoliaverunt, & combuſſerunt; deinde paulatim furtivè ad propria redierunt. Et hoc ſcito à Parmenſibus die Sabbati veniente in Veſperis, die Dominico veniente, Poteſtas Parmæ equitavit in ſervitium civitatis Mutinæ cum C. militibus ad tres equos. Mutinenſes verò ceperunt de Majoribus civitatis Mutinæ dictæ partis de Savignano, quos inculpatos eſſe noverunt de dicto tractatu, quos per gulam ſuſpenderunt ad dictam Portam Bazoariam; qui ſuſpenſi fuerunt numero XXXII. & quos ceperunt de Mantuanis & Veronenſibus, in carceribus poſuerunt; Item eo Anno Parlamentum factum fuit in Caſtro-Franco Epiſcopatus Bononiæ per Ambaxatores Communis Bononiæ pro ipſa Communi, & per Dominum Capitaneum Populi Parmæ & per Anzianos & Ambaxatores Populi Parmenſis pro Communi Parmæ. Et quidquid firmaverunt, ſtantiatum & factum fuit per utrumque Commune. Item eo Anno duo aſſaſſini venerunt Parmam, cauſâ occidendi unum Reginum & unum Bononienſem, qui ſtabant Parmæ, qui capti fuerunt, & torti confeſſi ſunt de dicto aſſaſſinatu, quem facere debebant. Et ſic fuerunt appenſi vivi ad ballatorium Communis, & ſteterunt ibi per unam horam. Poſtea verò fuerunt ducti ſuper uno Carro ligati, & caro incidebatur eis de corporibus, & ita fuerunt ducti uſque ad glaream Communis, ubi fuerunt cum capite in ferreis, & ita mortui. Et ille, qui eos miſit, fuit bannitus tamquam aſſaſſinus. Et propterea in fine regiminis dictus Poteſtas finito regimine volens ire ad quoddam aliud regimen versùs Thuſciam, ad quod electus erat, timuit ire per Rhegium, & ivit Bercetum. Et per Commune Parmæ fuit aſſociatus ad ejus voluntatem. Similiter Dominus Gronerius de Croca de parentela dicti Poteſtatis, qui fuerat Judex Poteſtatis ad maleficia fuit aſſociatus per Commune Parmæ uſque Cremonam, à qua civitate erat electus in Capitaneum.

In MCCLXXXVIII. Dominus Franciſcus Infrancelaſta de Piſtoria fuit Poteſtas Parmæ primis ſex menſibus. Dominus Jacobus de Palazo de Mediolano fuit Capitaneus Populi Parmæ dicto Anno incipiente à Calendis Februarii. Item eodem Anno de menſe Februarii Frater Hieronymus Magiſter Generalis Fratrum Minorum, qui erat de civitate Eſculi, electus fuit in Papam, & vocatus fuit Dominus Nicolaus Papa IV. Et eo Anno ſtarium frumenti valuit IV. ſolidos Imperiales. Dominus Fridericus de Sommoripa de Laude fuit Poteſtas Parmæ eodem Anno ultimis ſex menſibus poſt Sanctum Petrum. Dominus Bonacoſa de Baſacomadris de Bononia fuit Capitaneus Populi Parmæ ultimis ſex menſibus dicti Anni. Item eo Anno de menſe Julii Dominus Manfredus Marchio Malaſpina intravit Burgum Pontremuli per fortiam, & Poteſtatem ibi exiſtentem pro Communi Parmæ expulit. Et Dominus Petrus de Henrighetis cum fratribus, & multi alii de ſua parte de Pontremulo effugientes venerunt Parmam. Et tunc dictus Dominus Manfredus miſit Parmam, quòd quicquid fecerat, fecerat in ſervitium Communis Parmæ, & quòd omnis juriſdictio, quam haberet Commune Parmæ in dicta Terra Pontremuli, erat ſalva. Item eo tempore, die VI. exeunte Septembri, vocatis Reginis pro ambabus partibus, ut venirent Parmam ad ſe compromittendum in Commune Parmæ de guerra eorum, & ipſis ſe compromiſſis, Parmenſes vocaverunt Bononienſes & Cremonenſes, ut eſſent cum eis ad dictam Pacem fieri faciendam, ſecundùm voluntatem Communis Parmæ, Pax inter eos facta fuit, & jurata in Conſilio generali Communis Parmæ. Et per Commune Parmæ miſſi fuerunt quingenti de Populo Rhegium pro cuſtodia Rhegii. Caſtrum verò Sancti Stephani diſtrictus Rhegii quia non poterat obſideri, quia eſt paludoſum, non fuit in dicta Pace, quia noluit propter ſitum ejus, & quia firmiter Mantuani & Veronenſes & alii banniti Lombardiæ partis Eccleſiæ dabant ei auxilium. Item eo Anno die Jovis IV. Octobris exeuntis, Domini de Savignano cum aliis bannitis de Mutina, cum D. equitibus intraverunt Savignanum, & eum reædificaverunt, & munierunt ſinè mora. Quo facto à Mutinenſibus, velociter cocurrerunt illu , ut prohiberent ſi poſſent; & viſo, quòd nihil facere poterant, fecerunt ibi prope unum Caſtrum pro cuſtodia Civitatis & Epiſcopatus Mutinæ, deinde ad propria ſunt reverſi. Et fecerunt Dominum Oppizonem Marchionem Eſtenſem dominum Ferrariæ dominum Civitatis & diſtrictus Mutinæ ad vitam & ejus hæredes. Et Domini de Rangonibus dederunt unam ex Dominabus ſuis in uxorem Domino Aldebrandino filio dicti Domini Marchionis, dando pro dote ejuſdem Dominium civitatis Mutinæ dicto Domino Marchioni. Qui Dominus Marchio miſit illuc Vicarium ſuum, & dictum Dominium acceptavit, & poſtea reduxit illos de Savignano, & omnes extrinſecos in Mutinam cum Pace. Item eo Anno de menſe Octobris Porta Pegoloti Burgi Sancti Ægidii fuit completa. Item eodem Anno Pons Salariorum fuit completus de menſe Novembris. Item eo Anno Princeps Apuliæ exivit de carceribus, dans duos ſuos filios pro obſidibus cum ſacramento revertendi, & facto depoſito LX. millium unciarum auri. Item eo Anno ſtarium frumenti valuit ſolidos Imperiales V. & menſura vini valuit VI. ſolidos Imperiales. Et hoc erat bonum, quia vinum non fuit in illo Anno. Et propter paucitatem vini & cariſtiam temporis, Commune faciebat vendi in certis paocis locis per civitatem ad minutum panem & vinum. E nullus ad magnum pœnam audebat aliter vel alibi vendere, niſi Fratres deputati ad prædictum panem & vinum vendendum pro Communi.

In MCCLXXXIX. Dominus Anſelmus de Rodengo de Brixia fuit Poteſtas Parmæ primis ſex menſibus. Dominus Antonius de Rebicis de Cremona fuit Capitaneus Populi eodem Anno dictis primis menſibus. Eo Anno à Nativitate Domini uſque ad menſem Aprilis fuit frigus intenſum. Et die XI. exeunte Martio ningit valde fortiter, ita quòd terra fuit tota cooperta. Et

eodem

A eodem Anno de menſe Aprilis dictus Dominus
Poteſtas cum M. peditibus de Societate, & aliis
ad hoc deputatis, armata manu cucurrit ad
Terram de Anciſigha ad domos Domini Rolandi
de Anciſigha, & ipſas domos in totum dirui fe-
cit. Et hoc fuit, quia fregerat quaſdam molas
Communitatis Ferrariorum de Parma. Item eo
Anno die Sabbati XI. menſis Junii in feſto Sancti
Bernabei, Florentini per Commune unà cum
Senenſibus, Lucenſibus, Piſtorienſibus, & Pra-
tenſibus, & cum aliis Guelfis de Thuſcia ſconfi-
xerunt Aretinos & Ghibellinos de Thuſcia. Et
fuit dictum prœlium in Epiſcopatu Florentiæ in
loco, ubi dicitur Caſetina prope caſtrum Pop-
pii, & etiam dicitur ibi Bibena. Et in dicto
B prœlio de dictis Aretinis & Ghibellinis mortui
fuerunt Dominus Epiſcopus Aretinus, Dominus
Gilius Pazius de Florentia, & multi alii de
Magnatibus Ghibellinis & Aretinis. Et bene
fuerunt numero mille & plures. Caprorum verò
non fuit minus. Deinde Florentini equitaverunt
circumquaque civitatem Aretii deſtruendo &
comburendo totum Epiſcopatum Aretii, &
omnia caſtra uſque ad fundamenta vaſtantes.
Quæ caſtra ſic dirupta fuerunt XLIV. Et ibi in
ipſo exercitu ſteterunt per duos menſes. Deinde
ſani & hilares Florentiam redierunt. Et in dicto
exercitu pro parte Florentinorum fuerunt tria
Regimina de civitate Parmæ. Quia Dominus
Ugolinus Rubeus erat tunc Poteſtas & Rector
C Florentinorum. Et Dominus Thomaſius de Hen-
zola erat tunc Poteſtas Senenſium, qui ambo
cum ipſis Communibus in dicto exercitu inter-
fuerunt viriliter. Dominus verò Antonius de
Rogleriis tunc erat Poteſtas civitatis Piſtoriæ,
qui Dominus Antonius propter miſeriam & in-
firmitatem ſuam non fuit ad ipſum exercitum.
Sed pro eo fuit Dominus Thomaſius de Pava-
rano ejus Miles & ſocius cum militibus & Po-
pulo civitatis Piſtoriæ. Item eodem Anno Domi-
nus Princeps Apuliæ, qui exiverat de carceribus
filiorum Petri de Aragonia, fuit per Dominum
Papam electus in Regem Siciliæ in civitate
Aretii. Item eo Anno de menſe Junii Dominus
Marchio Montisſerrati exercitum generalem fe-
D cit ſuper Epiſcopatum Papiæ, & cepit quam-
dam Terram nomine Roſajanam valde magnam.
Et hoc ſcito à Papienſibus, equitaverunt gene-
raliter pro Communi, ut dictam Terram recu-
perarent. Et ſtando ibidem, videntes quòd ſe
non poterant partire ſinè prœlio, timore com-
poſuerunt cum dicto Domino Marchione, &
fecerunt ipſum & ejus hæredes toto tempore vitæ
eorum Peteſtatem Papiæ. Dominus Manfredinus
de Beccaria tunc Capitaneus Populi Papiæ in-
vitè hoc fecit. Sed Milites invidentes eidem
propter ipſam Capitaneriam illud voluerunt,
fecerunt, & adimpleverunt. Poſt modicum ve-
rò temporis Papienſes uſque ad mortem de præ-
dictis doluerunt. Et ob hoc milites Mediola-
E nenſes cucurrerunt, & intraverunt Papiam
per duas baleſtratas, ſed nihil fa ere potuerunt.
Et ſubitò inſalutato hoſpite ſinè damno aliquo
ad propria remearunt. Et eodem Anno paulò
poſt prædicta dictus Dominus Manfredinus cum
aliquibus de Populo & paucis exivit Papiam,
qui omnes exeuntes fuerunt banniti, & domus
& bona ſua devaſtata. Qui Dominus Manfre-
dinus cum ſuis ſequacibus intravit caſtrum Acu-
tum, quod erat ſuum, & ipſum munivit cuſto-
dibus, & victualibus, & poſtea ivit Mediola-
num. Et tunc Mediolanenſes, Cremonenſes,
Brixienſes, & Placentini juraverunt, & firma-
verunt ipſum adjuvare, & de hoc fecerunt Par-

A lamentum in civitate Cremonæ. Similiter & Ja-
nuenſes hoc fecerunt. Comes autem Sabaudiæ
cum omnibus ſuis ſequacibus ab alia parte guer-
riabant cum dicto Domino Marchione. Domi-
nus Thomaſinus Quirinus de Venetiis fuit Pote-
ſtas Parmæ eo anno ultimis ſex menſibus poſt
Sanctum Petrum. Dominus Bernabos Conſalo-
nerius de Placentia fuit Capitaneus Populi Par-
mæ ejuſdem anni ultimis ſex menſibus. Item
eo anno & tempore in principio Auguſti caſtrum
Sancti Stephani diſtrictus Rhegii vênit ad pa-
cem cum Commune Rhegii; & ſic illi, qui ſte-
terunt in ipſo, Rhegium intraverunt cum pace,
quæ parum duravit.

Item eo anno die VII. intrante Auguſto, par-
B tes civitatis Rhegii diabolico ſpiritu inſtigatæ
ſimul quieſcere non valentes cucurrerunt ad ar-
ma & ad prœlium inſimul. Et tunc Populus
Rhegii viriliter ſe habentes, quum ibi eſſet pro
eorum Rectore & Poteſtate Dominus Torellus
de Torellis de Bononia, datus eiſdem pro Com-
mune Bononiæ, & Dominus Andreas de Mara-
no de Parma pro Capitaneo Populi eis datus à
Communi Parmæ, cucurrerunt in auxilium Re-
ctorum eorum. Et ceperunt omnes Magnates
eorum habentes caſtra & fortitias aliquas in
Epiſcopatu ſuo, & ipſos detinuerunt in Palatio
ſuo. Et incontinenti miſerunt Parmam pro ſuc-
curſu. Et miſſi fuerunt ibi per Commune Par-
mæ biſcentum milites, qui tunc tenebantur per
C Commune Parmæ cum Milite & Banderia Po-
teſtatis. Et die ſequenti dictus Dominus Pote-
ſtas cum centum militibus ad tres equos equi-
tavit armata manu Rhegium, & ſtando ibi, &
non bene valentes ſedare rumores, miſerunt
Parmam pro Populo Parmæ. Et ſic inconti-
nenti iverunt Rhegium hoſtiliter Populus Portæ
de Parma, & Portæ Benedictæ, & certæ Socie-
tates Populi. Et hoc fuit in Vigilia Sancti Lau-
rentii. Et tunc Populus Rhegii dederunt totum
dominium civitatis Rhegii, & Epiſcopatus in
manibus Poteſtatis Parmæ, & Vexillum Sancti
Proſperi, & claves Portarum & Palatiorum,
& Vexillum & Sigillum Communis, & ſe ipſos.
Qui Dominus Poteſtas incontinenti totum domi-
D nium civitatis & diſtrictus accepit & habuit,
& miſit ad omnia loca & caſtra diſtrictus Rhe-
gii Cuſtodes & Capitaneos de Populo Parmæ.
Et in die Sancti Laurentii populus prædictus de
Parma ad rumorem cucurrit ad Plateam Com-
munis Rhegii, & domos omnes illorum de Fo-
liano, qui erant ibi, deſtruxerunt ſubitò. Præ-
dicti verò Magnates de Rhegio, & certi alii
mercatores, Judices, & Notarii ducti fuerunt
Parmam, & detenti per Meſteria & Artes Par-
mæ; quorum una pars fuit detenta ſuper Camu-
ſinam Communis, & alia ſuper Palatio Novo
Communis de Sancto Vitale cum ferreis. Popu-
lares verò fuerunt detenti ſuper Palatio Novo
de Platea, ſinè ferreis tamen; & ſteterunt ibi
E dictæ duæ Portæ per XV. dies. Poſtea aliæ duæ
Portæ iverunt, & domos Domini Guidonis de
Tripoli, quia non vênit ad mandata, deſtruxe-
runt. Et poſtea Commune Parmæ miſit pro Bo-
nonienſibus & Cremonenſibus, ut venirent Par-
mam pro pacificando ipſos Rheginos. Et ſic Po-
teſtas Bononiæ & Cremonæ cum magna & ho-
norabili ſocietate Ambaxatorum venerunt Par-
mam, & ſicut Deo placuit, in fine prædicti Rhe-
gini pervenerunt ad pacem die Sabbati primo
Octobris in Conſilio, ipſam pacem oſculo &
juramento, ut decuit, confirmando in præſentia
dictorum Poteſtatum Parmæ, Bononiæ, & Cre-
monæ, & Ambaxatorum. Et ſic die ſequenti

relaxati fuerunt de dictis carceribus. Et certi Ambaxatores de qualibet dictarum civitatum iverunt ſecum Rhegium pro parentelis inter ipſas partes ineundis & complendis. Quæ quidem pax canina fuit.. Item eo tempore Dominus Guido de Tripoli de Rhegio caſtrum Razoli accepit furtivè Capitaneo & Cuſtodibus de Parma, ibi pro Communi Parmæ exiſtentibus. Et quum non poſſet habere Turrim, poſuit ignem. Et quidam de Parma potiùs ſe comburi ſuper ipſam dimiſerunt, quàm ſe vellent reddere nec ipſam Turrim; ſed omnino ipſam Turrim habuit propter dictum ignem. Et quia Cuſtodes combuſti fuerunt. Item eodem Milleſimo in die Dominico in Veſperis, XIV. exeunte Novembri, pars de Rhegio, quæ dicebatur de ſubtus, cum parte Imperiali, ſcilicet cum illis de Seſſo, incœpit prœliari cum adverſa parte, quæ dicebatur pars deſuper. Et circa mediam noctem dicta pars de ſuptus obtinuit & expulit aliam partem; qui fugientes intraverunt Herberiam, & in alia eorum loca. Et tunc pars, quæ remanſit in civitate, derobavit alios in civitate, quantum plus potuit. Et pars, quæ exivit, derobavit per Epiſcopatum adverſarios, quantum plus potuit. Et ſic incœpta eſt iterum guerra maxima inter eos. Item eo anno Dominus Marchio Monti-ferrati, & Papienſes fecerunt exercitum generalem ad caſtrum Montis-Acuti, & fecerunt circumcirca ipſum exercitum unam baſtiam, ne aliquis poſſet exire de ipſo caſtro, vel illuc aliunde venire, qui ipſum exercitum offendere poſſet. Quo exercitu ſic durante, Placentini cum maxima quantitate militum & peditum de Epiſcopatu ſuo quadam die inſultaverunt, & per fortiam dictam baſtiam fregerunt, & dictum exercitum fugaverunt, & multos ex Papienſibus interfecerunt, & multos ceperunt in auxilium exiſtentium in dicto caſtro. Et ſic incœpta fuit guerra inter Placentinos & Papienſes. Item eo anno ſtarium frumenti valuit IV. ſolidos Imperiales.

In MCCXC. Dominus Raynerius Domini Uguzoni de Bondelmontibus de Florentia fuit Poteſta Parmæ primis ſex menſibus. Dominus Johannes de Sommopizolis de Bononia fuit Capitaneus Populi Parmenſis eodem anno primis ſex menſibus incœptis à Februario. Et eo anno de menſe Januarii ambæ partes de Rhegio, ſcilicet de ſubtus & deſuper, & illi de Seſſo vocaverunt, & elegerunt in eorum Dominum & Rectorem civitatis & diſtrictus Rhegii perpetuò in ſe & in ſuos filios Dominum Oppizonem Marchionem Eſtenſem, tunc Dominum Ferrariæ & Mutinæ. Qui Dominus Marchio ſimulatè dicens, ſe nolle dictum dominium acceptare ſinè beneplacito Parmenſium miſit Communi Parmæ ſuos Ambaxatores prædicta exponentes Communi Parmæ. Et habito generali Conſilio, reſponſum fuit eis, quòd bene placebat Parmenſibus. Et ſic dictum dominium acceptavit, & perſonaliter vênit Rhegium, & ſecum reduxit omnes extrinſecos in civitatem, & licentiavit omnes forenſes extra civitatem cujuſcumque partis, & ipſos tam timore quàm amore in pace reduxit, & ſtare fecit. Deinde rediit Ferrariam, & ſecum duxit XII. Rheginos de majoribus partium dimiſſo ibi in Rhegio quodam Vicario pro Rectore. Item eo anno de menſe Januarii Dominus Marchio Montisferrati cum toto ſuo exfortio, videlicet cum Papienſibus, Terdonenſibus, Alexandrinis, Novarienſibus, Vercellenſibus, & cum illis de Monteferrato vênit ſuper territorium Placentiæ, & vênit uſque ad caſtrum Fontanæ, & combuſſit multas domos, & ſtetit ibi duabus noctibus; poſtea receſſit comburendo Burgum dicti caſtri Fontanæ. Item eo Anno de menſe Martii Milites Placentiæ equitaverunt ſuper Territorium Papiæ ad Linzaſcum, & ipſum locum expugnaverunt, & per vim ceperunt, & totum caſtrum combuſſerunt, & multos homines deſuper Turrim combuſſerunt, & multos ceperunt, & poſtea reverſi ſunt ad jacendum ad Vigum Marinum diſtrictus Placentiæ. Item ſequenti die equitaverunt ad caſtrum Caſtegnæ, & ad caſtrum Petræ diſtrictus Papiæ, & multos homines ceperunt, & multas Villas combuſſerunt, & multas beſtias habuerunt. Item & alia die ſequenti equitaverunt ad caſtrum Rimiſcaliæ, quod caſtrum vênit ad mandata eorum, priùs guaſto recepto. Item eo anno Placentini cum navigio ſuo per Padum iverunt uſque ad Pontem Papiæ, & ipſum Pontem expugnaverunt, & per vim ceperunt. Et eum duxerunt per XII. milia. Sed propter magnitudinem dicti Pontis & caſtra lignea, quæ erant ſuper ipſo, & fortitudinem temporis & ventorum tunc ſtantium, non potuerunt ducere eum uſque Placentiam, & eum dimiſerunt. Papienſes verò, qui poſt ipſos veniebant, rehabuerunt ipſum Pontem, & ipſum deſtruxerunt, & non habuerunt poſtea Pontem in dicto loco. Et eo Anno facti fuerunt de menſe Maji tres archoti lapidum in Turri majoris Eccleſiæ Parmenſis. Item eo tempore Brixienſes iverunt ad Turrem de Murſe, quia Pergamenſes tenebant Palazolum & ipſam Turrim per vim habuerunt. Et ibi fuit quoddam prelium inter Pergamenſes & Brixienſes. Et fraudulenter ſub ſpe concordiæ & trattamenti concordiæ, Brixienſes ceperunt multos de Populo Pergami, de quibus poſt paucos dies facta fuit pax inter eos, & capti relaxati fuerunt, & Turris prædicta remanſit Communi Brixiæ. Item eo tempore, die II. Junii, dictus Dominus Poteſtas armata manu cum M. peditibus de Populo, more ſolito equitavit Coltarium ad domum Tortini de Turtis, & eam funditus diruerunt, occaſione unius ferutæ factæ per eum in una taberna, ut dicebatur, in Guidonem Ferrapecoram. Item eo anno Dominus Gerardus de Parma & Dominus Benedictus Gajetanus Cardinales ambo iverunt per partes Sarzanæ in Franciam pro Legatis Eccleſiæ. Item eodem anno de menſe Maji, Placentini cum ſuis amicis, ſcilicet Mediolanenſibus & aliis, fecerunt exercitum generalem pro eundo ſuper Papiam; in quo exercitu fuerunt Placentini omnes pro Communi civitatis & Epiſcopatus, & Militia, & totus Populus civitatis Cremonæ, & CD. milites de Mediolano, & CCC. milites de Brixia. Et iverunt ſuper Bardeleziam in confinibus Placentiæ & Papiæ. Et ibi ſteterunt per XV. dies, ita quòd non tranſierunt ſuper territorium Papiæ, quia Cremonenſes noluerunt tranſire ſuper territorio Papiæ cum ſuo exercitu, ſed equitaverunt una die ad caſtrum Caſtecii, & Burgum dicti caſtri per vim ceperunt, & combuſſerunt, & multos homines occiderunt, & ceperunt. Item & quadam alia die equitaverunt ad Burgum Bronni, & dictum locum expugnaverunt, & per vim ceperunt & combuſſerunt. Et in dicta expugnatione ex Cremonenſibus perierunt pluſquam C. Et poſtea infra paucos dies Cremonenſes dixerunt, ſe velle diſcedere de dicto exercitu, quia Marchio Montisferrati ſe ſeparaverat cum ſuo exercitu deſuper terris Aſtenſibus, pro veniendo illuc. Et ſic totus exercitus tam Placentiæ, quàm Cremonæ voluntate & motu Cremonenſium rediit Placentiam

tiam irato animo & furioſo, & inſalutato hoſpite magìs cum opprobrio quàm bonore. Item poſt paucos dies inculpati fuerunt aliqui de Magnatibus Placentinis à Domino Alberto Scoto de Placentia de reverſione dicti exercitus. Ob quam cauſam expulſi fuerunt de civitate Placentiæ Dominus Berninus de Paleſtrelis & fratres, & alii quatuor de domo ſua, & Dominus Monachinus Falgoſius, & Ubertinus frater ejus, & Dominus Ubertus Ruſti atius, & Raynerius ejus frater, & Dominus Ubertinus de Cario. Et poſiti fuerunt ad confinia longè à civitate Placentiæ per C. milliaria. Et tunc dictus Dominus Albertus Scotus factus fuit Anzianus perpetuus & Defenſor, & Rector Mercadantiæ civitatis Placentiæ.

Item eo tempore Dominus Marchio Montisferrati fecit ſuum exercitum generalem cum toto ſuo exfortio ſuper territorio Aſtenſe, devaſtando ſegetes, & omnia bona Aſtenſium uſque ad Portas civitatis per tres vices. Tamdem Dominus Comes Savoliæ in auxilium Aſtenſium vênit cum MCC. militibus, & cum maxima quantitate peditum & baleſtrariorum, & cum Aſtenſibus, & gente ſua vênit ſuper Terras Marchionis prædicti, & Alexandriæ, ubi tunc erat ipſe Marchio. Quod audiens ipſe Marchio convocatis amicis ſuis, & cum Alexandrinis exivit Alexandria, & vênit obviam prædictis, & fuit prope eos per tria milliaria, etiamſi minus valens eſſet cum eis ad campos, & prœliari cum eis. Quo audito Dominus Comes prædictus cum Aſtenſibus & gente ſua exivit de campis, & reverſus eſt in Aſtam. Et Dominus Marchio cum ſuis reverſus eſt in Alexandriam, & ſic nullum prœlium fuit inter eos. Item dictus Dominus Poteſtas Parmæ in fine dicti ſui regiminis ſyndicatus & condemnatus fuit per ſyndicos Communis in CCL. Libras Parmenſium, quia condemnaverat Jacobinum Zamoreum ſuo arbitrio abſque voluntate Dominorum de Curia. Mercatores verò Parmenſes fidejuſſerunt pro eo, & ſuper ſe eum acceperunt & ſanum & hilarem reddere fecerunt abſque ſolutione facta de dicta condemnatione dicto Jacobino vel alii. Item eo tempore reformatum fuit de faciendo Portam de Sancto Matthia, & facti ſunt apparatus & cavata fundamenta ejuſdem. Item eo tempore ſextarium frumenti valuit ſolidos Imperiales X. & menſura vini IV ſolidos Imperiales. Dominus Mazeldus de Griffis de Brixia fuit Poteſtas Parmæ eodem anno ſolitis ſex menſibus dicti Anni poſt Sanctum Petrum. Dominus Martinus de Rizardis de Laudo fuit Capitaneus Populi Parmæ dictis ſolitis ſex menſibus incipiendo ab Auguſto. Item eodem Anno, die Dominico, penultimo menſis Julii, quingenti viri de hominibus civitatis & Epiſcopatus Parmæ accepta Cruce pro eundo in ſubſidium Terræ-Sanctæ de ultra mare, congregati in glarea Communis Parmæ, bini & bini cum candelis & cereis accenſis, venerunt ad majorem Eccleſiam Parmæ, & auditâ Miſsâ, & communicati, ſe moverunt causâ eundi in dictum ſubſidium, aſſociati de Clericis & Religioſis uſque ad Portam civitatis & plus. Quibus Crucefignatis Commune Parmæ donavit mille Libras Parmenſes. Et eorum Capitaneus fuit Dominus Raymundus Baratus Rubeus. Et poſt paucos dies alii centum viri ſequuti fuerunt prædicto , & ſolemnitate, quæ ſupra. Item eo Anno Romani fecerunt Dominum Jacobum de Columna eorum Dominum, & per Romam duxerunt eum ſuper currum more Imperatorum, & vocabant eum Cæſarem. Et fecerunt exercitum ſuper Viterbium, & multas alias Terras, in quibus non ſequuti ſunt velle ſuum. Item eo Anno de menſe Septembris duo exercitus facti fuerunt ſuper diſtrictum Mediolani ſuper Tiſinellum; unus quorum factus erat per Dominum Marchionem Montisferrati cum magna quantitate militum & peditum, & cum Dominis de la Turre cum toto eorum poſſe; & alius per Mediolanenſes cum ſodaderiis ſuis, & certa quantitate Populi, & cum toto ſuo poſſe. Et ita duraverunt ambo dicti exercitus per IV. dies. Quo tempore dictis exercitibus ſic ſtantibus, Placentini intraverunt ſuper Epiſcopatum Papiæ, & guaſtaverunt & combuſſerunt multum de ipſo diſtrictu Papiæ. Quo audito, dictus Dominus

B Marchio cum ſuis diſceſſit Papiam ſubitò, & inſalutato hoſpite non bono modo. Item eo Anno & menſe dictus Dominus Marchio Montisferrati de Papia ivit in Alexandriam cum majori quantitate militum armatorum quàm conſueverat. Qui Alexandrini timentes de eo proditionem factam, ſubitò armata manu & potenti, quadam die Veneris, VIII. dicti menſis Septembris, ad rumorem Populi per fortiam ipſum Dominum Marchionem ceperunt & detinuerunt, & in civitatem poſuerunt, & omnes ſuos tam equis quàm armis ſpoliaverunt, & omnes adverſarios cum Poteſtate extra civitatem expulerunt. Item eo tempore & menſe Placentini cum certa quantitate amicorum equitaverunt in Epiſcopatum

C Papiæ & caſtrum Arenæ guaſtaverunt; deinde cum bono intellectu ad propria redierunt. Item eodem tempore de menſe Octobris Forenſes Papiæ cum omnibus aliis de Turre equitaverunt. Et tunc Populus Papiæ ſubitò armata manu portas civitatis ceperunt, & ſuis cuſtodibus munierunt. Deinde Poteſtatem & Capitaneum quos habebant, de civitate expulerunt, & incontinenti miſerunt pro Domino Manfredino de Beccaria, qui velociter vênit, & reſtitutus fuit in omni ſuo honore & dominio per Populum Papiæ, & in omnibus ſuis bonis. Illi verò de Petra & de Turre intraverunt duas eorum Rocbas. Item eo Anno Comes, qui erat pro Eccleſia Romana in Romagna, captus fuit per illos

D de Polenta de Ravenna, & hoc quia volebat eos expellere de Ravenna, ut dicebatur. Item eo tempore Bononienſes ceperunt Imolam, & eam circumquaque ſplanaverunt. Et eo tempore valuit ſfrumentum X. ſolidos Imperiales. Item eo tempore quidam viator de Francia tranſiens per Parmam, & ſciens Campanam groſſam Communis eſſe fractam, promiſit Communi dictam Campanam facere abſque aliquo pretio, niſi eſſet bona, & laudaretur. Qui eam incœpit & fecit.

In MCCXCI. Dominus Ungarus de Oddis de Peruſio fuit Poteſtas Parmæ primis ſex menſibus dicti Anni. Dominus Lapus de Ughis de Piſtorio fuit Capitaneus Populi Parmæ in dictis ſex

E menſibus incœptis à Februario. Et eo tempore Campana facta à dicto viatore laudata & approbata fuit pro bona, & ſic datæ fuerunt eidem à Communi Parmæ pro ſuo labore C. Libræ Imperiales. Et ultra Commune eidem fecit & donavit unam robam varam pretio X. Librarum Imperialium. Item eo Anno quidam filius naturalis Domini Marchionis Montisferrati, nomine Bonifacius captus fuit à Papienſibus. Item eo Anno, die Dominico, IV. exeunte Februario, Dominus Bernabeus filius quondam Domini Lambertini de Bazano, arengatus per Conſilium generale Communis Parmæ à Dominis Poteſtate & Capitaneo prædictis, factus fuit Miles more & ſolem-

lemnitate ſolitis, & donatæ ſibi fuerunt per Commune Parmæ C. Libræ Parmenſium. Item eo Anno die Sabbati XVII. Martii, dictus Dominus Poteſtas armata manu more ſolito cum Capitibus Societatum, Anzianis Meſteriorum, & Dominis Octo, & cum mille peditibus ad hoc deputatis, iverunt Campizinem ad domum Domini Lombardini de Geote, & ipſam deſtruxerunt. Et hoc propter inſultum factum per eum quondam Domino Terzacho de Marano. Item eo Anno Comes Romagnæ, pace facta cum illis de Polenta exivit de carceribus, in quibus eum tenebant. Item eo Anno, die Jovis X. exeunte Martio, Dominus Gerardus de Parma Cardinalis, vocatus Sabinenſis, redeundo de Legatione ſua de partibus Franciæ, Parmam vênit, & valde honorifice receptus fuit à Populo Parmenſi; & omnia vexilla & banderiæ Communis, Militum, & Populi, & omnium Viciniarum, & Artium, & Meſteriorum civitatis Parmæ, & omnes Milites, & totus Populus, Epiſcopus cum Clero, Religioſi, & ceteri omnes iverunt obviam ei. Et multi Domicelli bagordaverunt. Et in adventu ejus ſupradicta campana Communis, quæ erat adhuc in platea Communis ſuper uno ædificio ligneo, dum ſonaretur ad ſogam, fracta fuit. Et expenſis Communis portatum fuit ipſi Domino Cardinali deſuper ipſum & equum ſuum unum pallium de ſcarlato. Et majores Milites civitatis Parmæ pedeſtres adeſtrabant eum per frænum, & ſuper ſtaffas honorifice. Et ſic ductus & aſſociatus fuit uſque ad Eccleſiam Majorem, & hoſpitatus fuit ad Epiſcopatum. Et ſtando in Parma per aliquot dies, donavit magna dona dictus Dominus Poteſtati & Capitaneo, & donavit ſororibus de Sancto Dominico D. Libras Imperiales, & totidem Minoribus, & multa alia bona fecit. Item emit à Domino Epiſcopo Parmenſi Terram de Amazzabove. Et fecit & ordinavit Beneficia Præpoſiti & Canonicorum Baptiſterii Parmenſis pro Divinis Officiis perpetuò celebrandis & dotavit eos multis poſſeſſionibus. Et dictam Terram de Amazzabove, quæ diu inculta extiterat, ad culturam redire fecit. Et incæpit ædificare facere Eccleſiam, & domos multas in ipſa Terra. Item & libenter voluit facere fieri unam aliam campanam ad Eccleſiam Majorem, quæ dicta fuit Bajonum ex parte ipſius Domini Cardinalis. Item eo tempore quidam Aſinus, Vergatus dictus, mirifice factus, & variis coloribus naturaliter piloſus, & decoratus, tranſivit per Parmam, qui mittebatur Domino Regi Franciæ à Domino Rege Tartarorum, & erat ſelvaticus, ut dicebatur. Item eo tempore die Veneris XI. intrante Majo in Veſperis quidam terræmotus fuit in civitate Parmæ palàm viſus & ſentitus à pluribus perſonis. Item eo Anno quædam murmuratio fuit in Parma, & ſic quatuor Meſteria, ſcilicet Beccariorum, Ferrariorum, Calzolariorum, & Pelliciariorum, cum Judicibus & Notariis, & aliis Meſteriis civitatis, ſacramentati ſimul fuerunt de ſe manutenendo; & factis certis proviſionibus, incontinenti ceſſavit omne murmuramentum. Item eo Anno, die Dominico intrante Majo, civitas Acon de ultra mare, dicta Acri per fortiam capta fuit à Sarracenis, in qua captione multi & infiniti Chriſtiani perierunt, & multi de Parma, & de aliis Terris Lombardiæ & Italiæ, qui ibi erant, vix evaſerunt. Dominus Rex Cypri cum ſuis evaſit. Dominus verò Patriarcha Hieruſalem, dum intraret in navem, ut evaderet, propter nimiam multitudinem perſonarum intrare volentium in navem cum eo, ſubmerſus eſt cum omnibus in mare, qui ſecum erant. Et multi de Parma redierunt Parmam. Dominus Jacobus de Rivola de Pergamo fuit Poteſtas Parmæ eodem Anno ſecundis ſex menſibus poſt Sanctum Petrum. Dominus Henricus de Mezavulanis de Bononia fuit Capitaneus Populi Parmæ ſecundis ſex menſibus incipiendo ab Auguſto. Et eo Anno & tempore ſtarium frumenti valuit XIII. ſolidos Parmenſes, & IV. ſolidos Imperiales circa feſtum omnium Sanctorum, & menſura vini VI. ſolidos. Item eodem Anno elevata eſt Turris Sanctæ Mariæ Majoris Eccleſiæ à cingulis lapideis ſine archetis inurſum per multa brachia. Et factus eſt ibi quartus circulus, & ſunt ibi quinque clavi de lignamine roboris. Item eo Anno alius quidam Comes pro Eccleſia vênit in Romaniam, & fecit omnes paces, & tenuit ibi D. Milites. Item eo Anno Dugaria, quæ vadit ex traverſo glareæ Communis, facta fuit occaſione Navilii Communis, & conſtitit Communi DCC. Libras Imperialium, de menſibus Septembris & Octobris. Et ordinatum fuit per Commune Parmæ de emendo molendina Dominorum de Ferrapecoris, quæ habebant in Navilio extra Portam Pontis de Bononia, quod in ſequenti Anno adimpletum fuit, & conſtitit CCCLX. Libras Imperialium, & deſtructa fuerunt pro dicto Navilio complendo. Item eo Anno Dominus Bardelonus filius Domini Pinamontis de Bonacoſis de Mantua expulit Dominum Carpium fratrem ſuum de dominio civitatis Mantuæ, & ipſum, & multos alios cepit & carceravit contra voluntatem dicti ſui Patris. Et tunc dictus Dominus Bardelonus ſacramentatus fuit cum Venetianis, Paduanis, & Bononienſibus, & fecit pacem cum Dominis de la Scala & Veronenſibus. Eodem Anno Dominus Oppizo Marchio Eſtenſis fecit in civitate Mutinæ in bocca Navilii unum caſtrum cum uno Palatio & IV. turribus, muratum circumquaque & affoſſatum cum pontibus levatoriis. Item eo Anno Porta de Sancto Matthia facta & completa fuit, & depoſitio Poteſtatum Villarum Epiſcopatus Parmæ. Item eo Anno menſes Novembris & Decembris fuerunt pluvioſi & nubiloſi, & non fuit nix, neque intenſum frigus. Item eodem Anno in Vigilia Nativitatis Domini, Dominus Comes Atrebatenſis redeundo de Apulia, & eundo in Franciam, tranſitum fecit per Parmam cum D. militibus.

In MCCXCII. Dominus Techa de Freſcobaldis de Florentia fuit Poteſtas Parmæ primis ſex menſibus ad Annum novum. Dominus Baldoynus de Ugonibus de Brixia fuit Capitaneus Populi dictis ſex menſibus inceptis à Februario. Et ipſo Anno Dominus Maphæus Vicecomes de Mediolano, nepos Domini Archiepiſcopi Mediolani, tunc Capitaneus Mediolani factus fuit Dominus civitatis Cumarum hinc ad V. Annos. Et tunc banniti civitatis ejuſdem Cumarum de bannis ſui & cum pace reverſi ſunt. Item eo Anno quidam boni viri de Populo Parmenſi fuerunt adatti in Libro Societatis Cruxatorum, approbati primò ſinguli per tres mutas Sapientum, & poſtea per Conſilium Credentiæ Populi, & fuerunt MCCC. numero. Item eo Anno Dominus Marchio Montisferrati, nomine dictus Dominus Guilielmus Spadalonga, exiſtens in carceribus in civitate Alexandriæ, obiit in pace, die VI. intrante Februario. Item eo Anno Dominus Comes Romagnæ expulſus fuit de civitate Forlivii, & capti fuerunt quidam ejus frater, & quidam ejus nepos, die III. intrante Februario. Cujus negotii auctores fuerunt Maghinardus

de

A de Faventia, & illi de Corbulo, de Forlivio, &
ipſa civitas. Dominus Guido de Polenta de Ra-
venna, & Epiſcopus civitatis Rodulfinus de Ra-
venna, cum eo tenere videntur, & civitates
Cæſenæ, Arimini, Imolæ, & caſtra multa. Et
eo Anno valuit frumentum XIII. ſolidos Par-
menſes. Eodem Anno de menſe Martii campa-
næ primò fuerunt poſitæ ſuper Turri nova Ec-
cleſiæ Majoris. Item eo tempore ordinatum fuit
per Commune Parmæ de faciendo duo millia Li-
brarum Monetæ de Parmenſibus parvis. Item eo
Anno die Mercurii, II. intrante Aprilis, Domi-
nus Nicolaus Papa IV. obiit. Et poſt modicum
temporis Populus civitatis Firmi cum quibuſdam
aliis civitatibus de Marchia Anconitana devaſta-
B vit, Civitatem Novam de olivis & vineis, &
unà cum Anconitanis & Eximis, & ipſi cum eis
guaſtaverunt multum de diſtrictu Oximi, & mul-
ta loca & caſtra ipſius diſtrictus habuerunt. Et
eo Anno duo Senatores facti fuerunt Romæ,
unus quorum fuit Dominus Stephanus de Co-
lumna, & alius quidam nepos Domini Matthæi
Cardinalis. Item eo Anno Commune Florentiæ
tam per terram, quàm per mare guaſtaverunt
civitatem Piſarum uſque ad civitatem per unum
milliarium. Et in ipſo exercitu fuerunt Januen-
ſes. Item eo Anno Romani prœliati fuerunt
ſimul de menſe Februarii, & ſpoliaverunt Ec-
cleſias, & loca religioſa, & foreſterios. Item
eo Anno die Mercurii VIII. intrante Junio, ban-
C niti civitatis Cumarum intraverunt ipſam civita-
tem, & fugaverunt de ipſa civitate amicos Do-
mini Epiſcopi Cumarum, quæ pars habuit re-
curſum ad civitatem Mediolani. Dominus Fri-
dericus Ponzonus de Cremona fuit Poteſtas Par-
mæ eodem Anno ſecundis ſex menſibus ejuſdem
Anni poſt Sanctum Petrum. Dominus Bazanus
Aroldus de Laude fuit Capitaneus Populi Parmæ
ſecundis ſex menſibus dicti Anni inceptis ab
Auguſto. Item eo Anno per Commune Parmæ
fuit ordinatum, quòd Fratres de Claravalle de-
bent eſſe Maſſarii Communis, & Maſſaroli Com-
munis, & ſupraſtantes tam in civitate, quàm
extra ad Doanam Salis & Salinæ Communis, &
ad puteos, & ad faciendum fieri Salinam Com-
D munis, uſque ad V. annos cum ſalario CC. Li-
brarum Imperialium, & quolibet Anno. Et
etiam ob hoc per Commune Parmæ fuit eis lar-
gita quarta pars poderis Domini Jacobi Taver-
nerii, quam ſibi relliquerat in teſtamento ſuo
Item eo Anno quidam Notarius de Laude ad
officium Navilii Communis fuit Parmæ ad ſala-
rium. Item eo Anno non fuit intenſum frigus
& hyems fuit ſicca, ut plurimum. Et ſtarium
frumenti valuit V. ſolidos Imperiales & IV.

In MCCXCIII. Dominus Marcus Juſtinianus
de Venetiis fuit Poteſtas Parmæ primis ſex men-
ſibus ad Annum novum. Dominus Guelmus de
Boxeto de Terdona fuit Capitaneus Populi Par-
mæ primis ſex menſibus inceptis à Februario.
E Eodem milleſimo in die Anni novi Dominus
Epiſcopus Parmenſis excommunicavit Poteſta-
tem Parmæ occaſione cujuſdam Clerici, qui
erat in carceribus Communis occaſione prodi-
tionis Razoli. Item & ad dictum Annum no-
vum Dominus Ubertus Borgarellus complevit
officium ſuum Notariæ Poteſtatis, quòd tenue-
rat à guerra Imperatoris uſque nunc, & qui Do-
minus Ubertus in ipſo officio fuit omnibus bene-
volens, gratioſus, & ſapiens. Item eo Anno
circa medium Februarii, Dominus Homo de
Santis, ſive de Lombarduciis de Cagiis fuit pri-
mus Syndicus Communis foreſterius in civitate
Parmæ. Item eo Anno Liber Societatis Cruxa-

A torum & Populi Parmæ de conſenſu & conſcien-
tia dicti Capitanei per Donadeum ejus Nota-
rium in pluribus locis falſificatus & caſſus fuit,
& nomina plurimorum raſa fuerunt, & alia lo-
co eorum ſcripta per Jacobinum Menclotti No-
tarium, qui propterea bannitus fuit & condem-
natus pro falſitate. Item eo Anno dictus Domi-
nus Poteſtas cum banderiis levatis, armata ma-
nu cum M. peditibus de Populo ad hoc depu-
tatis & aliis, cucurrit Guardaxonum & Tra-
verſetulum ad domum illorum de Baratis, &
deſtruxerunt domos Dominorum Simonis, Ge-
rardi, Sandrini, Johannis, & Ugolini, omnium
de Baratis, occaſione querimoniæ factæ de eis per
Antolinum de Rondanaria. Item eo Anno in die
B carniſprivii rectè in prandio dictus Dominus Ba-
xanus Aroldi Capitaneus propter timorem di-
ctarum falſitatum inventarum in Libro Societa-
tis, inſalutato hoſpite, & non exſpectata ſen-
tentia Syndici, receſſit de civitate Parmæ, qui
dies fuit die Martis intrante Februario. Qui
Capitaneus fuit aſſociatus ab amicis Domini Epi-
ſcopi Parmenſis. Item eo Anno die XVII. in-
trante Februario. Dominus Oppizo Marchio
Eſtenſis tunc Dominus Ferrariæ & Mutinæ &
Rhegii, viam univerſæ carnis ingreſſus eſt. Et
tunc Dominus Azzo filius major quondam dicti
Domini Oppizonis, factus & vocatus fuit de
conſenſu fratrum ſuorum Dominus dictarum
trium civitatum. Qui Dominus Azzo miſit ſuos
C Ambaxatores, ſe ſe recommendando Communi
Parmæ. Et Commune Parmæ miſit ſuos Amba-
xatores Ferrariam ad condolendum ſe de patris
ipſius morte, & reconciliandum ipſum & con-
fratres ejus de ipſa morte. Dictum ei poſtea
fuit, quòd dictus Dominus Oppizo in ſuo teſta-
mento reliquerat Ferrariam ſolam ipſi Domino
Azzoni, & Mutinam Domino Aldobrandino al-
teri ejus filio, & Rhegium Domino Franciſchino
alteri ejus filio. Sed ut poſtea apparuit, dictum
teſtamentum non fuit mandatum fuit exequutioni.
Item eodem Anno de Menſe Martii dictus Do-
minus Poteſtas cum milite & aliis more ſolito
cucurrit Torelaream ad domum Ægidioli Scor-
cæ, eamque deſtruxit, occaſione injuriæ factæ
D per eum filio Careti. Item eo Anno die Jovis
III. exeunte Februario Pontremulenſes intrinſeci
intraverunt Burgum dictæ Terræ per vim, &
Malaſpini cum ſua parte expulſi fuerunt de ipſa
Terra, & magna pugna facta fuit inter ipſas
partes cum manganis & trabuchis. Deinde ve-
nerunt ad pacem. Et tunc Pontremulenſes de-
derunt ſe Communi Lucæ, & Poteſtatem, quem
ſolebant accipere de Parma, non plus accepe-
runt, ſed à Communi Lucæ. Et hoc pro eo quia
Commune Parmæ noluit ſe intromittere de eis.
Item eo Anno circa principium Junii Dominus
Aldebrandinus filius quondam Domini Oppizo-
nis Marchionis Eſtenſis, timens de fratre ſuo
Domino Azzone, aufugit de Ferraria, & ivit
E Bononiam, ubi benignè receptus fuit. Dictus
verò Dominus Azzo incontinenti timens, ne di-
ctus ejus frater intraret Mutinam, venit Muti-
nam, & eam valde bene munivit, & cuſtodes
ibi duplicavit, & bannivit ipſum, & Rangonos,
& multos alios, qui recuſaverunt ire ad ejus
mandata. Item eo Anno quum dictus Dominus
Marcus Juſtinianus Poteſtas exiſtens in ipſo regi-
mine electus eſſet in Poteſtatem Cremonæ, &
regimen ipſum acceptaſſet de voluntate Conſilii
generalis, & ipſum oporteret ire Cremonam pro
ipſo regimine, & non poſſet habere parabolam
aliter, quia debebat ſtare ad ſyndicatum, ipſe
aſſociatus ab amicis Domini Epiſcopi ivit Cre-
monam

monam ſine ſtando ad Syndicatum; propter quod Dominus Homodeus factus tunc Syndicus Communis Parmæ citari fecit ipſum, & per contumaciam ipſum condempnavit in C. Libras in una parte, & in XXV. in alia parte propter contumaciam. Et eo tempore valuit ſtarium frumenti III. ſolidis Imperialibus. Dominus Maxolus de Oddis de Peruſio fuit Poteſtas Parmæ ſecundis ſex menſibus dicti Anni poſt Sanctum Petrum. Dominus Philippus de Corvis de Bononia fuit Capitaneus Populi Parmæ ſecundis ſex menſibus inceptis ab Auguſto. Item eo Anno die X intrante Julio circa horam Tertiæ tonitrua maxima fuerunt cum pluvia magna in civitate Parmæ, & in quatuor locis ſagitta de cœlo percuſſit, & maxime in una domo Fratrum Humiliatorum in Capite Pontis plena fœno, quam domum cum fœno combuſſit, non obſtante pluvia. Et homines cum aqua & cum aceto non poterant dictum ignem extinguere. Et eodem menſe alia vice etiam percuſſit in una domo Fratrum de Columba de Placentia, quam domum cum magna quantitate blavæ combuſſit. Et eodem tempore maxima tempeſtas fuit in Epiſcopatu Cremonæ, & ita groſſa, quòd una balla dictæ tempeſtæ ponderabat III. Libris. Item eo Anno & menſe, die XI Julii, in civitate Piſtorii inceperunt maxima tonitrua & fulgura magna & fortiſſima, & duraverunt per XXIV. dies, & maximi & plurimi ibi fuerunt terræmotus, quorum occaſione multæ domus Piſtorii diruerunt, & multæ ſciſſæ, & magagnatæ fuerunt. Et una pars majoris Eccleſiæ dictæ Terræ diruit. Et Capitaneus Turris dicti Communis, & multi homines mortui fuerunt dicta de cauſa. Et homines ſtabant extra civitatem ad tendas & travachas. Et una figura Beatæ Virginis Mariæ, quæ erat ad dictam Eccleſiam Majorem, tunc plurima miracula fecit, ſanando infirmos & cœcos illuminando. Et fuit ibi magnum ſcovamentum, & multæ paces ibi tunc factæ fuerunt. Et erat tunc Poteſtas Piſtorii Dominus Bonifacius Lupus de Parma. Item eo Anno dictus Dominus Poteſtas cum mille & aliis, armata manu, more ſolito cucurrit ad domum Domini Johannis de Nitiis, qui erat Frater Gaudens, & etiam Poltrenerii de Riccoldis; & hoc propter certas injurias per eos factas in aliquos ſcriptos in Libro Societatis. Item eo Anno inceptus fuit Pons de Sorbolo, ut fieret de lapidibus & quadrellis ſuper flumen Hentiæ. Et eo Anno valuit frumentum III. ſolidos Imperiales.

In MCCXCIV. Dominus Curſius donatus de Florentia fuit Poteſtas Parmæ primis ſex menſibus inceptis ad Annum novum. Dominus Torſardus de Bergonciis de Pergamo fuit Capitaneus Populi Parmæ dictis ſex menſibus inceptis à Februario. Item eo Anno de menſe Martii, quidam nomine Jacobus de Canonica de Vicinia Sancti Johannis fuit interfectus in Terra de Ulmo Epiſcopatus Parmæ à quibuſdam de dicta Terra de Ulmo, qui dicebantur eſſe ejus amici, & qui ipſum ſepelierunt in uno ſuo campo in dicta Terra; & ſtetit ſepultus, antequam ſciretur, per viginti octo dies, & tamdem vênit in publicum. Et tunc Collegium Notariorum civitatis Parmæ, de quorum Collegio dictus Dominus Jacobus erat, volens ſcire voluntatem, qualiter mortuus fuerat, & à quibus, miſerunt Anzianum eorum cum certis Notariis ad dictam Terram de Ulmo, & ceperunt duos ex malefactoribus, quos duxerunt Parmam in fortiam Communis. Quorum unus propterea appenſus fuit per gulam, & alius, quia non manifeſtavit per aliqua tormenta, condempnatus fuit carcere perpetuo. Et Notarii invenerunt corpus in campo, ubi ſepultus fuerat, & duci fecerunt Parmam, & ſepeliri fecerunt ad Monaſterium Sancti Johannis honorificè. Et plures alii banniti propterea fuerunt. Et iterum Notarii prædicti redierunt Ulmum, & domos, & arbores, vineas, & omnia bona bannitorum ipſa occaſione deſtruxerunt. Et Palatium intus Communis ſtetit clauſum, donec dicta vindicta per omnia facta fuit, & dicti Notarii ſunt reverſi. Item eo Anno de menſe Aprilis dictus Dominus Poteſtas armata manu cum M. peditibus de Populo, & aliis deputatis datii, ivit Medexanum ad domum Manfredoci filii Domini Bertolini de Cornazano, & ad domum Ugolini filii quondam Uberti de Cornazano. Qui Ugolinus de Bocho dicebatur. Et ipſas domos & bona eorum guaſtaverunt, occaſione inſultus facti per eos in Dominum Ubertum filium quondam Domini Lanfranchi de Cornazano. Item eo Anno incœpta fuit guerra inter Dominum Azzonem Marchionem Eſtenſem, & Dominum Franciſchinum fratrem ejus, & ſuos ſequaces ex una parte, & Commune Paduæ ex alia. Et certi de Parma iverunt in ſervitium dicti Domini Marchionis & fratris. Et tamdem venerunt ad pacem. Et dictus Dominus Marchio non bene habuit, quod intendebat. Nam caſtra ſua, quæ in Mundo meliora habebat, in compoſitione dirupta fuerunt, ſcilicet Eſte, & Calaonum. Eodem anno de menſe Maji, ſtarium frumenti valuit duobus ſolidis, & denarium, & menſura vini optimi III. ſolidos Imperiales. Item eo Anno dictus Dominus Poteſtas cum M. de Populo & aliis de tallia deputatis, armata manu cucurrit more ſolito ad domos Ylarioli Pinacii & Borencatii de la Senaza fratrum & filiorum quondam Domini Johannis de la Senaza, tam in Civitate, quàm ad Villas eorum, & ipſas domos, & alia ſua bona devaſtaverunt. Et hoc, quia dictus Borencatus interfecerat Dominum Bernardum Malabrancam. Item eo Anno inceptus fuit Pons de Tauro, qui eſt ſuper Stratam Claudiam, fieri de quadrellis, lapidibus, & calcina; & fuit fundatus ad modum unius fundamenti, & ſic ampli, ut erat Pons, & morræ ſuper ipſo fundamento elevatæ. Item eodem Anno morræ Pontis de Corbulo expletæ fuerunt. Item eodem Anno quatuor Hæretici, duo maſculi & duo fœminæ propter hæreſim combuſti fuerunt per Commune Parmæ; & qui ſe dicebant de Ordine Apoſtolorum. Item eo Anno quidam de Alzano, nomine Frater Gerardus Segarellus, qui dicebatur Dominus Fratrum Apoſtolorum, examinatus & inventus culpabilis in multis hæreſiis, & enormibus delictis, condemnatus fuit per Dominum Oppizonem Parmenſem Epiſcopum perpetuo carcere puniendus. Item eo Anno Platea Communis de novo facta tota fuit per Commune Parmæ & planellata. Item eo tempore una Leona donata fuit Communi Parmæ parvula, quæ poſtea allevata fuit, & tenta pro Communi quouſque vixit. Item eo Anno, die V. intrante Junio, Frater Petrus de Morono de Apulia electus fuit in Papam per omnes Cardinales, nemine diſcordante, & vocatus fuit Dominus Cœleſtinus Papa IV. Qui Papa equitavit aſinum uſque Aquilam, & ibi fecit XII. Cardinales. Dominus Florinus de Pontecarali de Brixia fuit Poteſtas Parmæ ſecundis ſex menſibus dicti Anni poſt Sanctum Petrum. Dominus Albertonus de Doxino de Cremona fuit Capitaneus Populi Parmæ ſecundis ſex menſibus

ſibus

ſibus incœptis ab Auguſto. Item eo tempore quædam domus pro Communi Parmæ facta fuit retro domos Domini Capitanei, ſeu Camuſinam, pro Leona Communis tenenda cum cuſtode ejuſdem, & paſceoda expenſis Communis. Item eo Anno de menſe Julii, prima die regiminis dicti Domini Poteſtatis, quaſi inſpiratione divina, elevati fuerunt clamores & percuſſiones lapidum, bancorum, & tabularum à pueris, & treocolis, & ab aliis hominibus ſtantibus in Platea Communis & circa, poſt quoſdam, qui ſteterant primis ſex menſibus dicti Anni Advocati Communis, & Conſules Juſtitiæ Communis Parmæ, quorum aliqui non audebant apparere à Canale de Malocantono uſque ad Sanctam Chriſtinam, & à Beccaria de Sancto Georgio uſque ad domos de Prandis. Et continuò ſicut aliquis eorum apparebat, dictus clamor, & percuſſio lapidum levabatur poſt ipſos. Et ideo quia vendiderant juſtitiam pro denariis io condemnando innocentes, & in abſolvendo culpabiles pro denariis, & pecunia. Et duraverunt dicti clamores, donec data fuit bailia Poteſtati inquirendi ſuo arbitrio contra eos, & dooec capti & ligati fuerunt; & facta inquiſitione contra eos tormentati fueruot & conſeſſi, & condemnati quilibet eorum, pro ut exigebat delictum, quidam minùs; & reſtitutum perſonis totum, quod ab eis extorſiſſent, quod fuit plus quàm condemnatio Communis. Et fuerunt in Palatio veteri Communis, & in domo Domini Poteſtatis depicti cum nominibus & pronominibus eorum, & caſſati ad tempus ab omnibus Officiis Communis Parmæ.

Item eo anno dictus Dominus Poteſtas cum M. de Populo, & aliis ad hoc deputatis, armata manu, ut moris eſt, cucurrit ad Terras de Guardaſono & de Traverſerulo ad domos Dominorum de Baratis, & vaſtaverunt domos omnes, vineas, & ficus, & alia eorum bona, qui fuerunt oumero octo. Et hoc quia interſecerant Ugolinum, & Antolinum de Rondanaria. Et hoc fuit de menſe Auguſti. Item eo anno Venetiani venientes de ultra mare cum XXX. Galèis, & mercadantia inæſtimabili, acceperunt per vim unam Galêam Januenſium. Qui Januenſes ira moti, ſequuti fuerunt eos cum XVIII. Galêis uſque ad Portum Laudacii; & ibi prœlium duriſſimum fuit inter eos. In quo prœlio Januenſes obtinuerunt, & dictos Venetianos omnes cum Galèis eorum ceperunt, & captivos duxerunt omnes Januam exceptis mortuis. Et quum fuerunt Januæ, dimiſerunt & relaxaverunt omnes, exceptis centum de melioribus, quos teouerunt. Mortuorum verò non fuit oumerus. Item eodem anno elevata fuit Turris Majoris Eccleſiæ à feneſtris campanarum in ſurſum. Et facti ſunt ibi archi peyti de lapidibus, & quatuor cantoni, & ſuper quolibet unum capitellum cum pomis deauratis. Item eo anno parvæ oives fuerunt, & magna mortalitas pullorum, & ſextarium frumenti valuit II. ſolidis, & pro majori parte temporis III. ſolidis Imperialibus. Item eodem anno, tempore oubiloſo & pluviali, Magnanus de Cornazano bannitus Communis Parmæ pro maleficio, cum quibuſdam aliis bannitis Communis Parmæ, & aliis numero XL. abſtulit Communi Parmæ caſtrum Grondulæ. Et hoc ſcito à Communi, Commune miſit illuc Militem Poteſtatis cum certis peditibus & baliſteriis & equitibus, & cum hominibus Terrarum à Fornovo io ſurſum. Qui quum fuerunt ad locum, incontinenti prœliari cœperunt cum dictis bannitis. Et dictus Magnanus interrogatus, ſi volebat reddere caſtrum, reſpondit quòd non, niſi ſicut volebat Domious Epiſcopus Parmenſis, qui habebat claves pro ſe, & Domino Marchione Eſtenſe. Quo audito & intellecto à Communi Parmæ, Commune cridari fecit, ſi quis volebat ſoldum, darentur cuilibet duo ſolidi Imperiales pro die. Et iverunt mille pedites, & ultra, ad dictum locum. Qui quum fuerunt Berceti, dicti banniti quadam nocte dimiſſo loco effugerunt. Capitaneus verò cum duobus cuſtodibus, qui ibi ante erant pro Communi, & unus ex bannitis capti fuerunt, & ducti Parmam, & traſcinati ad caudas mulorum uſque ad montales de Colio, & ibi fuerunt appenſi per gulam. Dictus verò Magnanus & alii prædicti banniti depicti fuerunt in Palatio veteri Communis cum nominibus & pronominibus eorum, & banniti tamquam proditores Communis Parmæ. Et eodem tempore poſt aliquot dies quidam ex prædictis bannitis captus eſt per homioes de Rocha, qui ſimiliter ductus fuit in ſortiam Communis, & traſcinatus & appenſus in eodem loco, qui vocabatur Speciali. filius Johannis Specii. Item eo anno die XVI. exeunte Decembri, prædictus Dominus Cœleſtinus Papa renuntiavit Papatui, ordinato priùs inter Cardinales de modo & forma ſucceſſoris. Item eo anno magna abundantia aquarum fuit, ita quòd Terræ de Sacha, & de Sanguigna, Zella Turricella, Columi, Coparmiulis, Inſula, Henzanum, Cohentium, & Amazzabove, & aliæ multæ Terræ fuerunt ſub aquis, ita quòd non habebant terram, & oavigari poterat uſque ad Gaynagum, & ad Eccleſiam de Mazzabove. Eodem anno Burgus de Terentio, & Eccleſia, & domus omnes dicti Burgi & Eccleſiæ per dilatata maximas, quæ ibi fuerunt, deſtructæ & dilatatæ fuerunt de loco eorum longè ſatis & diruptæ. Item eodem anno in feſtivitate omnium Sanctorum Dominus Azzo Marchio Eſtenſis unà cum Domino Franceſchino fratre ſuo congregavit in civitate Ferrariæ maximam & honorabilem Curiam omnium Procerum civitatum Lombardiæ de amieis ſuis, in qua Curia factus fuit Miles cum prædicto fratre ſuo per Dominum Gerardum de Camino Dominum Treviſii. Et ipſe Dominus Azzo Miles factus incontinenti fecit alios LII. Milites ſuis propriis expenſis, quamdiu fuerunt io civitate Ferrariæ, quorum ſingulis donavit duas veſtes varas, unam de ſamito, quam donaverunt ad Curiam, & aliam de medietate, quam in ſe retinuerunt. Et de prædictis fuerunt quatuor de Parma, ſcilicet Dominus Petrus de Sancto Vitale, Dominus Johannes de Sancto Vitale, Dominus Gerardus de Henzola, & Dominus Chriſtophorus de Marano. Quæ quidem Curia io Lombardia magna germinavit, cujus flores & fructus nondum finem habuerunt. Item eo anno in Vigilia Nativitatis Domini Domious Benedictus Gaytanus Cardinalis electus fuit in Papam, & vocatus fuit Domious Bonifacius Papa VIII. Qui Dominus Booifacius Papa cepit Fratrem Petrum de Morono olim Papam prædeceſſorem ſuum, & eum detineri, & cuſtodiri fecit, curialiter tamen, toto tempore vitæ ipſius Petri.

In MCCXCV. Dominus Umbertus quondam Domini Guarnerii de civitate Caſtelli fuit Poteſtas Parmæ ad annum novum. Dominus Tavena de Tolomeis de Sena fuit Capitaneus Populi Parmæ dicto anno incœpto à Februario. Item eo anno Dominus Bardelonus filius quondam Domini Pinamontis de Bonacoſis de Mantua,

A tua, extraxit fratrem ſuum & filium fratris de carceribus, & eos poſuit in confinibus. Et duo millia bannitorum Communis Mantuæ extraxit de bannis, & conduxit in Mantuam, infringendo omnia Statuta loquentia contra bannitos. Et fuit in pace cum dictis Fratre, & Nepote ſuo. Item eo anno ad poſtulationem Cremonenſium, Ambaxatores Communis Parmæ cum duobus Fratribus Prædicatoribus fecerunt Parlamentum in Terra de Brixillo & Portioli. Et expleto Parlamento Cremonenſes in eorum Conſilio firmaverunt, quòd omnes mercadantiæ, quæ ducebantur ad Pontem de Cremona ad ſolvendum gab.liam, ibi ulteriùs non ducerentur, dummodo ſolverent gabellam ad Pontem de Doxe- B lo. Item eo anno valuit frumentum ſcilicet ſtarium III. ſolidis & denariis Imperialibus VIII. uſque ad Sanctum Petrum. Item eo anno Marchio Eſtenſis abſtulit Militibus de Rhegio omnia caſtra eorum Epiſcopatus Rhegii præter Roſenam, quæ eſt Domini Guidonis de Rhegio. Item eo anno Mediolanenſes fecerunt quoddam caſtrum de lignamine in Laude-Vecchio contra voluntatem Laudenſium, & Cremonenſium, valde magnum, & mirabiliter fabricatum. Item eo anno Cremonenſes fuerunt ſconfiĉti à Placentinis juxta caſtrum Malii, & de ipſis Cremonenſibus capti fuerunt LX. vel circa. Item eo anno Cremonenſes iverunt in obſidione Caſtri, quod dicitur Caſtilionum de Epiſcopatu C Laudi, quod muraverant Mediolanenſes. Quo ſcito Mediolanenſes, Placentini, & Brixienſes venerunt magnificè in ſuccurſum dicti caſtri, & caſtrametati fuerunt juxta per IV. milliaria. Et hoc ſcito Cremonenſes incontinenti receſſerunt à dicto abſedio, & intraverunt Laudum. Et tunc Mediolanenſes cum ſuis venerunt Laudum per IV. baleſtratas, & etiam uſque ad foveas, trombando & clamando: *Exite forìs garulæ de Cremona, exite forìs garulæ, & venite ad prælium*. Sed non fuerunt auſi exire. Mediolanenſes verò ſic ſteterunt uſque ad meridiem; poſtea incolumes receſſerunt. Dicti verò Cremonenſes nocte veniente occultè & verecundosè receſſerunt. Et hæc fuerunt de menſe D Junii. Item eo anno de menſe Junii Dominus Zentilis Domini Gualteroni, Judex de Firmo fuit Syndicus Communis Parmæ, & incœpit officium ſuum die XV. menſis Junii. Item eodem anno & tempore exiſtentibus duabus partibus in Parma jamdiu ortis, ſcilicet pars Domini Epiſcopi, & pars Dominorum de Corrigia, dictus Dominus Epiſcopus excommunicavit dictum Dominum Poteſtatem, qui fecerat ſuſpendi quemdam, qui dicebat ſe Converſum Monaſterii Sancti Johannis, qui inculpabatur de nece unius mulieris. Et quam ſententiam dictus Dominus Poteſtas tulerat de conſilio Judicum civitatis Parmæ. Unde ipſe Dominus Epiſcopus etiam excommunicavit Judices de Collegio & E Notarios, qui adjuvabant Judices, cum multis aliis Meſteriis, de quibus erat in Parma magna contentio inter partes. Quibus de cauſis duo Ambaxatores cum uno Notario à parte Communis Parmæ, licèt contra voluntatem illorum de parte Epiſcopi, ad Romanam Eccleſiam ſive Curiam, ad defendendum dictum Dominum Poteſtatem & Collegium Judicum & Notariorum, & alios excommunicatos, miſſi fuerunt, & ad accuſandum dictum Dominum Epiſcopum de certis operibus. Qui Ambaxatores fuerunt Dominus Gerardus de Botono Decretorum Doctor, & Dominus Petrus de Prandis Judices, ambo de Porta Nova, & Aliotus de Aliotis

A Notarius. Sed nihil facere potuerunt, ſicut Deo placuit. Et qui die IV. exeunte Junio ſe moverunt de Parma, & iverunt Anagniam, ubi tunc erat Curia, & ibi Anagniæ ambo dicti Ambaxatores naturali morte obierunt, de menſe Auguſti proximè venientis. Et dictus Notarius fecit teſtamentum eorum, & interfuit ſepulturæ, & cum Dei auxilio rediit Parmam, ſed non bene ſanus, nec ſecum exiſtentes. Ob quorum Ambaxatorum mortis compaſſionem & remunerationem Commune Parmæ ſuccedente tempore, quo ſolùm pars dictorum de Corrigia regebat, dedit filiis amborum dictorum Ambaxatorum officium Notarii Poteſtatis ad decem annos continuos. Item eodem tempore Dominus B Ugolinus Rubeus filius quondam Domini Jacobini Rubei civis Parmæ fuit & erat Senator almæ Urbis Romæ, & ibi Romæ erat cum magna comitiva Militum, Judicum, Notariorum, Soldatorum, equeſtrium & pedeſtrium, & domicellorum, & aliorum familiarium, omnium de Parma pro majori parte. Dominus Bonifacius de Bonconſiliis de Bononia fuit Poteſtas Parmæ propriis ſex menſibus dicti anni in MCCXCV. ſed non complevit. Dominus Gotius de Foro de Brixia fuit Capitaneus Populi dictis ſecundis ſex menſibus incœptis ab Auguſto, ſed non complevit. Item eo anno & tempore factæ fuerunt quatuor mortæ ad Pontem Taronis. Item eo anno factus fuit murus Communis de C Sancta Maria Nova versùs flumen Parmæ, & in capite de ſubtus unus Turriſimus. Item eo anno, die Dominico, ultimo exeunte Julio in Platea Communis Parmæ in plena concione jurata fuit Societas cum Bononienſibus, & poſtmodum firmatum fuit in Conſilio generali Communis Parmæ, quòd Ambaxatores utriuſque Communis Parmæ & Bononiæ quolibet menſe ſimul coadunari deberent, uno menſe ad Caſtrum-Franchum, & alio ad Caſam Dei, causâ providendi & ordinandi de meliori ſtatu utriuſque Communis & amicorum. Et ſimile juramentum fecerunt Bononienſes in ſua platea & civitate. Item eodem anno expletus fuit Pons de Sorbulo ſuper flumen Hentiæ. Item eodem tempore de D menſe Auguſti Dominus Otto de Vicecomitibus Archiepiſcopus Mediolani viam univerſæ carnis ingreſſus eſt. Item eo tempore dictus Dominus Poteſtas cum M. & aliis deputatis, ut moris eſt, cucurrit ad domum Domini Simonis de Anzelis in civitate & extra, & dictæ domus, & bona ejus deſtructa fuerunt, & condemnatus fuit in M. Libras, tamquam proditor cum quibuſdam aliis de parte extrinſeca, qui inculpati fuerunt de proditione civitatis.

Item eodem tempore Dominus Oppizo de Sancto Vitale Epiſcopus Parmenſis electus fuit in Archiepiſcopum Ravennæ; de quo per illos, qui erant de ſua parte, magnum gaudium poſtea verſum eſt in luctum. Item E eodem Anno & tempore magni timores fuerunt in civitate Parmæ à parte in partem. Nam Marchio Eſtenſis avivabat quantum poterat Dominum Epiſcopum & ſuam partem, ex quo pars Dominorum de Corrigia multùm timebat, & magnæ cuſtodiæ fiebant omni nocte per Populum unius Portæ & per vicinias. Et inſtigante diabolo dictum fuit, quòd dictus Dominus Epiſcopus habebat guarnimenta in Palatio Epiſcopali; & ſic dictus Dominus Poteſtas, licèt nollet, quia erat de parte Epiſcopi, convocavit in Platea Communis duo millia de Populo Parmenſi electa pro cuſtodia Civitatis, & cum eis ivit ad Palatium Epiſcopi, ut ipſum muniret

ret pro Communi. Et etiam Monaſterium Sancti Johannis; & quum fuerunt in Platea majoris Eccleſiæ, Poteſtas nolebat intrare Palatium Epiſcopi; unde Populus cum equo ipſum per fortiam portavit in Curiam Domini Epiſcopi, cridando: *Moriatur latro; moriantur latrones de parte Imperii*, qui ibi eſſe dicebantur. Dictus verò Epiſcopus timore perterritus, cum familia tota ſua, de ipſo Palatio deſcendit ſuper ſcalas & oſtium, quod eſt juxta molendinum ſuum de retro, & ivit ad Monaſterium Sancti Johannis quàm velociùs potuit. Deinde equitavit ad Sanctam Eulaliam, & ibi ſtetit per tres dies; poſtea equitavit Rhegium, & hoſpitatus fuit in Burgo de Sancta Catherina in domo Johannis Chinani albergatoris, ubi ſtetit per tres dies vel circa; poſtea ivit ad Monaſterium Sancti Proſperi de Rhegio dicti de ſubtus, ubi ſe præparavit, & ivit poſtea Ravennam ad Archiepiſcopatum ſuum. Et prædictus curſus Populi, & receſſus dicti Domini Epiſcopi de Parma fuit in Vigilia Sancti Bartholomæi de menſe Auguſti. Et tunc dictus Dominus Bonifacius Poteſtas licentiatus fuit cum tota familia ejus, & ſolutum fuit ſibi integrè de toto ſalario ſuo. Et miſſum fuit ex parte Communis Parmæ ad Commune Bononiæ, ut mitterent quem vellent Parmam prò Poteſtate. Et incontinenti miſerunt Dominum Pelegrinum de Simonpizolis de Bononia. Qui vênit Parmam die VII. exeunte Auguſto, & ipſo die regere incœpit, & dictus Poteſtas receſſit. Dominus Pelegrinus de Simonpizolis de Bononia fuit Poteſtas Parmæ dicto Anno electus uſque ad Annum novum, initium cujus fuit die VII. exeunte Auguſto. Item eodem tempore prædictis de cauſis CC. milites ad tres equos, & D. pedites de Bononia venerunt Parmam in ſuccurſum Communis Parmæ. Item eo Anno omnes de parte Imperii extrinſeci fuerunt poſiti ad confinia longè à Civitate per X. milliaria, & quatuor viginti ex ipſis fuerunt confinati longè à Civitate per L. milliaria. Et quidam de ipſa parte fuerunt banniti tamquam proditores Communis Parmæ. Item eodem tempore dictus Dominus Poteſtas armata manu cum M. de Populo & aliis deputatis, more ſolito cucurrit ad domos Guiellini & Abbatis de Rangonibus, & Niviloni de Pizo, & quorumdam de Buceriis, qui fuerunt tunc banniti perpetualiter pro proditione civitatis. Et domos omnes & arbores & alia bona omnium prædictorum devaſtaverunt in Villis eorum, nam in civitate nihil habebant. Item eodem Anno dictus Dominus Poteſtas armata manu cum M. de Populo & aliis deputatis more ſolito cucurrit ad Terram de Pratoſellis ad domos illorum de Zeſſo, quas & omnia alia eorum bona totaliter guaſtaverunt, ſtando ibi per tres dies. Et hoc quia inculpati fuerunt de morte Albertini olim filii Domini Gerardi de Boxeto. Item eo tempore pars amicorum illorum de Turre expulſa fuit de civitate Brixiæ, & banniti & devaſtati intus & extra. Item eo Anno quædam domus, quam dictus Dominus Epiſcopus Parmenſis fecerat fieri juxta Palatium ſuum ante domos Marſiliorum, per Commune deſtructa fuit. Item eo Anno Caſtrum Cuvriachi per Commune Parmæ fuit cuſtoditum & apalancatum per homines de ultra Hentiam à ſtrata in ſurſum. Item eo Anno ſupradictus Dominus olim Parmenſis Epiſcopus confinatus fuit per Commune Parmæ per ſtatutum Communis de novo factum contra eum. Item eo tempore Magiſter Johannes de Caſtro Archualdo diſtrictus Placentiæ, exiſtens tunc Capellanus Domini Cardinalis de Parma fuit electus in Epiſcopum Parmenſem per Dominum Papam. Et hoc ad poſtulationem dicti Domini Cardinalis. Item eo Anno die IV. Novembris in generali Concilio Communis & Populi Parmæ, in quo fuerunt MCXVII. Conſiliarii, ſupradictus Dominus Gonus de Foro Capitaneus Populi Parmæ de voluntate dicti Concilii renuntiavit ipſum regimen & Capitaneatum: & per Commune Parmæ ſibi fuit integrè ſatisfactum de toto ſalario ſuo. Et incontinenti in eodem Conſilio prædictus Dominus Pelegrinus Poteſtas factus & electus fuit in Capitaneum Populi Parmæ, ita quòd fuit Poteſtas & Capitaneus uno & eodem tempore uſque ad Annum novum. Et poſtea etiam fuit Capitaneus uſque ad Kalendas Februarii proximè ſubſequentis. Et tunc etiam in eodem Conſilio per dictos Conſiliarios poſt prædicta, & per Dominum Poteſtatem prædictum & tunc Capitaneum, & per Anzianos omnes in concordia & nullo diſcordante, reformatum fuit, quòd omnes banniti Communis Parmæ propter maleficia, cujuſcumque conditionis eſſent, cancellarentur, & extraherentur de omnibus bannis & condemnationibus eorum gratìs, ſcilicet illi de parte Eccleſiæ, & non alii. Et ita cancellati fuerunt omnes, ſolvendo tamen Communi pro quolibet bannito Libras V. Parmenſium. Et carcerati omnes pro maleficio ſimiliter relaxati fuerunt; quod quidem ſi bonum fuit, Deus novit.

Item eo tempore Dominus Ricardus de Camino filius Domini Gerardi de Camino Domini Trivisii, factus fuit Miles ſic magnificè, quòd numquam auditum fuerat de aliquo, qui ſic fieret. Item eo Anno pax jurata fuit inter Dominum Regem Carolum & Dominum Fridericum de Aragonia de menſe Auguſti. Item eodem Anno Dominus Carolus Rex Hungariæ & Uxor ejus in Civitate Neapoli obierunt, & dictum fuit, quòd erant toſſicati. Item eodem Anno & menſe Decembris in ſero ante diem Sanctæ Luciæ, inſtigante diabolo ad deſtructionem Civitatis Parmæ & diſtrictus, & Populi univerſaliter, dictum fuit, quòd certa guarnimenta fiebant ad Monaſterium Sancti Johannis, & ad domos aliorum Magnatorum Civitatis Parmæ. Qua de cauſa Poteſtas prædictus miſit familiam ſuam ad cercandum de ipſis guarnimentis, quia ante reformatum jam fuerat per Conſilia Communis ſolemniter, quòd ſi qua guarnimenta fierent in aliqua domo Civitatis, deſtrui & dirui deberent uſque ad fundamentum, cujuſcumque eſſent, etiamſi eſſet Baptiſterium Majoris Eccleſiæ, ad terrorem dictorum. Et quum irent ipſa nocte ad cercandum Monaſterium Sancti Johannis, prohibitum fuit eis cercare; immo ipſi de familia turpiter expulſi & fugati fuerunt cum lapidibus & baleſtris, & duo etiam ex familia fuerunt vulnerati. Qua familia reverſa ad domum Poteſtatis, ſonari fecit ipſa nocte ad campanellam Officialium, & convocavit Anzianos, & per eos proviſum fuit ſuperſedere uſque manè. Manè verò facto, ſcilicet die Martis XIII. menſis prædicti Decembris, in qoo die eſt Feſtum Sanctæ Luciæ, quum intraſſet Sathanas in corde hominum, dictus Dominus Poteſtas ſonari fecit campanellam de cavalcare, & volens ire ad dictum Monaſterium Sancti Johannis ad cercandum, & vindictam ſumendum de prædictis exceſſibus, convocavit duo millia de Populo Parmæ, deputata & electa, jamdiu erat, pro talibus vindictis exſequendis una cum Poteſtate. Et antequam con-

veoirent dicti de Populo ad Poteſtatem in Platea Communis, illi, qui erant amici, & de parte Dominorum de Corrigia, omnes tranſierunt ad Poteſtatem. Sed illi qui erant amici, & de parte Epiſcopi tranſierunt ad domos Magnatorum dictæ partis Epiſcopi. Et ſic D. Chriſtophorus de Marano frater D. Abbatis S. Johannis, Capitaneus dictæ partis Epiſcopi in P. Nova cum ſuis ſequacibus voluit venire ad Plateam, ſed prohibitum fuit eidem juxta domos de Prandis in Vicinia S. Ambroſii à quibuſdam, qui cum eo ibi prœliati fuerunt. Qui D. Chriſtophorus cum ſuis in fugam ſe mittens exivit Civitatem per foveas de S. Chriſtophoro. Dominus verò Johannes de Sancto Vitali Capitaneus ejuſdem partis in Porta Sanctæ Chriſtinæ cum ſuis ſequacibus congregavit ſe pedes & eques in Carrubio ſub volta Banriorum. Dominus verò Abbas Sancti Johannis, Dominus Guielminus, Dominus Gerardus de Henzola, & filii, & nepotes cum ſuis equeſtres congregaverunt ſe ad Beccariam de Sancto Georgio Domini de la Porta & ſui ad Porticum eorum, & Dominus Jacobinus de Rufinis cum eis ad angulum de Malocantono. Vexillifer Vexilli Sanctæ Mariæ, Dominus Guido de Corrigia cum ipſo Vexillo, Dominus Ardegberius de la Senaza, Dominus Thomaſius de Henzola, Dominus Guielminus Rubeus, Dominus Guido de Rocheriis, & ſui ſequaces irruerunt contra dictum Dominum Johannem, & exiſtentes cum eo, & ipſos ruperunt & fugaverunt, qui exiverunt per Foſſam de Feradella & evaſerunt. Poſtea verò irruerunt prædicti Dominus Guido & alii ſupranominati contra illos, qui erant ad Beccariam de Sancto Georgio, quos ruperunt & fugaverunt. Et omnes ii quamcitiùs potuerunt, effugerunt ab omni parte civitatis qua potuerunt. Monaſterium verò Sancti Johannis exſpoliatum fuit, & multæ robariæ nocte ſequente factæ fuerunt ab illis de parte, quæ obtinuerat, illis de parte Epiſcopi, quæ ſconfiсta erat. Deo autem faciente nec unus ſolus mortuus fuit, niſi Dominus Albertus de Sancto Vitale pater dicti Domini Johannis. Dicti verò Domini de la Porta, & Dominus Jacobus de Ruffinis, effugientes etiam evaſerunt, ſicut potuerunt. Et ipſi prædicti de parte Epiſcopi fugientes & expulſi de civitate modo prædicto, occeperunt Caſtrum de Cruce, & ipſum deſtruxerunt in totum. Deinde equitaverunt Curviachum, & cum auxilio illorum de Sexo & de Canuſio & quorumdam ex Capitaneis de Curviacho habuerunt, & Capitaneum & Cuſtodes ibi exiſtentes pro Communi Parmæ expulerunt, & ipſum locum munierunt, & tenuerunt poſtea cum auxilio Domini Marchionis Eſtenſis. Qui Marchio ſequenti die venit Mutinam causâ veniendi in eorum ſervitium, & qui bene ſciebat de dicto tractatu, credens ob hoc habere dominium Civitatis Parmæ. Et tunc adimpletum eſt proverbium, quo dicitur: *tardè venerunt bubulci*: & aliud proverbium, quo dicitur: *qui nimis vult, totum perdit*. Item altera die adveniente, ſcilicet die Mercurii, multitudo maxima hominum, Villarum, & Terrarum prædicti Domini Guidonis de Corrigia & amicorum ejus tam de citra Padum, quàm ultra Padum venerunt Parmam in auxilium de *Viva chi vince*. Item in eodem die in Feſto Sanctæ Luciæ de Civitate Arimini pars Ghibellinorum expulſa fuit per bataliam. Et de Civitate Januæ pars illorum de Fliſco expulſa fuit, & de Epiſcopatu Januæ. Item die Mercurii ſequenti poſt ipſum feſtum prædicti expulſi & extrinſeci de Parma cucurrerunt Epiſcopatum ab illa parte deſuper Stratam uſque Colloretum, omnia vaſtando & ardendo & derobando. Item die Jovis ſequenti Dominus Albertus Scotus Dominus Placentiæ quemdam ſuum nepotem bene, ut decuit, aſſociatum miſit in ſuccurſum Communis Parmæ. Et die ſequenti Milites de Mediolano ſimiliter Parmam venerunt in ſervitium Civitatis Parmæ. Et die Dominico ſequenti C. Milites de Bononia venerunt Parmam in ſervitium Civitatis Parmæ. Item eodem tempore venerunt duo Ambaxatores de Cremona Parmam ad condolendum ſe de prædictis; ſed nihil aliud fecerunt. Item eodem tempore de menſe Decembris in die Nativitatis Domini, prædicti expulſi & extrinſeci Parmæ cum auxilio Marchionis Eſtenſis intraverunt in caſtrum de Cruce, quod ante deſtruxerant, comburendo, & ipſum refecerunt, & munierunt, & poſtea tenuerunt. Item eo tempore non fuit glacies nec nix, & ſextarium frumenti valuit III. ſolidos & denarium. Item die ſequenti poſt Nativitatem Ambaxatores de Bononia venerunt Parmam ad ſciendum veritatem de prædictis. Et quum redirent Bononiam, firmatum fuit per Commune Bononiæ dare auxilium civitati Parmæ. Et hoc ſimiliter firmatum fuit à Dominis Mediolani & Placentiæ & Communibus earum, quoties expediret.

In MCCXCVI. Dominus Albizo de Bondelmontibus de Florentia fuit Poteſtas Parmæ primis ſex menſibus ad Annum novum, ſed non complevit. Item eodem Anno Commune Parmæ habuit & tenuit ad ſoldum Communis CCCL. ſoldatos ad equos & mille pedites cum baliſtis & lanceis longis. Et impoſitum fuit per Commune Parmæ unum mutuum octo millium Librarum Imperialium per Epiſcopatum, & quinque millium per Civitatem, & mutuum Clericis fuit impoſitum duo millium Librarum, & Tuſcanis præſtantibus ad pannum duo millium Librarum Imperialium uſque ad Kalendas Aprilis perſolvendum. Et ſic addiſcunt vacchellæ arare. Item eodem Anno in die Carniſprivii, Soldaderii Communis Parmæ equitaverunt verſus Guardaxonum, & invenerunt inimicos, & ipſos ſconfixerunt, & XL. ex eis ceperunt, & Parmam captivos duxerunt. Et habuerunt quinque Pennellos, & Inſignia Marchionis Eſtenſis cum tribus aliis banderiis magnis, quarum una erat illorum de Sancto Vitale. Item eo tempore Commune Parmæ impoſuit pro Communi MCC. equos & CC. equas. Item eo tempore C. milites de Placentia expenſis Communis Placentiæ, & CC. milites de Mediolano expenſis Communis Mediolani, & alii CC. milites de Bononia expenſis Communis Bononiæ erant, & ſteterunt in civitate Parmæ, & in auxilium & ſervitium Communis Parmæ. Dominus Rodulfus de Graydanis de Bononia eodem Anno fuit Capitaneus Populi electus per ſex menſes. Item eo tempore pars de Cojonibus de civitate Pergami expulſa fuit. Item eo Anno die primo Aprilis, ſecreto tractatu priùs habito, Marchio Eſtenſis intravit Bazanum diſtrictus Mutinæ, & ipſum refecit in odium Bononienſium. Et ipſa eadem die Maghinardus de Romagna cum ſoldatis & amicis dicti Marchionis abſtulit Imolam Bononienſibus, in qua captione multi Bononienſes mortui & capti fuerunt, qui erant ad cuſtodiam Imolæ. Et ſic incœpta fuit guerra inter Commune Bononiæ & dictum Marchionem, quod valde utile fuit Parmenſibus intrinſecis. Item eodem Milleſimo de menſe Januarii ordinata fuit Gabella per Commune Parmæ, quæ venit

&

A & dicta fuit de Bononia, & incœpta fuit colligere. Item eo Anno Dominus Matthæus de Foliano de Rhegio cum aliis, qui exiverant Rhegium, in odium Marchionis Eſtenſis intravit caſtrum Guerzolæ, & ipſum munivit. Item eo Anno Milites de Parma equitaverunt ad quatuor caſtella diſtrictus Rhegii, pluente cœlo per noctem totam, & diem, & ceperunt caſtrum, quod nominatur Mons Veclum, & in ipſo habuerunt Dominum Franciſcum de Fojano de Rhegio, quem Parmenſes in carceribus duxerunt. Et poſt modicum tempus Dominus Johannes de Palude dedit in fortiam Communis Parmæ caſtrum, quod dicitur Montezane; qua de cauſa dictus Dominus Johannes fuit extractus de B banno, in quo erat Communis Parmæ. Item eo tempore Rangoni, & alii extrinſeci de Mutina in odium Marchionis Eſtenſis, cum auxilio Bononienſium intraverunt Frignanum, & multas Terras habuerunt, & acceperunt dicto Marchioni in dicta contrata. Eo Anno Commune Bononiæ & Commune Parmæ, Commune Placentiæ, & Dominus Albertus Scotus Capitaneus Placentiæ, Commune Mediolani, & Dominus Maphæus Vicecomes Capitaneus Mediolani, Commune Brixiæ & extrinſeci de Rhegio & de Mutina, contraxerunt inter ſe ſocietatem contra Marchionem Eſtenſem. Item eodem tempore Dominus *Azzo* Marchio Eſtenſis cum toto ſuo poſſe, cum Rheginis, Mutinenſibus, Ferrarienſibus, C Pergamenſibus, & Laudenſibus, & quibuſdam extrinſecis Parmenſibus venit Monticulum, & ipſum expugnavit; ſed nihil ibi per Dei gratiam facere potuerunt, & nihil lucratus fuit, quia ſeptem de ſuis melioribus mortui remanſerunt. Qui Dominus Marchio miſit Parmam per ſuas literas, quòd erat ibi, & quòd exſpectaret eos uſque ad X. dies. Quod certè non fuit; immo ipſa eadem die poſt Nonam receſſit. Item eo Anno Frater Petrus de Morono olim Papa in fortia Domini Papæ obiit in Curia Romana die XXII. intrante Majo. Item eo tempore pars de Cojonibus intravit Pergamum, & alia pars expulſa fuit. Et eo Anno valuit frumenti ſtarium ſolidos IV. Imperiales & V. de-D narios, & plus.

Dominus Rolandinus Scotus de Placentia eodem Anno die XV. intrante Junio fuit Poteſtas Parmæ electus per ſex menſes, & ea die regere incœpit. Et prædictus Dominus Albizo Poteſtas ſequenti die receſſit, ſoluto ſibi priùs de toto ſalario ſuo curialiter. Et qui Dominus Rolandinus factus fuit Capitaneus guerræ, & Poteſtas uſque ad Kalendas Januarii. Item eo tempore poſt paucos dies in introitu dicti Domini Poteſtatis equitavit ipſe Dominus Poteſtas cum militia Parmæ in diſtrictu Rhegii uſque Rivaltam, ſpoliando, & ardendo totam contratam à Burgis civitatis Rhegii uſque Rivaltam. Et ibi habita fuerunt MM capita beſtiarum. Item eo E Anno poſt paucos dies prædictus Dominus Poteſtas cum militia equitavit in Epiſcopatum Rhegii ad Terram de Sancto Johanne in Gorgo. Et combuſta fuerunt multa loca, quæ ſicut fortilitiæ tenebantur in contratis prædictis; & magna præda beſtiarum facta fuit & ducta Parmam, & plures capti & ducti. Et Johannes Guacius de Parma, qui erat captus, ipſo jam capto, fuit interfectus ab uno illorum de la Senaza ejus inimico; quod bonum non fuit reputatum in honorem Poteſtatis & exiſtentium cum eo. Item eo Anno Turris de Bibiano Epiſcopatus Rhegii capta fuit, & fortilicia, quæ ibi erat, combuſta, & homines, qui ibi erant, capti fuerunt à

A Parmenſibus. Item eo Anno poſt paucos dies equitavit dictus Dominus Poteſtas cum militia versùs Rhegium, & Rhegini cum ſua militia equitabant ipſa die, & veniebant ad Bibianum. Quo ſcito à Parmenſibus, incontinenti equitaverunt contra Rheginos, & contra Milites Marchionis, qui erant cum eis, & ipſos inultaverunt, & ruperunt & ſconfixerunt; & plures ex ipſis Rheginis & Militibus Marchionis capti fuerunt & ducti Parmam in carceribus, inter quos fuerunt Dominus Guielminus de Canuſio de Rhegio, Cante de Florentia Comeſtabilis quorumdam Militum Domini Marchionis, & unus filius Domini Thebaldi Comeſtabilis quorumdam aliorum Militum Domini Marchionis, & plures B alii. Item eo Anno & tempore dictus Dominus Poteſtas Parmæ cum certis militibus & foreſteriis, ſoldatis ad ſuam poſtam, equitavit ſuper Rhegium, & magnam prædam fecerunt prope Burgos Rhegii. Et dum redirent cum ipſa præda, & venirent intra Cuvriachum & Caſtrum de Cruce, Parmenſes extrinſeci & milites Marchionis, qui erant in dictis caſtris venerunt contra dictos Dominum Poteſtatem & milites, qui cum eo erant, & prœlium magnum fuit inter ipſas partes. Tamdem dicti extrinſeci & milites Marchionis & alii de dictis caſtris ſconficti & rupti fuerunt, & in fugam & ruinam converſi per dictum Dominum Poteſtatem & milites de Parma prædictos. Ex quibus militibus Marchionis & C hominibus dictorum caſtrorum fuerunt capti & Parmam in carceribus ducti, Jacobinus Domini Alexandri de Cuvriaco, Boteſella de Cuvriaco, & frater & filius Domini Marcelli de Cuvriaco, & multi alii. Item eodem tempore Bononienſes redeundo de quadam andata, quam fecerant in diſtrictu Mutinæ contra Marchionem prœliati fuerunt caſtrum Savignani diſtrictus Mutinæ, & ipſum per fortiam habuerunt, & munierunt de ſuis, & munitum poſtea tenuerunt contra dictum Marchionem & Commune Mutinæ. Item eo tempore de menſe Novembris quum per Sapientes Bononienſes & Parmenſes eſſet ſecretè ordinatum, quòd uno eodem tempore Bononienſes à ſuo latere venirent ſupra diſtrictum Mutinæ, D & Parmenſes irent ſupra diſtrictum Rhegii in exercitum; Bononienſes bene exiverunt in exercitum, & poſuerunt ſe in obſidione Bazani, habendo ſecum Dominos de Polenta, & de Malateſti, & multos alios Romaniolos ad pedem & ad cavallos, & multos ſoldatos de Florentia, & ſteterunt in dicto abſedio per unum menſem, & tamdem dictum locum Bazani habuerunt ſalvis perſonis & rebus illorum, qui erant in dicto caſtro: quod caſtrum in ſe retinuerunt & retinent. Dominus verò Marchio cum toto ſuo poſſe, cum Rheginis, Mutinenſibus, Ferrarienſibus, Pergamenſibus & aliis ſuis ſequacibus, bene voluit ſuccurrere exiſtentibus in dicto caſtro; ſed non potuit, quia Bononienſes bene exſpectabant E eum. Item eo tempore & menſe, Parmenſes volentes exire ſecundùm ordinamentum prædictum, ut fecerant Bononienſes, exiverunt in exercitum extra civitatem uſquo ad Pontem Hentiæ, & etiam ad Calernum, & ibi ſteterunt per octo dies, ſinè aliquid faciendo, quia ſemper die noctuque cecidit pluvia, ita quòd nullo modo poterant facere aliquid. Mediolanenſes & Placentini, qui erant in ſuccurſum Parmæ, nullo modo exire voluerunt propter dictum malum tempus, exſpectantes omni die idoneum tempus. Et viſo quòd nihil fiebat, reverſi ſunt omnes Parmam; Intentio eorum erat, omnes ire ad caſtrum de Cruce, vel ad Cuvria-

cum.

cum. Eo tempore valuit ſtarium frumenti IV. A ſolidos & IV. denarios Imperiales.

In MCCXCVII. Dominus Bernardinus de Polenta de Ravenna fuit Poteſtas Parmæ ad Annum novum primis ſex menſibus, & fuit Capitaneus Guerræ. Dominus Ubertus quondam Domini Guarnerii de civitate Caſtelli fuit Capitaneus Populi Parmæ electus per ſex menſes primos in dicto Anno. Item eo Anno prædictus Dominus Poteſtas cum militia tota equitavit verſus Rhegium, & ultra ipſam civitatem inter Rhegium, & Erberiam, & concremare fecit per totam illam contratam. Et maxima præda ibi facta fuit. Et multi homines capti & ducti in carceribus Communis Parmæ; inter quos fuit captus Dominus Simon de Manfredis, qui aufugerat in quadam ſua motta, & ductus Parmam B in carceribus; quæ motta capta & combuſta fuit, & erat in Terra Scazani. Item eo tempore equitavit dictus Dominus Poteſtas die V. Martii cum militia tota & certa quantitate peditum in diſtrictum Rhegii ad S. Paulum; & habuerunt turrem Azolini de Canuſio, & fortilicias omnes dictæ Terræ. Et poſiti ibi fuerunt Cuſtodes pro Communi Parmæ, & dictus locus fuit munitus. Et incontinenti ipſa die idem Dominus Poteſtas cum tota militia & cum dicto Azzolino iverunt ad caſtrum Montis Luzuli, quod caſtrum per Commune Parmæ habitum fuit & munitum. Et Capitaneus dicti loci, qui ibi erat pro Marchione, ductus fuit Parmam cum aliquibus exiſtentibus in eodem, & alii omnes effugerunt, C aut aſſidati receſſerunt. Et pro dictis locis habendis habuit dictus Azzolinus à Communi Parmæ mille Florenos auri, & receptus fuit ad mandata Communis Parmæ cum certis ſuis propinquis & amicis & fidelibus ad partem dicti Communis Parmæ, & poſitus ad Conſilia generalia Communis & Populi, & in Libris Societatis. Item eo tempore Dominus Manuel de Valeſneria cum multis bannitis & rebellibus Communis Parmæ intravit caſtrum Cornelii Domini Epiſcopi Parmenſis, & ipſum tenuit & occupavit contra Commune Parmæ; ad quod caſtrum Commune miſit incontinenti dictum Dominum Capitaneum Populi, & unum ex ſociis D Domini Poteſtatis cum Populo Portæ Sanctæ Chriſtinæ, & cum certis militibus & ſoldatis. Qui quum fuerunt ad locum, expugnaverunt, & cum non habuerunt. Et Populus Portæ de Parma ivit, & prædicti Portæ Sanctæ Chriſtinæ reverſi ſunt. Et dato prœlio per illos de Porta de Parma, locum habuerunt, ſalvis & evadentibus perſonis & rebus eorum, qui erant in Caſtro. Populus verò Portæ Benedictæ eundo ad dictum exercitum, fuerunt uſque ad Longhiranum, & non ultra. Et Populus Portæ Novæ fuit uſque ad Mantaletum. Quo caſtro ſic habito per Commune Parmæ, deſtructum & diruptum fuit in totum. Item eodem tempore factus eſt tractatus, & divina gratia faciente, E pax & concordia facta fuit inter Dominum Azzonem Marchionem Eſtenſem & civitates ejus Ferrariam, Mutinam, & Rhegium ex una parte, & dictum Commune Parmæ ex altera. Et Dominus Guido de Corrigia omnino dictam pacem voluit, quum totum ſuum ſtaret in guaſto. Et Dominus Cavalcabos Marchio Vitelianæ de Cremona fuit arbiter dictæ pacis. Verùm fuit, quòd diſplicuit aliquibus Magnatibus Parmæ; & illi de parte Epiſcopi, ad quorum inſtantiam dictus Dominus Marchio incœperat dictam guerram, non ſe bene contentaverunt de ipſa pace; nec etiam requiſiti fuerunt ad hoc Bononienſes, Mediolanenſes, & Placentini; ſed ex parte Communis Parmæ Ambaxatores miſſi fuerunt ad ipſa Communia, ut non ſibi reputarent ad malum. Et ſic Bononienſes ſoli remanſerunt in brigam cum dicto Domino Marchione. Carcerati verò undique utriuſque partis liberè fuerunt relaxati. Sed illi de parte Epiſcopi non ob hoc redierunt Parmam, nec banniti nec confinati, qui erant ad confinia pro ipſa parte. Quæ quidem pax promulgata fuit in Terra de Caſa Dei diſtrictus Parmæ die ultimo Julii exiſtente in regimine Domino Guaſparo Poteſtate infraſcripto.

Eodem anno finitis ſex menſibus regiminis dicti Domini Bernardini de Polenta à Kalendis Julii, regimen Poteſtariæ commiſſum fuit dicto Domino Uberto Capitaneo, qui exercuit exiſtens Capitaneus ipſam Poteſtariam civitatis Parmæ à Kalendis Julii uſque in diem XXVIII. ejuſdem menſis Julii dicti anni. Dictus verò Dominus Bernardinus cum honore maximo ad propria remeavit. Dominus Guaſpar de Garbagnate de Mediolano fuit eodem anno Poteſtas Parmæ electus per ſex menſes. Qui regimen incœpit die IX. menſis Julii dicti anni. Et qui Dominus Poteſtas datus & miſſus fuit per Dominum Maphæum Vicecomitem Capitaneum Mediolani, ad quem per Commune Parmæ fuit ipſa electio deſtinata. Dominus Raynerius de Bondelmontibus de Florentia fuit Capitaneus civitatis & Populi Parmæ per ſex menſes electus, initium cujus fuit in Kalendis Octobris. Item eodem tempore extrinſeci & banniti civitatis Parmæ tam partis Imperii, quàm Epiſcopi, quia pax prædicta non bene placebat eis, juraverunt inſimul in odium Communis Parmæ, & partis tunc regentis in Parma & cogitaverunt proditoriè civitatem intrare. Et Manfredotus filius quondam Domini Bortolini de Cornazano conſanguineus germanus Domini Guilhelmini, & Ugolini de Rubeis, qui pro fideliſſimo dictæ partis habebatur & tenebatur, licèt Ghibellinus eſſet ab antiquo, tenebat cum eis, & erat caput tractatus, & auctor dictæ proditionis. Et exiſtentibus tunc omnibus majoribus civitatis Parmæ cum Domino Maphæo Vicecomite ultra Mediolanum ad ſociandum ipſum ad parlamentandum cum Marchione Montiſferrati, ut dicebatur, prædicti banniti ſe congregaverunt, & venire voluerunt ad civitatem dicto modo. Sed Deus & Beata Virgo prohibuerunt, & pluit fortiter, & tractatus prædictus vênit palàm, ita quòd certi ruſtici, qui jam venerant, fuerunt capti, & appenſi per gulam. Et dictus Manfredotus, & multi alii banniti fuerunt tamquam proditores ſui Communis, & domus ejus omnes & illorum de la Porta, & multorum aliorum fuerunt totaliter devaſtatæ. Et eo tempore prædicti banniti & rebelles Communis Parmæ utriuſque partis tam Imperii quàm Epiſcopi ſimul conjurati intraverunt in Montem Saxum, & ipſum munierunt in odium contra Commune Parmæ, & guerram Communi faciendo, ſicut plus poterant. Item eo anno & tempore de menſe Novembris dictus Dominus Poteſtas, Milites, & Soldati Communis cum Populo Portæ Benedictæ, & cum hominibus de ultra Taronem à Strata in ſurſum, exiverunt & iverunt in exercitum contra Montem Saxum, & perrexerunt illuc in Vigilia Sancti Martini, volentes ſe ponere in obſedio dicti loci, & ipſum habere. Nocte verò veniente Sancti Martini à ſero uſque mane vênit ita graviſſimum tempus ventorum, grandinis, & pluviæ, quòd tendæ non poterant teneri, ita quòd homines,

Mili-

Milites, & Populus, equi, & aliæ beſtiæ fuerunt in periculo maximo moriendi; & nemo pedes vel eques poterat ire per terram. Quare mane facto Populus univerſus de dicto exercitu abſque alia ordinatione diſceſſit, & vénit Burgum Sancti Domini, deinde Parmam. Poteſtas verò & milites fuderunt vina, & bladam, & panem per terram, & ſteterunt aliquantulum poſt Populum, & redierunt & ipſi Parmam. Item eo anno dictus Dominus Poteſtas in fine ſui regiminis ipſe tractavit, & permiſſa fuit pax inter prædictum Commune Parmæ, & prædictos bannitos exiſtentes in Monte Saxo, ad inſtantiam Domini Maphæi Vicecomitis Capitanei Mediolani, & Domini Alberti Scoti Domini civitatis Placentiæ.

In MCCXCVIII. eo tempore dictus Dominus Poteſtas de menſe Januarii factus fuit Syndicus & Compromiſſarius ex parte Communis Parmæ ad compromittendum in Dominos ſupradictos Maphæum, & Albertum cum illis de parte Epiſcopi; quem Syndicatum fecit Aliotus Notarius etiam & compromiſſum. Eodem MCCXCVIII. Dominus Folcherius de Carbulo de Forlivio fuit Poteſtas Parmæ menſe Januario electus per ſex menſes. Dominus Melius Marianus de Cremona fuit eodem anno Capitaneus Populi Parmæ electus per ſex menſes, initium cujus fuit in Calendis Aprilis. Et tempore dicti Domini Poteſtatis de menſe Februarii factus fuit Syndicatus ex parte Communis ad compromittendum cum illis de parte Imperii in prædictos Dominum Maphæum & Albertum Scotum, quem Syndicatum fecit dictus Notarius, & compromiſſum. Item eodem tempore de menſe Martii ſententiæ latæ fuerunt in civitate Mediolani per dictos Dominos Arbitros inter Commune Parmæ & prædictos bannitos utriuſque partis. Et ſic tunc completa fuit dicta pax; & inter alia locus de Monte Saxo vénit in Commune Parmæ, & per Commune Parmæ guaſtum fuit. Et illi de parte Imperii omnes iverunt ad confinia; & ducenti de parte Epiſcopi ad confinia etiam per dictam ſententiam ſunt poſiti, alii verò redierunt Parmam. Item eo tempore dictus Dominus Poteſtas cum mille de Populo, Anzianis Meſteriorum, Capitibus Societatum, & aliis Deputatis, more ſolito, armata manu cucurrit Bargonum, & domos, vineas, & arbores Dominorum de Bargono in totum deſtruxit; & hoc quia dicti Domini de Bargono intraverunt ſua auctoritate in dumos Saliciarum Communis, & Fratres ibi exiſtentes pro Communi expoliaverunt; & etiam in Tablano multas domos deſtruxerunt. Item eodem Anno Eccleſia Monaſterii Vallis Serenæ Ordinis Fratrum de Claravalle incœpta fuit fieri & fundari juxta Eccleſiam Sancti Martini de Bozis de Strata Columii expenſis Domini Cardinalis de Parma. Dominus Raynerius Gatus de Viterbio eo Anno fuit Poteſtas Parmæ ſecundis ſex menſibus, qui regere incœpit die XXIX. Julii. Item eodem Anno, & menſe Auguſti, Rolandinus de Marano inculpatus de quadam proditione, quæ fiebat in civitate Parmæ, captus fuit, & in fortiam Communis ductus, & multa confeſſus fuit, quia affidatus fuit de morte. Propter quæ Dominus Bernardinus de la Porta bannitus fuit. Et Dominus Petrus de Sancto Vitale captus fuit, & Johannes Bariſellus, & multi alii banniti capti fuerunt. Qui Dominus Johannes Bariſellus poſitus ad tormenta mortuus fuit ad ipſa tormenta: & Dominus Petrus de Sancto Vitale acriter fuit tormentatus, qui nihil dixit. Sed quum certus Populus & pars, quæ regebat, ram magnates, quàm alii voluerunt eum mori; dictus verò Dominus Poteſtas, quum ſibi non videretur, quòd deberet propterea mori de jure, inſalutato hoſpite quadam nocte cum tota ſua familia receſſit de civitate & regimine prædicto. Mane verò facto, quod fuit die Jovis XXI. menſis Auguſti, quum ſcitum fuit de dicto receſſu Poteſtatis, inito & convocato Conſilio generali Communis, Dominus Melius Marianus Capitaneus prædictus factus fuit Poteſtas Parmæ primo per unum menſem, & poſtea uſque ad Kalendas Januarii proximè venturi, ita quòd fuit Poteſtas & Capitaneus uno eodemque tempore. Dictus verò Dominus Melius videns voluntatem tunc regentium, tulit per ſententiam, quòd dictus Dominus Petrus decapitaretur. Et ſic in Platea Communis adjudicatum & exequutioni mandatum fuit incontinenti. Et ſepultus fuit apud Eccleſiam Novam Fratrum Minorum in civitate Parmæ. Quæ quidem mors juſta non fuit. Dominus Henricus de Bernarduciis de Luca fuit eodem Anno Capitaneus Populi Parmæ per ſex menſes, initium cujus fuit in Kalendis Octobris.

In MCCXCIX. Dominus Pinus de Rubeis de Florentia fuit Poteſtas Parmæ primis ſex menſibus dicti Anni, in cujus temporis principio multi latrones ſuſpenſi ſunt per ejus ſententiam. Item eo tempore centum milites de melioribus civitatis Parmæ ad duos equos expenſis Communis iverunt Mediolanum in ſervitium & auxilium Domini Maphæi Vicecomitis Capitanei Mediolani, & ſteterunt ibi per duos menſes. Dominus Dinadanus de Simonpizolis de Bononia eodem Anno fuit Capitaneus Populi Parmæ per ſex menſes incœptos in Calendis Aprilis. Item eodem tempore frumentum erat carum, & vendebatur VII. ſolidis Imperialium, & uſque in IX. & plus, ita quòd pro Communi dabatur datium conducentibus de alieno Epiſcopatu, & vendebatur certis diebus tantùm in Platea Communis per majores & nobiliores Milites & Populares Civitatis Parmæ ad hæc deputatos per Commune Parmæ. Item eodem Anno & tempore de menſe Junii in Vigilia Beati Johannis Baptiſtæ in hora Veſperarum, tonitruum & ſagitta de cœlo percuſſit in Turre Communis Parmæ, & pluribus partibus domorum Communis cum maximo igne & ardore & fulgoribus maximis, ita quòd, licèt plueret, Platea Communis viſa eſt tota ardere. Et diruit dicta ſagitta de Turre Communis unum ex merlis, & de angulo & de feneſtris & de capitello lignaminis, quod eſt deſuper ipſam Turrim, & unum ex colonellis marmoreis domus Poteſtatis, & capitellum marmoreum, ſuper quo erat, & combuſſit totam chordam de auricalcho, quæ ſtabat ad tintinellum Communis, de quibus colonello, capitello, chorda, & aliis rebus guaſtis & combuſtis nihil prorſus inveniri potuit. Dominus Gerardus de Gambara fuit Poteſtas Parmæ eo Anno ſecundis ſex menſibus ad Sanctum Petrum, qui ſtando ad ipſum regimen vocatus fuit in Poteſtatem Florentiæ, & licentiatus fuit per unum menſem ante exitum ſui regiminis à Communi Parmæ, & ivit Florentiam, & dimiſit Parmæ pro ſuo Vicario ad regimen ipſum complendum Dominum Mazalinum de Mazalis de Brixia, qui rexit pro eo uſque ad finem ſui regiminis. In cujus Vicarii tempore Magnanus de Cornazano maximus bannitus & rebellis Communis Parmæ captus fuit & ductus in fortiam Communis Parmæ, & amputatum fuit ſibi caput in glarea Communis Parmæ juxta flu-

Digitized by Google

flumen Parmæ extra Portam Capelinam propter A
banna, in quibus erat, & multa mala opera
facta per eum. Dominus Vannes ſive Johannes
Domini Leazari de Leazaris de Piſtorio eodem
Anno fuit Capitaneus Populi Parmæ incipiendo
in Calendis Octobris.

In MCCC. Dominus Brodarius de Saxoferrato
fuit Poteſtas Parmæ per ſex menſes dicti Anni
ad annum novum. Qui ſtando in ipſo regimine
electus fuit Poteſtas Florentiæ. Qui licentiatus
à Communi Parmæ ante complementum ſui re-
giminis, fuit ad regimen Florentiæ, dimiſſâ fa-
miliâ ſuâ in Parma, qui pro eo rexerunt uſque
ad complementum dictorum ſex menſium. Do-
minus Dinus Venetiani de Opizis de Luca fuit
Capitaneus Populi Parmæ eodem anno per ſex B
menſes incœptos in Kalendis Aprilis. Et eodem
tempore banniti Communis Parmæ partis Impe-
rii intraverunt contra Commune Parmæ in lo-
cum dictum Corniolum & Valleſellam, & ip-
ſum locum munierunt. Quo ſcito dictus Domi-
nus Capitaneus & unus ex ſociis Domini Pote-
ſtatis cum certis militibus & ſoldatis Communis,
& cum Populo Portæ Novæ equitaverunt illuc
cum hominibus Epiſcopatus abſque parte, &
antequam eſſent ad locum, prædicti banniti qua-
dam nocte effugerunt, dimiſſis in ipſo loco cer-
tis banderiis eorumdem; & ita noſtri intrave-
runt locum prædictum, & fortilitias omnes quas
fecerant, deſtruxerunt; deinde ſani & ſalvi cum
dictis banderiis & inſignis ad propria remea- C
runt. Quæ quidem banderiæ & inſigniæ fuerunt
& ſteterunt appenſæ per plures dies ad ballaro-
rium Communis, quod eſt inter domum Pote-
ſtatis & Palatium vetus Communis. Item eodem
tempore facta fuit parentela inter Dominum
Marchionem Azzunem Eſtenſem & Fratrem,
Dominos civitatum Ferrariæ, Mutinæ, & Rhegii,
& Dominum Maphæum Vicecomitem Capita-
neum & Dominum Mediolani. Quia quidam
filius dicti Domini Maphæi nomine Galeaz ac-
cepit in uxorem Dominam Beatricem ſororem
dictorum Dominorum Marchionum Eſtenſium.
Et dictus Dominus Galeaz aſſociatus magnificè
à multis Militibus & Domicellis de Mediolano,
Placentia, Papia, Vercellis, Novaria, Cumis, D
Parma, & pluribus aliis ex amicis ejus Patris
ivit per civitatem Parmæ ad civitatem Mutinæ.
Et ibi factus fuit Miles cum pluribus aliis à dicto
Domino Azzone Marchione Eſtenſe. Et deſpon-
ſavit dictam Dominam in uxorem ſuam, & ma-
trimonium, ut dictum extitit, conſummavit, &
rediit cum ea, & ſecum exiſtentibus per Par-
mam. Et hoſpitatus fuit in civitate Parmæ ſtan-
do & redeundo ad Palatium Domini Epiſcopi
Parmenſis. Et dicta Domina hoſpitata fuit ad
domum Domini Ugolini Rubei filii quondam
Domini Jacobi Rubei. In quorum adventu &
reditu magnum feſtum & gaudium fuit, & ſola-
tium undique ab omnibus generaliter in civitate
Parmæ. Et bagordaverunt multi ex Domicellis E
majoribus & nobilioribus civitatis Parmæ, qui
induti & veſtiti fuerunt per Commune Parmæ,
& expenſis Communis Parmæ de una roba vara
integra quilibet eorum. Qui ex parte Com-
munis iverunt, & redierunt cum dicto Do-
mino Galeaz uſque Mediolanum, & ibi do-
naverunt dictas rubas ſuas ex parte Commu-
nis Parmæ. Ad quam Curiam etiam fuerunt
ex parte dicti Domini Maphæi & filii, toti-
dem de Bononienſibus, qui ſimiliter veſtiti ex-
penſis Communis Bononiæ de robis varis, vene-
runt cum eo, & iverunt per Parmam Mediola-
num cum tubis argenteis & tubatoribus Com-
munis Bononiæ, & dictas robas etiam donave-
runt ad Curiam prædictam. Ex parte verò dicti
Domini Marchionis fuerunt Cremonenſes, Per-
gamenſes, Rhegini, Mutinenſes, Ferrarienſes, &
multi alii maximum gaudium celebraverunt, ita
quòd tota Lombardia pro majori parte ſentivit
de dictis nuptiis, & prædicta fuerunt de menſe
Junii. Item eo Anno MCCC. à principio Anni
ipſius uſque ad finem per Dominum Bonifacium
Papam VIII. exiſtentem tunc temporis facta &
data fuit generalis Indulgentia omnium peccato-
rum omnibus verè pœnitentibus & confeſſis eun-
tibus per ipſum Annum ſive pedes ſive eques,
& per XV. dies ſtantibus Romæ, & ſingulis
diebus ſemel ad minus viſitantibus Eccleſias San-
ctorum Petri & Pauli. Et hoc per Literas Pa-
pales ſolemnes publicatum fuit per maximam
partem Chriſtianorum. Propter quod multi &
quaſi infiniti de civitate & diſtrictu Parmæ,
maſculi, fœminæ, Clerici, Laici, Religioſi, Re-
ligioſæ, & Monachæ iverunt Romam; & de to-
ta Lombardia, Francia, Burgundia, Alamannia,
& de ceteris Provinciis & partibus ab omni par-
te Chriſtianorum, infiniti Barones, Milites, &
Dominæ magnæ, & ceteri ſine numero utriuſque
ſexus, & cujuſlibet conditionis, ſtatus, ordinis,
& dignitatis, iverunt Romam dicta de cauſa.
Et ſingulis diebus videbatur, quòd iret unus
exercitus generalis omnibus horis per Stratam
Claudiam intus & extra. Et veniebant ipſi Ba-
rones & Dominæ de Francia, & de aliis lon-
ginquis partibus XL. & L. & pluribus cavalca-
turis: & omnes domus Stratæ Claudiæ in civi-
tate & extra, tam ſolita hoſpitia & tabernæ,
quàm aliæ pro majori parte hoſpitabantur, &
dabant cibum & potum pro denariis. Et quoti-
die erant plena hominibus & perſonis, & ſatis
bona ubertas & derata erat de omnibus victua-
libus. Et per univerſum Orbem exivit ſonus di-
ctæ Indulgentiæ. Dominus Rubeus Domini Ste-
phani de civitate Caſtelli eodem Anno fuit Po-
teſtas Parmæ ad Sanctum Petrum ſolitis ſex
menſibus. Item eodem tempore de menſe Au-
guſti venerabilis Pater Dominus Papinianus Dei
gratiâ Parmenſis Epiſcopus primò venit Par-
mam, qui fuit de civitate Taurini. Dominus
Guielmus de Vingotio de Parma eodem Anno
fuit Capitanens per ſex menſes, initium cujus
fuit in Kalendis Octobris.

In MCCCI. Dominus Paulus Bruxatus de Bri-
xia fuit Poteſtas Parmæ primis ſex menſibus ab
Anno novo incœptis. Dominus Nicola de Pe-
ratio de Janua fuit Capitaneus Populi Parmæ
dicto Milleſimo, & ejus initium fuit in Kalendis
Aprilis. Dominus Arnaldinus Judex quondam
Domini Guiolmi Capitanei fuit Judex pro Com-
muni Parmæ ſuper cuſtodia clauſurarum & vi-
nearum. Item eo tempore pars illorum de Soar-
dis, & aliorum extrinſecorum civitatis Pergami,
& Dominus Galeaz filius Domini Maphæi Vi-
cecomitis Domini Mediolani cum tota foreſteria
ſua tam militum quàm peditum, per fortiam,
armata manu, cum proditione tum facta ab ami-
cis ſuis, qui erant in Pergamo, intraverunt Per-
gamum, & ipſam civitatem ceperunt, & expu-
lerunt extra illos de Bonghis, & illos de Rivo-
la, & eorum ſequaces, & domos eorum fundi-
tus diruerunt, & exſpoliaverunt, & maximæ
robariæ ibi tunc factæ fuerunt. Dominus Guiel-
mus de Guaſchis de Alexandria fuit Poteſtas
Parmæ ultimis ſex menſibus ad Sanctum Petrum.
Item eodem tempore de menſe Julii in feſto
Sancti Jacobi Apoſtoli Dominus Carolus frater
Domini Regis Franciæ, qui Dominus Carolus
Sine-

Sine-Terra dicebatur, cum uxore ejus filia Imperatoris Conſtantinopolis, & filiæ quondam Domini Regis Caroli Hieruſalem & Siciliæ Regis, tranſivit per Parmam cum certis & non multis militibus, & cum magno arneſe equorum & ſomariorum, & ivit ad Summum Pontificem, factus ab eo Marchio Marchiæ Anconitanæ, Dux Vallis Spoleti, Comes Romaniolæ; Dominus Patrimonii, & Conſervator pacis Thuſcanæ. Item eo tempore centum boni Milites de bonis civitatis Parmæ cum uno ex ſociis Poteſtatis iverunt Mediolanum in ſervitium Domini Maphæi Vicecomitis, & ſteterunt ibi expenſis Communis Parmæ cum duobus equis per quatuor menſes & ultra. Dominus Nicola de Peratio prædictus factus & confirmatus fuit eodem Anno Capitaneus Populi per alios ſex menſes, initium cujus fuit in Kalendis Octobris. Item eodem tempore Dominus Carolus Sine-Terra prædictus cum Domino Curſio Donato & aliis ſuis ſequacibus bannitis Communis Florentiæ intravit civitatem Florentiæ, & habuit dominium dictæ civitatis, & fecit fieri paces inter Florentinos, quæ parum duraverunt, quia in brevi tempore prædicta pars de Donatis expulit de civitate Florentiæ Dominos de Circlis & partem eorum. De quo quaſi tota Thuſcana fuit in briga. Item eo tempore Dominus Carolus Sine-Terra prædictus, & Florentini intrinſeci fecerunt eorum exercitum ad civitatem Piſtoriæ, & eam obſederunt, quia dicti Piſtorienſes recuſaverunt facere mandata Domini Caroli prædicti, & ſuos extrinſecos reducere domum, immo in totum ſe viriliter defenderunt.

In MCCCII. Dominus Guielmus de Guaſchis de Alexandria ſupradictus iterum factus & confirmatus fuit Poteſtas Parmæ primis ſex menſibus. Item eodem Anno die primo Martii venerabilis Pater Gerardus Blancus de Parma Cardinalis Romanæ Eccleſiæ, qui intitulabatur Dominus Epiſcopus Sabinenſis, obiit in pace Romæ & ſepultus fuit in Eccleſia Sancti Johannis Laterani ante Altare Beatæ Mariæ Magdalenæ ſinè aliqua ſepultura, quæ appareret ſupra terram. Item eodem Anno & tempore facta fuit per Commune Parmæ moneta de novo, & facta fuit in domo Dominorum de Mantellis in camera quondam Domini Oppizonis Domini Mayſende. Et facti fuerunt denarii de argento, quorum unus valuit X. Imperiales primo tempore. Et Imperiales de novo, quorum unus valebat tribus Parmenſibus parvis, qui numquam fuerunt in Parma, & etiam Parmenſes parvi. Item eo tempore centum milites ad duos equos expenſis Communis Parmæ de hominibus civitatis Parmæ iverunt Mediolanum in ſuccurſum Domini Maphæi Vicecomitis Capitanei Mediolani, & ſolutum eis fuit à Commune per quatuor menſes. Et iverunt Mantuam & Brixiam, quia non potuerunt ire per aliam viam. Item eodem tempore Collegium Notariorum civitatis Parmæ tranſmutavit nomen Anziani ſui trium menſium, & vocaverunt eum in Præſulem dictæ Artis & Collegii, & fecerunt depingi Palatium eorum intus & extra. Dominus Guielmus Beroe de Pergamo fuit eodem Anno Capitaneus Populi Parmæ per ſex menſes, initium cujus fuit in Kalendis Aprilis. Item eodem tempore pars extrinſeca de Pergamo ſcilicet Bonghi & illi de Rivola, & alii ſui ſequaces intraverunt caſtrum Romani eorum diſtrictus, & eum tenuerunt contra ſuam civitatem. Item eo tempore de menſe Junii Cremonenſes, Dominus Albertus Scotus Dominus Placentiæ, & Placentini, Dominus Comes Philipponus Dominus Papiæ, & Papienſes, Laudenſes, Cremaſchi, Novarienſes, Vercellenſes, Dominus Marchio Montisferrati, & Alexandrini, facta unione & ſocietate ſimul & cum Dominis de la Turre & Pergamenſibus extrinſecis, exiverunt in exercitum contra Dominum Maphæum Vicecomitem Capitaneum Mediolani, & poſuerunt exercitum eorum in Terra de Sancto Martino diſtrictus Laudi. Et dictus Domini Maphæus exivit cum ſuo exercitu de Mediolano, & cum ſoldatis, quos habebat, vênit uſque ad Caſtrum, quod vocatur Melza, & ibi poſuit ſuum exercitum. Et Dominus Galeaz ejus filius cum certis ſoldatis, & cum C. militibus de Parma, qui ibi erant in ejus ſuccurſum, remanſit Mediolani pro cuſtodia civitatis. Et tamdem quia proditio erat jam ordinata in Mediolano contra ipſum Dominum Maphæum, Mediolanenſes, qui remanſerant in civitate, ſe oppoſuerunt dicto Domino Galeazo, & cum eo exiſtentibus, & pugnaverunt cum eo, & expulerunt eum & exiſtentes cum eo extra civitatem Mediolani, qui auſugit Pergamum. Et audito hoc à patre ſuo Domino Maphæo, ipſe voluit ſuccurrere dicto filio ſuo, ſed non potuit. Et videns ipſe Dominus Maphæus, quòd non poterat reſiſtere dictis adverſariis ſuis, in inſtanti ſinè aliquo prœlio & ſinè tenore depoſuit in dicto exercitu dominium civitatis Mediolani, & baculum, ſive maniam ſui Capitaneatus, & ſe poſuit in dictum Dominum Albertum Scotum. Et ſic amiſit dominium ſuum; & ductus eſt per ipſum Dominum Albertum Scotum ſub magna cuſtodia detentus uſque in Placentia. Et exercitus forenſium ex parte dicti Domini Maphæi non fuerunt permiſſi intrare Mediolanum, immo derobati fuerunt, & ad propria redierunt. De quo Domino Maphæo maximus dolor fuit in civitate Parmæ per bonos homines, & per partem Eccleſiæ, quæ regebat in civitate Parmæ. Et prædicta fuerunt dio Mercurii XIII. menſis Junii. Et tunc caſtrum Sancti Columbani, quod erat dicti Domini Maphæi, deſtructum fuit. Poſt hæc dictus Dominus Maphæus fuit relaxatus, & vênit ad Burgum Sancti Donini poſt aliquot dies. Domini autem de la Turre intraverunt Mediolanum cum omnibus ſuis amicis, & reſtituti ſunt in omnibus ſuis bonis & juribus ſuis.

Item eo tempore poſt prædicta per aliquot dies pars Bonghorum & illorum de Rivola, & aliorum, qui erant extra Pergamum, intraverunt Pergamum, & ceperunt civitatem, & eam tenuerunt, & expellerunt Soardos & alios eorum ſequaces. Item eo tempore caſtrum Montis Acuti diſtrictus Papiæ deſtructum fuit. Item eodem tempore factum fuit per Commune Parmæ generale Æſtimum per homines civitatis Parmæ per certas mutas Sapientum cujuslibet Portæ, & Viciniarum civitatis Parmæ ad arbitrium dicti Domini Capitanei. Et duæ Portæ fiebant per Poteſtatem Parmæ, aliæ duæ Portæ per Capitaneum; & muta Sapientum unius Portæ ſtabat ad Palatium Domini Epiſcopi, alia ad Monaſterium Sancti Johannis, alia ad Palatium de Arena, & alia ad domum Religionis veteris, ſtando ibi de die & de nocte, & non diſcedendo, & nemo alius audebat loqui cum eis. Item eodem tempore impoſita fuit per Commune Parmæ prima Colta ad Æſtimum prædictum, duos Imperiales pro libra, ut vacchellæ arare addiſcerent. Item eo tempore de menſe Junii incœptum fuit fieri Corritorium ſuper Baptiſterio de columnellis lapideis. Dominus Bernar-

nardinus quondam Domini Guidonis de Comia de Peruſia eodem Anno fuit Poteſtas Parmæ ad Sanctum Petrum. In cujus tempore de menſe Julii factum fuit in Civitate Placentiæ unum maximum Parlamentum, in quo fuerunt Placentini, Mediolanenſes cum Dominis do la Turre, Papienſes, Pergamenſes intrinſeci, Laudenſes, Aſtenſes, Novarienſes, Vercellonſes, Cremaſchi, Cumani, Cremonenſes, Alexandrini, & Bononienſes. Et in ipſo Parlamento inter alia data fuit baylia Domino Alberto Scotto Domino Placentiæ de reducendo omnes extrinſecos de Lombardia partis Eccleſiæ in eorum civitates tam per amorem, quàm per ſortiam. Unde certi Ambaxatores de dicta Liga fuerunt cum Ambaxatoribus Communis Parmæ apud Columbam diœceſis Placentiæ. Et ibi fuit Parlamentum inter ipſos Ambaxatores, & ipſos Communis Parmæ: & in ipſo parlamento de Columba prædicti Ambaxatores dictæ Ligæ ex parte dicti Domini Alberti Scoti & omnium de dicta Liga, quæſierunt, quòd Commune Parmæ deberet omnino reducere in Parmam partem Epiſcopi, quæ erat extra, & omnes de ipſa parte; & quod Parmenſes deberent eſſe ſecum in dicta Liga, & quòd reciperent DC. milites, quos impoſuerant in talia dictæ Ligæ, in civitate Parmæ. Et poſtea ipſi omnes requirere dicebant ſe velle Dominum Marchionem Eſtenſem, & dicere ſibi, quòd omnino dimitteret Mutinam, & Rhegium; quod ſi faceret, bene quidem; ſin autem, volebant ſecum guerriare, & omnino expellere eum de Mutina & Rhegio. Volentes, quòd Parmenſes inciperent guerram cum dicto Domino Marchione. Reſponſio autem Ambaxatorum Communis Parmæ fuit, nihil facere de prædictis. Unde in reditu dictorum Ambaxatorum incontinenti fuerunt impoſiti per Commune Parmæ mille equi de impoſta, ſed non fuerunt aſſignati, & centum alii ſoldati cum equo & roncino quilibet conducti fuerunt per Commune Parmæ. Et ordinatum & incœptum fuit refici caſtrum Burgi Sancti Donini, & dictus locus Burgi fuit fortificatus, ſcilicet Eccleſia & Canonica, & domus Laborerii circumquaque cavatæ fuerunt per ſe, & Burgi ſimiliter per ſe cum terraliis. Et incœpta, & quaſi completa fuit à Capite Burgi versùs Parmam una Turris de quadrellis, lapidibus, & calcina, cum barbacanis & foveis per ſe, & aliis neceſſariis pro defenſione dicti loci. Et etiam tunc fuit ordinatum de faciendo Ligam cum Domino Marchione Eſtenſe, & cum amicis ſuis de Lombardia, & de Marchia Treviſana, & de Thuſcia, & cum omnibus, qui vellent eſſe in dicta Societate, licèt hoc maximè bonis hominibus diſpliceret; propter quæ fuit maximus timor in Parma de veniendo in brigam & guerram cum aliquo. Item eo tempore de menſe Auguſti Societas & Liga facta & jurata fuit inter Commune Parmæ & Dominum Azzonem Marchionem Eſtenſem, & civitates ejuſdem Ferrariam, Mutinam & Rhegium. Dominus Bertolinus quondam Domini Ugolini de Fojano de Rhegio eo Anno fuit Capitaneus Populi Parmæ per ſex menſes, initium cujus fuit in Kalendis Octobris die VIII. dicti menſis. Item eodem Anno vênit pluvia aliqua per ſex menſes & plus. Item eodem tempore ſoluta fuit per homines civitatis Parmæ Colta prædicta prima impoſita ad Æſtimum, & fuit prima Colta, quæ umquam collecta fuit ad Æſtimum in civitate Parmæ, licèt invito.

In MCCCIII. Dominus Armaninus quondam Domini Ugonis de Sommo de Cremona fuit Poteſtas Parmæ in primis ſex menſibus. Quo tempore & Anno fuit magna caritudo blavi & omnium victualium. Et bene valebat frumentum XII. ſolidos Imperiales ſtarium. Item eodem Anno bene per quatuor menſes non vènit pluvia vel nix, quæ balnearet terram; propter quod magna ſiccitas fuit, & multi putei civitatis Parmæ, & multa flumina tam Parmæ, Taronis, & Hentiæ, quàm alia magno tempore ſteterunt ſicca, & blavæ ſteterunt ad naſcendum taliter, quòd vix viderentur ſuper terram uſque ad menſem Aprilis. Ob quod timor fuit de cariſtia & indigentia blavæ. Et ſabæ fuerunt totaliter arſæ ubique per Lombardiam. Sed frumenta & aliæ blavæ, ſatis bona & nocta, Deo concedente fuerunt. Et magnæ proceſſiones Clericorum & Laicorum circa civitatem factæ fuerunt cum Litaniis, & Orationibus, & Reliquiis Sanctorum ad Deum pro pluvia poſtulanda. Et tamdem de menſe Maji in die feſti Sancti Johannis ante Portam Latinam pluit per totam ipſam diem; de qua pluvia fuit magna, immo maxima lætitia omnibus & ubique. Dominus Bertolinus de Fojano prædictus eodem Anno fuit iterum confirmatus Capitaneus civitatis Parmæ per ſex menſes. Item eodem tempore de menſibus Aprilis & Junii, maximus timor fuit in Parma de veniendo in brigam & diviſionem, quia quidam de magnis, ut dicebatur, volebant reducere partem Epiſcopi in civitate, & quidam volebant generaliter reducere omnes cujuslibet partis tam Epiſcopi quam Imperii, & quidam nolebant aliquid de prædictis. Et in auxilio unius partis Milites & Populi civitatis Placentiæ veniebat, & fuit uſque ad Florenzolam. Et Milites & Populus Domini Marchionis Eſtenſis, & Mutinenſes fuerunt uſque ad Herberiam dicta de cauſa. Propter quæ duabus vicibus tota civitas Parmæ fuit in magno timore, & cuſtodiæ de nocte multæ & magnæ factæ fuerunt; & fiebant per civitatem Parmæ, per Collegia, & Meſteria, & Societates, & Vicinias omnes civitatis Parmæ. Sed Domino concedente nihil mali fuit tunc. Item eodem tempore ordinatum fuit per Commune Parmæ, quòd civitas Parmæ tota circumquaque muraretur; quod quidem nondum extitit exequutum. Item eo tempore homines Epiſcopatus Parmæ, qui erant in foco Ruſticorum, fuerunt poſiti in Æſtimo, & æſtimati fuerunt per Villas eorum, & ordinatum fuit, quòd deinceps ſolverent Coltas ſuas, & mutua per Æſtimum. Item eo tempore murata fuit per Commune Parmæ Via, quæ erat inter Palatia & Camuſinam Communis, ut eſſent ſecuriores. Item eodem Anno & tempore propter prædictos timores data fuit baylia prædictis Dominis Poteſtati & Capitaneo per Conſilia Communis Parmæ pacificandi ſimul omnes tam de Civitate quàm de diſtrictu Parmæ partis Eccleſiæ & regentis, habentes aliquas guerras vel diſcordias, & quòd compellere poſſent & deberent omnes ad dictas paces faciendum; propter quod multæ paces & concordiæ, & quaſi omnes, de quibus ſciri potuit, factæ fuerunt inter homines Civitatis & Epiſcopatus Parmæ, qui habuiſſent guerram vel inimicitiam ſimul. Item eodem Anno MCCCIII. Indictione I. poſt Sanctum Petrum Dominus Perolinus de Conſtantinis de Turre Longa de Treviſio fuit Poteſtas Parmæ per ſex menſes. Item eo tempore de dicto menſe Julii tractata fuit pax inter Commune Parmæ, & extrinſecos de parte Epiſcopi. Unde quum Dominus Ghibertus de Corrigia mo-

omnino vellet ipſam pacem cum ſuis amicis, propoſitum fuit in generali Conſilio Communis Parmæ de ipſa pace facienda, & in ipſo data fuit auctoritas & baylia duobus Advocati Mercatorum, Poteſtatibus quatuor Meſteriorum, Præſuli Notariorum, Anziano Judicum cum aliis quatuor Sapientibus per Portam. Qui habentes dictam auctoritatem deliberaverunt, quòd XXXIII. ſolùm ex extrinſecis dictæ partis Epiſcopi redirent Parmam, ſcilicet de confinatis; propter quod maximus rumor fuit, quia dictus Dominus Ghibertus & illi, qui volebant, quòd generaliter illi de dicta parte Epiſcopi omnes redirent, tam banniti, quàm confinati, non ſteterunt contenti de illa deliberatione; ita quòd niſi tunc ipſâ horâ iviſſent Parmam Dominus Cavalcabos de Vidariana, Dominus Supramonte de Amatis, Dominus Gilius de Perſico, & Dominus Armaninus de Sommo olim Poteſtas Parmæ de Cremona, rumor & prœlium fuiſſet inter homines civitatis Parmæ. Qui Domini rumorem ſedaverunt. Unde iteratò prædicta fuerunt poſita in conſilio. Et in ipſo extitit reformatum ſolemniter & unanimiter, quòd dicti Domini de Cremona plenam auctoritatem haberent ſuper prædicta Pace, & etiam in omnibus aliis generaliter, quæ ſibi viderentur utilia pro Communi Parmæ. Qui Domini incontinenti in dicto Conſilio ordinaverunt, quòd generaliter omnes, qui erant banniti vel confinati de parte Epiſcopi, liberè eſſent exempti, & cancellati de bannis & confinibus ſuis, & reditent Parmam, & reſtituti forent ad omnia ſua bona & jura. Et etiam ordinaverunt, quòd omnes banniti Communis Parmæ pro maleficio, cujuſcumque maleficii habentes, vel qui haberent Pacem, cancellarentur de omnibus bannis & pœnis ſuis liberè & gratis. Et hoc fuit in Vigilia Beati Jacobi Apoſtoli de dicto menſe Julii. Item die ſequenti, in die & Feſto Beati Jacobi Apoſtoli in hora ante Tertiam, Dominus Anſelmus de Marano Abbas Monaſterii Sancti Johannis, & alii omnes de Marano, & Domini de Arcilibus, & Domini de Sancto Vitale, & Domini de la Porta, & alii omnes tam banniti, quàm confinati de dicta parte Epiſcopi, cum ghirlandis in capitibus redierunt Parmam ſani, & ſalvi, & abſque aliquo rumore. Verum fuit, quòd quidam de Parma non bene ſe contentaverunt de dicta Pace.

Item eodem die & Feſto Sancti Jacobi poſt Nonam exiſtente prædicto Domino Ghiberto de Corrigia filio quondam Domini Guidonis de Corrigia ſub Porticu Sancti Vitalis cum multitudine magna amicorum ſuorum, & cum multis de prædictis, qui redierant, per multos eorum omnium cridatum fuit: *Vivat, Vivat, Vivat Dominus Ghibertus*. Et ſic omnes alii exiſtentes per Plateam currentes ad rumorem, omnes clamabant ſimiliter: *Vivat, Vivat*. Et tamdem dictus Dominus Ghibertus per fortiam portatus fuit in Palatio Veteri Communis clamantibus omnibus eodem modo: *Vivat, Vivat*. Et incontinenti factum, & ſonatum fuit Conſilium, & totum Palatium plenum omnino fuit de hominibus. Et in ipſo Conſilio factus & vocatus fuit dictus Dominus Ghibertus, Dominus & Defenſor & Protector Civitatis, Communis, & Populi Parmæ & Conſervator Pacis prædictæ. Et ibi in eodem Conſilio inveſtitus fuit de dicto dominio cum Vexillo Beatæ Mariæ, & Carrocii, quod ibi deportatum fuit. Die verò ſequenti in mane iteratò factum fuit aliud Conſilium cum majori deliberatione, & in ipſo etiam ſimi-

A liter fuit ordinatum & juratum & acceptatum fuit dictum dominium per dictum Dominum Ghibertum, & juratum fuit per omnes de Conſilio ipſum Dominum Ghibertum manutenere & defendere in dicto dominio, & etiam ordinatum, quòd omnes prædicti, qui redierant, & alii omnes de dicta parte Epiſcopi, qui extracti fuiſſent de Conſiliis Communis & Societatis Parmæ, reponerentur ad ipſa Conſilia, & loco mortuorum, filii eorum. Multi tamen de prædictis dolentes fuerunt, & propter prædicta Domini de Rubeis ſponte exiverunt civitatem, & iverunt cum ſuis omnibus familiis ad loca & Villas eorum. Nulla tamen robaria, vel aliquis alius rumor fuit in civitate ſeu diſtrictu Parmæ
B tunc. Item eodem Anno in partibus Marchiæ Anconitanæ & Romandiolæ in locis & civitatibus juxta mare, & in civitate Venetiarum, & in Sclavonia, magni & multi terræmotus fuerunt, ita quòd propter ipſos multæ Turres & domus ruinatæ fuerunt, maximè in Fano. & in Senogallia; & una civitas tota de Sclavonia ruinata fuit, & mare ſuffocavit eam. Item eo tempore Dominus Boniſacius Papa VIII. qui tunc erat Papa, in magno ſtatu, exiſtens Anagniæ, inſultatus fuit ad Palatium ſuum per Dominos de Columna & ſuos amicos tam de Roma, quàm de Campania. Et ſic Palatium captum fuit, & omnes amici & propinqui dicti Domini Papæ expulſi fuerunt de civitate Anagniæ, &
C multi mortui fuerunt. Tamen dictus Dominus Papa mortuus non fuit, quia nullus voluit eum tangere, ſed tenebatur clauſus in domo, qui exire non poterat. Et ſic ſtetit per tres dies. Dominus verò Lucas de Fliſco Cardinalis cum Populo civitatis Anagniæ cum armis ſurrexit in auxilium dicti Domini Papæ, & liberavit eum. Item eo tempore dictus Dominus Papa, dum veniret ab Anagnia Romam, in itinere iterum per illos de Columna inſultatus fuit; & multi ex utraque parte mortui fuerunt. Sed Dominus Papa bene evaſit, & vênit Romam. Tamen dictum fuit, quòd licèt evaderet de perſona, non habebat bayliam aliquam eundi, ſicut volebat. Qui Dominus Papa poſt paucos dies ex triſtitia
D & dolore mortuus eſt & ſepultus. Item eodem tempore Dominus Nicolaus Cardinalis, qui fuerat Frater Prædicatorum & fuerat de Trivixio, fuit factus Papa, & vocatus fuit Dominus Benedictus Papa XI. Item eo tempore Dominus Andriolus Domini Ugonis de Fano fuit Capitaneus Populi & Societatis Cruceſignatorum Civitatis Parmæ, initium cujus Capitanei fuit in Kalendis Octobris & electus per ſex menſes. Item eo tempore de dicto menſe Octobris Dominus Albertus Scotus de Placentia concordavit ſe cum Domino Maphæo Vicecomite, & filio, olim Domino & Capitaneo Mediolani: unde voluit procurare, quòd ipſe Dominus Maphæus, &
E filius, redirent Mediolanum, & congregavit magnam quantitatem amicorum, & exivit Placentia cum ipſis. Sed nihil facere potuit. Ipſe autem Dominus Albertus cum Alexandrinis & Terdonenſibus exiverunt de Liga, de qua ſuperiùs facta eſt mentio, & tenebant cum dicto Domino Maphæo & filio, & erant ex una parte. Domini verò de Turre cum Mediolanenſibus, Pergamenſibus, Cremonenſibus, Laudenſibus, Cumanis, Cremaſchis, Papienſibus, Vercellenſibus, & Novarienſibus erant ex alia parte. Mantuani verò & Veronenſes volentes auxilium dare dicto Domino Maphæo, exiverunt extra, & fuerunt uſque ad Terram de Ripa, ne Cremonenſes exirent. Multi autem de Parma,

eorum propriis expenſis equeſtres & pedeſtres A in ſuccurſum dicti Domini Maphæi & filii: ſimiliter & certi Milites Domini Marchionis Eſtenſis; Per Commune verò Parmæ homines Epiſcopatus à Taro ultra iverunt tunc ad cuſtodiam Civitatis Placentiæ. Quorum Capitaneus pro Communi fuit Dominus Oppizonus Domini Bernardini de Porta, & qui redierunt ſani & ſalvi. Item eodem Anno tempore æſtatis & ante & poſtea, bene quaſi per unum Annum non pluit; ita quòd multi putei Civitatis & fontes ſiccati fuerunt, & blavæ ſteterunt ad naſcendum uſque ad menſem Maji. Quo Anno meritum non fuir, & nullus fuit, qui ſegaret prata, niſi illa, quæ poterant adaquari. Item eo tempore puteus de Platea cum rota factus fuit pro B Communi in Platea Communis, & in eo loco ubi eſt, in quo loco jam ante fuerat alius puteus parvus. Item eo tempore die Dominico XV. Decembris Dominus Vannes ſive Johannes de Liazaris de Piſtorio fuit Poteſtas Parmæ electus uſque ad Sanctum Petrum proximè venturum. Et ipſa die incœpit regimen ſuum; & qui jam electus erat in futurum Poteſtatem.

In MCCCIV. tempore Domini Vannis Poteſtatis prædicti, in die Beati Stephani poſt Nonam, Dominus Ugardus de Corrigia, natus olim Domini Jacobini de Corrigia, conſanguineus prædicti Domini Ghiberti de Corrigia Defenſoris, exiſtens in camera ipſius Domini Ghiberti, interfectus fuit ab uno ex filiis quondam Domi- C ni Johannis de la Senaza, de quo maximus & pluſquam maximus dolor fuit in civitate Parmæ Propter quod banniti & expulſi fuerunt incontinenti de Civitate & Epiſcopatu Parmæ Dominus Ylariolus & Bernencatus fratres & filii quondam dicti Domini Johannis, Dominus Mixetus & Johannes fratres & filii quondam Domini Jacobini Guidonis Rubei de Henzola, Giliolus filius Domini Gerardini quondam Domini Adigherii de la Senaza; & omnia bona eorum & domus in Civitate & extra diſtructa fuerunt, & expulſi fuerunt de tota Lombardia. Et omnes inimici eorum, ſcilicet illi de Guazis, & de Mal branchis, qui erant banniti Communis, extracti fuerunt de bannis ſuis & redierunt Par- D mam. Et qui Domini de Senaza & de Henzola, erant de majoribus amicis & conſamulantibus dicti Domini Ghiberti Defenſoris. Et ſic facti ſunt inimici. Item eo tempore de menſe Martii, Dominus Albertus Scotus de Placentia cum ſuo exercitu militum & peditum ivit contra Papienſes. Qui Dominus Albertus miſit Parmam pro ſuccurſu, & dati ſibi fuerunt per Commune Parmæ centum melites cum duobus equis de ſoldatis forenſibus Communi Parmæ, qui ſteterunt cum eo, & in ejus ſuccurſu bene per tres menſes. Et eodem tempore Dominus Bartholomæus de la Scala obiit in pace, qui erat Capitaneus Veronæ. Eodem tempore Dominus Si- E mon Comes de Canlialto de Mantua tamen extrinſecus, & qui erat conſanguineus germanus dicti Domini Ghiberti de Corrigia Defenſoris prædicti, factus fuit Capitaneus Parmæ per ſex menſes incœptos in Kalendis Aprilis. Item eodem tempore de menſe Maji in die Aſcenſionis Domini pars illorum de Soletio, quæ erat extra Civitatem Aſtenſem, per fortiam intraverunt ipſam Civitatem Aſtenſem, & alii eorum contrarii exiverunt de ipſa Civitate, qui Gotherii vocabantur. Item eodem Anno & tempore Papienſes, Mediolanenſes, Laudenſes, & Marchio Montisferrati, Vercellenſes, Novarienſes, Cremaſchi, Cumani, cum uno ex filiis Domini Al-

A berti Scoti, & cum aliis ſuis amicis venerunt in exercitum ſuper Placentiam; & poſuerunt ſe inter Caſtrum Sancti Johannis & civitatem in loco, ubi dicitur Fontana, & ſteterunt ibi per XX. dies cum infinito & maximo exercitu, devaſtantes Placentinos uſque prope civitatem per tria milliaria & minus. Cremonenſes verò erant in Terra de Montizellis diſtrictus Cremonæ cum ſuo exercitu contra Placentinos. Mantuani & Veronenſes fuerunt in Terra de Ripa ad prohibendum Cremonenſibus ire ulterius ſuper diſtrictum Placentiæ. Parmenſes verò in auxilio Domini Alberti Scoti in civitate Placentiæ, videlicet Dominus Matthæus de Corrigia frater dicti Domini Ghiberti B cum CC. ex ſoldatis equitibus Communis, & omnibus militibus & hominibus civitatis Parmæ, habentibus equos vel equas, & duobus millibus peditum de ultra Tarone, & de diſtrictu Portæ Novæ & Portæ de Parma iverunt Placentiam, & ibi ſteterunt ad cuſtodiam Domini Alberti & civitatis, donec exercitus prædictus duravit. Nullus tamen tempore exercitus exivit Placentia, & ſic exercitus prædictus diſceſſit, & prædicti de Parma ſani & ſalvi redierunt Parmam. Præterea Alexandrini, Terdonenſes, & Aſtenſes ſimiliter fuerunt Placentiæ in ejus auxilium, & dicti Domini Alberti Scoti. Et etiam Dominus Galeaz filius Domini Maphæi Vicecomitis Capitanei olim Mediolani. C Ipſe verò Dominus Maphæus neſciebatur ubi eſſet. Nullum tamen prœlium in prædictis fuit, cujus memoria ſit habenda. Dominus Albertus Scotus quædam caſtra & forticias accepit Papienſibus, & quædam dimiſit, & quædam detinuit. Item eodem tempore guerra & prœlia magna fuerunt inter civitatem Venetiarum & civitatem Paduæ, occaſione puteorum ſalis, & quarumdam forticiarum, quæ fiebant per Paduanos, & quæ Venetiani dicebant Paduanos non poſſe facere. In quibus locis prope Clozam ædificata & constructa fuit quædam Terra per Paduanos in odium Venetianorum, quæ Terra vocata eſt Janua parva. Item eodem anno & tempore in Marchia Anconitana, & in Pro- D vincia Romandiolæ maximæ guerræ, & diſcordiæ fuerunt & prœlia magna & tumultus quaſi per ſingula loca. Item eodem anno & tempore pars illorum de Soardis, & de Cojonibus de Pergamo expulſa fuit de civitate Pergami, & illi de Bonghis & Rivola dominati fuerunt in dicta civitate. Item eo anno & tempore Dominus Papa volens providere ſupee pacibus faciendis in civitatibus Florentiæ, & Piſtorii, & aliis Terris de Thuſcana, miſit ad ipſas partes Thuſciæ quemdam Cardinalem Fratrem Prædicatorum, nomine Dominum Nicolaum pro Legato. Qui Legatus fecit ipſas paces, ſed parum duraverunt, ita quòd in brevi tempore prœlium maximum fuit in civitate Piſtorii, & in civi- E tate Florentiæ, & in Prato. Tandem Dominus Curſius Donati cum ſuis, & ejus pars obtinuit in civitate Florentiæ, & in Prato; ſed in Piſtoria non. In quo prœlio civitas Florentiæ quaſi bene per dimidium civitatis in carioribus & melioribus domibus & Burgis civitatis Florentiæ combuſta fuit, atque etiam domus Capitanei Communis & Contrata, quæ vocabatur Calamala, cum omnibus fondechis & mercationibus & drapperiis, & aliis mercadantiis, & rebus hominum civitatis Florentiæ. Et dictus Dominus Legatus vix evaſit & effugit cum familia ſua, & multi ex utraque parte mortui ſunt. Item eo tempore Dominus Archiepiſco-

pus

pus Ravennæ recuperavit per fortiam Terram de Arzenta, quam ſibi per fortiam tenebat Dominus Azzo Marchio Eſtenſis. Item eo tempore de menſe Maji jurata fuit pax inter Dominum Papam & Dominum Regem Franciæ de diſcordia, quæ fuerat inter Dominum Papam proximum præcedentem & ipſum Dominum Regem Franciæ. Et ita reſtitutus fuit Rex Franciæ ad amorem Domini Papæ, & Sanctæ Eccleſiæ.

Item eodem tempore domus Fratrum de Claravalle, quæ erant in Burgo Plazolæ, datæ fuerunt per Dominum Papam Fratribus Prædicatoribus de Parma per contracambium domus Pontis Taronis de Strata Claudia, quæ cum omnibus ſuis juribus & poſſeſſionibus data fuit per ipſum Papam dictis Fratribus de Claravalle, quod valde diſplicuit Communi Parmæ. Item eodem anno unus illorum de la Porta accuſatus fuit ab uno ſcripto in Libro Societatis ex forma Statutorum loquentium circa Potentes, & jurata fuit accuſa. Propter quod mille deputati ad talia guaſta facienda & Magiſtri murorum & lignaminis iverunt cum Poteſtate, & Capitibus Societatum, & Anzianis Meſteriorum ad guaſtum dictum dicti de Porta in Terra de Caſali Barbato. Item eodem anno Dominus Umbertus quondam Domini Guarnerii de Caſtello, ſive de Cortona, qui jam fuerat Poteſtas & Capitaneus civitatis Parmæ, iteratò fuit Poteſtas Parmæ poſt Sanctum Petrum electus per ſex menſes. Qui licèt eſſet electus ad regimen poſt Sanctum Petrum, incœpit ejus regimen die XXIII. menſis Junii, quia ſupradictus prædeceſſor ejus Poteſtas licentiatus diſceſſit à regimine civitatis Parmæ ipſa die, ita quòd Dominus Umbertus rexit pro complemento temporis ipſius prædicti. Item eodem anno Dominus Benedictus Papa prædictus obiit in civitate Peruſii. Item eodem anno in civitate Placentiæ magnæ novitates fuerunt, & multi ex majoribus civitatis ejuſdem voluerunt deponere Dominum Albertum Scotum, & cucurrerunt cum armis & equis ad plateam, cridantes; *Pax, Pax*. Tamdem ſubſtinere non potuerunt. Dictus verò Dominus Albertus Scotus, & Poteſtas, & Capitaneus ejuſdem civitatis cum ſuis Soldatis viriliter obſtiterunt & obtinuerunt. In quo rumore duo ex domo Confaloniorum dictæ civitatis, qui fuerant ex incœptoribus dicti rumoris contra ipſum Dominum Albertum fuerunt mortui, & multi banniti, & confinati. Et tota foreſtaria civitatis Parmæ equitavit incontinenti Placentiam in ſuccurſum dicti Domini Alberti Scoti. Item eodem tempore de menſe Septembri, Dominus Veſconte Pelavicinus rebellavit ſe & caſtrum Pelegrini, & Rocham de Bardi, & Turrem de Belvedere contra dictum Dominum Albertum Scotum, & civitatem Placentiæ. Propter quod Dominus Franciſcus filius dicti Domini Alberti cum militibus & Populo Placentiæ iverunt in exercitum contra dictum Dominum Veſconte ad dictum caſtrum Pelegrini. In cujus ſuccurſum Dominus Ghibertus de Corrigia Defenſor prædictus & Commune Parmæ miſit in dictum exercitum Dominum Nicolaum de Foliano Cognatum ſuum pro Capitaneo exercitus cum toto Populo de ultra Tarone, & alio multo alterius diſtrictus Parmæ, & cum duabus ex Mainatis ſoldatorum equeſtrium. Et ſteterunt ibi per XV. dies & plus, & nihil fecerunt. Quadam verò die in dicto exercitu ad quoddam azagamentum, quod ſoldati hinc inde faciebant, Dominus Cazanus frater baſtardus dicti Domini Veſcontis interfectus fuit, & etiam Turris de Belvedere, quæ munita fuerat per dictum Vicecomitem, per Placentinos capta, & deſtructa fuit. Item eo anno de dicto menſe Septembris die XXII. dicti menſis in hora mediæ noctis, ſeu matutinis Fratrum ſonantibus, maximus terræmotus fuit in civitate & Epiſcopatu Parmæ, & alibi per Lombardiam & ultra, ita quòd palàm auditus & ſentitus fuit per homines, qui vigilabant. Item eodem tempore & menſe poſt dictum terræmotum per aliquos dies Dominus Guido de Turre cum ſuis militibus de Mediolano, Dominus Comes Philipponus cum ſuis militibus de Papia, Dominus Antonius de Fuſirago cum Laudenſibus, Vercellenſibus, Pergamenſibus, & aliis de Liga ſua, ſecreto tractatu præhabito, una die ſe congregaverunt in civitate Cremonæ. Et ſic ſubitò, quòd per Populum & alios bonos homines dictæ civitatis nihil ſcitum fuit, niſi quòd viſi ſunt in Cremona, & bene dictum eſt, octingenti boni milites & ultra. Et incontinenti ipſa die vel ſequenti abſque eo quòd deſidarent Commune Placentiæ, ita quòd per ipſum Commune aliquid præſciretur, prædicti ſuperiùs nominati cum Cremonenſibus amicis eorum equitaverunt ſuper diſtrictum Placentiæ, & fuerunt uſque ad portas Placentiæ, comburentes, guaſtantes, & robantes totum diſtrictum Placentinum ab illo latere, & ſinè numero fuit præda beſtiarum & rerum, quam fecerunt, quia Placentini non ſe cuſtodiebant à prædictis; & totus erat plenus diſtrictus Placentinus ab illo latere. Propter quæ nova Poteſtas Parmæ, & Dominus Matthæus de Corrigia cum tota militia civitatis Parmæ equitaverunt uſque ad Burgum Sancti Domini. Et Dominus Nicolaus de Foliano cum majori parte ſoldatorum equitum civitatis Parmæ equitavit, & fuit uſque Florenzolam, & ibi ſteterunt, donec prædicti de Cremona, & alii dictæ ſuæ Ligæ ſuperiùs nominati ad propria redierunt.

Item eodem tempore Soardi de Pergamo & alii extrinſeci dictæ civitatis intraverunt caſtrum Martinenghi, ad quod caſtrum Pergamenſes intrinſeci cum Mediolanenſibus, Laudenſibus, Papienſibus, Cremonenſibus, & alii ex dicta ſua Liga fecerunt exercitum & obſederunt ipſum caſtrum, & ibi per magnum tempus ſteterunt, ſed nihil fecerunt in damnum dicti caſtri. Item eodem tempore in Thuſcana multæ novitates fuerunt. Et extrinſeci Florentiæ quadam die cum Bononienſibus volentes intrare Florentiam per fortiam, fuerunt ibi uſque ad Portam Sancti Laurentii. Tamdem nihil facere potuerunt, quia intrinſeci Florentini ſe viriliter defenderunt, & expulerunt prædictos, ita quòd multi ex ipſis remanſerunt ibi mortui. Item eodem tempore concordia facta fuit inter Venetias & Paduanos de prædicta diſcordia, de qua ſuperiùs facta eſt mentio, quæ erat inter eos. Item eodem anno prædictus Dominus Simon de Caſalialto de Mantua fuit iteratò Capitaneus Populi Parmæ per alios ſex menſes. Item eodem anno de menſe Novembri Comes Philipponus de Papia cum militibus Papiæ, & cum ſoldatis dictæ Ligæ, cum Mediolanenſibus, Cremonenſibus, Pergamenſibus, Laudenſibus, Vercellenſibus, & Novarienſibus, & aliis eorum ſociis, & cum gente Marchionis Montisferrati, & cum Placentinis extrinſecis, & Dominus Veſconte Pelavicinus cum eis in exercitum venerunt contra Dominum Albertum Scotum, & civitatem Placentiæ, & ceperunt Bo-

bium & Rivalgarium diſtrictus Placentiæ. Placentini verò exiſtentes in civitate Placentiæ omnes pro majori parte volverunt ſe contra dictum Dominum Albertum Scotum eorum Dominum, volentes eum deponere de dominio ſuo. Unde Dominus Ghibertus de Corrigia Defenſor prædictus cum tota militia Parmæ, & cum omnibus ſoldatis, equitibus & peditibus Communis Parmæ, & cum MM. hominum civitatis Parmæ equitavit Placentiam in ſuccurſum civitatis, Communis, & Mercatorum Placentinorum, & dicti Domini Alberti, ad probibendum ne prædicti eorum inimici de dicta Liga per fortiam intrarent Placentiam, & ne robariæ ibi fierent. Qui Dominus Ghibertus & Parmenſes videntes voluntatem Placentinorum, quòd omnino volebant deponere dictum Dominum Albertum Scotum, ipſum Dominum Albertum exire fecit Placentia cum uno ex filiis, & aliis quibuſdam de domo ſua, & fecit eos venire Parmam, ubi recepti fuerunt. Et ſic depoſitus fuit dictus Dominus Albertus Scotus. Dictus verò Dominus Ghibertus cum ſuis remanſit per aliquot dies, dimiſſo ibi pro Rectore ſeu Poteſtate Civitatis, & Communis Placentiæ, Domino Conrado de Corrigia barbano ſuo, & Judicibus de Parma. Qui Dominus Ghibertus ad vocem quorumdam de Placentia & hominum, quos ſecum habebat, vocaverunt, & fecerunt ipſum Dominum dictæ civitatis per V. annos; quod valde diſplicuit Populo Placentiæ, quia dicebant ſe nolle expuliſſe unum Dominum pro acquirendo alium de novo. Et continuò cucurrerunt ad arma, cridantes univerſi de Placentia: *Populus*, *Populus*. Et ſic dictus Dominus Ghibertus cum militia, quam ſecum habebat, de ipſa civitate receſſit quamcitiùs potuit, dimiſſis ibi peditibus, quos ſecum duxerat cum maximo tremore. Sed volente Deo nihil mali paſſi ſunt dicti pedites de Parma. Et publicè dicebatur quòd dictu Dominus Ghibertus extraxerat dictum Dominum Albertum de dominio ſuo, & de civitate cau â habendi dictum dominium, quod minimè habuit, ſed ipſam civitatem omnino dimiſit in malo eſſe. Omnes verò Placentini, qui erant extra ſive banniti ſive confinati aliqua occaſione, redierunt Placentiam & cancellati omnes fuerunt de eorum bannis & confinibus. Dictus verò Dominus Albertus cum uno ex filiis ſuis, ſcilicet Domino Franciſco, cui jamdiu dederat dominium civitatis Placentiæ, & qua occaſione alii ejus filii odebant eum, & quidam ejus ſenex nomine Dominus Petrus Mancaſola, venerunt Parmam, & hoſpitati fuerunt ad Monaſterium Sancti Johannis, ubi ſteterunt per aliquot dies. Poſtea receſſerunt; ſed non redierunt Placentiam. Alii verò filii dicti Domini Alberti iverunt Zavatarellum, & tamdem exierunt de Zavatarello, & iverunt pro factis ſuis. Et poſt paucos dies dictus Dominus Albertus Scotus & filii, & dictus Dominus Petrus Mancaſola & ſui amici, banniti fuerunt de civitate Placentiæ, & domus eorum funditus deſtructæ ſunt, & multi alii cives de Placentia, qui dicebantur amici dicti Domini Alberti, confinati fuerunt.

In MCCCV. Indictione III. Dominus Thebaldus de Zazonibus de Sancto Miniato fuit Poteſtas Parmæ electus per ſex menſes, qui incœpit regere ante Kalendas Januarias per duos dies, quia prædeceſſor eius licentiatus diſceſſerat. Qua die penultima Decembris in pleno & magno conſilio Communis & Populi Parmæ per Syndicos legitimos Communis Cremonæ & Parmæ, jurata fuit Liga & fraternitas inter Commune Parmæ & Commune Cremonæ, & alia Communia civitatum Lombardiæ exiſtentia in Liga & Societate cum Communi Cremonæ, videlicet Mediolanenſibus, Cremonenſibus, Pergamenſibus, Laudenſibus, Cremaſchis, Cumanis, Vercellenſibus, Novarienſibus & Papienſibus. Item eodem Anno Dominus Azzo Marchio Eſtenſis, Dominus Ferrariæ, Mutinæ & Rhegii fecit parentelam cum Domino Rege Carolo Rege Apuliæ, & accepit quamdam ſuam filiam in uxorem. Et duo Ambaxatores de maioribus civitatis Parmæ iverunt obviam dictæ Dominæ ex parte Communis Parmæ uſque ad Senam. Et cum Domina fuit Mutinæ, multi Milites & Domicelli de Parma iverunt illuc ad bagordandum, & multæ rubæ donatæ fuerunt per illos de Parma tam per Dominum Defenſorem quam per alios ad ipſam Curiam in Ferraria. Item eo Anno Dominus Nicolinus de Doxino de Cremona fuit Capitaneus Populi Parmæ, initium cujus fuit in Kalendis Aprilis, & rexit per VII. menſes dictam Capitaneriam. Item eodem Anno Domini Cardinales quum eſſent in civitate Peruſii pro Papa faciendo, & ſe concordare non poſſent, recluſi & detenti fuerunt per Populum Peruſii, & cuſtoditi per familiam Poteſtatis, & ſteterunt ibi per magnum tempus. Et tamdem elegerunt in Summum Pontificem Dominum Beltramem Archiepiſcopum Bordellæ, qui vocatus fuit Dominus Clemens Papa V. Item eodem Milleſimo & Anno Dominus Jacobus de Landriano de Mediolano fuit Poteſtas Parmæ ad Sanctum Petrum electus per ſex menſes. Item eodem tempore de menſe Auguſti in feſto Sancti Dominici quum diceretur Parmæ, quòd Domini de Rubeis faciebant guernimenta Segalariæ; Dominus Ghibertus de Corrigia Defenſor prædictus miſit illuc quemdam ſuum famulum nomine Zenardum ad ſciendum, ſi erat verum de dictis guernimentis. Qui quum iviſſet & rediret, quidam baſtardus dictorum de Rubeis, quem jam dictus Zanardus offenderat in via ſuptus Segalariæ inſidiatus eſt ei, & interfecit ipſum Zanardum. Et ſic interfectus apportatus fuit Parmam. Et incontinenti ipſa die curſum fuit ad domos dictorum Dominorum de Rubeis per Baſolinum de Baſolis & alios de Populo Parmæ. Et impoſitus fuit ignis in ipſas. Die verò ſequenti, ſcilicet die Veneris VI. dicti menſis Auguſti, quo die eſt Feſtum Sancti Syxti, curſum eſt ad arma in pluribus partibus civitatis Parmæ, videlicet pars antiqua, quæ dicebatur Eccleſiæ, cum parte ſeu partibus dictis Imperii & Epiſcopi. Et tamdem illi de dicta parte Eccleſiæ, qui ad arma cucurrerant, ſuſtinere non potuerunt. Propter quod banniti fuerunt, tamquam ſubvertentes ſtatum civitatis, Domini Guielminus & Ugolinus de Rubei cum filiis omnibus naturalibus & aliis, & Jacobus quondam Domini Gherardi de Rubeis, & Domini Bonifacius & Rolandinus fratres de Lupis, & Lupus filius Domini Gerardi Lupi, Bonacurſus de Rogleriis, & multi alii de ipſis & de aliis ſuis ſequacibus. Et domus eorum de civitate pro Communi venditæ fuerunt, & diruptæ funditus per emtores earum. Et fortè quinquaginta de Populo Parmenſe de parte Eccleſiæ confinati fuerunt. Propter quas novitates pars Imperii, & Epiſcopi viſa ſunt in altum extollere vocem ſuam. Et pars antiqua Eccleſiæ multùm viſa eſt deteriotare conditionem ſuam. Et multi de parte Imperii, qui ab antiquo erant banniti pro ipſa parte, redierunt Parmam, & reſtituti ſunt

ad

ad ſua bona, & extracti de bannis ſuis per Dominum Deſenſorem, & Commune Parmæ. De quo aliqui doluerunt, & aliqui ſunt gaviſi. Item poſt prædicta de dicto menſe Auguſti, & propter prædicta dictus Dominus Poteſtas Parmæ cum militibus & ſoldatis omnibus equitibus & peditibus, & cum Populo univerſo Portæ de Parma, & Portæ Benedictæ, iverunt Colliculum, & Segalariam, & ad Nuvianum Rubeorum; hoſtiliter & indifferenter ruinæ & incendio poſuerunt omnes domos & Palatia & fortitias & poſſeſſiones dictorum Dominorum de Rubeis in Colliculo, in Segalaria, & Nuviano, & aliis eorum Terris de dicta contrata. Ad quem exercitum Dominus Azzo Marchio Eſtenſis miſit in ſuccurſum Communis Parmæ & dicti Domini Deſenſoris quinquaginta milites ad duos equos de ſuis ſoldatis, quorum Capitaneus erat Comes de Sartiana. Item eodem tempore quatuor Cardinales, dum irent in Franciam, ſeu in Provinciam, ad dictum Dominum Papam, quem de novo elegerant, fuerunt Parmæ: duo quorum hoſpitati fuerunt ad Monaſterium Sancti Johannis, & alii duo ad Epiſcopatum. Unus quorum ibi in ipſo Epiſcopatu obiit, & offi io facto ad Eccleſiam Ma orem eidem, poſtea portatus fuit ad Monaſterium Ciſtercienſium, de quo Ordine erat.

Item eodem tempore quidam de civitate Parmæ, inter quo fuit Dominus Gerardus de Henzola Miles, & Paulus Ruffa Notarius, qui multùm honorabantur à Domino Deſenſore, tractaverunt ipſum Dominum Deſenſorem deponere cum multis aliis, quorum ignota fuerunt nomina. Qui Dominus Gerardus & Paulus capti fuerunt, & poſiti in Camuſinam Communis in carcerem. Et Dominus Azzo Marchio Eſtenſis tenebat manus in dicto tractatu. Unde Dominus Gibertus Deſenſor incontinenti tractavit cum Bononienſibus, Mantuanis, & Veronenſibus, & cum extrinſecis Mutinæ & Rheginis. & etiam cum quibuſdam intrinſecis Mutinæ & Rhegii accipere Mutinam & Rhegium ipſi Domino Marchioni. Et factus fuit dictus tractatus ita ſecretè, quòd una die de menſe Octobri Dominus Gibertus cum militibus & ſoldatis de Parma, & cum certa quantitate peditum fuerunt uſque ad muros civitatis Rhegii. & multi fuerunt cum ſcalis ad ipſos muros causâ accipiendi Rhegium. Nihil tamen tunc facere potuerunt in capiendo civitatem, ſed Portam Burgi, quæ dicebatur Sancti Geminiani, & Turrem Epiſcopi per fortiam ceperunt, & in ipſo Burgo de Sancta Caterina fuerunt. & nullum damnum ibi fecerunt alicui, nec in Mutelena, nec alibi. Portam verò prædictam deſtruxerunt, & Turrem Epiſcopi munierunt cum cuſtodibus, & redierunt Parmam. Bononienſes verò ipſa & eadem die venerunt à ſuo latere versùs Mutinam, & ceperunt per fortiam Pontem Sancti Ambroxii, & domum Manſionis, quæ ibi erat prope, quam domum cum fortitia & Turre funditus diruerunt, & etiam uſque ad Burgum medium Mutinæ fuerunt, capientes Portam extrinſecam Burgi, & ponentes igni & guaſto omnia uſque ad medium dicti Burgi. Et iverunt & poſuerunt ſe in obſidionem Nonantulæ, & Villam & Burgum ceperunt. Monaſterium verò cum fortia ſua non potuerunt habere propter tempus hyemale. Mantuani verò & Veronenſes ipſa die à latere de ſubtus equitaverunt uſque Razolum ad prohibendum venire Cremonenſes in auxilium dicti Domini Marchionis. Item etiam de dicto menſe Octobris iteratò Dominus Ghibertus cum militibus & ſoldatis Parmæ, & cum Populo Sanctæ Chriſtinæ & Portæ Novæ cum MM. hominibus Portæ de Parma & Portæ Benedictæ, equitavit ſeu equitaverunt, & caſtrametati ſunt ad Caſam Dei, Calernum, & Gaydam, proponentes ſe numquam movere, donec haberent Rhegium, & equitantes omni die uſque ad civitatem, & intrantes Burgos circumquaque, nullum damnum alicui inferentes. Sed tempus, hyems, & pluvia non permiſit. Et ſic ſteterunt per XV. dies & redierunt Parmam. Item poſtea milites & ſoldati Marchionis venerunt in Epiſcopatum Parmæ, & fuerunt uſque ad Sanctam Eulaliam, & multas domos dictæ contratæ & de Villa Cogorucii igni ſuppoſuerunt. Item eodem Anno Dominus Amicinus de Ponzonibus de Cremona fuit Capitaneus Populi Parmæ, electus per ſex menſes, initium cujus fuit in Kalendis Novembris. Item eodem Anno de menſe Decembri, Rubei, & Lupi, & Sortæ banniti & rebelles Communis Parmæ cum ſuis ſequacibus intraverunt Caſtrum Soraneæ, & ipſum locum occupaverunt, & poſuerunt in rebellionem Communis Parmæ. Quo ſcito in civitate, incontinenti dictus Poteſtas, & Dominus Ghibertus Deſenſor cum omnibus ſoldatis equitibus & peditibus & cum omnibus militibus Communis Parmæ, & cum Populo univerſo Portæ de Parma & Portæ Benedictæ equitaverunt, & obſederunt dictum locum Soraneæ, in quo abſedio ſteterunt per XXII. dies, & plures fecerunt ibi in dicto abſedio Vigiliam & Feſtum Nativitatis Domini, & diem Sancti Stephani. Die verò Sancti Johannis redierunt omnes, habito priùs loco prædicto ad pactum, ſalvis perſonis & rebus eorum in ipſo loco, per Dei gratiam ſani & ſalvi. Item eodem tempore dicti exercitus majores prædictorum Dominorum de Rubeis & de Lupis iverunt ad componendum ſe cum Domino Azzone Marchione Eſtenſe. Et qui ante fuerunt inimici, & ſe cum eo concordati ſunt. Qui Marchio eos recepit in civitate Rhegii, & ad eorum inſtantiam plures ſoldatos equitare fecit de ſuis ſuper diſtrictum Parmæ, & maximè in Contratis dicti Domini Ghiberti, ponentes multas Domos incendio, ut facerent diſcedere dictum exercitum à dicto abſedio; ſed nihil ei profuit. Qui exercitus numquam ſe diviſit propter aliqua nova, donec locus primò habitus fuit, ut ſupra continetur. Item eodem tempore præſcriptus Dominus Clemens Papa V. reſtituit Dominos Petrum & Jacobum de Columna olim Cardinales, quos Cardinalatu privaverat, & excommunicaverat ſupradictus Dominus Bonifacius Papa, ad ipſum officium & dignitatem Cardinalatus, & ipſos abſolvit, & ad amorem ſuum & Romanæ Eccleſiæ in omnibus reſtituit, & reduxit.

In MCCCVI. In nomine Domini, Indictione IV. Dominus Jacobus de Landriano prædictus iteratò fuit Poteſtas Parmæ ad Annum novum electus per ſex menſes. Eodem tempore de menſe Januarii Dominus Ghibertus de Corrigia Deſenſor prædictus incedens & non deſinens deponere prædictum Dominum Azzonem Marchionem Eſtenſem de civitate Mutinæ & Rhegii, accepit & habuit in ſuo Domini Ghiberti dominio & fortia Terras multas, loca, & caſtra diſtrictus Mutinæ & Rhegii. Inter quæ fuerunt Caſale, Ganazetum, Carpum, Budrionum. Et tamdem in dicto menſe Januarii die XXVI. & XXVII. dicti menſis Januarii, primò de civitate Mutinæ, & ſecundò de civitate Rhegii, Vicecomites, Poteſtates, & ſoldati omnes, qui erant in Mutina & in Rhegio pro dicto Domino Marchione cum ſuis familiis per fortiam expulſi

pulſi

pulſi fuerunt de ipſis civitatibus, & diſtrictibus, & derobati, & plures vulnerati & interfecti. Et incontinenti dictus Dominus Ghibertus cum Poteſtate prædicto, & cum ſoldatis & militibus Communis & Populi Parmæ iverunt Rhegium, & intraverunt Rhegium, & ibi ſteterunt plures dies. Et quidam Rhegini invidentes de dicto Domino Ghiberto, & viſi cogitare malum contra ipſum Dominum Capitaneum Populi & milites Bononiæ, qui Rhegium venerant, cucurrerunt ad arma. Quare ipſe Dominus Ghibertus cum ſuis cepit Plateam & domos Communis Rhegii, & in ipſo curſu plures Rhegini mortui fuerunt. Et reverſo Capitaneo & militibus Bononienſibus domum, & ſedato rumore, Dominus Ghibertus ibi remanſit, & dimiſit civitatem in Communi & in pace. Verumtamen Domini de Canuſio incontinenti exiverunt Rhegium, & non fuerunt ampliùs auſi ibi ſtare; immo iverunt ad caſtra ſua diſtrictus Rhegii, videlicet ad Zeſium eorum caſtrum, & ad alia caſtra Monaſterii de Canuſio. Rhegini verò elegerunt in ſuum Poteſtatem per ſex menſes Dominum Matthæum de Corrigia fratrem dicti Domini Ghiberti, qui illuc ivit cum familia, & ſtetit ad ipſum regimen. Et dictus Dominus Ghibertus reſtituit Communi Rhegii Turrem Epiſcopi, & Budrionum, & quidquid abſtulerat, propria voluntate. Mantuani verò & Veronenſes venerunt ad caſtrum Razoli, & ipſum acceperunt per fortiam & munierunt ſuis cuſtodibus, & ipſum tenuerunt, & adhuc tenent contra voluntatem Rheginorum, & tenere intendunt amodo in ſempiternum, licèt Rhegini doleant uſque ad interiora. Item eodem tempore Dominus Ghibertus de Corrigia prædictus dedit filiam ſuam in uxorem Domino Alboino de la Scala Domino Veronæ, & quæ Domina deſponſata fuerat à Jacobino filio Domini Guelmini Rubei. Item dedit aliam quamdam ſuam filiam in uxorem Franciſco filio Domini Paſſarini de Bonacoſiis de Mantua. Item dedit quamdam ſuam neptem filiam Nicolai de Fojano de Rhegio Domino Baylardino de Romarolo de Verona. Quæ omnes tres Dominæ ſimul una die de dicto menſe Januarii cum magno triumpho equitaverunt, & iverunt ad maritum, aſſociatæ à pluribus, & à majoribus civitatis Parmæ. Et exiverunt per Portam de Sancto Bernaboo, & iverunt per Columnium, & de Caſali Majore, quia per aliam viam ire non potuerunt, nam Marchio Eſtenſis adhuc tenebat Rhegium & Mutinam. Sed in reditu illi, qui aſſociaverant, expulſo, ut dictum eſt, dicto Domino Marchione, bene redierunt per viam de Razolo & de Rhegio. De quibus parentelis illi de parte Imperii plurimum ſunt gaviſi, & è contrario pars Eccleſiæ doluit. Item eodem temporc & menſe Januarii per XIII. dies continoos fuit arduum & immenſum frigus, magis quàm aliquis recordaretur, ita quòd flumina omnia, valles, foveæ omnes indifferenter, & in omnibus partibus Lombardiæ congelaverunt, & flumen Padi in pluribus partibus congelavit, ſeu congelatum fuit, taliter quòd ſuper glaciem multæ perſonæ tranſiverunt ipſum, & naves nullæ tranſire poterant. Item eodem Anno de menſe Februarii Societas & Liga jurata fuit inter Civitates & Communia Parmæ, Bononiæ, Mutinæ, Rhegii, Mantuæ, Veronæ, & Brixiæ. Et hoc fuit in civitate Bononiæ per Syndicos generales cujuslibet ipſarum civitatum. Et per Commune Bononiæ & alia prædicta firmatum fuit facere guerram ipſi Domino Marchioni Eſtenſi, & expellere eum de Ferraria.

Item eodem Anno & menſe Februarii, Bononienſes cucurrerunt ad arma inter ſe ſub voce partis Guelfæ, & partis Ghibellinæ, exiſtente ibi in civitate Bononiæ Poteſtate Domino Simone Ferrapecora de Parma pro Domino Ghiberto de Corrigia prædicto, cui direxerant ipſum regimen, & exiſtente Capitaneo Populi Bononiæ Domino Lamberto de Lambertis de extrinſecis antiquis Ferrariæ. Et in ipſo rumore duo magni, qui dicebantur partis Guelfæ, capti & detenti fuerunt, & carcerati, & non inventi culpabiles abſoluti, & dimiſſi. Quare incontinenti Populus & milites & gens tota de Bononia indifferenter parvi & magni, dimiſſis armis, fuerunt ad ballandum, bagordandum, & cetera omnia gaudia faciendum. Item eodem tempore & poſt prædicta per octo dies iteratò prædicti Bononienſes fuerunt arma, & tranſierunt ad Plateam, & facta voce; *Moriantur Ghibellini, moriantur Ghibellini: Vivant, vivant Guelfi*, interfecerunt plures, qui dicebantur eſſe Ghibellini, ſeu favere Ghibellinis. Et ubique per totam civitatem & diſtrictum Bononienſem omnes Ghibellini & faventes eis mortui & derobati & expulſi fuerunt. Similiter dictus Dominus Lambertus eorum Capitaneus cum tota ſua familia expulſus turpiter fuit, & vix evaſit à latere Poteſtatis, quia ipſe Capitaneus dicebatur eſſe Ghibellinus. Et domus prædictorum dirocatæ fuerunt ubique. Inter quos fuit expulſus Dominus Dinadanus de Simonpizolis, Dominus Bonincontrius de Hoſpitali, Dominus Jacobus de Agnano; Dominus Romeus de Pepulis, & Dominus Bornius Samaritanus fuerunt capti, detenti & carcerati. Et poſtmodum cum magno gaudio fuerunt prædicti Romeus & Bornius de dictis carceribus relaxati. Dictus verò Dominus Simon Ferrapecora Poteſtas, relicto regimine rediit Parmam, quem Bononienſes prædicti amore prædicti Domini Ghiberti & Communis Parmæ libenter tenuiſſent, ſed nullo modo voluit ibi ampliùs remanere. De quibus novitatibus pars Eccleſiæ eſt gaviſa, & è contrario pars Imperii, & illi de Panico fuerunt banniti de civitate Bononiæ.

Item eodem tempore de menſe Aprilis X. die dicti menſis, civitas Piſtorii, quæ diu & longo tempore obſeſſa fuerat à Lucanis & Florentinis, non valens ſe plus tenere propter prædictos expulſos de Bononia, qui erant ſui amici, & quia ipſa civitas Bononiæ, quæ ante defendebat, & adjuvabat ipſam civitatem Piſtorii, non dabat ei auxilium vel ſuccurſum, immo contrarium, ſe in totum dedit & reddidit Florentinis & Lucanis. Qui Florentini & Lucani intrantes deſtruxerunt muros & forticias, & palatia civitatis Piſtorii, & tenuerunt ipſam, & diviſerunt inter ſe, mediam Florentinis, & mediam Lucanis. De quibus novitatibus pars Eccleſiæ gaviſa fuit, & è contrario pars Imperii ingemuit. Item eodem tempore Dominus Neapoleo de Urſinis Cardinalis factus Legatus à Mediolano citra uſque in Apuliam venit Parmam in die Sabbati Sancti, & fecit Paſcha in Parma, & hoſpitatus fuit ad Epiſcopatum, & manè equitavit. Item eo tempore dictus Dominus Legatus ivit Bononiam, & ſtando ibi, quum non placeret, Bononienſes ſubitò irruerunt ad domum Epiſcopatus, ubi erat cum armis, & aufugit Imolam, & qui poſtea excommunicavit Bononienſes, & privavit eos ſtudio & Scholaribus & honore & dignitate civitatis & Rectorum. Et diviſit Epiſcopatum Bononiæ dando medium Communi Mutinæ, & medium Communi Imolæ.

læ. Item eodem tempore Bononienſes ſponte & voluntariè reddiderunt Pontem Sancti Ambroſii Mutinenſibus, & deſinerunt facere caſtrum & fortitiam, quam ibi incœperant. Item eodem Anno Dominus Franciſcus de Anguiſolis de Placentia fuit Capitaneus Populi Parmæ electus per ſex menſes. Item eo tempore pars Eccleſiæ de Burgo Vallis Taronis expulit partem Imperii. Unde Placentini illuc equitaverunt, & poſuerunt ſe in abſedio loci. Et Commune Parmæ miſit ad ipſum exercitum in ſuccurſum Placentinorum homines de ultra Tarone, & tamdem ad concordiam pervenerunt. Item eodem Anno de menſe Julii Simon filius dicti Domini Ghiberti de Corrigia duxit in uxorem filiam Domini Maphæi de Madiis de Brixia, nepotem Domini Epiſcopi Brixiæ, & Domini civitatis ejuſdem, quæ Domina vocabatur Domina Canzeleria. Item eodem Anno Dominus Comes Bernardinus de Cunio de Faventia ſive de Ravenna, fuit Poteſtas Parmæ electus per ſex menſes, quorum principium eſſe debebat in Kalendis Julii, ſed rexit per XIII. dies ultimos menſis Junii, quia Poteſtas prædictus Dominus Jacobus de Landriano licentiatus receſſit, & ivit ad regimen civitatis Laudi, à qua vocatus fuit in Poteſtatem. Item eodem tempore de menſe Julii, Veronenſes & Mantuani equitaverunt hoſtiliter Populus & Milites contra dictum Dominum Marchionem Eſtenſem, ad quem exercitum Dominus Ghibertus de Corrigia miſit CC. milites inter milites Communis & ſoldatos, & ſocium Poteſtatis cum tubatoribus Communis, qui iverunt uſque prope Ferrariam, ponentes omnia incendio & ruinæ. Et fuerunt ſic prope Ferrariam, quòd tubæ Communis Parmæ leviter auditæ fuerunt in Ferraria. Et Marchio aliqua vice non exivit civitate, nec aliquem ex ſuis exire permiſit. Item eodem tempore de menſe Octobris, Placentini extrinſeci Domini Alberti Scoti olim Domini Placentiæ intraverunt caſtrum Vigoleni contra civitatem Placentiæ. Unde incontinenti Placentini hoſtiliter obſederunt locum, habentes à Communi Parmæ CC. ſoldatos equites, & totidem pedites, & homines de ultra Taronem. Et tamdem habuerunt ipſum locum ad pacta, & poſtea ipſum deſtruxerunt. Item eodem Anno Commune Bononiæ fecit pacem & concordiam & ligam cum Domino Azzone Marchione Eſtenſe, & miſerunt una cum Florentinis & Lucanis magnam gentem Ferratiam in ſuccurſum dicti Domini Marchionis. Item eodem Anno de menſe Octobris Veronenſes & Mantuani iteratò hoſtiliter iverunt ad caſtrum Bragantini diſtrictus Ferrariæ, & ipſum obſederunt, & tamdem habuerunt locum, ſalvis perſonis loci. Item eo Anno die XXIII. Octobris dictus Dominus Comes Bernardinus de Cunio, Poteſtas Parmæ licentiatus fuit, & diſceſſit à regimine civitatis Parmæ, & ivit Brixiam pro Poteſtate, ad quod regimen electus fuerat. Item eodem Anno de menſe Octobris Dominus Thaddæus filius quondam Domini Azzonis de Manfredis de Rhegio electus fuit Poteſtas Parmæ, & vênit incontinenti Parmam die XXVII. Octobris dicti menſis, & intravit regimen, & in publica concione more ſolito facta juravit facere regimen civitatis Parmæ uſque ad Kalendas menſis Maji proximè venturi, & incœpit regere dicta die. Item eo Anno Pontes de Coparmulis & de Cohentio ſuper flumen Parmæ & flumen Hentiæ cum bitifredis & catenis ferreis ordinati ſunt fieri per Commune Parmæ, & facti & completi inter Turres Communis, quæ ſunt in dictis locis. Item eodem Anno Fratres, qui dicuntur Servi Beatæ Mariæ, primò venerunt ad ſtandum in civitate Parmæ & habuerunt locum & Eccleſiam Fratrum, qui dicebantur Fratres de Sanis in Porta Sanctæ Chriſtinæ in contrata de Peſcaria in Vicinia Sancti Johannis. Et ibi primò habitaverunt, & ſteterunt, & locum, domum, & Eccleſiam ſucceſſivis temporibus aumentaverunt.

In MCCCVII. in nomine Domini, ad Annum novum dictus D. Thaddæus erat Poteſtas Parmæ, ut prædicitur. Et qui Poteſtas rexit pro Capitaneo Populi uſque ad adventum ſequentis Capitanei. Eo Anno & tempore quum per Commune Parmæ Capitaneum Populi non haberet, miſſus fuit ex parte Communis Parmæ ad Commune & Populum Civitatis Lucæ, quòd ipſum Commune Lucæ mitteret Parmam unum Capitaneum, quem vellent de Luca. Et ſic Lucani miſerunt Dominum Landum de Salomonellis de Luca Parmam pro Capitaneo Populi. Qui Dominus Landus junxit Parmam die Martis VII. intrante Februario, quo die erat Carniplavium. Et ipſa die juravit & incœpit dictum regimen Capitaneatus Populi Parmæ uſque ad ſex menſes proximos venturos. Item eodem Anno de menſe Martii in civitate Mutinæ, quæ ſemper fuit in his partibus Lombardiæ exordium motionum, & novitatum origo, ex antiquis odiis partium, ſcilicet Guelfæ, & Ghibellinæ, nova pace novoque ſtatu pacifico civitatis ejuſdem orto propter expulſionem dicti Domini Azzonis Marchionis Eſtenſis de ipſa civitate turbato, multæ novitates fuerunt. Nam Mutinenſes non valentes ſimul quieſcere, ſe noviter diviſerunt. Quidam verò de Guidonis, & quidam de Boſchettis & de Rangonibus cum certis ſuis ſequacibus, dicentes ſe eſſe partis Guelfæ ſeu Eccleſiæ, ſive Aygonorum antiquitus dictæ & vocatæ, ſpondam fecerunt contra illos, qui dicebantur ab antiquo partis de Griſulfis ſeu Imperii, ſive Ghibellinis; cum quibus Griſulfis Domini de Saxolo, & de Graſſonibus, & multi alii partis Eccleſiæ tenuerunt. Et ſic ambæ partes multa guernimenta fecerunt. Et tamdem quidam Archipresbyter dictus de Guidonis, ſecretè intravit caſtrum Finalis, & ipſum contra Commune Mutinæ occupavit. Et Domini de Nonantula vendiderunt caſtrum Nonantulæ Bononienſibus. Ad quod caſtrum Nonantulæ acceſſerunt Bononienſes, & cum ſuis cuſtodibus munierunt. Mutinenſes verò hoc ſcito, cucurrerunt ad arma, & factâ famâ quòd prædicti de Guidonis & de Boſchettis, & alii ſui ſequaces exiſtentes in Mutina adhæſerant dicto Domino Marchioni Eſtenſi & Bononienſibus, qui tunc erant unius voluntatis, iverunt ad domos eorum, & prævalentes per fortiam ceperunt eos, & in carceribus recluſerunt. Quo ſcito in Parma, unus ex filiis Poteſtatis nomine Azzo cum certis ex militibus civibus Parmæ, & cum certis ex ſoldatis equeſtribus, die Dominico Olivarum XIX. Martii, quàm velociùs Mutinam in ſervitium Communis Mutinæ cum equis & armis equitaverunt, & ſteterunt ibi quantum Communi Mutinæ placuit. In Parmam verò multi ſoldati equeſtres Veronæ & Mantuæ ipſo tempore & ipſarum novitatum occaſione venerunt, & fecerunt feſtum Paſcharis, & ſteterunt plures dies, inter quos multi Todeſchi erant, de quo Parmenſes dolebant. Item eodem Anno & tempore in civitate Parmæ tractatum fuit, ut dictum fuit, de ponendo Dominum Ghibertum de dominio ſuo; propter

ter quòd quidam capti, & quidam tormentati, & quidam banniti, & quidam confinati ſuerunt de civibus civitatis Parmæ, tam de Populo, quàm de Militibus, & multi ſoldati de Brixia, de Mantua, & de Verona venerunt Parmam in auxilium dicti Defenſoris. Item eodem Anno & tempore Societas & Liga jurata fuit per Commune Parmæ cum Communibus & Dominis Brixiæ, Mantuæ, & Veronæ, & cum Communibus Mutinæ & Rhegii. Item eo Anno de menſe Aprilis Domini de Rubeis & de Lupis & multi alii ex intrinſecis Parmæ intraverunt in Zeſſum voluntate Dominorum de Canuſio, & ſe cum eis munierunt in dicto caſtro. Domini verò de Palude munierunt Corvariam & alia ſua loca. Item eo Anno Dominus Rodulfus de Garſonibus de Mutina filius quondam Domini Guielmini de Garſonibus fuit poſt Dominum Thaddæum de Manfredis Poteſtas Parmæ. Qui Dominus Rodulſus vênit Parmam die Dominico ultimo dicti menſis Aprilis, & ea die juravit more ſolito & incœpit facere regimen & officium ſuum uſque ad ſex menſes. Item eo Anno & menſe Dominus Matthæus de Corrigia frater dicti Domini Ghiberti de ejus voluntate cum certis ſoldatis Communis Parmæ, & de militibus de Parma equeſtribus, & peditibus, iverunt, ſeu ivit ad dictum locum de Corvaria, & ſteterunt ibi per aliquot dies. Et una die, ſcilicet in die Aſcenſionis Domini, quæ fuit die IV. Maji, exiſtentes prædicti ad quemdam locum diſtrictus Rhegii in dictis partibus ad Terram, quæ dicitur Aquila, & volentes per fortiam intrare in ipſum locum, exiſtentes in dicto loco viriliter ſe defenderunt, & tenuerunt locum, & ad ultimum quidam ex prædictis de Parma, & de ſoldatis Communis Parmæ mortui ſuerunt, inter quos fuit quidam nomine Bergoncinus de Bergonciis valde amiciſſimus, & familiaris dicti Domini Ghiberti, & Cubicularius ipſius, de majoribus Civitatis Parmæ hoc tempore, de cujus morte multi doluerunt, & maximè dictus Dominus Defenſor. Et multi alii vulnerati ſuerunt. Unde dictus Dominus Matthæus & qui cum eo erant, Parmam redierunt, & antequam redirent, multas domos combuſſerunt in contrata de Zeſſo, & in contratis Dominorum de Palude. Item eo Anno Veronenſes, Mantuani, & Brixienſes miſerunt in ſuccurſum Communis Parmæ & dicti Defenſoris maximam quantitatem militum & peditum ſoldatorum, qui iverunt in dictum exercitum, & ſteterunt in auxilium & ſocietatem dicti Domini Mathæi. Item eo Anno Placentini non valentes ſimul quieſcere, & ſemper in tumultu exiſtentes, ſecerunt duos Abbates ſive Dominos civitatis Placentiæ, quorum unus fuit Dominus Lanzalottus Anguiſolus, & alter Dominus Veſconte Pelavicinus, & quaſi omnes magnos antiquos partis Eccleſiæ expulerunt de civitate & diſtrictu Placentiæ, & multos banniverunt, & multos confinaverunt.

Item eo Anno quidam peſſimus Hæreticus & Patarinus, nomine Frater Dulcinus, qui jam diu contra Eccleſiam Romanam, & Fidem Chriſtianam ſteterat in certis locis arduis in diſtrictu Vercellarum & Cumarum, cum omnibus ſuis ſequacibus & locis captus fuit, & in fortiam Inquiſitionis Hæreticæ pravitatis ductus & detentus. Item eo Anno cariſtia magna & defectus blavæ fuit in civitate Parmæ, maximè de menſe Aprilis & Maji, & medii Junii, & valebat frumentum in Platea, quia ſic ordinatum erat per Commune Parmæ, X. ſolidos Imperiales, & ſecretè per granarios XIV. ſolidos, & vix inveniebatur. Et facta diligenti inquiſitione de blava per civitatem & diſtrictum per Sapientes ad hoc per Commune deputatos, non erat blava, quæ ſufficeret hominibus de civitate tantùm per medium menſem Maji. Et ſic emta fuit per Commune Parmæ à Domino Boreſella de Bonacoſiis Capitaneo Mantuæ octocentum modia blavæ, medietas frumenti, & alia medietas ſpeltæ, pro X. ſolidis Imperialibus, ad ſextarium Mantuæ conductum in Terra Razoli, & quatuor ſolidos Imperiales ſtarium ſpeltæ. Et ſimiliter emta fuit blada in maxima quantitate per Commune Parmæ à quibuſdam de Papia, de Laude, & de Placentia. Et fuit conducta ad Columbam de Placentia, & poſtea ad civitatem Parmæ. Nihilominus tamen multa caritudo erat, & indigentia blavæ, & vendebatur inter ſtratas. & dabatur ad plus cuilibet ementi una mina blavæ. Item eo Anno de menſe Junii certus tractatus in civitate Parmæ factus de deponendo dictum Dominum Ghibertum do dominio ſuo praſ itus fuit ab ipſo Domino Ghiberto. Ex quo Dominus Ghibertus miſit pro amicis ſuis & hominibus ſuis de Epiſcopatu Parmæ Et ſubitò quodam mane Dominus Anſelmus de Marano Abbas Monaſterii Sancti Johannis Parmæ cum omnibus de progenie ſua dicta de Marano effugerunt de civitate Parmæ, & banniti fuerunt. Et quidam ex eis, qui ad mandata venerunt, confinati ſuerunt. Dictus Dominus Abbas ignotus ſtetit per plures dies, & tamdem inventus ſuit in civitate Januæ, ubi mortuus eſt. Item prædictæ novitatis occaſione plures de Populo Parmæ partis Eccleſiæ ab antiquo, numero XXVII. confinati ſuerunt duarum Portarum Sarcanæ, & duarum Portarum Frumenti. Item eodem Anno & menſe Pax facta fuit inter Dominum Ghibertum Defenſorem prædictum & Commune Parmæ ex una parte, & Dominos de Palude bannitos Communis ex altera. Et ſic reducti ſuerunt ad amórem Communis & dicti Domini Ghiberti, & cancellati de bannis ſuis. Item eodem Anno & menſe Dominus Gilius Storca, Rolandinus, & Cabruinus ejus filii venerunt ad mandata dicti Domini Ghiberti & Communis Parmæ, & ſic venerunt Parmam, & reſtituti ſuerunt ad bona ſua. Item eodem Anno & menſe dictus Dominus Poteſtas Parmæ, & dictus Dominus Ghibertus cum tota militia Communis & foreſtaria. equeſtres & pedeſtres, cum certis peditibus Epiſcopatus, equitaverunt ad Terram de Zeſſo diſtrictus Rhegii, ubi erant Domini de Rubeis, & circumquaque locum guaſtaverunt, & facto guaſto reverſi ſunt Parmam, in quo exercitu ſimiliter Rhegini fuerunt. Item eo tempore Dominus Neapoleo de Urſinis Cardinalis, qui erat Imolæ, receſſit de partibus Romaniolæ, & ivit Aretium. Bononienſes verò plures cavalcatas fecerunt ſuper Imolam, & multa damna & guaſta eis fecerunt. Item eodem Anno Florentini. Lucani, & alii omnes Thuſcani partis Guelſæ hoſtiliter & generaliter iverunt ſuper Aretium, & fuerunt prope civitatem Aretii per quinque milliaria, incendio & ruinæ omnia ſupponentes, & multa caſtra & loca diſtrictus Aretii capientes per fortiam & omnia devaſtantes. Item eo tempore Placentini iverunt in exercitum contra Terram de Bardi ſui diſtrictus, ad quem exercitum Dominus Ghibertus pro Communi Parmæ miſit C. pedites de illis Epiſcopatus cum uno Capitaneo, & duas ex Maſnatis equeſtribus ad cuſtodiam civitatis Placentiæ, & in ſervitium Placentinorum. Item eo Anno de menſe Junii Dominus Gerardus

dus de Henzola relaxatus fuit de carceribus Communis, ubi jamdiu ſteterat per dictum Dominum Ghibertum. Et fuit poſitus ad confinia in civitate Brixiæ, acceptis ab eo pluribus fidejuſſoribus de majoribus & ditioribus Popularibus civitatis Parmæ de ſtando ad confinia, & ad mandata dicti Domini Ghiberti & Communis Parmæ. Similiter & quidam de Populo nomine Paulus Ruffa Notarius, qui ſteterat in carceribus cum dicto Domino Gerardo de Henzola pro eodem facto, relaxatus fuit de carceribus. Item & Dominus Bernardinus de Henzola, qui erat bannitus, & qui ſteterat in rebellione Communis, vênit ad mandata Communis. Item eodem tempore de menſe Julii, Dominus Poteſtas Parmæ cum militibus Communis Parmæ Portæ de Parma & Portæ Benedictæ, & cum ſoldatis Communis, & certis hominibus Epiſcopatus, hoſtiliter equitavit ad Terras, quæ tenebantur per Dominos de Canuſio diſtrictus Rhegii. Et Commune Rhegii ſimiliter, & tamdem ſupponendo omoia incendio & guaſto ad Terram de Paderno, & ad Felinam, & alia loca dictorum Dominorum, redierunt domum: Loca verò minimè habuerunt. Item eodem anno de dicto menſe Julii extrinſeci de Placentia auxilio amicorum ſuorum de Mediolano, Laude, & Cremona fecerunt congregationes in Cremona, & ſubitò venerunt, & ceperunt Monaſterium de Columba, & ibi morati ſunt per aliquot dies. Poſtea tranſierunt ſe in Terra de Monticellis diſtrictus Cremonæ, & ibi ſteterunt, & poſtea munierunt locum, qui ibi eſt prope, qui dicitur Roncarolum diſtrictus Placentiæ. Uode Placentini intrinſeci miſerunt Parmam pro ſuccurſu. Et incontinenti ſicut redierunt Parmenſes de dicto exercitu de Rexana, omne milites Communis Parmæ cum Maſnatis de equo equitaverunt Placentiam, & ſteterunt ibi per XIV dies, & antequam redirent, Dominus Ghibertus de Corrigia cum certis militibus Communis & ſoldatis, qui remanſerant, & cum MM. hominibus de Populo civitatis Parmæ, equitaverunt, & iverunt ad Terram Burgi Sancti Donini. Et hoc fuit die Martis XVIII. dicti menſis Julii. Et in hora primi ſomni dictus Dominus Ghibertus cum militibus equitavit ultra Florenzolam, & uſque ad Terram, quæ dicitur Fontana. Populus verò remanſit ad Burgum Sancti Donini. In dicta autem Terra de Fontana Parmenſes exſpectaverunt Placentinos intrinſecos, qui ibi ſe cum eis convenire debebant ad eundum pro expellendo Placentinos extrinſecos de dicta Terra de Roncarolo. Et tamdem die Mercurii ſequenti jam factâ magnâ horâ venerunt, & non in magna quantitate. Et ſic omnes Parmenſes & Placentini iverunt ad dictum locum Roncaroli. Sed ibi nihil fecerunt, immo ex immenſo & intenſo calore, qui tunc erat, & ex defectu aquæ, & quia locus eſt totus campania, multi fuerunt in periculo mortis, ita quòd ſinè aliud facere oportuit recedere de neceſſitate, & venire Florenzolam. Et multi de Placentinis ex calore & labore defecerunt, & mortui ſunt, tam de Populo, quàm de Militibus. Gratias autem Deo, nulli ex Parmenſibus remanſerunt. Sed ex prædictis cauſis multi & quaſi omnes fuerunt in maximo periculo caloris & ſitis & debilitatis. Et multi equi in magna quantitate ſimiliter ibi fuerunt mortui. Et ſic die Jovis ſequenti Populus rediit Parmam, & die Veneris ſequenti dictus Dominus Ghibertus cum militibus & ſoldatis redierunt Parmam ſani & ſalvi. In qua cavalcata Dominus Saxolus de Saxolo Capitaneus Civitatis Rhegii cum militibus & ſoldatis Communis Rhegii numero L. ad duos equos, fuit ſemper cum dicto Domino Ghiberto. Similiter & certi Milites, & ſoldati equeſtres de civitate Mutinæ fuerunt uſque ad Burgum Sancti Donini, veniendo in ſuccurſum civitatis Parmæ. Item tres ex Maſnatis Communis Parmæ equitibus, numero LX. & plures iverunt & remanſerunt cum Placentinis Placentiæ ad defenſionem eorum, & civitatis Placentiæ. Item eodem anno & menſe exercitus prædictus, quem Placentini fecerunt ad Terram de Bardi ſine habendi locum, propter novitates exortas in civitate Placentiæ, non bono modo redierunt Placentiam.

Item eodem anno & menſe Caſtrum Archuatum & Caſtrum Florenzolæ expulerunt omnes, qui ibi erant pro Communi Placentiæ. Et dicti de Caſtro Archuato receperunt in ipſo benignè & honorificè Dominum Albertum Scotum, qui erat in contrata. Et hoc fuit in Vigilia Sancti Jacobi. Et expulerunt omnes ſuos contrarios extra, & plures interfecerunt. In Florenzola verò nullus alius rumor fuit. Sed Dominus Lupus de Lupis bannitus Communis Parmæ intravit illuc de voluntate illorum de dicto Caſtro, & ibi ſtetit cum certis aliis bannitis Communis Parmæ. Item in die Beati Jacobi dictus Dominus Albertus Scotus cum omnibus ſuis amicis & aliis omnibus, qui erant extra Placentiam, intraverunt viriliter & potenter in civitate Placentiæ; & data fuit ſibi una ex Portis. Unde incontinenti Poteſtas Placentiæ, qui erat de Janua, & Capitaneus Populi, qui erat de Parma, ſcilicet Dominus Roglerinus de Servideis, & Dominus Benedictus de Zabulis de Parma, qui ibi erat pro Capitaneo foreſteriorum, & omnes ſoldati Communis Parmæ, qui ibi erant, & alii Communis Placentiæ, & Dominus Vicecomes Pelavicinus, & Lanzalottus de Anguiſolis, Abbates Communis Placentiæ, & Domini cum omnibus familiis & amicis ſuis effugerunt de civitate Placentiæ, & reduxerunt ſe intra Bobium, & ad propria per terras & vias de Pellegrino. Poteſtas verò Parmæ cum militia civium & foreſteriorum Communis Parmæ equitaverunt eundo in ſuccurſum Communis Placentiæ, & fuerunt uſque ad Burgum Sancti Donini, & non ultra. Sed tamdem auxiliati ſunt eis. De hoc autem ranghor, & timor fuit in civitate Parmæ, quum prædicta quibuſdam placuerint, & quibuſdam non; quia nemo ſciebat quid eſſet melius. Pars antiqua Eccleſiæ viſa eſt lætari, & multi ex parte Epiſcopi, propter magna ſervitia ab eis jamdudum recepta à dicto Domino Alberto Scoto, tempore, quo erant extra Parmam. Sed pars nova, & pars Imperii non fuit gaviſa. Banniti autem Communis Parmæ, Domini de Rubeis, & de Lupis, & de aliis ſemper fuerunt cum Placentinis extrinſecis ad prædicta faciendum, & cum eis, & eorum auxilio intraverunt Placentiam, & ipſi cum eis. Et dictum fuit in Parma, quòd conjuraverunt ſe cum dicto Domino Alberto Scoto, & aliis tunc Placentinis extrinſecis. Item eo Anno de menſe Auguſti in Vigilia Beatæ Mariæ, Dominus Henricus Dei gratiâ Epiſcopus Rheginus vênit Parmam, & conciliavit majorem Eccleſiam Parmenſem, quæ fuerat & ſteterat à Sancto Petro proximè præterito menſis Junii violata propter quoddam maleficium cum ſanguine in ea factum in præſentia dicti Domini Ghiberti. Qui malefactor captus fuit incontineoti, & ſine aliqua mora fuit appenſus per gulam in glarea extra Portam Capelli-

A pellinam. Et dictus Dominus Epiſcopus Rhegi-
nus vênit ad prædictam reconciliationem facien-
dum, quia Dominus Epiſcopus Parmenſis dedi-
gnatus erat, quòd Dominus Ghibertus de Cor-
rigia Defenſor prædictus tenebat & habitabat
dumos Epiſcopatus, & noluit venire Parmam,
ſed ſtabat Colurni, & in aliis Terris ſui Epiſco-
patus extra civitatem Parmæ. Item eodem tem-
pore, dicto menſe Auguſti, in partibus Roma-
niolæ, pars illorum de Malateſtis & de Carbu-
lo, & ſuorum ſequacium, in partibus Breteno-
rii conflicti fuerunt ab illis de Furlivio, & ab
aliis Ghibellinis. In quo conflictu inter mortuos
& captos fuerunt numero MM. & ultra inter
pedites & equites ex prædictis dictæ partis de
B Malateſtis, & ſequacium. Item eo Anno de
menſe Auguſti in Vigilia Sancti Bartholomæi
juxta ſero Poteſtas Parmæ, & prædictus Domi-
nus Ghibertus cum tota militia civium, & om-
nes ſoldati equites & pedites, hoſtiliter equita-
verunt contra Cremonam, & iverunt Brixillum.
Et mane veniente Populus Portæ de Parma, &
Portæ Novæ ſubſequuti fuerunt eos. Mantuani
verò cum exercitu ſuo ipſa die jam venerant
cum navigio eorum, & ceperant Pontem de
Doſolo, & ipſum guaſtaverunt. Et ita per
aquam & per terram unà cum Mantuanis, &
Mantuani cum Parmenſibus ab iſto latere totum
diſtrictum Cremonæ ruinæ & incendio poſue-
runt. Inter quas Terras arſas & guaſtas fuerunt
C Duxolum cum Ponte, Monteſorium, Vidaliana,
Portiolum, Caſalem Majorem, Rivarolum, Tho-
lardum, Vaygazola, Luzara; Guaſtalla verò
vênit ad manuata dicti Defenſoris, & per eum
accepta fuit, & ſpanata de foveis, & diſguar-
nita, & deforzata in totum circumquaque. Et
multæ aliæ Terræ deſtructæ fuerunt, & deroba-
tæ, uti & Pomponeſcum etiam ad inſtantiam di-
cti Defenſoris remeantis. Veronenſes autem ipſa
die exiverunt à ſuo latere verſus Pladenam, &
ipſam Terram Pladenæ per vim ceperunt & de-
ſtruxerunt & combuſſerunt. Similiter Brixienſes
à ſuo latere contra Cremonam fuerunt uſque ad
Rebechum, & ibi hoſtiliter ſteterunt, & uſque
in Burgos Cremonæ fuerunt, quotidie ardendo
D & devaſtando omnia. Et dictus exercitus dura-
vit per ſeptem dies. Et poſtea ſani & ſalvi ad
propria redierunt. Et prædicta facta fuerunt ſu-
bitò abſque requiſitione generalis Conſilii Com-
munis Parmæ propter mala ſupradicta opera,
quæ Cremonenſes ſuſtinebant fieri per bannitos
Communis Parmæ, quos tenebant in domo. Sed
multi boni homines de Parma doluerunt de præ-
dictis. Item eodem menſe Auguſto in die San-
cti Bartholomæi, Dominus Guielminus de Fo-
liano filius quondam Domini Franciſci de Fo-
liano de Rhegio, fuit Capitaneus Parmæ, & in-
cœpit regimen ipſa die. Item eodem tempore
& menſe Comes Philipponus de Languxio, Do-
minus civitatis Papiæ, quum eſſet in exercitu in
E Contrata Montisferrati unà cum certis militibus
de Mediolano & de Janua, & de amicis eorum,
in ſuccurſum unius ex Comitibus de Salucio,
qui ſe eſſe dicebat Marchionem Montisferrati,
& qui occupavit certas Terras de dicta contra-
ta, captus fuit, & conflictus per quemdam
Græcum filium Imperatoris Conſtantinopolitani,
& cujuſdam filiæ quondam Marchionis Montis-
ferrati, qui illuc venerat ad accipiendum di-
ctum Marcheſaticum, quod dicebat ſibi ex ſuc-
ceſſione dictæ ſuæ matris pertinere. Item eodem
tempore Brixillum, Columnium, Sixia, Burgum
Sancti Domini fortificata fuerunt propter guer-
ram prædictam incœptam cum Cremonenſibus.

Item eo tempore duo Turizelli primò facti &
levati fuerunt ſuper Baptiſmo Eccleſiæ majoris
cum colonellis, & cum pomis deauratis verſus
Palatium Epiſcopatus Parmæ. Item eodem tem-
pore de menſe Septembris dictum fuit, quòd
quidam tractatus ſecretè fiebat in Parma in fa-
vorem extrinſecorum contra dictum Dominum
Ghibertum de Corigia & ſtatum ſuum. Prop-
ter quæ plures banniti fuerunt, & quidam capti
& tormentati. Item eodem tempore de dicto
menſe Septembris Poteſtas civitatis Mediolani,
Poteſtas civitatis Placentiæ, Poteſtas civitatis
Cremonæ, cum Laudenſibus, Papienſibus, &
cum tota militia dictarum civitatum, & maxi-
ma peditum quantitate, hoſtiliter venerunt ad
Burgum Sancti Domini, & combuſſerunt domos
ultra Canonicam dicti loci in maxima quantita-
te; & in contrata de Soranea & de Roncolis
multa incendio poſuerunt, & eodem die receſ-
ſerunt. Cum quibus Abbas Sancti Johannis de
Parma, Dominus Guielminus de Rubeis, & Do-
mini de Lupis, & alii extrinſeci & banniti Par-
mæ venerunt. Propter quod Poteſtas Parmæ
cum militibus Communis Parmæ & paucis ſol-
datis equitavit uſque ad flumen Taronis, & au-
dito quòd prædicti receſſerant, Parmam redie-
runt. Item eodem tempore & menſe Dominus
Marchio Eſtenſis per Padum cum Navilio ſuo
vênit extra Mantuam & Veronam, & cepit om-
nes naves armatas Mantuanorum & Veronen-
ſium, & eas duci fecit Ferrariam. Item eo
Anno Poteſtas Parmæ, & dictus Dominus De-
fenſor cum militibus Communis & ſoldatis &
multis peditibus de partibus de ultra Tarone,
equitaverunt contra Cremonenſes, & uſque ad
Pontem de Becho fuerunt, & omnia incendio
poſuerunt. Et iteratò redierunt alia vice dicto
tempore, & fuerunt uſque ad Polexium Sancti
Viti, omnia ſimiliter ſupponentes incendio &
ruinæ. Item eodem Anno Brixienſes multoties
fuerunt ſuper Epiſcopatum Cremonæ, & uſque
ad Puntem Vigum, & ipſum tranſierunt, & uſ-
que in Clauſuras civitatis Cremonæ damna &
incendia multa faciendo. Item eodem tempore
die Dominico primo menſis Octobris, filii Do-
mini Cavalcabovis Marchionis de Vidaliana cum
magna multitudine Cremonenſium & hominum
de contratis ſuis & de Caſali Majore, venerunt
Brixillum, & ibi deſuper Brixillum deſcende-
runt in terram, credentes venire ad Terram Bri-
xilli & ipſam capere. Brixillenſes autem & cer-
ti ſoldati, qui erant ibi pro Commune Parmæ
pro cuſtodia dictæ Terræ, viriliter exiverunt ad
eos, & prœliati fuerunt cum eis, & multos ex
eis ceperunt. Qui Cremonenſes in fugam ſe mi-
ſerunt in Padum, ita quòd multi perierunt ibi
ex ipſis Cremonenſibus, & XXXIV. ex eis fue-
runt ducti Parmam in carceribus, & multi alii
capti, in ſecreto detenti, ut ſe redimerent.
Item eodem tempore die Sabbati VII. Octobris
juxta ſero, & in nocte ſequenti flumina civita-
tis Parmæ & diſtrictus creverunt & venerunt ſic
magna, quòd ut dicebatur à ſenioribus, num-
quam ſic fuerant. Et flumen Parmæ ita crevit,
quòd fuit ſuper Mercatum, & implevit omnes
domos de Burgo Pellacanorum & de domo de
Caphoriis, & de Muzalis, & totam illam con-
tratam, & de Sancto Bernabeo, & Sancti Petri
Eccleſiam, & in Capite Pontis omnes domos de
Burgo de ſuptus, & de Sancto Spiritu, & de
Sancta Maria Nova, & domos Fratrum Humi-
liatorum, & domum Fratrum de Mareora-
no. Et in ipſa contrata fuit Parma ſic ma-
gna, quòd fuit deſuper voltas puteorum con-
tratæ,

ſtratæ, ita quod puteos implevit. Et ſimiliter de Sancta Cæcilia, de Sancta Maria Templi, & in Vicinia omnium Sanctorum, & Sanctæ Mariæ Burgi Taſcherii, & Sancti Baſilidis, & de Hoſpitale Rodulfi, ita quòd poterat navigari. Item eo tempore Parmenſes incœperunt facere fieri unum Pontem in Pado ad Terram Brixilli, & pro majori parte ipſum fecerunt. Sed non fuit completus; immo Padum ipſum dirupit & deſtruxit, quod erat factum.

Item eodem tempore die Sabbati XIV. Octobris, quum Jacobus de la Senaza & Palamedes filius naturalis Domini Guielmini de Rubeis cum certis aliis bannitis Communis Parmæ de majoribus veniſſent ad damnificandum ad Burgum Sancti Domini, obviaverunt certis Soldatis Communis Parmæ. Et inito ſimul prœlio, dictus Jacobus & Palamedes, & plure alii capti fuerunt, & ducti Parmam cum banderiis ſuis. Et banderiæ appenſæ fuerunt ad ballatorium Palatii Communis. Et ipſi ducti fuerunt Guardaxonum in carceribus dicti Domini Ghiberti Defenſoris prædicti. Item eo menſe die Lunæ XVI. Octobris, flumina civitatis & Epiſcopatus, ut dictum eſt, iteratò ſimiliter creverunt, & fecerunt ſimiliter, ut dictum eſt, & per totam Lombardiam flumina ſic magna fuerunt. Item eo tempore quum ſupradictus Dominus Rodulfus de Graſonibus Poteſtas Parmæ, finito prædicto menſe Octobris prædictum ſuum regimen complevíſſet, & receſſiſſet, & civitas Parmæ nullos Rectores inveniret, ſupradictus Dominus Guielmus de Foliano Capitaneus Populi factus fuit Poteſtas Parmæ, qui rexit pro Poteſtate, incipiens die I. Novembris uſque in diem Lunæ XIII. ejuſdem menſis, eſſendo etiam Capitaneus. Item eodem tempore, & prædicta die Lunæ XIII. Novembris, quidam Miles de civitate Senarum, qui redibat à regimine civitatis Brixiæ, ubi per ſex menſes ſteterat pro Poteſtate, cui nomen erat Dominus Gutius de Malavoltis, quum eſſet hoſpitatus in Burgo Sanctæ Chriſtinæ cum tota ſua familia, invitatu fuit, ſi volebat eſſe Poteſtas Parmæ. Et facto ſibi magno ſalario, dictum & factum ſimul completum fuit. Et ſic & tali modo electus fuit Poteſtas Parmæ uſque ad Kalendas menſis Julii proximè venturi. Et eodem die vênit ab hoſpitio, in quo erat, ad Palatium Communis pedes, aſſociatus à pluribus bonis hominibus civitatis Parmæ, & aſcendit Palatium, & ſcalas Palatii Domini Poteſtatis; & cùm fuit in Palatio, intravit regimen, ſinè quod aliter ſonaret Conſilium vel Arenghum, & eadem die regimen incœpit. Item eo Anno Commune Venetiarum ad inſtantiam Marchionis Eſtenſis, & Communium Cremonæ, Mediolani, Papiæ, & Bergomi, voluit & expoſuit ducere Salem, & alias eorum mercationes per Padum, & tranſire furſum cum ipſis. Sed Commune Parmæ viriliter prohibuit, ne tranſirent. Et Commune Venetiarum multos Ambaxatores miſit Parmam, ut permitterent ire naves eorum & mutam ſuam, dicendo quòd iter Padi erat ſuum. Sed nihil eis factum fuit, ſeu proviſum, per Commune Parmæ. De quo Cremonenſes & prædicti alii ſui ſequaces Datium maximum habuerunt. Nam ſextarium Salis tunc ob hanc prohibitionem valuit in Cremona & in aliis Terris & civitatibus, tres & quatuor Libras Imperialium, & non inveniebatur. Et propter hoc Zafranum, quod ducebatur pro feſto Nativitatis, non inveniebatur ibi, nec haberi potuit. Item eodem Anno, & tempore de menſe Decembris Cremonenſes exiverunt contra Brixienſes, & Brixienſes contra Cremonenſes, ſed non per unam viam, in exercitum. In quem exercitum in ſuccurſum Communis Brixiæ Mantuani & Veronenſes fuerunt. Et Miles, ſeu Socius Capitanei Parmæ cum CC. militibus Communis Parmæ, & totidem ex ſoldatis Communis Parmæ equitibus in ſervitium Brixienſium ſimiliter fuerunt. In quo exercitu utraque pars multis in locis magna incendia & damna fecerunt. Et tunc Cremonenſes tranſierunt locum & habuerunt Terram de Gaydo diſtrictus Brixiæ, quia homines ipſius Terræ dederunt ſe Cremonenſibus. Et ipſâ munitâ de ſuis hominibus reverſi ſunt domum. Brixienſes verò ad dictam Terram Gaydi acceſſerunt, & eam recuperaverunt, & expulerunt cuſtodes, qui ibi erant, & multos ceperunt, & majores ipſius Terræ duxerunt Brixiam, & condemnaverunt ipſos & Commune dictæ Terræ in XX. Libras Brixienſium. Et antequam relaxarent ipſos, totam dictam condemnationem prædictam exegerunt. Parmenſes verò, qui exiterant ibi per VII. ſeptimanas, redierunt ſani & ſalvi in Vigilia Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti Parmam.

In MCCCVIII. in nomine Domini, Indictione VI. erat Poteſtas Parmæ ſupraſcriptus Dominus Gucius de Malavoltis de Sena, ut prædictum eſt ad Annum novum. Eodem Milleſimo de menſe Januarii, Dominus Guido de la Turre de Mediolano electus & factus fuit Capitaneus Communis & Populi Mediolani uſque ad unum Annum. Eodem Anno de menſe Februarii, die Lunæ XIII. ejuſdem menſis Dominus Anſelmus de Marano Abbas Monaſterii Sancti Johannis Parmenſis redit Parmam cum ſuis, qui receſſerant cum eo, in pace & amore Communis Parmæ, & dicti Domini Ghiberti de Corrigia Defenſoris. Eodem Anno de menſe Februarii Dominus Azzo Marchio Eſtenſis Dominus Ferrariæ, de quo multa ſupra dicuntur, obiit, & quidam ejus filius naturalis, nomine Dominus Freſchus, vocatus & factus fuit Dominus Ferrariæ cum auxilio Populi Bononiæ, qui Ferrariam tunc iverunt. Eodem Anno Dominus Thedeſchus de Taculis de Rhegio fuit Capitaneus Parmæ electus per ſex menſes, initium cujus fuit die primo Martii. Item eodem Milleſimo de menſe Martii die XXIV. ejuſdem menſis Martii in Vigilia feſtivitatis Sanctæ Mariæ poſt Tertiam, quædam rixa facta fuit in Palatio Epiſcopatus, ubi dictus Dominus Ghibertus morabatur, inter quoſdam ex majoribus conviventibus in Curia cum ipſo Domino Ghiberto. Et tamdem dictus Dominus Ghibertus ſedavit ipſam rixam, & in ipſa ſedatione parum fuit in manu vulneratus. Et ipſâ rixâ ſedatâ equitavit cum aliis omnibus ad ſolatium per civitatem. Et ſcito de ipſa rixa per civitatem, homines tranſierunt per Vicinias ad arma, ita quòd in Capite Pontis & alibi partes tranſierunt ad loca ſua ſeorſum, & juxta ſero ſequentis diei prœliati fuerunt in Capite Pontis. Et illi de parte Imperii cum aliquibus de parte Epiſcopi prævaluerunt, & cucurrerunt ad domos illorum de parte Eccleſiæ. In quo curſu ſuper Ponte Hoſpitalis Rodulfi fuit interfectus Andriolus de Guielmanis de Vicinia Sancti Gervaſii, qui erat Ghibellinus, & unus alius filius Johannis Trovati de Vicinia Sanctæ Mariæ Burgi Taſcherii, qui erat de parte Eccleſiæ. Et ſic reverſi ſunt retro in Viciniam Sancti Jacobi de Capite Pontis, & poſuerunt ignem in domibus illorum de Anzelis in dicta Vicinia, & in domibus Domini Johannis de Guarimbertis, & Domini Oddovrandi Boconi, & ipſas derobaverunt & combuſſe-

buſſerunt. Et dictus Dominus Oddovrandus, qui
erat ultra ſexaginta Annorum, dicti de parte
Imperii ſegaverunt ei gulam. Et iterum ſero
facto dicti Ghibellini reverſi ſunt in Viciniam
Sanctæ Mariæ Burgi Taſcherii, & poſuerunt
ignem in domibus illorum de Sancto Nazaro, &
illorum de Albinis, & eas derobaverunt in to-
tum, & alios fugaverunt, & cazaverunt, &
multos interfecerunt. Beccarii autem de Platea
tenuerunt Stratam de Sancto Georgio, & multi
cridabant; *Pax Pax: Populus Populus:* Et non
permiſerunt tunc ire ad domum Domini Defen-
ſoris ad Palatium Epiſcopatus Dominum Saxolum
de Saxolo de Mutina, qui erat Capitaneus om-
nium ſoldatorum. Tamdem Dominus Ghibertus
tranſivit ad Plateam cum Poteſtate, & Capita-
neo, & familiis eorum, & ſoldatis equeſtribus,
& pedeſtribus ſuis, & aliis multis bonis amicis
ſuis. Et una nocte muniti ſteterunt in Platea.
In aliqua verò alia parte civitatis nullum malum
fuit, niſi in Capite Pontis ſed omnes ſteterunt
muniti per Vicinias ſuas uſque mane, quidam
palàm clamantes & dicentes: *Pax Pax, Popu-
lus, Populus.* Et tacentes rei exitum exſpe-
ctantes. Die verò ſequenti, ſcilicet die Martis
XXVI. ejuſdem menſis Martii in hora IX. vel
circa homines per totam civitatem Parmæ tranſi-
erunt ad arma, ſtantes per Vicinias ſuas. Illi
autem de Capite Pontis & pars Imperii & Epi-
ſcopi & multi alii de aliis partibus cum amicis
eorum cum armis & vexillis omnium Viciniarum
de Capite Pontis per glaream Communis, ubi fit
mercatum, venerunt contra illos de Sancto Ber-
nabeo, & in ipſa glarea de domo Fratrum Præ-
dicatorum prœlium magnum fuit inter prædictos
de Capite Pontis, & exiſtentes cum eis ex una
parte, & illos de Sancto Bernabeo, & de San-
cta Trinitate & ipſa contrata Ccalia exceptatis
quibuſdam de parte Imperii de ipſa contrata,
qui erant à parte illorum de Capite Pontis. Et
tamdem durante prœlio dictus Poteſtas Parmæ
cum certis & majoribus civitatis & ſoldatis Com-
munium equeſtribus vènit ad rumorem. Qui
fingentes ſe ſedare velle rumorem, prœlium
ſuadebant parti illorum de Capite Pontis. Prop-
ter quod pars illorum de Sancto Bernabeo ſub-
ſtinere non potuit, immo in fugam ſe miſerunt,
& exeuntes civitate effugerunt quò potuerunt.
Illi autem de Capite Pontis ſcilicet partis Impe-
rii, & Epiſcopi prævalentes, incendio poſuerunt
omnes domos illorum de Guazardis & de Tar-
dilevis, & vicinorum ſuorum ſtantium retro
Eccleſiæ Sancti Barnabei pro majori parte. Et
in ipſa Vicinia in Burgo Guartiæ plures domos
combuſſerunt & robaverunt in dicta Contrata,
& plures vulnerati fuerunt. Dominus Ghibertus
ſemper ſtetit in Platea cum aliis ſoldatis & Ca-
pitaneo & familia ejus & amicis ſuis pluribus.
Et ipſa die quum rumor dictarum novitatum
diei heſternæ inſonuiſſet in civitate Cremonæ,
ubi erant Domini de Rubeis & Domini de Lu-
pis cum aliis tunc extrinſecis & bannitis Com-
munis Parmæ, ipſi Domini de Rubeis, & Lupi,
& alii cum armis pedes & eques venerunt ipſa
die ad civitatem Parmæ, & Poteſtas Cremonæ,
cujus nomen Dominus Tygnacha de Paravicinis
de Mediolano cum tota militia civitatis Cremo-
næ & quibuſdam ſoldatis extrinſecorum Brixiæ
fuit uſque ad Viarolum, volentes venire ad ci-
vitatem. Sed audito per ſpilias, ſive eorum ex-
ploratores, quòd pars Eccleſiæ & illi de Sancto
Bernabeo, & de Capite Pontis perdiderant, re-
dierunt retro ad Grugnum ultra Taronem, &
ibi ſteterunt tota nocte.

A Prædicti autem Lupi & Rubei, & ſui
ſequaces banniti extrinſeci Parmæ cum fortè
XXX. bonis hominibus de Cremona, vel
circa, inter quos erant duo filii dicti Do-
mini Cavalcabovis Marchionis de Vidalliana,
videlicet Dominus Guielmus & Jacobus, & ſol-
dati prædicti extrinſecorum de Brixia, vene-
runt ad Portam Sancti Hilarii, quæ illico
aperta fuit eis per certos ſuos amicos, &
poſtea venerunt ad Portam Sanctæ Crucis, quæ
erat clauſa, & ipſam prœliati fuerunt. Domi-
nus Ghibertus Defenſor prædictus, qui erat in
Platea, ut prædicitur, audito quòd prædicti
banniti erant ad Portam Sanctæ Crucis, & ipſam
prœliabantur, incontinenti cum comitiva ſua
B vènit illuc ad ipſam Portam, & quum vidit
deſuper terraleo, quòd prædicti banniti erant
pauci, juſſit aperiri dictam Portam. Qua aperta
tranſito ponte per modicum ſpatium prœlium
fuit maximum & arduum inter ipſas partes.
Dominus Ghibertus cum ſuis ſuſtinere non va-
lentes, revolverunt ſe retro fugientes versùs Pla-
team, & multi qui illuc venerant cum eo, in
quibus confidebat, volverunt ſe contra eum &
ſuos. Prædicti autem banniti ſecundantes eos
uſque ad Plateam venerunt poſt eum. Et multi
de Populo civitatis adhæſerunt prædictis Domi-
nis de Lupis & de Rubeis, & cum armis poſt
ipſos veniebant unà cum eis clamantes: *Pax,
Pax: Populus, Populus.* Quum autem ſcitum
C fuit per civitatem, quòd prædicti banniti erant
in Platea, undique & maximè illi de Porta
Nova, & Rolandinus Scorza cum hominibus
ſuis, omnes tranſierunt armati ad Plateam, &
in Platea prœlium maximum fuit, in quo prœlio
multi ex utraque parte vulnerati & interfecti
fuerunt. Tamdem Dominus Ghibertus juxta
ſero cum ſuis ſuſtinere non valens in fugam ſe
miſit cum illis, qui accedere voluerunt ad ip-
ſum, exeuntes civitate per foveas de Sancto Be-
nedicto ipſe & frater ejus Dominus Matthæus,
& familia & ſoldati omnes pedites & equites.
Et prædicti Poteſtas & Capitaneus & familiæ
eorum, & certi milites de Rhegio, qui jam
venerant in ejus ſuccurſum, & pars ejus, & pars
D Imperii, & Epiſcopi pro majori parte omnes in-
differenter evaſerunt, quò potuerunt. Et qui-
dam Rhegium, quidam ad Caſtrum Novum
illorum de Corrigia, & aliò effugerunt. Domi-
nus Saxolus de Saxolo Capitaneus Generalis
ſoldatorum captus fuit in Capite Pontis in qua-
dam dugaria in Vicinia Sanctæ Cæciliæ, in
quam effugerat, & datus fuit Domino Guielmi-
no Rubeo, qui eum cum honore cuſtodiri fe-
cit. Illi autem de Sancto Bernabeo & alii, qui,
ut prædicitur, ante effugerant, audito dicto
eventu & rumore, redierunt ad civitatem. Unde
per totam civitatem magnæ robariæ fuerunt, &
curſus, & vaſta magna fuerunt facta ad domos
illorum de parte Imperii, & Epiſcopi, & multi
E ex eis mortui fuerunt. Et ita recuperavit pars
Eccleſiæ ipſa die & ipſo ſero. Inſuper Ruſtici,
qui venerant cum dicto Rolandino Scorza, &
ab aliis partibus, & ribaldi, & aliæ viles per-
ſonæ, aſcenderunt Palatia Communis Vetus &
Novum, & domos Poteſtatis, & Capitanei, &
Gabellæ, & Judicis exactoris averis Communis,
qui ſtabat in Palatio novo Communis, & omnes
libros bannorum, & taſchas maleficiorum, &
actorum novorum & veterum, & Reformatio-
nem Communis & Populi Parmæ, & condem-
nationum, exiſtentes ibi in ipſis domibus & Pa-
latiis, fractis omnibus archibancis, univerſaliter
abſtulerunt, & fregerunt, & dilacerarunt, &
de

Digitized by Google

de feneſtris in Plateam projecerunt ad modum nevolarum, ita quòd tota platea erat plena de chartis laceratis. Et tali modo prædicti ruſtici cancellati ſunt de ſuis bannis, & ſua debita perſolverunt. Robas verò dictorum Poteſtatis & Capitanei & familiæ eorum, & dicti Judicis, & arneſe eorum ſpoliaverunt. Etiam multi alii eucurrerunt ad Palatium Epiſcopatus, obi reſidebat idem Dominus Ghibertus cum familia ſua, & ſimiliter libros & alias ſcripturas ibi exiſtentes & arneſe & robas dicti Domini Ghiberti, & familiæ ſuæ totaliter ſpoliaverunt. Ipſo autem ſero dicti diei Poteſtas Beccariorum, Calzolariorum, Ferrariorum, & Pellizariorum, & Proconſul Notariorum loco Poteſtatis, banniri fecerunt, quòd robariæ ceſſarent; & antequam diſcederent de domibus Poteſtatis ipſo eodem ſero elegerunt in Poteſtatem Parmæ ab inde uſque ad ſex menſes Dominum Jacobum de Cavalcabobus de Cremona prædictum, qui venerat, ut prædicitur. Qui incontinenti incœpit regere, & bannum imponere, quòd robariæ & guaſta ceſſarent: quod quidem malè factum fuit. Die autem ſequenti, ſcilicet die Mercurii XXVII. dicti menſis Martii, Poteſtas Cremonæ & Milites Cremonenſes, qui nocte præcedente exſtiterant ad Grugnum, ut prædicitur, venerunt Parmam, & cum magno gaudio & honore viſi & recepti fuerunt ab amicis, & ſteterunt in Parma per aliquot dies. Et ſtando ſic, pluribus vicibus equitaverunt versùs Caſtrum Novum illorum de Corrigia, ubi ſe reduxerat dictus Dominus Ghibertus, & versùs Campiginem, ubi ſe reduxerat Dominus Matthæus frater ejus. Sed aliter nullum damnum fecerunt. Et poſtea Cremonam redierunt. Et per Commune Parmæ quatuor Tubatores Communis Cremonæ, qui venerant cum dictis ſuis Militibus, induti fuerunt de ſcarlato de una roba integra foderata, antequam redirent. Quidam verò ex ipſis Cremonenſibus redierunt de Brixillo, & ipſam Terram Brixilli totaliter combuſſerunt; quod non bonum reputatum fuit. Prædictus autem Dominus Saxolus relaxatus fuit, & datus pro inſcontro Jacobi de la Senaza, & Palamini de Rubeis, & filii Domini Rizardi de Ruffinis; quia ut ſupra dictum eſt, erant Guardaxoni in carceribus dicti Domini Ghiberti: qui pro inſcontro dicti Domini Saxoli dati & relaxati fuerunt de ipſi carceribus.

Eodem tempore banniti & confinati, qui erant extra civitatem Parmæ, facti tempore dicti Domini Ghiberti, redierunt liberè & impunè. Item eo tempore Dominus Bennus de Bechedellis de Bononia vocatus & electus fuit Capitaneus Populi Parmæ per VI. menſes. Qui vênit Parmam die Dominico XXVIII. menſis Aprilis. Et ea die incœpit exercere officium ſuum. Item eodem tempore multi confinati facti fuerunt de parte Imperii & Epiſcopi, & miſſi extra civitatem & diſtrictum Parmæ. Item eo tempore die Veneris III. menſi. Maji, Populus Parmæ traxit ad arma ad Plateam Communis, cridando: *Vivat, vivat Populus, & Pars Guelfa*; & multi alii clamabant: *Moriantur Ghibellini, & Guelfi intraverſati*. Et quidam cucurrerunt in domos Dominorum Thomaſini & Oppizonis de Henzola, & illorum de Altermanis, & eas derobaverunt & in ipſis ignem miſerunt. Et combuſtæ fuerunt ipſæ domus & plures aliæ circumvicinæ. Item eodem tempore & menſe Mantuani & Veronenſes venerunt per Padum Guaſtallam, & ipſam Terram totaliter combuſſerunt. Item eodem tempore ſupradictus Jacobus de la Senaza, habitâ licentiâ à Communi fortificavit Henzolam, & ipſum caſtrum affoſſadavit, & ſpalancavit, & munivit de Bitefredis, & Beltreichis, & aliis neceſſariis ad deſenſionem. Et incontinenti ſicut ipſum locum fortificavit, dedignatus, ut dixit, quòd redierant in civitatem Lariolus Burencatus, & Pinatius de la Senaza, qui ante fuerant banniti pro morte Domini Ugardi de Corrigia, ipſe Jacobus concordavit cum Domino Ghiberto de Corrigia, & habito ab ipſo auxilio & munimentis, rebellavit ipſum locum Henzolæ Communi Parmæ, & incœpit currere, & comburere Epiſcopatum Parmæ per ipſas contratas. Item eodem tempore ſupradicti Dominus Thomaſinus & Oppizo de Henzola, oon obſtaore quòd ipſe Oppizo tenuiſſet manus ad expellendum dictum Dominum Ghibertum, & remanſiſſet in civitate, dedignati de curſu prædicto ſuperiùs ſibi facto, eucurrerunt ad domos eorum, & igne in eis miſſo, intraverunt Pupilium, & ipſum Communi rebellaverunt cum auxilio dicti Domini Ghiberti. Item eodem tempore prædicti. qui exiverant de Parma, qui erant in Caſtro Novo dicti Domini Ghiberti, & in Pupilio, & io Henzola, & etiam deſuper in Guardaxono, multoties de die & de nocte cucurrerunt per Terras, & Contratas Epiſcopatus versùs civitatem, & alibi multa & multa comburendo, vaſtando, & rubando. Et è converſo Poteſtas cum militibus & ſoldatis Parmæ & Populo equitavit versùs dictas terras & caſtra, ſimiliter incendia multa & guaſta more ſolito faciendo. Eodem tempore quum ordinatum eſſet per Commune Parmæ exercitum facere generalem contra prædictos extrinſecos, & multa manghana & apparamenta fierent ad prædicta, quædam pertica magna cujuſdam manghani, quæ ſteterat ſub Palatio Communis à tempore guerræ Burgi Sancti Donini antiquæ citra, accepta fuiſſet de ſub Palatio, & onerata eſſet ſuper carro Communis io platea pro ducendo eam in glaream Communis ad quoddam manghanum ibi factum, antequam boves ducerentur pro ipſa pertica ſic ducenda, pueri parvi de civitate multi ceperuoi carrum per timonem, & abſque bobus duxerunt ipſum carrum cum pertica uſque in glaream Communis, ſemper currendo & noo demorando in aliquo loco. Et hoc fuit die Mercurii XV. menſis Madii. Item eodem Anno & tempore die Dominico IX. Junii in publica concione more ſolito data fuerunt Vexilla Vexilliferis Militum & baleſtrariorum & zappatorum, per dictum Dominum Poteſtatem, & per Capitaneum Populi data fuerunt Vexilla Vexilliferis Populi, & omnium Viciniarum civitatis per omnes Portas. Et die Lunæ ſequenti X. die dicti menſis, prædicti Poteſtas & Capitaneus & Vexilliferi Militum & Populi, ſe moverunt, & exiverunt extra ad eundum in exercitum contra prædictos extrinſecos. Et iverunt ipſa die Sorbulum, & ibi ſe poſuerunt. Et die Martis ſequenti XI. dicti menſis Junii, Populus, & ceteri omnes generaliter cum carris & omnibus aliis neceſſariis iverunt poſt eos in ipſum exercitum ſic generaliter, quòd numquam Populus Parmæ ſic bene iverat. Die autem Mercurii ſequenti XII. dicti menſis Junii, Poteſtas, Capitaneus, Milites, Populus, ſoldati, & omnes generaliter tranſierunt Pontem de Sorbulo, & iverunt Henzolam, & ibi in exercitum ſe miſerunt contra Henzolam. Et die Martis prædicti XI. Junii, non obſtante dicto exercitu, centum milites de civibus Parmæ, & CC. ſoldati equites, & centum ſoldati pedites de illis

Com-

Communis Parmæ cum uno ex Sociis Poteſtatis, equitaverunt, & iverunt Cremonam in auxilium Cremonenſium, ubi erant duæ Portæ Populi Mediolani cum tota militia Mediolani, & Papienſes, Placentini, Vercellenſes, Novarienſes, Terdonenſes, Cumani, Cremaſci, & Laudenſes, generaliter in auxilium Cremonenſium, cauſâ eundi ſupra Brixienſes. Et bene iverunt uſque ad Terram, quæ dicitur Bina Nova, & Senegha in ripam Lolii. Et dixerunt ſe velle facere unum Pontem ſuper Lolium, & ipſum tranſire, & ponere Brixienſes extrinſecos in Brixia. Sed nihil fecerunt. Brixienſes verò cum auxilio Mantuanorum & Veronenſium, & aliorum ſuorum amicorum, viriliter ſe oppoſuerunt. Et nihil facto, omnes ad propria redierunt, ita quòd Parmenſes redierunt Parmam die Martis XVIII. menſis Junii, & facti ſunt in exercitum prædictum Henzolæ; nec parvum ſteterunt propter id quod ſequitur.

Eodem tempore poſt prædicta immediatè Dominus Zefridinus de la Turre de Mediolano Capitaneus generali ſoldatorum equitum dictæ Ligæ vênit Parmam cum CC. militibus cauſâ eundi in dictum exercitum, ſed non iverunt propter id quod ſequitur. Eodem tempore & de dicto menſe die XIX. dicti menſis, in feſto Sanctorum Gervaſii & Protaſii, prædictus Dominus Ghibertus de Corrigia, convocatis & congregatis undique amicis ſuis, tam partis Eccleſiæ, quàm partis Imperii, & aliis, & maximè partis Imperii, ſeu Ghibellinæ, ſecum in Caſtro Novo, inter quos fuerunt multi de Rhegio, & diſtrictu per partem, & non per Commune, & Mutinenſes omnes generaliter, Populus & Milites per Commune cum Capitaneo civitatis ejuſdem, extrinſeci, ſeu banniti civitatis Bononiæ, Comites de Panigo cum toto ſuo exſfortio, Domini de Palude, banniti Communis Parmæ cum ſuis hominibus, & Dominus Franciſchinus Malaſpina, olim Cognatus dicti Domini Ghiberti cum certis hominibus de Lunixana, & omnes alii utriuſque partis, qui ad eum venire potuerunt, cum baliſtris, & armis, eques & pedes, & omnes ſoldati equites & pedites, qui exſtiterant ad ſoldum dicti Domini Ghiberti, & Communis Parmæ tempore ſuæ Defenſoriæ, & omnes Parmenſes, qui cum eo expulſi erant de civitate Parmæ, & homines Terrarum ſuarum, vênit ad locum dicti exercitus cum prædictorum omnium comitiva, ordinatis aciebus eorum. Parmenſes autem, qui erant in exercitu, Populus & Milites generaliter, & ſoldati Communis pedites & equites, hoc ſcito, armaverunt ſe, & Poteſtas, & Capitaneus, & Confalonerii militum & peditum & Viciniarum, & Poteſtates quatuor Meſteriorum, & Proconſul Notariorum civitatis Parmæ, qui ibi habebant banderias eorum, & qui fecerant per ipſa Communitates multa talamatia, & inſignia eorum, quæ ibi habebant, ſuis aciebus ordinatis, iverunt contra dictum Dominum Ghibertum, & gentem ſuam, & inito prœlio arduo & magno, tum quia Parmenſes non erant bene unanimi voluntate, tum quia prœliari noluerunt, Parmenſes omnes, Populus & Milites & ſoldati omnes ſe ruperunt, & in fugam ſe miſerunt, & conflicti & rupti fuerunt per dictum Dominum Ghibertum, & gentem ſuam. In quo conflictu multi ex Confalonerii, & ex ſervitoribus mortui, infiniti vulnerati, bene centum de bonis civibus Parmæ mortui fuerunt, & multo plures mortui fuiſſent, niſi prædictus Dominus Ghibertus prohibuiſſet de civibus Parmæ. Et plures ducentis ex ſoldatis Lucanis, qui ibi erant ad ſoldum Communis Parmæ mortui fuerunt. Civium autem quidam numquam reperti fuerunt; quidam poſtea aſportati fuerunt in civitatem, & ſepulti, & multi in campo remanſerunt per plures dies, & multi dejecti fuerunt in puteis ſive pozacharis, qui erant in dicto exercitu. Et captorum, & carceratorum non fuit numerus. Quorum quidam fuerunt ducti ad Caſtrum Novum, quidam Pupilium, quidam Campiginem, quidam Henzolam, & quidam Guardaxonum, & plurimi per Mutinenſes ducti fuerunt in diſtrictum Mutinæ, & ibi detenti, donec ſe redemerunt, & quidam in Lunixana. Illi autem, qui per Commune Mutinæ ſunt, accepti fuerunt per ipſum Commune, & cuſtoditi, donec Pax facta fuit. In dicto exercitu remanſerunt omnia manghana Communis, tendæ, & pavilioni Communis, & ſingularum perſonarum ſinè numero, plauſtra, boves, res, & utenſilia, & omnia, quæ ibi erant. Et multi per Stratam fugientes perierunt. In ſumma dici non poſſet, quanta fuit perdita abſque periculo perſonarum Mutinenſium, qui conſueti erant ſe appellare fratres Parmenſium, & è converſo quidquid mali facere potuerunt, fecerunt. Et non fuit aliquis ex ipſis, qui non fieret dives de eo quod ibi abſtulerunt, & de carceratis, quos ceperunt, & ſpoliaverunt, & coegerunt ipſos ſe redimere, antequam liberarent eos. Nam campum eis remanſit, ita quòd potuerunt accipere & facere quodcumque voluerunt. Dominus autem Ghibertus cum ſuis Parmenſibus, & aliis ſecum exiſtentibus vênit poſt fugientes uſque ad Portas Civitatis. Sed non intravit, quia dictus Dominus Zefredinus de la Turre cum dictis ſoldatis erat Parmæ, qui defenderunt Portas & Civitatem cum illis, qui remanſerant domi. Dolor maximus, ploratus, & ululatus tunc fuit in civitate Parmæ. In reditu autem, quem faciebant dictus Dominus Ghibertus & ſui, quoſcumque de Parma inveniebant, capiebant iterum, & compellebant venire ſecum ad Caſtrum Novum, & ibi detenti fuerunt. Mantuani & Veronenſes numero quinquaginta cum ſequacibus non fuerunt ad prædicta cum dicto Domino Ghiberto, quia nondum reverſi erant à dicto exercitu Brixienſium. Pauci Confalonerii, & inſignia de illis Communis Parmæ, & de viciniis civitatis, immo quaſi nulli evaſerunt. Poteſtas & Capitaneus evaſerunt cum perſonis, armis, & equis, quos ſecum habebant. Et ſic dictus Dominus Ghibertus, & pars ſua obtinuit dicta die. Dominus Guielminus de Rubeis, & Dominus Ugholinus de Rubeis erant in dicto exercitu. Sed Jacobinus filius dicti Domini Guielmi bene erat, & fuit captus & ductus Mutinam in carceribus, honorificè tamen detentus fuit uſque ad pacem factam.

Eodem tempore & anno & menſe, die Veneris XXVIII. dicti menſis Junii, facta & jurata fuit pax generaliſſima in Conſilio generali Communis & Populi Parmæ in Palatio veteri Communis inter Syndicum Communis Parmæ nomine ipſius Communis ex una parte, & Syndicum dicti Domini Ghiberti & partis prædictæ ſecum exiſtentium ex alia. Propter quam pacem omnes banniti & extrinſeci civitatis Parmæ, ſive partis Imperii, & Epiſcopi, ſive Domini Ghiberti prædicti, qui ſive ab antiquo, ſive noviter, ſive tempore aliquo fuiſſent expulſi de Parma ſive occaſione partis Maleſardiæ, ſive maleficiorum, ſive alia occaſione, canzellati,

&

& exemti fuerunt de bannis ſuis, & confinati à confinibus abſoluti, ita quòd omnes indifferenter fuerunt in dicta pace, & redire potuerunt liberè Parmam ad eorum voluntatem. Et dictæ pacis Dominus Anſelmus de Marano Abbas Sancti Johannis fuit tractator, auctor, factor, & exequutor. Die autem Sabbati ſequente die penultimo Junii in feſto Sanctorum Petri & Pauli prædictus Dominus Ghibertus, & cum eo exiſtentes, & omnes capti prædicti relaxati fuerunt, & redierunt Parmam. Et Dominus Manfredinus Pelavicinus filius quondam Domini Uberti Marchionis Pelavicini, & Domini de Palude, & alii omnes partis Imperii ſimiliter Parmam redierunt. Eodem die Sabbati Dominus Jacobus Cavalcabos Poteſtas Parmæ, Dominus Bennus de Becbedellis Capitaneus Populi Parmæ, licentiati fuerunt, & receſſerunt ab ipſis regiminibus civitatis Parmæ, & per Commune Parmæ in pecunia numerata ſibi ſolutum fuit de totis ſalariis eorum, & reſtitutum & emendatum fuit eis quicquid perdiderant in dicto exercitu de Henzola. Eodem die Sabbati Dominus Zefredinus de la Turre de Mediolano prædictus, qui erat, ut prædicitur, Parmæ, cui remiſſum fuit regimen civitatis Parmæ ex forma capitulorum dictæ pacis, donec de Rectoribus proviſum foret, tamquam Rector Communis Parmæ, & Poteſtas, & pro Capitaneo incœpit regere, & rexit civitatem Parmæ, uſque ad diem II. menſis Auguſti proximè ſubſequentis. Eodem die Sabbati factum fuit Conſilium quadringentorum bonorum hominum civitatis Parmæ, omnium de Populo, quibus commiſſa fuit omnis baylia civitatis & diſtrictus Parmæ. Et in dicto Conſilio CCCC. qui babebant auctoritatem de omnibus negotiis civitatis, data fuit auctoritas & baylia Domino Anſelmo de Marano Abbati Monaſterii Sancti Johannis Parmenſis, obligando Poteſtatem, & Capitaneum civitatis Parmæ, quum dictus Dominus Zefredinus de la Turre omnino diceret, quòd non ſtaret Parmæ pro Poteſtate. Qui Dominus Abbas Dominum Sighiſredum de Arzignano de Viceutia elegit in Poteſtatem Parmæ, & Dominum Andriolum Marchionem de Gavio de Janua in Capitaneum Populi Parmæ, qui ambo acceptaverunt dicta regimina. Item eo anno & tempore exiſtente dicto Domino Zefredino de la Turre adhuc in dicto regimine Parmenſium, die Veneris II. menſis Auguſti, dictus Dominus Andriolus de Gavio Marchio de Janua vênit Parmam cum tota ſua familia, & more ſolito intravit in publica concione dictum Capitaneatum civitatis Parmæ, & regere incœpit. Item eodem anno & menſe, die Sabbati, III. menſis Auguſti, ſummo mane, de conſcientia omnium, Dominus Zefredinus de la Turre prædictus cum tota ſua familia diſceſſit de civitate & regimine Parmæ. Et eodem die Sabbati III. Auguſti dicti anni in hora Nonæ Dominus Ghibertus de Corrigia cum ſoldatis ſuis, & cum omnibus ſuis amicis cucurrit ad Plateam armatus & eques. Et initis in pluribus locis civitatis prœliis & rumoribus, inter multos illi de Rubeis, de Lupis, & de Henzola, & multi alii antiqui partis Eccleſiæ expulſi iverunt de civitate Parmæ, & domus eorum combuſtæ & derobatæ. Et robariæ magnæ, & homicidia, & alia mala facta ſunt in civitate & diſtrictu Parmæ per illos, qui dicebant ſe amicos Domini Ghiberti, & partis Imperii & Epiſcopi contra illos, qui dicebantur de parte Rubeorum & Luporum, licèt eſſent partis Eccleſiæ; & contra omnes eorum amicos. Qui Domini de Rubeis, Lupis, & aliis ſuis ſequacibus iverunt ad Terram Burgi Sancti Domnini, ubi ſe reduxerunt. Quæ Terra Burgi Sancti Domnini, & caſtrum de Mariano, & caſtrum de Berceto, data erant dictis Dominis, & eorum parti in dicta pace facta, de qua ſupra fit mentio, per formam, ſive capitula, ſeu ſententiam dictæ pacis, pro ſecuritate & ſecura habitatione eorum. Sed modico elapſo tempore illi de Berceto, & illi de Mariano non tenuerunt eos, immo expulerunt, & cum Communi remanſi in civitate Parmæ ſe tenuerunt ad mandata Communis. Item eodem menſe & tempore prædicti etiam expulſi de civitate intraverunt Guarolam Monaſterii Sancti Pauli, & in Torclariam, quæ quidem loca ambo, & dictam Terram de Burgo Sancti Domnini munierunt, & incœperunt currere, & guerram facere ſecundùm eorum poſſe contra civitatem & illos, qui remanſerant in civitate. Item eo tempore propter dictas novitates ortas dictus Dominus Sighiſredus de Arzignano de Vicentia, qui electus fuerat in Poteſtatem Parmæ, quum fuit in civitate Mantuæ, veniens ad dictum regimen, audito de dictis novitatibus, non vênit ulterius, ſed ad propria rediit cum ſua familia. Item dictus Capitaneus non ulteriùs ſe intromiſit de aliquo regimine faciendo; immo die Dominico IV. dicti menſis Auguſti in Conſilio generali Communis Parmæ denuntiavit abſque ſalario ſuo, & ipſum petiit, & mane adveniente cum ſua familia diſceſſit, & ad propria remeavit abſque ſalario Item eodem anno menſe Auguſti die Lunæ V. facti fuerunt Rectores Parmæ, ſeu Poteſtates, quidam Judex de Placentia, ſeu de diſtrictu, qui venerat cum dicto Capitaneo Parmæ pro ſuo Judice, cui nomen erat Dominus Jacobus de Stradella, & quidam alius Judex de Cremona de illis, qui venerant, & ſteterant cum dicto Domino Zefredino de la Turre, cujus nomen erat Dominus Gazapinus de Antignatis, qui ambo communiter rexerunt uſque ad adventum ſubſequentis Poteſtatis. Sed nihil timebantur, ita quòd non potuerunt prohibere infinitas robarias, violentias, extorſiones, furta, incendia, & homicidia, & alia mala infinita, quæ quotidie & indifferenter fiebant in civitate & extra, & fuerunt facta uſque ad adventum ſubſequentis Rectoris. Et habuit quilibet pro ſuo ſalario LX. Libras Imperialium, & habiti fuerunt, & ſteterunt loco ....

Item eodem Anno & menſe, die Dominico XI. Auguſti, in mane, Jacobus de la Senaza, qui tunc temporis ſtabat de Picha Rachelli, in domo Domini Antonii de Sulcio, exiſtendo ibi in ipſa domo cum Adigherio de la Senaza patruo ſuo, Maſtino de Sancto Vitale, & filio ejus Maſtinello, & quodam Baſtardo de la Senaza, dicto Giliolo, & pluribus aliis uſque in novem, & quodam filio parvulo dicti Jacobi, omnes novem interfecti, mortui, & occiſi fuerunt à pluribus; de quo fuit maximus dolor in civitate, & maximè de dicto Jacobo. Item eodem Anno & menſe, die Lunæ, XII. Auguſti, Dominus Paganinus Comes de Panico de Bononia de extrinſecis electus vênit Parmam pro poteſtate; & ipſa die regere incœpit, & fuit Poteſtas per ſex menſes. Item eo Anno & menſe Dominus Ugolinus Domini Thaddæi de Manfredis de Rhegio electus fuit in Capitaneum Parmæ, & vênit Parmam die XIX. menſis prædicti Auguſti, & incœpit regere. Item eodem Anno Pax Placentinorum facta fuit inter intrinſecos & extrinſecos, ita quòd illi, qui erant extra, redierunt Placentiam, & fece-

eerunt eorum Dominum uſque ad V. Annos Dominum Guidnnem de la Turre Capitaneum Mediolani, in quo ſe compromiſerant. Qui illuc vênit, & dimiſſis ibi pro eo Poteſtate & Capitaneo & ſoldatis equitibus & peditibus, redut Mediolanum. Item en Anno & tempore Domini de Stortis cum quibuſdam aliis, qui cum eis erant Turclaræ, venerunt quadam nocte, & combuſſerunt Burgum extra Portam Novam de Religione Veteri. Item eodem Anno de menſe Septembris, Commune Parmæ exivit in exercitum, ſcilicet duæ Portæ Populi, milites omnes, & ſuldati omnes equites & pedites, ad caſtrum Glarolæ, ubi erant quidam de Rubeis, & de amicis ſuis extrinſecis Parmæ. Et dato ibi prœlio grandi & arduo, per fortiam die Veneris XIII. dicti menſis dictum caſtrum Glarolæ à Parmenſibus intrinſecis captum fuit. Et capti fuerunt bene LX. & carcerati, inter quos fuit Lamororus de Rubeis, Palaminus de Rubeis, naturales tamen, & Roglerius Baratus. Qui quatuor fuerunt ducti Guardaxnnum in carceribus: alii Parmæ in carceribus remanſerunt. Et plures occiſi fuerunt, & caſtrum diruptum fuit tunc per Commune Parmæ. Item eodem tempore, & continuatn dicto menſe Septembris poſt prædicta de Glarola dictus exercitus Communis Parmæ ivit Turclaream, ubi Dominus Gilius Scorza, Rolandinus, & Cabrinus ejus filii, & multi alii boni viri de Populo Parmæ partis Eccleſiæ & de contratis ſe reduxerant, & faciebant guerram. Et tamdem poſitis ibi manghanis & aliis apparatibus ad exercitum, ſteterunt Parmenſes ibi in abſedio dicti caſtri de Turclarea uſque ad diem Mercurii menſis Octobris. Et quando Populus duarum Portarum ſteterat ibi per XV. dies, redibat, & Populus aliarum duarum Portarum ibat. Et tamdem propter duritiam temporis hyemalis exercitus non bene ſtabat, ut volebant. Sed ſicut Deo placuit, prædictus Rolandinus Scorza & alii ſecum exiſtentes dederunt locum Communi, & fuerunt exemti de bannis ſuis, & redierunt in civitatem, & exercitus rediit Parmam. Item eo Anno & tempore Dominus Guido de la Turre de Mediolano, qui ſolùm ad tempus erat Capitaneus Mediolani, factus fuit perpetuus. Item eodem Anno de menſe Octobris Dominus Bernardus de Madiis Epiſcopus & Dominus Brixiæ obiit, & Dominus Maphæus de Madiis ejus frater factus fuit perpetuus Dominus civitatis Brixiæ. Item en Anno & tempore Ferrarienſes inter ſe motionem ſecerunt, ita quòd Venetiani cum navilio ſuo venerunt illuc, & Bononienſes cum ſuo exercitu, & Paduani ſimiliter, omnes volentes per ſe dictam civitatem Ferrariæ. Dominus verò Freſchus filius naturalis dicti Domini Azzonis Marchionis Eſtenſis, qui erat Dominus & Marchio loco patris, videns quòd civitas non poterat tenere, & antiqui exititii de Ferraria venerant ad prædictam, ſcilicet Dominus Salinguerra de Salinguerris, Domini de Fontana, & Domini de Lambertis, cum ſuis amicis, de quibus multùm timebat, dedit ſe & totam civitatem & diſtrictum Ferrariæ Communi Venetiarum, & in ſuam defenſionem. Et exinde habuit maximam & innumerabilem quantitatem Florenorum auri. Et prædicti Paduani & Bononienſes ad propria redierunt, & vocari debebat Ferraria Venetia parva. Venetiani verò non conſiderato, quòd Ferraria erat civitas Eccleſiæ, eam in ſuam acceperunt, & munierunt, & Poteſtatem & Capitaneum, & alios Rectores de ſuis ibi dimiſerunt, reputantes eam alteram Venetiam, & dicentes. Similiter Mantuani & Veronenſes venerant, & libentiſſimè accepiſſent dictam civitatem Ferrariæ, ſi eam habere potuiſſent. Item eodem Anno & tempore quidam ex prædictis intrinſecis Parmæ, qui iverant in Burgum Sancti Domnini, venerunt quadam nocte in Burgum Sancti Hilarii extra Portam Sanctæ Crucis, & combuſſerunt in magna quantitate dicti Burgi.

In MCCCIX. Indictione VII. die Mercurii V. Februarii, in feſto Sanctæ Agathæ, jam multùm ſero facto, prope primum ſomnum, Dominus Petrus Mancaſola de Placentia vênit Parmam pro Poteſtate, electus per ſex menſes Poteſtas Parmæ, ita quòd juravit regimen ad Eccleſiam majorem ad offerendum ipſa nocte in publica concione more ſolito ad lumen cereorum, & lumeriarum quamplurimum, & incontinenti incœpit regere. Item eodem Anno Dominus Ghibertus de Corrigia factus fuit Poteſtas Mercatorum, & Mercadantiæ civitatis Parmæ uſque ad V. Annos. Item eodem Anno & tempore multi confinati & multi condemnati fuerunt per Commune Parmæ de parte Eccleſiæ prætextu partis Rubeorum, & multi inculpati fuerunt de certis tractatibus; propter quod evitabant mandata Communis. Item eodem Milleſimo, & Anno, & de menſe Maji, quia in civitate Placentiæ orta erat quædam diviſio, dicto Dominus Petrus Mancaſola Poteſtas Parmæ cum militia & ſoldatis equitibus Communis Parmæ ſubitò equitaverunt Placentiam in ſuccurſum Domini Alberti Scoti & ſuorum amicorum. Nam dictus Dominus Petrus erat gener dicti Domini Alberti Scoti. Et de ipſa civitate Placentiæ expulſi fuerunt Rectores & ſoldati omnes qui ibi erant pro Domino Guidone de la Turre, & Dominus Veſconte Pelavicinus, & Dominus Ubertus de Catio, Dominus Lanzalotus de Anguiſolis, Dominus Ubertus de Lando; & multi alii de Forgoſiis, & de aliis domibus magnorum, & Populi Placentiæ, cum eorum amicis reduxerunt ſe in certis ſuis Terris. Et prædictus Dominus Petrus Mancaſola Poteſtas adhuc exiſtens, ut prædicitur, in dicta ſua civitate Placentiæ, unde erat, ſicut Deo placuit, obiit in pace, ita quòd non redut Parmam. Alii verò milites & ſoldati ſani & ſalvi redierunt. Item eodem Anno commiſſum fuit regimen Poteſtariæ civitatis Parmæ poſt mortem dicti Domini Petri Mancaſolæ die XXII. menſis Maji Domino Bertolino de Turre, ſive de Rodinis Judici de Rhegio, qui erat Parmæ cum dicto Domino Poteſtate pro ejus Judice & Aſſeſſore. Qui Dominus Bertolinus incœpit regere dicta die XXII. dicti menſis Maji, & rexit per totum ipſum menſem, & ſolutum fuit ſibi per Commune Parmæ de toto ſalario filio dicti Domini Petri. Item eo Anno die Dominico I. Junii dictus Dominus Ugolinus de Manfredis Capitaneus electus fuit Poteſtas Parmæ, & eſſendo Capitaneus rexit uſque in ipſum diem, & ſubſequenter uſque in diem X. ejuſdem menſis, quo die ſucceſſor vênit. Item eodem Anno in die Sancti Gervaſii Dominus Oppizinus Spinula de Luculo Capitaneus, & Dominus civitatis Januæ, & pars ſua expulſi fuerunt de civitate Januæ, & conflicti in prœlio à Dominis de Grimaldis, & de Fliſco, & aliis extrinſecis Januæ. Et in ipſo conflictu quidam Civis Parmæ, qui vocabatur Dominus Antonius de Gualdinis, qui tunc erat Poteſtas Januæ, in ipſo conflictu mortuus fuit. Et dicti Domini de Fliſco, & de Grimaldis, qui ſteterant extra Januam bene XL. annis & plus, cum

aliis

aliis eorum amicis reverſi ſunt Januam, qui dicebantur partis Eccleſiæ.

Item eodem tempore & Anno in civitate Ferrariæ Ferrarienſes recuſaverunt dominium Venetianorum, & miſerunt ad Dominum Papam, quòd mitteret ad accipiendum civitatem tamquam Dominus. Et inito prœlio in ipſa civitate, Rectores & amici exiſtentes pro Venetianis non valentes reſiſtere, reduxerunt ſe in caſtrum Tedaldum, quod eſt à capite dictæ civitatis. Et Venetiani cum navilio ſuo per aquam & per terram venerunt in abſedio civitatis cum manganis & aliis apparatibus. Bononienſes verò venerunt in auxilium Ferrariæ, & caſtrametati ſunt ab alio latere Padi, & amanganabant Venetianos exiſtentes cum ſuo exercitu in Pado cum navibus. Dominus Papa requiſivit Venetianos, quòd redderent dictum caſtrum, & diſcederent, & ampliùs non ſe intromitterent de factis Ferrariæ. Qui Venetiani in totum recuſaverunt; unde Dominus Papa miſit in Lombardiam quemdam Cardinalem ejus nepotem, cujus nomen erat Dominus Arnaldus Pelagrua, qui per Parmam tranſivit de menſe Junii, & ivit Bononiam, & de Bononia Ferrariam. Et facta excommunicatione majori de Venetianis, & prædicata Cruce & generali Indulgentia omnium peccatorum omnibus ire volentibus ad ſoldum dicti Domini Cardinalis & Eccleſiæ contra Venetianos, dictus Dominus Cardinalis congregavit maximam comitivam gentium, eques & pedes, de Clericis & Prælatis Lombardiæ, de toto Communi Bononiæ generaliter, & de Romaniola, Marchia Anconitana, & de Terris Eccleſiæ, & Patrimonii, Apuliæ, & Thuſciæ. Exercitu durato per tres menſes vel circa, tamdem Venetiani conflicti & mortui fuerunt, & ne ati bene numero ſeptem millium & plus. Et prædicti, qui erant in dicto caſtro Tedaldo, omnes occiſi fuerunt, & dimiſſo navigio, & omnibus aliis rebus paratis per fugam evaſerunt. Et Comes Raynaldus de Marcharia, qui tenebat cum Venetianis, occiſus fuit. Et de prædictis Parmenſes non ſe intromiſerunt, & multi doluerunt. Et prædictus conflictus fuit de menſe Auguſti. Et eodem tempore dictus Dominus Legatus dictum ſuum & Eccleſiæ exercitum miſit ad quoddam caſtrum, quod vocabatur Marcabos, quod ſitum erat fortiſſimum in ripa Padi in diſtrictu Ravennæ juxta mare, quod tenebatur per Venetiano per fortiam, & per dictum caſtrum tenebant Lombardos in magna ſervitute pro mercatoribus. Et quod caſtrum, ſicut Deo placuit, per exercitum dicti Domini Legati per fortiam captum fuit, & poſtea incontinenti in totum funditus diruptum. Item eodem tempore Fratres Templi per totum Mundum depoſiti fuerunt per Sanctam Eccleſiam & Dominum Papam, quia inculpati fuerunt & verè de crimine hæreſis, & quòd inter cetera negabant Crucifixum Dominum Jeſum Chriſtum, & ſpuebant ſuper Cruce ejuſdem in dedecus ejus & omnium Chriſtianorum. Et ob hoc Dominus Archiepiſcopus Ravennæ vênit Parmam & ad alias Terras Lombardiæ ex commiſſione Sedis Apoſtolicæ ad ſententiam excommunicationis & depoſitionis contra dictum Ordinem exequendam poſtea. Item eodem Anno Dominus Guielminus de Graſonibus de Mutina fuit Poteſtas Parmæ electus à die, quo venerat Parmam uſque ad Kalendas Januarii proximas ſubſequentes. Qui vênit Parmam die XVI. Junii, & die ſequenti incœpit regere die Martis XVII. ejuſdem menſis Junii, & complevit tempus dicti regiminis. Item eodem Anno finito regimine Capitaneatus dicti Domini Ugolini de Manfredis Capitanei Parmæ, qui fuit per unum annum, quum Commune Parmæ Capitaneum non haberet, commiſſum fuit officium Capitanei prædicto Domino Jacobo de Stradella Judici de Placentia, qui erat tunc Parmæ pro Judice Gabellæ, & Salis Communis. Qui Dominus Jacobus pro Capitaneo rexit uſque ad adventum Capitanei venturi. Item eodem Anno & tempore prædictus Dominus Poteſtas dedit in publica concione Vexilla Conſaloneriorum Populo & Conſaloneriis causâ eundi in exercitum extra Burgum Sancti Donini. Item eodem Anno orta diviſione inter Dominos de la Turre de Mediolano dictus Dominus Guido de la Turre Capitaneus Mediolani cepit Dominum Caſſonum de la Turre Archiepiſcopum Mediolani, & Dominum Paganinum fratrem ſuum, filios quondam ..... de la Turre, & ipſos carceravit. De quo fuit poſtea ab Eccleſia excommunicatus. Item eodem Anno de Menſe Septembris Dominus Alexander de Zancletinis de Brixia factus fuit Capitaneus Parmæ per ſex menſes, & vênit Parmam die VIII. dicti menſis, & ea die cœpit regere. Item eodem Anno die XVI. Septembris generalis exercitus Civitatis & diſtrictus Parmæ, Militum, Populi, & ſoldatorum ſe movit, & exivit contra Burgum Sancti Donini, & exiſtentes ibidem. Et in auxilio Communis Parmæ in maxima quantitate ſoldatorum, equitum, & peditum, & baleſtrariorum de Verona, Mantua, Mutina, & Brixia fuerunt & de Rhegio etiam. Qui omnes iverunt in dictum exercitum, & ſteterunt, & de Malaſpinis etiam. Ad cuſtodiam Civitatis non remanſerunt niſi Antiani majores LXX. & minores XVIII. & CC. pedites de Mutina ad dictam cuſtodiam expenſis Communis.

FINIS.

RELATIO
DE ITINERE ITALICO
HENRICI VII. IMPER.
Ab Anno MCCCX. uſque ad Annum MCCCXIII.

A D

CLEMENTEM V. PAPAM,

AUCTORE

NICOLAO EPISCOPO BOTRONTINENSI

ANTEA EDITA

A CLARISSIMO VIRO

STEPHANO BALUZIO,

Nunc autem in Italicorum commodum recuſa.

Digitized by Google

IN RELATIONEM
NICOLAI EPISCOPI BOTRONTINENSIS
DE ITINERE
HENRICI VII. AUGUSTI
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

DOminicus Vandellius, Mutinenſis Sacerdos, vir multiplicis eruditionis, & numquam ſatigatus, cui accepta habeo Additamenta ad Chronicon Caſaurienſe, edita Part. II. Tom. II. Collectionis hujus, quum Lutetiae Pariſiorum peregrinationis cauſa ageret una cum Marchione Alphonſo Fontanellio noſtrate, juvene literarum ſtudioſiſſimo, & ſpectatiſſimae virtutis, e Codice MSto Bibliotheeae Chriſtianiſſimi Regis mihi deſcripſerat Opuſculum hoc, opem humaniſſime conſerente Johanne Boivinio ejuſdem Bibliothecae Cuſtode, Viro Clariſſimo. Opinabatur ille, opinabar & ego, nondum luci redditam lucubrationem hanc, ac proinde bene de Italica Hiſtoria meriturum, qui eam e tenebris tamdem eriperet. Verum ſubinde animadverti praereptam mihi ejuſmodi gloriam. Celeberrimus enim Vir Stephanus Baluzius Anno 1693. Vitas Paparum Avenionenſium evulgans ac illuſtrans, in calce Tomi II. pag. 1143. Opuſculum ipſum eductum ex Codice 9920. Bibliothecae Regiae primus publiei juris fecit. Attamen plane inſtituti mei ratio poſcit, ut rurſus idem per me editum inter Italicorum manus verſari facilius ineipiat. Auctorem titulus prodit *Nicolaum Epiſcopum Botrontinenſem*, ſive Botrontinum, Ordinis Praedicatorum, quem Henricus VII. Imperator ſumme carum habuit, ejuſque opera eſt uſus turbulentiſſimis iis ac difficillimis temporibus, quibus Italia tot inteſtinis factionibus lacerabatur Johannes de Cermenate in Hiſtoria, quam hic idem Tomus complectitur, Cap. 62. haec ad Annum 1313. habet: *Nihilominus* (Henricus VII. Imperator) *Legatos ad Papam mittit, ſcilicet Epiſcopum Tridentinum Cancellarium ſuum, Epiſcopum Borentinum & Comitem Sabaudiae, qui hujuſmodi mandatum revocandi operam dent*. Ita ego olim edidi Tom. 2. Anecdotor. meorum, quum non aliam lectionem praeferret Codex MStus quo utebar. At hinc jam intelligimus, apud Cermenatem ſcribendum eſſe *Epiſcopum Botrontinum*; qui ad Clementem V. Papam profectus, nondum completa legatione, ut opinor, inſperatam mortem Henrici Auguſti audivit, & paucos poſt dies aut menſes Opuſculum hoc perſcripſit. Poſtremo fato functus eſt Henricus Anno 1313. feſto die Sancti Bartholomaei, hoc eſt die 24. Auguſti; Clemens autem proxime ſequenti Anno 1314. Aprilis, die 20. Ergo quum haec a Botrontino Epiſcopo poſt Henrici VII. funus ad Clementem Papam adhuc viventem conſcripta fuerint, pertinere conſequenter dignoſcuntur, aut ad poſtremns menſes Anni 1313. aut ad priores inſequentis.

Ceterum Opnſculi hujus pretium non eſt, quod ego extollam, quum quiſque legens ſentire per ſe ipſe poſſit. Scilicet Auctor & dignitate ſpectabilis, & ad intima ipſius Henrici Caeſaris negotia adhibitus, rebus, quas narrat, interfuit, & non vulgarium more Hiſtoricorum, rumores Populi colligebat, ſed a ſe viſa ac pertractata referebat. Optandum foret, ut plura hujuſmodi veterum acta probe tantum conſcii conſcripſiſſent, nobiſque reliquiſſent. Praetermittere autem nolo, mihi per Italiam olim peregrinanti conſpecta fuiſſe in unum locum congeſta plura monumenta ad Hiſtoriam Henrici VII. ſpectantia, atque inter cetera tabulas, eaſque authenticas ſive autographas, Syndicatuum omnium Civitatum atque Oppido-

Google


pidorum, quae eumdem Auguſtum ſuſcepere, atque agnovere Dominum, eique fidem ſuam jurejurando obſtrinxerunt. Quod potiſſimum animadvertebam, ex iis monumentis elucebat, quae non ſolum Urbes, ſed etiam Caſtella, Marchiones, & Comites, ſui tunc juris eſſent, quaeve ab Imperatore ſtarent, ita ut ad contexendam Hiſtoriam Italicam eorum temporum non infimus eſſe poſſet uſus ejuſmodi ruderum. Sed jam audiamus, quid in hoc Opuſculum adnotarit doctiſſimus Baluzius.

Adnotatio Stephani Baluzii Viri Clariſſimi.

Botrontum, ſive Buthrotum Oppidum Corcyrae, uti vocatur in Libro Tertio Commentariorum Caeſaris de Bello Civili, cujus celſam Arcem commendat Virgilius in Libro Quarto Aeneidos, Colonia fuit olim Populi Romani in ingreſſu Portus Pelodis, teſtimonio Strabonis, & Plinii. Botrontinam Urbem vocat Guillielmus Apulienſis. Auctor Anonymus Chronici Barenſis a Camillo Peregrinio editi ſcribit Corſo, ideſt Corcyram & Botbronto captas fuiſſe Anno MLXXXI. a Roberto Duce Apuliae. Botrontum ergo Oppidulum eſt Epiri, ſive Albaniae in litore maris Jonii, Epiſcopale ſub Archiepiſcopo Naupactenſi.

Auctor iſtius Operis fuit citramontanus, &, ut opinor, Germanus. Inſtituto Fratrum Praedicatorum ſe addixit. Inde factus eſt Epiſcopus Botrontinenſis in Albania.

N I-



NICOLAI
EPISCOPI BOTRONTINENSIS
RELATIO
DE ITINERE ITALICO
HENRICI VII. IMPERATORIS
A D
CLEMENTEM V. PAPAM.

A SAnctiſſime Pater, infra ſcripta ſ it, quæ acta ſunt in Italia, poſtquam Dominus Imperator felicis recordationis montes tranſivit, prout ego Frater Nicolaus Dei, & veſtri gratiâ Epiſcopus Botrõtinenſis poſſum teſtimonio meæ conſcientiæ melius recordari ad præſens.

B In Taurino venit Rex Romanorum menſe Octobris. Tunc cum eo pauci erant. Illuc venerunt Romani ad eum, qui in ambaſſiata veniebant ad veſtram Sanctitatem. Ibi omnes, qui in ambaſſiata erant, ab eo honores receperunt, & munera, & aliqui eorum conſilium ſuum intraverunt. Non credo, prout ego recordor, per verba eorum, quæ primò protulerunt, quòd intentionis pupuli Romani fuerit eos mittere ad petendum, quòd Sanctitas veſtra alicui vel aliquibus committeret coronationem ſui, ſed quòd vos perſonaliter veniretis. Qui tamen in ſua ambaſſiata habebant unam generalem propoſitionem, quòd quicquid eſſet utile pro eorum ambaſſiata facerent, ſi viderent quòd Sanctitas veſtra ſe excuſaret, quòd venire non poſſetis propter plures rationes, quas poſſetis allegare, ipſi de conſilio Decani Treverenſis, & meo vellent petere, quòd alii vel aliis Sanctitas veſtra coronationem committeret, & nos nomine dicti Regis hoc idem peteremus. Iſta fuerunt in Taurino ordinata.

Eo exiſtente ibidem, in Mediolano, in Vercellis, & in omni Liga eorum, ordinatum fuit per eos, qui tunc dominabantur, ſub pœna graviſſima, quòd ſuum Epiſcopatum nullus exiret. Et hoc factum eſt malitiosè, ut publicè dicebatur, ne aliquis Guebelinus ſe jungeret ei, & ipſe cum tam parva gente modicum poſſet facere. Et quòd hoc ſit verum, ſatis apparet, quia Dominus Guido de Turre Priorem, & Superiorem Fratrum Prædicatorum Mediolanenſium miſit Spiram, ſignificans ei, quòd Lauſanæ vellet ſibi occurrere cum filiis ſuis, & mille armatorum, & quòd gentem non curaret adducere magnam, quia cum uno ſalcone ſinè armis ipſum duceret per totam Lombardiam. Dominus autem Rex, me præſente, petivit hoc à prædictis Priore, & Superiore, utrum crederent, quòd Dominus Guido intenderet facere quod mandabat. Reſponderunt in animas ſuas, quòd ita credebant. Dominus autem omnino verbis Fratrum confidens, ſpecialiter cùm unus co-

eorum diceret ſe eſſe ſuum Confeſſorem, ſic inpræparatus ſeſtinavit, credens quòd iſta omnia eſſent vera. Et iſta fuit una cauſa, quia conſilium Domini Regis Franciæ, licèt Sanctitati veſtræ tunc videretur expediens, minimè expectavit.

In illo loco Dominus Ricardus de Tiſcionibus de Vercellis expulſus, non obſtante prohibitione, quòd nullus ſuum Epiſcopatum exiret, vênit cum centum armatis equitibus Taurinum, dicens publicè, quòd deſtructus erat, & ſui, & expulſus & confinatus propter partem Imperii, & quòd ſicut Domino ſuo de illo modico, quod eis remanſerat, paratus erat ei ſervire uſque ad mortem. Dominus Rex publicè ſic reſpondit, quòd compatiebatur ei multùm, & ſuis; tamen quòd propter ſuam partem hoc accidiſſet ei, non credebat, cùm ipſe partem in Lombardia non haberet; ſed totum, nec partem vellet tenere in Lombardia; nec pro parte venerat, ſed pro toto. Ex iſto verbo ferè omnes Guelfi fuerunt conſolati, & omnis homo dicto Regi benedicebat.

Poſtea venerunt ad eum illuc Comes Philipponus cum tota militia Papienſium, qui fuerunt, ut audivi, pluſquam quadringenti; Symon de Advocatis de Vercellis cum ducentis Militibus ad arma; & Dominus Antonius de Laude cum centum armatis, & plus, ut dicebatur. Iſti tres poſt Dominum Guidonem de Turre in parte Guelpha dicebantur majores, prudentiores, & domini ſuarum civitatum. Conſilium iſtorum fuit, quòd nullam partem expoſitam in aliqua civitate reponeret, donec eſſet coronatus, & quòd hoc pro meliori eſſet pluribus rationibus oſtendebant.

In eodem loco vênit Marchio Saluciarum, circa centum armatos ſecum habens. Ibi voluit jurare, & facere fidelitatem de ſuis bonis, quæ ab Imperio tenebat. Dominus Rex ipſum noluit recipere ad fidelitatem, quia fidelitatem fecerat Regi Roberto, dum per Lombardiam veniret de coronatione reveniendo. Et iſtud fuit ſuum motivum; quia parentelam intendebat facere cum eodem, noluit aliquid facere in terris, & in hominibus, quæ tunc per Regem Robertum tenebantur. Recordor ego de civitate Albenſi, cui veſtra Sanctitas literas ſicut & aliis civitatibus Lombardiæ, ut ei obedirent, dirigebat, quòd ipſe numquam voluit ſuſtinere quòd eis præſentarentur; ne, ſi obedirent, poſſet aliqua novitas oriri inter eum, & Regem Robertum, cui jam de mandato veſtro dederat licentiam, quòd non teneretur recipere feodum ſuum uſque ad certum tempus, de quo ad præſens non recordor.

In eodem loco vênit Marchio Montisferrati cum ducentis armatis, ut dicebatur. Præſentavit ſe publicè ad faciendam fidelitatem de Marchionatu. Dominus Rex noluit ibidem ipſum recipere; quia Marchio Saluciarum dicebat, quòd ſibi de jure debebatur propter quædam, quæ ab antiquo erant inter (*) eos, & quòd ipſe nihil juris habebat. Propter hoc, & quædam alia, ut ſanius conſilium haberet, & ne nimis ſe præcipitaret in primis, pro tunc noluit ipſum recipere ad fidelitatem.

Licèt autem conſilium Domini Comitis Philipponi, Antonii, & Symonis prædictorum Guelforum fuerit, quòd nullam partem introduceret expulſam, donec coronaretur, conſilium autem aliorum, & ſpecialiter Citramontanorum, fuit contrarium. Unde Dominus de Taurino ivit in Kierium, & ibi partem Guebelinam diu expulſam ſecum introduxit: quod fuit ad maximam conſolationem omnium expulſorum Italiæ. Ibi conſtituit Vicarium primum, quem fecit veſtrum Militem, Dominum Hugolinum de Vicco; qui ſic eos in bonis moribus nutrivit unà cum aliis Vicariis, qui ſecuti ſunt eum, quòd uſque in hodiernum diem in pace remanſerunt.

Dicta terra dicitur Eccleſiæ Taurinenſis eſſe per Privilegia Imperatorum. Comes Sabaudiæ dicit, quòd ſua eſt per Privilegia Imperatorum. Dominus Rex ipſam ſemper ſibi retinuit propter verba illius Populi, qui dicebat, quòd Federicus condemnatus jam illa Privilegia dedit prædictis Eccleſiæ Taurinenſi & Comiti.

De Kierio vênit in Aſt circa Feſtum Martini, & ſecum partem expulſam introduxit, & fecit pacem inter eos. Ibi fecit Vicarium Dominum Nicolaum de Bonſignoribus de Senis. Pace autem facta inter eos, ibi primò percepit intentionem Regis Roberti; quia licèt fuerit publicum, quòd cum eo ſocietatem haberent, ut unus alium juvaret ſecundùm quædam pacta, ſinè tamen alio juramento aliquo publico alicujus fidelitatis, per duos magnos de Solario, qui ante adventum ſuum dominabantur, fuit ſibi intimatum, & Inſtrumentum apportatum, quomodo Rege Roberto veniente de coronatione, ipſi ſecretum juramentum ſibi fecerunt ſicut Domino, & ipſe eis: ſed iſtud non debebat revelari, donec Sanctitas veſtra publicè oſtenderet affectum, quem ad eum habebatis, & quomodo voluntas veſtra erat, quòd ipſe creſceret in Lombardia; & in brevi vos promiſeratis ſibi oſtendere per effectum, prout ego meliùs poſſum recordari. Iſta fuit ſententia verborum illorum duorum de Solario; quos ego, ſi viderem, cognoſcerem, ſed nomina ignoro. Præſens fuit in iſtis Regina Fratres ſui, Epiſcopus Gebennenſis, & ego. Dominus poſt receſſum illorum duorum mihi præcepit, quòd illud Inſtrumentum ego comburerem: quod & feci. Nolebat autem, quòd umquam poſſet oſtendi, ex quo unum eſſe debebant propter parentelam futuram, & ipſum excuſabat, dicens quòd filius tam probi viri de ſanguine Beati Ludovici natus numquam fa ceret tale quid; ſed fortè Conſilium ſuum potuit hoc facere.

In illo loco, diligenti & maturo conſilio habito de Marchionatu Montisferrati, cujus eſſet, invênit quòd Marchio Saluciarum nullum jus habebat. Licèt autem inter ambos Marchiones, qui ejuſdem Domus fuerunt, fuerit ordinatum per teſtamenta eorum, quòd ſi unum contingeret mori ſinè hærede, alius ſuccederet, & Marchio Montisferrati mortuus fuerit ſinè hærede habens unam ſororem, unde iſte natus eſt, qui jam Marchio eſt, ratione cujus dicebat ſe habere jus, ſcilicet matris, quæ fuit ſoror ultimi Marchionis, qui filiam Comitis Sabaudiæ habebat in Uxorem; quia tamen in tam nobilibus feodis ſorores non ſuccedunt, nec ordinatio poteſt fieri aliqua ſinè conſenſu ſuperioris, declaratum fuit ibi per Regem, quòd neuter eorum habebat jus, & quòd Marchionatus devenerat ad manum dicti Regis. Et hoc fuit per omnes approbatum, nullo apertè contradicente.

Tunc Dominus Rex volens placere Comiti Philippono, & omnibus Guelphis, volens etiam placere Domino Opizino de Luculo, cujus filiam ha-

(*) *In margine* Kierium.

habet ia Uxorem, nunc Marchio, Marchionatum Montisferrati, qui juſtè ad manus ſuas devenerat, de novo tradidit in feodum Marchioni illis diebus. Illa donatio omnibus Guebelinis in Lombardia diſplicuit, quia Marchio tunc tenebat cum Domino Guidone de la Turre, & Comite Philippono, & aliis Guelphis; & Marchio Saluciarum tenebat tunc, ſicut & nunc, eum Guebelinis expulſis de Lombardia. Ab illo die ſemper Marchio Montisferrati pro Imperio & fidelibus Imperii fidelis eſt inventus.

In eodem loco venerunt ad eum Archiepiſcopus Mediolanenſis, & Dominus Matthæus Vicecomes, & Manfredus de Beccaria de Papia, qui tunc erant expulſi. Ibi, prout recordor, juraverunt ſuum conſilium iſti tres, qui tunc Domino Guidoni de Turre & parti Guelphæ erant contrarii, & adhuc ſunt, excepto Archiepiſcopo. Tunc etiam ſuperiùs nominati Comes Philipponus, & Symon Vercellenſis, & Antonius de Laude Domini Regis conſilium juraverunt, & fidelitatem fecerunt, & plures alii Prælati & Laici, quos neſcio nominare; inter quos fuit Epiſcopus Aſtenſis, Novarienſis, & Taurinenſis.

Ibidem Dominus Archiepiſcopus Mediolanenſis requiſivit Dominum Regem, quòd fratres ſuos tres, quos Guido de Turre pluſquam per annum in carcere tenuerat, mandaret liberari. Dominus Rex mandavit illi quòd ipſos liberaret. Quod tunc facere recuſavit.

Ibidem Comes Philipponus invênit unum de Papia, qui venerat ad Dominum ſuum. Et quia, ut prædixi, ipſe & alii, qui potenter ſuas civitates tenebant, ante ingreſſum Regis in Lombardiam ordinaverant ſub pœna gravi, quòd nullus ſuum Epiſcopatum exiret, prædictum increpabat, quare contra ordinationem ſuam veniſſet, & Comitatum ſuum exiviſſet. Reſpondit, quòd ad Dominum ſuum veniſſet. Tunc dictus Comes, poſtquam ipſum vituperaverat, mandavit fratri ſuo tunc Epiſcopo Papienſi, quòd domos ſuas faceret ſibi dirui, & vineas ſuas abſciodere: quod & fecit. Poſtquam factum eſt, & Regi fuit intimatum, multi mirabantur, quòd dicto Comiti parcebat ſic, quòd non ſolùm ipſum de hoc non punivit, ſed etiam ſicut priùs conſiliarius fuit. Et in conſcientia mea ego ex tunc minùs in animo meo ipſum Regem reputavi, & quòd ipſe numquam bene faceret juſtitiam, nec de malis hominibus magnis ſtuderet facere juſtitiam: quod ſupra modum mihi diſplicebat.

Quæ facta ſunt in Aſt alia non bene recordor, licèt plura, prout credo, facta fuerint, quia diu manſit poſt meum receſſum ibidem. Ego autem illo die receſſi de Aſt cum magno Capellano veſtro, cum literis, quas ſcitis. Quo die Dominus Cardinalis de Peregruo intravit.

Poſt meam reverſionem ſuum receſſum audivi de Aſt in hunc modum. Plures de Lombardia, de Janua, tunc cum eo erant; & inter eos ipſe vidit diverſa conſilia ſecundùm diverſitatem voluntatum. Modò quaſi in centro illius contratæ Lombardiæ ſituatum eſt unum caſtrum, quod vocatur Vigevenum, diſtans de Mediolano, de Vercellis, de Papia per viginti miliaria, & de Laude etiam. Illud caſtrum tunc tenebat Dominus Guido de Turre pro Communi Mediolanenſi, & unus de ſuo ſanguine erat ibi tunc Poteſtas. Per procurationem unius Medici, qui tunc ibi morabatur, notus poſtea & amicus Domini O. de Grandiſſono, quia ipſum curavit de magna infirmitate, quam tunc habuit in Aquebelle, dictum caſtrum Domino Regi latenter fuit promiſſum, ad quod recipiendum Dominum Hu-

A gonem Delphini præmiſit. Qui ſimul cum eo de Aſt recedens, paucis ſcientibus, ipſe per partem viæ, quæ vadit in Caſale, cum Rege incedens, Domino Rege illa nocte veniente in Caſale, dictus Dominus Hugo Vigevenum intravit, & Poteſtatem Domini Guidonis conſanguineum cum ſuis bonis illæſum dimiſit. Quo caſtro habito, omnes civitates circumquaque timuerunt. In Caſali, cùm in pace eſſent, nihil aliud fecit, niſi quòd juramentum fidelitatis ab eis recepit.

In Caſali & ante, quia conſilium prædictorum trium Philipponi, Symonis Vercellenſis, & Antonii erat, ut prædixi, quòd nullum extra poſitum ſecum intromitteret; conſilium autem aliorum erat contrarium, & voluntas Domini Regis B cautè & ſecretè dictos tres cuſtoditi faciebat, ſic tamen quòd ipſi ignorabant, nec quis advertebat, niſi illi, quibus erat commiſſa dicta cuſtodia: de Caſali volens recedere Rex, dictus Symon de Vercellis ibidem potens, & Dominus, rogabat, quòd procederet: Dominus Rex noluit, non bene ſperans de eo; ſed ultra cum eo procedens versùs Vercellas, Padum cum Somariis & curribus ſinè navigio tranſivit: quod omnibus Patriotis miraculum videbatur. Civitatem intravit Vercellenſem, & expulſos ſecum adduxit. Ibidem unum Vicarium de Janua de Maloſellis, qui Guelphi ſunt, dimiſit, conſanguineum Domini Comitis Sabaudiæ. Ibique pace inter eos facta, & bona concordia, receptiſque fidelitatiC bus Domini Epiſcopi, Nobilium, & Communis, versùs Novariam direxit greſſus ſuos.

In Novaria veniens, partem expulſam ſecum adduxit. In Novaria tunc dominabatur unus Guelphus Dominus Guillermus nomine de Bruſatis antiquus. Utrum ſibi obviaverit, neſcio bene, niſi uſque in Vercellas, quia fuit antiquus, & debilis. Pace inter eos & concordia facta, quia Dominus Archiepiſcopus Mediolanenſis erat aliquantulum Domino Epiſcopo Vercellenſi durus ſuper conſecratione ſua, Dominus Rex & Regina ipſum Archiepiſcopum rogaverunt, ut dictum Epiſcopum Vercellenſem in præſentia eorum conſecraret: quod & fecit in Eccleſia Fratrum Prædicatorum in Novaria. Qualem D reverentiam ſibi fecerunt, quæ dona dicto Epiſcopo dederunt Rex & Regina, & quas expenſas fecerunt in dicto feſto, quantum ad convivia & alia, ipſe ſcit, cui factum eſt, & ipſi qui interfuerunt. Quomodo autem dictus Epiſcopus dicto Regi poſt ſuam conſecrationem & honorem receptum ab eo ſibi ſerviverit, & fidelitatem ſervaverit, inſignia Regis Roberti in Vercellis poſita, & in ſuo Hoſpitio ſpecialiter, & per eum & ſuos, ut fama eſt, hoc oſtendunt. Recordor incidentaliter, quòd ante receſſum meum de Piſis audivi ab Imperatore per paucos dies, quòd in iſto Mundo non erant duo Prælati magis ingrati quàm Archiepiſcopus Mediolanenſis, & Epiſcopus Vercellenſis, & quòd inter E omnia, quæ plus habebat cordi umquam Sanctitati veſtræ ſupplicare circa facta Prælatorum, hoc erat, quòd Sanctitas veſtra ſciret quid fecit pro iſtis duobus, & quid fecerunt contra eum.

Domino Rege in Novaria exiſtente per aliquos dies, Dominus Guido de Turre tunc ſibi miſit Ambaſſiatores, primò quòd veniret; per quos fratres Archiepiſcopi Mediolanenſis, quos antea non miſerat, licèt de Aſt petiviſſet, liberos remiſit. Ille fuit primus locus, qui ſolùm à Mediolano diſtat per parvam dietam, ad quem miſit, licèt in civitate Spirenſi miſiſſet Priorem & Suppriorem Prædicatorum Mediolanenſium,

quòd citra Lauſanam ſibi occurreret, prout ſu- A
periùs eſt notatum. Mora miſſionis Nuntiorum
Domini Guidonis de Turre ad Regem, ſecun-
dùm ea, quæ mandaverat per fratres, ſatis in
corde Regis poſuit de ſuſpicione, licèt illis die-
bus parum oſtenderet per effectum, cùm ſem-
per, quantumcunque accuſaretur per alios dictus
Guido, per eum excuſaretur. Quamvis de mul-
tis veris accuſaretur, videlicet, quòd Domino
Guillermo de Poſterla, qui major eſt nobilis de
Mediolano, negavit venire ad præſentiam Regis
iis diebus & pluribus, & quòd ipſe terram mu-
niverat armatis omnibus, quos habere poterat.
Semper tamen, quantumcunque Domino Regi
diceretur, ipſum publicè excuſabat, & dicebat
quibuſdam ad partem ſuis amicis privatis, quòd B
Prior & Supprior prædicti Mediolanenſes ſibi di-
xerant in animas ſuas, quòd bona fide intende-
bat obedire, & nihil mali erat in corde ſuo cir-
ca eum.

De Novaria recedens, tranſivit Ticinum ſinè
navigio: Quod miraculum ruſtici de partibus
dicebant, cùm à centum annis non eſſet audi-
tum, quòd ſinè navi per aliquem locum quis
tranſiverit illam aquam. Mediolanum præceſſe-
rat Maraſcalcus Regis propter hoſpitia aſſignan-
da. Qui nullam bonam voluntatem videns in
Domino Guidone, ſuo judicio ſatis ingreſſum
Domini Regis timuit in Mediolanum, ſpeciali-
ter cùm Palatium Communis dictus Guido nol- C
let dimittere, qui ipſum inhabitabat, nec ſti-
pendiario vellet licentiare, qui erant in equis
ferè mille. Quando in via literas recepit Ma-
raſcalci Dominus Rex de ſtatu civitatis Medio-
lanenſis, & voluntate Domini Guidonis & ſuo-
rum, retraxit ſe aliquantulum extra viam, &
prædicta in conſilio propoſuit. Pauci, iis audi-
tis, fuerunt qui auderent bene ingreſſum ſuum
conſulere propter pericula proditionis, quæ quaſi
in promtu videbantur. Suæ voluntati acquie-
ſcens mandavit feſtinanter Maraſcalco, quòd
proclamari faceret, quòd omnes ſibi obviarent
& ſinè armis, exceptâ familiâ Maraſcalci. Tunc
omnibus ſuis præcepit, quòd arma acciperent.
Et ſic feſtinavit, quòd dictus Guido, qui ſibi D
obviabat ſine armis, non bene per unum milia-
re potuit ſibi obviare, ita citò civitati appro-
pinquavit, cum pueris & familia decenti.

Intimaverunt autem aliquibus de conſilio Re-
gis quidam, quòd non obſtante proclamatione
Maraſcalci, quòd nullus arma portaret ſtipen-
diarius vel civis ſub pœna gravi, ſed omnes
Regi obviarent ſinè armis in ſolemnitate qua
deceret, quòd in una platea illorum de Turri
equitum & peditum ferè decem milia armati
fuerunt, & ibi dicebant, quòd non erat contra
Regem, ſed contra ſuos inimicos, videlicet Ar-
chiepiſcopum & fratres ſuos, Dominum Mat-
thæum Vicecomitem, & ſuos ſequaces. Propter
quod in campis fuit ordinatum, quòd intrando E
civitatem Mediolanenſem nullus iret ad hoſpi-
tium ſub pœna gravi, nullus ſepararet ſe ab
alio, donec Dominum Regem in ſuo hoſpitio
poſuiſſent, & licentiam haberent recedendi ad
hoſpitia. Et hoc fuit Theotonicis graviſſimum,
quia tardè erat, & hoſpitium non habebant
plures, nec aliquis erat ſecurus. In hoſpitio Ar-
chiepiſcopi deſcendit Rex, & ibi fuit per plu-
res dies, donec Dominus Guido induci potuit,
quòd Palatium Communis dimitteret. De hoc
multi multa loquebantur contra Regem, quòd
talia poterat ſuſtinere.

Celebrato ibi ſolemniter die Nativitatis Do-
mini Jeſu Chriſti, in craſtinum fecit pacem in-
ter Dominum Archiepiſcopum, fratres ſuos,
Dominum Matthæum Vicecomitem prædictum,
& Dominum Guidonem. In præſentia ſui &
multorum ſe invicem ſunt amicabiliter, utinam
fideliter, oſculati. Citò poſt, neſcio quot die-
bus, ſed ſcio quòd infra octavas Nativitatis
Chriſti, in platea Communi, ante Sanctum Am-
broſium, parata Sede decenti, vocatis omnibus
civibus & forenſibus, ipſe in Sede Regali ſedens,
& ad pedes ſuos prædictos ſimul habens, unus
Juriſperitus de mandato ſuo ſurrexit oſtendens
populo, quare venerat de ſuis partibus ſatis
pulchrè, & quomodo ſuæ intentionis erat nullam
partem tenere, ubique ponere pacem, omnes
expulſos introducere, & talia plura, quæ popu-
lus cum magnis lacrymis præ gaudio audiebat,
dicens laudem Deo, & ſibi ſecundùm modum
patriæ ſupra modum. Specificavit etiam, & di-
gito oſtendit dictus Prolocutor unionem, pacem,
& concordiam, quam fecerat alibi, & inter
prædictos Dominos Archiepiſcopum fratres ſuos
Dominum Matthæum, & Dominum Guidonem.
Et omnia iſti prædicti ſimul ſedentes, & ſimul
tenentes ſe in receſſu, cum manibus aſſerebant,
& tunc facta oſtendebant. Hoc facto, Domi-
nus Guido ſponte Palatium Communis, quod
inhabitabat, Domino Regi dimiſit, & Domina
Regina remanſit in Palatio Archiepiſcopi.

Tunc temporis cives de Modoecia inſtabant,
quòd Rex Modoeciam reverteretur ad Coronam
Ferream recipiendam, cùm ibi eſſet locus ab
antiquis Regibus ordinatus. Dominus Rex ha-
bita matura deliberatione, & inſpecti libris &
Chronicis antiquis, invênit quòd dictus locus
erat ſuæ coronationis ferreæ Mediolanum, & quòd
Sanctus Ambroſius talem in tali loco, & plures
Archiepiſcopi Mediolanenſes plures in tali vel
tali loco coronarunt, & quia Mediolanum fre-
quenter rebellavit Imperio, & Reges plures
neſciebant, ſi audacter Mediolanum poſſent in-
trare ad recipiendum dictam Coronam Ferream
propter rebellionem eorum frequentem & infi-
delitatem, deliberaverunt quòd quando Medio-
lanenſem civitatem non poſſent pacificè intrare,
quòd apud Modoëciam coronam reciperent,
quæ numquam Imperio rebellavit. Unde cùm
Dominus adhuc Modoeciam non intraſſet, & in
Mediolano pacificè eſſet receptus; injuriaretur
ipſis, ſi alibi quàm in Eccleſia Sancti Ambroſii
ſuam Coronam ferream reciperet. Quod ab
omnibus, exceptis civibus de Modoecia, eſt
unanimiter concordatum. Unde Dominus Rex
diem Epiphaniæ pro ſua Corona Ferrea reci-
pienda in Eccleſia Sancti Ambroſii elegit.

Poſt hæc fuit viſum honeſtum Conſilio Medio-
lanenſium, quòd aliqua curialitas fieret Régi.
Et ſuper hoc fuit vocatum Conſilium Sapientum,
inter quos fuerunt Dominus Guido, & Dominus
Matthæus. Omnes concordaverunt quòd aliquid
ſibi daretur. Sed de ſumma unus Nobilis Do-
minus Guillermus de Poſterla dixit primò, quòd
Regi darentur quadraginta millia florenorum.
Dominus Matthæus dixit, quòd bene erat di-
ctum. Et plures alii concordabant. Addidit ta-
men unum, quòd aliquid daretur Dominæ Re-
ginæ pro curia ſua tenenda, & dixit de decem
millibus Florenorum. Et pluribus placuit. Tunc
Dominus Guido dixit, quòd civitas erat potens,
& dives, & quòd parum erat ſecundùm indi-
gentiam Domini. Unde videbatur ei, quòd
non minùs quàm centum millia florenorum de-
berent; ſibi habuit etiam ſequaces ſuos plures.
Ex iſtis ſtatim inter Theotonicos & inter Con-
ſiliarios Domini fuit dictum & judicatum, quòd
Do-

Dominus malè fecerat, quòd umquam Dominum Matthæum intromiſerat, & quòd jam minùs volebat de utilitate ſua procurare in civitate Mediolanenſi, quàm Dominus Guido de Turre, qui dominium perdebat. Alii autem dicebant aliud, quòd Dominus Guido ſciens Populum gravatum per eum multùm, & non voluntarium ad tantam pecuniam dandam, quia cum maximo gaudio Regem receperant, ut omnino vel rebellarent, vel gratiam ad eum perderent, fecit. Nos autem Citramontani, inter quos ego fui tunc, plus ſatis eramus contenti de Domino Guidone, & de ſua procuratione magna, cùm ſciremus Regem & nos omnes ſatis indigere, quàm eſſemus de Domino Matthæo. Unde dicebamus communiter, quòd Dominus Matthæus ita modicum volebat ut daretur Regi ut gratiam Populi & favorem haberet. Scio, quòd de iſtis centum millibus florenorum Rex recepit quinquaginta millia ſinè ſolutione particulari alicujus hominis, quia ordinatores ſuper hoc reditus & introitus civitatis vendiderunt ad certum tempus pro tali ſumma. Alia quinquaginta millia fuerunt poſita per civitatem & Comitatum, & cum talibus rumoribus recollecta, quòd ego frequenter de domo Prædicatorum non audebam venire uſque ad Palatium propter maledictiones & vituperia, quæ dicebant de Rege, & de nobis Citramontanis iſti, qui ad ſolvendum cogebantur.

In die Epiphaniæ per Archiepiſcopum Mediolanenſem & Epiſcopum Vercellenſem, quem ad hoc ſpecialiter voluit habere tamquam ſuum Epiſcopum, qui ſic tunc à Rege & Regina vocabatur, & pluribus aliis Prælatis præſentibus tunc, Coronam Ferream in Eccleſia Beati Ambroſii ſuſcepit. Eodem die centum & ſexaginta milites novos ſecit; inter quos fuerunt aliqui Citramontani, & plures Lombardi, omnes Guebelini, duobus vel tribus exceptis, videlicet Guiberto de Corrigia de Parma, & Ponſono de Ponſonis de Cremona, qui Guelphi erant. Et de hoc fuerunt multa judicia, cùm Guelphi eſſent plures, quàm Guebellini. & ditiores & potentiores, quia tunc per manum Domini ſui nolebant militari. Memoriam nominum iſtorum duorum habui, quia frequenter propter mirabiles proditiones, quas fecerunt in Parma & Cremona ſuis civitatibus, quas procuraverunt rebellare, audivi eos nominare. Qui tot honores & commoditates à Domino Rege receperant in diverſis locis, quomodo ſinè cauſa potuerunt talia facere?

Ad dictum diem omnes civitates fuerunt vocatæ per Sindicos, & omnes miſerunt, & omnes fidelitatem juraverunt, exceptis Januenſibus & Venetis, qui tunc, licèt miſerint, non juraverunt, & multa dixerunt, quæ malè retinui, quare non jurabant, & tamen Dominum ſuum Regem Romanorum recognoſcebant. Unde nullam bonam cauſam ſcio, niſi quia ſunt de quinta eſſentia, nec Deum, nec Eccleſiam, nec Imperatorem, nec Mare, nec Terram volunt; & iſta ſuæ rationes innuebant.

Poſtea ſucceſſivè infra menſem omnes civitates infraſcriptas pacificavit, & partes expulſas intromiſit, & Vicarios eis dedit, ſcilicet Cumanam, ubi partem Guebelinam intromiſit; Trixienſem, ubi partem Guelpham intromiſit; Mantuanam; ubi partem Guebelinam intromiſit; Placentiam, ubi partem Guelpham intromiſit: & ſic de omnibus aliis à Bononia & ſupra; exceptâ Veronâ, in qua partem Guelpham voluit intromittere, ſed Veronenſes noluerunt ipſum

A Comitem de Sancto Bonefacio tunc præſentem in Mediolano recipere, qui caput Guelphorum in illa civitate Verona erat, dicente, quòd dictus Comes per Federicum erat privatus omnibus bonis ſuis tamquam proditor & rebellis, & de hoc juſtitiam petebant. Dictus Comes defendebat ſe, quòd Federicus, licèt privaverit eum, non potuit, quia jam fuerat condemnatus. Alii dicebant, quòd non, & de hoc volebant facere fidem. Et dum ſic litigarent ante perfectam declarationem, iſta, quæ ſequuntur, per Dominum Regem fuerunt in conſilio ſuo propoſita.

Propoſuit Dominus Rex omnibus Citramontanis, & Ultramontanis, non ſolùm ſuis Conſiliariis, ſed etiam pluribus aliis Sapientibus ad hoc
B vocatis, cùm Deus, non ipſe, per ſuam gratiam in Lombardia pacem poſuiſſet, ſic quòd omnes partes expulſæ ferè erant introductæ, & ſimul pacificè vivebant, & Vicariis ſuis obediebant, quis eſſet modus melior, cùm ipſe eſſet in procinctu eundi ad Coronam, conſervandi Lombardiam in pace poſt ſuum receſſum. Lombardi per ſe, Citramontani per ſe, convenerunt. Et poſtea voluit Rex, quòd ſimul eſſent. Et per ſe & ſimul omnes concordaverunt, quòd de omni civitate majores de utraque parte ſecum duceret, quia illi erant, qui faciebant brigam, & hoc cum expenſis ſuarum civitatum; & quòd unus eſſet Vicarius Generalis cum ma-
C gna gente ſtipendiariorum. Iſtud conſilium Dominus Rex approbavit, & Dominum Comitem Sabaudiæ Vicarium generalem conſtituit, qui debebat habere mille quingentos equites armatos ad expenſas omnium civitatum Lombardiæ ſecundùm ratam cujuslibet. Et iſta ſtipendia recepit dictus Comes per aliquod tempus.

De modo eligendi illos, qui dictum Regem ad ſuam Coronam debebant ſequi, fuerunt multi multa dicentes, quæ longa eſſent enarrare. Sed finaliter in hoc devenerunt, quòd una pars eligeret aliam, videlicet Guelphi XXV. Guebelinos, & Guebelini XXV. Guelphos. Ordinatum enim erat, quòd quinquaginta de Mediolano Dominum Regem ſequerentur. Per Guel-
D phos electus eſt Dominus Matthæus Vicecomes & unus de ſuis filiis cum XXIII. aliis. Per Guebellinos electus fuit Dominus Guido de Turre & unus de filiis ſuis cum XXIII. aliis. Poſt aliquod intervallum videntes Guelphi, quòd ferè omnes, quantum ad capita eorum, de Mediolano recedebant, & plures Guebelini remanebant, quia plures intraverant, tunc Guebelini Mediolanum quantum ad capita quàm fuiſſent de Guelphis his diebus, reputabant ſe gravatos; & tunc rogaverunt Dominum quòd aliut modus inveniretur eligendi, quia notabiliter gravabantur. Licèt Dominus Rex non libenter mutaverit, tamen ad inſtantiam Comitis Sabaudiæ Vicarii Generalis, & aliorum Citramonta-
E norum, qui plus Domino Guidoni favebant his diebus propter jam dicta, quàm Domino Matthæo, mutavit Dominus modum, & elegerunt aliter, ita quòd credebatur, quòd negotium bene ſtaret. Domino diſponente ſe ad receſſum, pauci erant, qui libenter ſequerentur. Guelphi non libenter dimittebant civitatem, ſed ſemper timebant Dominum, nec de eo plenè confidebant. Guebelini, quia pauperes, & diu fuerant extra, non libenter ſequebantur. Volebat tamen Dominus Rex, quòd venirent. Ex quo per eos & per alios fuerat conſultum, nihil voluit mutare quin venirent. Tunc neceſſe fuit, quòd pecunia pararetur per modum daciæ pro expen-

ſis eorum ; item alia tallia, ſive dacia pro expenſis Vicarii generalis ; item alia pro illis quinquaginta millibus florenorum, qui adhuc Domino Regi debebantur. Iſta ſumma pecuniæ tanta pauperibus & divitibus impoſita ſic omnes commovit, quòd nullus bene poſſet credere, niſi præſens fuiſſet. Tamen oportebat, quòd pecunia pro omnibus prædictis ſolveretur. In iſta commotione Dominus Guido excuſavit ſe propter infirmitatem quòd venire cum Domino Rege non poſſet. Dominus excuſationem non admiſit, & hoc quia Medicum ſuum miſit, & requiſitus per juramentum, utrum haberet talem infirmitatem, propter quam eſſet meritò excuſandus de non veniendo, dixit quòd non.

In iſta tanta commotione accidit illa novitas, quæ impoſita fuit Domino Guidoni, & hoc quia in domibus ſuis, & in ſua contrata & pedites, & equites inventi ſunt infiniti homines armati, & de domo ſua principaliter & vicinia, exeuntes contra Theotonicos plures vulneraverunt. Item in aliis contratis longè remoti à ſua, tamen de ſua ſequela, exiverunt armati pedites & equites, licèt per plures dies eſſet proclamatum quòd nullus Italicus arma portaret ſub pœna gravi. Fuit tamen dictum Domino Regi, me præſente & pluribus, quòd Dominus Matthæus in illa novitate concordaverat, & de conſilio ſuo factum erat totum, & quòd filii ſui erant armati cum filio Domini Guidonis. Et iſtud fuit motivum, quare credebatur, & hodie à multis creditur, quia dum iſta novitas inciperet, plures erant cum equis euntes per civitatem, & aliquos ego audivi clamantes. *Moriantur Theotonici omnes, pax eſt inter Dominum Guidonem, & Dominum Matthæum*. Et tunc poſt iſtas clamationes omnes cives ſunt armati. Tunc illa hora ego eram cum Rege, qui mandavit, quòd Dominus Matthæus caperetur cum filiis. Ego autem, qui veniendo ad Regem de domo Prædicatorum, per domum Cancellarii tranſiveram, ubi dictum Dominum Matthæum cum uno filio ſuo dimiſeram ſine armis, dixi: *Domine, Dominum Matthæum in domo Cancellarii dimiſi*. Nullus voluit mihi credere. Præcepit mihi Dominus, quòd ego irem, & adducerem eum. Ivi cum maximo periculo, & ipſum adduxi ad capellam Domini. Tunc dixit mihi Dominus publicè, quòd ſervitia feceram ſibi; ſed iſtud erat maximum, quia iſtum innocentem mandaverat capi ad eum interficiendum, ſi ego non fuiſſem, quia ab omnibus accuſabatur, & adhuc etiam accuſatur, & dicunt quòd ipſe conſenſit; ſed quando vidit quòd res non poterant fieri, ut credebat, propter feſtinationem nimiam Theotonicorum armatorum, dimiſit alios in briga, & ſe extra poſuit. Ibi facta ſunt multa mala, & infinita ſpolia, & multi mortui & vulnerati. Si juſtè, Deus ſcit. Fugit Dominus Guido in domo ſua. Inter alia ſuſpicione plena inventæ ſunt ſagittæ paratæ cum igne Græco, multæ & groſſæ baliſtæ ad trahendum. Poſt illud periculum, quod ſatis magnum fuit, non multùm poſt Cremona rebellavit projiciens partem unam & Vicarium extra civitatem. Hoc idem fecit Brixia & Crema. Sed Laude extra partem Guebelinam poſuit, ſed obediebat Vicario dicti Regis. Illis diebus dictus Rex dedit Comiti Philipponi Caſale, Symoni de Vercellis mille libras Imperialium in feudum in redditibus ſuis recipiendas in Vercellis: quod multùm Guebelinis diſplicebat. Domino Guidoni tria millia ordinaverat dare, niſi ea illa mala accidiſſet. De conſilio iſtorum miſſus eſt Antonius de Laude ad iſtas tres civitates prædictas, quæ rebellaverant, tanquam prudentior inter alios Lumbardos, & melior mediator.

Illis etiam diebus miſſus fuit Epiſcopus Gebennenſis in Paduam; ubi per eum inventæ ſunt diverſæ viæ, & quidam tractatus ſuper quibuſdam gratiis, quas petebant Paduani. Et de hoc habuit Dominus Rex magnam pecuniam, ſicut ſcio.

Poſt hæc Antonius de Laude reverſus eſt de Brixia, Cremona, Crema, & Laude, quæ rebellaverant, in quibus nullam obedientiam invênit. Et ſibi ab aliquibus ſuit impoſitum, quòd ſi benè laboraſſet & fideliter, quòd ipſos de facili ad obedientiam reduxiſſet, quia nihil novi erat factum inter eos adhuc, nec cauſam habebant aliquam, niſi ratione novitatis in Mediolano factæ.

Poſt hæc Dominus Antonius petivit licentiam eundi in Laude: quæ licèt partem Guebelinam expulſiſſet, ſicut & aliæ tres prædictæ, tamen adhuc Vicarium Regis tenebat & ſibi obediebat. Dominus Rex non libenter dedit ei propter ea, quæ dicebantur de eo, & quia prudentior homo Lumbardiæ. Tamen quia multi inſtabant, receptis fidejuſſoribus pro eo, quòd ad talem diem reverteretur, licentiavit eum. Fidejuſſores ſui fuerunt Comes Philipponus, & Dominus Symon de Vercellis. Ivit; & poſtquam ſteterat per unum diem Laude, tunc Laudenſes Regis Vicarium ad ſuam procurationem expulerunt. Tranſacto termino, quòd non revertebatur, ſed mandabat ſe eſſe captum, multis placuiſſet, quòd Dominus Rex poſuiſſet manus ad oſtagia, ſcilicet Dominum Comitem Philipponum, & Symonem de Vercellis: quod facere recuſavit. Et cauſa fuit, prout credo, quia tunc Comes Philipponus maximam diſplicentiam oſtendebat de hoc, quod fecerat Dominus Guido gener ſuus, & tunc Regi multùm fidelis videbatur.

Tranſactis quibuſdam diebus, die quo veſtri nuntii tunc electus Salaritanus, & Dominus Hugo Geraudi nunc Archiepiſcopus & Epiſcopus, dum publicarent gratiam, quam Regi faciebatis ſuper commiſſione ſuæ Coronationis, dictus Antonius cum quodam de Crema miſſi per ſuas civitates claves portarum earundem Domino Regi præſentaverunt, petentes miſericordiam, & ſuam culpam recognoſcentes. Claves de ſuo mandato Maraſchalcus recepit, & dictum Antonium & alium cuſtodiri fecit. Et licèt eis tunc non pepercerit, tamen citò poſt ad preces veſtrorum nuntiorum eis & civitatibus eorum ſinè aliqua pœna indulſit.

Prædicta acta ſunt circa finem Quadrageſimæ. Et quia his diebus Mediolani divina non poterat audire propter interdictum poſitum per Dominum de Peregrue, & ipſe à veſtra Sanctitate privilegium habuit audiendi divina ſolemniter in omni loco ubi intraret, per aliquos dies ivit Papiam, & in Paſcha ibi propter divina audienda peracto mandato humillimè, in domo Prædicatorum tenuit curiam ſuam, & illo die Comitem Philipponem, ſuum filium, & unum alium militavit, & poſt feſtum reverſus eſt Mediolanum.

Et tunc, quia audiverat, quòd Pergamenſes non bene ſtabant, ſcripſit Vicario, quòd illos electos XIV. qui debebant eum ſequi ad Coronam, ſibi mandaret. Antequam Vicarius litteras Domini Regis reciperet, cives Pergamenſes in præſentia Vicarii ſui firmaverant, quòd nullus Theutonicus civitatem ſuam intraret, & quòd nul-

A nullus eorum ad ſequendum Regem ad ſuam Coronationem iret, & quòd prædicta per Vicarium Regi intimarentur. Poſt iſtam ordinationem Dominus Vicarius literas Regias recepit, quòd ſibi mitteret illos XIV. qui ſecum debebant ire ad Coronam. Et veriſimile timens de rebellione civitatis, ſi dictas literas publicaret, tenuit eas, & Domino Regi mandavit ordinationem, quam fecerant, & quòd non obſtante tali litera ſibi miſſa, quòd iterum ſibi ſcriberet, quòd ad bonum & pacificum ſtatum civitatis Pergamenſis faceret quod ſibi videretur expedientius. Habitâ ſecundâ literâ, primam primò legit civibus, & poſtea ſecundam; & gaviſi cives de ſecunda in pace tunc remanſe-
B runt.

In craſtino Octavæ Paſchæ de Mediolano receſſit Dominus, & ivit Laude, dimiſſo Domino Nicolao de Bonſignoribus Vicario, & expulſos ſecum introduxit, & etiam Dominum Antonium, & eis pepercit, licèt videretur majoribus ſui conſilii, quòd muros deſtrueret, & unum caſtrum de eis faceret ad expenſas civitatis, ut ſubjecti per caſtrum tenerentur de cetero, vellent nollent: quod facere recuſavit. Immo in nullo eos punivit. Si bene fecit, Deus ſcit. Sed non credo, quia facilitas ſuæ veniæ timeo ne aliis daret exemplum non bene faciendi. Ibi Cremonenſes, qui primò rebellaverant, miſerunt claves civitatis, petentes gratiam & miſericor-
C diam. Nec per veſtros nuntios, nec per ſuos conſiliarios induci potuit, quòd eis miſericordiam promitteret, quia primi erant, qui rebellaverant. Tamen Regina piiſſima Domina, quæ claves civitatis receperat, & omnes de ſuo conſilio dabant talem ſpem, quòd laborarent ſecundùm ſuum poſſe ſi, quòd non debeant deſperare. De illo loco receſſi ego, & veni ad præſentiam veſtræ ſanctitatis pro diſpenſatione matrimonii Domini Guidonis Flandriæ. Unde quomodo civitatem Cremonenſem intravit ſinè promiſſione gratiæ, quia ſimpliciter ad ſuam voluntatem ſe poſuerunt, quomodo ſibi obviantes, pluribus in camiſiis & corrigiis per collum, quos ad carceres miſit, quomodo mulieribus & parvulis claman-
D tibus miſericordiam miſericordiam, quomodo portas & partem murorum deſtrui fecit, & domos illorum Marchionum de Tabiacabbo, qui fugerunt, & quorumdam aliorum deſtrui fecit, & civitatem Comitatu privavit, licèt poſtea reddiderit, neſcirem loqui niſi ex auditu.

De Laude audivi quòd Cremam ivit, & introduxit ſecum expulſos, & eis pepercit in omnibus; nec intellexi, quòd aliquid ibi fecerit aliud, niſi quòd mandavit Pergamenſibus, quòd venirent ad eum, & ipſi tunc venire noluerunt.

In Cremona eo exiſtente tunc nulli erant rebelles niſi Brixienſes; & prout intellexi, Brixienſes ad ordinationem illius Theobaldi, quem
E intromiſerat, quia per Guebelinos Epiſcopum & ſuos conſanguineos diu extra civitatem fecerunt, miſerunt quoſdam mediocres ad Regem dicentes, quòd parati erant obedire, ſic tamen quòd Guebelini, quos extra poſuerunt, non intrarent. Aliquibus videbatur magìs expediens Domino dimittere ſic Brixiam, & directè ire ad coronam, quia tempus tunc ſatìs erat conveniens. Aliquibus videbatur contrarium. Et ut intellexi, & credo verum eſſe, Guebelini de Brixia Dominum Waleramnum fratrem Regis informaverant, quòd civitas infra quindenam caperetur, & quòd ſi ipſe poſſet ordinare, quòd Rex poneret ibi exercitum, quòd ipſi dicto Waleranno darent viginti millia florenorum. Tantum ipſe laboravit cum quibuſdam, quòd miſſus fuit ibi primus cum magna gente, & poſtea Dominus Rex ipſum cum ſua gente eſt ſecutus.

Poſtquam veſtra ſanctitas me licentiavit, antequam Brixiam venirem, multa mala fuerunt ibi facta, quæ ignoro. Ibi fuit Dominus Waleramnus ſagitta percuſſus, & poſtea ſexta die mortuus. Ibi fuit ille proditor Theobaldus, quem Dominus intromiſerat, ad cujus procurationem civitas rebellaverat, per horribilem modum interfectus, & plures Theotonici per Brixienſes aſſati, & plures ex utraque parte ſuſpenſi. Vix ab iſtis vel ab illis capiebatur perſona, quæ non eſſet in periculo mortis.

Poſt hæc veni in Brixiam. Et jam Domini Cardinales, & Dominus Patriarcha pro pace laboraverant, ſed nihil erat completum; & hoc, ut dicebant aliqui, quia Dominus Rex erat nimis durus; alii dicebant non, ſed Brixienſes erant nimis ſuperbi. Ego autem credo, quòd nulla duritia erat in corde Regis, ſed quia frater ſuus erat de novo mortuus & plures Theotonici horribili genere, ſi vitam ſicut dimiſit eis promiſiſſet, ut petebant, & Cardinales conſulebant, & non veniſſent ad omnimodam voluntatem ſuam, major pars exercitus & ferè Theotonici omnes & amici mortuorum fuiſſent turbati contra ipſum; & meritò, quia omnibus conſtabat quòd in Brixia ipſi, quando iſta tractabantur, victualia non habebant, excepto vino, de quibus commodè per unum menſem vixiſſent. Et hoc ſatìs apparuit, quando intravimus, de omni re comeſtibili modicum invenimus.

In eodem loco fuit Epiſcopus Albenſis frater Minor, & unus Archidiaconus ex parte Regis Roberti ad tractandum pacta, conditiones, & alia, quæ neceſſaria erant circa matrimonium filii ſui & filiæ Regis Romanorum. Epiſcopus Leodienſis, & Epiſcopus Baſilienſis fuerunt electi per Regem pro eo. Iſti quatuor ſimul exiſtentes juraverunt ad Sacroſancta Evangelia quòd bona fide ipſi ordinarent ſinè cavillationibus aliquibus, & dominis ſuis conſulerent in hoc facto, quæ eſſent pro meliori utriuſque. Pluribus diebus ſimul fuerunt, & concordaverunt illas conditiones dotis & aliorum, quæ requirebantur ad iſta; ſed quid, neſcio, ſed vidi quòd conſolati recedebant.

Interim fuit unus curſor veniens de Brixia, & vadens in Florentiam captus cum literis, quòd Poteſtas Brixienſis, qui tunc erat Florentiæ, Pynus nomine, per familiam Domini Canis captus, quia Brixia tunc erat exercitu regio ſic vallata, quòd exire vel intrare non erat facile ſinè magno periculo. Literæ Regi fuerunt apportatæ. Ibi fuerunt in legendo eas Rex, Regina, Treverenſis, Dominus Sabaudiæ, ego, & unus Clericus, qui vocatur, Magiſter Henricus de Jodonia juris profeſſor. Poteſtati, Capitaneo, Executori juſtitiæ, Conſilio, & Communi Florentiæ civitatis iſti de Brixia ſcribebant, quòd nullo modo obedirent, & quòd ipſi eis citò ſuccurrerent in pecunia, & ſcirent quòd nullius rei indigerent, niſi florenorum pro ſtipendiariis ſolvendis, & mitterent per illos Prædicatores, per quos eis aliam pecuniam miſerant, vel per Minores.

Item ſcribebant, quòd tali die tunc quatuor millia interfecerant Theotonicorum, & tot magnos ceperant, & totum erat mendacium, & quòd citò haberent victoriam de Rege, quia omnes ſui recedebant. Modò Cardinales, qui ſe intromiſerant de pace, dixerant Domino, quòd ipſi

ipſi volebant obedire ei, dum tamen ſecuri eſſent de vita, & quòd bona intentione loquebantur; ſed quia frater Regis mortuus fuerat, per eos hoc petebant.

Poſtquam Rex iſtam literam vidit & audivit, fuit totus melancholicus. Tunc dixit ei primò, & credo quòd Comes Sabaudiæ, quòd non curaret, quia iſti erant homines, qui mendaciis & literis falſis totum Mundum revolvebant, & juvabant ſe talibus. Ut autem inteatio eorum ſciretur, non bona, ſed perverſa à Cardinalibus, per illos qui ibi erant præſentes, deliberatum fuit, quòd bonum erat, quòd litera Domino Legato & aliis Cardinalibus portaretur, ut ipſi ſcirent, quo motu Brixienſes movebaatur miſericordiam petentes.

Et fuit concordatum, quòd ego ſibi & aliis portarem. Tunc Domiaus Legatus erat in quodam caſtro, quòd vocatur Succinum, diſtante ab exercitu per viginti milliaria parva, & alii erant in Cremona. Receptis literis illis de mandato Regis, illuc eundo & revertendo, dum eſſem quaſi in medio viæ, triginta homines in equis & bene treceati homines pedites armati me cum familia acceperunt, & dum me ducerent ad quoddam caſtrum, quòd Brixienſes interiores tenebant, unde illi ſtipendiarii erant, qui me ceperant, quod caſtrum à ſiniſtris erat ſituatum iater exercitum & Succinum extra ſtratam publicaai per octo milliaria, vulneraverunt aliquos de familia mea, & omnium manibus ligatis & ad terram poſitis, quærebaat locum convenientem, ubi eſſent arbores ad eos ſuſpendendum. His diebus ex utraque parte pauci accipiebaatur, niſi per aliquem modum morerentur. Et dum me ducerent ſi, major iater eos magis curialiter me aſſociabat, ne ribaldi tunc aliquo modo me turbarent. Ab illo ego petivi, quare me ceperant, cùm eſſem frater Prædicator, & Epiſcopus, & ia via eundi ad Cardinales, & talia, & quòd ipſi eſſent excommunicati. Ipſe ſic mihi ſubridendo reſpondit, quòd ſecurus eſſem, quòd ego non morerer; ſed famulos meos non aſſecurabat, nec tamea morerentur, donec aliud mandatum haberent à Brixienſibus ſuis dominis, qui de diverſis partibus nati propter ſtipendia ſerviebant eis, & oportebat eos obedire, dum eſſent ſtipendiarii eorum.

Poſtea addidit, quòd mandatum eorum habebant, quòd me caperent, qui literas eorum Florentiani miſſas mecum habebam, & ipſas portabam Cardinalibus legendas. Ego, qui literas habui in ſomario, ſatis timui, & ſtatim percepi, quòd circa Regem erant aliqui proditores; cùm tam pauci fuiſſent legendo primò illas literas, oportebat quòd unus ex illis vel Brixienſibus intimaſſet, vel alteri ſinè advertentia, qui hoc etiam eis maadaſſent. In illo caſtro, ad quod me ducebant, & unde erant, omnium victualium habebant abundantiam, vino excepto. Et quia flaſcones ſuper unum de meis equis videbaat, quærebant diligenter, ſi eſſet ibi vinum. Dixi quòd ſic, & Warna. hinum. Ipſi, qui diu fuerant ſinè vino, appetebant bibere ſupra modum. Tunc deſcendi de equo, & eis dedi unum flaſconem, & alium retinui mihi. Feci ſomarium ſtare, quia vaſa non habebamus ad bibendum. Et ibi acceptis quibuſdam ſcyphis argenteis, dedi eis. Et dum biberent, ego petivi à famulo confectionem, & dedi eis. Et in iſta o cupatione literam illam in cophino accepi, eis ignorantibus, & eam in ſinu meo poſui. Poſtea ſedens in equo ſub cappa ipſam diviſi minutatim, ſicut melius potui, & ſparſi valde cautè, ne illi, qui me ſequebantur, adverterent. Poſtquam fuimus prope caſtrum, tunc me depoſuerunt de equo curialiter, & corrigiam meam, & omnia quæ erant ſupra me, ubique quæſiverunt; & nihil invenerunt valoris, niſi anulo.. Totum mihi dimiſerunt, quia non quærebant niſi literas. Sic fecerunt de omnibus ſociis & famulis. Et poſtea ſomarium evacuaverunt de omnibus literis, quas Brixiam miſeruat, quæ plures erant. Et nullis aliis rebus me ſpoliaverunt. Et ſic exquiſiti caſtrum iatravimus cum receptione tali, quòd mulieres & parvuli clamabant, ad patibulum, ad patibulum. In domum Curati prope Eccleſiam duxeruat nos. Et de noſtra pecunia nos & ipſi bene valebamus, ſinè vino tamen, quod non poterat haberi. De aliis rebus maximum forum erat. Tot & tanta lucrabantur continuè illi de illo caſtro ſuper exercitum Regis, quòd carnes unius bovis maximi dabant pro tribus Turonenſibus, & unum roncinum pro quinque florenis, qui hodie valeret viginti florenos.

Domiaus Legatus, qui literam illam viderat, & tranſcribi fecerat in craſtinum, dum irem in Cremonam ad oſtendendum eam aliis Cardinalibus, de Succino receſſit, & ad exercitum venit. Unde dum ego reverterer de Cremona ad oſtendendum, ipſum non inveni in Succino. Et illo mane, quo de Succino receſſi revertendo versùs exercitum, fui captus. Qui me tenebant, dederunt mihi liceatiam, quòd unum de ſociis meis ad exercitum mitterem unà cum nuncio eorum, qui omaes literas, quas aobis invenerant, Brixiam mittebant, ut ipſe frater expeditionem noſtram procuraret. Dominus Legatus, & Domiaus Lucas ſtatim quòd audieruat à noſtro ſocio, me eſſe captum, nimis doluerunt, & eorum gratia iacoatinenti Brixiam miſerunt pro noſtra liberatione, & etiam perſonaliter in craſtinum civitatem intraverunt, quòd aon erat ſinè maximo diſpendio eorum; & tantum laboraverunt quòd literas meæ expeditionis, familiæ, & rerum procuraverunt, licèt cum maxima difficultate. Et multùm me juvit cum laboribus eorum, quia illas literas noa iavenerunt inter aoſtras literas eis miſſas, cùm eas, ut prædixi, deſtruxiſſem. Me exiſtente in carcere, & neſciente quid fieret per Cardinales de mea expeditione, & ſupramodum timente, quia audiveram, quòd ille famulus eorum qui fuerat captus cum literis prædictis per geatem Domini Regis fuerat ſuſpenſus, cogitavi unum modum evadi, & exivi antequam litera apportaretur, vel aliquid ſciretur de mea expeditione, dimiſſis omnibus, videlicet ſocio, duobus nepotibus, & aliis familiaribus; & poſtquam venerunt litteræ per Dominos Cardinales procuratæ, tunc omaes liberè ſunt dimiſſi. Modus, per quem exivi fuit iſte. Ego iavitaveram omnes illos ſtipendiarios ad prandium; & feceram bene parari. Deficiebat niſi vinum. Modò quædam aqua dividebat illud caſtrum, ia quo eram, quod vocabatur Pont de Vic, ab alio, quod erat ultra aquam, & vocatur Rubech. Quod caſtrum Rubech per gentem Regis teaebatur, ubi erat abundantia vini. Aqua non erat meabilis ſinè navi. Ibi nobiſcum erant duo fratres Prædicatores, quorum unus erat notus in loco & dilectus. Menſâ poſitâ, ego petivi licentiam cum illo fratre noto pro vino habendo eundi in Rubech. Deliberaverunt ipſi, ex quo ſocius meus iverat pro mea expeditione ad exercitum, & quòd alium ſocium meum cum nepotibus meis, familia, & rebus dimittebam, quòd ego re-

Digitized by Google

reverterem, & licentiaverunt me unà cum uno ſocio meo de fratribus illis, & navem paraverunt, & plura vaſa ad vinum ponendum. His factis nullus ſcivit intentionem meam. Poſtquam fui ultra aquam, ivi ad caſtrum, & feci omnia vaſa impleri de bono vino, & in navem reponi. Et tunc dixi caſtellano, quòd non permitteret me recedere. Hoc feci, ne illi, qui remanſerant, malè haberent. Alii hæc ſcientes credebant, quòd violenter me teneret, & nullum malum noſtris fecerunt, ſed ſatis ſimul biberunt, & in craſtinum eos omnes liberaverunt, quia venerunt literæ Cardinalium.

Poſt hæc fuit deliberatum in conſilio Regis, quòd litera Domini Legati videretur, & ſi ipſe poſſet virtute ſuæ auctoritatis ponere ſententiam excommunicationis contra illos, qui nollent obedire, quòd requireretur. Ego miſſus ad Dominum Legatum. Copiam ſuæ literæ mihi dedit, quæ pleniſſima ad omnia iſta facienda erat. Ipſe mihi dixit ſecretè, & voluit quòd Domino Regi dicerem, quomodo parum Italici curant de excommunicationibus alicubi. Et poſuit exemplum de Florentinis, qui ſententias Domini Oſtienſis parum curaverunt. Item de Bononienſibus, qui ſententias Domini Neapoleonis vilipenderunt. Item Domini de Peregrue ſententias Mediolanenſes non curaverunt. Unde niſi gladius materialis eos ducat ratione timoris ad obedientiam, gladius ſpiritualis non. Unde non intendebat aliquam ſententiam excommunicationis ponere ſuper aliquos, niſi primò Sanctitatem veſtram conſuleret.

Non recordor de aliis magnæ memoriæ dignis ante Brixiam factis, poſtquam ibi fui reverſus, niſi de uno quod mihi ſemper diſplicuit. Cardinales credo omnes, qui his diebus in Cremona & Succino morabantur propter ſui majorem commoditatem, fuerunt frequenter rogati, & aliquando ego fui præſens, ab amicis & uxoribus eorum, qui de Cremona obviam Domino Regi fuerant in camiſiis cum cortigiis in collo, ut prædixi, quos antequam intraret Cremonam, miſit ad carceres in diverſis caſtris, quòd Dominus Rex maritos ſuos, filios, & fratres de carceribus liberaret, quia plures jam erant mortui. Hanc ſupplicationem Dominus Legatus ex parte ſua, qui erat in Succino, & alii Domini Cardinales, qui erant in Cremona, voluerunt quòd ego facerem: quod ex affectu feci, ſcit Deus, licèt nihil profecerim. Tunc poſtea ipſimet rogaverunt Dominum Regem, & nihil fecerunt. Quidam latenter & ſecretè, quos Deus confundat, neſcio qui ſunt illi, in capite Regis poſuerant, quòd ſi ipſe prædictos dimitteret, ſtatim Cremona rebellaret, & quamdiu eos haberet, ſecutus eſſet de civitate.

Et ſi unquam ipſe in ſuo regimine malè fecit, meo judicio debili, circa ſubditos, ibi fuit. Prædicti capti Cremonenſes non erant majores ſuæ civitatis, quia majores noluerunt obedire, ſed civitatem dimiſerunt. Non erant pejores, ſed judicio omnium de melioribus. Per eoſdem civitas erat ad obedientiam reverſa, quia civitatem diligebant. Unde ut dicto Regi plus facerent de honore & reverentia, & ut provocarent eum ad majorem miſericordiam, oudi in camiſiis, ut prædixi, ſibi obviantes & miſericordiam pro ſua civitate implorantes, de ſua virtute præmium non bonum habuerunt. Iſta fuit civitatis Cremonenſis condemnatio. Nullus eorum perdidit vitam, neque membrum nec bannitus fuit, nec incarceratus. Condemnati ſunt omnes ſimul in ſexaginta millia florenorum. Perdiderunt Comitatum ſuum uſque ad beneplacitum Regis, & portas ſuas cum aliquo muro adjacenti. Numquam propter aliquem clamorem meum & vituperia, quæ Domino Regi dixi frequenter, hoc facere potui, quòd illi miſeri carcerati poſſent liberè exire. Sed ad procurationem cujuſdam crudeliſſimi Judicis, qui erat in Cremona pro Rege procurator ſuper Fiſco rebellium, qui vocatur Magiſter Johannes de Caſtilione (Thuſcus eſt, crudelior homo, de quo audivi loqui, poſt Neronem) oportuit, quòd ipſi maximam pecuniæ quantitatem ſolverent cameræ Regis, & ſibi ratione cuſtodiæ, non obſtante quòd ipſi ſuam ratam ſolvere debebant de illis ſexaginta millibus florenorum, in quibus tota civitas erat condemnata. Scio, quòd non poterant aliqui ſolvere; & quia ipſe torquebat eos, fuerunt mortui. Alii, licèt ſolviſſent, tamen quia erant ultimum potentiæ, erant deſtructi. Et credo, quòd iſtud gravamen contra Deum & juſtitiam meo judicio fuit occaſio, quare poſtea civitas rebellavit, & adhuc in rebellione perſiſtit.

Excuſare ſe non potuit Rex, quin iſta ſibi dixerim, & duriùs, & in præſentia illius crudeliſſimi Johannis. Sed ipſe Johannes cum pluribus ſuis complicibus tot & tanta mendacia, ut puto, contra prædictos dicebat, quòd verba mea parum poterant eis proficere. Si Dominus Albanenſis viveret, de hoc poſſet teſtimonium perhibere. Et etiam Dominus Legatus poteſt de aliquibus recordari.

Poſt hoc intravit Brixiam Dominus Rex. Condemnati fuerunt in muris, & Comitatu privati, quòd portæ portarentur Romam, & in una ſumma pecuniæ condemnati; quam omnes ſimul Guebelini, & Guelphi ſolverent; licèt Guebelinis, qui expulſi fuerunt per alios, videretur eſſe contra juſtitiam, propter rebellionem, quòd in tali ſumma condemnabantur. Quæ ſumma fuit, ut mihi videtur, ſexaginta millia florenorum. Et quia Guebelini non rebellaverant, dicebant quòd de tali ſumma ratione talis culpæ non debebant aliquid ſolvere. Oportuit tamen, quòd ſolverent ſuam partem. P ſtquam intravimus Brixiam, quod miraculum reputavi, numquam eſt auditum, quòd unus percuſſus fuerit, vituperatus, vel læſus, licet præcedentia fuiſſent talia, quòd ſic tranſire non erat imaginabile, niſi cum gratia Dei. Civitate Brixienſi dimiſſa in pace, & muris pro parte deſtructis, ivit Cremonam, & poſtea Placentiam, nihil faciendo in iſtis, cùm eſſent io pace. Poſtea ivit Papiam.

Recordor adhuc, quòd aliqua fecerat ante Brixiam, quæ ſi Deo placuerunt, non tamen omnibus hominibus; & ſcio quòd mihi diſplicuerunt. Primum fuit, quòd Domino Philippo Sabaudiæ ad petitionem, & procurationem Comitis Philipponi, & aliorum partis Guelphæ dominium dedit civitatis Papienſis, Vercellenſis, & Novarienſis. Et de hoc habere debuit viginti quinque millia florenorum, quæ pars Guelpha ſolvit, noo ipſe. Et tamdiu debebat dominium prædictorum tenere, donec Rex redderet ſibi prædicta viginti quinque millia florenorum. Et ipſe tunc tenebatur eis reddere. Secundum fuit, quòd Domino Matthæo ad procurationem Guebelinorum dedit dominium civitatis Mediolanenſis. Et de hoc ſolvit quinquaginta millia florenorum. Et omni anno viginti quinque millia tenebatur Cameræ ſolvere. Nec poterat amoveri, niſi priùs ſibi reſtituerentur quinquaginta millia. Unde tunc, cùm iſte pauper

per fuerit, & Guebelini ipſum ad ſolvendum non juvabant, quia non multùm abundabant, oportuit quòd violenter à pauperibus extraheret. Tertium, quòd Domino Guilberto de Corregia, qui erat unus tyrannus Guelphus, qui jam dominabatur in Parma, adhuc dedit ſibi dominium in Rhegio. Utrum ad hoc pecuniam receperit, neſcio; ſed credo quòd aliqui de ſuo conſilio aliquid habuerunt. Quartum, quòd alteri tyranno Guebelino Domino Cani de Verona, qui dominabatur in Verona, nec umquam partem Guelpham voluit intromittere propter rationem ſuperiùs dictam, adhuc dedit ſibi dominium in Vicentia. Et iſta fuit cauſa, quare rebellaverunt Paduani. Quintum, quia alteri tyranno Domino Paſſerino de Mantua cum illo dominio civitatis Mantuæ dedit unius caſtri dominium optimi, cujus nomen ignoro ad præſens.

Item ante Brixiam Dominus Walerannus frater Regis de mandato Regis ivit ſubitò in Pergamum. Accuſati erant quidam. quòd rebellare volebant, & civitas illa per eos, quia potentiores erant civitatis. His diebus civitas Pergamenſis tenebat exercitum ſuum magnum ante Brixiam ſicut faciebant aliæ civitates. Et propter hoc grave videbatur multis hoc credere, quòd vellent rebellare. Tamen Regi per Vicarium Pergamenſem, & per alios ſecretè fuit intimatum, quòd illi, quos Dominus Walerannus cepit tunc, inter quos erant aliqui conſanguinei Domini Guillermi de Pergamo Cardinalis, volebant rebellare. Alii dicebant quòd non; ſed ſui inimici dederunt dicto Waleranno pecuniam, ut iſta faceret, prædicta prædictis imponentes. Quid ſit veritatis, neſcio. Unum ſcio, quòd poſtquam ad preces veſtras & multorum Cardinalium Dominus Rex ipſos liberavit, & ipſi juraverunt fideles eſſe in perpetuum, poſtea Domino exiſtente in Thuſcia, in quodam bello ante Succinum cum rebellibus Imperii exiſtentes per Comitem Warnerum, & ſuam gentem aliqui mortui fuerunt, & aliqui capti de prædictis Pergamenſibus.

Domino Rege in Papia exiſtente, mortuus fuit ibi Dominus Guido Flandriæ, ſed non ſepultus propter interdictum, quod erat in loco, ſed corpus ſuum fuit ſepultum in Tortona.

Item ibi Domino Rege exiſtente, mandavit Domino Matthæo Vicario in Mediolano, quòd ad eum veniret. Vênit, ſed per Comitem Philipponem portæ fuerunt clauſæ, nec permiſſus fuit intrare, licèt Domino Regi multùm diſpliceret. Extra portas ſtetit diu, videlicet duobus diebus, nec umquam potuit facere Rex quòd ipſum permitteret intrare. Nos omnes Citramontani de Rege timebamus, quia paucos habebat ſecum Citramontanos; plures fuerant mortui ante Brixiam, & plures reverſi ad partes. Pauci Guebelini erant tunc cum eo, quia omnes feſſi de exercitu revertebantur ad propria, & jam erat magnum frigus. Fuit autem hoc per decem dies ante Feſtum omnium Sanctorum. Infra illos duos dies Guelphi multi fuerunt ibi congregati, ita quòd in Papia ſecuri non eramus, & tantum de Rege timuimus una nocte. Audiverant quidam religioſi confeſſores ab uxoribus quorumdam de civitate Papienſi, quòd tali nocte in lecto ſuo debebat interfici, & per tectum, ita quòd oportuit una nocte Dominum Regem lectum ſuum mutare. Qua nocte viſæ ſunt quædam ſcalæ apportari & conjungi per quoſdam circa domum. Et tamen totum oportebat diſſimulare propter defectum gentis. Bene videbatur Regi, quòd ille Comes Philipponus, quando eſſet abſens, parum faceret pro eo, qui præſens non poterat in ſua civitate ſuos ſervientes introducere. Tertia die dictus Vicarius Mediolanenſis intravit cum paucis, & ſine armis; & quibuſdam Papiæ ordinatis ad pacem, licèt ex tunc Rex non bene cogitaret de dicto Comite Philippone, receſſit versùs Terdonam, poſtea Januam. Quo die Dominus Pandulphus de Sabello veſter Notarius, & ego veſter humilis filius pleniſſimam auctoritatem habentes recipiendi fidelitates civitatum, & omnium nobilium, præmiandi fideles, & inobedientes puniendi, prout noſtrum ſtatum deceret, Legati ſui ivimus in Thuſciam, primò versùs Bononiam dirigentes greſſus noſtros, quia illa via erat rectior.

Quid Dominus Rex fecerit in Terdona, neſcio. Audivi, quòd expulſos intromiſit, & ibi inter partes pacem fecit. Quid in medio uſque Januam, & quid in Janua, audivi, quòd pacem fecit inter eos omnes, & quòd Dominus Opiſinus & alii expulſi de Janua reintraverunt, & inter eos fecit pacem. Audivi etiam, quòd magnam pecuniam ſibi dederunt, & dominium ſimpliciter ad viginti annos: quod in veritate erat ſuum, ſed propter quædam privilegia eis conceſſa à prædeceſſoribus Imperatoribus & Regibus dictæ civitati dicunt quòd non tenentur ſibi ſervire per mare niſi ab Arelato uſque ad caſtrum Sancti Angeli in Siciliam, & per terram inter dictos terminos prope litus maris ad duas dietas. Viſum fuit Regi pro meliori, quòd ad præſens ſic dominium reciperet, ſperans quòd infra viginti annos totum poſſet recuperare. Interim ipſe confirmabat eis privilegia ſua, prout ritè & juſtè erant eis conceſſa à ſuis prædeceſſoribus.

Audivi etiam, quòd in Janua venerunt nuntii Regis Roberti plenariam poteſtatem habentes confirmandi parentelam inter eos, prout ante Brixiam per Albenſem Epiſcopum, & unum Archidiaconum ex una parte, & Epiſcopos Leodienſem & Baſilienſem fuerat con ordatum; & quòd militia cotidie creſcebat in Florentia, & ſub vexillo Regis Roberti, quorum caput erat Dominus Degus Mariſcalcus ab eodem miſſus, ut ipſius Regis tranſitum impedirent versùs Romam. Dominus Rex prædictos ambaſciatores requiſivit, quid vellent ſignificare prædictæ militiæ Regis Roberti, quòd de Thuſcia recederent, ex quo inter eos parentela fieri debebat; honeſtum autem non videbatur, nec ſecurum, quòd milites ſui & ſub vexillo ſuo rebellibus ſuis darent auxilium, ſi inter eos debebat fieri talis amicitia. Dicti ambaſciatores reſponderunt, quòd mandatum non habebant ad hoc faciendum; venerant autem ad complendum parentelam, & de hoc erant parati. Poſt hoc fuit eis dictum, quòd licèt non fuerit eis præceptum, hoc fortè poterat eſſe cauſa oblivionis & inadvertentiæ, vel quia non erat certum de conſummatione parentelæ, quòd ipſi nomine ſuo illis, qui in Florentia erant, ſcriberent, quòd ex quo parentela talis ſit inter dictos Reges, quòd non credunt Domino Regi Roberto diſplicere, ſi recederent, ſed magis placere. Prædicti noluerunt facere, dicentes quòd hoc non habebant in mandatis. Et quando literas, quas ipſi dicto Regi ex parte domini ſui apportaverant Cancellarius oſtendit, in quibus continebatur magna dilectio, voluntas, & deſiderium veniendi Romam ad ipſum honorandum in ſui coronatione, per hoc ſatis videbatur, quòd dictus Rex Robertus non intendebat in medio ipſum impedire per ſuos,

qui

qui in coronatione ſua intendebat præſens eſſe. Satis fuit illis dictum. Sed facere noluerunt. Audivi poſtea à fide dignis, quòd poſtquam Rex Robertus ſcivit iſta, dicti nuntii non fuerunt ſibi familiares ſicut ante, & quòd multùm fuit turbatus contra eos, quòd talia, quæ erant ſuæ voluntatis, facere recuſarunt. Sic receſſerunt dicti nuntii imperfecto negotio, dicentes quòd ſuo domino integraliter totum referrent, & libenter facerent, quod eidem videretur.

Ibidem mortua fuit Regina, & apud Minores ſepulta.

Prima civitas, quæ poſtquam fuit Rex in Janua rebellis fuit, Aſtenſis.

Rege exiſtente in Janua, Antonius de Laude, qui uſque illuc ipſum aſſociaverat, ſinè licentia recedens, & propter hoc ſuſpectus de multis, quæ facta ſunt poſtea, in Vogueria caſtro Papienſium extrinſecorum tranſiens, per illos captus eſt, & adhuc detinetur.

Domino Rege exiſtente in Janua, & timente de civitate Papienſi, mandavit Principi, quòd vigilaret ad cuſtodiam dictæ civitatis. Dictus Princeps occaſione habita cujuſdam caſtri Papienſis, quod rebellaverat ſibi, cujus fidejuſſor erat, quòd non rebellaret, Dominus Manfredus de Becharia, caput ibidem Guebellinorum, per dictum Principem captus eſt, & adhuc detinetur.

Dictus Princeps timens de Comite Philippone per ea, quæ videbat, dum ſuas nuptias celebraret de ſorore Delphini, quam accepit, invitavit Comitem Philipponem & filium ſuum. Comes non vênit, ſed filius, quem dictus Princeps accepit, & adhuc captum tenet. De modo capiendi inculpatur à multis. Sed excuſat ſe ſic, quòd mandatum à Rege habuit quòd aſſecuraret ſe de civitate Papienſi, aſſecurationem non videbat niſi per captionem Comitis Philipponi; & quia ipſum habere non poterat, cepit filium eo modo quo potuit, timens ne ſi civitas Papienſis perderetur, & patrem vel filium non acciperet, quòd ſibi meritò imponeretur.

Caſale, quod Dominus Rea dicto Comiti Philippono dederat in feodum, fuit primus locus, poſtquam Dominus Lumbardiam exivit, qui rebellavit, & poſt civitas Aſtenſis. Et iſti Regem Robertum dominum acceperunt. Poſt magnum intervallum temporis civitas Vercellenſis. Et hæc cauſam accepit, ut dicitur, propter quandam brigam, quæ fuit inter Comitem Warnerium, & Principem Dominum Philippum in Vercellis.

Poſtea Parma, Rhegium, & Cremona per Guibertum de Corregia, qui, ut dicitur, duodecim millia florenorum à Florentinis & Bononienſibus recepit.

Poſtea Padua; & motivum fuit dominium Domini Canis in Vincentia.

Aliqui iſtarum civitatum rebellaverunt Domino exiſtente in Thuſcia. Sed quia volo me expedire de Lumbardia, cùm de factis ibidem aliis neſcirem pluſquam ad præſens ſcripſerim, ad noſtram legationem nobis commiſſam revertor.

Poſt receſſum Regis de Papia, eodem die Dominus Pandulphus & ego receſſimus, & in Parma venimus. Dominus Guibertus de Corregia ſciens nos eſſe Legatos in Thuſciam, quia in conſilio fuit, ubi de nobis fuit ordinatum, ad nos in Parma venire noluit, licèt pro eo mandaſſemus. Poſtea venimus Rhegium, & poſtea Mutinam; ubi audivimus, quòd Dominus Guibertus de Corregia pacta fecerat pro duodecim millibus florenorum, quæ Florentini & liga eorum debebant ſolvere. Dum fuimus in burgo Sancti Domnini, in Bononiam mittere deliberavimus; & miſimus unum Notarium Poteſtati & Regentibus, ſcribentes quòd nos tales cum literis Papalibus & Regiis ſicut nuntii pacis ibamus in Thuſciam, & quòd per Bononiam tranſire volebamus. Ipſi literis noſtris lectis, poſt magnam deliberationem noſtrum nuntium acceperunt, & ad carcerem miſerunt. Ipſe in carcere exiſtens, ſicut Romanus ſubtilis, per pecuniam, quam dedit uni, qui ipſum cuſtodiebat receſſit, & ad nos vênit, ubi jam ad tria milliaria eramus prope Bononiam. In ſtrata intellectis iis, quæ acta ſunt circa eum, dimiſſâ Bononiâ à ſiniſtris, per caſtrum Epiſcopi poſuimus nos in Alpibus per viam horribilem, & de nocte multùm tardè applicuimus ad unum caſtrum inter Florentiam & Bononiam in via recta, quod caſtrum à Bononia diſtabat per ſeptem milliaria. Ibidem invenientes totam militiam Florentinam, quantum ad ſtipendiarios, qui venerant Bononiam, Domino in Papia exiſtente, timentes ne per Bononiam vel eorum Comitatum vellet tranſire. Et quando ſciverunt, quòd versùs Januam direxerat greſſus ſuos, tunc in Florentiam revertebantur. Si Dominus Pandulphus & ego timuimus, Deus ſcit. Inquietiſſima nocte habita, mane cum prædictis ſurreximus, & deliberavimus pro meliori, quòd antequam poneremus nos cum talibus hominibus in via, quòd illi, qui præerat inter eos, diceremus ſtatum noſtrum, & ad quid in Thuſciam ibamus, & quòd ipſe ordinaret, quòd gens ſua nos non offenderet. Factum eſt ſic. Cum eis ivimus ſinè offenſa, quod ſatis fuit mirabile; & venimus ſecunda die in nocte prope Florentiam ad duo parva milliaria in quadam villa, quæ vocatur Laſtre. Et antequam ibi veniremus, præmiſimus illum Notarium, qui in Bononia fuerat captus ad Poteſtatem & Capitaneum & alios, qui regebant, quòd nos tales miſſi ad pacem eorum & utilitatem Thuſciæ cum literis veſtris & Regis veniebamus, & quòd nobis providerent de hoſpitio. Prædicti noſtris literis receptis vocaverunt conſilium majus ſecundùm modum civitatis Florentiæ, & ibi remanſerunt uſque ad occaſum Solis. Nuntius noſter de tanta mora attædiatus, qui etiam pro ſe ipſo hoſpitium non habebat, receſſit, dimiſſo ibi uno, ut ſi prædicti ipſum pro reſponſione facienda, quòd veniret pro eo ad tale hoſpitium. Citò poſtquam vênit ad hoſpitium, illi conſilium exiverunt, & quid deliberaverant nobis reſpondere facto oſtenderunt. Præcones Civitatis illa hora ſatìs tardè ad omnia loca civitatis ad quæ conſueverunt clamationes fieri ex parte prædictorum, qui regebant Florentiam, & qui vocati fuerunt, ſignificarunt populo, quòd nos in tali loco eramus prope civitatem ad duo milliaria, nuntii & ambaſſiatores illius tyranni Regis Alemanniæ, qui in Lumbardia partem Guelpham deſtruxerat quantum potuerat, & nunc in Thuſciam deſcendebat per mare ad deſtruendum eos, & inimicos eorum introducendos, & nos, qui Clerici eramus, per terram præmittebat ad totam patriam ſubvertendam & ſub umbra Eccleſiæ, cùm Clerici eſſemus. Unde publicè tunc Dominum Regem banniverunt, nos, qui ſui nuntii eramus, & quicumque eum vel nos offendere vellet, quòd poſſet impunè, ſive in corpore offenderet, ſive in rebus; & quòd certi erant quòd magnam pecuniam portabamus ad corrumpendum multos in Thuſcia, & ad dandum Guebelinis. Noſter

nuntius hæc audiens timuit, nec auſus fuit ex tunc hoſpitium ſuum exire, nec per aliquem nobis illud intimare. Unus de Spinis antiquus, qui mercator Domini Honorii Papæ avunculi Domini Pandulphi fuerat, hæc audiens miſit ſibi literas omnia prædicta continentes apud Laſtrem, ubi jam in noſtris lectis dormiebamus, quando literæ venerunt. Surreximus, & quid eramus facturi ignorabamus. Reverti Bononiam & ſuum diſtrictum, erat nobis periculum maximum, ut jam probaveramus. Aliam viam ignorabamus, nec erat ſecura illa hora. Poteſtati & Capitaneo ſcripſimus (qui ambo nati erant de terris Eccleſiæ, unus de Radicophano, ſcilicet Poteſtas, alius de Marchia) omnia quæ expedienda nobis poſt talem clamationem videbantur. Mane fecimus equos parari, & ſomas ligari. Et dum eſſemus in menſa ſemper expectantes nuncium noſtrum & reſponſionem Poteſtati, audivimus quòd campana cum martello pulſabatur. Incontinenti vidimus totam ſtratam plenam armatorum peditum & equitum. Tunc domum noſtram giraverunt. Poſtea ad ſcalam quidam de Maguelotis popularis pulcher homo volens aſcendere incœpit clamare: Moriantur tales. Hoſpes diu gladio evaginato non dimittebat aliquem aſcendere.

In illo tumultu ſomarii noſtri & equi ferè omnes per prædictos ducti ſunt. Tunc per diverſa loca gradus aſcenderunt, & ad cameram noſtram venerunt cultellis evaginatis. De noſtris familiaribus tunc aliqui fugerunt, dimittentes ſe per feneſtras cadere ad unum hortum; inter quos fuit ſocius meus frater Prædicator. Alii ſe piæ timore mortis abſcondentes ſub lectis. Pauci tunc nobiſcum remanſerunt. Sed Deus, qui nos liberavit de manibus eorum, ſic nos in cordibus confortavit, quòd in mea conſcientia numquam timui de me, licèt magis eſſem in periculo quàm alius. Dum hæc fierent, in civitate Florentina fuit tumultus. Quidam dicebant, quòd malè erat factum ſic nos banniendo, & ſpecialiter Dominum Pandulphum, qui erat de Nobilioribus Urbis natus. Et hac de cauſa Poteſtas unum de ſuis Militibus natum de terris Eccleſiæ, & Capitaneus unum popularem miſerunt ad nos. Et hoc fuit factum ad procurationem prædicti mercatoris de Spinis, cujus nomen ſuum eſt Advocatus, ſicut credo. Iſti tres venerunt ad nos; & partem de equis, partem de ſomariis in via invenientes, quia ad civitatem ducebantur, violenter de manibus eorum acceperunt, & nobis ipſos reſtituerunt cum iis verbis, quòd quantum vitam noſtram diligebamus, quòd incontinenti recederemus, & quòd ipſi laborarent quòd omnia rehaberemus. Nos voluimus eis exponere ambaſſiatam noſtram: noluerunt audire; literas veſtras oſtendere: noluerunt videre. Quid plura? Rogavimus eos, quòd nos permitterent de nocte tranſire per Florentiam, & nos bene cuſtodirent, ne aliquid loqueremur. Negaverunt ſemper dicentes, quòd in mandatis habebant, ut nos reverteremur unde veniebamus. Ille antiquus Advocatus de Spinis dixerat nobis ad partem, quòd nullo modo induceremur reverti per Bononiam vel ſuum diſtrictum, quia jam erat eis mandatum, quòd nos expulſi de Florentinorum diſtrictu eramus, & quòd de nobis facerent ſicut de publicis hoſtibus, ut de cetero nullus auderet intrare. Nos vilitatem, miſeriam, & fatuitatem Bononienſium cognoſcentes, diximus, quòd ſi nos deberent interficere, numquam per Bononiam reverteremur. Deliberatione habita inter eos magna, poſuerunt nos per quamdam viam, quæ ibat ad terras Comitum Guidonum, qui habitant inter Bononiam, Romandiolam, & Aretium. Ibi undecim equi noſtri remanſerunt, & tres ſomarii. Dominus Pandulphus plus perdidit quàm ego, & quia plura habebat perdere, & quia plures equos. Ego perdidi capellam meam, & quicquid in Mundo iſto habui auri & argenti, excepto uno ſtilo argenteo, qui erat in tabulis meis ad corrigiam, & anulo in digito. Nec ipſe, nec ego unquam poſtea habuimus de prædictis.

Altera die, quæ fuit Sanctorum Symonis & Judæ vigilia, in tertiis, prædicti tres dimiſerunt nos in quodam oppido, in quo Florentini & Comes Tigrinus habebant dominium. Et in nocte dictus Comes Tigrinus duxit nos inter Alpes ad unum burgum ſuum, qui vocatur burgus Sancti Gaudentii, & mutuavit nobis equos, quot potuit, pro familia, quæ erat pedes. Poſtea ivimus cum eo ad alium locum; ubi ad nos venerunt duo fratres dicti Comitis Tigrini, videlicet Comes Tancredus, & Comes Bandinus. Poſtea invenimus quartum fratrem Comitem Rogerium. Illi omnes dicuntur de Comitibus Guidonibus, & ſunt Comites Palatini; & ejuſdem domus ſunt Comes de Bateſolle, & Comes Salvaticus. Item Comites de Romania omnes vocant ſe Comites Palatinos, & magnos redditus habent in Romandiola. Inter iſtos quidam ſunt Guelphi, & illi ſunt ditiores, videlicet Comes Salvaticus, & Comes de Batifolle, & Comes Bandinus. Omnes juraverunt nobis fidelitatem, & venire ad dominum ſuum perſonaliter, vel mittere, ſi impediti eſſent, ſtatim quòd eſſet in Thuſcia, & ipſum aſſociare ad coronam in illa decentia, in qua poſſent, ſecundùm ſuas facultates. Iſti omnes nos multùm honoraverunt, & gaudenter receperunt, & plus Guelphi quàm Guebelini, meo judicio. Tamen non obſtantibus fidelitatibus nullus de iſtis Guelphis vênit ad eum in Thuſciam, vel miſit ad renovandum juramentum, ſed dilationem petiverunt, & habuerunt uſque ad terminum petitum; & in termino petito, jam Imperatore exiſtente ante Florentiam, confœderati ſunt publicè cum Florentinis, cum ipſis in Florentia exiſtentes. Qui erant Guebelini inter iſtos, vel venerunt qui potuerunt, vel miſerunt, & cum eo fuerunt uſque ad mortem ſuam.

Poſt receptionem juramenti & fidelitatis prædictorum Comitum venimus in terram Epiſcopi Aretini, qui erat frater germanus Comitis de Romena, unius de prædictis; qui multùm nobis compatiens, duxit nos ad unum caſtrum ſuum, quod vocatur Civitella inter Aretium & Civitatem Senenſem. Et hoc fuit in vigilia omnium Sanctorum. Ibi celebrato feſto, dimiſit nos ſicut nobilis, totum caſtrum munitum de omnibus in manibus noſtris dimittendo, ut de caſtro & de bonis faceremus noſtram voluntatem; facto tamen priùs juramento fidelitatis, prout tenebatur, de ſuis bonis temporalibus. Ibidem multa ordinavimus. Citavimus Florentinos & Senenſes, & tantum fecimus, quòd citatio fuit affixa ad eorum palatium. Poſtea ipſis contumacibus proceſſimus ſecundùm auctoritatem nobis miſſam ad multas pœnas temporales contra eos, ſemper tamen ſervato ordine juris, de quo parum ſcio ego, ſed ſocius noſter Dominus Pandulphus in utroque jure multùm eſt expertus, ut dicunt, qui jura noverunt, & ipſum audiverunt.

In eodem caſtro nos exiſtentes, Aretinos, Cortonienſes, illos de burgo Sancti Sepulcri, de Montepolitiano, de Lucignano, Sancti Savini, &

& illos de Civitate Cluſina, illos de caſtro Plebis, & illos de Caſtilione Aretino citavimus ut per ſindicos & procuratores comparerent, audituri & facturi, quæ eis auctoritate nobis commiſſa mandaremus. Prædicti omnes miſerunt, exceptis illis de caſtro Plebis, quos Peruſini tenent. Omnes juraverunt fidelitatem, exceptis illis de burgo Sancti Sepulcri, qui petebant inducias uſque ad menſem, dicentes, quòd bona eorum pro majori parte erant inter mercatores Florentinos & in Florentia ad præſens. Unde dilationem petebant ad recolligendum, ne perderent prædicta. Illi etiam de Cluſio petebant dilationem, ſi illi de Sancto Savino & de Lucigniano, quos Senenſes tenebant, petebant dilationem. Nullis voluimus dare; ſed magnas comminationes eis fecimus, quòd duriſſimè contra eos procederemus, niſi noſtris mandatis obedirent. Poſtea ivimus Aretium. Illi ad votum obediverunt. Ibi exiſtentes citavimus Comites de Magone, qui morantur versùs Bononiam, inter quos aliqui ſunt Guelphi, aliqui Guebelini, Comites de Montedolio, qui omnes ſunt Guebelini, Marchiones plures, qui inter Aretium & Peruſium morantur, quorum quidam ſunt Guelphi, & quidam Guebelini, Hugutionem de Fajola, illos de Pazis, illos de Ubertis, illos de Petramala, & generaliter omnes & quemlibet per ſe, qui erant nobiles in diſtrictu Florentino, Senenſi, Aretino, & Cluſino. Et credo, quòd fuerunt pluſquam quingenti. Item multa alia caſtra particularia, de quibus non recordor, pro majori parte omnes vel venerunt, & tunc juraverunt, vel miſerunt, & tunc iſti vel juraverunt publicè vel occultè. Aliqui non audebant publicè, quia ſtatim fuiſſent deſtructi per inobedientes, cùm omnes non haberent loca fortia. Et fortè, quod verius de pluribus credo, publicè nolebant jurare, cùm falſi eſſent & in corde ſuo inobedientes; ſed jurabant occultè, ne ſi Dominus obedientiam haberet Civitatum majorum & magnorum Dominorum, quòd ipſi poſtea, ſi non juraſſent, deſtruerentur. Generaliter contra rebelles, & qui non venerant vel legitimè ſe excuſaverant, poſuimus graves pœnas ad terrorem. Poſtea venimus in Caſtilionem Aretinum. Ibi obediverunt ad votum, & multùm nos honoraverunt. Deinde venimus Cortonam, qui multùm nos honoraverunt, ſed apertè vocato populo jurare noluerunt, licèt per ſindicum juraſſent. Quin primò eos citavimus, & in multis verbis nos renuerunt ſicut viri duplices, qui libenter non hoc faciebant. Excuſabant ſe ſic, quòd ſtatim poſtquam Peruſini, Caſtellani, & illi de Augubio ſcirent quòd juraſſent, incontinenti ipſos deſtruerent; & hoc poſſent quando vellent, quia pauperes ſunt & debiliores reſpectu prædictorum, & Aretini non diligunt eos. Unde ſupplicabant, quòd eis daremus dilationem, donec Dominus Rex eſſet in Piſis. Quod fecimus, licèt non libenter. Sed quia eramus inter eos, oportuit quòd in aliquo eis condeſcenderemus.

Ibidem exiſtentes, illi, qui majores erant in Peruſio, non Poteſtas vel Capitaneus, ſed cives ditiores, quorum nomina non habeo in memoria, miſerunt ad nos unum fratrem Minorem Gardianum in Civitate Caſtellana, quòd libenter vellent quoquo modo inter eos & Dominum Regem eſſet pax & concordia, & quòd ipſi unam ſummam pecuniæ ad præſens concordatam, & unam ſibi darent annuatim pro illis caſtris, quæ fuerunt Imperii, & pro lacu Peruſino, quæ nunc poſſident, licèt juſtè teſtimonio ſuæ conſcientiæ prædicta tenerent, quia unus prædeceſſorum veſtrorum prædicta, quæ tunc pacificè tenebant eis confirmavit, & de novo dedit. Et quòd hoc poſſet facere ille veſter prædeceſſor, dicebant quòd privilegium Imperiale haberet ſibi ſuper hoc ab uno Imperatore conceſſum. Nos iſta audientes reſpondimus, quòd libenter ad pacem laboraremus, & ſpecialiter in iſto facto; ſed ſcire volebamus quæ, quot, & quanto tempore prædicta tenuerunt, & videre copiam privilegii Papalis de hujuſmodi confirmatione. Miſimus unum fratrem Prædicatorem, illum, qui nunc accuſatur falsè de intoxicatione Imperatoris, cùm in partibus illis ab omnibus inter omnes Prædicatores eſſet magis Guebelinus, & à Guebelinis dilectus. Pluribus diebus ſtetit cum prædicti Peruſinis ſemper promittentes ſibi oſtendere prædictum privilegium. Finaliter oportuit, quòd recederet per eos licentiatus. Nihil ſibi oſtenderunt, quia, ut frater credebat, non habebant. Dixerunt ſibi ſic: *Recedatis, quia vos eſtis Guibelinus; & ſi jam populus, quia totus Guelphus eſt, ſciret quod noſtra privilegia vobis oſtenderemus, miraretur, & de facili crederet, quòd eſſet proditio per nos facienda. Nos prædictis Dominis Legatis mittemus quæ volunt videre.* Poſtea nec miſerunt, nec ſe excuſaverunt. Unde truſam reputavimus.

Ibidem exiſtentes, illos de burgo Sancti Sepulcri & plures alios condemnavimus, qui mandatis noſtris nolebant niſi ſub conditionibus obedire.

Mortuâ Dominâ Reginâ in Janua, ſtatim poſtquam Dominus Rex venit Piſas, mandavit nobis quòd ad eum veniremus, & gentem quam poſſemus ſibi adducere vel mittere mitteremus. Miſimus plures Comites & nobiles. Poſtea nos cum Epiſcopo Aretino, & filio fratris ſui cum pulcra gente poſuimus nos in via, ordinatis tamen priùs quæ ordinanda erant in partibus illis, quomodo patria maneret in pace & ſecura, & quomodo de Civitatibus & Caſtris, quæ nobis obediverunt, ſequerentur nos armati pœnis ponendo in nolentes vel etiam infra certum tempus negligentes.

Primo die poſtquàm de Cortona receſſimus, tranſeundo ante Caſtrum Plebis, quod nobis non obediverat, Cluſium venimus, quæ ſub manu Senenſium erat. Bene nos recepit & honoravit; ſed jurare noluit, timens, ſi juraret, quia ſtatim Peruſini & Senenſes ipſos, inter quos ſunt poſiti, deſtruerent; ſed promittebant quòd ſi Dominus mitteret militiam, vel veniret in Thuſciam, & quòd aliqualiter poſſent defendi, quòd fidelitatem jurarent; & interim euntes ad eum & revertentes ad eum non offenderent, ſed conducerent eos per ſuum diſtrictum. Hoc acceptavimus ab ipſis, quia aliud habere non potuimus, & nullos proceſſus fecimus contra eos. Videbamus eorum bonam voluntatem, paupertatem & debilitatem ſuam, & potentiam & voluntatem malam Peruſinorum & Senenſium, inter quos prædicta Civitas eſt ſituata. Eſt etiam ibi paſſus, quem ſi ipſi non permiſiſſent tranſire Aretinos, Cortonenſes, & omnes illos qui fidelitatem nobis fecerant, nulla erat via, per quam nos vel ipſi ad civitatem Piſanam poſſemus ire. Adhuc antequam de Cortona recederemus, illi de Montepolitiano miſerunt nobis literam apertam ſub ſigillo Communis, quòd daremus eis ſpatium unius menſis, (quia) nimis Senenſes timebant, & poſt menſem obedirent. Dedimus; ſed non obediverunt, nec adhuc obediunt.

Poſt receſſum de diſtrictu Cluſino, per terras Eccleſiæ verſùs Radicophanum & continuatis dietis applicuimus ad Sanctam Floram. Comites de Sancta Flora, qui ſunt tres, libenter nos receperunt, & fidelitatem juraverunt, & ſemper pro Imperio inventi ſunt fideles. Ibi mare intravimus, & equi noſtri cum familia de nocte in magno periculo tranſiverunt per unam aquam prope civitatem Groſſetanam, quam Senenſes tenebant, & eſt ſituata prope mare. Applicuimus illo die nos per mare, & familia per terram ad quoddam Caſtrum Piſanorum, quod vocatur Caſtilio de Piſcaria ſupra mare. Tunc fuimus ſecuri, quia ibi incipit Comitatus Piſanorum, licèt diſtet à civitate Piſana bene per tres dietas.

Venimus Piſas; & ibi inter alia relatione digna invenimus civitatem ſatis turbatam & commotam, & hoc propter dominium totum, quod ad ſe Dominus Rex acceperat, nihil volens eis ſervare de modo faciendi Ancianos & alios officiales ſecundùm conſuetudines antiquas, qui conſueverant civitatem gubernare; ſed unum Vicarium dedit eis de Ubaldinis. Tunc inveni in dicta Civitate unum fratrem Prædicatorem, qui vocatur frater Peregrinus, miſſum per Regem Fredericum. Quæ fuit illa prima ambaſſiata, quam portavit, neſcio. Audivi tamen quòd Dominus Fredericus libenter vellet eſſe junctus Domino Regi per aliquam parentelam, & propter hoc venerat dictus frater. Cum dicto fratre miſſi fuerunt ad Regem Fredericum duo ex parte dicti Regis, unus nobilis de comitatu Florentino, qui vocatur Dominus Ubaldus de Ubaldinis frater Vicarii tunc Piſani, & quidam Miles Florentinus, qui vocatur Dominus Lambertus de Ciprianis. Et iſti intentionem Domini Regis bonamque voluntatem, quam ad eum habebat, intimarunt.

His diebus illi de Columna, & Dominus Ludovicus de Sabaudia Senator Urbis ſignificaverunt Regi ſtatum Urbis, quomodo illi duo, quibus Capitolium dimiſerat, ſicut bonis & fidelibus, qui etiam fecerant juramentum de reſtituendo, reddere nolebant, niſi primò haberent quatuor millia florenorum, quos expenderant in cuſtodiendo, timentes etiam ne aliud fieret. Dominus Rex illa quatuor millia eis miſit. Significaverunt etiam quomodo militia magna omni die ad Dominum Johannem fratrem Regis Roberti veniebat, & de barris factis ibidem, & de exercitu poſito ante pontem de Mollen, & multa alia.

Dominus habito maturo conſilio ordinavit, quòd incontinenti Dominus Pandulphus, & Magiſter Johannes de Veneſtringue utriuſque Juris profeſſor, & frater Johannes Magiſter in Theologia de Piſis recederent cum plena poteſtate & auctoritate perficiendi & complendi parentelam inter dicti Regis Roberti filium & filiam Regis Romanorum. Tunc fuit quibuſdam viſum quòd duo ſufficerent ad prædicta facienda, & quòd Dominus Pandulphus & ego iremus ad Urbem ad tollenda omnia impedimenta, quæ poſſent eſſe in receptione jocunda coronationis dicti Regis. Viſum etiam fuit, quòd prædictis duobus fratri Johanni & Magiſtro Johanni daretur ambaſſiata, ſicut & nobis, ad Dominum Johannem fratrem Regis Roberti & ad Romanos, & quòd ponerentur in litera. Factum eſt ſic. Simul ivimus ſatìs feſtinanter, ſcientes, quòd Dominus Rex non multùm tardaret poſt nos, nec etiam Domini Cardinales. Continuatis dietis, die Dominica ante feſtum

A Aſcenſionis Domini venimus Romam. Literis credentiæ Domino Johanni datis, reſpondit nobis breviter, quòd in craſtinum veniremus, ipſe pro ſuo conſilio, quod erat in campis ante pontem de Mollen, mandaret, & tunc ante eos proponeremus, quæ ex parte Domini Regis Romanorum dicere haberemus. Manè fuimus ad eum reverſi. Reſpondit nobis, quòd adhuc non fuerat eis locutus, ſed poſt dormitionem iret ad eos. Ivit, & nos ivimus; & fuit ibidem nobis dictum, quòd non turbaremur de mora, quia in craſtinum nobis reſponderent. Occupati ſatis erant, ut oculis videbamus, quia continuè ſupra pontem & citra & machinis & baliſtis & gladiis configebant, & jam unam partem pontis
B acceperant. De quo multùm dolebamus, quia plures ibi moriebantur, & ad tollenda hujuſmodi veneramus. In craſtinum, hoc eſt, die Martis ante Aſcenſionem, venimus, & ambaſſiatam propoſuimus, quæ nobis erat commiſſa ſub literis credentiæ. Et ut meliùs recordor, iſta fuit, quòd Dominus Rex Romanorum ſalutabat eum, & de adventu ſuo multùm gaudebat, cùm frater ſuus Rex Robertus ipſum miſiſſet ad honorandum eum in ſua coronatione, prout in literis quas dictus Dominus Rex Robertus Domino Regi Romanorum illis diebus miſerat, pleniùs continebatur, & illas credo habere. Unde ipſum ex parte dicti Regis rogavimus, ut receptio ſua in Urbem & coronatio pacificè ſinè briga
C poſſet fieri, quòd laboraret unà nobiſcum, qui propter hoc mittebamur, quomodo pax eſſet inter Urſinos & Columnenſes; & ſi ſubitò dicta pax fieri non poſſet, quòd fieret treuga.

Item petivimus, quòd gentem ſuam, quæ erat circa pontem de Mollen, faceret recedere, cùm in brevi dictus Rex Romanorum unà cum Cardinalibus ad Urbem veniret, & quòd Urbem intus & extra ſic diſpoſitam non libenter inveniret. Dulciter nos audivit, & ſic reſpondit, quòd juvenis erat, & Dominus Rex frater ſuus dederat ſibi in mandatis, quando ab eo receſſit, quòd de conſilio talium, qui cum eo erant, reſponderet & faceret quæ erant reſpondenda & facienda in omnibus, niſi ab eo habe-
D ret in mandatis. Aſſignaverùnt nobis diem in craſtinum vigilia Aſcenſionis. Venimus, & ipſum invenimus, ſed conſilium non, quia tunc erant circa pontem prædictum, ubi dabant durum bellum; & illo die dicebatur, quòd pons prædictus per eos lucraretur. Rogavit nos dictus Dominus Johannes, quòd in mane die Aſcenſionis eſſemus cum eo in prandio, & tunc indubitanter nobis reſponderet. Dicto die dictus Dominus Johannes prædictos Magiſtrum Johannem & fratrem Johannem conduci fecit verſùs Neapolim. Sibi enim dixerant expreſsè & de mandato Domini, quare ibant, quia ad complendum parentelam. Et iſtud movit Dominum Regem, quare prædicta ſibi exprimeret,
E ut ſicut juvenis, magis eſſet promtus ad ea, quæ requirebamus facienda.

Invitationem Dominus Pandulphus, cùm ipſe plures invitaſſet, non retinuit, ſed ſe excuſavit; nec ego volui ibi eſſe ſinè eo. Dum eſſemus in prandio dicto die, plures de familia dicti Regis intraverunt, & ad nos directè venerunt, dicentes nobis, quòd de ſuis ſociis ante caſtrum Sancti Angeli, in quo erat Dominus Johannes hoſpitatus, aliqui erant per familiam ipſius interfecti, & aliqui capti. Dum hæc nobis narrarent, dictus Dominus Johannes mandavit nobis, quòd veniremus in veſperis, & ipſe nobis faceret reſponderi; & ſi nollemus ire propter diſtantiam,

unum

unum locum medium aſſignavit nobis, ad quem ipſe mitteret aliquos, qui nobis ex parte ſua reſponderent. Domino Pandulpho non fuit viſum nec mihi, propter commotionem, quæ erat in Urbe, quòd ad dictum locum veniremus; ſed Domino Gentili de filiis Urſi, & Poncello ſuo conſanguineo mandavimus, quòd illi, qui nobis debebant reſpondere, ad domum Domini Pandulphi venirent; nam decentius eſſet, quòd ipſi nuntii fratris Regis ad nos venirent, quàm nos ad eos iremus, qui eramus nuntii tanti Regis. Dominus Gentilis, & unus Epiſcopus de ordine fratrum Minorum, credo quòd vocabatur Epiſcopus Caſertanus, & erat conſiliarius Domini Johannis, ad domum Domini Pandulphi venerunt, & nobis ex parte dicti Domini Johannis reſponderunt per hunc modum: *Dominus Johannes frater Domini Regis Siciliæ mittit nos ad vos, qui eſtis hic nuntii Regis Alemanniæ, & qui ex parte dicti Regis literas credentiæ ſibi apportaſtis. Vos audivit, & ad ea*, quæ dixiſtis, ſic *reſpondet: Quòd verum eſt, quòd miſſus fuit ad Urbem ex parte fratris ſui ad honorandum illum, qui vos huc miſit. Poſtea habuit literas dicti fratris ſui, in quibus ſibi mandabat, quòd Regem prædictum in Urbem non permitteret intrare, nec ipſum coronam in Eccleſia beati Petri recipere; ſed omne impedimentum, quod poſſet ſibi, & ſuis præſtare, præſtaret*. Propter quod Domini fratris ſui mandatis obediens ſignificabat nobis, quòd ipſum Regem, qui nos miſerat cum litteris credentiæ, diffidabat, & omnes ſuos ſervitores, & nos duos, qui præſentes eramus. Unde ſciremus, quòd non ſuſtineret, quòd in Urbem intraret, ſed ubicumque poſſet offenderet ipſum. Quantum ad aliud, ſic nobis reſpondit, quòd pacem facere inter Urſinos & Columnenſes vel treugam non faceret, quia Columnenſes erant ſui inimici, pacem nolebat procurare eis vel treugam, ſed ubique ipſos offendere. Quantum ad aliud, quod rogabamus ex parte Domini noſtri, quòd gentem ſuam, quæ erat ad pontem de Mollen, revocaret, dixerunt quòd revocare illam intendebat illo die, non propter preces ſuas, quia pro eis nihil faceret, ſed propter ſuum melius: quod & fecit. Poſt multa verba inter nos petivimus quòd ex quo diffidati eramus, quòd nos conducerent ad ſignificandum hoc Regi Romanorum, quia ſciebamus ipſum eſſe prope, & venire ſine armis, non dubitans dictum Johannem eſſe ſuum inimicum, ſed credens ipſum eſſe ſuum amicum; vel quod magis nobis placebat, prædicto Regi ſignificaret diffidationem per ſuos nuntios, & nos in Urbe nos cuſtodiremus meliùs quàm poſſemus. Reſponderunt, quòd ſibi nullo modo ſignificarent, ſufficiebat, quòd nobis ſuam voluntatem intimaſſent, ſed parati erant nos conducere uſque ad caſtrum de Inſula. In craſtinum cum Domino Gentili poſuimus nos in via. Et antequam ad caſtrum veniremus, aliquos familiares Cardinalium in via per domum Domini Johannis captos invenimus & ligatos, quos Dominus Gentilis expedire fecit, & ſatis laboravit. Hoc fecit, ut credo, quia Dominos Cardinales diligebat & reverebatur, & quia nos ſibi dicebamus, quòd iſta erat proditio accipere gentem Regis Romanorum, antequam ſibi ſignificaretur diffidatio, & quòd Regales Franciæ numquam fecerunt tales proditiones. Caſtrum de Inſula intravimus, ubi jam plures de familia Regis Romanorum invenimus, ſignantes hoſpitia, cùm ibi Dominus Rex illa nocte in prædicto caſtro hoſpitari crediddiſſet.

A Poſtquam infra fuimus, clauſæ ſunt portæ, & cum difficultate apertæ, quia ſtatim exiverunt multi de familia Domini Johannis, qui in domibus armati latitabant, ad portas; & credo quòd niſi fuiſſet Domini Gentilis probitas & legalitas, quem timebant, quòd ſtrages fuiſſet, antequam portam exiviſſemus, quia jam ſe illi, qui intraverant, credentes ſe eſſe perditos, ut deſperati videntes portas clauſas, volebant in alios irruere; ſed benedictus Deus, & bonitas Domini Gentilis, omnes exivimus ſine damno.

Incontinenti poſt exitum caſtri invenimus totam ſtratam plenam hominibus dicti Regis, inter quos pauci erant armati. Præcepimus eis, quòd non ultra procederent. Dominum Oſtienſem B inter Cardinales invenimus primò, quia primus erat. Poſtquam nos audivit, incœpit fortiter fugere & retrocedere, & ſatis nos fecit ridere, quantumcunque timeremus. Breviter invenimus Regem ſine armis equitantem. Vocatis Dominis Cardinalibus, Prælatis, & Principibus, prædicta per ordinem narravimus. Omnes mirabantur; & qui magis fuit durus ad credendum, fuit Rex, & hoc propter literas Regis Roberti recenter ſibi miſſas, & propter quod ſui ambaſciatores, qui ibant in Neapolim, dixerant ſibi quare ibant. Videbatur ſibi etiam, quòd ſi in mandatis habuiſſet prædicta, quòd nihil novi deberet attentare, donec ſciviſſet intentionem fratris ſui, auditis ambaſſiatoribus C ſuis.

Ibi pernoctavit in campis. Et mane Cardinales diviſerunt ſe. Dominus Oſtienſis cum Domino Pandulpho per terras Sororii ſui iverunt. Dominus Legatus & Dominus Lucas per rectam viam, per quam nos veneramus. Dominus Rex & ſua gens directè versùs pontem de Mollen aciebus ordinatis. Quando ad pontem venerunt, jam homines Domini Johannis illum locum ante pontem, ubi pluſquam per menſem fuerant, dimiſerant, munita una turri hominibus & baliſtis multùm bene; nec aliquis ſupra pontem aſcendere poterat, quin illi, qui in turri exiſtebant, poſſent eum ſagittare.

Poſtquam Rex prope pontem fuit, qui in D penultima acie venerat, nullus adhuc tranſiverat. Exiverunt per pontem Sancti Angeli gentes Domini Johannis in pulcherrimis equis & armis, ita quòd omnes credebamus, quòd deberet eſſe pugna. Ibi facti ſunt multi novi Milites. Ordinatis aciebus ad pugnam, viderunt, quòd alii in uno loco firmi ſtantes, & ultra non procedentes, mirabantur. Miſerunt aliquos in curſoribus ad reſpiciendum locum, & invenerunt illi, quòd pratum Mollæ pulcrum erat medium & quædam vineæ inter eos, & unus rivus prope pratum, nec erat via niſi ſtricta, per quam pauci ſimul ire poterant. Poſtea deliberaverunt, quòd pontem tranſirent, credentes quòd cum ultimis, ſi bellare intenderent, bellarent. E Incœperunt continuè tranſire, & alii de turre ſagittare. Dictus Rex tranſivit quaſi de mediis. Viſum fuit Comiti Sabaudiæ ſecurum, quòd ipſe in tranſitu cooperiret arma ſua, quæ multùm apparebant exteriùs propter aurum & gemmas. Et dicebat ſibi iſtam rationem: *Domine, fortè in turri ſunt baliſtæ tales, quæ projiciunt ſagittas ita groſſas, quòd poſſent vos armatum totum perforare*. Noluit, ſed ſic ſibi reſpondit: *Domine Comes, audiviſtis vos, quod adhuc aliquis ſit mortuus vel lethaliter vulneratus, qui pontem tranſiverit, licèt pluſquam duo millia ſinè armis tranſiverint?* Reſpondit, quòd non. *Et quare?* dixit Rex. *Deus cuſtodit eos, &*

Deus

Deus nos cuſtodiet. Et ſic tranſivit, & nos omnes cum eo. Non audivi, licèt plures fuerint ſagittati, quòd aliquis homo mortuus fuerit. Equi plures fuerunt mortui.

Statim poſt Domini Regis ingreſſum in Urbem incœperunt bella, deſtructiones domorum, & multa alia mala. Gens Regis continuato inſultu per duos vel tres dies turrim illam juxta pontem ceperunt, & omnes qui erant ibi, & crego quòd ſe reddiderunt ſalvâ vitâ. Poſt paucos dies illi, qui tenebant Capitolium, de nocte ipſum dimiſerunt, & gens Domini Johannis, ad quem illi iverant, intravit, habitâ pecuniâ ab eo, ut publicè dicebatur. Statim domum Fratrum Minorum prope Capitolium muniverunt de aliquibus eorum, ne per illum locum gravarentur. Gens Regis poſt hæc domum Fratrum Minorum violenter intravit &, ut audivi, per conſenſum aliquorum Fratrum, quia aliter non potuiſſent ſine damno. Quoſdam de illis, qui locum muniverant, ceperunt, & alii in Capitolium fugerunt ad ſuos ſocios. Poſtea videntes, quòd Populus Romanus cum Senatore parabant ſe ad dandum inſultum contra Capitolium, quia multos de populo jam vulneraverant de baliſtis, trahentes per feneſtras ad diverſa loca, dimiſerunt Capitolium, ſic quòd quilibet poſſet portare arma ſua, & una vice quicquid poſſet cum armis portare. Factum eſt ſic. Dominus Ludovicus Senator Dominum Nicolaum de Senis dimiſit ibidem loco ſui; quem etiam populus finito termino Senatoris habere voluit, prout ad præſens recordor.

Quomodo Dominus Legatus & Dominus Lucas laboraverunt tranſeuntes ad Dominum Johannem pro pace, & nihil facere potuerunt, quomodo Dominus Rex in præſentia multorum in domo Domini Legati, ad quem venerat; ipſi Domino Legato, Domino Oſtienſi, & Domino Lucæ obtulit, quòd paratus erat, ſecundùm quod vos volebatis, filiam ſuam dare filio Regis Roberti, & frater ſuus impedimentum removeret, quod ſibi faciebat tenendo viam clauſam ad Sanctum Petrum, breviter ſcribo, quia Dominus Legatus Sanctitati veſtræ retulit, qui meliùs ſcit quàm ego, & non ſolùm hoc, ſed omnia quæ facta ſunt in Urbe.

Illis diebus reverſus fuit frater Johannes de Lucido monte Magiſter in Theologia & Dominus Johannes de Veneſtingue utriuſque Juris profeſſor de Neapoli, & quid ſibi reſpondit Rex Robertus ſuper parentela facienda, quam ſicut poteſtatem habentes ſibi offerebant ſecundùm conditiones & articulos, qui fuerunt ante Brixiam concordati, credo quòd Dominus Legatus vobis dixit, quæ in ſchedula manu dicti Regis Roberti ſcripta continebantur, quæ volebat adimpleri, antequam ipſe vellet facere parentelam, de quibus aliàs inter tractatores nulla erat facta mentio. Plura in ſchedula continebantur, de quibus non recordor. Recordor autem, quòd volebat Vicarius Thuſciæ eſſet ad vitam filius ſuus, & quòd ipſe Rex Robertus eſſet Admiraldus per mare & Vicarius in Lumbardia ad aliquos annos, & multa talia, quæ nullo modo Rex Romanorum feciſſet. Per hæc judicet Sanctitas veſtra intentionem otriuſque ad faciendum vel impediendum prædictam parentelam.

Illis diebus frequenter inſtabat Dominus Rex apud Cardinales, quòd vellent ipſum coronare in Eccleſia Beati Johannis Lateranenſis, ex quo ad Sanctum Petrum non per eum, ſed per alios clauſa erat via; & ſi ipſi vellent ire & ipſum præcedere ad eorum Eccleſiam, ipſe eos ſequeretur. Domini Cardinales de hujuſmodi impedimento dolentes, & continuè afflicti ſuper ſtrage & deſtructione Urbis, quæ continuè fiebat, non valentes apponere remedium, libenter ipſum alibi quàm in Sancto Petro coronaſſent. Sed timebant, quòd non poſſent virtute commiſſionis eis factæ. Et hoc ſentiebant multi Clerici eorum, Clerici Domini Regis; & plures de Urbe ad hoc vocati ſentiebant quòd poterant, ſicut etiam Sanctitas veſtra declaravit.

Romanis aliqualiter notis per Dominum Regem, & ſpecialiter amicis Domini Neapoleonis, quos tales non invenerat, quales literæ Domini Cardinalis promittebant, tamen propter hoc, quod fecerant illi, qui pro pecunia Domini Johannis Capitolium reddiderunt, vocavit uno mane majores & nobiliores Urbis, qui ſecum tenebant, & ſervitores ſuos ſe reputabant, inter quos fuit Dominus Hanibal, & Dominus Theubaldus de Campo floris, qui conſilium ſuum juraverunt in Taurino, illi de Sabello, & plures alii, quos nel io ad præſens nominare. Petivit ab eis, utrum vellent ipſum juvare & de quo, & quomodo. Reſponderunt ferè omnes, quòd ſic, tamen diverſimode. Aliqui fuerunt, videlicet illi de Comite, quòd eum non juvarent contra Regem Robertum, cùm avus dicti Regis avum ſuum Militem feciſſet, nec ipſum Regem Robertum vellet juvare contra eum in aliquo.

His diebus Rex Franciæ nobilibus Urbis literas direxerat ſupplicando, quòd Regem Romanorum non juvarent contra Regem Robertum. Et hoc non erat ſecundùm quod confœderationes inter eos in manibus veſtris factæ ſonabant.

Reſponſio cujuslibet fuit ſcripta & in præſentia omnium lecta. Tunc dixit eis Dominus Rex quòd multùm eis regratiabatur, tamen volebat quòd illud, quod promiſerant, aſſecuraſſent, antequam recederent ab eo, & quòd in præſentia omnium vellent operibus adimplere abſque ulla mutatione prædictorum. Propter quod captos ſe reputaverunt. Quidam eorum pueros ſuos ponebant pro ſe ipſis obſides, quidam fratres ſuos, alii domos & caſtra & aliquam ſummam pecuniæ, de qua dabant fidejuſſores. Iſtud factum fuit: quare Dominus potuit tenere illam partem Urbis quam occupaverat & quare acquiſivit magnam partem quam alii tenebant ante iſta, Coliſæum, Milicias, turrim de Comite, turrim Sancti Marci, montem illorum de Sabello, & multa alia palatia ſtatim habuit in manu ſua, per quæ illos tenebat, quorum erant, & de illis defendebat vicinos & propinquos offendebat.

Poſtquam omnes ſecuritates dederant ſecundùm ſuam poſſibilitatem & convenientiam, & ipſis dimiſſis, Dominus Hanibal, qui conſilium Domini Regis juraverat in Taurino, frater etiam Domini Johannis, qui fuit unus, qui Capitolium pro pecunia reddiderat, Urbem exivit, & ſtatim Dominus Johannes de Sabello poſt eum, publicè & apertè Domino Regi ſe opponentes, & Romanos, qui cum eo ſtabant offendentes, aquam de Urbe, per quam molendina, quæ ſunt ſub Sancta Sabina, molebant, ſubtrahendo. Unde moti Romani cum Theotonicis ad unum caſtrum, quod vocatur Caput bovis prope Urbem ad duo miliaria, quod caſtrum erat Domini Johannis de Sabello, cucurrerunt, & caſtrum, excepta arce, violenter acceperunt, & partem combuſſerunt. Et citò poſt cuſtodes arcis non habentes ſuccurſum, facto uno pacto,

de

de quo non recordor, receſſerunt. Tunc Dominu Rex arcem cum caſtro & aliis bonis ſibi obligatis per Dominum Johannem de Sabellu, qui promiſſum non tenuerat, ſed contrarium fecerat ſibi publicè opponendo, fratri ſuo Petro de Sabello, qui ſororem Domini Petri de Columna habet in uxorem, pro illa ſumma pecuniæ, pro qua erant iſta obligata ſi non teneret promiſſum dedit, & quòd prædicta teneret donec eſſet ſibi ſatisfactum de prædicta ſumma pecuniæ, in qua erant ſibi iſta obligata. Quæ ſumma fuit, ut recordor, viginti millia marcarum argenti.

Dominus Theobaldus de Campofloris receſſit poſt iſtos ſinè licentia Domini Regis. Tamen numquam eum offendit vel Romanos; ſed in caſtris ſuis pacificè ſe tenuit, quia bonus homo eſt & fidelis. Et credo quòd receſſit propter brigam, quam habebant Columnenſes cum eo; & quia tunc nimis ſequebantur eos Theotonici, & diligebant propter ſervitia, quæ Domino eorum fecerant, timebat ne ipſum offendereot.

His diebus fecit pacem inter Præfectum Urbis, & illos de Columna, & Comitem Anguilariæ. Numquam autem pacem facere potuit int r illos de Sabello, licèt multum à principio laboraſſet propter amorem, quem habebat ad Dominum Paodulphum, cui multum tenebatur propter ſua bona ſervitia.

His diebus Dominus Legatus expectabat onum nuntium ad veſtram Sanctitatem miſſum ad ſciendum veſtram intentionem, utrum liceret eis alibi quàm in Sancto Petro Dominum Regem coronare, quia de hoc erant opiniones diverſorum. Quidam dicebant, quòd ſic. Propter quod moti Romani una die, qui jam aliàs rogaverant Cardinales, quòd Urbi compaterentur, quæ ſic continuè deſtruebatur, cum furore venerunt ad Militias, ubi tunc Dominus Rex hoſpitabatur; & cum eo illa hora præſentes erant Domini Cardinales omnes. Satis timuimus illos ruſticos inſanos; & credo, quòd niſi fuiſſet Dominu Rex, qui illos quantum potuit mitigavit, pauci de Clericis fuiſſent ſecuri de vita; Sed credo, quòd Dominus Rex nihil ſcivit, prout audivi hoc ab eo per juramentum affirmari. Sed ſi aliquis fuerit in culpa, plus crederemus de Domino Nicolao de Senis, qui tunc Capitolium pro Senatore tenebat, quàm de alio. Tamen nec in eum, nec in alium, quod ſciverim, de tanto exceſſu fuit umquam facta per aliquem correctio, quia pro certo ſcitum non fuit.

Deinde Cardinales videntes commotionem populi & Urbis continuè deſtructionem, tranſacto que termino, quo famulus, qui ad vos venerat, reverti debuiſſet, in die Apoſtolorum Petri & Pauli electo per dictum Regem ipſum coronaverunt in Eccleſia Beati Johannis in Laterano, receptis juramentis & promiſſionibus ab eo, ſecundùm quod in ordinario ſcribitur & in literis veſtris continetur.

Poſt ſui coronationem Dominum Symonem de Regalibus de Piſtorio tunc ſuum Cambellanum unà cum quibuſdam Militibus, qui ad Urbem venerunt, & fratri Peregrino ex parte Regi Frederici ad eum miſſis, miſit in Siciliam. Et ut credo, iſti primò de parentela facienda inter filium dicti Regis & filiam Imperatoris ſunt locuti ad dictum Regem Fredericum, & de quibuſdam pactis & confœderationibus inter eos, de quibus modicum recordor ad præſens; tamen credo, quòd poſtea inter eos pro pueris eorum per procuratores in Roma parentela eſt

A jurata, & quantum ad dotem & ad omnia concordata.

Item recordor, quòd Dominus Imperator habuit de pecunia Regi Frederici unam ſummam magnam florenorum; & de illa Dominus Lucas & Dominus Oſtienſis aliquid in Sicilia habuerunt propter ſuas expenſas, quantum non recordor. Credo etiam, quia pacta erant inter eos, quòd unus tenebatur alium juvare in iſta guerra, quam habebat Dominus contra Thuſcos & contra Regem Robertum. Et credo, quòd poſt inceptionem guerræ contra Regem Robertum unus non poterat pacem facere ſinè alio, & quòd quamdiu guerra durabat inter eos, omni anno Rex Fredericus tenebatur ei dare quinquaginta millia B florenorum, & de hoc quod contra Regem Robertum juſtè acquirerent filius ſuus cum filia Imperatoris debebat habere unam partem, & multa talia. Iſta pro certo neſcio, quia modicum ad talia habebam cor; ſed per intellecta à pluribus iſta puto vera eſſe.

His diebus finito termino Senatoris, & Domino coronato, cùm nec bella nec deſtructiones Urbis ceſſaſſent, populus unum de Militibus Domini, Burgundum natione, nomine Dominus Johannes de Savigney, Capitaneum elegerunt, qui Capitolium teneret, d nec veſtra Sanctitas de alio Senatore ordinaret. Et antequam ipſum elegiſſeot, ſcio quòd Populus Dominum rogaverat, quòd vellet Capitolium committere ali- C cui, donec de alio Senatore ordinaretis. Qui cùm non debuiſſer nec potuiſſet de jure, facere recuſavit. Credo etiam per ea, quæ audivi, quòd Populus Romanus Dominum Legatum rogavit, quòd eis provideret de aliquo Senatore, cùm ſinè capite non bene viverent, & ſpecialiter his diebus. Qui, ut intellexi, reſpondit quòd hoc non poterat, cùm à Sanctitate veſtra ſibi oihil erat commiſſum.

Et quia Dominus Imperator & omnes ſui feſſi erant de mora in Urbe tanta, & plures eorum deficiebant in expenſis. & nullus propter calores ſecurus erat de vita, quilibet tendebat ad receſſum. Romani videntes, quòd Dominus parabat ſe ad receſſum, habita inter ſe deliberaD tione ſupplicaverunt ei, quòd vellet adhuc manere per aliquos dies, donec Dominus Johannes cum ſuis receſſiſſet. Dicebant autem, quòd ſi recederet ante eum, quòd ipſi omnes erant in periculo & corporum & domorum. & quòd Dominus Johannes, ex quo ipſum non impediverat de corona, qui ad hoc venerat, quòd non ſtaret, ſed incontinenti recederet. Dominus Imperator excuſabat ſe, & propter conſuetudinem antiquam Imperatorum, qui recedunt coronâ receptâ, & propter multa alia, quæ clarè in ſuis hominibus apparebant, qui diſponebant ſe ad receſſum, ſicut Dux Bavariæ, & majores exercitus, qui oullo modo manere volebant, etiamſi Dominus maneret, ut apparuit per effectum. Qui E etiam prædicti reputabant ſe in periculo recedendo, & Dominum Imperatorem manendo, & hoc cùm non eſſent tot homines, quòd ſi fieret diviſio, quin omnes eſſent in periculo. Et tameo finaliter plus elegerunt periculum viæ, quàm calorum in Urbe, qui ſatis magni erant his diebus, & Dominum ſuum in illo periculo dimiſerunt.

Dominus Imperator volens in aliquo Romanis ſatisfacere, ivit in Tyburim cum aliquibus de ſuis, paucis tamen ibi dimiſſis, quia pauci inveniebantur, qui vellent ibi remanere. Nec propter hoc bella ceſſaverunt, nec alii receſſerunt. De Tybure Dux Bavariæ, Dominus

Ludo-

Ludovicus Sabaudiæ, Comes de Aydone, & multi alii magni viri cum eis receſſerunt.

Poſt hæc literæ veſtræ ad Dominos Cardinales venerunt; qui ſimul non erant, ſed diſperſi. Dominus Legatus erat prope Viterbium, & Dominus Lucas, & Dominus Oſtienſis magis de ipſis remotus.

Habita inter eos collatione, vênit Dominus Legatus & Dominus Lucas in Tyburim. Et literis veſtræ Sanctitatis lectis Domino Imperatori in præſentia multorum reverendorum Dominorum, & cum reverentia intellectis, copiam ſub ſigillis eorum ſibi dederunt. Antequam ad ea, quæ eis continerentur, & per Dominos Cardinales diſtinctè & maturè propoſitis reſponderet nec rationem aliquam fecit, donec primò ſapientes & Juriſperitos Urbis, quos meliores habere potuit, ſuper prædictis audivit. Et tunc ipſos cum ſuis auditoribus copulavit, ordinans juramentum tunc inter illos, qui aliàs ſibi juraverant renovari, & de novo facere, qui alias non fecerant quòd ſibi veritatem conſulerent, quid eſſet facturus, & ad quid tenebatur, ſecundùm ea quæ in literis veſtris continebantur, & multa talia, quæ longa eſſent enarrare. Quid reſponderit, cùm publicum fuerit, credo quòd Domini Cardinales ibidem exiſtentes Sanctitati veſtræ ſcripſerunt, & etiam poſtquam ad præſentiam veſtræ Sanctitatis venerunt retulerunt viva voce. Propter quod breviter tranſeo. Nec in ſpeciali de omnibus recordor. Habeo tamen memoriam de hoc, quòd prædicti Juriſperiti ſibi dixerunt quòd in jure canonico & civili non inveniebant quòd Dominus Papa poſſet indicere treugam inter Imperatorem & Vaſſallum ſuum: quia ſi vaſſallus committat crimen læſæ majeſtatis, & Imperator, qui tenetur facere juſtitiam, velit eum punire, & Sanctitas veſtra poſſet indicere treugam inter eos, ea ratione qua poſſet una vice, poſſet ſemper, & ſic numquam ſequeretur punitio de delicto: quod eſt contra jus naturale & divinum. Addebant etiam, quòd Imperator & Rex Robertus non ſubjiciuntur Eccleſiæ æqualiter quantum ad temporalia: quia unus eſt defenſor & Advocatus, nihil habens ab Eccleſia de temporalibus; alius eſt ſubditus & vaſſallus, ſuum Regnum ab Eccleſia habens. Dicebant adhuc, quòd ſi ut vaſſallum Eccleſiæ in temporalibu permitteret ſe du i per Sanctitatem veſtram, quòd eſſet perjurus, cùm jura Imperii diminueret; quæ tamen juravit non diminuere, ſed augere. Unde cùm treugæ per veſtram Sanctitatem indictæ inter eos non duraſſent niſi per annum, non obſtantibus iis, quæ à prædictis Clericis audiverat & multis aliis, quæ malè intelligere & minùs repetere ſcirem, deliberavit in animo ſuo, prout ab eo audivi in privato, & interim ad veſtram Sanctitatem mittere, quamvis non potuerit ita citò, & propter defectum nuntiorum ſufficientium, & propter quædam alia, quòd per totum annum in aliquo Regem Robertum non offenderet, ut magis ipſum diligeretis, & minùs Regem Robertum; quem non credebat abſtinere quin offenderet eum, ubi poſſet, non obſtantibus treugis per Sanctitatem veſtram indictis. Et hoc bene in Lumbardia & Thuſcia apparet per effectum, in quibus dominium multarum Civitatum, caſtrorum, & villarum ſibi accepit contra Deum & juſtitiam, & ubi potuit ipſum & ſuos in mari & in terra offendit, & poſt treugas.

Ibidem Columnenſibus voluit dare tria millia florenorum in feodum: quod recipere noluerunt, niſi primò ſcirent voluntatem ſuorum Dominorum Cardinalium.

Ibidem ipſe fecit unam proteſtationem propter prædicta, quòd licet non intenderet ad præſens Regem Robertum ſibi rebellem & hoſtem publicum offendere, tamen ſuæ intentionis non erat, cùm in ſuorum diſcretorum conſilio non inveniret, quòd ratione treugæ indictæ inter eos per veſtram Sanctitatem ab offenſione dicti Regis Roberti abſtineret.

Ibidem Domini Cardinales ipſum requiſiverunt, quòd vellet quædam juramenta facere, quæ in literis veſtris de novo eis miſſis continebantur. Reſpondit, quòd non intendebat alia juramenta facere quàm feciſſet ante ſui coronationem, nec virtute literarum veſtrarum tenebatur judicio ſuorum Juriſperitorum, quia veſtra Sanctitas mandabat prædictis, quòd talia juramenta ab eo requirerent, antequam ipſum coronarent; quòd ſi nollet, ipſum non coronarent, & jam ipſum coronaverant, ideo minimè tenebatur.

Poſt feſtum Beati Dominici, neſcio quot diebus, contradicentibus omnibus de ſuo conſilio, Romanis exceptis, reverſus eſt Romam propter ea, quæ fiebant Romæ per gentem Domini Johannis. Timebamus, quòd ſi Romam reverteretur, quòd Romani ipſum recedere non permitterent, donec Dominus Johannes recederet. Item ſi recedere vellet, quòd non poſſet ſinè maximo periculo, & quia paucos homines habebat, & quia per pontem de Mollen recedere eum oportebat; ubi ſi pars alia bonum cor habuiſſet, de facili impediviſſet in exitu pontis: quia ante pontem, ubi alii fuerant, ſubitò poterant ſe congregare; per pontem non poterant quatuor homines ſimul exire. Item multi paſſus erant infra unum miliiare a ponte, ubi decem boni homines tenuiſſent decem millia per unum diem antequam tranſire potuiſſent ſinè eorum maximo periculo. Propter quæ nullus noſtrûm concordabat, ut Romam reverteretur. Ipſe autem fideliſſimus ſuos amicos Romanos, quos fideles invenerat, volens conſolari in receſſu, & in Deo confidens, nihil timens inimicos, Romam non cum magna ſocietate eſt reverſus; & ibi ad preces Romanorum, paucis de ſuis dimiſſis, ne ſi omnes duceret, alii majora mala feciſſent, qui ibidem remanebant, de Roma receſſit per illum pontem cum Dei adjutorio, nullum per inimicos habens impedimentum, versùs Viterbium dirigens greſſus ſuos. Primò vênit Sutrium.

Ad præſens unam modicam digreſſionem facio. Antequam Dominus Imperator de Tybur recederet, Florentini pro ſe & ſua liga timentes, ne Imperator in revertendo ipſos offenderet, ſicut & fecit; miſerunt unum, de quo plenè confidebant, ad conſilium Domini Imperatoris ad inveniendum modos & vias pacis & tranquillitatis ipſorum. Iſte miſſus vocabatur Ricardus Hugueti. Illi, qui mittebant eum, erant Dominus Gerius de Spinis, & Dominus Piſus de Toſa Florentini. Per plures dies dictus Richardus cum conſilio Domini Imperatoris ſecretò fuit, & receſſit quaſi totaliter in concordia à nobis ſecundùm intentionem illorum, qui eum miſerant * dicebat ſe ſcire, promittens reverti in Urbem veterem cum illis & quibuſdam aliis ad omnia perficienda; & ibidem debebant quidam occurrere de conſilio Domini Imperatoris majores ad aliquem diem certum infra menſem Auguſti. Non venerunt, nec miſerunt ad dictum diem prædictum, licèt poſtea miſerint. Secundùm veritatem antequam de Tybur recederemus ego credidi negotium eſſe factum per ea,

quæ

quæ audiveram à prædicto Ricardo. Adhuc non cognoſcebam Thuſcos iis diebus..

De Viterbio placuit Domino ire Tudertum, licèt omnibus Citramontanis diſpliceret propter devium. Quidam de illis partibus potuerunt in capite ſuo, quòd ſi iret & eis regratiaretur de bona militia, quam ei ſinè debito, cùm ſint homines Eccleſiæ, cum propriis expenſis per longum tempus miſerant Romam in ſuum ſervitium, quòd ipſum, qui tunc pecunia indigebat, honorarent, ſicut fecerunt poſtea.

Ibidem Vicarius, qui erat in Marchia miſit ad eum, ut literas conductûs per totum Imperium ob veſtram reverentiam ſibi mitteret. Quod libenter fecit, licèt à multis de partibus fuiſſet accuſatus, quòd non permiſiſſet ire aliquos voluntarios de Marchia Romam in ſuum ſervitium, licèt omnes contra eum ire volentes ſinè difficultate dimiſiſſet.

De Tuderto intravimus Comitatum Peruſinum. Nec recordor, me unum ſolum Citramontanum vidiſſe, cui placeret illa via, non compatientes Peruſinis, quos unà cum Bononienſibus ſupra modum odiunt propter ea, quæ fecerunt contra Imperatorem, qui numquam in aliquo ipſos gravaverat, ſed propter devium, quia quilibet tendebat reverti Piſas, & plures ad partes ſuas.

Dominus Imperator proprii capitis & proprii ſenſus in hoc & in multis aliis, qui non ſe regebat ſemper per conſilium alicujus niſi per ſuum, ſicut omnes qui in ſuis conſiliis magìs ſecretis fuerunt, frequenter ſunt experti, in multis locis illum Comitatum deſtruxit, & multa damna bonorum temporalium eis intulit. Non credo, quòd aliquis fuerit ibi mortuus, quia omnes fugerunt, exceptis illis de Marchano, qui omnes ſunt inventi, quia primi, & omnes per ignem deſtructi & per ſpolium. Ibidem & in quibuſdam aliis locis in dicto Comitatu fuerunt Tudertini, Spoletini, & Narnienſes, non dolentes de illorum deſtructione, cùm aliàs, ut dicebant, fuiſſent per eos deſtructi. Immo ſcio, quòd Domino Imperatori promiſerunt omni die, quo vellet jacere in Comitatu Peruſino mille florenos; ſed quòd habuerit non credo.

De Comitatu Peruſino venimus Cortonam, ubi fuit Terricus de Villeſon veſter familiaris de una continua mortuus. Illi Imperatorem cum magno honore receperunt, & in præſentia totius populi fidelitatem ſibi fecerunt per ſindicos, rogantes ipſum ut eos ad cameram ſuam reſervaret, ita quòd nulli tenerentur ſervire niſi ſibi. Quod facere noluit, & hoc quia in civitate Piſana, antequam ad Cortonam iret, per Epiſcopum Aretinum fuit ſibi intimatum quòd Cortona erat Eccleſiæ Aretinæ; & de hoc volebat facere fidem dictus Epiſcopus per privilegium Karoli Magni, qui eam Eccleſiæ Aretinæ dedit, & per confirmationem multorum aliorum Imperatorum. Antequam privilegia ſua venirent, pro quibus miſerat in Aretium, placuit Deo quòd dictus Epiſcopus in Piſis finem univerſæ carnis eſt ingreſſus. Unde recordor quòd Imperator præcepit fieri inſtrumentum, quòd fidelitatem Cortonenſium receperat ſalvo jure Eccleſiæ Aretinæ, nondum tamen ſibi declarato nec oſtenſo.

De Cortona venimus Aretium, qui ipſum cum gaudio receperunt, & fidelitatem fecerunt. In illo loco ferè omnes renovaverunt juramenta, aliqui perſonaliter, aliqui per ſindicos, qui Domino Pandulpho & mihi juraverant.

In Aretio publicaverunt proceſſus, quos publicari mandaſtis in præſentia Imperatoris. Quidam Abbas Aretinus, & Præpoſitus Eccleſiæ, ſecundùm quod Cardinales eis mandaverant, & Dominus Imperator cum reverentia audivit.

Utrum in civitate Tiburtina, vel in Cortona, vel in Aretio incœperint citationes Regis Roberti, & multarum perſonarum & civitatum rebellium non recordor; ſed memoriam habeo, quando hoc in Roma tractabatur, quòd Auditores ſacri Palatii, de quorum conſilio ſpecialiter omnes tales proceſſus fiebant, dixerunt Imperatori, quòd initiare & mediare & terminare talia oportebat in terris Imperii.

Bene imaginor ego, quòd in altero prædictorum locorum factæ ſunt primò citationes ante Florentiam, & apud Sanctum Caſſianum, ubi diu fuimus, & in Monte Imperiali diutiùs, factæ ſunt multæ declarationes & dilationes, & talia hujuſmodi neceſſaria, quæ ego ignoro, cùm de jure numquam lectionem audiverim: de quo doleo multùm.

In civitate Piſana Regis Roberti, & bonorum ſuorum, & civitatum multarum rebellium Imperii, nec non Comitum, Baronum, & multarum ſingularum perſonarum Imperii, & civitatum Eccleſiæ, qui fuerunt perſonaliter in Roma, in Lumbardia, & in Thuſcia contra Imperatorem, ſententiæ diffinitivæ ſunt datæ ſecundùm qualitatem perſonarum & locorum & quantitatem culparum. Et omnia iſta ſcripta publicè, & ab omnibus poſſunt videri.

In proceſſibus prædictorum, diu antequam ſententia daretur, voluit Imperator, quòd ſui Clerici iſta tractantes, & in Bononiam & alibi in Thuſciam, ubi literati viri reperiuntur, mitterentur ad videndum & æſtimandum, ſi in prædictis vel in aliquo prædictorum eſſet aliquis defectus: quia ſi defectus propter negligentiam eorum, qui talia ordinabant fuiſſet inventus, promiſit eis quòd de vita & de honore eorum non eſſent ſecuri. Ante ſententiam aſſecuraverunt Imperatorem, quòd in proceſſibus nullus eſſet defectus, & hoc vellent ſecundùm jura ante omnes Clericos Mundi ſuſtinere.

Dominus, qui aliàs viderat eorum opinionem de coronatione ſui poſſibili alibi quàm in Sancto Petro bonam, prout in literis veſtris continetur quòd licuit atque licet, licèt plures Clerici Dominorum Cardinalium ſentirent contrarium, non dubitavit quòd in proceſſibus eſſet defectus, ex quo per tantos & cum tanta diligentia erat examinatum, & cum tanto periculo eorum eis noto, ſi in eis defectus aliquis inveniretur.

Poſt hæc ipſe motu juſtitiæ, ſicut in mea conſcientia credo, ſententiam protulit, ſed non ſimul de omnibus, nec in eodem die, licèt in eadem civitate, prout mihi videtur ad præſens; & in mea conſcientia adhuc ſentio, quod audaciùs de majori & magnis executionem ſententiæ feciſſet, ſi potuiſſet, quam ſcripto & verbo protulerit, in hoc Deo credens placere. De minoribus & multitudine non credo propter ſuam maximam compaſſionem & miſericordiam, quòd de ipſis quantum ad omnia, ſi potuiſſet, executionem juſtitiæ feciſſet; ſed quantum ad aliqua credo.

De Aretio receſſit Dominus Imperator circa feſtum Nativitatis Beatæ Virginis. Et prima nocte fuit in Comitatu Florentino ante caſtrum Montis Varchi. Homines caſtri manè fortiſſimè defenderunt ſe contra inſultus Theotonicorum. In veſperis duo fratres Prædicatores de conventu Florentino, quorum unus fuit de illo loco, & quidam cives Aretini habentes in dicto ca-

ſtro amicos, intraverunt ad eos, & eis pericula oſtendentes, eos induxerunt ad obedientiam, quam in mane fecerunt, miſericordiam Imperatoris deprecantes, quòd in corpore & in rebus vellet eis parcere: quod & fecit.

Altero die vênit Imperator ad caſtrum Sancti Johannis. Et poſtquam viderunt illi de caſtro, quòd aqua quæ per villam tranſibat ab eis removebatur, nec impedire poterant aliqualiter ante eorum deſtructionem, mediantibus tamen quibuſdam patriotis, caſtrum reddiderunt ad omnimodam voluntatem ſuam faciendam. Ibi erant circa quinquaginta nobiles bene in equis, ſtipendiarii Florentinorum natione Cathalani, ad cuſtodiam caſtri miſſi, ignorantes voluntates eorum, quando Mareſcalcus intravit, & eos captos, dimiſſis equis eorum & armis indigentibus, ad Imperatorem adduxit: qui, licèt plures inſtarent, quòd ſuſpenderentur, quia meruerant ratione cujuſdam ordinationis & proclamationis factæ quòd quicumque infra certum tempus cum ſuis rebellibus inveniretur ratione ſtipendii, quòd puniretur ſicut rebellis & hoſtis. Item dicebant, quòd ſi illos primos captos ſuſpenderet, nullus de eorum ſociis auderet ſe ponere in alio caſtro firmo, & per hoc rebelles Thuſci ſibi obedirent, qui ſolùm in potentia & virtute Cathalanorum ſuorum ſtipendiariorum confidentes, non in ſemetipſis, qui miſeri ſunt in armis, contradicunt; nullo modo voluit ſuſtinere quòd morerentur; ſed ipſos cum aliis de illis partibus captos de Roma poſt ſe in magna miſeria duci fecit; & in feſto Nativitatis Chriſti ad preces meas & aliorum meliorum me eis compatientes, apud Sanctum Caſſianum liberos dimiſit. Non tamen eis bona, videlicet equos & arma, reſtituit; quia bene petitum fuit ab aliquibus melioribus, ſi vellent cum eo manere & ſibi ſervire, qui cauſam contra Florentinos habebat, ſicut ſerviebant Florentinis, qui nullam juſtam cauſam habebant, quia inobedientes domino ſuo erant: aliqui dixerunt quòd ſic, aliqui quòd non, cùm eſſent ſubditi Regis Roberti, qui eos miſerat. Poſtea ab aliquibus fuit dictum pro meliori, quòd nullus eorum teneretur.

Altera die vênit in Phiguino, pulcherrimo loco ſinè muris, quaſi ab incolis dimiſſo propter timorem. Ibi pernoctavimus uſque mane. Et tunc versùs caſtrum Anciſæ fortiſſimum, in quo erat tota militia Florentiæ, poſt Tertiam venimus. Pons erat ibi ſuper aquam nullo modo cum equo meabilem. Prope caſtrum ſuper illum pontem & circa muros & portas erant Florentini armati pulcherrimè, & multi, &, ut dicebatur, in duplo quàm nos; quia tunc in equis pauci eramus, & nulli pedites armati. Et quia non fuit via nec per aquam nec per pontem, nec bellare poterant, niſi illi de locis, ubi erant, deſcenderent, ſupra caſtrum per montem ſinè via, ubi non dicebatur per incolas, quòd aliqualiter poſſemus aſcendere nec tranſire, ivimus, & prope caſtrum ex alia parte versùs Florentiam venientes. Exiverunt illi de caſtro in cauda exercitus, & fuit ibi durus conflictus nobilium, & multi mortui Cathalani & Florentini per gentem Imperatoris fuerunt. Et, ut ab omnibus poſtea fuit dictum, ſi feciſſet ante dictum caſtrum Anciſæ, in quo tunc erat flos militiæ Florentiæ & Thuſciæ in maximo numero hominum, ipſe viceret Florentiam, quia omnes boni erant ibi, & maximus numerus hominum, & locus ſtrictus & malè de victualibus munitus.

Florentini exteriores dederunt ſibi aliud conſilium, quòd directè Florentiam iret, & ſtatim eam caperet, quia omnes, qui poterant eam defendere, erant in illo caſtro Anciſæ, ſicut verum erat. Manè versùs Florentiam ivit. Sed per aliam viam Florentini receſſerunt ſcientes ultra aquam, quia pontem habebant, de nocte, & ante Imperatorem pervenerunt. Et tamen poſt eos ita citò vênit Imperator, quòd quando applicuimus ante Florentiam, ſcio quòd carnes inveniebantur ad ignem in ollis, & lecti facti, & nihil adhuc erat remotum; & hoc probavi in hoſpitio, in quo fui.

Poſtquam venimus ante Florentiam, omnia mala, quæ per gentem Imperatoris potuerunt fieri in eorum diſtrictu & territorio, facta & per ignem & per deſtructionem & per arborum ſuorum abſciſſionem.

Poſt paucos dies ab adventu ſuo Dominus Imperator fuit infirmus continua vel duplici tertiana, & de hoc erat dubitatio inter Medicos. Ibi primò incœpit creſcere in hominibus de partibus Thuſciæ & de Marchia. Non tamen umquam fuerunt tot in armis quin Florentini & eorum liga, quæ ibi convenerat tam de Thuſcia, quam Bononia, & Romandiola, & Marchia, de Peruſio, & quibuſdam aliis terris Eccleſiæ, pro uno, ut dicebatur, fuiſſent tres in bonis equis, & pro uno pedite armato decem armati vel plures.

Ego recordor frequenter, quando Medici deſperabant de Imperatore, plures, qui jam ſibi ſerviverant, diu cum eorum expenſis, volentes ſibi providere in hyeme, receperunt licentiam ad tempus certum; & poſt eorum receſſum, quia jam ad decem milliaria non inveniebantur victualia, oportebat cum magna comitiva ire pro victualibus propter periculum, quòd aliquando, ut dicebant, qui talia ſcire debebant, non remanebant homines trecenti bene in equis ab aurora uſque ad veſperas cum Imperatore periculosè ſinè infirmo. Et bene erat mirabile, niſi Dominus cuſtodiviſſet Imperatorem cum ſuis, quomodo alii tot in numero & infra ſuam Civitatem potentes non majora damna faciebant aliis, cùm tamen ferè omni die non generaliter alicubi exirent, ſed ſtatim quòd inveniebant reſiſtentes ad Civitatem revertebantur.

Ibi de Comitatu eorum & diſtrictu ad obedientiam venerant tam de valle de Seva, quàm de valle de Greva, & pluribus aliis contratis versùs Arnum pluſquam quadraginta caſtra, & meo judicio plus timore quàm amore. Timebant autem, ne ſpoliarentur per Theotonicos. Et poſtquam obediverant, erant ſecuri, & veniebant ad exercitum, vendebantque bona ſua in duplo quàm valerent.

Domino Imperatore ſic debili, iterum prædictus Ricardus Hugueti vênit ad exercitum miſſus per iſtos majores de Florentia ad tractandum de pace & concordia ut priùs, excuſans eos quantum potuit, licèt non bene, prædictos, quare non venerant vel miſerant in Urbem-veterem, prout promiſerant; & reincœpto tractatu de novo propter plures mutationes in prædictis, poſt plures dies quaſi concordes omnes illi ſecretiores de conſilio cum prædicto Confeſſorem ſuum vocaverunt, ut ipſum induceret ad faciendum pro pace illud, quod talibus, de quibus magìs confidebat, pro meliori videbatur. Prædictus Confeſſor ſatìs laboravit, ſed parum profecit. Omnia, quæ volebat totum conſilium habere, quæ poſſibilia erant & honeſta eorum judicio, à Thuſcis rebellibus concedebantur,

hoc

Google

hoc excepto quòd in rerras non intraret in iſta novitate, ſed bene Vicarium mitteret unum ſingularem quem petebant, de quo Domino Imperatori plus placebat quàm de alio Vicario. Sed nullo modo voluit conſentire, niſi intraret, ſi vellet, dicens quòd gratiam & miſericordiam haberemus ab eo pro ipſis quantum vellemus, ſalvo tamen honore ſuo, qui nullo modo eſſet in tali pacto, quòd neceſſitatus eſſet non poſſe intrare, ſi vellet, in ſuis Civitatibus; nec ipſe judicabat quòd ſui rebelles quærerent aliud niſi ſuum receſſum ad tempus, poſtea de facili impedirent eum ne intraret, quia introitus per iſtas partes ſinè mari in Thuſcia ſatis ſunt graves, & per mare non ſemper homo vadit quando vult, & magnam multitudinem ſimul per mare tranſire ſumtuoſum eſt multum.

Quando plura damna in illa parte non poterant fieri Florentinis, nec victualia ampliùs inveniebantur, quia in principio ſicut fatui per ignem granum, & paleas, & per effuſionem vinum & oleum deſtruxerant, in Vigilia omnium Sanctorum de illo campo receſſit Imperator, & tranſivit aquam his diebus ſatis magnam de clara die; in quanto periculo, illi ſciunt, qui viderunt. Si alii in aliquo cor habuiſſent, cùm poſſent ad quamcumque partem voluiſſent cum eorum exfortio percutere, nec alia pars aliam poterat juvare, cùm una eſſet citra aquam, alia extra, & alia infra, aqua fuit profunda, & tranſitus longiſſimus, & alveus altiſſimus, ita quòd judicio tranſeuntium decem bonæ balliſtæ ſuper alveum exiſtentes nos omnes impedivisſent, quia à nobis non poterant offendi gladio vel lancea propter profunditatem aquæ prope alveum & ipſius alvei altitudinem. Deus voluit, quòd ſic fieret, prout credo, quia illi ſapientes Milites, qui prædicta conſideraverunt, hoc ſemper timebant. Cùm adhuc nullum remedium poſſet videre, vaſtando, comburendo aliam partem, ultra aquam fecimus feſtum omnium Sanctorum & animarum in uno caſtro illorum de Bardis pleno mulieribus nobilibus & infinitis divitiis de illa contrata. Mulieres nobiles illius ſocietatis pro majori parte ſe, pueros, & bona eorum recollegerant propter loci fortitudinem; ubi erant muri altiſſimi, & foſſatum latiſſimum & profundiſſimum, plures ſervitores locum cuſtodientes cum multis baliſtis. Ad primam invaſionem ſalvâ vitâ eorum caſtrum reddiderunt. Dominus Imperator voluit, quòd illas Dominas nobiles honeſti viri eas ducerent de enter ad quæcumque loca ire vellent cum eorum pueris, qui de majoribus & ditioribus Florentiæ erant nati, & magìs ſibi in Civitate contrariis. Thuſcis Guibelinis, qui pueros noſcebant, diſplicuit de eorum liberatione, dicentes quòd credebant quòd ſi Dominus teneret pueros cum eorum matribus, mariti earum & patres eorum citò ad obedientiam venirent. Dominus nullo modo eos voluit retinere, ſed liberos miſit eos.

In craſtino Animarum receſſit Imperator de illo caſtro. Et poſt ſuum receſſum ſtatim ibi poſitus fuit ignis, tunc comburendo illam patriam uſque ad Sanctum Caſſianum prope Florentiam ad ſex milliaria. Ibi poſuit caſtra ſua. Villa fuit valde bona & plena omnibus bonis. Ibi remanſit uſque poſt feſtum Epiphaniæ. Circa illum locum erant multa caſtra fortia. Aliqua combuſſit, aliqua retinuit, ſicut Lucardum, ubi fiunt boni caſei, & caſtrum Sanctæ Mariæ novellæ, in quo cepit dominum caſtri, poſtquam per aliquos dies ſe defenderant, qui vocatur Contardus filius Domini Johannis Filacbe. Dicitur quòd pater cum filio in terra Delphini & circa Rhodanum habent pluſquam centum millia florenorum, & ſunt de magnis hominibus Florentiæ. Plures Domino Imperatori conſulebant, quòd de iſto faceret juſtitiam ad terrorem aliorum Florentinorum: quia ſi iſtum decapitaret, alii numquam auderent ſe ponere in caſtris, timentes ſimilem ſententiam, ſi caperentur; & ſi non vellent ſe ponere in defenſione caſtrorum, nunquam inveniretur ſtipendiarius, qui auderet ſe ponere, ex quo illi, quorum ſunt caſtra, non auderent, & ſic de facili omnia caſtra lucrarentur, quibus habitis, civitates nullo modo ſe tenerent. Miſericordia motus Imperator, quia fuit pulcher juvenis, & multi quærebant mortem ſuam, ipſum extra carcerem dimiſit, primò tamen poſitis duobus ſuis filiis obſidibus pro eo. Poſtquam exivit carcerem, fecit ſibi fidelitatem, & Dominus indulſit ſibi omnia, ſi fidelis inveniretur. Accepit licentiam eundi in Florentiam, credens eos inducere ad obedientiam, poſtquam eis conditionem Imperatoris narraſſet, quomodo erat ſanctus & miſericors. Reverſus eſt, & nihil fecit. De quo doluit, ut dicebat. Plures voluiſſent obedire, ſed quidam impediebant, fingentes multas literas, quas falſas ipſe Dominus reputabat, miſſas eis de iſta curia veſtra, ſed non de veſtro conſenſu, dicebat, quomodo viriliter ſe tenerent, quia per veſtram ſanctitatem citò confortare eos procurarent. Iſti mendaces, qui ſic populum inducebant ut pacem nollent, pro confirmatione prædictorum Dominum Epiſcopum Florentinum in exemplum ponebant; qui de Concilio reverſus, & intentionem veſtram ſciens, erat de primis armatus cum ſuis Clericis, & plus confortabat eos publicè in ſermonibus quòd nullo modo ipſi, qui erant liberi, ponerent ſe in ſervitutem, & cogitarent diligenter quid de ipſis facerent inimici eorum, dum intrarent Florentiam ipſis potentiores, ratione Theotonicorum, qui eos ſemper contra ſuos vicinos juvarent. Hæc & plura alia de Florentia diverſis in exercitu ſcribebantur, quæ numquam credidit, ſed falſa ſemper dixit, & quòd talia inveniebantur ad inducendum populum ut facilius pecuniam ſolveret; qui jam erat ſic illis diebus gravatus, quòd pro defectu ſolutionis plures domus & magnæ continuè deſtruebantur. Et iſtud ſentio ego in conſcientia mea. Et hoc movet me. Cùm ſemel unum fratrem Minorem de Florentia natum miſi ad Epiſcopum Florentinum, & omnia prædicta ſecretè ſub literis credentiæ, mandavi ſibi quòd talia de eo dicebantur, & quòd ipſe talia generaliter & publicè dicendo Curiam Romanam totam diffamabat, vos autem meritò contra eum turbari deberetis, qui eis & omnibus aliis Civitatibus veſtras literas miſeratis quòd obedirent, & quòd ſanctitati veſtræ ego prædicta ſignificaveram. Tunc per dictum fratrem Minorem mihi mandavit, quòd numquam à vobis nec ab aliquo Cardinali aliquid de hujuſmodi materia haberet in mandatis, nec pro, nec contra in dicto Concilio fuerat ab aliquo attentatum. Multa erant alia, circa quæ erat occupatus ſinè iſtis. Subjunxit poſtea, quòd ipſe erat Guelphus, & de Guelphis natus, & per eos promotus. Unde ſi eos diligebat, non debebam admirari; quia ſciebat, quòd ſi Guebelini reverterentur & poſſent, quòd ipſum & domum ſuam deſtruerent. Prædicta ego retuli Domino; qui libenter audivit, & voluit, quòd iſta publicarentur, ne talibus mendaciis crederent.

Multæ valles & plura Caſtra in ipſis illis diebus

bus venerunt ad obedientiam, & perſonaliter in exercitu erant, & victualia adducebant, & plus judicio meo timore quàm amore, ſicut poſtea apparuit per effectum: quia ſtatim quòd exercitus fuit ab eis elongatus, plures ex eis reverſi ſunt ad obedientiam Florentinorum.

His diebus Dominus Imperator dedit Comiti Sabaudiæ civitatem Aſtenſem cum Comitatu, & omnia ſua privilegia à ſuis prædeceſſoribus ſibi vel ſuis data, ſive eſſent Reges, ſive Imperatores, confirmavit; & fecit eum Principem de novo, & approbavit quitationes, quas fecerunt nepotes ſui, & pacta inter ipſos confirmavit, & ſi minùs juſtè ipſe ratione quacumque Comitatum poſſideret, confirmavit & de novo donavit.

In eodem etiam loco dedit Domino Roberto Flandriæ Caſale in Lombardia in feodum, & uſque ad valorem quatuor millium florenorum in redditibus magìs prope locum illum.

In eodem loco pluribus Thuſcis nobilibus plura dedit Caſtra in feodum, ſic tamen quòd eſſet ad beneplacitum ſuum & Imperii. Et hoc fecit de omni feodo, quod dedit alicui Italico, ubicumque fuerit, timens ſemper de eorum mutatione quatorum ad fidelitatem propter ea, quæ videbat in multis aliis Comitibus & nobilibus, qui totum, quod habebant, ab Imperio tenebant, & fidelitatem Domino Pandulpho & mihi fecerant nomine Domini; & tamen tunc ſicut nunc erant cum Florentinis. Unde quia oportebat ipſos privare via juris, dicebat Imperator, quòd in donis, quæ Italicis daret, nolebat quòd proceſſus juris eſſent neceſſarii, ut magì ipſi ad infidelitatem inclinati timerent eorum bona perdere.

In eodem vênit unus nobilis de Senis tunc Poteſtas Piſtorienſis, & vocatur Binduchius de Salembenis, vir eloquens, ſicut re ordor me vidiſſe ſecularem. Ille erat vir dives, dicens quòd habebat auctoritatem ex parte totius ligæ Thuſciæ tractandi de pace, & ſi aliæ Civitates nollent pacta convenientia, ipſe tamen volebat pro ſua. Non credo, quòd ipſe tunc aliquid ſciverit de alio tractatu, ut in verbis ſuis videbatur, quia plura petebat ſic diverſa ab aliis petitionibus concordatis, quòd nobis conſtabat, quòd Dominus ad talia nullo modo inclinaretur.

De illo loco receſſit Dominus Robertus Flandriæ, & Dominus de Blanqueneham. Et licèt haberent cauſas ſufficientiſſimas, ut Domino prætendebant, tamen cum beneplacito Domini & licentia non receſſerunt. Dicebat autem, quòd cùm eſſet in medio inimicorum ſuorum & in campis, ille non erat conſanguineus ſuus bonus, qui ipſum in medio inimicorum ſuorum dimittebat, & in periculo tanto, & plura alia oſtenſiva, quòd malè faciebant, quòd ipſum ſic dimittebant.

Ad alium locum venerunt Piſani in magno numero peditum & equitum, & de eodem loco receſſerunt diu ante nos.

Poſtquam non inveniebantur plura victualia circa Sanctum Caſſianum, Dominus Imperator receſſit versùs Podiobonizi inter Senas directè, & Florentiam, & Sanctum Miniatum, & ibi Montem, quem vocavit Imperialem, præcepit ædificari, & per incolas habitari. Qui libenter hoc fecerunt, cùm aliis ibi ſecuri exiſtentes, multis annis per Regem Karolum Caſtrum eorum fuiſſet deſtructum & per Florentinos condemnatum, quòd ampliùs non habitaretur.

In eodem loco in caſtro Imperiali Dominus dedit Domino Henrico Flandriæ ſuo Mareſcalco civitatem Laudenſem cum Comitatu; & ſi A non valeret decem millia florenorum in redditibus, volebat quòd in locis propinquioribus eidem aſſignarentur uſque ad decem millia florenorum, & fecit eum Comitem Laudenſem.

Ibidem Comiti de Foreſio dedit caſtrum de Succino in Lumbardia, & quatuor millia florenorum magìs prope caſtrum aſſignandorum, ſi prædictum caſtrum non valeret.

Ibidem omnibus Militibus citramontanis, non Theotonicis, inter duo millia florenorum & trecentos. Iſta fuerunt extrema, quia nullus habuit pluſquam duo millia, & nullus minus quàm trecentos. Dedit hujuſmodi feodum ſecundùm conditiones eorum.

De hujuſmodi feodis prædictis & Comites & B alii tenebantur facere ſervitia Imperio ſecundùm modum & formam, quam faciunt illi qui habent feoda talia in Regno, licèt eis modus & forma gravis & dura videatur aliquibus, & pluribus aſſignavit ei in illis partibus caſtra & circa caſtra magìs prope ſummam datam. Et quia non tot erant caſtra in ſua obedientia, ſicut Milites, eis aſſignavit de ſua camera recipere annuatim, donec in Italia in aliquibus locis certis eis prædicta aſſignaſſet.

Omnibus Theotonicis Militibus, paucis exceptis, in Alemannia in ſuis partibus alias terras in feoda aſſignavit ſecundùm conditiones & merita perſonarum.

His diebus Senenſes Auguſtinianos primò, C poſtea Prædicatores, poſtea Fratres Ordinis Camuldulenſis miſerunt ad inveniendum aliquam viam pacis; & ſecundùm ea, quæ petebant, nihil eſt conſummatum. Tamen illi, qui tunc regebant, ſupplicaverunt Imperatori, quòd me vellet mittere ad eos ad tractandum aliquam bonam viam. Et quia nolebant, quòd apertè ego irem, ſed occultè, Domino non placuit, cùm non eſſet honor ſuus, ut dicebat. Literas plures habuerat de Senis, quòd ad tractandum occultè nullum mitteret, ſi vellet pro ſe habere bona pacta, ſed apertè quemcumque vellet mitteret, cùm populus tunc pacem deſideraret; ſi pax non fieret, ex quo gratiam Dominus Imperator eis volebat facere, & hoc publicè populo diceretur, D quòd omnes pacem impedientes eſſent ad clamorem populi in periculo. Regentes noluerunt, quòd apertè ego irem, timentes prædicta, & Imperator noluit quòd ego irem occultè.

His diebus prope Montem Imperialem ad unum milliare, ad duo, vel ad tria in tribus caſtris major pars ſtipendiariorum Thuſciæ erat, & propter offenſionem gentis Imperatoris, quæ victualia de Caſſulis venientia conducebat, illi, qui erant in caſtro Collis prope Sanctum Geminianum, in uno campo molli aliquos interfecerunt, & aliquos acceperunt; inter quos fuit unus Imperatoris conſanguineus Dominus Aymo de Albomonte captus. Hac vice excepta, nec vidi nec audivi, quin ubique perderent Impera- E toris rebelles. Ipſum ſuum conſanguineum cum omnibus captis pro tribus millibus florenorum redemit Imperator. Mortui fuerunt inter omnes circa triginta, nullus tamen Miles.

Et quia Quadrageſima erat, & piſces non inveniebantur, & jam propter moram longam victualia malè, quia illi de illis tribus caſtris, qui fortè erant plures quàm nos, deſtruebant illos, qui Imperatori obediebant, & nos alios, licèt cum difficultate poſſet Imperator induci ad recedendum, tamen illud pro ſuis gentibus coegit eum, quod cogit lupum aliquando de ſilva recedere. Jam enim ſiâ iverant bis ante Senas, & totum erat apportatum, quicquid erat inven-

ventum pro victualibus.

Dimiſſo Monte Imperiali firmato lignis, & portis factis, & pluſquam mille hominibus habitantibus, pedites & equites tot dimiſit, quot ad cuſtodiam patriæ neceſſarii videbantur. Et licèt de illo loco eſſet via eundi in Piſas ſinè periculo, tamen, quia longior erat quàm recta, in qua erat maximum periculum, paucis videlicet nullis conſentientibus per medium inimicorum per totum diem equitavit, hoc eſt, inter Sanctum Geminianum, caſtrum Florentinum, & Sanctum Miniatum, & quicquid combuſtibile invênit combuſſit, & in via unum caſtrum fortiſſimum accepit de diſtrictu Sancti Miniatis. Incontinenti poſt illud caſtrum intravit Comitatum Piſanum. Tunc omnes fuerunt ſecuri.

In omnibus locis prædictis, non ſolùm Laicis, ſed Clericis & Religioſis, maxima damna facta ſunt de eorum bonis temporalibus contra Deum & juſtitiam. Et hoc generaliter fiebat per ribaldos, licèt Dominus Imperator per me & alios Religioſos, qui talia videbamus, frequenter fuiſſet provocatus contra Maraſcalcum ſuum, quòd de hujuſmodi malefactoribus non faceret juſtitiam competentem. Unde frequenter fuit ſibi dictum per me & quoſdam alios, quòd de officio divino, de quo erat ſolicitus ſuper omnes, quos in vita mea vidi, Dominus parum curaret, quando permittebat Eccleſias ſpoliari. Tunc plorans amarè mandabat pro Maraſcalco, & fiebant proclamationes, & tallia & mutilationes multorum. Et tamen non obſtantibus iſtis aliquem locum Eccleſiaſticum non vidi alicubi in Thuſcia in terris rebellium cuſtoditum à prædictis, ut deceret. Ipſe affligebatur, & clamabat contra ſuos officiales. Sed nihil erat. Tunc erant miſeri Guibelini pauperes facti de novo per Guelphos, & plures Guelphi igniti & deſtructi per gentem ſuam. His diebus omnes exercitum ſequentes, neſcientes quò ire, & de vita dubitantes. Tunc etiam erant pauperes multi ribaldi citramontani & peſſimi, qui nulli Eccleſiæ deferebant, ſi poterant ſpoliari. Et iſtud aliquando movebat eos, quia dum aliquando inter ſe & alios rebelles eſſet pugna, plures interficiebant Sacerdotes & Clericos. Et hoc probabatur quando denudabantur. Et plures capiebant vulneratos adducentes. Inter quos recordor, quòd ego de uno ſciens, quòd erat captus in quodam inſultu unius caſtri, potenter dictum caſtrum defendens, unde erat Plebanus, ſtatim Dominus mandavit quòd mitteretur ad ſuum Epiſcopum; & in mane, quia lethaliter erat vulneratus, fuit mortuus.

In partibus illis meo judicio Seculares ſunt mali, & Clerici non ſunt boni.

In Piſis Dominus Imperator vênit circa medium Quadrageſimæ. Et inter omnia quæ facta ſunt ibi relatione digna, quantum recordor, ad præſens iſta fuerunt.

Pluribus diebus de portu Piſano uſque in Januam nullus audebat ire, quia galêæ Regis Roberti, quæ jam aliquas terras in Corſica & in Sardinia Piſanorum deſtruxerant, mare taliter tenebant clauſum, quòd nullus ſinè periculo poterat ire, & plures de gente Imperatoris fuerunt per prædictas galêas & mortui & capti, poſtea redempti. Et iſta, prout credo, fuit prima cauſa & primum motivum, quare Venetos & Januenſes Dominus Imperator requiſivit, ut de aliquo certo numero galêarum infra tale tempus, uſque ad tale, hoc eſt, per ſpatium trium menſium, ſibi vellent ſervire. Januenſes viginti promiſerunt. Veneti promiſerunt libenter ſibi ſervire, ſed neſciebant quot poſſent ad dictum tempus, quo indigebat, propter armatam quam ipſi contra quoſdam ſibi rebelles faciebant his diebus, ſed ſi pacem vel treugam vel victoriam haberent, totam ſuam armatam ad ſervitium Imperatoris offerebant.

Item Judicem Alboreæ ad preces aliquorum Piſanorum ipſum legitimavit quoad ſucceſſionem. Qui legitimatus dedit ſibi quindecim millia florenorum. Quibuſdam videbatur, quòd non poterat, quia de territorio Eccleſiæ erat. Finaliter tamen ſui Clerici dicebant, quòd poterat. Item in illa legitimatione remiſit ſibi offenſam omnem, ſi aliquam contra eum commiſerat, quia, ut dicitur, fratrem ſuum occiderat ut terram haberet. Sed quia juſtitia de fratricidio ad eum non pertinebat, cùm eſſet homo ligius Eccleſiæ, poterat, ut dicebant illi, ſibi remittere offenſam contra eum commiſſam, non contra perſonam offenſam, vel contra Eccleſiam.

Numquam Piſanis confirmare voluit ſua privilegia ab aliis ſuis prædeceſſoribus data vel confirmata, nec aliquam gratiam vel privilegium umquam eis dare voluit. Et de hoc multi contra eum mirabantur, cùm ipſe ultra ſexaginta millia florenorum, poſtquam primò factus fuit Rex Romanorum ab eis habuerit, vel pro ipſo expenderint. Cauſa, quare confirmare numquam eorum privilegia voluit, fuit, quia ego & quidam alii, qui eorum privilegia videramus, ſibi retulimus quòd in dictis privilegiis plura continebantur, quæ erant Eccleſiæ, ſicut Sardinia tota, & una pars de Neapoli; & quædam alia, de quibus non recordor ad præſens.

Item in Piſis unum carceratum Guelphum nomine de illis Guelphis Comitibus natum qui caſtra eorum proditiosè Lucanis dederunt, licèt propter delicta parentum à cunabulis captus fuiſſet, per me mandavit ipſum liberari. Quod ſupra quàm dici poſſit omnibus Guebelinis & ſpecialiter Piſanis diſplicuit. Nec propter hoc dimittere voluit quin innocentem liberaret.

Item in Piſis privilegia Januenſium confirmavit, quæ in Janua confirmare noluit, ſalvo tamen jure Imperii & omnium aliorum. Januenſes non fuerunt contenti de hujuſmodi confirmatione. Aliam tamen confirmationem non habuerunt per eum.

In Piſis Domino Imperatore exiſtente, iterum Senenſes miſerunt ad Imperatorem quòd me in quoddam caſtrum, quod vocatur Caſula, mitteret, & illi qui regebant civitatem Senenſem illuc venirent aſſecurati per illos de caſtro primò, quia per gentem Imperatoris tenebatur. Dominus Imperator ſatis voluiſſet, quòd ego iviſſem. Sed ſinè periculo non poteram propter civitatem Vulterranam, quæ erat in medio. Unde non auſus ſui me in periculo ponere.

In Piſis, ut prædixi, Regem Robertum & multos alios Aſtenſes, Papienſes, & multas alias Civitates Italiæ propter crimen læſæ majeſtatis condemnavit.

In Piſis Lucani miſerunt pro Archiepiſcopo Piſano & pro me ad tractandum de pace. De licentia Imperatoris ivimus prope Civitatem Lucanam. Et ibi qui terram regebant ad nos venerunt, & multùm nos honoraverunt, & in fine poſt multos tractatus conſuluerunt pro meliori in dicto negotio, cùm populus Lucanus eſſet ſuperbus & fatuus, quòd gens Imperatoris ſuper eos aliqua damna faceret. Tunc equitavit gens Imperatoris, & Petram-ſanctam & Sarſanam & illas partes accepit.

Cum

A Cum quanta reverentia in Piſis nuntios veſtros, qui proceſſus coram eo publicaverunt, & quomodo voluit quòd ipſos honorarem, & in Civitate & per mare ſecuros conducerem, quid reſponderit eis, & proteſtationem, quam ibi fecit, non ſolùm Chriſtiani Regis, ſed Chriſtianiſſimi Imperatoris, quia hic præſentem habeo, perſonam veſtram & Eccleſiam Romanam quanta reverentia & dilectione habebat oſtendentem, & multa circa iſta non ſcribo, credens probabiliter quòd fratres veſtri nuntii ordinatè & diffuſè ſanctitati veſtræ retulerunt. Voluit etiam quòd Vicarius Piſanus publicationem devotè audiret. Qui tamen, quando ad ipſum ivi ex parte ſua, mihi ſic reſpondit, quòd in Sicilia B duo alii fratres Prædicatores, quorum unus erat Sacerdos, alius Diaconus, portaverunt alias ex parte Domini Papæ literas, quorum unus fuit ſuſpenſus, & alius decapitatus, qui non ita bene meruerunt ſicut iſti. Tamen non obſtantibus multis aliis ab eo tunc dictis, ipſos audivit devotiùs quàm credebam.

Pater Sancte, unum nolo omittere, quod audivi ab Imperatore, quando ab eo receſſi. Petivi ſecretè, quòd placeret mihi dicere, quid intendebat facere de tot galéis in mari exiſtentibus, ex quo tales proceſſus audiverat fieri contra regnum Apuliæ invadentes. Induxi tunc eum quantum potui, quòd caveret ſummè de occaſione quacumque, per quam Eccleſia Romana C haberet cauſam ipſum offendendi directè vel indirectè. Et ad iſtam materiam multa ſibi dixi. Tunc ridendo, & quaſi me confortans, qui multùm hoc timui, reſpondit: *Sitis conſolatus. Nos audivimus conſilium noſtrorum Clericorum juratorum, utrum defendendo nos Deum offendamus, & utrum teneamur facere juſtitiam & delinquentes punire, ex quo Deum non offendimus prædicta faciendo, ſed magìs offenderemus ipſum contrarium facientes.* Pro certo nondum deliberavimus, utrum debeamus intrare regnum vel non, nec bene deliberate poſſumus, donec alios rumores habuerimus de Rege Frederico. Tunc ego ſubjunxi: *Et ſi ipſe conſulat, & vos intretis, Papa excommunicatum vos denuntiabit,* D & poſtea procedet ad veſtram depoſitionem, ſicut factum fuit de Frederico, qui fuit ditior, nobilior, & potentior, & minores rebelles habuit, & plures amicos, tamen finaliter Eccleſia ipſum deſtruxit. Tunc dicebat: *Si Deus pro nobis, nec Dominus Papa, nec Eccleſia deſtruet nos, ex quo Deum non offendimus. Bene faciemus pacem noſtram cum Domino Papa, quia bene ſcimus ſuam intentionem.* Diu eſt, & bene nobis per noſtrum Camerarium Terricum de Villeſon mandavit illud, quod de nobis in corde habuit. Unde non timeatis, quia nos non timemus. Petivi pro gratia ſpeciali, ut mihi illud diceret, & hoc propter meam maximam conſolationem. Iſta fuit intentio verborum ſuorum, Pater Sancte. Licèt de verbo ad verbum non ſint eadem verba, tamen certus ſum, quòd eſt eadem ſententia, quòd Sanctitas veſtra à principio eum ita citò approbavit, licèt multis diſpliceret & magnis, ita curialiter de Legato ſibi providit, ut in Lumbardia poſſent omnes videre affectum veſtrum ſincerum, quem ad ſuum magnificum ſtatum habebatis, ut citiùs obedirent. Poſtea commiſſionem, quam petivit de ſui coronatione, incontinenti habuit. Hæc omnia feciſtis, ut in ſtatu debito poſitus, ſuperbia aliquorum per eum refrenaretur, quos jam nullus audet tangere propter ea, quæ facta ſunt per eos, & adhuc poſſent ſimilia & majora fieri, niſi eſſent humiliati. Modò quia fortuna non arriſit ſibi in Italia, & omni die timebatur de ſtatu ſuo, & quia pauper, & quia infinitos habens rebelles, oportuit de neceſſitate, quòd veſtram gratiam ab eo retraheretis, timentes probabiliter, quòd ſi cum veſtra gratia in diſplicentiam aliorum deficeret ſimpliciter, vel ſtatum perderet aliqualiter, quin vobis & Eccleſiæ ex hoc maxima damna & incommoda evenirent. Unde dicebat, quòd certus erat, quòd ſi Regem Robertum juſtè & rationabiliter bonis temporalibus privatum propter commiſſionem criminis læſæ majeſtatis decapitaret tamquam dignum, quòd Sanctitati veſtræ diſplicere non deberet, ſed placere, & omnia, quæ ſunt Eccleſiæ Romanæ, videlicet Regnum & quædam alia, ad manus veſtras liberè recipere, & uni de veſtro ſanguine vel alteri nobili digno conferre, de quo vobis videretur.

Pater Sancte, teſtimonio conſcientiæ meæ alia ad præſens neſcio relatione digna, niſi quòd per ſalutem animæ meæ vobis dico, quòd non credo quòd aliquis vivat hodie inter Principes ſeculares, qui plus Deum diligat, & Eccleſiam Romanam, & omnem probum virum, quàm ipſe faciebat.

F I N I S.

FERRETI
VICENTINI
HISTORIA
RERUM IN ITALIA GESTARUM

Ab Anno MCCL. ad Annum uſque MCCCXVIII.

Nunc primùm

E MANUSCRIPTO CODICE

VICENTINO

PUBLICI JURIS FACTA.

Digitized by Google

IN FERRETI VICENTINI
HISTORIAM
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII
MURATORII.

SCriptoris hujus nomen multa cum laude jam Literario Orbi commendaverat Gerardus Johannes Voſſius de Hiſtoric. Latin. Libri 3. part. 3. Cap. 9. pag. 794. cujus verba, ne actum agam, habere heic locum volo, ac potiſſimum quod quae ille de Ferreto refert, a Cl. Viro Felice Oſio olim Oratoriae Artis in Patavino Gymnaſio Interprete ſe accepiſſe gratus teſtatur. *Ferretus*, inquit, *Vicentinus, clara natus familia, eam facundia ſua non paullo reddidit clariorem. Quippe pollebat oratione vincta juxta ac ſoluta. Ac prius quidem Poëſi nomen ſibi peperit; poſtea animum appulit ad Hiſtoriam ſcribendam. Extrema ejus pueritia incidit iu tempora Alberti Auſtriaci, unde ipſe Hiſtoriae ſuae Lib. 2. ab geſtis ejuſce Imperatoris ad res Henrici VII. tranſiturus ſic ſcribit:* „ Hactenus rerum vetuſtarum, quae „ prius, quam nati eſſemus, quaeque poſt ortus noſtri tempora, donec pueriliter „ ageremus, ſacta ſplendida, eademque ſordida, memoriae digna conſcripſimus. „ Nunc ea, quae pubeſcentibus nobis ſatorum lege apud Italos acta ſunt, laboris „ ſummi ſtudio percurremus. „ *Et paulo poſt cum dixiſſet, proditurum ſe, de quibus ſibi magis conſtaret, iſta ſubjungit.* „ Defuncto itaque Alberto confeſtim Germaniae Prin„ cipes, quibus poteſtas tradita eſt, prn ſtatuendo Rege conveniunt. „ *Quinque vero Hiſtoriarum Libros ſcripſit Ferretus, quos auſpicatur ab exceſſu Frederici II qui in Annum incidit* 1250. *atque eos ad Annum perducit* 1317. *ac propemodum univerſa exponit, quae per Europam contigere: maxime autem, quae Italia viderat, Lombardia iu primis, & Marchia Tarviſina. Opus de Nobilibus compluribus Familiis bene meritum, quae iu eo commemorantur. Inſcriptio ejus ſimplex admodum eſt in Codice manu exarato, quem Felix Oſius habet beneficio perilluſtris & excellentiſſimi Juriſconſulti Franciſci Caledonii Vacetini* (legendum fortaſſe *Vicetini, ſive Vicentini.*) *Eſt vero iſtiuſmodi:* „ Ferreti, Poëtae Vicentini, ſuo„ rum & paulo ante actorum temporum Hiſtoria. „ *Scriptori huic non parum debet Johannes Baptiſta Pajarinus, ut qui ex Hiſtoria ejus non pauca iu ſuam derivavit. Felicis Oſii de eo judicium eſt hujuſcemodi: tum Poëtam, tum Hiſtoricum eſſe elegantem ac diſertum, ac plane iis accenſendum, qui cum Franciſco Petrarcha, & aliis paucis ejus temporis literas inſtaurarint, deque Gothica barbarie triumphum duxerint.*

Haec Voſſius, quae mihi ſingulare deſiderium incuſſere legendi, ſimulque edendi quaecumque Ferretus ſcripta reliquerat. Nullum ergo non movi lapidem, quo MStam Hiſtoriam illius invenirem. Et quidem maximae mihi habendae ſunt gratiae Nobili Viro Michaëli Angelo Georgio, Equiti & Comiti Palatino, Civique Vicentino, cui commendationem multam apud Eruditos jam quaeſivit Vita Comitis Camilli Silveſtri V. Cl. ab ipſo efformata ac edita: nam is tamdem Ferretanae Hiſtoriae exemplar nactus, ad me ſumma humanitate deferendum curavit. Ingens me tum laetitia ſimul ac admiratio ſubiit, dum Scriptorem intime novi, cui vix parem & certe neminem ſuperiorem aevo illo oſtendas. Laudaveram antea *Albertinum Muſſatum*, nempe Ferreti aequalem & amicum, in Praefatione ad ejus Opera infra edenda, quod non modico conatu Linguae Latinae dignitatem in Italia reſtituere inter primos incoeperit. Aequi bonique faciat nunc, quaeſo, Muſſatus ipſe, ſi Vicentinum Hiſtoricum ei praeferam. Muſſatum enim, ut ut ſtilo ſplendido, atque eleganti interdum utatur, ſaepe tamen aſperum, ſalebroſum, & inaequalem deprehendas. Ad haec ille non ſtilo tantum, ſed & rerum minutarum quiſquiliis quandoque legentem fatigat. Contra Ferretus ſatis eleganti, & praeterea clariore ac venuſtiore ſtilo nullum non allicit; tum ea narrat, quae intentum Lectorem faciunt, eoque ſapore oarrat, ut eumdem Lectorem ubique delectatio comitetur. Magna profecto laus Vicentinae Urbis, ejuſque aevi, hujuſmodi hominem ad Literarum ornamentum peperiſſe. Atque is documento

quoque eſt ; quid familiaritas cum Muſis emolumenti afferre poſſit ; nam & iia ipſis Seculis (quibus tamen non levis barbaries & Literis & moribus adhuc inerat) virum illae effecerunt cum in Hiſtoria conſcribenda, tum in Latinae Linguae uſu adeo ſupra reliquos ſuae aetatis erectum atque expeditum : quo in ſtudio, ut vides, ille Petrarcham praeivit.

Verum in tanta laude Scriptoris hujus, ejuſque Hiſtoriae, habeo quod de mea, immo de publica fortuna conquerar. Expoſcebat animus, conſiliumque meum, quum me ad tot Hiſtorias congerendas atque evulgandas converti, purgatos ſemper caſtigatoſque habere Codices; at nonnullas ex hiſce Hiſtoriis opus mihi fuit e mendoſis iiſque infidis Codicibus exprimere : qua in re de Librariorum ignavia atque ignorantia, quamquam irritis querelis, non ſemel expoſtulavi, quo ſaltem mihi excuſationem apud eos quaererem, qui meliora exſpectaſſent. Nunc mihi fatendum, idque moerens dico, me nuſquam in tot difficultates conjectum, quam quum Ferreti Hiſtoriam publico uſui deſtinavi. Scilicet ad me delatus Codex recenti manu exaratus, paſſim nomina ac verba corrupta exhibebat adeo infelici ſucceſſu, ut quampluribus in locis vix ſenſum ullum, ne divinando quidem, exculpere poſſem. Subſtiti, iterumque amicos pulſavi, ut ſi quem emendatiorem textum reperirent, mihi ſuppeditarent. Alterum reapſe Codicem eorum cura accepi, ſed nihilo meliore fructu, quippe & is undique erroribus ſcatebat, immo deteriora interdum complectebatur, quam primus. Digna profecto erat Ferreti noſtri Hiſtoria, quae quandoquidem temporis edacitatem fefellerat, & ad noſtra uſque tempora incolumis devenerat, non his vulneribus deformis in publicum diem prodiret. Sed quid ego haec ? Ferreti Hiſtoria, qualemcumque fortunam ſortita, certe producenda erat. Ego igitur, quod potui, craſſiores Librarii errores ſuſtuli; tum alia loca meditatione adhibita, quantum vacavit, reſtitui; quae vero ita foedata corruptaque inveni, ut aut nulla ſenſus germani veſtigia apparerent, aut nonniſi audaciori conjectura reparari poſſent, ea ſatius duxi dimittere intacta, quam cogitationes meas forte pro Ferreti mercibus obtrudere legenti. Haec autem praefari libuit, quo Eruditi mature intelligant, non Ferreti Scriptoris elegantis culpa, neque mea edentis oſcitantia corruptum aliquid heic occurrere, ſed quidem purgati exemplaris inopia.

Redeo nunc ad Ferretum ipſum. Vicentina Urbs illi Patria : Familia vero, ſi fidere poſſumus titulo Codicis, quo ſum uſus, Ferreta fuit; nempe is *Ferretus de Ferretis* eſt appellatus; quamquam in ea potius opinione ſtem, non aliud ei fuiſſe nomen, quam *Ferretus de Vicentia*. Ipſe penultimum verſum Carminis de laudibus Canis Scaligeri, quod infra eſt evulgandum, his verbis concludit *Ferretus Auctor*; quare non ſolum unica T ejus nomen ſcribendum, ſed penultima etiam brevi efferendum videtur. Ante Annum 1300. conſtat ipſum fuiſſe in lucem editum; ſcribit enim, ſe in Patria conſpexiſſe Legatos Heinrici VII. Caeſaris Anno 1309 quum pubertatem nondum exceſſiſſet : *Vidimuſque*, ait, *illos, nondum facti puberes, in Senatu & coram Populo legationis ſuae modum exponere*. Haec ſatis oſtendere videntur, Ferretum tunc Annos XIII. natum. Rurſus in Praefatione mortem *Albertini Muſſati* ille commemorat, quae quum Anno 1330. contigerit, facile intelligas, eo tempore huic Operi manum jam admoviſſe. Cetera praeclari viri acta tempus magna nocte involvit. Poëtices ſtudio primum delectatus fuit, ut idem in Praefatione profitetur, fidemque faciunt ejus Carmina, quae ſuperſunt, atque heic eduntur. Tum ſe ad Hiſtoriam contulit, Concivis ſui cujuſdam hortatu, quem *Vicentinorum optimum* appellat, & cui haec ipſa dicavit. Narrationem autem exorſus a Friderici II. obitu, eam perduxit, non ad Annum tantum 1317. ut Voſſius ſcribit, ſed ad inſequentem Annum 1318. An integram ejus habeamus Hiſtoriam, id quidem incertum. Ille profecto longe plura ſcribenda ſuſceperat, & ſcribere potuit. Poſtremae quoque Libri lineae, ex improviſo interciſum ſenſum relinquentes, alia ſucceſſiſſe indicant, quae jam exciderint.

Sed praeter Hiſtoriam quaedam alia Ferreti Opuſcula numerabantur olim, quorum catalogum nobis dedit Johannes Baptiſta Pajarinus, antiquus Vicentinorum rerum Scriptor his verbis ex ejus Hiſtoria Latina petitis : *Fuit Ferretus, qui Canis grandis de la Scala heroico Carmine geſta ſcripſit*. Hoc idem Opus infra publici juris nunc primum fiet. *Scripſit & ſoluta oratione bella inter Patavos & Vicentinos*: nempe Hiſtoriam, quam nunc primum luce donamus. *Scripſit ad Priapejae Virgilii imitationem verſus octuaginta duos. Scripſit de morte Dantis Poëtae Florentini heroico carmine verſus centum & decem. Scripſit inſuper ad Albertum* (hoc eſt Albertinum) *Muſſatum Patavinum, Laureaque corona ornatum de morte Benevenuti Campeſani verſus quadraginta. Et multos alios verſus ſcripſit*. Haec Pajarinus, quae & ipſe Voſſius ab Oſio accepta

com-

commemoravit. Eodem quoque Voſſio monente novimus, Ferretnm reliquiſſe *Verſus XXV. ad Pulicem de Cuſtoza Vicentinum Poëtam, de puero, qui natus erat Matthaeo de Scledo. Item Carmen aliud in laudem Baylardini de Nogarolis Veronenſis, Scaligeri affinis, cum inſtaurandam curavit nobilem Urbis portam, quam disjecerant Patavini*. Noſtris temporibus vix alia Ferreti Carmina ſuperſunt, quam quae ipſe in *Canem Grandem Scaligerum*, atque in funus *Benevenuti Campeſani* ſcripſit; aut certe haec una ad manus meas delata fuere, quae proinde edita heic volui, tum quod ad Hiſtoriam ſpectent, tum etiam ut hinc intelligatur, quale & in his foret illius hominis ingenium, pro conditione eorum temporum profecto ſumma laude dignum. Sed neſcio quei Voſſium, virum alioqui praecellentiſſimum, memoria heic ſupine admodum defecerit. Vix enim Ferreti acta expedivit, ejuſque verſus *in exceſſum Benevenuti de Campeſanis, Poëtae Vicentini* laudavit, quum de Campeſano agere continuo aggreſſus, in haec verba de eo Inquitur: *Coaetaneus huic* (ſcilicet Ferreto) *Benevenutus de Campeſanis, qui carminibus ſuis funus & exſequias Ferreti celebravit*. Utique niſi velimns Campeſanum e tumulo ſurrexiſſe, ut amici ſui Ferreti funus ipſe quoque laudaret, is praeſtare Ferreto vita functo ejnſmodi officium non potuit, quando ipſe Campeſanus tamdiu praeceſſerat Amicum ad regna mortis, uti nos idem Voſſius ante monuerat. Poſtremo autem fato ſublatum fuiſſe Campeſanum Aono 1313. conſtat ex ejuſdem Ferreti verſibus. Sed ut heic & aliud animadvertam, ſi Carmina illa cecinit Ferretus a recenti morte Campeſani, ut fieri ſolet, atque omnino veriſimile eſt, longe ante Annum 1300. natus videretur; eos enim verſus vix ah adoleſcentis ingenio prodiiſſe dicas. Et tamen Auctor eſt idem Ferretus, Anno 1311. Canem Grandem Vicentia potitum, ſeque *puberem tunc effectum puerilibus ludis ſe ſe exercuiſſe*. Haec ille Lib. V. Praeterea commemorata ingenti clade a Genuenſibus Anno 1298. illata Venetis in proelio navali ad Corcyram, ſubdit, ejus victoriae memoriam adhuc eſſe celehrem, quamquam *duo & triginta anni poſt ſumti laboris initium defluxere. Tunc enim aut infantiam agebamus, aut lactis ope deſitnti pueriles voces pulſato fingebamus auditu*. Quae verba hominem produnt Anno 1296. natum, & circiter Annum 1328. haec ſcribere aggreſſum. Praeter haec Vicentinus Codex *Orationem* mihi ſuppeditavit incerti Auctoris, quam etiam his additam volui. Ejus argumentum eſt in nuptias *Danielis de Ferreto, & Tuſcanae de Vulpe*, ibique fit excurſus in laudes Ferreti noſtri. Scilicet illic memoratur *Daniel Jacobi filius:* Jacobus vero aut filius aut nepos ejuſdem Ferreti fuit. Quo tempore habita fuerit hacc Oratio alii videant.

Animadvertent antem Lectores, non ſine affectationis umbra Vicentiam appellari a Ferreto *Cimbriam*, ejuſque Cives *Cimbricos*, uti & ſub *Faeſulanorum* nomine Florentinos, & ſub *Picenorum* Piſtorienſes deſignari. Satius certe fuiſſet uſitatis nominibus uti, quam incompertis; & potiſſimum quod haec a ſabuloſis Scriptoribus arceſſita ſint; illa vero non conſuetudine ſolum, ſed & veritate nitantur. Quod tamen acrius in legentium oculos incurret, cenſoriam virgam ubique Ferretus exercer, ad vltuperandum culpandumque quemlibet ſacile pronus. Ullum vix ille Principem, & ne ipſos quidem Pontifices Maximos, a criminatione immunes dimittit. Omnes Tyranni, omnes malis artibus addicti, ac impotentes io populos, ejus calamo traducuntur. Et haec quidem audire Lectoribus pleriſque gratum & delectabile; ac potiſſimum quod ille vitia ubique deteſtetur, virtutemque commendet: quod hominem probum, pravoſque actus omnino peroſum, oſtendit. Verum illi temporum accuratius penſanda erat conditio; neque enim inter tot inteſtinas furialeſque Urbium factiones, Populoſque Italicos ad ſeditionem in dies proclives, & neque pacem aut libertatem ſervare, neque ſervitutem pati diu volentes, placidis remediis locus erat. *Canem Grandem Veronae Regulum*, exempli cauſa, criminatur, quod Vicentia potitus, nonnullos inde Cives in exilium egerit, gravibuſque tributis Populum illum vexarit. Num ſecus fieri poterat Principi, bellum ſuſtinere, & Urbem conquiſitam adverſus Patavini Populi impetum tueri volenti? Et hic quidem ille Canis eſt, quem idem Poëta tot laudibus & ſingulari poſtea Poëmate ornavit, ut infra conſtabit. Paria dicenda ſunt de *Azzone Marchione Eſtenſi*, quem Ferretus, uti & reliquos ejus aevi Principes Langobardorum, Tyrannorum coetui accenſet, ac potiſſimum quod ille e Mutinae Regiique dominatione exciderit, non ob deformem ſaevitiam, facinoraque intoleranda, ſed propter Bononienſium hinc, & inde Parmenſium, ſeu Guiberti de Corrigia invidiam & odinm. Prudentis Lectoris erit aequiori judicio tum Ferreti narrationem atque ſententias, tum illorum temporum difficultates, animorumque varios motns penſare. Monebo tamdem, me ſingulis Libris rerum Epitomen, ſive Summarium, ut appellanr, praepoſuiſſe, quo facilins Lectores intelligant, quae ibi argumenta pertractentur, habeantque veluti ſubſidiarium Indicem Operis univerſi.



FERRETI VICENTINI HISTORIA.

EJUSDEM PRÆFATIO.

SI citò labimur, aut repentè deficimus, Naturæ tamen humanæ fragilitatem increpare non decet. Dierum autem noſtrorum, & vitę breve ſpatium ſi deſidiâ potiùs & ſocordiâ, quàm animi & corporis Virtute perficimus, meritò ab eadem, quæ rerum omnium magiſtra eſt, poſſumus juſtè redargui. B Non enim ob hoc nati ſumus, ut belluarum more degentes corporis voluptatibus obſequamur; ſed ut Deo primùm, & nobis, deinde ceteris accuratè laborantes, bene agendo, & conſulendo, laudabilem vitæ memoriam relinquamus. Quæ quidem non opibus, aut potentia decoratur, non rapinis, aut ſordibus illuſtratur; ſed in Lege Domini meditans Juſtu. per virtutis ſemitam ambulando vivit in ſeculum. Nec ſibi quis umquam famæ pretium, niſi bonus, & ſapiens acquiſivit. Ignavus verò & ſceleſtus in tenebris exultans, velut herbarum olera peribit. Cavendum eſt itaque, ne Vitiis adhærentes, Virtutis opera negligamus; Divinique muneris gratiam ignorantes, ad hæc, quæ perpetuanda ſunt, videamur ingrati. C Omnium namque beneficiorum, quæ nobis ad bene vivendi neceſſitatem, ſuffragante Divini Spiritus ope, ſunt tradita. præſtantiſſimum mihi eſſe videtur Literarum induſtria, per quam ea, quæ in Cœlo, quæ in Terra ſunt, ſobriè inveſtigando poſſumus intueri. Propter hanc quæ à Mundi

A principio uſque ad nos tot multis retro temporibus effluxerunt nota ſunt, & veluti præſentia forent, legentium oculis imprimuntur. Ob hanc etiam diſcimus, & docemus; reſque nobiles, facta ſplendida, & memoratu digna conſcribimus. Quis enim peregrè profecti, aut abſentis amici, niſi per Literarum notas ſtatum & ſecreta cordis intelligat? Quis commiſſa negotia, aut referenda multa menti ſuæ tam tenaciter imprimat, ut per temporis decurſum ea ſinè mendacii, aut erroris difficultate commemoret? Nulla quippe mens, nullus tam humano corpori eſt inſitus intellectus, qui rerum omnium capax, etiam ſi perpetuò vita ſufficiat, niſi fortè Divini Spiritus gratia ſpiret, longæva & antiqua B negotia poſſit mente apprehendere, & comprehenſa memoriæ mentique ſervare? Tot namque tantiſque pectus humanum aſſiduè curis affligitur, quòd præſentibus rebus inhærens, dum futura conſiderat, præteritorum obliviſcitur; quantumque elatus animus ad potentiam, & opes intentus, ceteris præeſſe deſiderat, eo magìs vitiorum labe depreſſus, continua quadam & inſatiabili corporis & animi anxietate torquetur. Solus verò Sapiens & Juſtus divinarum & humanarum rerum ſcrutator, quantum Virtutes appetit honeſtas, inveſtigatione delectatur aſſidua, & dum rectè vivit, tranquilla ſemper meditatione animi perfruitur. Tales olim fuiſſe Philoſophos antiquorum declarat auctoritas, C quorum in docendo, & in ſcribendo labor omnis, & exercitatio vigiliis & ſtudiis ſunt conſumti. Equidem omnes naturaliter ſcire cupiunt; ſed dum negligunt, noluiſſe videntur. Multi etiam dum aliorum ſcripta non intelligunt, ea vilipendunt; & eos ignoraſſe, ſe verò ajunt ſubtiliùs intelligere. Quòd ſi digna laus, & gloria

ſal-

ſaltem famæ ſcribentibus attribueretur, maximus illos ſtudii impetus cum delectatione vexaret. Sed inanis & vacua beneficiorum apud modernos ſapientia eſt, & ſola divitiarum multitudo Virtute languente præponitur; nec quid quiſque ſentiat, aut ſciat, ſed quid aut poſſit, aut habeat, communi admiratione cenſetur. Non tamen ſtudium Virtutis adeò negligendum eſt, ut vitiorum labe depreſſi ſolùm rebus mortalibus intendamus, ſed ut rectè vivendo, & bene agendo, in vita pariter ſpectemur, & morte. Hac itaque ferè omnes Sapientiæ cultores fuere tam promti, quorum quidam Philoſophiam ipſam tam Naturalem, quàm Communem, quidam Ethicam, quidam Poëticam Artem, aut Hiſtoriam ſuis explicuere documentis. Nos autem ſoli Poeticæ jugiter intendentes, ſatìs in ea more noſtro profecimus, quæ cùm difficillima omnium ſit própter..... ordinem conſervandi, ad eam, quam omnes delectabilem & ſimul facilem eſſe dijudicant, brevi nos intervallo contulimus. Hæc quidem Hiſtoria eſt, quæ non ſcribentium ſolùm, ſed etiam legentium, atque audientium omnium animos ad ſe miro quodam allicit intellectu. Quid enim in hac refert, niſi ut Nobilium clara facta ſignantes, veris titulis aſcribamus? Sic Patavinus Poëta & Hiſtoricus Albertinus Muſſatus dum faciliorem partem Scientiæ aſſumeret, ſui temporis geſta memoratu digna conſcripſit, ab Henrico Septimo Romanorum Rege ſui exordium laboris aſſumens. Fortè & alii in eadem materia verſati fuere, quorum opus nondum palàm eſt editum, tanta eventuum diétim accidit multitudo, nam imperfecta vulgo explicare non decet. Sed hic famæ avidus vix incœptum opus multis non tamen edidit, ſed oſtendit, in id tantum continuè vigilans, donec Annum ferè ſexageſimum ducens apud Clugiam, quæ Venetiæ pars eſt, vitæ ſuæ curſum ſpirando peregit. Clariſſimè quidem illum arbitramur ſcribere potuiſſe cum propter diſcreti animi ſui profundum ingenium, cum propter Scripturarum multarum lectionem aſſiduam, tum etiam quia Reipublicæ ſalubriter conſulendo multa vidit, & novit, quæ noſcere, vel ſcire non omnibus licuiſſet. Nunc autem cùm eumdem vita defecerit, dignumq; ſit tam ſtrenua facta, quanta noſtris temporibus confluxere, celebri memoria decorari, ſtatuimus ea, quantum Divini Spiritus gratia ſuffragabitur, novis literis illuſtrare, ne ſi ſteriles in otio torpeamus, ſacræ Virtutis opera deſtituiſſe videamur. Quid enim valet, niſi ſæpiùs exerceatur ingenium? Languet quidem & raro vileſcit in opere. Nec tantum ſeriem, quantum rei veritas judicabitur, ſed & tempus, & locum, quo certior fides ſit Hiſtoriæ, conſcribemus. Abſit autem ab animis livor omnis, & odium; nec amor aut metus, quid ſallum in mente ſuadeat. Nam dum rerum geſtarum ſplendida facta percurrimus, extra veri tramites ambulare non decet; nihil enim fictum aut molle ſibi poſcit Hiſtoria, nihil quod reprehenſibile videatur. Præbe igitur nobis animum, o Sapientia, tenebriſque ignorantiæ depreſſis mentem noſtram radio tui ſplendoris illumina. Tuque, Vicentinorum optime, cujus hortatu ad hoc opus impulſi ſudore multo vigilare putavimus, ea, quæ auribus tuis percepta à Federico Secundo citra memoriæ digna credideris, facunda tui relatione ſermonis ediſſere. Nam tibi & nobis pariter, ſi qua ſcribentibus laus deberetur, decus immenſum ſeries laboris hujus adjiciet.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

Conradus poſt Friderici II. mortem, ac deinde Manfredus Siciliæ ac Apuliæ Reges. Contra Manfredum accitus Carolus Andegavenſis utroque Regno potitur, qui & Conradinum ſubinde atterit. Ludovici Francorum Regis Sancti infelix expeditio in Africam. Siciliam Petrus Aragoniæ Rex ſibi vindicat, unde graves cum Carolo Rege ſimultates ac bella, pace tamdem compoſita. Rurſus à Caroli nepotibus in arma itum adversùs Fridericum Siculum, qui & à Jacobo fratre ſuo vexatur. Carolus ſinè Regno itidem in Siculum incitatus, ei tamdem Romani Pontificis gratiam impetrat.

ANNO MCCL.

Poſt Federici Secundi Romanorum Regis interitum magna creandi Cæſaris apud Germanos fuit orta contentio. Nam licèt idem Auguſtus, cùm inimicantis Eccleſiæ, & adverſantis fortunæ ſpicula jam metueret, Conradum natum ſuum in Sede Cæſarea ſibi ſubſtituendum decreviſſet, & voti ſui compos tantæ faſtigio dignitatis fidelium ſuorum animos comperiſſet: tamen ipſo denique rebus humanis ademto, & deficientibus Lantgravio Thuringiæ Duce, ac Comite Hollandiæ, quos Innocentius Quartus Romanus Antiſtes poſt memorati Federici depoſitionem in Adverſarii ſui exterminium ad Imperialis culminis faſtigium provocaverat, maxima Tribunorum & Principum Alemanniæ pro futuro Rege vexavit corda diſſenſio. Quorum nonnulli de Conrado malè judicantes, Caſtellæ Regem, quidam autem Rizardum Cornubiæ Comitem Regis Angliæ fratrem digniſſimos Cæſarei diadematis prædicabant. Effectumque eſt, ut dum tantæ rei moles in diſcordia traheretur, Schiſma non modicum inter Fidelium animos oriretur: quod ſentiens Papa jam dictus, odio nondum extincto, quod olim in Federicum exercuit, in prolem ejus, & ſanguinis ſui reliquias ſævire diſpoſuit; paratoque exercitu Apuliam violenter intravit, ut Manfredum Siciliæ Regis vice fungentem ex illa Sede deponeret; ſed morte præventus, antequam ſperato deſiderio potiretur, ibi vitalem ſpiritum exhalavit.

Poſt quem Alexander Quartus Prædeceſſoris ſui votum perficere cupiens, contra memoratum Manfredum exercitum jam paratum ſummo reſtauravit impetu; ſed fruſtra multorum copias armatorum effudit; nam repulſus dum potentem ſuperare non poſſet, ſterili deſtitit in propoſito. Conradus autem jam adultus, & ſi mortuo patre vix metuendus eſſet, nec Imperialis præeminentiam dignitatis, ad quam ſe olim non ignorabat electum, magno fervore repoſceret, Hieroſolymitani tamen & Siculi Regni ſe legitimum ſucceſſorem, & juſtum ſciebat heredem. Ad quod dum ſumma ope niteretur, jam de Manfredi poſſeſſoris iniqui, & fratris infidi probitate diffidens, tam nobilem Orbis partem ſibi jure debitam ſtatuit, etiam invito fratre, reviſere. Veritus itaque, ne Summus Antiſtes adhuc paternæ memor injuriæ in ſe rancore nondum digeſto ſæviret, tranſitumque ejus adverſis hoſtibus impediret, eumdem prius de motu propoſito per ſuos Legatos edocuit, petivitque, quatenus iter expeditum ſibi permitteretur, pollicitus numquam Eccleſiæ Ducibus adverſari.

A Quod intelligens Apoſtolicus, non tam avidus virum tantæ indolis ad gremium Sacræ Matris jam perditum revocare, quàm hoſtem ſuum capitalem cum hoſte confringere, ſecurus aditum illi data fide ſpopondit.

Proinde Suaviæ Dux, motis ſignis militaribus, & magna armatorum copia circumventus, citra Galliam Ligurum fines attigit, tamdemque navalis præſidii ope functus Apuliam fidelium ſuorum induſtria potenter invaſit; ſed Neapolim ſibi rebellem inventam, muris ejus in planum dirutis, turpi devinxit obſequio. Dum igitur ibi permanens, adverſante Manfredo ſibi, Regni ſui gubernatione privaretur, nec illum minis aut precibus flectere, neque vi ſuperare jam
B poſſet, dolore gravi compulſus, ægra cœpit ſui corporis invalitudine laborare. Dumque ſalutis opifices potionem utiliſſimam miniſtrarent, veneno mixto, ut ajunt, perfidi fratris hortatu Conradus extinctus vita pariter, & Regno privatur.

Sed quid non ſuadet Regni ſcelerata cupido?
Quid non impatiens conſortis dira poteſtas?

Teſtis hujus eſt Fratrum Thebanorum crudelis Hiſtoria, Cæſaris & Pompeji vetuſta memoria, quos ſola regnandi voluptas ad gloriæ certamen erexit.

Mortuo verò Conrado, ſuperſtes Manfredus Siciliam, & Calabriam ſibi ſub falſi Regis nomine mancipavit, regnavitque Annis ferè XII.
C donec Urbanus Papa Quartus Regnum illud tamquam ab hoſte Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ auferre cupiens, Saracenorum copias, quas idem ſacrilegus in Patrimonium Beati Petri, & ejus captionem miſerat, dexteræ ſuæ virtute proſtravit. Deinde Federici & prolem, & omnes ejus ſucceſſores indigeſto rancore peroſus, quum in eorum præcipitium, qualis ſibi impetus inerat, ſævire non poſſet, nequaquam ipſo Manfredo potentiori Carolo, fratri Regi Francorum, ac Duci Provinciæ Siciliæ Regnum, & Apuliæ Principatum, quod per mortem legitimi heredis Federici jam Eccleſiæ dotibus applicaverat, brevi moræ conſulit intervallo.

Accerſitus igitur novus Rex, ad Apoſtolicæ
D Sedis tribunal acceſſit, Regnique munus oblati non renuit; & ne tantùm ipſe titulum, rem verò alter poſſideret injuſtè, Manfredum de hujuſcemodi dignitatis re geſta per ſuos Legatos admonuit, hortatus, quatenus Regni ſui ſceptrum ſibi ſponte permitteret: ſecus autem, ſuæ indignationis pateretur aculeos. Sed ille velut taurus, qui ſaltus alienos, & paſcua dudum occupans, in repulſorem adverſum cornua ſuperba jam dirigit, verba non humili ſermone remiſit.

De-

Denique Carolus utpote ſtrenuus & acer in bello, dum ab hoſte ſuo parum, aut nihil ſe obtinere putaret, litis eventum factis, non verbis, ſtatuit decertare. Adjunctis itaque ſibi Picardis, quos in belli diſcrimine fuerat non ſemel expertus, aliiſque multis, quos aut Eccleſiæ cenſus, aut benevolentia civilis addiderat, navigio vectus ad Urbem demum appulit. Ubi Præſes effectus Senatorias Curules biennio gubernavit.

Sed inter hujus temporis ſpatium in Manfredum clandeſtinè meditatus eſt, quibus illum dolis, aut vi à Regno poſſet ejicere; denique cùm ipſum (ut ſæpe Principibus aſſolet) pleriſque Nobilibus, tum propter invidiam, tum propter Regni metum, aut occultas fraudis inſidias præſciret odioſum, ingenio potiùs, quàm viribus ſuperare diſpoſuit. Nactus itaque Caſertæ Comitis favorem, qui ob ſuſceptam injuriam Regis ſui cupiebat interitum, per tranſitum Ziparani fluminis Apuliæ fines nullo prohibente potenter invaſit: quod ſentiens Manfredus obviam ei maximas paravit copias armatorum. Carolus verò, cùm ſola Laboris Terra ſceptro Regio potiretur, ne ultra pergere ei liceret, metuens quidem munitas Urbes & Oppida bello ſuperare non poſſe, ac ſævientis hoſtis impetum vi repellere, ad Apoſtolicam Sedem pro ſubſidio implorando Legatos deſtinavit. Veritus itaque Summus Pontifex, ne pugil ſuus hoſti ſubſcriberet, Flandrenſem Comitem, cujus jam robur & fidem expertus in arduis Eccleſia fuerat, non minùs auro, quàm precibus ſolicitavit, quatenus ad opem Siciliæ Regi Carolo ferendam iter jam feſtinaret incœptum, de Regni introitu non fictè significans. Hic, ubi novum Regem, quem magìs benevolentiæ zelo, quàm affinitatis vinculo diligebat, Regni dati fines invaſiſſe potenter accepit, ne quid ei ſiniſtri occurreret, celeriùs ad expeditionem ſuſcepti laboris properavit, tamdemque Lombardiam & Thuſciam peragrans, ad Amici cupitum pervênit amplexum. Ubi cùm memoratus Manfredus jam maximum paraſſet exercitum, bellique dies fixus non procul inſtaret, tamen utpote fortis & audax, ac paternæ non degener probitatis, haud dubitavit cum hoſte pugnare; ſed ante diem ſtatutum depopulatorum impulſu, qui villas & agros latrociniis conſumebant, prœlium uterque ſuſcepit. Nam utrinque caſtris ferme ter mille paſſuum diſtantibus intervallo, ex haſtatis militibus Flandrenſis militiæ, non ampliùs quàm centum uſque ad Manfredi fixa diſcurrerunt tentoria. Quamobrem turbati hoſtes, fuſis undique copiis, in eo nullo ordine prolapſi ſunt, & ex ipſis nonnullos gladiis trucidantes, dum ad repulſam feroces intenderent, demum uſque ad Francorum caſtra nihil tale verentia pervenere. Tremefactus itaque Carolus potiſſimè, ne proditionis figura traderetur, commilitones ſuos ad arma ſumenda ſonis regalibus excitat, acieſque constructas è ſuis caſtris educit, & in Manfredi milites temerè diſcurrentes gladiatorum ſuorum ſigna convertit. Sic bellum utrinque magnum oritur; nam hi ad vindictam, illi verò ad repulſam trahebantur. Denique cùm Manfredi exercitus nullo ordine procederet, adverſique hoſtis militia optimi Ducis induſtria regeretur, victor Carolus non ſinè magna ſuorum ſtrage denuo triumphavit. Superatus autem Manfredus, cum paucis ſuorum reliquiis fugiendo Noceriam appulit, relictis belli machinis, & iis, quæ Regem decet in caſtris opulentum aſſumere. Deinde Eccleſiæ pugil, nondum cupito fortunæ blandientis fruitus obſequio, profugum hoſtem ſignis victricibus uſque ad ingreſſum loci jam dicti avidè perſecutus eſt, ipſumque profuſis undique copiis intra illa mœnia circumdedit. Sed obſeſſus Federici natus, dum parte nulla opem ſperaret, operiens maluit per virtutem mori, quàm inter murorum latebras longæ obſidionis mora torpere; aut ut ſperabat utique, furto, aut fuga per medios hoſtes evadere. Egreſſus itaque paucis comitantibus ſtrepitu equorum per agros fuſas excitavit excubias. Tantus inde clamor prodiit, quòd Regis vigiles ad uſque pervênit, qui ſcito Regem obſeſſum effugere, velocibus equis ad eumdem per obliquos viarum anfractus pervenere; ubi tamdiu pugnatum eſt, donec gladio ferè omnes utrinque prociderent, & ni Flandrenſis militia ſupervenisſet, quæ armorum tumultu belli locum advenerat, victor ibi Manfredus per fugam imminentis periculi caſibus evaſiſſet: ſed oppreſſus ab his, tamdem multis ſaucius vulneribus inter maximos hoſtium globos viriliter occidit. Hoc quidem Dominicæ Incarnationis Ducenteſimo ac Milleſimo LXV. Anno veterum ſcriptis fuiſſe, compertum eſt.

ANNO MCCLXV.

MOrtuo itaque Manfredo, ſuperſtes Carolus Siciliæ Regnum, & Apuliam, totamque Calabriam ſibi novo juſto ſubjecit imperio. Anniſque ferè duobus ſinè controverſia ſceptra continuit, donec Conradinus memorati Conradi genitus, jam pubeſcentis ætatis lubricæ viridi adoleſcentia circumſpectus, & forma egregius, pro aviti diadematis recuperatione Siculum litus viſere deſtinavit. Adjunctis verò ſibi Vandalicis, & Suevis, Nobilium ſuorum hortatu primùm è Tridentinis jugis Veronam acceſſit, deinde fidelium, & amicorum viribus ſumtis, per Langobardorum fines, & Thuſciam, demum vênit ad Urbem, ubi mirabiliter per Henricum Regis Caſtellæ fratrem, tunc & Romani Populi Senatorem, Regio more ſuſceptus eſt. Sed ne vehementi correptus ab impetu ad hoſtis præcipitium inconſultè procederet, ſe ſuoſque priùs competentis moræ diſpendio equis & armis utilibus reficiens præparavit; jugiter tamen conjurans in eum, quem dolendo Regni poſſeſſorem prædicabat injuſtum. Hæc dum in Urbe geruntur, multi tam Nobiles, quàm Plebeji, qui Federici, proliſque ſuæ zelo fervebant, ad eum copiis maximis confluxere; nonnulli etiam odio, ac invidia promoti jam audentes convenerunt. Proh Mundi ſemper invidioſa felicitas, omniumque votis amara potentia, quæ ſi cuique felix acceſſerit, neceſſe eſt illum livoris & odii fulmine percuti, & quanto ſibi parem invidiâ reſpuit eo magìs ſuperiorem præeſſe non patitur!

Cujus rei Carolus non ignarus, & ſi juvenem hoſtem temerè ſævientem, Majoribus & Potentioribus ſuis jam ſede projectis, nihil aut modicum timeret, tamen ne ſuapte fixus & hoſte neglecto per ignaviam parti ſibi Regni moderamine privaretur, urbem & loca, quibus major periculi metus inerat, gentibus & armis fidelibus præmunivit. Nam dementis eſt rebus in arduis, & caſibus fortunæ ſubjectis, quemquam elatè deſpicere. Poſtea verò quàm Conradinus refectis equis, & Miniſtris, ac fidelium ſuorum copiis paratis, invadendo hoſtem tempus elegit, viditque omnes belli machinas jam paratas, & omnium ſuorum animos ardentes ad pugnam,

illi-

A illico verſùs Regnum Apuliæ omine ſiniſtro militaria ſigna promovit. Sed illi priùs in fide fortunæ blandiens vultus arriſit; poſtremò autem gaudium in deſolabilem convertit anguſtiam. Militans itaque Federici nepos in Carolum, non qua urbes munitas præſenſit, aut qua hoſtes obice tenetentur, Regni cupiti fines invaſit; ſed unde timor cuſtos aberat, loci opportunitate functus, in Abrutii montuoſa prorupit: quod intelligens pugil Eccleſiæ verſùs eam partem acies & ſigna convertit, tenuſque caſtris hoſtibus ſua caſtra diſpoſuit; & ne pendens victoria longam traheretur ad moram, pugnæ diem & locum induciis brevibus ſtatui cum hoſte paciſcitur.

B Cùm verò belli dies tremendus inſtaret, acieſque ſuas Dux uterque certa lege ſtatueret, verſutus Regni poſſeſſor quemdam ex ſuis militibus Achilleo more Regis Gallici armis decoratum in fronte ſecundi cunei pro Rege conſtituit; ipſe autem ſub exigui collis anfractu cum maximo ſuorum cœtu longè delituit. Concurrentibus itaque primis utrinque manipulis orto jam Sole, tam acriter ab ipſis pugnatum eſt, ut uſque ad ſextam diei horam multis gladio interfectis, dum neuter cederet, ſævi Martis prœlium traheretur. Strenuus autem Auſtralis, & ſcientiæ militaris Dux, cùm ſuorum manus feſſas diurno bello jam cerneret, ſtragemque timeret, recentibus viris illos ſubitò reſtauravit, adverC ſamque aciem, dum furoris ſui rabiem pati nequirent, validis ictibus ſuperavit. Sed alter exercitus Caroli, in quo fictus Rex ſub aureo diademate militabat, motis ſignis ad opem ſociis ferendam belli viſo diſcrimine properabat, quem ſui jam terga vertentes irrevocabili fuga obvium confregere. Sequentes verò hoſtes gladiis crudelibus multos perimerunt, captivoſque quidem paucos ſervavere mancipio. Qui verò per fugam jugulis erepti, procul tantis abiere periculis. Conradinus iſthinc omnes hoſtis ſui copias meditatus confregiſſe, Regem etiam ipſum regalibus armis repertum occumbere, in bello vita deſeciſſe, cùm jam adveſperaſſet, nihilque dehinc ſibi metuendum fore putaret, militibus D ſuis nullo ordine diſcurrentibus hoſtilia caſtra ſubite permiſit, & opulentiſſimi Regis ampla ſpolia ſibi corripere, è quibus nonnulli ſudore multo flagrantes poſitis armis ſub umbra populea corporis æſtum blanda tempetie recreabant, quidam ſaucii vulnera ſua ſalutiſero curabant medicamine; pars autem maxima prædæ avida ſibi hoſtiles gazas equis, aut vehiculis ſubportabat; ſicque ferè omnes prædæ ſpoliiſque maximis inſiſtebant.

Ut verò Rex callidus hoſtes inermes, ac temerè militantes, & rapinis jam intentos accepit, ſubitò in eos fidis armatorum copiis circumventos irrupit. Illi autem ut quem bello peremtum ſuſpicati in ſe animoſo impetu fuE re viderunt, ignari dudum quis eſſet, acies ſuas fruſtra conati ſunt è caſtris diſperſas in globum revocare. Pauci quidem, quos inſtantis periculi metus angebat, ne quid per ignaviam ſiniſtrum accideret, circum Federici nepotem expoſiti, bellicas copias validis ictibus reſumſere. Sed diu pugnatum non eſt; nam pauci multos, & labore gravati recentes numquam aut rarò vincere conſueverunt. Denuo Suevorum Dux cùm impetum prædicti Regis pati non poſſet, in fugam paucis ſequentibus eſt converſus. Victor autem Carolus vix hoſtium ſtrage ſatur immenſa, gaudio jucundus emicuit, prædamque & rapinas omnes ſuis militibus dator prodigus erogavit. Deinde Conradinum, cùm de ipſo ſciſcitaretur, num ſaucius, aut interfectus, aut à quovis medius foret oppreſſus, verſùs Campaniam ſibi eripi per fugam accepit. Tum properè qui eum inquietis calcaribus ſequantur, ſubita meditatione delegit, captoſque ſibi arctis in vinculis adducant, aut repugnantes gladio perimant, crudelis edicit. Hi utique avidi Regis ſui mandata perficere, fugientem Conradi natum per nota veſtigia perſecuti, tamdem quò latebat rus optimum devenere, ubi per incolas nequidquam pretio corruptos in Conradinum ipſum, & Nobiles aliquot manus injecere violentas, ipſos quoque captivos velociter ad Regem adduxere. Rex autem ut hoſtem capitalem, nihil ei miſertus, aſpexit, gaudio repletus immenſo ne ira ſævicus langueret in mora, ipſum eumdem Federici nepotem, & tantæ propaginis unicum ſtipitem, ſecuri percuſſit. Nec ſolus quidem occubuit, ſed & alios multos clara ſtirpe progenitos, eodem ſupplicio mulctari juſſit. Et ne vivum hoſtem odiſſe, demortuum verò ingemiſcere videretur, illuſtrium virorum cadavera in loco profano ſinè ullis ſtatuit exequiis tumulari. At nullus ex hac tellure, de qua creatus eſt, non exciſi marmoris, partive lapidis auro ſignati honore magìs delectabitur. Neceſſe quidem eſt, idem ubique corrumpi, & in materiam propriam ſinè mora reverti. Conſiderandum verò nobis prorſus eſt, qua divinus animus & immortalis, donec carceri noſtro contrahitur, quum revocatus fuerit, ſtatione morabitur. Nam ſi virtutis, & bonæ actionis opere concomitabitur, ubi quies ſempiterna eſt, & beati gaudent in ſecula; vitiorum autem & ſordidæ voluptatis labe gravatus, ubi dolor & fletus ſunt, dignis cruciatibus ſemper arctabitur. Sic denique juvenis animoſus, & tantæ propaginis unica & ſtrenua ſoboles, fatis ſiniſtris interiit. Sic Carolus ſuperſtes & victor, capitalium inimicorum excidio potitus, Siciliæ Regnum, & Apuliæ Principatum, Regiis titulis jam tutus applicuit. Qui paratis denuo Regni partibus, dum ſibi ſecurus nihil labefactari metueret, ad pacificandas Thuſciæ partes pro amicorum ſubſidio meditabatur. Ibique Fæſulano Populo quoſdam rebelles, & inimicantia Oppida fide promiſſa vota perſolvens domuit brevi temporis intervallo. Sed hæc quia non multùm ſtrenua, inter ejus ſplendidiora facta Hiſtorice conſcribi digna non videntur.

Demum Siciliam & Apuliam repetens, per Nuntios fratris ſui Ludovici Regis Franciæ, qui jam advenerant, dum itineris cauſam ſciſcitaretur, accepit ipſum eumdem Francorum Regem ad recuperandas Terræ-Sanctæ partes, quas Infideles Saraceni in ignominiam Dominicæ Paſſionis & Crucis inhabitabant, prorſus intendere, & jam Sedis Apoſtolicæ Principem ſibi benignum, ac Navarræ Regem cum multis Chriſtifidelibus ad id opus ſacrum favorabilibus votis applicuiſſe. Quod audiens frater pius, non illi, quem totis animi viribus diligebat, Nobili in Regno torpere, ſed quatenus laudati propoſiti vota perficeret, opes ſuas omnes & vires ei liberaliter daturum perſuaſit. Adjecto itaque brevi moræ ſpatio cùm Ludovicus claſſem & arma jam paraſſet poſt divinum imploratum auxilium feliciter uſque in Portum Carthagini transfretavit, ubi cum Hoſtibus Chriſtianæ Fidei viriliter pugnans, Urbes & Loca multa victor intravit. Inde Tunicium, urbem maximam, viris & opibus circumſeptam impugnare decrevit,

quæ velut princeps & aliarum Regina habetur, & ad reſiſtendum jam Chriſti Militibus in ſe omnes ſui Regni vires aſciverat. Putabat Rex Chriſtianiſſimus, cùm hanc ſuperaſſet, facile alias poſſe convincere; ſed ah quàm fallax, quàm vana eſt cordis meditatio! Ille enim quum Exercitum ſuum circiter urbem opulentiſſimam caſtris diſpoſitis erexiſſet, bellique machinas, quibus illam ſuperare credebat, Fabrorum ingenio conſtruxiſſet, tantus in ſuorum membra languor irrupit, tanta aeris turbata corruptio, ut quaſi omnes ægritudine inſanabili torquerentur; ipſe etiam Rex dum doleret in ſuos, morbo depreſſus, ſibi jam præmortuis duobus filiis, quos ſecum eduxerat, ſublato etiam Albano Sacræ Sedis Cardinali Legato, tamdem ibi viam univerſæ carnis arripuit. Præfectus verò Fidelis Militiæ Rex Navarrienſis tam ſummorum Virorum jactura perterritus, Siciliæ Regi de tanta, & inæſtimabili ſtrage, & præſertim de obitu dilectiſſimi ſui germani per Literas & Legatos certiùs indicat. Hic ut exitium tantorum Principum intellexit, non minùs ceterorum Fidelium, quàm proprii fratris interitu condolens, veritus ne Chriſtianorum copiæ ſævientis fortunæ miniſterio poſt ſua vota deficerent, paratis equis & armis illico ad id loci, ubi Fidelis Exercitus militabat, navali præſidio ſtudioſus acceſſit. Igitur Crucis Hoſtes, qui in ſe potentes Chriſtianorum impetus ſentiebant, induſtria potiùs ac ingenio, quàm viribus reſiſtere cogitarunt. Erat namque collis ſecus urbem & caſtra, non ſaxis aſper, aut rupibus metuendus, quem loci natura propter ejus ariditatem, velut litus maris, effecerat ſterilem. Huc Saracenorum copiæ, quoties Auſter flabat in Boream, ſæpiùs aſcendentes, novum moleſtiæ genus in Crucesignatos invenerunt; nam arenam vento ſuſcitantes, exinde tanta pulveris nubes promovebat, ut Chriſtifidelium oculos, & cetera capitis ſpiramina graviter eadem ſæva nubes offenderet. Nec quidem hujus tormenti moleſtiam pati diu potuiſſet, niſi Divini Spiritus gratia ſuffragante imber maximus pulveris rabiem extinxiſſet. Hoc itaque Fidelium Exercitus metu liber, paratis belli machinis, & tormentis, quibus ad oppugnanda mœnia uti conſuevimus, versùs urbem illam acriter properabat. Metuens autem Tunicii Dux Chriſtianorum robur & impetum pati non poſſe, cum hoſtibus paciſci celeriter deſtinavit; deinde Cruciferorum principes per Legatos ſuos evocat ad concordiam. Illi magìs deſuetæ regionis intemperiem, & aeris turbati corruptionem, quam hoſtium ſuorum gladios verentes, ad hanc tranſactionis ſolidæ pactionem tamdem inclinari manſerunt; nam captivis omnibus hinc inde ſolutis effectum eſt, ut in Regno illo per Miniſtro Dei, & Chriſtianæ Fidei cultores divina Myſteria celebrentur; Rex verò hujuſce Regni in ſignum obſequii Siciliæ Regi Chriſtianiſſimo ſemper annua tributa perſolvat. Poſt hæc cùm uterque Fidelium Dux, quid dehinc agendum foret hæſitaret, redeundum ne, an ad aliam ſalubriorem Saracenorum partem proficiſcendum eſſet, Chriſtianorum exercitus adeò propter adventum Eduardi Regis Angliæ, & Friſonum viris & armis repletus eſt, ut Aſiam totam & Africam tanta diverſarum gentium multitudo vincere debuiſſet; ſed cùm Legatus alter ab Apoſtolica Sede profectus longi itineris causâ invaletudine contracta arte Medica curaretur, tamdem morbo increbeſcente migravit ad Dominum.

Terra etiam, quæ Sacra appellatur, quam invadere dicti Principes propoſuerant, ſolito Duce carebat; nam Patriarcha ibi pro Eccleſia conſtitutus in peregrinorum deſolatione jam morte defecerat. Ipſa quoque Sedes Apoſtolica, quæ Fidei noſtræ robur in ſe continet, tunc ſuo Gubernatore vacabat. Sic denique Fidelium copiæ, cùm ſpe Ducum ſuorum malè firmarentur, bono defecerunt in propoſito, ſeque per fugam ab exercitu ſubtrahentes velociter abierunt. Fuſis itaque ſapientium Virorum in ſummo Rege copiis, Carolus Siciliæ Rex, dum gravibus eſſet curis anxius tam de Regno Francorum propter mortem fratris vacante, quàm de acquiſito ſibi Regno Siciliæ, adjectâ aliâ ſui receſſus causâ, versùs Apuliam ſuum iter celeravit; ſemper enim ne illud inimiciſſimus ſibi Petrus Aragonum Rex dolo aut furto ſubtraheret, metuebat. Nam is, dum Conſtantiam memorati Manfredi natam, quam ſibi per Matrimonium copulaverat, deficiente linea tantæ ſobolis, Regni Siculi fore juſtam heredem, & legitimam ſucceſſorem prædicaret, ſemper ad ejus ditionem totis viribus intendebat. Ut ergo Trinacriæ Rex Fidelium reliquias, quæ adhuc in Saracenorum odium flagrabant, ſpe polliciti reditus & bonæ actionis perſuaſione firmavit, adjuncto ſibi Rege Navarriæ, qui ex Africa rediens graviter ægrotabat, Siciliam tamdem paucis comitantibus appulit; ubi memoratus æger cùm ſanari non poſſet, morte convictus manſit in Sicula regione ſublimatus.

Petrus autem Rex Aragonum non jam fictum ſui rancoris odium exercebat in Carolum, ſed ſatis palàm ad ejus ruinam jugiter ferebatur; cujus rei Carolus non ignarus eumdem non minùs mutuæ relationis habitu reſuvebat. Quod cùm Sedis Apoſtolicæ Cardines, & Francorum apicem non lateret, dolentes tam ſummæ probitatis ac induſtriæ viros, quales eo tempore nullos fuiſſe didicimus, ſævæ turbationis impetu, & malevolentiæ gladio dividi, ſæpe conati ſunt illos vinculo caritatis, & amore puræ dilectionis amplecti. Sed fruſtra, ubi de potentia, de gloria, aut honoribus agitatur, concordiæ miniſter intervenit; nam humanæ mentis cupido tanta eſt, tam inſatiabile deſiderium, ut niſi potentior totum capiat, numquam à ſeveritate deſiſtat. Quumque Petrus hortatu Joannis à Procita ſpe hujuſce Regni ardentiùs vexaretur, ſpopondit ei, ut quoties aditum videret Siculæ Regionis, neglectâ potentiâ Caroli, ſubintraret. Perſuaſor autem utpote qui Carolum odio nimis habebat, quum ipſum propter Generi ſui Balduini ab Imperio Conſtantinopolitano expulſionem, Palæologum, qui tunc regnabat, inimiciſſimum fore non dubitaret, ipſum eumdem Palæologum, & Græcorum gentem amicis verbis aggreditur, admonens quatenus ab ira & potentia Caroli ſibi prævideat, nam ille claſſem maximam adversùs ipſum Romaniæ Principem, ut in ea Sede Balduinum apponeret, tunc parabat. Cujus Palæologus metu compulſus ſupplicavit, ut ſi quid operis & conſilii pro Regni ſui tutela meditatus eſt, ſibi leviter aperiret, ſeque id facturum fide pollicetur. Ille autem, qui jam in mente conceperat, quæ dicturus erat, ait: *Bone Rex, ſcio te Caroli viribus non poſſe reſiſtere; ſed ſi pecuniam & opes maximas mihi dederis, inveniam alterum, qui auro carens vires habet ad reſiſtendum.* Lætatus Præſes opulentus credidit ei, & aurea talenta dedit, quot in Carolum conjurans appetiit. Reverſus idem hoc Aragonum Regi indicat, pecuniamque ſummam obtulit, pollicitus quantum opus fuerit ad rei meditatæ conſumma-

tio-

tionem prodigaliter exhibere.

Petrus munus oblatum accipiens jam perſuaſoris ſui fidem & probitatem expertus, ſpe ſua potiri poſſe concepit; deinde navigium maximum apparans, quo carebat, ad Sedem Apoſtolicam perſuaſoris aſtu Legatos deſtinavit, opem expoſcens ad id, quod contra Inimicos præmeditatè parabat. Ratus autem Summus Antiſtes illum contra Saracenos exercitum movere, quos ſæpiùs in bello ſuperaverat, rei petitæ munus exhibuit; unde perficiendi opus conceptum ſibi major crevit audacia.

Carolus autem de Regno ſuo ſemper metuens, ne quid ſiniſtrum accideret cùm de hujuſce apparatu valde magno ultra conſuetas hoſtis ſui facultates, magis timeret, anxius noſcere, ad quam ille Orbis partem intenderet, relicto unigenito ſuo Carolo nato in Sede Regia vice patris, per Thuſciam, & Longobardorum fines tranſiens, Francorum ad Regem ſtudioſius acceſſit. Rogitavitque, ut idem Rex Regem Aragonum de propoſito laboris ſui ſolicita inveſtigatione perquirat. Qui dum ſciſcitantis Regis, quò intenderet, Literas accepiſſet, retulit, ſe ubi eſſet deſiderium antiquorum velle proficiſci; opemque ſuam ad hæc tamquam à Chriſtianiſſimo Rege fiducialiter imploravit, à quo & certam auri quantitatem ſubſidii gratiâ ſupplex accepit.

Interea cùm idem Petrus Rex Aragonum navigio jam parato, viris & armis præſtolantibus diem belli, opportunitatem invadendi Siciliam fidelium ſuorum ope vidiſſet admotam, illico puppes omnes, & foros navium ſolvit à litore; tamdemque navigio celeri functus Meſſinæ Portum feliciter attigit. Cui occurrentes tanti facinoris præſcii Nobiles & Potentes Regni illius liberaliter ſe præbuere; nam ipſi jam Ducibus, & Præfectis à Carolo cum omnibus copiis ſuis gladio nequiter interfectis, hujuſce Regni potentiam ſibi per ſcelus mancipaverant. Sic Rex novus Nobili Siciliæ Regno, faventibus tam Nobilibus quàm Plebeis, nullo ſibi adverſante, potitus eſt.

Hæc autem ut Carolo nuntiata ſunt, adeò gravis jacturæ dolorem accepit, ut vix illum ſuſcepti quondam gaudii memoria delectaret. Confeſtim igitur de Apuliæ Principatu valde timens, versùs eam Orbis partem celeravit, invênitque jam Natum & Proceres in conſilio capiendo languentes. Ut ergo Principem ſuum adveniſſe viderunt, ſpe magna confidentes, in hoſtis ſui Capitalis præcipitium magnanimiter clamaverunt. Carolus verò paratis armis & equis, Claſſe in Siculum litus cum exercitu magno prorupit, ibique juxta Meſſinam, ceterarum urbem nobiliſſimam, exoſum hoſtem potenter obſedit. Cùmque poſſeſſor violenter occurrere non auderet, illum, quem magis verebatur, de obſidione tanta viriliter increpat, velut dolere videretur de ſtrage maxima Populorum, aſſerens fore meliùs, ut tanta res per duellum, quàm bellum decideretur. Quod magnanimus Rex & audax non moleſtè intelligens, cum hoſte paciſcitur, ut apud Burdigalas Angliæ Civitatem opulentam lis hæc præfixa die per centum utrinque delectos ex equeſtri ordine pugiles terminaretur. Deinde uterque ſeceſſit, hic trahens ſuum exercitum in Apuliam, alter militans ad Aragones certamen inter ſtatuti temporis ſpatium viris & armis decentibus præmuniti juxta decreti loci clauſtra denuntiant. Nec ſolùm hoc tantorum Virorum certamen Trinacriam ipſam fama replevit, ſed vix totum Orbem tantæ dimicatio-

A nis ſtupor invaſit. Quod ſciens Rex Francorum de invictiſſimo ſibi Carolo metuens, quatenus pugnantes in certamine ſepararet, versùs eam partem, ubi plurimùm trahebatur, inclinavit. Petrus autem dum hoc ſciret, veritus de dolo, Regi maximo ſuis literis indicavit, non decere, ut idem in externi Regni finibus oberraret, ſeque à tanti belli ſpectaculo contineat dehortatur. Cùmque Rex ipſe à propoſito ſuo non deſiſteret, & locum, ubi pugnæ crudelis res agitari debebat, ſtudioſiùs obiiſſet, appropinquante die ſtatuta certaminis, Rex Aragonum Francorum aſtutias, & ſuperbiam jam expertus, timuit illo intereſſe, ne dolo potiùs, quàm hoſtis virtute ſuccumberet. Sed ne fidem hoſti datam fallere di- B cereretur, ſub amictu plebejo iſtuc vênit ignotus, die qua pugil uterque prœlium congredi ad invicem ſibi polliciti ſunt, & ſubiens per clauſtrum jam paratum, multis audientibus, adveniſſe ſe intra diem & locum ſtatutum proteſtatur, non ſic tamen ut debuit, quum propter Regis Francorum infidelitatem, qui rogatus non venire prorſus vênit, dolo tradi metueret. Inde veloci equi curſu versùs Regni ſui partes correptus, inter fidelium ſuorum amplexum propter ſpem eorum ſecurus acquievit. Carolus verò cùm ſe fidem ſervaſſe, perjurum autem hoſtem ſefel iſſe prætenderet, ſeque ob juſjurandum ſervatum abſentantem hoſtem ſuperaſſe fateretur, & illum velut victum & degenerem auſum non fuiſſe ſe- C cum in certamine congredi, petiit quòd victus hoſtis ablatum ſibi per fraudem Siciliæ Regnum jam dimitteret.

Quamobrem negantem, & nolentem Regni gubernationem juxta pactionis ſtatutæ formam ſponte dimittere, bini Reges amoris & ſanguinis tanta fœderatione conjuncti, ut adeò major eſſe non poſſit, paratis equis & armis, & amicorum copiis infinitis, in Aragonum perjurum Regem, tamquam reum læſæ fidei, exercitum maximum perduxere, & inter Regni ſui fines omnia ferro & igne depopulantes, uſque ad urbem, in qua memoratus Petrus præſidens viriliter exiſtebat, devenere, circiter ſua caſtra paſſim diſponentes, ſeque ibi manſuros, donec vi aut fame ſuperatus D hoſtis occumberet, ſtabili deſtinavere propoſito. Sed quàm fallax ſibi eſt humanæ curæ meditatio! quàm demens propoſiti noſtri facilitas dum citra divinæ voluntatis arbitrium nobis futura ſubjicimus! Hi enim Reges Dei potentiam ignorantes, ſic iniquitatem facere meditantes ſtabant; ipſe autem, qui æternus eſt, & cui omnia ſubjacent, nequam illorum conſilium alia meditatione ſubvertit. Nam dum caſtris ſordentes, luxu ciborum malè abutentes, & interdum nimio labore gravati forent Duces ſuperbi, multis jam ſuorum noviſſimo labore correptis morbo, invaletudinem contrahentes in ſalutis ambiguo è caſtris ſuis cum omni exercitu ſecedere ſunt coacti. Sed demum Rex Francorum, cùm jam incu- E rabilis eſſet ægritudo ejus, morte convictus eſt. Carolus autem dilectiſſimi conſortis ſui ſolutus in amplexus, deſolatione maxima obrutus inter tanti doloris cruciatum fortis evaſit, jugiter tamen inimicam ſævientis fortunæ crudelitatem incuſans. Ut verò morâ temporis dolor ejus paululum ſedatus acquievit, diebus multis ad exequias conſumtis, qualiter Regem decet efficere, in Provinciam, qua ſe titulo Comitis decorabat, triſtis advênit. Ubi contra Siculos exercitum ſtatuens, Nato ſuo, qui Neapoli vices patris abſentis Regio more ſupplebat, per ſua ſcripta ac fidos Legatos edicit, ut & ipſe claſſem, viros & arma parer, & ex Apulia cum omnibus copiis

militantibus Siciliam appetat; non ante tamen, quam belli dies ſtatutus advenerit: ad id loci & ipſe Genitor cum exercitu ſuo venire ſpopondit. Horum verò Petrus non inſcius, paratam Claſſem, quam circa Siculum litus collocaverat, ac viris & armis repletam, uſque Neapolim depopulandi rapiendive causâ, priuſquam hoſtilem impetum pateretur, cautè dimiſit; præfecitque huic militiæ virum ſummæ probitatis & ingenii nomine Rodigerius de Loria. Hic quum Apuliæ fines violenter jam attigiſſet, demum uſque litus Neapolitanum devênit: de quo indignatus jam adultus Caroli Regis natus unicus, utpote qui juventutis ardore flagrabat, ad reſiſtendum hoſtibus ſe præter ſeniorum conſilia, paternæ legis impatiens tranſgreſſor, objecit. Nec quidem qualis debuit, ad bellum modus aut ordo eſt ſervatus ab ipſo; ſed temerè percurrente in hoſtem, ſubitò copiæ ipſius à cauto Ductore hoſtilis exercitus fuſæ ſunt, ubi tunc multis ſuorum gladio peremtis & captis, & ipſe ſuperatus adducitur. Hæc autem, cùm ad aures genitori ſui fuiſſet delatum, qualis, & quantus dolor ipſum invaſerit, nemo niſi ſit fortè ſummæ dementiæ poſtulabit. Nam quum is ſublati ſibi Regni jactura graviter premeretur, gravìſque defuncti Regis Francorum morte doleret, tertio a hac illum jaculo feriens fortuna uſque ad cordis ſecreta penetravit. Tunc velut amens fuga præcipiti Romam priùs, deinde Apuliam metu comprehenſam celeri navigio functus applicuit, ubi ſiniſtrum rei eventum ſtudioſè perquirens, nati ſui temeritatem verbis rigidis increpavit, magìſque captivis, & telo foſſis, quàm unigenito ſuo compati viſus eſt. Deinde quum in hoſtem capitalem jam ſævire nequiret, vitam aſſiduo conſumebat in luctu, donec ſenio vix confectus, triſtem degens vitam miſerabiliter terminavit. Sed ne Principatus Apuliæ generis ſui Duce careret, Carolum Martellum nepotem ſuum ex captivo nato ſuo Carolo primo ſumtum vice patris ſui Regio diademate decoravit, ut ſi idem captivus carceris angore ſubtractus, aut imminentis fragilitatis vitio corruptus moreretur, natus ejus, licèt puer adhuc, in Regno jam ſibi parto ſuccederet; cuſtodes quoque & altores eidem, qui nepotis & Regni curam haberent ex fidelibus ſuis aliquot Primates inſtituit, quos inter Comes Artenſis, qui animi & corporis virtute pollebat. At victor Petrus, & ſuperſtes adhuc, ut inimiciſſimi ſui fatum accepit, de morte ejus queri viſus eſt, quaſi non ipſum ſpiraſſe vellet; ſed gaudio magno repletus probitatem ejus, cùm jam ſibi metuendus non eſſet, laudavit immensè.

Carolum autem, & alios Nobiles, quos in vinculis arctaverat, quo tutiùs ſervarentur, uſque ad Regnum Aragoniæ deferri juſſit, ibique eos cuſtodiri voluit, donec tumeſcentibus priùs animis elati Duces, jam exorabiles ad concordiam poſt multam virorum ſtragem devenere placati. Sæpe enim fit, ut qui placari non vult, poſt ſuſcepti dedecoris factum manſueſcat in humilem. Intervenientibus itaque pacis auctoribus, inter quos Apoſtolicæ Sedis Princeps, ſuadentibus Francorum, ac Majoricæ, & Angliæ Regibus, & tantæ rei molem urgentibus, interque certis pactionibus pro fide ſervanda, iidem captivus, & liber ad concordiam nitebantur. Sed quum tanta res ſubitò terminari non poſſet, ac indecens videretur, eum, qui captus ſervabatur, paciſci cum libero, ne fortè ſe vi aut metu compulſum tumefactus objiceret, factum eſt, ut Carolus dato ſuæ Prolis obſide ſolveretur, liberque in Apuliam reverteretur, & ut ceteri, qui ob bellorum tumultum confracti in vinculis tenebantur, hinc & inde dimitterentur priſtinæ libertati.

Carolus autem, qui mortuo jam Patre victoris judicium metuebat, pacis interpellationibus acquieſcens, mandavit, quatenus Tarenti Princeps natus ejus Rubertus cum altero minore fratre ſuo uſque Siciliam advecti, loco Patris mancipati premerentur. Nec quidem placuit, Primogenitum Carolum Martellum, qui prior ei ſuccedebat in Regno, obſidis ignominia deturpari; Ludovicus verò ſecundo genitus miniſterio Sacræ Religionis jugiter intendebat. Miſſus itaque Robertus & cum eo Nobiles multi (quum jam alter germanus minor ægritudine laboraret) Siciliæ Regi violento pro patre ſuo carceri mancipatus eſt, & liber demum Carolus hoſti jusjurandum ſervare coactus fidem ſpopondit, ſe contra victorem ſuum ampliùs non militare, & ea, quæ per pacis auctores ſtabilita fuerant, ſolemniter cuſtodire. Deinde Apuliam repetens, Lombardiam, ac Thuſciam peragravit, & tandem Romam profectus, Calabriæ fines deſerens, Neapolim cum tota Prole, Domoque intravit, à qua ferè VII. Menſibus poſt navale prœlium ſuperatus abſentaverat. Interea quum pacis amatores de concordia laborarent, Siculique Regni poſſeſſor jam adeptâ ſibi victoriâ tumefactus, alteri ditiſſimam Inſulam negaret prorſus reſtituere, & ſuper hoc potiſſimè uterque contenderet, quo faciliùs per corporum nexum fieret animorum conjunctio, factum eſt, quatenus Carolus natam ſuam Federico Petri primogenito, Petrus verò ſuam Roberto captivo ſuo per matrimonium copularet, ſicque Captivus liber reverteretur ad Patrem. Sperabatur enim ex mutua relatione conjugii tumentes Reges minùs poſſe convinci. Legatis itaque à Petro tranſmiſſis in Apuliam, proba mulier Federici conjux futura decernitur, eique muneribus multis ac honeſtatis dote præfulgens mittitur; quæ ut Siciliam felix advênit, continuatis ibi diebus octo circa regales epulas, & convivia maniſeſta, ipſe Tarenti Princeps Robertus jam liber effectus, & Conjuge ſua potitus, diſceſſit à ſocero, ſecumque capitalis Hoſtis natam non turbatus advexit. Quos Pater ejus Carolus gratè ſuſcipiens, pari honore dies multos genio celebravit. Sed ne latens odium, quod immeritò tacitus obſervabat, ullam avaritiæ labem cernentibus proderet, Nurui ſuæ cultum opulentiſſimum in ſignum piæ dilectionis donator prodigus erogavit, omnem jam rancoris extinctam in ſe demoſtrando materiam: quapropter ſuperborum Ducum invidiam, & tumeſcentem ipſorum ſuperbiam ferè omnes pari judicio quieſcere præjudicabant, putantes dehinc pacem corporibus & animis pariter adipiſci.

Petrus autem jam de hoſte converſo nihil extra fidem datam malè cogitans, cùm in ſenium non minus annis invaleſcentibus, quàm bellorum laboribus urgeretur, poſt biduum à nuptiis celebratis, Federico primogenito ſuo, jam ad Aragonem cupiens proficiſci, Siciliæ Regnum peramabiliter commendavit, utque curam ejus habeat ſolicita meditatione verſutus imponit. Tunc de Nati probitate confiſus feliciter abiit; ſed dierum ſuorum gravitate compreſſus, morbo ſubveniente, tandem morte ſuperatus occubuit, natum ipſius Jacobum Federico minorem Regni Gubernatorem digna inſtitutione decernens. Quod ut Carolo ſignificatum eſt, quamquam de capitali inimici ſui fato inter mentis

erga-

ergaſtulum gaudio duceretur immenſo, tamen A fuæ in nuru aſpectu & cœtu Procerum viſus eſt ad lachrymas dolore compelli, tanti viri probitatem & induſtriam mirificè verbis laudabilibus proſecutus. Hæc inter dum idem Carolus rerum ſuarum curis ſobriè vexaretur, primogenitum natum ſuum Carolum Martellum jam adultum ad Hungariæ partes, quibus Rege ſuo vacantibus eumdem Sedes præfecerat Apoſtolica, ut Patri ſuo de re perdita provideret, honoratè tranſmiſit: ubi idem ſeptennio potenter imperans, natis duobus relictis è conjuge, vitæ ſpatium feliciter terminavit. Ludovicus verò Sancti Franciſci Regulæ dedicatus, Deo devotus, & vita laudabili ſerviebat, quem poſt lapſum vitæ ſuæ curſum Johannes XXII. Romanæ Sedis B Antiſtes ſub ætatis noſtræ curriculo Sanctorum conſortio dignum meritis reverenter adſcripſit. Inde Robertum natum ſuum moribus conſpicuum, & ſcientiæ ſtudio laborantem, (quales nobilium liberos raró comperimus,) Apuliæ Ducem fratrem verò ejus diebu paucioribus pubeſcentem Tarenti Principem juſſit denuo vocari: Qui poſtquam Juventutis arma feliciter induere, (cùm de generi ſui Federici violenta detentione Siculi Regni Carolus ſocer ſuus maximè turbaretur, volens quatenus ſibi jure debitum, & violenter ablatum ſponte remitteret) Patris ſui cupiditatem votis conſiderabilibus ſupplere diutiùs conabantur, poſcentes, ut invito Patre poſſent id agere. Ille autem, ut- C pote qui magnæ indolis, & ſtrenuo Patre natus, rem tantam ac nobilem, & ſibi per dolum ereptam cauto dedignabatur ab hoſte, natis jam tumefactus adultis, id Regnum omnibus quibus poſſet reparare deſtinavit inſidiis. Quumque juſjurandum à ſe promiſſum violare metueret, ne de perfidia criminaretur, exercitum maximum adversùs generum Siciliam invaſurum potenter inſtituit, in quo nobilibus multis & plebeis ex ſua gente ſimul adjunctis, natos duos Apuliæ Ducem, & Tarenti Principem belli ducibus, & equitum Magiſtris omnibus regia dignitate præfecit. Mandavitque, quatenus cùm Siculum litus adiverint, bina caſtra exercitus contra hoſtem conſtituant, nec inde diſcedere, priuſquam D Regni ſui detentorem injuſtum præcipitaverint è ſede non merita.

Hi autem genitoris ſui mandata æquo animo pariter verentes, & avidi votis ejus obſequi, diligenter copias jam paratas puppibus commendantes, per æquora ducti, tamdem Meſſinæ Portum exultantes devenere. Ubi cùm hoſtis ad reſiſtendum impotens, certameo cum eis aſſumere non auderet, paſſus eſt in ſuo litore puppes adverſas non ſponte ſubducere. Tunc animoſi Duces Levin ſuo cauſam adventus per Legatos ſignificantes, quum audacter eis rem petitam prorſus reſtituere negaret, acriter querens, ipſos, & ſocerum contra pactiones olim E factas perfidiùs agere, ſeque paternæ legis memorem jusjurandum inviolabiliter cuſtodire, virorum copias & arma telluri, puppibus relictis in tuto, credidere, exercituſque duos ſecundùm patris voluntatem ſecus Meſſinam, qua capitalis hoſtis latebat, unum inter litus maris, & Urbem Regalem, alterum juxta Drepani fines conſtituêre viriliter, in quo Tarenti Princeps Dux præfectus, paucis quos maluit ſecum adjunctis, majoris turbæ curam fratri neglecto hoſte remiſit.

Federicus autem, ut eos, pro quibus nihil tale verebatur, indiſſolubili Prolis & Matrimonii vinculo tenaciter irretitus, tam inimicabiliter adversùs ſe ipſum ſævire conſpexit, ira vehementi promotus, non ideo de qua prolem jam ſuſceperat, conjugem increpavit, ſed in adverſis fortiter militans, Fidelium animos junctos ſibi comperiens, audax effectus in denſas hoſtium acies ſæpe ſatis expoſitus irruebat, multos gladio perimens, & unde venerat per id loci rediens, tutis ſe murorum latebris refundebat. Quod Tarenti Princeps non ſinè moleſtia ferens, dum fratrem ſuum, viribus & fama ſuperare niteretur, ejuſque moras ad bellum pati dedignaretur, iterum præter ſuorum voluntatem hoſtis de prœlio committendo per Legatos certiſſimus explicat. Hic gloriæ avidus pugnam non renuit, ſed cauto ſermone paciſcitur unus dimicare cum uno, quippe cum duobus concurrere non ſit decens. Ille ut hoſtem aggredi prœlium velle ſtudioſus accepit, fratrem hoc latêre diſpoſuit, per invidiam ductus, ne partâ victoriâ, hoc tantùm fraternis laudibus aſcribatur. Temerè igitur acies ſuas hoſtilibus longè pauciores, ſtatuta die belli, præter ſcientiam fratris in globum acuens, dum ipſum nihil aut modicum vereretur, non diu memoratum hoſtem, virorum copiis circumventum expectans, eumdem ſibi viriliter reſiſtentem vix propoſito turbatus invênit, ubi acriter dimicatum eſt utrinque. Tamdem Tarenti Princeps, fuſis ſuorum copiis, in bello ſuccubuit, captivuſque cum multis, quos amor ſibi vinxerat, non veſana temeritas, intra tutum Meſſinæ vallum adducitur. Dux autem Apuliæ, ut fratrem ab hoſte ſuperatum accepit, non patienter id ferens, Procerum conſilio functus, exercitum ſuum illico revocavit, & cum puppibus recedens velociter Apuliam attigit, idemque patri fratris temeritatem, & ſuorum ſtragem triſtiſſimè denuntiavit. Quod ut Carolus filio referente accepit, nati dementiam, & robur ejus imprudens, æquè damnavit. Denique Regni ſui fines ab hoſtium depopulationibus cuſtodiendos non longa temporis ſtatione decrevit, ſed ad Apoſtolicam Sedem tamquam ad matrem optimam, cui de lugubri facto quereretur, veloci motu ſe corripuit, quam Bonifacius VIII poſt reſignationem Cœleſtini V. tunc magnificis conatibus obtinebat.

Hic ut Caroli triſtem caſum, & ejus querelam turbatus accepit, condolens ſecum, tam ſiniſtri caſus eventum in Eccleſiæ pugilem & alumnum crudeliter irruiſſe, ne dolor tantus grata conſolatione careret, opem, & Paſtoralis virgæ favorem adversùs generi ſui nequitiam liberaliter ſe daturum pollicitus eſt. Ille verò modicum conſolatus, promiſſi favoris gratiam verenter aſſumens, ad vindictam pro injuria ſuſcepta jugiter intendebat; diuque ſecum meditans, quibus ipſe modis generum ſuperare poſſet, hoc potiſſimùm multis abjectis occurrit in animo. Sciebat enim, Jacobum hoſtis ſui germanum jam fraternis invidere ſucceſſibus, eoſque rancoris & odii manifeſto flagrare incendio; nam ea, quæ ad ſubvertendos animos etiam ſe diligentium potior cauſa ſubſiſt, malorum omnium radix, & ubi de potentia, regnove, aut opibus agitatur, effrenis ſuperbit, dum ſolus parem habere non patitur, & omnia ſibi cupit amplecti, illorum animos in litem adduxerat. Querebatur namque novus Dux Aragonum de perfidia Federici, aſſerens ipſum communis Regni privata poſſeſſione gaudere, rerumque ſuarum eumdem partem optimam delegiſſe, ad quam & ipſe natu minor vocabatur; alter autem pro ſe Siculi Regni moderationem ſibi jure debitam tam Patris decreto, & uxoriis do-

tibus,

tibus, quàm natalitiis juribus allegabat, nec minùs ad Patrimonialis ſuppelectilis portionem, cùm ad id tempus affuerit, ſolicitis votis incedere.

Quamobrem ſuperbi Duces, invidiæ pariter, & avaritiæ ſumma labe corrupti, fraternæ dilectionis zelum in odium hoſtiliter convertêre. Carulus itaque hoc ſciens, Apoſtolica ſecreta propalavit, & Jacobum tam precibus, quàm muneribus perſuaſit fore tentandum, ut ad Eccleſiæ Matris benignæ gremium ſponte perveniens, in adverſarios ejus & hoſtes opem & vires ſuas exponere non negaret, præmia adhuc digniſſima pro meritis habiturus. Sic enim Fedricum facilè ſuperari poſſe ſtudioſus admonuit, cujus ſecretum Papa conſilium laudans, ad id proſequendum magnis conatibus dicebatur. Tunc Legatos ſuos Aragonum properè dirigit, qui Jacobo ſecreta ſibi Legationis commiſſæ aperiant, perſuadeantque ſibi, quòd Eccleſiæ votis debitè ſubveniens, adversùs hoſtes ejus auxilio non deficiat, pro hujuſce meritis dona ſibi grandia recepturus. Hic jam à Carolo certificatus de his, quæ Romanus volebat Antiſtes, retulit Legatis ad eum miſſis, æquum non eſſe, ut idem adversùs fratrem ſuum hoſtiliter militaret; quòd ſi ſacer Princeps Eccleſiæ ipſum ad hæc per Edicta verenda prorſus impellat, ſe licèt invitum, Dei magìs quàm Hominum offenſam metuentem, neceſſe quidem eſſe favorabiliter obſequi. Cupiebat enim fratris ruinam; ſed ut omnis objectio cauſa legitima veſtiretur, compelli voluit, ut ad hoc invitus videretur accedere; gaudebat enim in fratris præcipitium, ejuſque ſucceſſibus invidens, Regno ſibi negato etiam potiri meditabatur. Cujus rei non ignarus Sedis Apoſtolicæ Dux, Carolo ſuadente, ſtatuit adversùs Federicum binos exercitus, unum Caroli viribus ſumtum, alterum quidem cenſu ſacræ penus emtum: quibus Jacobum ſæpe dictum præficiens tamquam virum ſummæ probitatis, ac Paſtorali Virgæ devotum, ei ſuis decretis explicuit, ut ſumtis viribus Regni ſui cum iis, quas Eccleſiæ ſibi robur adjunxerat, in Federicum Siciliæ poſſeſſorem injuſtum militaret, ejuſque ſuperbiam modis omnibus quibus poſſet confringere niteretur, donec eumdem Apoſtolicæ Sedis diſciplinæ ſubjiceret.

Quod Jacobus ſponte ſuſcipiens, paratis equis & armis, brevi moræ diſpendio claſſem à Carolo ſumtam, quia ſibi modica erat, pelago dimiſit, ubi gentem maximam collocans versùs Siciliæ Regnum proſperè meditavit. Federicus autem hæc omnia præſciens, de perfidia fratris in admirationem adductus, vires ſuas ad reſiſtendum jam paraverat, & ne puſillanimus hoſtem accelerantem metuere videretur, ei obviam juxta Regni ſui fines puppibus ſuos exercitus eduxit. Hunc enim locum . . . . eſſe perhibent, qui monitu eorum, quibus adhuc res nota eſt, nec prima pernotarunt. Ubi quidem cùm Jacobus claſſem ſuam potenter applicuiſſet, diebus paucis elabentibus in fratrem belli ſtudioſus irrupit; & cùm acriter utrinque dimicaretur, Federicus, utpote qui pauciores virorum naviumque copias habebat, cognato Marte ſuccubuit. Superatus denique puppe, qua præſidebat, celeri motu fugam arripuit, & versùs Siculi Regni partem, quò tutior eſſet, nitebatur. Quem Rodigerius de Lauria, nunc ſub Eccleſiæ vexillo ſuperbiens, dum fugientem temerè proſpexiſſet, puppe ſua jam inſequi velociter properabat. Increpans verò Jacobus, licèt fratris ruinam jam meditatus, ne ultra quod actum erat auderet,

A imperavit: ille autem majorem veritus iram ſuo deſtitit à propoſito, docuitque verbis, neminem fratres, ſemel incitato ad iram, ſub alterno favore diligere. Jacobus verò poſt factum de fratris ſui jactura graviter dolens, ſtatuit ne quis hoſtiliter Siculi Regni fines invaderet, ſimulans Regem victum jam pactionibus acquieſcere. Demum fratri ſcriptis ſe pœnitere ſignificans, ne ulteriùs metuat de ſe ſimulavit, & ut diſpoſuit, ſic effectum eſt, ut Eccleſiæ pugil ab incœpto deſiſteret. Dolens autem Romanæ Sedis Antiſtes, cùm jam ſuperati hoſtis gaudio exultaſſet immenſo, exercitum ſuum, quem immenſis ſumtibus, & labore paraverat, ſic debilem retrahi, nec ad quod B putabat profeciſſe, frequenter Procerum ſuorum conſilio quid ſuper his agendum ſit, hæſitans petiit. Placuit itaque, ut Carolus ſinè Regno Materæ Comes, quem jam è Francorum finibus ad ſe per Apoſtolica ſcripta vocaverat, perſuaſione alterius Caroli rem tantam ſævo Marte perficeret; nec dubitabat illum à propoſito ſuo dividi, cujus fidem, & probitatem Regiæ Indolis, à qua proceſſerat, titubans Petri Navicula fuerat in dubiis experta multoties. Hic jam Longobardorum fines tranſgreſſus, Thuſciam potenter invaſerat, ubi Nobilium popularium Fæſulanæ plebis rogatu pro ſedanda diſcordia, quæ maxima eorum animos vexabat, diebus multis haud manſit invitus. Demum cauſas omC nes intelligere voluit, & cur in litem traherentur, ab origine prioris odii callidè perſcrutatus eſt. Tunc mentis ſuæ conceptum ſeverus Judex & rigidus Arbiter explicans, non pacem in eos, ſed gladium mittens, Partem Circellorum, quæ foveri ſe putabat ſub alarum ſuarum umbra perpetuò damnavit exilio, nonnullos ex his complicum Avorum pœnis afficiens, quam ob rem zizaniæ plantula, quæ tunc facile providi Cultoris æqua falce meti poterat, adeò in Fæſulanis, & Picenis hortis increbuit, ut ab imo uſque ad ſummum penetrans jam divelli non poſſit, & uſque in hodiernum diem propagines multas à radice Friderici, ſubamputatis ſarmentis, effuderit. Sciens autem hoc alter Carolus Apuliæ D Poſſeſſor, doluit conſanguinitatis ſuæ conſortes tantum facinus perpetraſſe, & in compartiales ſuos fœdere ſtabilis amicitiæ ſibi junctos ſævitiam impetuoſam tam crudeliter fulminaſſe. Hos quidem extollendos, alios verò deprimendos fore cenſebat; ſed poſt factum ſerò pœnitet, qui perfecti ſceleris reſtauratione privatur. Dumque per Amicorum veniam, & bonorum proſcriptionem tollendam, ad eum uſque Thuſciam mittere deſtinavit Legatos ſuos; abeuntibus illis, & iter longo ſpatio jam ingreſſis, Fæſulanæ Gentis depopulatorem illinc deceſſiſſe, & versùs Urbem ad Apoſtolicam Sedem proficiſci veraciter audierunt: ſicque reverſi ſunt ſterili deficientes in propoſito. Hæc jam ut Apoſtolico E nuntiata ſunt, & ipſe miſeris exulibus, & Eccleſiæ Fidelibus compatiens, ſævi Judicis perfidiam, & ignari Prætoris culpam graviter increpavit.

Tranſiens autem Francigena magnanimus per loca multa ſibi hoſtiliter adverſantia uſque Peruſium, & Viterbium, inde per Vallem Spoletanam, tamdem laboribus multis circumventus Romam applicuit, ubi non magnificè, ut putabat, exceptus eſt; cùmque idem Senatorias curules aſſumere ſibi putaret, ſpe ſua fruſtratus, doluit ad id Loci temerè deveniſſe. Ut ergo celer ſacrum apicem adiit, illumque qua debuit verborum & actuum humanitate veneratus eſt,

ſe

ſe Catholicæ Fidei Zelatorem, & Paſtoris ſui mandatis paratum expoſuit è patriis ſedibus advenisſe. Ille autem, quem prædiximus, magnanimus Bonifacius in Apoſtolorum Sede præfectus, verſutus & prudens, cum hujuſce hominis ope indigeret, de his, quæ in Thuſciæ partibus egerat, ei nihil objiciens, verbis amicis & lepore multo ſuaviter, velut natum dilectiſſimum Jacob Eſau, & paternæ gratiæ ſolum heredem, benignè ſuſcepit, fidemque & conſtantiam ejus à veſtigiis patrum ſuorum non degenerantis magnis laudibus decoravit; ſupplicavitque, quatenus in arduis Eccleſiæ rebus auxilio non deficiat. Polli itus ei Carolus ad hoc veniſſe, ſacramenti vinculo confirmavit. Deinde Apoſtolicus ea, quæ in Siciliæ partibus acta contigerant, illi ſeriatim expoſuit, voluitque tantam rem cordi ſuo tenaciter fixam ab eo peragi debere; ſciebat enim virum ſummæ indolis & probitatis hæc poſſe. Adjecit & his, ſuæ ſtirpis Auctores pro Eccleſiæ ſtatu fortiter dimicaſſe, & velut Dei pugiles nationes & gentes multas ad Catholicam Fidem adduxiſſe; & ut animum ejus ad hoc ardentiùs impelleret, dona grandia votis ſuis conformia poſt hoc exhibiturum ſe data fide ſpopondit. Carolus autem, etſi jam curis Papalibus aliena ſallax in mente conceperat, tamen ne repugnare videretur, ad id onus liberaliter aſſumendum ſe reverenter Paſtorali virgæ ſuppoſuit.

Lætatus igitur in his, qui Siciliæ detentorem injuſtum prorſus præ ipſitari volebat è ſede, & claſſem illam, cui Jacobus Præfectus erat, & gentem maximam Eccleſiæ ſumtibus emtam parari juſſit, quam ſic paratam, atque equis & armis munitam Carolo reddidit, & ut idem negotia ſibi commiſſa perficiat anxiùs exoravit. Hæc propter dona maxima pro mercede ſumturus accepit Carolus, & quid expediat conſcius, turbas ſumtas puppibus credidit, ſeque Ducem omnium conſtituens ſimul cum eis uſque in Siculum litus juxta Drepani fines ſeliciter tranſivit, ubi poſt puppes Portu collocatas, viros & equos omnes, præter Claſſis Magiſtros & Cuſtodes, juſſit telluri ſe credere. Deinde aciebus inſtructis, Urbes, & Oppida multa dietim, quarum pars tumultu belli ſuperata, pars ſponte dedita eſt, ſibi cauta proviſione ſubjecit, quas inter .... & quædam Oppida, quæ vulgò referri digna non ſunt, fuiſſe didicimus. His territus Federicus, dum quaſi diffidens ſibi auxiliatorem non haberet præter Regni ſui vires, vix ſponte ſuccubuit; ſed ut omnia tentans nihil inexploratum relinqueret, Carolo literas tacitè dirigit, & cur ipſe depopulator Regni ſui fiat audaciter objicere; nec quidem cauſam ſcire, cùm & ipſe ſuæ ſtirpis, licèt prole fœminea oriundus, dicatur, & ſucceſſoribus ejus non invidus adverſetur. Rogavit etiam, ut ſi per fœdus Summo Pontifici reconciliare poteſt, ipſe nitatur. Audiens hæc Carolus, cùm de Federici ſtrage doleret, ne hoc Papalibus titulis accederet, eidem compati viſus eſt, ſeque potiùs pacificum, quàm depopulatorem nuncupari velle: quòd ſi idem Federicus, prætermiſſis rei fraudibus, gliſcat juſtis pactionibus acquieſcere, ſe velut medium nullius ſceleris conſcium ſollicitare concordiam ſpondet. Federicus autem ſecum colloquium celebrare ſuper hæc cupere; nam os mutuo afflatu ſolemniùs conceptum, quàm calamus exprimit. Placuit Carolo Federicum inviſere, quem viribus & induſtria non inexperta virtus ſæpe laudabat. Statuta igitur die ad uniuſcujuſque conſenſum juxta Meſſinæ fines colloquium tenuerunt, ubi quæ dicta promiſſave ſunt, nulli præter eos ſcire fas eſt; nam remotis procul inſidiis ſoli ſinè comite tacito convenere ſermone.

Inde Carolus Apoſtolico perſuaſit, ut idem de fidelium ruina ingemiſcens, pœnitentem hoſtem ad pietatis gremium provocaret, velletque quòd cum Federico de concordia fideliter ageretur. Promiſit ideo Pontifex Romanus, de fide ipſius nihil veritus in ambiguo quoque magis liceret, hujuſce commiſſum literis ſuis ſtabilivit. Rurſus Carolus & Federicus colloquium habentes, certis pactionibus litem decidentes tranſegerunt, de quibus infra, prout auditu percepimus, fiet mentio ſatis clara. Ut ergo Carolus ad ea, quæ ſibi juſta videbantur, hoſtem Eccleſiæ compulit, fide præſtita exercitum ſuum ad litus revocavit, Urbeique & Oppida cetera, quas idem vi rapuerat Federico, reſtituit, deinde rediens voluit, ut Federicus Legatos ſolemnes ad Apoſtolicam Sedem pro reformatione eorum, quæ promiſſa ſunt, ſinè mora dirigeret. Siculi Regni poſſeſſor ſimul cum eo viros providos plenum mandatum ferentes numero ſeptem ad Cleri Prin ipem fidelium ſuorum cetera legavit induſtria, ubi cùm feliciter applicuiſſent, Carolo ſuadente, licet alter Carolus adverſaretur invitus, præter ſacri Paſtoris conſcientiam fœdus tale per concordiam inierunt, effectumque eſt ut Federicus partum ſibi Regnum Siciliæ, donec vixerit, ab Eccleſia ſinè lite poſſideat; interimque auri aliquot talenta quolibet ſolis ambitu Fiſco Papali tributaria penſione perſolvat; cùm verò juſta proles defecerit, Regnum illud ad Eccleſiæ Principem ſinè contradictione aliqua transferatur. Et ne hoſtis Carolus nequaquam ad hæc laboraſſe quereretur, permiſſum eſt ei, ut Hieroſolymitani, Siculique Regni titulum ſuis laudibus, quamquam illis privatus, adſcribat; Federicus verò ſe Trinacriæ Ducem, & Siciliæ Gubernatorem, non Regem, appellet. Talibus itaque pactionibus utrinque firmatis acquieſcentes à Federico Legati, Siciliam repetentes pelago reverſi ſunt. Ob quam rem Federicus gaudio repletus immenſo, conviviis & commeſſationibus multis Fidelium cœtus delicatè cibavit, dieſque multos jocis & jucundis hiſtrionibus ſolemniter celebravit. Carolus verò in Urbe permanens, ab Apoſtolico de his, quæ per ipſum acta ſunt, increpationes ſuſcepit immenſas; indignatuſque Vir magnanimus, flagrantis animi ſui impetum vix à cæde continuit; ſed ne ira modum temperatæ virtutis excederet, præter ſcientiam Principis Sacerdotum diſceſſit ab Urbe, & unde venerat per alios tramites in regionem ſuam properè reverſus eſt. Poſt hæc quid in Apoſtolicum memoratum acciderit, itidem Carolo ſuadente, quatenus nos Divini Spiritus gratia fœcundabit, ſub alieno dicemus exordio. Refert nunc igitur, ut ad primordia ſuſcepti laboris admodum celeriter redeamus.

Explicit Primus Liber Ferreti Poetæ Vicentini.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

Poſt longa diſſidia Adulphus de Naſſavio Rex Romanorum ſalutatur, indignante nimium Alberto Auſtriaco. Hinc funeſta inter ipſos odia. Cœleſtini V. in Romanum Pontificem electio, qui non multò poſt ſupremo muneri cedit. Succedit Bonifacius VIII. Ejus acta in Columnenſes. Thuſcorum Populorum diſcordiæ à duabus Familiis Piſtorienſibus ortæ. Florentinam Urbem exagitant, Curtio potiſſimum de Donatis præpotente, qui tamdem cadit. Azzonis Eſtenſis bellum contra Parmenſes ac Bononienſes. Bardilonus à fratre è Mantuæ dominatione dejicitur. Vicentinorum res afflictæ. Dirum prœlium navale inter Venetos & Genuenſes, primis ſuccumbentibus. Alterum in Germania atrociſſimum inter Albertum Auſtriacum, & Adulphum Cæſarem, qui cæſus occumbit. Deinde Alberto collati faſces Imperatorii, ſed Bonifacio VIII. repugnante.

A DEſuncto itaque Rodulpho memorato, magnus apud Germanos Principes rumor increbuit; hæſitabant enim, quem ſibi denuo Regem efficerent. Multi quidem ad hoc Cæſareæ ſublimitatis faſtigium vehementi deſiderio ferebantur, quos inter Venceslaus Bohemiæ Rex, Bavariæ Dux, & Carinthiæ Tirolique Comes, impetu avidiſſimo competebant. Nec minus jam adultus ex ipſo Rodulpho natus Albertus, qui à Patre inſulas Regales acceperat, totis conatibus æſtuabat, ut in Auguſta Sede ſuo felix heres Parenti ſuccederet. Sed aliquid ſemper votis humanis accidit, raroque quod cupimus, ſinè labore, aut animi perturbatione contingit. Convenientibus igitur in unum Principibus Alemanniæ, qui decernendi Cæſarem poteſtatem habent, ut de Rege ſibi digniſſimo providerent, magnus inter ipſos tumultus, magna animorum diſſimulatio variis ſtudiis orta eſt. Nam priuſquam illic, ubi loci congrua exigit opportunitas, pro futuro Cæſare conveniſſent, quidam ex ipſis jam pollicitis donis, aut pretio corrupti, quidam amore, vel odio ducti, quem potiùs conſequantur mente conceperant. Favebant enim Archiepiſcopus Colonienſis, & Treverenſis Duci Saxoniæ, de cujus proſapia olim bonæ mememoriæ Otho Vir fama illuſtris ad Germanos Romani Imperii Regimen tranſtulit. Palatinus verò Comes pro Venceslao cognato ſuo viriliter contendebat. Dux autem Bavariæ, & Rex Bohemiæ, ne quis præter ipſos tolleretur Monarcha, verbis rigidis adversùs Collegas ſuos utique decertabant; præſertim de Alberto malè judicantes, dum ob Imperium ſui Genitoris, quem avara tabes & dolus in vitium deflexere, non eum dignum tantæ ſublimitatis judicabant. Archiepiſcopus autem Maguntinus vir fallax & verſutus, nunc uni, modò alteri, ut omnium vota tacitè intelligeret, obſequi videbatur. Sic cùm ſæpenumero ad examen hujuſce rei dubii conveniſſent, nihil de his, quæ ſtatuti temporis neceſſitas exigebat, votis efficere diſparibus; donec tumultus propter eorum iners decretum apud Germanos Duces rigidis verbis increbuit. Querebantur enim eos, ultra fixum terminum conceſſi arbitrii judicium diſtuliſſe, & ſtabile columen Imperii titubantis Fidelium animis labefactari, dum hi, quibus ſobria meditatio permiſſa eſt, tam ambiguis ſubverterentur obloquiis. Nec defuit, qui adverſùs eos magnificè æſtuaret. Quamobrem iidem Cæſareæ creationis auctores ſuſurrantium voces Nobilium, & vulgi vota intelligentes, ne propter inſolens ſuæ mentis diſſidium, nequaquam placandus in ipſos furor Plebejus inſurgeret, metu perculſi, decrevere, ut paucis ad examen tantæ molis diebus ſuperadditis; rurſus deliberandi ſpatium præberetur, inter quod Cæſarem delectum à ſe Populo nunciarent. Ut ergo protelationis brevi ſpatio vel termino freti ſunt, convenientes in unum prædicti Duces Alemanniæ litibus dudum certavere, donec placatis animi caloribus, quid juſtius, quidve utilius Reipublicæ ſuſpenſis vultibus intelligere ſtatuerunt. Demum Coloniæ Præſul ſenio jam maturus, & in ea conſtitutus ætate, quæ conſilii capiendi perutilis eſt, non ampliùs ſuſpendi vota Populorum oportere, ſed cui potiùs faveat inſit velo iis expedire; ſeque, quia conſultus odio, vel amore trahi non debet, dignum Principem totis conatibus edere. Sic & ceteri prædicabant. Cùm autem è multis res ſuſpenſa tantùm duobus contracta manſiſſet, abeuntes donec ad id factum lex operoſa vocaverit, diem præfixam ſtatuêre; qua poſt ſobriæ digeſtionis examen Cæſarem ſuum ſinè moræ diſpendio manentibus fateantur. Adduxerunt igitur Optimates primi, qui pro ſe, vel amicorum auxilio ſtudiis paribus æſtuabant, multi etiam ut aſſenſu delectum provocarent; nonnulli quatenus decuriones ad expeditionem tantæ rei levibus tumultibus augerent. Ut ergo dies expectata pervênit, convenientes in unum Principes cauſa tantæ molis perficiendæ, & adversùs ſe dudum litibus contenderent, tamdem cùm alter alteri ad ſupremos apices Alemanniæ ſavere dedignaretur, ad eos, quos mediocris generis & opum fortuna reſpexit, ſermo dirigitur, quos inter Vir ſtrenuus ſatìs, & fortis, Adulphus de Naſſavio, fama præclarus, gratior viſus eſt; hujus enim regio Comitalis inter ſummam & infimam Alemanniam, ſi rectè perhibent, ſita eſt inter Rhodanum, & Lemanum. Huic quidam non faventes, odio potiùs, vel invidiæ labe corrupti, rem Populis prodidere. Vênit igitur ad hunc Nuntius properans, & rem lætus aperuit; qui numquam ſperatæ, vel creditæ dignitatis ſpe ductus, dolens pariter, & gaviſus obſtupuit. Ferunt quippe eum tunc, dum ad id loci veniſſet, ubi mos erat Cæſarem deligi, quatenus Imperii Ducem primitiâ dacoraret, ludum alearum cum

Al-

B

C

D

Digitized by Google

Alberto Duce Auſtriæ memorato, ut ſegne otium deleret, placidis exercere ſermonibus.

Quod audiens præfatus Albertus, dum ſe illa, qua vix falli poſſe credebat, fruſtratum ſpe cerneret, illico invidia adductus in Adulphum odii & rancoris ſummi labe provehitur. Ceteri autem, qui de Alberto malè præjudicabant, verentes ne idem ad hujus dignitatis faſtigium provocaretur, circùm novum Cæſarem jucundis applauſibus exultabant. Quamobrem invidus Dux Auſtriæ versùs illum majoris odii concepit indignationes, & veluti ſibi pollicitum decus arripuiſſet, tetram mentem & faciem induit. Deinde Maguntinum Præſulem verbis increpat, quòd is ſibi citra promiſſum inſerenda voce defecerit. Ille autem utpote dolo verſutus & fallax, non ſe, ſed aliorum culpa accidiſſe hoc reſpondit. Nec quidem Adulphum juſtè delectum eſſe, cùm judicii ſui decretum ceteri inaudita voce neglexerint. Sic itaque vir doloſus flagrantem animoſi Ducis impetum adeò verbis fallacibus acuit, ut idem acri dolore permotus, Procerum cœtu ſtipatus, turbatuſque poſt ſuam querelam apud Magiſtratus dolenter expoſitam ad ſuæ regionis caſtra reverteretur. O peſtilens & caritati prorſus inimica labes invidiæ, quæ dum ſe devorat, nulli compatitur, & in aliena felicitate ſemper abſumitur. Diſceſſit itaque vir magnanimus, & in Adulphum omne ſævitiæ genus, quoad indigna præcipitaret, ſe ſe facturum tota mente diſpoſuit.

Cæſar verò non minùs tantæ dignitatis præmio exultans, quàm ille dejectus, inter Fideles Imperii turmas nihil ſævientem verbis hoſtem animoſus extimuit; ſed ad ea, quæ Regem decent, ſobriè ſtatuenda illico ſtudioſus convertitur, quæque Principi exhiberi ſolent, actu cupiens, ad extollendos Imperii faſces totus enititur; ſtatuitque, ut ceteri, quos debitæ fidelitatis obſequium ſui Regis Aulam viſere prorſus urgebat, ad hanc certo more ſpatio accedere maturarent, locum tamen eis certum ſuis ſcriptis aſſignans, ne errore devii Dominum ſuum negligere viderentur. Exiit itaque Edictum accedendi, quod ad uſque Ducem Auſtriæ ſuperbum, & eos qui pari voto ſecum in ſcelus ardebant feſtinanter advênit. Erat enim & hic ob maximas à patre ſumtas dignitates Cæſareo ſubjectus Imperio. Sed is non ea, qua prudens, modeſtia circumventus, verbis rigidis furibundus excanduit, & in iracundiam prorumpens, ad opprobrium ejus, & laudis deturpationem, quod agebat eſſe temeritatem Judex cœcus increpavit, minaxque cur ſe audeat Regio mandato corripere, & in ſamulatum adducere, quem prorſus falſo Regi ſe non debere dictitabat, crudelis & horrendus eructat. Deinde certos ſibi complices de hujuſce auſu per ſuos Legatos incitat; quid opem non negantes ejus effrenem ſuperbiam pollicitis juribus acuerunt. Tunc in ſcelus excandens Dux Cæſari ſuæ mentis impetum verbis ſagacibus aperit, ſiquidem juſto Regi ſpondens obſequio non deſiſtere, & ſi quis eſſet creatus Cæſar, ſe illum eſſe non dubitare, nec in alterum debitè potuiſſe transferri. Ait etiam, neminem ſupra ſe, præter Cœli Principem, titulis decoratum, & qui temerè repugnaret, ſuos indignationis aculeos perſenſurum. Ob quam rem inflammatus Adulphus, licèt nondum actu ſpiritus Regales induiſſet, cordis tamen ingenuus probitate, & æmulorum inſtigatione productus, ſævientis Ducis impetum mutuis ſcriptis alterna vice expulit. Proinde tantus rumor excitatus eſt, tanta rabies & animo-

A rum diſſimilitudo, ut in præcipitium alterius & necem alter flagraret; ſicque ſopitus Imperii Rector, & delectus Auriga permanſit, donec res in certamen adducta belli judicio poſt moræ ſpatium acquievit. Sed de hoc quidem, cùm tempus affuerit, quod aura percepimus celeri referemus.

De repudiatione Sacræ Sedis Cœleſtini V. & Bonifacii VIII. Papæ, qui ſe ipſum elegit, ut infra.

HÆc dum apud Germanos inconſultè geruntur, Petrus de Morono (quod Oppidum eſt in Abrutio) poſt Nicolaum IV. ſuadente
B Carolo Rege Neapolis, Romæ Præſes creatus eſt. Hic quidem Cœleſtinus V. primò nuncupatus ex media plebe, ſatis diſcretus & prudens, cùm honeſtatis & vitæ magis, quàm ſapientiæ titulis laudaretur, ad hujuſce faſtigii tribunal vocatus, non ſponte conſedit; dulce enim contemplari, & vitam ſolitariam ducere videbatur, nec inter Mundi ſtrepitum aut fortunæ lubricum poſſe jactari. Ut verò coactus chlamydem ſacram induit, ſceptrumque Paſtorale ſuſcepit, dubius & ignarus quid ageret, moderamen non ſolùm exercuit, ſed omnibus gratus exiſtens, beneficia non negabat, neminem ſupprimens, vel extollens. Qui ut tutior eſſet, remque illius præſidio ageret, cujus ſtudio
C Claves Sacras acceperat, in Apuliam proficiſcitur, ubi primùm paternum ſolum viſitans, demum juxta Neapolim habitare prælegit. Deinde cùm aſſiduis curarum procellis, & agendorum occupatione premeretur, dolens tantæ rei molem ſuſcepiſſe, ab eorum cœtu, qui Cœleſtem Januam à Cardine ſuſtinent, ſe furtim ſubripuit.

Quærentes autem, ubi eorum Princeps eſſet, illum intra Templi clauſtra latentem invenerunt, qui ſiſcitantibus, cur ſe à Sede Apoſtolica profugus abſentaverat, ait ſe deſuetum, & ſenio jam confectum velle deſiſtere, aliique cedere, qui rem meliùs & tutiùs gerere valeat. Illi autem ſtupentes, & à mente fortè illum pu-
D tantes alienum, ne vulgi fabula fieret, cum precibus & verbis ſobriis vix convictum ad Sacræ Sedis tribunal protinus attraxere.

Quod prudens & aſtutus Benedictus Cajetanus mente concipiens, & ad id decus animum ſuum audacter extollens, illi ſe familiarem & gratum ſolito magis exhibuit, & ut perhibent, in obſequiis ſtudioſum. Atque interea, dum ſæpe ſibi laudatum vitæ ſolitariæ otium intelligeret, ritè judicaſſe credebat, ipſumque magis ceremoniis & Templorum Miniſterio, quàm rei ſuſceptæ vocitabat aptiſſimum: cujus perſuaſione major ei ſubibat impetus reſignandi. Ferunt etiam & hunc virum doloſum, quatenus ad hoc illum flagrantiùs incitaret, dum ſomno excitatus noctu
E Deum contemplaretur, per foramen, quod arte fabricaverat, voce tenui ſæpe dixiſſe, ſe Cœlis nuntium adveniſſe illi, ut illecebris falſi Mundi relictis, ſoli Deo ſervire diſponeret. Quamobrem idem Papa degener & trepidus, ac in propoſito concepto perſiſtens, coram Fratrum ſuorum aſpectu Claves Sacras ſponte projecit, & chlamydem ſacram exuens, honori ſumto renuntiavit. Admirati verò Cardinales, num hunc vexaret dementia inſolens, hæſitabant quid agendum dehinc utiliùs videretur. Quos Benedictus alloquens, inquit, non deſperandum eſſe, ſed in Domino confidendum; nec quidem hoc abſque divino nutu contingere potuiſſe, aut Roma-

næ Sedis apices adeò ſinere inſanire, ut neſciat ſibi de re utili providere. Erat quippe, ut modò diximus, verſutus & prudens, qui quamquam ex humili ſtirpe productus, tamen ex animi induſtria egregii ad Cardinis beneficium admotus, intra partes Anglici Regni, quatenus Regem Francorum Regi Anglico diſcordiâ ſublatâ pacis remedio applicaret, Legationis officio functus eſt. Unde facti decus, & aurum multum referens, jam ſpiritus elatos acceperat. Quæſitus itaque Cœleſtinus à Fratribus, cur hoc velit: ait ſe jam propter ſenium, quàm ignaviam, rei tantæ non poſſe ſufficere. Cui cùm inſtaret Ordo ſacer, hoc indecens fore, & moleſtum valde, contraque ille ſtabilis in propoſito repugnaret, deliberandi ſpatium imploravit. Ille autem, cùm nox fieret, furtim ex Aula prorumpens, navi creditus ad Cœnobium Fidelium ſuorum, quod juxta Montem Tremitus in Apuliæ finibus ſitum eſt, ſe clandeſtine tranſtulit. Mane facto quærentes Paſtorem ſuum non invenerunt.

Convenientes ergo in unum Cœli Cardines, quid tantæ rei magis expediat, ſe ſe dubii conſulebant, è quibus Matthæus Rubeus primus in ordine, videndum prius eſſe, juſtumne ſit repudium, ſacriſve Conſtitutionibus alienum. Ad hæc quidam ajebant id fieri minime potuiſſe, cauſa non ſatis æqua præcedente; nam omnem ſalutem, qui oneri tanto ſe ſubtrahit, negligere videtur, itque Fidelium ſpem molitur infirmare, dum longævus efficitur in ſalute. Alii verò, quibus hoc gaudio inerat, dum præſtolarentur hujuſce dignitatis apicem, illum quidem legitime potuiſſe, cùm ceſſideret in tanto deficere moderamine, & liberum fore ſuæ voluntatis arbitrium, quæ res cùm votis ſummis expeti ſoleat, non ſine divino motu negligi valeat. Dixerunt quoque alii, de hoc diſceptandum non eſſe, ſed pro inveniendo Paſtore ſuo, Legatos dirigi; & ſi vivit, ad Sedem priſtinam retrahi debere. Sicque diverſi varia judicia proferebant. Poſtea verò quam hinc & hinc dubiis certavere ſermonibus, colloquium decidentes, deliberando ſpatium petivere, ut ſobriùs, & limpidiùs tanta res agi poſſet in ſecreta mentis imagine.

Diſcedentes ergo ad recreationem membrorum quietis ſolicitudinibus intendere. At verſutus Cardo Cajetanus ad Matthæum clam ſe transferens, quid ipſe vellet, ſtatim percunctatus eſt; ſeque facilem ei ad obſequia, data fide, ſpoponderat. Hoc idem, ignorante Matthæo, Petro de Columna bilinguis & nequam perſuaſor ſæpe prædixerat. Sciebat enim, hos invidiæ labe corruptos, & pares in odio de pari contendere. Hi autem non hujus obſequium favorabile rejecere, ſed animo plaudentes læto dignas grates obtulere. Ut igitur bis & ter ſacer Ordo convênit, quatenus hujuſce repudii diſſuetum accidens in melius reformaret, & quid utilius, vel honeſtius foret eliceret: aſſurgens magnanimus vir Cajetanus verbis facundis expoſuit, profugum & degenerem Cœleſtinum repetendum non eſſe, nec de repudio ulteriùs dubitandum, cùm ſponte, non alieno impulſu fecerit, ſed proprio motus arbitrio; decernique oportere virum, qui magnifice rem gubernet, & Eccleſiæ Romanæ Sedem vigili tueatur induſtria; nec verbis tantùm, aut calamo, ſed interdum factis, & gladio decertandum eſſe. Quod intelligentes hi, qui de repudio hilares exultabant, juſta locutum dixere; ceteri verò utile, ſed non honeſtum ejus conſilium. & adhuc opus eſſe meditationis intervallo. Hinc Cardo verſutus & fallax ad Matthæum acceden perſuaſit ei, quatenus ad Apo-

A. ſtolicam Sedem quemquam deligi pateretur, quemve fieri mallet, ei certiùs indicaret. Ille autem reddidit, ſe facturum, cui ſors juſta contigerit, aut in quem fratrum ſuorum potiùs quieſceret arbitrium. Subdidit vir bilinguis, eumdem ipſum rei hujus poteſtatem habere; ſeque id facturum, modò velit, & exprimat, quem decerni non abneget. Ad hæc vir prudens ait, conſulto opus fore, ſed ſi quid utile dixerit, vel proficuum, id pari promiſit. Sic & a Petro, ceteriſque, qui ſublimiori gradu ferebantur, verſutus perſuaſor accepit. Tunc Apuliæ Regem ſuis vocibus interpellans, cur patiatur Sedem Apoſtolicam diu Duce vacare; ſedulus increpat; quòd ſi velit pro ſe laborare,
B gratum in omnibus ſpopondit favorabiliter exhibere. Cujus ſa undiam & propoſitum tam audax Rex fortis admirans, cùm ope Romani Præſulis indigeret, ad id ſuſcipiendum onus animi ſui vires intendens ad Cardines ſe contulit, ipſiſque in colloquium adductis, quatenus de Summi Pontificis creatione providerant, precibus & minas inſeruit. Illi autem Regis indignationem metuentes, vulgique morſus, ad expeditionem hujuſce rei maturiùs intendebant. Ut ergo res in certamen traducta duobus tantùm commiſſa penderet, neuterque eorum alterius, ſuperbia corruptus, in obſequium cederet, hæſitantes ancipiti lite Cardines in ſeceſſum velut quiſque ſolio gratior abierunt. Quibus ſcilicet
C Petrus primò ſe conferens, quem modò verſutum diximus & fallacem, cur hæſiret admirari; nihilque metui oportere; nec dubitare perſuaſit, dum ſibi arbitrium deligendi Paſtoris eidem nulla animi tergiverſatione permittat. Cui ſubridens vir magnæ auctoritatis inclytus, cùm ipſum facie hilari ac jucunda vidiſſet lepôreque multo facetum, hujuſce cauſam molis ſuo judicio terminandam ſponte permiſit. Deinde Matthæum adiens, illi blandius aſpiravit, utque ſibi rem committat, ſecurus fido ſermone pollicetur. Ille autem, hoſtem capitalem intuens, ut ipſam perſuaſori callido poteſtatem ſenſit permiſiſſe, cùm de promiſſo confideret, & ipſe
D permiſit. Nactum itaque ſibi arbitrium utriuſque Cardo fallax, dum ad hæc fidem eorum adduxiſſet in teſtem, illico ne torperet in mora, chlamydem ſacram cum Inſula, & Baculo Paſtorali, ac Sedem pictam in medio juſſit afferri. Deinde Judex ſui, nihil moleſtum dubitans, ſumta veſte, & baculo, ac Corona Papali coram Fratrum ſuorum aſpectu ſe ipſum Apoſtolico Titulo decoravit, ſeditque, & mandavit omnibus, ut debitum in omnibus veluti ſuo Principi famulatum protinus exhiberent. Obſtupentes autem Cœli Cardines, potiſſimè hi, quos ſibi Duces Sacer Ordo præfecerat, quid agerent ambiguis ſolicitudinibus trahebantur; nec minor bilis, quàm ceterorum, Petri viſceribus æſtua-
E bat. Unde idem ſubitò ira correptus ſeceſſit ex agmine, deceptumque ſe dentibus fremens, & tacitus eructavit. Matthæus verò, ut judicium prolatum juſtitia decoraret, gratiorque fieret, Apoſtolicum Hymnum Angelicum, exultantibus ſibi Fidelibus, concinens Deo laudes dignas Pſalmorum decantatione peregit. Rumore audito, pauci laudantes doloſi Judicis temeritatem rigidis objectionibus arguebant. Multi quidem, ſapienter judicaſſe eum, dum ſibi placuit, referebant. Rex autem cùm fidem ejus in re pollicita roboraret, prudentem illum affirmans, ſibi gratum fore prodidit.

ANNO

ANNO MCCXCIV.

A NOvus autem Pontifex Urbis Romæ, cùm Matthæi memorati complicumque ſuorum præſidio duceretur, die tertia ſui judicii Fratres ad conſilium provocavit, voluitque, quatenus juxta Papales uſus alieno vocabuli titulo ſignaretur. Convenientes igitur, ubi magnanimus Petri Succeſſor ſub Apoſtolica chlamyde venerabatur, dolens Petrus gaudium ſimulavit, idemque Scripturis Sacris editum nomen Bonifacii præſignivit, quod à Bonifacio Primo Pontifice ſub VIII. nomine recenſetur, vocatus fuit ex Benedicto Bonifacius, cujus vim vocis intelligentes inſelicem exitum ab initio prædixere B felici. Tunc idem ad ea, quæ Paſtorali cura tuenda ſunt, magnificè ferebatur: quod invidi moleſtè ferentes ei obſequi indignatione concepti propoſiti ficto ſuſpendio protraxere. Bonifacius verò cùm maximè majori ope careret, Carolum accerſivit, rogavitque ne ſibi auxilio deficeret, neque moleſtum foret, ſi ipſe abſcederet; multa enim tunc inſtabant, quæ pro Carolo Siciliæ detentore Romana Sedes peragenda ſtatuerat, ideoque ad Urbem proficiſci ſatiùs credebat. Nam illic juſtiùs, ubi conceſſa poteſtas, ſinè vulgi fabula repugnaret. Favens Rex ejus precibus inclinatus abſceſſum invitè permiſit.

Inde novus Pontifex poſt trimeſtruale ſpatium C puppem conſcendens, Urbem Romam celer advênit, Lateranique conſiſtens Sedem ibi conſtituit; ubi cùm relatu Fidelium intelligeret, Cœleſtini repudium grave Populo, nonnulloſque Columnenſium impulſu, idem non juſtè potuiſſe fieri, increpabilibus verbis objicere, ni nova lege caveret, quam nondum editam poſteritas alia reperit, id fieri juſtè potuiſſe decrevit: in Lib. VI. Papalium Conſtitutionum, quo ut faciliùs innoteſceret, legem hanc ſcribi juſſit. Sed ne idem Cœleſtinus facti pœnitens ad reintegrationem poſſeſſæ dignitatis ulteriùs inhiare poſſet, litemve ſucceſſori ſuo aut controverſiam movere, juſſit & ſtatuit, ut è Cœnobio, in quo latebat, abſtractus, ad Urbem vigiles cuſtodes D præmitterent. Perfecit ergo quod voluit, Carolo non prohibente. Ipſum verò Cœleſtinum, ut perhibent, violenter advectum intra Oppidum Sancti Angeli, Matthæo ſuadente, cùm ſe furtim trahi cerneret, tandem morbo ſubeunte vita diſſolvi paſſus eſt. Deinde cùm magis ſibi jam fideret, adversùs Columnenſes, ſuadentibus Urſinis, & Carolo, quo tutiùs regnaret, ſuæ indignationis gladium ſævus exercuit, illiſque quod in Dominum ſuum clam conjuraſſent, læſæ Majeſtatis crimen objecit. Qui ut ſævitiam ejus, & impetum in ipſorum præcipitium tutiùs evitarent, apud Palæſtrinæ Oppidum ſuum ſub Aventino poſitum cum ſequacibus ſuis latentes, ibi ſe rebus & armis tutos credentes, inviti Do- E mino famulari negaverunt. Turbatus autem Bonifacius, quòd in contemtum Apoſtolicæ Sedis arma ſumſiſſent, illico adversùs rebelles ſuos bellum indixit, aſſumtiſque viris & armis circu-

A ter Oppidum hoc, ubi hoſtes ſui repugnabant, longæ obſidionis caſtra diſpoſuit, multumque cruoris utrinque dimicando cominus hauſtum eſt. Donec Apoſtolicus ſegnem moram increpans, quòd expugnati hoſte, diu non ſuccumberent, eos dolis & aſtu, non viribus, ſuperare jam ſtatuit. Tunc Guidonem de Monteferetro, quem poſt magnum Francorum excidium, dum exularet, ſub Regula Beati Franciſci militare Libro ſuperiori conſcripſimus, ſedulus advocat; ſciebat quippe illum multa ſtrenuè peregiſſe, & belli fraudes prudenter agnoſcere. Illi itaque, quatenus voti ſui deſiderio potiretur, rem exponens, ſecretè conſuluit, rogavitque ut ſi quo rebelles ſuperare poſſet ingenio, ocyùs explica- B ret, ad hoc munus digniſſimum pro mercede ſumturus. Cui Guido verenter obſequens ait, ſe præteritorum dolentem adeò pœnituiſſe, ut Religioni Sacræ dedicatus ea, quæ Mundi ſtrepitus exigit, ulteriùs faſtidiret. Reddidit Apoſtolicus, ſe illi quæque perpetrati ſceleris vitia benignè remittere; & ſi quod ex hoc crimen fieret penitus remiſſurum. Sed ut idem, quamquam videretur invitus, rogatu ſui Principis faciliùs traheretur, illum per obedientiæ vinculum adjuravit. Cui tandem precibus, ac polliciti muneris ſpe ductus, locum illum, ubi hoſtes incluſi repugnabant, viſu luſtrare petivit, ut ſi quidem vi inexpugnabilis eſſet, ingenio premeretur. Adiens igitur, ubi Exercitus Summi Præſulis fruſtra mi- C litabat, adjuncto ſecum Magiſtro Militum Summi Principis, muros & aggeres hujuſce Oppidi undique circumſpexit; utque hoſtium robur accepit, & belli cauſam, ad Apoſtolicum rediens citiùs advênit, dixitque, viribus non opus eſſe, ſed arte certandum, quia locus foret inſuperabilis. Ad hæc primus Antiſtes flagrantiùs inſtitit, ut quoquo modo ſolertiùs id fieri poſſet indicaret. Spopondit ille; ſed priùs ſceleris præteriti vinculo diſſolvi, & perpetrandi criminis purgatione uti poſtulavit: quod Papa Cajetanus libenter efficiens, illum præteriti & futuris ſcelerum iniquitatibus libenter expurgavit (*). Poſt quæ Guido nequam conſultu Apoſtolico perſuaſit, ut cum hoſtibus ſuis paciſcens polli- D citis non ſtaret, & quo ad ſibi prodeſſet, fidem ſervaret. Hoſtibus ergo ad pactionem vocatis reſtaurationis gratiam Cœli janitor eſt pollicitus. Credentes autem, & falli non putantes, Oppidum tam nobile inimicorum gentibus humiliter tradidere. Unde illud:

Dantes *Lunga promeſſa con l'attender corto*
Ti farà trionfar ne l'alto Seggio.

Quæ Bonifacius intuens, non ampliùs de ſe ipſo metuere mente diſpoſuit. Deinde illis, qui diu hoſtes fuerant, trium dierum ſpatium benignè conſtituens, ut intra illud coram ſuo Principe devenirent, perpetrati criminis veniam habituri, læſus & memor injuriæ propinavit. Sed ii cùm de pollicitis fiderent, & ad Sacrum Tribunal E accedere deſtinarent, quidam ſecreti conſcius (ſive illud divina inſpiratione ſuſcepit, ſeu auribus arrectis ſedulus perſcrutator intellexit) eorum necem dolo prævilam ab Apoſtolico nun-

tia-

(*) Quæ hic habet Ferretus de Bonifacio VIII. & Guidone antea Montis-Feretri Comite, pervulgata jam ſunt; eadem enim paucis ante Ferretum annis literis conſignarat Dantes Alігherius in ſuo Poemate Italico Cap. XXVII. Inferni, in quem locum proſtant Commentarii Landini & Vellutelli. Sed probroſi hujus facinoris narrationi fidem adjungere nemo probus velit, quod facilè confinxerint Bonifacii Pontificis æmuli, qui ſanè non pauci fuere, aliaque de eo commenta ſparſere. Ferretus hæc a Satyrico Poeta ambabus manibus excepit, quippe & is ad maledicentiam pronus. A quo autem fonte hauſerit hic Auctor univerſam ejuſdem Pontificis Hiſtoriam, contumeliis ubique ac pænè maledictis contextam, conjicere poteris Lector ab illis verbis, quæ aliquando intermiſcet, *dijudicant ferunt*, ea ſiquidem procul dubio indicant iniquos vulgi rumores corrupti a famoſis, ut ajunt, libellis Columnenſium Urbe depulſorum. Ceterùm illuſtres ipſius virtutes, & præclarè geſta enarrant coævi Scriptores apud Rainaldum, quem vide.

tievit; quamobrem metuentes de ſe, fugæ remedio Columnenſes uſi ſunt, & in extremi Mundi partes abierunt, adverſus quos Romanus Pontifex acriter procedens, tamquam læſæ Majeſtatis reos, & Eccleſiæ rebelles digne mulctandos judicavit, eorumque bona proſcriptioni ſubjecta, & Fisco Papali applicanda; Petrum verò, & Jacobum, quibus à Cardine Sacer Ordo contigerat, ut ſui generis & perſonarum perpetuum dedecus ab Apoſtolica Sede privavit, eorum Titulos & Beneficia collata velut Eccleſiaſticum cenſum aliis donator prodigus erogavit. Oppidum autem Palæſtrinæ, quod olim ſumtibus maximis conſtructum primus Auctor inexpugnabile fecerat, ne ulteriùs metum pariat, ſolo proſtratum æquari juſſit. Sed non idem primus, vel extremus, qui dolo poteſtatem aſciverit, vel acceptâ illos, à quibus metui ſe vult, morte vel exilio torqueat, vindictam de re injuſta ſumens, ut ſuo metu ſecurus infirmioribus imperet. Sed quid inde ſecutum eſt, cùm locus exiget, Deo propitio conſcribemus.

Guido autem poſt factum pœnitens morbo immani correptus eſt, quem Dantes Aldigerius Fæſulanorum eruditiſſimus in ſuis Canticis, quæ de Inferis ſcripſit, ob pertinax violandæ fidei documentum, inter umbras nocentes finxit ſævis angi cruciatibus: nec quidem indebitè, cùm ante commiſſum ſcelus veniam poſtulaverit. Bonifacius itaque voti ſui compos, jam magnanimos ſpiritus mente conceperat, delectabaturque, ut peragendis ſtrenuè rebus novus & inſolens caſus ingrueret. Carolus verò, etſi Apoſtolico viris & armis non defuit, omnes tamen animi curas ad reſtaurationem Siculi Regni ſolertiùs advertebat, & tunc per ſuos Legatos Bonifacium alloquens, ſedulus exoravit, quatenus ab Eccleſia ſumtos faſces ſinè obice poſſideret, quòdque ei oblatum, atque inſervatum, reddiderit. Amicus Apoſtolicus, haud immemor accepti beneficii, preces ejus repulſa non privavit, Regique, cùm viribus careret, theſaurum maximum Eccleſiæ ſumtibus miniſtravit, & Claves Sacras, ac ſolvendi poteſtatem per viciſſitudinem Miniſtrorum exhibuit. Quibus ille fretus, qui pro amiſſo Regno flagrabat, paratis equis & armis, ac Claſſe magna, natos ſuos Apuliæ Ducem Robertum, & Tarenti Principem, cùm ipſe juſjurandi vinculo irretitus fidem violare metueret, ad Siculi Regni partes celeriter deſtinavit. Sed ſiniſtris fatorum eventibus, Deo permittente, longè à patris ſui propoſito decertarunt. Nam è duobus altero ſuperato, ac melius mancipato, profugus alter ſinè triumpho Neapolim relatus advênit, ut de his quidem latiùs Libro ſuperiore conſcripſimus. Nunc ad ea, quæ per Thuſciam & Lombardiam acta memoratu digna percepimus, motu cito provehimur.

Erat quippe jam Fæſulanorum gens adeò diſcordibus animi votis, & odii inteſtini labe corrupta, ut vix eorum omnis in ruinam labens evelli Sedes à ſtipite videretur. Primi quidem diſſidii tanti feruntur auctores Picenæ (*hæc eſt Piſtorienſis*) Urbis incolæ, qui impetuoſos animorum ſaltus ſequi volentes, ad ultionem ſuſceptæ injuriæ pertinaciter irruerunt. Ex auctoritate principes Cancellarii, quorum progenies ab antiquo ſtipite derivata multos in progenie palmites ſui generis effuderat prolatata: ſed Deo ingrati ob ſuperbiam intolerabilem ex alta ſede præcipites ceciderunt. Sic ille judicat miſericors & juſtus, ſic impios deprimit; & de Libro Vitæ ſemen eorum deletur extinctum. Nota enim adhuc ſatis eſt eorum vulgaris iniquitas,

A quam ne ulla temporis deleat multitudo, his putavimus æquum eſſe ſcriptis inſerere. Nam inter Optimates loci hujus Cancellarii tunc viribus & opibus ſplendidiores habebantur, quorum duces primi Simon, & Gulielmus Amadoris nati, & Meus & Schiata jam extra lineam cognationis antiqua derivatione producti vix ſextum agnationis ſuæ gradum attigerant. Unde quatenus iidem moribus & probitate diſpares, fama notiores eſſent, diverſa ſibi vocabula ſuo generi applicanda votis diſparibus invenerunt pro Simone, & fratre ejus Gulielmo; nam quod iidem & ceteri de latere ſuo concepti fuſcam cæſariem oſtendebant, Nigri coloris prodiit appellatio. Meus autem, eo quòd ipſe flavus cum
B tota prole niteret, ſe Album nominari juſſit. Quæ igitur coloris diverſitas major eſt, quàm ut Niger, & Albus? His quidem ut vox alterata repentè animorum diſparitates, ſic diu rancor invidiæ motus induxit, donec eo ſuadente, qui ad nefas impiorum manus incitat, odium latens ſævis explicavit eventibus. Hujus ſeriem ordo ſic diſtinguit. Gulielmi natus Dorius juvenis animoſus alearum ludo cum Vanne filio Mei ſemel intendens, dum ira flammatus ob taxillorum jactus iniquos verba aſpera in colluſorem dementer eructaſſet, offenſuſque Vannes conſobrinum ejus fatuè loquentem monendo redarguiſſet, & ad hæc contumelias correctionis cauſa quaſdam inſeruiſſet, idem Dorius ſubiti
C furoris impatiens in Vannem gladium ſuum vecors extendit, ejuſque manum, quam ferro metu capitis apponebat, illæſo tamen pollice lictor crudelis abſcidit, fugaque correptus in æde patris ſecretò delituit. Saucius autem ſuæ manus jacturam moleſtè ferens, aſtantium cœtus clamore magno perterruit. Subitò convenientes, quos aut arctæ cognationis affinitas, vel amicitiæ puritas dolere compulerat, amici caſum lachrymis & gemitu deflevere. Deinde arma ſumentes, ſubito impetu ad domum Mei, quatenus ad ultionem ſuſceptæ injuriæ properaret, cœtu maximo convenere. Meus verò nati vulnus in corde ferens, vix ſpiritum dolore tanto moribundus emiſit; ſed ne dolor virtutem ani-
D mi ſuperaret, neve in ſanguinem ſuum peccaret imprudens, modeſtas manus avidè continuit, natorumque ac nepotum flagrantes animos ab impetu revocavit, in ſe lugens ſiniſtri caſus eventum. Gulielmus autem rei hujus ignarus, audito qualis natum ejus in conſortis ſui offenſam caſus impulerit, dolens ſubitus ſe ad ædem greſſu citò proripuit, ſciſcitanſque quid eſſet, ſceleris auctorem Dorium fore comperit. Dubius igitur quid ageret, ne conſcium hujuſce criminis Meus fortè putaret, Schiatam Patris offenſi germanum per nuntium fidelem alloquitur, dicens ſe in ſpiritu magìs dolentem, quàm natus conſobrinum ſuum ferro laceraſſet, utque ſortem digna ſequatur ultio votis expoſcere, ne in-
E ter ipſos ulla oriatur ſcintilla diſcordiæ; metuebat enim quod vitare neſcivit. Ad hæc Schiata furori cedendum eſſe, ſicque paulùm manere, donec animi tumeſcentes moræ intervallo depoſita feritate miteſcerent. Avidus concordiæ Gulielmus, quatenus offenſi conſortis ſui mitiùs placaret impetum æſtuantem, ipſum ſceleris auctorem natum ejus forma ſpectabilem, vinctum, & confuſum ad ædem capitalis hoſtis ſævus pater ſponte legavit; putavit namque ſic hujus iracundiam flecti poſſe, & in vindicta langueſcere, dum ſic humilis & proſtratus ad ultionem accederet. O infelix miſericordia, & infelicior humilitas, quæ pro peccatis præmium,

pro

pro Cruce tradidit ſalutis meritum! Dulce eſt enim ignoſcera pœnitenti, & non ſemper ad vindictam irrumpera. Meus ut nati lictorem aſpexit, vix impetum à cæde moderatus continuit; cepit itaque illum, & alios redire permiſit; captum verò, ac ignoſci ſupplicantem, & lachrymis pœnitere ſe profitentem, illico in ſtabulum trahi juſſit, dextramque ejus, ut multi perhibent, apponi præſepi, appoſitamque, ut manum manu redimeret, violenter abſcindi; abſciſſam quoque, ut errori crimen majus adderet, in itineris lubricum projici. Dorius autem, ut ex aula Judicis ſævi prorupit, amputatam ſibi manum læva comprehendens, magnaque miſer heu voce clamans, tandem genitoris ſui limen adiit, mutilatumque brachium ferro, ac ipſam manum pariter obtruncatam deformis oſtendens, coram patris aſpectu tellure projecit. Proinde furor omnis excitatus in propaginem vetuſtæ ſobolis inſanivit, omniſque hujuſce cognationis multitudo ad vindictam ſuſceptæ læſionis propenſiùs ferebatur. Tunc agnatos ſuos, & quos benevolentiæ cultus, aut ſocium fœdus adjunxerat, ad arma ſumenda vindex uterque nanciſcitur, ad quos magnæ virorum copiæ votis diſparibus confluxere. Plebs quoque, cùm Proceres ſuos peroſa ſemper ſit, deteſtabilis iniquitatis malè acta corripiens, his, ut quiſque notior, vel magis familiaris, adhæſit. Nec ſolùm hæc labes, & peſtis effera Pi.ena mœnia ſuccendit, ſed atique Florentiam, & Lucanos colles curſu velociore delata Thuſciam omnem malignis infecit odiis.

Nam quidam Nigros pro injuria ſuſcepta juſtè vindictam exegiſſe volebant, iiſque quoad poterant viribus aut pronis animi votis faventes, eorum cauſam tuebantur; alii autem crudeles eorum faſtus rigidis ſermonibus increpantes, pro Albis pugnabant, eos injuſta arma ſumſiſſe judicantes; pars neutrum capiens, utrumque damnabat. Primi ex Fæſulanis Ducibus Verius, & Nicola de Circlis, Alborum partem, eo quia ſanguinis affinitate propinqui, pertinaciter elegerunt, Simon verò de Donatis, & Curtius natus ejus Nigris adhærentes, ſe illis auxilio præbuere, ob quam rem tacita ſerpens odium illorum animos adeò inextinguibili veneno corripuit, ut in ruinam Patriæ ſuæ culmen pernicioſi cives everterent; at de his, cùm locus exiget, infra tractabimus.

Hiſtoriam nunc Picenorum Ducum & acta reſumamus. Ut igitur Albus, & Niger iam diſparibus animi votis, qualis colorum diſſimilis æquivalentia, ſtirpis hujus gentem implacabilis odii peſte ſupplevit, iiſque vires in ſcelus addidit, ſe ad ultionem provocantes, novis cædibus nova vulnera ſuſcitaverunt. Nec quiſquam miſericordia ductus cognato pepercit; quanto enim conjunctior, tanto tutior in agnatum ſæviebat; neque judicium ſui Prætoris verebatur, qui conſortem ferro ipſo truncaſſet; tunc enim juſtitia vires non habebat, ſed in ſe ipſos ſponte converſi injuſtitiam juſtis ſequebantur ultionibus. Demum res adeò in diſcordiam producta eſt, ut pauci ex ipſis ſuperſtites in lite manerent, ii tamen mœrore depreſſi vix ob triſtitiam tanti doloris abſumti ſunt. Periit itaque ſoboles antiquiſſima ſuis extincta nepotibus, quæ ſi primis aucta parentibus longi temporis ſpatio creverat, per diſcordiam parvo conſumta prolabitur. Tunc furor, deficientibus primorum Ducibus, paulùm ſedatus acquievit, donec iterum reſumtis viribus inſanivit. Demom potentior infirmiorem è patriis laribus expulit, ob quam rem tota illa Civitas in deſolationem adducta, Plebi ſuæ graves intulit proditionis anguſtias, ac inde, ut perhibent, malorum omnium radix in Thuſciam prodiit.

Eadem etiam tunc Fæſulanorum eſt comperta crudelitas, nam tumeſcentibus iis quibus genus à vetuſta Progenie, inter divitiarum luxus, & corporis voluptatem rara animi virtute colebatur, magna apud ipſos animorum pariter inde orta eſt diſſenſio. Ex his primis Verius & Nicola de Circlis, & Curtius de Donatis natus ex patre Simone, qui ut alter altero potentior in Patria vocaretur, parem præcipitare nitebantur; & ne res tam temerè concepta ſinè cauſa prætereat, diſcors in mente propoſitum ſubitò litis cauſam invenit. Redierat namque jam Curtius ad lares patrios ab Azone, cum quo diu manens dignitate ſumta procul à Patria ſua dudum abſentaverat; idem enim apud Tarviſium cum Gerardo de Camino loci hujus Præfecto ferè duobus Annis Collateralis militaverat, ubi thori ſociam, quam ex proſapia Circlorum duxerat, ægritudine conſumtam amiſit; ſed fama retulit illam, marito potum miniſtrante veneno mixtum, extinctam periiſſe, ob quam rem rancor tacitus in odium amariſſimum converſus eſt.

Hic enim dum ſemel inter Proceres more ſodalitio ad cœnam ſederet, ab æde propria vas vino repletum afferri juſſit, allatumque Verio Cognato ſuo in teſtimonium dilectionis primum exhiberi, quoque diligi fiducialiùs putaretur, ne quicquam neſandum dolo mixtum eſſet; pincernam ipſum tutum voluit oblati muneris hauſtum nihil dubitanti præſentando porrigere. Unde Verius, qua carere ſimulabat, indignatione promotus, non ſic, ait, Sorori poculum miniſtraſſe. Quod intelligens advena ſubdolus, eum oculis non amicis aſpexit, verbiſque ſæpe non placidis increpuit. Cœna verò refecti non ſerenis vultibus abiere; rancor omnis dudum occultus in odium manifeſtum verſus eſt, ut quo quiſque ſceleratior, eo magis alteri fieret nocendo promtior. Factum eſt itaque, ut, dum Curtius alteram adhuc thori ſociam optaret, mulierem quamdam ex Ubertinorum progenie ortam præter cognatorum ſcientiam furtim duceret: quamobrem indignati Proceres, idque opprobrium ſui generis moleſtè ferentes, jam actum pænè retrahi voluere; litemque coram ſuo Præſule moventes, tamquam violatorem juſti conjugii Curtium, & ſacrilegii reum, in judicio convenere. His Verius & ſui complices propter inimici ſui capitalis ruinam adhærentes, animos pariter & opem voto favorabili miniſtrabant. Unde Curtius acriter indignatus in Verii nepotem ſub ædis ſuæ porticum ſedentem convicia multa rigidis verbis objecit, ac inter ipſas contumelias vix facti ſubiti minas inſeruit. Ferunt tamen, cumdem Verii nepotem paulò ante Curtii ſervum domum properantem in opprobrium Domini ſui aſperis ſermonibus reprehendiſſe. Ea propter arma rapientes Circlorum juvenes animoſi in ædes Donatorum, quæ ſuis oppoſitæ medii per itineris ſpatium parvò diſtabant, ſubitò convenere. ubi cum hoſtibus dimicando, pilis & gladiis diu acriter bellatum eſt; tandem cùm nullis ſauciis ab ejus ſede ſecederent, ratus id levo crimen Curtius, quod ab hoſtibus ſuſceperat, quatenus graviori delicto mulctarentur, ſervum eumdem telo foſſum ultra atrii ſui veſtibulum crudelis Dominus interemit; vociferanſque mulios ad id crudele ſpectaculum teſtes adduxit. Inda Prætorios Magi-

giſtratus adiit, querelam ſuam dolenter exponens, nepotemque capitalis inimici, quòd is ſervum ſuum in impetu facto peremerit, ferus incuſat. Juſtitiæ verò Miniſter ad ultionem Reipublicæ pro cive offenſo flagitans, ut rem ipſam juſtiùs perageret, eos quos de impetu criminatos ſciebat, & potiſſime qui de morte ſervi, ad aulam Prætoris ſui accerſiri juſſit. A Verius igitur, ne contumax judicium Patriæ negligere videretur, ſecum vocatis omnibus de gente ſua, Præſidem ſuum celer advênit, eidemque retulit nefandi delatoris perfidiam, ipſum etiam ſceleris commiſſi fuiſſe juravit auctorem. Prætor illum, qui ſervum telo confeciſſe ferebatur, ſibi retinens, ceteros cautione præſtita abire permiſit. Hoc ſciens Curtius, B quoad poterat, conabatur retentum in vinculis hoſtis ſui nepotem morte falsò damnare; & ne judicaturus in ambiguo urgeretur, eumdem mortis auctorem perjuris teſtibus indicavit. Quod Verium latens, ne ſanguis ejus injuſtè funderetur, iterum ad aulam Prætoriam furibundus acceſſit, dixitque, non patiatur inſontem dolo mulctari, quòdque oculos ſuos in veritate dirigat, remque ipſam ſobriè percunctetur exorat. Ad hoc Prætor, ſe quidem id facturum, ſi falsò eum criminatum inveniat: ſin minùs, expedire, ut probato ſcelere reum mortis eſſe dijudicet. Reddidit Verius, ſe dolum legitimè probaturum; idque veris teſtibus reprobavit. Inventum eſt itaque, C Curtium ipſum, quo graviùs hoſtem apud Magiſtratus offenderet, auctorem fuiſſe ſceleris perpetrati. Ob quam rem metuens homicida perfidus judicium ultionis, ſponte in exilium abiit, Romamque proficiſcens, Bonifacio memorato gratus efficitur, cui miſertus Papa magnanimus, quòd is ejectus è Patria exulare cogeretur, Principatum exiguæ Provinciæ, quæ Maſſa nuncupatur, Thuſciam inter & Romandiolæ fines appoſitam, quatenus eidem ope ſubveniat, prodigus ſatis donator contulit.

Demum effectus gratior Apoſtolico, perſuaſit, ut cum hoſte capitali Verio de concordia paciſci dignaretur; dulcis namque amor Patriæ, & nemo circumſcriptum Orbis ſibi locum diligit. D Annuens igitur votis hujus Summus Pontifex, Verium per literas ſuas ad ſe jubet accedere, qui ne claves ſacras negligere diceretur, ſumto Procerum cœtu ad urbem celer tamdem applicuit; ubi ſignificans Chriſti Vicario, ſe veniſſe, permiſſo ad eum aditu, qua debuit primùm humilitate veneratus eſt. Sacerdos autem verſutus illum avidis oculis viſere ſimulavit, laudeſque ei multas oris lepore contribuit, dignatus quoque illum accubitu, ut cautiùs falleret, penes Apoſtolicum latus ſedere compulit. Deinde facundis ſermonibus alloquens, quatenus Curtium diu ſibi moleſtum ad amoris ſolius benevolentiam reſtaurare patiatur, Vir maximus exoravit. E Reddidit ille, Vir ſatis prudens & ſtrenuus, ſe illum non odiſſe, & veniæ locum eſſe, ubi priùs ille odium, & inimicitiæ quoque cauſam coram tanto Præſule fateatur. Ad hæc Curtius juſſu Principis accerſitus obticuit; cùmque neuter diſcordiæ modum explicare vellet, in diem ſequentem deliberandi causâ colloquium reiterare conſtituit; ſed non ideo Vir aſtutus Urbis Pontifex doluit, Verio ſe tam benignum oſtendiſſe. Conceperat jam mente ob diſcordiam illam poſſe Fæſulanum Populum jugo ſupprimere, & ſic Thuſciam ipſam ſervire deſuetam tyrannico more comprehendere. Mane facto ad aulam Paſtoralem Duces uterque conveniunt, quò Bonifacius irruens, Verio ſe magis familiarem oſtendit, ipſumque manu ducens in receſſum diverſorii apud Petri Succeſſorem cubare voluit ſede contigua; tunc illum blandis ſermonibus nunc docens, nunc increpans, nunc affatur clementer exorans, quatenus animi feritate depoſita, Curtium diu à ſe peroſum ad amoris integritatem reſtituat; hoc quidem eſſe Præceptoris Summi mandatum. Verius ad hæc, quæ priùs dixerat repetens, nullam ſecum inimicitiæ labem fore reddidit; quòd ſi ille verum dixerit, remiſſurum ſe ſpopondit. Hoc Præſul ſummus Curtio referens, illum in priori propoſito conſtantem, nec labefactari modicum Orator ſtudioſus invênit; demum cùm neuter mitefecret, utrumque dimiſit. Horâ verò diei tertiâ epulis paratis Verium delicatè cibavit, ſicque diebus multis advenam hoſpes benignu ſereni vultus hilaritate refecit. Demum ſobriis curis, quibus potiùs angebatur, digeſtis in pectore, nactus aptiſſimum tempus & locum, Verium acciri juſſit. Vênit properus ſtimulans, & in ſecreto conſedit, cui Papa inter Orbis partes gratiorem ſibi, & Eccleſiæ fore Thuſciam, eamque præ ceteris protulit amore complecti, diſſidiumque valde moleſtum, quod nunc Thuſcos angebat; & quoad poſſit, cupidum ſe pacificare diſcordes animos viribus totis expoſuit. Nec quidem hoc ſinè Principis moderamine arbitrabatur fieri poſſe, nam duce carentes Fæſulanos, odio vel amore corruptos, injuſtitiam vindictæ causâ proſequi ad id, ne res tanta labaret, curas omnes advertiſſe. Ait quoque de Anagnia ſolo patrio virum ſtrenuum & juſtum ſibi familiarem adeſſe, quem ad placandos Thuſciæ Proceres, & tumentium faſtus deprimendo, Eccleſiæ ſumtibus mittere deſtinavit, ſi modò gratum id Populo Fæſulano, & Verio non moleſtum; nec dubitare quidem ad effectum vota perduci, ſi tamen idem patiens fieri non abneget. Spopondit quoque ei munera pretioſa, quo faciliùs mentem ejus ſuis votis alliceret. Ille autem prudens, hoc impoſſibile ſibi retulit, nec ad id ſuperbas Thuſciæ gentes flecti poſſe, noverat enim gentiles animos ſervire deſuetos omne jugum odiſſe. Subdidit Apoſtolicus, deliberandi ſpatium neceſſariò exigi, ut ſobriè rem tantam libramine mentis excutiat. Diſcedens Verius jam non tum Paſtorem, ſed Lupum rapacem, tacitè judicavit; æſtuans quoque bilem in animo radicavit, quam jugiter augens, cùm revocatus Papam adiit, quatenus ad hæc deſiderii votum explicans, quid magis optet manifeſtus aperiat, ſe Patriam ſuam Libertate ſolita frui optare reddidit: neque mutaſſe propoſitum, aut ſi velit ſibi licere, vel poſſe. Tunc magnanimus Pontifex ira correptus, id facturum ſe fide ſpopondit, cordique multùm ſibi eſſe, ut Thuſciæ Partes tranquilla pace cuſtodiat; deinde Verium blandè dimittens ad Patriam redire permiſit.

Poſt hæc Carolum Philippi Francorum Regis germanum ad Apoſtolicam Sedem jubet accedere, qui Eccleſiæ Principem ſuorum de more veritus, id patiente Philippo, ſumtis viris & armis ad Urbem, Longobardorum fines, & Thuſciam peragrans, tamdem appulit. Ubi Summi Pontificis votum intelligens, quamquam Siculi Regni, id conſobrino Carolo ſuo ſuadente, tunc lis inquieta urgebat, attamen quod Papæ valde gratum accepit, perficere quidem conatus eſt. Sumtis igitur viris & armis, atque Sedis Apoſtolicæ arbitrio, Rex pacificus iter idem religens, versùs Thuſciæ partes proficiſcitur. Primò Peruſium adiens, Civitatem illam ſatis paci-

officè uti ſedulus ſcrutator invênit; plebiſcita A
tamen ibi quædam condidit, & ſcandala in amo-
rem convertit. Idem etiam apud Senas dies ali-
quot moratus efficit. Pacatis autem his, Fæſu-
lanos, ubi major cura manebat, de adventu ſuo
literis ſignatis edocuit, qui jam diſparibus votis
acceerſiti, & io tumultum prolapſi, quid potiùs
eligendum ſuſpenſis cordibus haſitabant. Multi
quidem, præcipuè quibus pax & tranquilla ani-
mi ſedes inerat, Ducem ſuperbum non admit-
tendum eſſe præjudicabant, præſeotientes id Pa-
triæ ſuæ ſtabilem labefactare concordiam. Vul-
gus autem inſidum, cùm ſemper novitate gau-
deat, primò Ducem prorſus admitti, Patriæque
moderamen ſibi tradi conſulit. Vocatur igitur
Dux pacificus properè Florentiam. Sub certa B
lege pactionis Rex perjurus applicuit, modera-
menque loci hujus accipiens, priùs mitem ac
benignum ſe cunctis oſtendit; tum ſimulatè vires
audacter ſumens, leges & edicta Populi ſuo mu-
tavit arbitrio, libitumque pro juſtitia reſovebat.
Exulem Curtium, & perpetua proſcriptione
damnatum, abſque vulgi conſenſu, ad Patriam
revocavit, paſſus ut idem de hoſtibus ſuis vin-
dictam aſſumeret. Ut autem Verius hoſtem ca-
pitalem adveniſſe perſenſit, arma properè ra-
piens, ſe tueri viriliter deſtinavit. Curtius verò
ſumtâ Principis inſidi militiâ, in Verium & com-
plices ſuos vim faciens, impetuoſus irrumpit;
ubi prœlium utrinque commiſſum eſt, in quo
Nicola Verii germanus ferro ſaucius occiditur. C
Pigellus de Pontinatiis vulneribus crebris cæſus
effugit. Riconetus autem ſolum naſi apicem de-
formis amiſit; capti verò Guilelmus Giani,
Nepos Verii, Bertus Recuperii natus. Joannes
Conſilii, & Maximus veneno, ut perhibent, poſt
dies paucos extincti ſunt. Verius, & qui cum
eo io bello ſuperſtites manſere, per fugam erepti
ſunt. Nec quidem Curtius victoriam felicem
adeptus eſt; nam & idem hoſtium robur exper-
tus non eos degeneres ſinè cruoris ſui hauſtu per-
fidus exploravit. Cecidit quidem Simon natus
ejus, vir bellicoſus & acer. Guelphus ei con-
ſanguinitate propinquus, & alii multi de Plebe
convincti. Foreſius autem graviter ſaucius vix
in ipſo prœlio ſpiritum exhalavit, quem Prætor D
accipiens, cùm jam Populus omnis in furorem
erumperet, ut omnium amicos juſta ultione pla-
caret, decollari juſſit. Verius itaque in exilium
migrans cum ſequacibus ſuis proſcriptione per-
petua damnatus irrevocabiliter abiit; poſt quem
omnes ſibi adverſantes ad gentes externas mi-
grare ſævus curavit cunctis flagitiis. At Curtius
hoſte dejecto, Patriam ſuam, id patiente Caro-
lo, tres dies ſibi corripuit, libitumque pro jure
ſequens, quoſdam erigens, multos deprimens,
gazas multas ſubitò congregavit; effectuſque
adeò tumidus eſt, ut ferè omnibus intolerabilis
videretur. Tantæ igitur tunc animorum angu-
ſtiæ, tot gentium labores, tot rapinæ, tot cæ-
des Fæſulano Populo pervenere, ut vix omnis
ex primævo ſplendore Sedes antiquiſſima labe-
retur, quia violenta Domini imperia nemo con-
tinuit.

Hæc intelligens Bonifacius, dum Paſtoralia
mandata tranſgreſſus Princeps nequam Apoſto-
lici votum actu contrario perfeciſſet, poſt qui-
nos menſtruales ambitus Carolum ad Sedem
piam illico revocavit, ipſumque pro recupera-
tione Siculi Regni ad tranſmarina loca profectu-
rum ſe velle hortatus eſt. Qui clementer Apo-
ſtolico ſavere ſimulans, tum ut vereri Claves
Sacras videretur, tum etiam ut conſobrino ſuo
opem afferret, ſumtis equis & armis, ac Claſſe
parata Siculum litus tandem applicuit, ubi A
tellurem optatam ingreſſu. Federico, qui poſt
obitum Patris detentor injuſtus ab Eccleſia ſe-
rebatur, graves locorum rapinas vir bellicoſus
intulit. Sed demum io caritatis fervore lan-
guens, cum hoſte præter Romani Principis ſcien-
tiam certa pactionis lege convênit; quamo-
brem ad Urbem reverſus à Bonifacio increpa-
tiones multas accepit, quòdque Thuſciam peſti-
bus magnis aſſlixerit, adverſatus ſemper piis
votis, redarguitur. Dedignatus verò Carolus,
flagrantem animi ſui impetum vix à cæde con-
tinens, ab Urbe diſceſſit, & ad propria re-
meavit.

Nunc cogimur materiam hanc lugubrem pro-
ſequentes, modicum temporis ab ordine devia- B
re, ne reſumentes actum per digreſſionem Le-
ctoribus avidis tœdium pariamus. Ut igitur Ca-
rolus Fæſulana mœnia revocatus dimiſit priſtinæ
libertati, non ideo livor omnis, aut peſtis ef-
ſera ablata ſunt; nam perniciosus vir Curtius,
hoſtibus ejectis, jam metuendus & aſper effe-
ctus, ne vulgi rabiem in ſe graviùs incitaret,
Patriæ ſuæ liberum ſtatus ambitum ſub tyranni-
de ſimulabat, idque doloſis verbis in ſcelus per-
tinax Plebi ſuæ pſeudocivis optare prædicabat.
At Proceres, qui Ducibus impiis ſemper moleſti
ſunt, metu depoſito, non illum ulteriùs pati
regnare, ſed velle prorſus omne jugum abjicere
retulerunt. Deinde res ad ſolitos Magiſtratus,
Vulgo plaudente, committitur. Quod moleſtè C
ferens Curtius, portionem Nigram in mentem
reſumens, maximas virorum copias ad ſe bene-
ficiorum ſpe revocavit, delectabaturque ab im-
piis & crudelibus inter clementes extolli. Hinc
rapinæ, hinc cædes, hinc bonorum proſcriptio-
nes ſequutæ ſunt. Demum talibus trux & im-
placabilis Patriæ vaſtator indulgens, omnibus
adeò moleſtus & odioſus efficitur, ut ii Nobiles,
quos pridem ſibi complices & dilectos habuerat,
illum ob nequitiam manifeſtam odirent, & ejus
intolerabiles faſtus pati negarent. Sic denique
eos inter, Deo permittente, diſcors animorum
abuſio exorta repentè deferbuit. Hæc quidem
annis ferè duobus clam latenti odio jugiter ac-
cenſa, anno poſt Jubilæum in gravem diſcordiam D
patenter erumpunt. Ferunt namque, Curtium in
Rempublicam, quatenus ſibi privatè regnaret,
pernicioſo ſcelere conjuraſſe, & ne id improſpe-
rè fieret, Ugutionem de Fagiola, cum quo per
fœdus Matrimonii jam ſanguinis affinitatem con-
traxerat, ſermonibus ſolicitaſſe amicis, qui opem
non negans Genero vires ſuas pollicitus eſt,
quoties petierit, ſavorabiliter exhibere. Hic
enim locis montuoſis juxta Fæſulam ſoli, ac Ro-
mandiolæ fines Populo dominabatur exiguo, quæ
quidem ora, ut perhibent, Maſſa Trabaria nun-
cupatur. Vir tamen probus & acer, ac obſcu-
ris Parentibus editus, majoribus tamen regnis
in tempore functus eſt. Ut verò perpetrandi fa-
cinoris tempus, id Curtio ſignificante ſenſit ad-
veniſſe, confeſtim viros & arma corripiens,
equitum ſcilicet numerum quatuorcentum &
quinque decies; peditum verò termillia: versùs
Florentiam iter feſtinus aggreditur. Quod ſcien-
tes ii, quos nequam Curtius odio reſovebat, ne
ſegnes mora perirent, Populo priùs hoſtem de
perfidia criminantur, deinde properè arma ſu-
mentes ad ædem Curtii impetuoſè feruntur. Ille
autem viribus ad reſiſtendum inferior, ne cæſus
occumberet, equo celeri vectus fugam arripuit.
At non eſt huic longiùs ire permiſſum: nam qui
ardentiùs necem ejus flagitabant, curſu veloci
fugientem inſecuti ſunt; illumque non procul à
Pa-

Patriæ mœnibus juxta Cœnobium Abbatiæ Sancti Salutii telis foſſum crudeliter necavere. Quorum princeps, ut perhibent, Guilielmus de ſtirpe Spinorum gladio primus acuto ejus tergora perforavit cui quondam ſecum vinculo tenacis amoris irretito opem in dubiis non negaverat. In hunc etiam Pazzorum gens Nobilis, Freſcobaldorum Optimates, Bondelmontium, & Cavalcantium, aliorumque, in quos truci deſævit invidia, aut quos priùs & ipſe dilexerat. Qui autem magis complices voti ſui fuere conſcii, è Patria projecti in exilium abiere; è quibus Dantes Aldigerius vir eruditiſſimus, odio, non culpa proſcribitur. Falconerii, & Rubei in propagine ſui generis numeroſi, ne formidinem Plebi pariant, irrevocabiles exulare coacti. Eadem commotiu Picenos Duces in fugam convertit, & uſque Lucanos Colles accedens Interminellos, qui Gibollengæ partis ferebantur auctores, patriis laribus exire compulit: ſicque locus omnibus iis peſtibus afflictus vix in ruinam prolapſus eſt. Et hæc ſobriè percunctantes, à viris gravioribus auditu percepimus, quæ etſi latiùs peracta, ſub compendio tamen conſcripta, quoad divina nobis ſpiravit clementia, niſi ſumus exprimere, ut ignorantes his ſcriptis intelligant, & audientes mirificè ſtupeant, ſciantque poſteri, rebus humanis lubricum ſemper inſtare momentum, & in Dei virtute cuncta produci. Nos verò cœpti laboris operam reſumentes, iſtinc ulteriùs procedamus.

Dicendum etiam eſt, quæ apud Æmilios his temporibus acta ſunt. Defuncto namque Obbizone, primogenitus *Azzo* jam adultus patris ſui felix heres gubernationem acceperat, Ferrariamque, Mutinam, & Rhegium paternæ ſubjectas ditioni, non ea, qua genitor pridem, benignitate fovebat, ſed more tyrannico ſæviebat. Nam idem, ut luxu voluptatibuſque diurnis agitatus gentiles faſtus induit, & in ſublime ſe provehi vidit, gravis & aſper adeò factus eſt, ut vix tolerabilis ulli videretur. Primum enim Mutinam, quæ tunc Obbizone regnante viris & opibus repleta, ſatis tranquilla ſede florebat, ſuis viribus ſpoliatam evertit; ſemper etenim fuit formidoloſa Tyrannis Procerum multitudo. Verebatur namque, quoties injuſtitiam rapinis aut cædibus exerceret, in infimum deprimi, qui ne in Dominum ſuum conjurare poſſent, jam in ipſos odio indelebili ſuſcitato, multos à patriæ finibus exulare coëgit. E quibus Lanfrancus de Rangonibus, non minùs animi virtute Nobilis, quàm probus & audax, apud Lucanos colles relegari ſe paſſus eſt: ubi ſtrenuè militans Piſanorum gentes ſæpe validis ſuperavit occurſibus. Sed non eo dignus fuerat exilio; nam ſi beneficia veruſta reminiſci volumus, præter id quod olim majores ſui opere Ducibus Eſtenſibus tradidere, vir idem exul regimen Urbis, & Mutinæ moderamen Obbizoni ſponte præbuerat. Indigna quidem ſuſcepti muneris retributio, qui ut tyrannidem exerceret, beneficum protinus à ſe amandavit. Peſtis eadem Rheginos afflixit, multi quoque Nobiles proſcriptione damnati ſunt. Hæc inter vulgò tributa violenta trux creditor exigebat. Nec modus rapinis, aut cædibus, donec Matthæus de Corrigio Parmæ Præfectus ſævo invidens, cum eodem belli diſcordiam nactus eſt; nam antea nullam, aut ſatis facilè favillam ſuſcitatam accepimus. Deinde cum alter altero ſe potentiorem exiſtimans, propoſiti ſui votum perficere cuperet, ad agrorum depopulationes & ædium incendia ſubitò furore correpti nitebantur. *Azzo* autem maximis copiis circumventus, exercitum ſuum inter Parmenſium fines adduxit, ubi pluribus diebus moratus, rapinis & bella ſpoliis ſatiatus, tamdem hoſtem veritus, ad fida mœnia remeavit. Matthæus verò cùm copias pauciores haberet, Bononienſes, qui jam *Azzonem* odio reſovebant, ad fœdus ſocii amoris per fidei vinculum compellavit; & quatenus eidem auxilio non deficiant, verbis ſupplicibus exoravit. Qui Matthæo favorabiliter annuentes, viros & arma confœderationis lege dimiſerunt. Idem & Lanfrancum jam ſui exilii moram increpantem pollicitis maximis ad ſe perſuaſor ſedulus revocavit; qui ne ulteriùs Domino violento pareat, ſe jam non *Azzonis* amicum, ſed hoſtem capitalem oſtendit, properanſque viros ſtipendia merentes ſecum è Lucanis finibus numero centum adduxit, quos, priùs quàm Parmam accederet, in rebelles Matthæo primùm, deinde in gentem *Azzonis* expertus eſt. Nam cùm Sartiglani Comes ſub *Azzone* militiæ Dux inter Parmenſium culta depopulator ſævus acies direxiſſet, hocque Lanfrancus audiſſet, in hoſtes pro acie militans, eo, ubi furentes rapinis indulgebant, uſque pervênit, quos audacter aggrediens, mixtis ſibi Parmenſibus, & Giberto Matthæi nato jam adulto, in fugam victor impulit, multoſque telluri ſaucios linquentes, multos in vinculis coarctavit, è quibus militiæ principem captivum Matthæo tradidit. Sed hic cùm ex Nobili proſapia ortus, & Lanfranco foret notus in partibus Fæſulanis, hortatu ejus liber *Azzoni* dimittitur, qui beneficii non immemor poſt breve tempus Duces claros ad concordiam, pactionis lege vocavit. Suſpenſis igitur utrinque belli furoribus, tamdem Pace ſequeſtra mites animos aſſumſere.

Poſt hæc autem *Azzo* Bononienſibus valde ſuſpectus, cum iidem Tyrannum urbi ſuæ inimiciſſimum vererentur, quo tutiores fierent, ab ejus inſidiis juxta fines ſuæ Regionis excubiarum vigiliis, & aggerum latebris ſe credere ſtatuerunt. Primumque Oppidum novum ære maximo conſtruxere. Hoc autem moleſtè ferens *Azzo* Mutinæ Præfectus, cùm & ipſe Oppida multa ſuis in finibus poſſideret, ut ſe quoque tueretur, Savignanum, Plumatium, & Bazanum non procul ab altero muris & vallis tutiſſimis refici voluit: unde gravis eorum illico vexavit corda diſcuſſio. Facile eſt, tumentes animos ad iracundiam incitari; tanta namque eſt regnandi ſitis, tanta pacis intolerantia, ut, dum ceteris præferri volumus, nemini parcamus. Ex hoc Bononienſes inter, & Marchionem, diu latens odium ſuſcitatum eſt. Primique Bononienſium Duces ad arma ſumenda vulgus animoſum hortatibus impulerunt. Quod Marchio præſciens, ne timidus rem tantam peragere videretur, Oppida ſua viris & armis ac neceſſariis utenſilibus præmunivit, fineſque cuſtodiri juſſit ſolicitè. Bononienſes verò moræ ſegnis impatientes, adversùs Marchionem paratis ſibi virorum copiis, & adjuncto Lanfranco, bellum indixere, ſecuſque Bazanum exercitu furenti ſua circiter caſtra diſpoſuerunt, nec priùs inde diſcedere, quàm victa mœnia ſibi pararint. Exardens autem *Azzo* ob illatam injuriam, illico Mutinam adiens, Populis ſuis audaciam intulit. Proinde Bononienſibus Legatos properè direxit: cur ei vim inferant admirari ſcriptis expoſuit, & ni cedant, obſeſſumque locum deſerant, in eos gladio truci ſævire minatur, ad eorum nihilominus improperium acta Guidonis de Monteferetro rudibus figuris objiciens. Sed hujuſce generis minas negligentes, illum mutuis exprobavere

ſer-

ſermonibus, & ut oihil ſe timere jam videat, Lanſiancum, & cum eo copias armatorum multas, qui inter culta Mutinenſia ſævis depopulationibus quæque diripiant, tenaci propoſito dimiſere. Tunc omnis exercitus in odium, & bello rabies efferа gentes ſubactas ad arma promovit. Azzo itaque, cùm ſe viribus imparem ſciret, amicorum præſidia verbis mitibus imploravit, ad quem Patavorum aiæ miſſæ, tum amoris & benevolentiæ causâ, conſanguinitatiſque affinitate promotæ, tum ut ſtipendii mercedem exigant. Votis paribus confluxere Cimbrici, quibus Optimates, ut regnantibus Patavis, & Azzoni gratiores fierent, gentes ſuas comites addidere. Ut igitur Marchio vires amicas aſſumſit, effectus audacior exercitum ſuum paratis viris & armis inſtituit, juſſitque curribus & vehiculis tentoria, & inſtrumenta quæque bellica ſubportari, deinde aciebus inſtructis verſus hoſtilem locum ſigna promovit. Ferunt equidem, illum tunc equitum fere tria millia, peditum verò decem in globum numero congregaſſe. Cùm ergo ab Aurora Sole jam in Occaſum declinante ad ripas torrentis rapidi, qui Scultenna per incolas nuncupatur, tamdem perventum eſſet, & a caſtris Bononienſium fere quinque millia paſſuum inde diſtarent, protinus ſigna manere belli Dux imperat, nec ultra provehi ob noctis intemperiem; ſecuſque fluvium diſpoſitis excubiis ſecurè pernoctans, ſereno ſe credidit. At caliginoſus aer ſolutis imbribus adeò ventorum rabie crepuſculo ſubeunte deſæviit, ut diluvium cœli cardo minari videretur; nec priuſquam nox abiret, Eurus ab Aquilone flare deſtitit, quàm mane facto hora vix tertia lucis advenerat: unde torrens tranſibilis ſubitis tumefactus ab imbribus, ex alveo in vicina culta furibundus exiit, multoſque ſuperbi Ducis aurigas, dum ipſi bobus & vehiculis ad tranſitum feſtinarent, in mediis verticibus incautè rotavit; multos quoque quiete & blando ſopore membra feſſa inſtaurantes, in ipſis aquarum abſorbuere procellis. Dolens autem Marchio, quòd ad pugnam inter diem belli ſtatutam ob fluvii rapacis metum proficiſci nequiret, obſeſſiſque caſtris opem inferre, vix ſpiritum projecit. Deinde cùm ferè currus omnes, ac utenſilia quæque cum inſtrumentis bellicis ob fluminis voraginem ſubitò amiſiſſet, nuo ultra progredi deinde auſus eſt, ſed rapinis ac ſævis depopulationibus trux raptor intendens, ſæpe hoſtium ruſticanas domos igne conſumens, agricolas miſeros, & armenta magna mixtis gregibus ad ſua caſtra violenter impulit. Denique cùm aſſiduis imbribus agrorum culta natarent, fluviique impetum quiſque metueret, & reditum quærens vulgus jam claro murmuro Ducem temerarium increparet, ſuorum veritus ope deſtitui, id urgente nimboſi ætheris intemperie, reditum illis, diſſuadente tamen Maghinardo de Soſenana militiæ ſuæ Præfecto, vix permiſit. Sunt qui Azzonem tunc adverſa ſibi fata increpuiſſe dictitant, dolentemque in diſceſſu lachrymas effudiſſe, cùm neceſſariò cogeretur bellum ſinè lite deponere. Alii autem exiſtimant triſtem vultum gaudium ſimulaſſe; quòdque coactus videretur, id ſatis puſillanimem patienter toleraſſe. Utrum verò magis ipſe exoptarit, ambiguum. Ferunt equidem, illum tres dies moratum, gentes ſuas ad fida mœnia reduxiſſe. At Bononienſium numeroſus exercitus collis in apice reſidens, quem priùs venientem auditu ſolo metuerat hoſtem, contumeliis abeuntem eſt ſordidè perſecutus, majorque ei pugnandi crevit audacia. Demum Oppida ſervantes Marchionales fideles, cùm diu ſui præſidium deſperantes jam fruſtra præſtolarentur, fame magis, quàm hoſtium pugna compulſi, dum comeſtibile nihil eis ſupereſſet, poſt menſium novem ambitus obſeſſa mœnia victoribus tradidere; quæ Bononienſes accipientes ſuis illa cuſtodibus aſſignarunt, quæ uſque in hodiernum diem ſervata ſibi retinent, retentaque Mutineoſibus habeot ioviris. Quamobrem vecors ſemper odium illos mutuò ad inferendas injurias, animorum prorſus ſoluta compage, vexavit, donec per modicum temporis interſtitium, rancore paulùm digeſto, de concordia pepigerunt. Sed non ideo timidus Azzo ſuſceptam ultionem injuriæ projecit ex animo, ad id, quoties poſſibilitas ſubiret, totis viribus emiſſurus. Fruſtra enim cum Principibus Populares Duces de fide conveniunt. Dehinc igitur abeuntes ulterius procedamus.

Eadem tempeſtate Bardilonus, fratre depoſito, Mantuam æque privatim, ac publicè gubernabat, adeò ut ſinè ullo limite dominans Populo ſatis tolerabilis haberetur; ſemper enim ſervis ſuis moleſti ſunt Domini. Cui nepotum primus Bottexella ex Joannino fratre ſuo primogenito ſumtus, non minùs invidens, quàm ejus imperium male devovens, in eum prorſus, quatenus Regni moderamen aſſumeret, concurrere diſpoſuit. Deinde rus oblectandi causâ citus adiens noctu Veronam comitante uno famulo rus acceſſit, ubi Albertum de la Scala patri ſuo quondam amiciſſimum fiducialiter alloquens, patrui ſui nefas deteſtabile criminatus eſt. Aii nempe, illum, ut nepotes excluderet, cum Azzone Ferrariæ Præfecto clam fœdus iniiſſe, & Mantuæ Gubernatorem ſpopondiſſe; ſe id minime paſſurum, ſi modò illi auxilio non deficiat. Quod Albertus animo non neglectè concipiens, cum & ſibi periculum maximum inſtare per facinus Bardilonis agnoſceret, petenti vires & arma ad perficiendum animi ſui votum fide ſpopondit. Diſcedens verò juvenis animoſus, temporis opportunitatem rei hujuſce adaptare diſtulit. Sic rediens denuo in Patriam celatus, patruo ſuo, quo tutiùs falleret, magis ſe gratum exhibuit. Inde multorum fidem expertus, eorum, qui ſtipendia merentur, benevolentiam aſſequi potiſſimè delectabatur. Quos ut ſibi promtos ad obſequia quæque prævidit, Alberto tum affore tempus nuntiavit, qui propere armatorum manipulos Mantuam dirigens, duce eodem, qui facinus cogitarat, flagrantem juvenis impetum verbis amicis edocuit, ne per ignaviam devius à propoſito aberraret. Ille verò gaudio magno lætus exultans, gentes in obſequium paratas accepit, & ſub Cœli tenebris militans, tamdem intra ſuburbias ſedes Patriæ citus appulit. Diluculo itaque rubeſcente, Cuſtodes Portarum, unde patebat aditus, vectes & obſtacula quæque jubet amovere, qui præſtantes opem non in leſtè illius obtemperavere ſermonibus. Demum egrediens uſque in medium forum ſubitò relatus eſt, ubi tumultum clamore excitans, eos, quos ſibi fautores addiderat, in globum attraxit. Bardilonus verò levi ſomno correptus nondum è cubili prodierat, qui velut amens tamdem è thoro receptus, cur fieret clamor admirans, è ſpeculis intuens adverſa ſibi ſigna in ipſo foro conſpexit. Tunc properè clientes evocans, arma parari, & viribus reſiſtere deſtinavit; ſed fruſtra dolus vi repelli conſuevit; *nam qui alios fallit, verſa poterit vice & ipſe refelli*. Ut ergo nepos inſidus voti ſui compotem ope multorum ſe vidit, ad ædem patrui

ſigna direxit; qui veritus hoſtis ignoti rabiem, dum ſe ope illorum, quos amicos elegerat, deſtitui cerneret, clam ex Aula prorumpens, non habitu ſuo furtim profugus intra pauperis ſervi lupanar tutè delituit; ſæpe enim Regibus tutum eſt inopiam ſimulare. Cùm autem Bottexellam eum, qui præ ceteris de ſtirpe nepotibus gratiſſimus fuerat, ſuæ ruinæ oequam comperiſſet auctorem, vix ſpiritum dolore projecit. Deinde quatenus nepotem ſibi benignum efficeret, cum eodem per ſecretos nuntios de Regno paciſcitur. Sed rariſſima eſt ſocialis gloria; nam quiſque parem ſibi reſpuit, dum ſuperiorem in ſede non vult. Ad hæc Dux noviſſimus ſe abſque contorte denuo regnaturum expoſuit, nihilque cum patruo debere velle, cùm & idem germanum ſummi doli oequitia Regno privaverit; & ob id juſtum fore ſimili fato periiſſe. Sed ne quis perfidiæ ſe ultorem ſentiat, in exilium abire cogit. Qui ne furentis rabie crudeliter moreretur, irrevocabilis lares maternos exivit, & uſque Clugiam delatus cum Azzone pro reditu conjuravit. Sed inanis ſpes longè à propoſito deviavit. Inde menſes quatuor moratus, ad Venetos ſe proripuit, ubi pedum inſanabili morbo diu ægrotans, tamdem liber Patavii ſedem in habitationem elegit; erat quippe tunc viris & opum jucunditate replota, nec alter locus fama beatior: ſperabat utique Procerum cœtibus ſe miſcere, Nobiliumque familiaritates acquirere, unde poſſet armis nepotem è Regno deturbare, aut in illum potenter manus injicere. Advectus itaque Paduam non eo quo putabat modo à potentibus eſt ſuſceptus; nam miſer fortunæ tolo jactatus, vix ulli gratus efficitur. Sed nec ille quidem moribus aut animi virtute conſpicuus; nec etiam antiquum genus à Proavis illuſtribus derivabat. Sic demum peculii parte profuſa, dum felicitatis ſublatæ memoria gravius torqueretur, dolure potiùs, quàm morbi læſione compreheoſus, Anno tertiu ſui exilii miſerabiliter occidit; cujus cadaver apud Cœnobium Fratrum Minorum telluri ſuperjecto lapide commendatur. At nepos ejus io ſede metuendus & aſper, patrui ſui obitum gratanter accepit, nullaſque ſublato celebravit exequias, & ſibi ſecurus, ſolo adverſante Taglino, ſceptra tyrannica cum Fratribus duobus Raynaldo Paſſerino, & Butirono annis fermè VII. privatè continuit. Poſt quem vita privatum major natu Paſſarinus moderamen accepit, qui annis quatuor & viginti cum germano ſuo inter varios Mundi ſtrepitus folicitè regnans, feliciter viſus eſt Rempublicam gubernaſſe; ſed idem exitum ſui caſus igoorans jam præmortuo fratre Butitono cum tota ſui genitoris prole ſubitò cædis impetu periit improviſus: quæ, quoties ordo temporis exiget, Deo dante laudabiliter ſtilo ſignabimus.

Refert nunc etiam infelicis Patriæ noſtræ malè acta recolere, ut aliquid, donec locorum ordine trahimur, his perpetuæ deſcriptionis ſtudiis inſeramus. Nec quidem ſtrenuè peractum quicquam, aut fama perſpicuum, ſtudioſè percepimus. Hæc enim Urbecula, quam Veteres noſtri Cimbriam, Moderni Vicentiam falſis ominibus appellarunt, adeò tacitis invidiæ peſtibus, & odii latentis æſtu corripitur, ut in ſe vitiorum labe depreſſa rigidis ſemper laboribus torqueatur. Effeminati namque bujus incolæ raró animi virtutibus quieſcentes, ut famulando ſerviant, fœnus exercent, & in ſola vix uſurarum voragine delectantur; non enim militiam, non Olympiadum ludum exercent, noo animorum aut corporum exercitio, ſed divitiarum multitudine jactari volunt, quamobrem raró ſuæ ſtirpis heredes veteranos invenimus. Si quis verò bis abſtractus ad mores egregios laborare, aut probitate fulgere repertus eſt, in hunc æmulotum omnis turba conjurans, velut in agaum lupi feroces uſque ſæviunt, donec eum falſis criminibus, & dolo projecerint. Teſtis hujus eſt actus recens facinus, noſtris ferè temporibus perpetratum. Nam vir quidam æquè juſtus ac nobilis, nomine Beroaldus, ut impiorum ſcelera vitaret, jucundis & optimis muneribus fruebatur, cupiebatque, quatenus Patriæ ſuæ libertatem vendicare poſſet. Erat quidem tunc à Patavis oppreſſa, & in ſervitutem adducta, quam poſt ſævam Eccelini tyrannidem Cimbricum vulgus ob ſuorum Procerum violenta tributa lege pactionis ſponte tradiderat; ſemper enim plebs eſt ſuis invidioſa nobilibus, & eidem eſt amor ſervilis in Dominos. Hunc igitur, quia formidoloſus erat iniquis Regnantibus, accuſatione primorum noſtræ gentis Cimbricus Præſes, ut ajunt, pretio corruptus ſupplicus deſtinavit: Perfidiæ verò hujus auctores Morandum Verlatum, Gualdinellum Bixarium, & alios multos horum fautores accepimus, qui ob invidiam plebeji favoris in ſuæ Patriæ ruinam ac perniciem conjuraverunt. At ille magnanimus & inſons objecti criminis, impiorum rabiem negligens, oe dudum ſævirent in eum, dentibus propriis linguam abſcidit; & ne ulteriùs falſum profiteri poſſent, inter ipſos pænè tortores vitam ſummo dolore projecit: magnum quippe poſteris documeotum. Unde eo permittente, qui juſtus eſt, gravis in eorum ſemeo non ſinè Patriæ noſtræ ruina contigit brevi temporis ultio, de quibus, cùm ordo dictabit, patulè memorabimus. Poſt hæc autem adeò crudeliter perpetrata, ſceleris hujus impatiens vir animoſus, & acer, indolis clariſſimæ oriundus Jordaous de Seratico, cujus genus, ut perhibent, ex matre Nympha productum, dum ſororis ſuæ conjugem tam dilectiſſimum dolo necatum intelligeret, ut vindex juſtus fieret, ſævoſque tantæ cædis auctores telo perimeret, amicorum præſidio fideque, equo provectus ſublimi, in medium forum copias paucorum adduxit, ubi hoſtium ſuorum præcipitium ſitiens, ſpe concepta fraudatus, tamdem enſe furens inter impiorum globos eliditur, captus, & vinculis traditus, lictori ſuum caput cædendum exhibuit. Gravis hæc quidem Patriæ noſtræ jactura, quæ duos adhuc ſummæ probitatis viros, quales Africanum & Paulum triſtis Roma memorabat, dolo necatos lugubris & ſquallens, tantis orbata Civibus, ingemiſcit. Fuit & altera cædes non procul proxima; nam diſſidentibus inter ſe labe ſuperbiæ, quos idem genus à ſtipite produxerat, & in Valle Treſſeni, quæ ſatis eſt ora fertilis agrorum opulentia, gentiumque multitudine, decoraverat. Cùm iidem jam in propagines multas à Proavis derivati, benevolentiam in odium pervertiſſent, dividendi patrimonii cauſa latentem nequitiam excitaverunt. Rapiebat enim ſibi quiſque, nec conſortis querela flectebatur; unde ſubitò magnus in ipſos furor irrupit. Qui autem potentior fuit, infirmiorem ſuis bonis ſpoliavit, vel privatum ejecit, quorum princeps Morandus Panemſacus Henricum conſobrinum ſuum, & eos, qui ab Auctore Meliorantia cognominati ſunt, è finibus agrorum proſcriptione damnavit. Henricus verò, utpote acer, & ſtirpis ſuæ robur agnoſcens, cùm ejectum ſe, & bonis pri-

va-

Google

vatum avitis injuſtè conciperet, in iracundiam prorumpens, clandeſtinè collem, qui Valdagni rus deſpicit, ubi turris primis ſundata temporibus nullo cuſtode ſervabatur, paucis ſibi faventibus, citus invaſit. Quod intelligens Morandus nequam, ne incautè periret, quòd is in Patriam conjuraſſet, Populo nuntiavit. Furens itaque vulgus exercitum illuc pro ære dimiſit, & hoſtem temerè colli creditum aggeris munimine circumdedit; ipſumque diebus paucis ſuperarum & victum in Patriam referens, capitali ſupplicio eum ſequacibus mulctari juſſit. Sæva quidem rabies cognatorum, dum ad offenſam ſui generis protrahuntur, neque ulla peſtis major eſt, quoties læſus amor verſatur in odium. Hæc de gloria Patriæ noſtræ breviter attigimus, ut & poſteris actorum ſcelerum deferatur memoria. Numquam enim eadem Urbecula dominabitur, numquam libertate potietur, donec venenum nequitiæ ſuis Civibus inſpirabit. Exuat igitur priùs togam fœmineam, & viriles animos induat, jugum ejiciat, ac ſervire deſiſtat; tunc aliis imperabit, quoties vitiis ſoluta virtutibus acquieſcet.

Iſtinc ab Euganeis Sedibus, nihil memorabile ſignantes, ad Illyricas clades feliciter tranſeamus. Etenim ob Venetorum ſtragem maximam ſatìs adhuc notæ vulgò referuntur, quam Januenſium robur, & virtus bellorum ſemper experta tumultibus, Duce Lampa de ſtirpe Auria, ſiniſtris ominibus intulit. Sed ne longo ſeriem calamo protrahamus, ea, quæ recentior fama memorat, antiquis præponentes exordiis (multa enim de his à tempore cœpti rancoris poſſent literis illuſtrari) jugiter inſiſtentes ſobrii deferamus. Taceamus equidem, quis odium primus adjecerit, quis Populos dementes ad iracundiam temerè provocaverit. Sola enim hujuſce peſtis auctor iniqua ſuperbia, quæ tumentes animos votis diſparibus extollebat; unde licèt, ut perhibent, ſatìs leve crimen facili venia leniri poſſet, dum neuter humilis cederet, in odibiles prolatavit injurias. Proinde ad ultionem læſus intendens, graviores ſuſcepit offenſas; & ſic denuo cruor modicus in fluentem rivum vindice gladio derivavit. Teſtis hujus eſt Libanus, Mons utilis Armeniæ, ſub quo ad Jacium Urbem egregiam Januenſis furor viginti puppes Venetorum gente preſſas in ipſo Portu violenter eliſit, captaſque, victis mare ſubmerſis, aut gladio peremtis, igne conſumſit. Tunc in imperum major ira prorumpens Venetorum mentem flagrantiùs exurebat, donec paulùm ſedata temporis interſtitio mitiùs acquievit. Sed non ideo tota exulavit iniquitas; nam quo quiſque cautior graviùs læderet, injuriam opportuno tempori reſervabat. Interea Veneti viris & armis refecti, pro ultione ſuſcepti dedecoris æſtuabant. Audientes itaque Januenſium puppes per Euboicum mare tranſire, in eas claſſem violentam properè dimiſere, & juxta litus Troicum invadentes, viros, & res ipſas, quas in ſpem lucri provehebant pelago, ſubdidere; puppes autem eorum infractas in ipſo litore reliquere. Neque verò ulteriùs bellum cum hoſtibus ingredi auſi ſunt; ſed Piratarum more vagantes, nunc huc nunc illuc inermes ac improviſos, quos hoſtes vocabant, rebus ſuis ſpoliatos gladio necabant, aut æquore ſupprimebant. Januenſes demum de hoc veris certificati rumoribus, cur in pelago læderentur more piratico, per Legatos queſti ſunt, ſicque dehinc ab injuriis deſiſtendum, modò Veneti velint, fide proferre: quòd ſi rem in certamen deduci malint, ſatius eſſe bellum indicere, quàm prædonum ritu corripere. Ad hæc æſtuans iracundia Venetorum: cum eis concordes animos adhuc de linare propter actum recentis injuriæ; nec more piratico eos velle lædere, aut bellum modò miſcere; ſed rem ſuam quiſque cuſtodiat; cur ſe læſos dicant, ignorare Venetos, neque ſe ad ullam redhibitionem teneri. Redeuntes autem Legati hæc Senatui claro nuntiavere ſermone, quod Januenſium Duces moleſtè ferentes, decernunt tamen cautiùs fore nunc, ſi à depopulationibus rapiniſve deſiſtant, atque ut ulteriùs lædant expectare, ne furore ducti injuſtitiam propulſarent. Sic paululum prædæ vorax Populus acquievit, donec inſidiis liber, quibus dudum ſolicitus de reditu verebatur, graviùs ſolito rapinas exigebat. Accidit quidem, ut à Patria ſua procul deductus in altum Vir magnæ indolis Patritiorum decreto uſque Peram, quæ juxta Conſtantinopolitanam regionem Januenſibus ſavet, ſedulus veheretur, cujus Claſſem puppibus geminis ſtructam Venetorum quinque Ligna velocia, & ad fugam aptiora, crudeliter invaſerunt, ſpoliiſque violenter ablatis vix Ducem ipſum multis peremtis ad locum deſtinatum accedere permiſerunt. Hinc furor, qui dudum cinere tepido ſiluerat, in flammam exiens odium inextinguibile ſuſcitavit: pertinax enim eſt, quæ lentè ſuccenditur iracundia. Januenſes itaque ad ultionem ſuæ injuriæ prorſus intendentes, Decurionibus in unum vocatis, adversùs hoſtes bellum votis paribus indixere; neque id longè differendum, ne impetus juſtè ſæviens in mora langueſceret. Juſſerunt itaque illico Claſſem omnem litoribus ſuis ſubductam advehi, & tabulis & pice nova refici, & ſuis opportunitatibus innovari: deinde paratam viris & armis, ac bellicis inſtrumentis citò repleri, quæ ſumtibus fiſci, divitum theſauris expoſitis, ſubitò ſactitata ſunt. Tunc Ducem ſtrenuum & acrem, qui ceteris præſit, deligere rati, tamdem Virum nobilem ex Auria ſtirpe productum, & ſæpe navalibus bellis expertum, nomine Lampa, ad id facinoris præmeditati, ſalubri conſilio præſecere; qui coram verendis Patribus præſto veniens, legem ab ipſis ſub hac forma ſuſcepit: *Cogimur in Venetos arma juſta vindice motu capere, ne Rempublicam gelidè foveamus. Ii quidem nos in offenſam ſævis rapinis ac cædibus provocarunt; ſed vim locus eſt repellere; ideo nunc, Juvenis animosè, quem Progenitorum tuorum ac ſobolis clara fama commendat, acceptis viribus tuæ Patriæ hoſtium noſtrorum effrenem ſuperbiam contere, eoſque mutuis rapinis acer elide; adeò ut robur noſtrum ſentiant à Proavis non degenerare majoribus.* Ad hæc pugil exultans Rempublicam animo priorum more geſtare; ipſamque viribus ſuis tutari velle, nec metuere pro ſervanda Patria vitam periculis totis exponere, malleque reddidit, ſe victorem in bello cadere, quàm victum & ſuperſtitem ex hoſtibus fugere. Dent modò vires & Claſſem, non timidè profecturum uſque in Portus Adriacos, coram verendis Patribus fide ſpopondit; & ſi rebelles in pelago non invenerit, navigio non deſiſteret, priuſquam hoſtes in Sede ſua ferro flammiſve relæſerit. Quem poſt audaces ſermones Patres conſcripti dignè laudantes, non ipſum temerè prolabi ad tantæ gloriæ facinus, ſed prudenter, monuere, nec quemquam ſortè, quoties de gloria decertatur, negligendum; multoſque olim neglectis hoſtibus per ignaviam deperiiſſe.

His itaque ſobriè ſactitatis, Venetos tanti

apparatus cauſa non latuit. Tunc Decurionibus A
in ſecretum vocatis Dux Illyricus cauſam aperuit,
quoque ſtatuendum adverſus hoſtium robur vi-
deretur in medio protulit. Quorum qui jam
ævo maturi, bellorum tumultus vitari prorſus
hortabantur, ſatiùs cum hoſtibus de concordia
paciſci, quàm vincendo pugnare, dubioſque li-
tis eventus fore, ac rerum ignaros caſus docue-
re non ſemel experti. Quibus autem junior ætas,
& animus calens ad cruoris hauſtum, degene-
tes metus abjici, & in hoſtes ſuos viriliter mi-
litari prorſus voluere. Proinde ſæviorum conſi-
lio utentes, claſſem & arma parari, viroſque
ſtipendia merentes decerni ſumtibus publicis il-
lico ſtatuere. Et ne res tanta Duce careat, An-
dream Dandulo Virum ſatis fama conſpicuum, B
ceteris præponendum decernunt. Addidere quo-
que ſocios huic verò egregiæ ſobolis, & in Pa-
triæ ſuæ labefactatis rebus expertos, quorum
conſilio agenda quæque perficiat. His itaque ſic
decretis, Conſilium dimiſere, & ut cetera pa-
rentur, moras ſegnes tolli Dux imperat. Tunc
puppes vix numero centum in pelagus dimiſſæ
ſunt. Viros hi pactis eruunt mercedibus: hi ſa-
gittas, & inſtrumenta quæque bellica navibus
collocant; alii rudentes, & carbaſa renuvant;
alii remos & tranſtra reficiunt; ſicque omnis vi-
rorum induſtria circa apparatus tantos exercitio
nitebatur. Demum brevi mora ſumtibus maxi-
mis cetera juſſu Principum adeò peracta ſunt,
ut numquam tot ſignis & armis floruerit Claſſis C
Illyrica. Januenſium autem Lampa, profectus
cum navigio fretus circa, Portus Sicanos ver-
ſùs Dalmatiam properabat: quod Venetorum
Dux intelligens, paucis illuc horis accedere Claſ-
ſem jam paratam, & ſuos Portus anticipare per-
ſuadet; ſed diu moratus, ſerò providit; nam
prior Lampa jam Portus Illyricos remo velociore
ſubjecerat, locumque ſatis egregium, quem Ve-
teres Corcyram, indigenæ autem ſermone vulgari
Curculam appellant, vi corripuit, ubi ſævis
depopulationibus, igneve furens, jam non pavi-
dum piratico more prædonem ſe oſtendit. Tam-
dem ad id Loci properans Adriaca claſſis ap-
pulit, quam cùm hoſtis audax longè vidiſſet Por-
tus jam comprehenſos appetere, gentes ſibi de- D
votas e rapinis revocatas claſſem aſcendere im-
perat, & in hoſtiles carinas proras dirigere.
Ut ergo Illyricæ gentis Dux acceſſit, pelago
puppes ſuas continens hoſti nuntium cymba di-
rexit, ut vel ſecedat, vel trucis gladii rabiem
victus expectet. Ille autem, ſe illuc veniſſe,
non tam citò fuga ceſſurum, aut ſolis verbis
arma ſe poſiturum reddidit. Inde bellum utrin-
que, nocte ſubveniente, in diem ſequentem ma-
gnanimi diſtulere. Sed non adeò Januenſis Dux
cupiebat tam ſubito impetu ad pugnam accede-
re, ſed uſque in diem tertiam expectare; erat
quippe tunc inſtans mane futuro Virginis Verbi
Matris lux cunctis Fidelibus veneranda, in qua
cruoris hauſtum Deo mitiſſimus abhorrebat. E
Suberat etiam altera moræ cauſa; nam ex pup-
pibus ſuis, quas a Patriæ finibus numero quinque
& ſeptuaginta ſtudioſus adduxerat, tres & de-
cem pelagu errantes nondum reviſerat; metue-
bat namque cum hoſtium ratibus minori numero
congredi, qui tantùm quatuor pauciores centum
portu ſubduxerant. Demum luce poſtera redeun-
te ad bellum proni Duces locis diſparibus con-
venere. Hic in altum, qui poſterus venerat;
alter ſiccus litus captum puppes collocans, pro-
ras adverſùs hoſtem direxit; metuebat enim, ne
retro per inſidias incautè premeretur. In quem
illico Dux Illyricus ratibus ſuis in globum ad-
ductis impetum faciens, decem primùm roſtra
roſtris inſerere voluit, quibus obviam ſe tamen
Lampa dimiſit. Hinc bellum acre ſuſceptum,
hinc manus manibus inſitæ, nec jam ſpiculis va-
cuatis pharetris longè decertabatur, ſed cominus
gladiis & pilis mutua vulnera membris æſtuanti-
bus inferebantur. Demum cùm Duces utrique
pro ſe metuentes ad opem inferendam propera-
rent, bellumque jam incœptum ferro occidere-
tur, pauciores Januenſium puppes viris ſuis ſpo-
liatæ vim hoſtilem majori numero pati nequive-
re; ſed retro cedentes verſùs Ducem ſuum fu-
gam capiunt; poſt quas adverſo curſu velociores
inſequentes, cùm avidæ cruoris hauſtu, de ſeque
fidentes nihil metuerent, uſque in aciem, ubi
prior immotus Lampa manebat, temere corruê-
re. Tunc in eas manus innumeræ convenere,
dudumque pugnatum eſt, donec inter majori
numero ſibi oppoſitas ſe malè jactari ſentientes,
poſt multas virorum cædes retro abiere. Una
tamen ex eis inter hoſtium globos eliditur, cap-
taque, & viris ſpoliata adverſùs hoſtes munita
paruit. Tunc nauticus clamor exoritur, major-
que Januenſibus crevit audacia. Venetus autem
Præſes ira fremens, propiùs accedere voluit, ne
mora torpens bellum differret. Illinc puppes
omnes ad pugnam incitatæ; hinc ſagittæ, hinc
tormenta quælibet in necem dimittuntur. De-
mum cominus utrinque deductis, non gladiis
tantùm, piliſve, ſed remis ipſis, & navium
inſtrumentis avido impetu certatum eſt. Sunt
qui cæmentum à Lampa callidè ſubiturum in ho-
ſtium oculos effuſum pugnando referant: grave
quidem tormenti genus, dum viſum impedit, &
manus ad tuitionem ſui vultus deferri coercet.
Tantus itaque puppibus inſitis cruor effuſus eſt,
tot cædes, tot vulnera manibus impiis productæ
ſunt, ut vix calamus lacrymas ſcribendo conti-
neat. Nondum tamen fortuna pendens alterutri
magis favere videbatur; ſed dubii caſus tracta-
bat eventus. Nam licèt Lampa paucioribus na-
vibus oppugnaret, illa gens viribus melior, &
ponti periculis expertior habebatur; puppes au-
tem Illyricæ Populos ab Euganeis rura colentes
propter ſordidi lucri mercedem attraxerant, qui
maris ignotis citiùs procellis, puſillanimos titu-
bantibus lignis ſe illico præcipitari verebantur.
Pugnantibus itaque acriter his jam lux inſtans
Sole declinante citra horam undecimam fugie-
bat, cùm Januenſium rates dudum pelagi ſævi-
tiam perpeſſæ, poſt multos animi labores tam-
dem Duci ſuo feliciter appulere, qui licèt earum
deſperaverat adventum, non ideo bellum timi-
dè conferebat. Veneti autem, ut eas ſignis ad-
verſis accedentes conſpexere, illico gelatis ani-
mis metum concepere, manuſque languentes ad
bellum factæ ſunt. Quod ut Lampa ductor egre-
gius prudenter agnovit, juſſit ut venientes ad ſe
puppes hoſtilium latera navium curſu feſtino per-
cuterent: quo properè facto, ſubitò omnis Ve-
netorum Claſſis in ruinam disjecta ſucceſſit.
Tunc cædes, tunc vulnera ſævis gladiis pertra-
ctantes in cruoris hauſtum impii nitebantur.
Hic primùm Schenella Tarviſinus Comes Vene-
tis certa lege pactionis adjunctus, & ut vires
ſuas acerrimus experiretur in bellis, puppe qua
Præſes agebatur, crebris vulneribus ſaucius pu-
gnando defecit, & mari præceps obrutus piſci-
bus eſca dimittitur. Simili fato Saracus Grado-
nicus, vir claræ indolis, cæſus occubuit. Eadem
ſors Bazeam Maurocenum poſt lapſum Principem
claſſis Illyricæ crudeliter tulit. Demum Menego
Sclavo, qui Comeſtabilis Illyricæ gentis pro ſta-
tuendo belli ordine præeminebat, in fugam con-
verſo,

Digitized by Google

verſo, ad puppem, in qua ductor primus aderat, Lampa ferrum applicuit. Hic pugna trucior, hic cædes maxima viris pugnantibus ſuſcitata revixit. Hic victus Andreas Patriæ ſuæ vexillum ſibi commendatum pronus amplectens, multorum gladiis trucidatus, tamdem in ſanguine ſpiritum vitalem effudit; ſed non ideo ſigna Patritia manibus comprehenſa reliquit, nam moriens uſque continuit, haſtamque cruore ſuo rubeſecit. At illum propter virtutis ſuæ robur pelago victor Lampa præcipitari negavit, illumque tumulare dignè conſtituens, uſque Curculam cadaver deferri juſſit, ibiq; marmoreo ſarcophago venerabilibus exequiis commendari. Tunc hoſtibus ſuperatis, ſuo cæſo Principe, Lampa victor emicuit, qui claſſem omnem gentis Illyricæ pelago disjectam, remis viriſque ſpoliatam apprehendens, Dalmatico litori triumphali more ſubduxit. Ubi ratium, captivorumque numerum ſtudioſè recenſens, puppes duas & octoginta, viros autem ſexies mille, & totidem centum, ſuperadditis quatuor & quinquaginta, calculis deductis invênit. Sed è puppibus præter has decem & quatuor fuga ſubtractæ, priuſquam bellum deſiſteret, abiere, triſte quidem Patriæ ſuæ novum fuſis lacrymis allaturæ.

Sed neque Lampa tunc luculentam adeò victoriam ſecutus eſt, ut qui ſuorum ſtragem non ignoraret maximam. Nam is ut veteres adhuc perhibent, majoris numeri cæſos è ſua gente triſtis explorator invênit. Fuere quippe prope millia ſeptem, & quinquies centum, quos ad Patriam reducere nequivit Dalmaticis obrutos in procellis. Ut igitur victor Lampa diebus quatuor moratus in litore, ſecus Curculam captivos puppibus ſuis cuſtodiendos impoſuit, ſauciosque omnes ab Illyricis ſeparans vinculis coarctavit, ſibi ſuiſque providens cibis & quiete, demum claſſem omnem ſolvit à litore, versùſque Patriam feſtinans ad litus Raguſium applicuit, ubi Præſidem urbis, qui Venetis ſubjectam arcto moderamine gubernabat, per Legatos alloquens, ſe victorem nuntiavit, ſecumque multos Illyricæ gentis captivos advehere, è quibus ſaucios centum ſepties illi pro totidem ægris tradere modò velit, aliquos autem ſervare prædicavit; cui ille victorem elatum Deo inviſum eſſe reddidit, nec ſibi quicquam conferendum habere; quòd ſi fors aſpera in Cives ſuos modò deſævit, poſſe denuo felicibus votis reſurgere. Inde Lampa ſe e..ens, ho , quibus ſalutem vulnera gravia prorſus negabant, ne pondus inutile fierent, in litore ſicco depoſuit, ceteros verò in Patriam ferendos reſervavit. Ut igitur Siculum litus applicuit, paucis diebus ibi moratus, membra defeſſa quiete blanda recreavit. Poſt verò triduum ponto ſecedens, gravibus ventorum fluctibus circumventus, tamdem inter Patriæ fines citus appulit, ubi obviam exeuntium turbam multam, quam amor ardens, aut propaginis arctæ nexus illuc properaſſe coegerat, gaudio repletus invênit, complectenſque complexus lætitiam mutuis auxit amplexibus. Tunc majori Claſſe proveniens, belli modum partæque victoriæ quærentibus ſeriatim expoſuit. Cæſorum, captivorumque numerum, quotque Du es pelago ſubmerſos reddidit. Demum Patriæ propinquans, tum omnem claſſem Civibus ſuis preſſam hilari pompa exire conſpexit, illumque mutuis tactibus aut pronis vultibus gratanter aſſumere, quibus reciproca vice dignas referens grates, tamdem portu cupito potitus eſt. Deinde puppe citu egrediens in ſiccum ambulavit, ubi Populi Patritii multitudine ſtupefactus, hilari vultu & jucundo ſermone ceteros verbo ſalutavit. Tunc ad Aulam publici fori, ſequente Populo, magnificè conveniens, coram venerandis Patribus pronus acceſſit, illiſque captivos omnes, & ſpolia bello parta Civis optimus aſſignavit; nec ſuam quidem eſſe, ſed Patriæ prædam adjecit. Illi autem victorem gratè ſuſcipientes, dignis illum decoravere muneribus, & Patriæ ſuæ fideliſſimum habere coram omni Populo proteſtati ſunt; & ne fama ejus ob tantam ſibi partam victoriam ævo ſubeunte immemorabilis extinguatur, illi Atrium ſublime marmore giſpove contextum ad perpetuam ſui nominis gloriam conſtrui ſumtibus publicis ſtatuêre, in quo priorum more imaginibus propriis, & literis aureis, belli modum & cauſam, captivorum & ratium numerum cæſo lapide imprimi mandavere. Nec obeſt adeò temporis lapſa vetuſtas, quin adhuc ſupra ipſum Atrii veſtibulum, niſi fortè inter ſeditiones Urbis illius corruerit, res tota legi poſſit. Durabilis quippe eſt gloria, quæ à Virtute procedit; quod autem per ſcelus acquiritur nomen, non laude, ſed infamia dedecoris & ignominiæ deturpatur. Tunc ad ædem ſuam Lampa telato Populi jucundis plauſibus, plebis Magiſtratus captivos omnes adductos carceris rigore damnavit, eoſque juſſit ſolicitè cuſtodiri; ſed ne carceris longo ſquallore depereant, pecunia redimi poſſe conceſſit; puppes autem, & ſpolia quæque tradita fiſco applicuere. Denique his gaudio exultantibus, Venetis autem in mœrorem adductis, furore pacato poſt irreparabilis jacturæ caſum, intervenientibus hinc Mediolanenſibus, inde Paravis, placati Duces de concordia pepigere; factumque eſt, ut captivi omnes liberè dimitterentur, & ne ulteriùs in offenſam protrahantur, auri pondus maximum pro noxa decrevere mulctandos, ſeque pacis auctores pro pactione ſervanda fidei robur in exequendis effecere judiciis. Sed non ideo latens rancor in odio violenter extinctus eſt; nam adhuc præteriti memores ad ultionem intendunt. Nec vetuſta rei hujuſce quidem ſeries, aut multùm peregrina memoria. Nondum enim duo & triginta anni poſt ſumti laboris initium defluxere. Tunc enim aut infantiam agebamus, aut lactis ope deſtituti puerile voces pulſato fingebamus auditu; inde ſemper nobis tanta Venetorum ſtrages peraudita eſt, quæ quoniam memoratu digna viſa eſt, his æquum putavimus ſtudiis noſtris conſcriptionis gratiâ inſerere. Nunc ad ea quæ nos ſolicitant, opportunitate temporis exigente, citò illabamur.

Aggreſſi dudum Italicas clades, factaque ſordida Ligurum, Æmiliorumque Ducum tardiore ſtilo depinximus, neque ſtrenuè neque magnificè peracta, non ut famæ decorem aſſequi velimus in hoc opere, ſed ut ignorantibus aut ſcire quærentibus cauſæ modum, fiat rudis inſtructio. Nunc Germaniam reſumentes, ſuperborum Ducum litem bello diſcuſſam ordine referamus; intereſt enim, ut ad operis ſuſcepti propoſitum redeamus. Jam Adulphus Cæſarem induens ad ſumendos Imperii faſces nitebatur, ſumtiſque viribus fidelium ſuorum Alberto quem hoſtem habebat, ſuæ robur potentiæ cupiebat oſtendere, in quem non minùs Dux Auſtralis ſævire flagitabat; nec idem ſegnis ad parandas ſibi vires, ut properantem inimicum poſſet vi repellere. At ſedulus de ſe metuens Præſul Maguntinus Albertum in mora torpentem verbis aggreditur, illumque, quòd bello ſegnis pavidum fingat, ſermonibus increpat, hoſtemque metui non debere, cùm major huic à

Re-

Regia indole probitas, divitiæ ampliores, & gentium multitudo; ſubdit quoque pro juſtitia cum injuſto Principe decertari debere. His igitur animum Ducis adeò verſutus Orator accendit, ut hoſtem prælio adeſſe cuperet; deinde ſuorum fidelium pro ære robur evocans, copias virorum multas paucis diebu aſſumſit. Nec defuere quidem conjugis ejus fuere germani Carinthiæ Duces, & Tirolis Comites ſtrenui, Leviro ſuo opem afferre. E duobus enim alter Henricus junior, Othone pro Regni ſui gubernatione relicto, aſſumtis ſibi viribus, quas juxta Ripas Aticis ab incolentibus debitè poſcit, ter mille galeatos equites Alberto ſecum adduxit. Albertus autem fidelium ſuorum multitudine circumventus, properè Regia ſigna promovit, ſecumque numeroſum Exercitum trahens è confinibus ſui Regni culta Moguntina tamdem ſedulus attigit, ubi diebus binis moratus, cum Præſule fallaci colloquium habuit.

At hoſtis Adulphus jam per dies quinque militans uſque ad ripas Torrentis Rheni ſtudioſus advenerat, ſecuſque hujus litus, ne ultra temere ingrederetur, caſtra poſuerat. Jamque locum ſatis pugnæ habilem Marte feroci ſuperaverat. Hic quidem locus Moguntinis arvis fertur eſſe contiguus: quod poſteaquam Alberto, Præſulique ſubdolo relatum eſt, properè ad tuendos fines hujuſce regionis Auſtralis exercitus militavit, citraque fluvii rapacis alveum oppoſito hoſti caſtra diſpoſuit. Tunc Adulphus hoſtem exultans cominus adveniſſe, ſæpe illum per Legatos ſuos ad deponendam animi obſtinati nequitiam erga verum Cæſarem incitavit; cui ille convitia reddens, non illum, ſed ſe juſtum Orbis Principem aſſore prædicavit; &, ni cedat, id per Duellum decidi cupere, ne virorum ſtrages binorum Ducum oriatur ab impetu, ſatiuſque fore illi ſe cedere ſponte, quàm ferro pugnare. Ad hæc Adulphus ira fremens, non ampliùs differendum ſibi, ſed quam ſceptri competitor valeat experiri velle jam retulit; & ne magnificè locutum ſe pavere bello manus inſerere putet, illi ſignum bellicum more Regio tradi juſſit. Interea Ducibus nondum occurrentibus, cùm belli dies ſtatuenda reſtaret, Præſul Moguntinus, utpote doloſus & fallax, metuens Albertum viribus imparem Adulpho non poſſe reſiſtere, fidem perfidus exuit, ſeque Adulpho complicem addidit; & in Albertum clam conjurans ejus præcipitium flagitabat. Ignarus autem Albertus tanti ſceleris, dum ad bellum viros aptaret, opem multam expectans ſperabat à Præſule. Sunt qui illum pollicitis magnis, pretioque corruptum mutaſſe fidem exiſtiment; nos verò fortunam potiùs, quàm fidem, ſecutum fuiſſe; nam de ſe metuens, alterutri favere ſimulabat, ut altero ſecurus potiretur, victoris ſolùm fata reſpiciens. Nec enim Adulpho exigente, quo certiùs hujuſce hominis perfidiam noſceret, noctu clandeſtinè peragrans demum Adulphi caſtra ſubiit, illique fidem, quam ſæpe mutaverat, perjurio eſt ſervare pollicitus. Mane facto, dum ſceleris auctor Regio tentorio latens, nondum emergeret, viſus & cognitus eſt à nuntio Ducis Auſtralis, qui properè Alberto ſignificans, jam non ficta eſſe, quæ de infido Præſule toties acceperat, nuntiavit. Admiratus autem, & in ſtuporem adductus Dux Auſtralis ſpem in metu ſimulavit, fugamque diſſimulans, hora diei VI. viros & equos cibis refici, & arma parari ſtudioſius imperat: quod ſuorum cœtus admirans, cùm belli dies fixa nondum inſtaret, cur arma intempeſtivè pararet, murmure quærebat, nec minùs juſſa tamen factitabat. Demum cùm adveſperaſceret, artubus omnium refectis, & equis paratis, ſubitò gentes ſuas aciebus inſtructis in globum adduxit, cùmque ſciret Adulphi turbas avidè cibis paratis inſiſtere, minimèque tunc promtiores ad arma; fugam versùs Moguntina mœnia, qua tranſierat, celer arripuit. Depoſitiſque ſignis Regiis ſigna Præſulis infidi ſuſtulit, quo tutiùs regionis ſceleratæ fines præteriret. At ſobrius in menſa de hoſte ſemper cogitabat, quæ in eum moliretur Adulphu. Audito namque illum fuga evadere, menſis illico remotis ad arma capienda feſtinus incedit, aciemque maximam virorum, qui velocibus equis adſiſtebant, ut expeditiùs fugam hoſtis arceant, properè dimiſit. Denique omnem exercitum trans torrentem ſuperbum velociter impulit. Jam Phœbus humilis ad Oceanum declinabat, cùm acies prima ſequentium fugientes cominus inſtans excepit. Vixque tunc à fluvio fixæ conſtitere, & ni tenebris nox diem tum ſubitò operuiſſet, non in ſequentem lucem Duces animoſi bellum diſtuliſſent. Sic itaque utrinque paucis interemtis, ſubveniente crepuſculo, pugna dimittitur. Nec inde quies ulla viris contiguis nocturno tempore facta eſt pactis induciis, ſed uterque de ſe metuens, ne incautè periret, donec lux redeat, vigili cuſtodia ſervabatur. Soporem enim ab oculis eorum belli timor excuſſerat. Sole verò redeunte, cùm Aurora rubeſceret, magnus utrinque tubarum ſonitus, & equorum hinnitus oritur. Tunc ad bellum proni Duces a currunt; paucis exceptis, qui cibo jejunè refectis (nam ventris appetitum metus fugaverat) ceteri in globum congregantur. At Dux Auſtralis, ne timidus ob fugam externam ſuis gentibus videretur, metumque è mentibus omnium audacibus verbis expelleret, inter ipſas turmas orationem luculentam edidit, qua non tantùm audaces, ſed etiam puſillanimes ad bellum accendit. Præterea ne quis ſuorum inter belli ſtrepitum à ſignis ſuis diſtraheretur, quò rendat ignarus, arborem maximam, quæ vacuis agris ſola procul imminebat, ceteris locum ſtabilem fore decrevit, ibique omnes ſtatuit congregari, ne temerè fugientes ab hoſtibus læderentur. Adulphus verò jam acies ſuas pronus ad bellum acuebat, cupiebatque in hoſtem ſuum, quem parum timebat, cruentis manibus deſævire.

Tunc aciebus inſtructis, utrinque clamor magnus extollitur, propenſiùſque primi occurrentes bellum acre ſuſcitant. Hinc Henricus Tyrolis Comes ſublimioribus equis provectus pro Leviro pugnans, certamen primus initit, aciemque primam Adulphi contra ſe dimiſſam tamdem proſtravit, ubi multis utrinque peremtis victor idem emicuit. Deinde effectus audacior, in alterum viribus reſumtis à Leviro tenus irrumpit, quam & idem ſævo Marte compreſſam, tamdem ſequentem turbam enſe furibundus impulit; ſed avidus pugnæ nimis ultra progreſſus, inter globos virorum maximos vix temere occidit; unde retro abiens multis ſuorum relictis, aciem Leviri jam ad opem properantis feſtinus excuſſit. Tunc virorum manus manibus inſitæ; tunc gladii gladiis ſævis mucronibus editi vulnera mutuis vulneribus effecere. Tunc ad pugnam animoſi Duces exciti, quæ belli caſus exigat, viribus permiſere. Hi utrinque fortuna dudum anceps, cui potiùs faveat, in ambiguo verſata eſt. Donec Adulpho blandiùs ſpirans, illum victoria decorari velle infidelis oſtendit. Hinc Albertus repulſus, dum hoſti ſuo virorum copia major adeſſet, tamdem fugâ è bello ſe rapuit,

&

& ad arborem veniens, ubi errantes ſuorum turbas congregari decreverat, maximam ſuorum fidelium catervam de Duce ſuo metuentem illic ſtudioſus invênit; diſtabat quippe à loco prœlii ter mille paſſibus. Hic ſuis depoſita caſſide, ut animos adderet, ſe notum oſtendit, Leviroque adhærens, vix lacrymas dolore continuit. At Procerum hortatu correptus, ceteros ad ſe accerſiri juſſu Regio imperat, utque ſaucii graviter equos ſuos carentibus illis ſociis grati tribuant Dux levi efficit; ſicque ex omnibus ferè ter millia equitum, & tot militum congregavit; ex ſauciis verò infirmioribuſve equis ſedentibus multa millia convenere. Multi quidem inter acies ferro peremti jam occiderant. Hæc inter Adulphus hoſtem ſuperatum ratus ſuis gladiis periiſſe, non ideo fugientis illius manipulos inſequi voluit, putans eos non ultra fines Moguntini ſoli abire poſſe; malebat enim captivos in vinculis arctare, quàm pœnam in ſanguinem convertere. Sic ergo paſſus gentem ſuam ſolutis aciebus caſtra vacua ſuperati hoſtis accedere, relictaque ſpolia, & auratas veſtes, ac vaſa pretioſa inde referre. Multi quidem jacentium cadavera recentientes, Procerum exuvias, armaque ſplendida humeris ſuppoſita ſibi paravere. Alii equos ſeſſoribus ſuis carentes laqueis, aut aſtu doloſo comprehendere; ſic denique ferè omnes rapinis accenſi prædæ ſtudio ferebantur; maxima namque ſitis eſt, quæ cupidis inſita mentibus immoderate lucra deſiderat. Confeſtim properans Albertus, ira magna ſuccenſus, eò tamdem, ubi victor paucis comitatus manebat, exultans furibundus advênit. Improviſus autem Cæſar, cùm hoſtem, quem peremtum inter acies putabat, tam impetuoſè inſævientem aſpexit, illico timorem mente concepit, dum ſuos amore prædæ diſtractos procul vidit abeſſe; ſed eos qua potuit vocis dulcedine juſſit acciri, ad quem pauci rapinis abſtracti Ducis metu convenere. Ceteri verò ſibi paratos exuviarum acervos furtim abeuntes ſervare inſtabant. Ah quàm difficile eſt animos rapinis intentos ad iter virtutis revocare! Tunc Dux Auſtralis in Adulphum viriliter irruens, gladiis bellum inſerit, acriterque pugnans denique, ubi Cæſar ſub Regio vexillo fidelibus circumventus aderat, furens enſe pervênit. Hic bellum atrox, hic cruoris inclyti nocens effuſio; non degeneres, non improbi, non puſillanimes hic certavere, ſed claris Orbi Proavis, & indolis egregiæ pugiles, altum genus ab origine trahentes. Ah quanta hìc Ducum ſtrages! quanta futuræ prolis jactura! quanta virorum perditio geminorum Ducum ſævitia perit! Longa quidem nobis eſſet temporis mora cetera in numerum ſtilo redigere. Demum his acriter pugnantibus, Miles Henrico collateralis ex Tribu ſatis Nobili, clava, quam ferox agebat, Cæſaris galeam auro micantem ictu gravi percuſſit. Odoricus de Arcu è Tridentinis collibus fertur ſceleris auctor, fama dictante. Quamobrem anceps Adulphus jubis equi procubuit; deinde Miles alter nobis incertus illum, cùm jam amens factus eſſet ab ictu, præcipitem è ſede compulit; idemque telluri obrutum Ducem occupans, guttur ejus gladio ſecans ſævus lictor occidit. Sed vindex ſceletum cœleſtis potentia, hujuſce nefas abhorrens, tantæ cædis auctorem ex equo ſuo ſponte projectum, dum guttur cæderet Ducis Egregii, inter ſonipedum globos pedum preſſuri juſſit occumbere. Hoc quidem contigit, ut Annalibus editis ſcriptum legimus, Anno Dominicæ Nativitatis LXXXXVII. poſt ducen-

A tos & mille. XVII. Kal. Julii, Sole Leonem urgente. Tum etiam, ut ajunt, Stella crinita, quam Græci Cometam appellant, Cœlo viſa eſt, quæ Regnorum ſubverſiones indicat, ut vulgò refertur.

Defuncto itaque Cæſare ſubitus timor ſuorum mentes incuſſit, ſed ex his, qui magnanimitate animi præſtavere, dedignantes ſe captivos viliter trahi, aut per fugam evadere, gladiis magis ſuccumbere, quam bello ſecedere maluerunt. Pauci quidem anhelantibus equis, aut graviter ſauciis, abiere; ceteri verò ab hoſtibus comprehenſi vitam orantes, in vinculis arctati ſunt, nec tamen ii ex humili plebe, aut egenis orti parentibus, ſed antiquis derivati ſti-
B pitibus genus non obſcurum à Proavis nobilibus protraxere. Fuere enim, ut perhibent, numero ferè ſex millia, quos Albertus victor captivos ſervari juſſit; reliquos autem præter eos, qui bello cecidere, per fugam evadere paſſus eſt. Ex omnibus tamen infidum Antiſtitem ſtudioſus capere flagitabat, quem cùm unus Adulpho gratiſſimus Miles, dum & ipſe fugeret, fugæ anxium conſpexiſſet, ne perfidiæ debitam ultionem læſo hoſte vitaret, ipſum revertens Alberto captivum violenter adduxit. Cujus captione victor exultans illum properè Moguntiam revinctis manibus juſſit educi, ubi ferreis catenis circumdatus ſolicito carceri commendatur, donec in adventu Principis pœnæ
C modum ira vindex ad nefas inveniat. Applaudens itaque victor Auſtralis diebus binis totidemque noctibus in agris, ubi hoſtis cæſus occubuit, ne quis reſumtis viribus inſidias iterum paret, moratus eſt. Demum, Adulpho Regalibus exequiis tumulato, versùs Moguntina mœnia ſigna victricia direxit, cui obviam exiens omnis Populi multitudo flammatum in ſe Ducem ob injuriam capti Præſulis facundis ſermonibus placavere; qui noxios tamen pœnis afficiens, inſontibus ſe benignum exhibuit. Antiſtitem verò perfidum ob Religionis Sacræ titulum à vindice gladio, Deum veritus, liberavit; ſed non ideo mortis genus omne vitavit, nam veneno, ut perhibent, potui mixto potiùs quàm dolore illum
D loquax fama vulgo prædicavit extinctum. Ceteros autem illi ad ſcelus complices laquei feritate mulctavit. Deinde pacatis omnium militibus, & furore demiſſo, idem Moguntinis poſcentibus Gubernatorem pro Regia Sede decrevit, Viennamque proficiſcens, colloquium ibi ſolemne die præfixa conſtituit, quem ad locum Principes omnes Germaniæ Legatis fidelibus advocans, Regio juſſu venire compulit, ubi die ſtatuta magnificè convenientes illum, cùm ſic fieri tumidus imperaret, Cæſarem Auguſtum, & Orbis Regem Primum coram omnibus decrevere. Multi quidem inviti metu victoris ſuperbi favere coacti ſunt. Hæc inter Cæſar gaudio lætatus immenſo, epulas ſolemnes diebus multis
E celebravit, pavitque omnes ſuæ gentis Tetrarchas, & egregiæ indolis Proceres, ipſoſque poſt dies octo conſummatis equitiis, & ludis jocoſis, ad propria redire permiſit.

Decretum verò Cæſar Albertus hoc Populis omnibus ſuis Literis nuntiavit; ſed primùm id Apoſtolicæ Sedis Paſtori per ſolemnes Legatos ſignificare diſpoſuit. Sedebat equidem tunc inter Apoſtolorum cœtus Petri Succeſſor Bonifacius Papa magnanimus, qui cùm Legatos ab Alberto veniſſe ſedulus accepiſſet, eos intus in Aulæ locum ſecretiorem vocari juſſit, coramque fratribus ſuis rem commiſſam in ſermonem redigi voluit, quam cùm auribus percepiſſet, hæſi-

tan-

tantibus illis, quid reſponderet, famulos properè jubet accerſiri, utque gladium, & Diadema citi afferant ſedulus imperat, quibus præſto allatis, idem lateri enſem, capiti verò Diadema torvus impoſuit. Deinde paululum moratus aſſurgens, læva claves verendas, dextera verò gladium micantem oſtendit, vocemque rigidam ſuperbis oris hiatibus edidit verbis hujuſmodi: *Certum eſt vobis, Fratres dilectiſſimi, Sedem Auguſtam ſuo Duce vacare, illumque, qui juſtè debuit imperare, perfidi competitoris nequitia doliſque peremtum eſſe, nec quemquam ad id decus citra noſtri favoris gratiam velle produci. Miramur equidem, cur Albertus Romanorum ſe Regem appellet, qui juſti Regis & Domini ſui mortem ſitiens, in eum manus violentas injecit, & ob hoc ſibi Regium Titulum nactus eſt. Putatne vigilem Orbis Paſtorem inter tot Mundi labores ſopitum eſſe, an potentiæ noſtræ robur diu cognitum ignorare ſe fingit? quidque nobis liceat, quodve poſſit auctoritas noſtra, non videt? Debuit namque, priuſquam Cæſaris nomen induceret, nobis id ſolemniter indicare, veniamque ſceleris perpetrati devotè poſcere, & tam ſublimes apices hujus gradus humiliter exorare. Nam nemini licet abſque Paſtorali decreto illud ſibi decus aſſumere; Permiſiſſemus utique gratis illi, ſi tamen eum virtus, & animi robur dignum hujuſce muneris oſtendiſſet. At profectò nec majeſtatis læſæ reus, nec Legis noſtræ contemtor Cæſaris Titulum ſibi gratia noſtræ conceſſionis adſcribet, nec idem Italiam ſuis viribus fidens ſub ſpe noſtri favoris adveniet. Ipſe nunc apud Germanos imperet; nos autem Latias Gentes potentiæ noſtræ devotas nutu noſtro regaliter gubernabimus.*

His ſtupefacti ſermonibus, dum illum tam magnificè locutum poſt geſtus deſuetos Eccleſiæ Paſtoribus accepiſſent, nihil aliud referentes, ad Albertum Legati celeres redierunt, quodque viderint, audituque perceperint à Principe Sacerdotum, in orationis ſeriem redegere. Quibus illico bilem excitans Dux Auſtralis ſubitò in iram excandeſcens flammatus irrupit; deinde properè ſermones inopinatos eructans, velut cordis flamma dictabat, ſe quidem ad Italos prorſus profecturum edidit, pollicitus tamen Cleri Principem ſuperbum ſuis viribus tentare, quidve poſſit Cæſar Romanus, an Pontifex, experturum brevis moræ diſpendio. Sunt, qui illum confeſtim ad arma diripienda Populos ſuos excitaſſe dijudicent, utque Italiam citus adve-

A niens, donec ira graviùs æſtuabat, voti ſui deſiderio potiretur, temerè corruiſſe. Nos verò, qui hominis hujus virtutem relatu didicimus, non illum tam temerè in vitia illabi comperimus, ſed ſobriè utentem, non ſinè animi moderamine, aut prudentum conſilio, ardua quæque perficere. Non enim decet, ut qui virtute præfertur, vitiis ſceleſtius indulgeat; ſic & potentia dignitatem, non dignitas potentiam ſequi debet. Nunc verò, ne impiorum veſtigiis delapſi virtutibus obſequamur, ſceptra vi doliſve comprehendimus, comprehenſaque gladiis tuemur, & volumus. Igitur Albertus, ira licèt interdum tumidus æſtuaret, veritus pridem Dei Religionem offendere, ſeque periculis arduis
B dementer exponere, apud Germanos imperare maluit, quàm Italiam adverſante ſibi Sacerdotum Principe violenter appetere; ſicque miſerorum Ligurum, Celtiberumque vota deludens, dum ejus adventum flagitarent, circa ſuæ ſtirpis augmentum ſtudioſus incubuit.

At Bonifacius Romæ imperans, dum neminem ſibi parem compati dignaretur, jam theſauris maximis opulentiſſimus, quos idem è primitiis Campani ſoli, Siculæve Regionis avidus quæſtor longè ſibi paraverat, quoſque totius Orbis noxæ lavacrum petens Anno Jubilæo, veluti Paſtoris ejuſdem tabellæ ubique pollicebantur adductæ, ad Apoſtolorum limina pronus advexit. Inde omnis Terræ Principum trux eſt
C moderator effectus, ſibi, ſuoque generi tantùm de gloria providens, ceteris dignitates, niſi quales retinere non poterat, haud ſponte prodigus erogavit. Auſit quidem, Cæſarem mentiens, nepoti ſuo Marchionis titulum tradere; alterum verò Caſertæ Comitem appellari juſſit. Sicque dignitates multas, quæ Regi Romano debitæ ſunt, ex arbitrio inter ſuæ ſtirpis propagines viritim ipſe diſtribuit. Deinde patrium ſolum, quod Anagnia nuncupatur, ne quis præter ejus ſobolem in eo juſtè dominaretur, pretio vendicavit, & eos, qui rem ſuam tradere auri repenſione inficiabantur, venumdare cogebat, & ab emtore violento tributaria pactione redimere. Nec ſolùm hoc in Primates exercuit, ſed &
D Fiſci commoda publica, ac venerabilium locorum prædia ad ſuos ære interjecto transferri voluit. Sed non ideo, licèt opibus multis abundaret, eam, quæ ſolis moribus, & animo Nobilitas geritur, nec auri æſtimatione penſatur, eam ſibi ſuoque generi potuit vendicare.

Explicit Liber Secundus.

IN-

INCIPIT LIBER TERTIUS.

Philippi Francorum Regis bellum infauſtum in Flandrenſes, ejuſque diſſidia cum Bonifacio Papa, qui Anagniæ captus ac liberatus, miſerrimæ tamdem morti ſuccumbit. Benedicti XI. Papæ electio, acta, & mors. Cui ſuccedit Clemens V. ſub quo Bonifacii VIII. memoria protecta, & Ordo Templariorum attritus. Maphæi Vicecomitis acta Mediolani, ejuſque dejectio, Turrianis prævalentibus. Sublato Alberto Scaligero Veronæ Regulo ſuccedit Bartholomæus, tum Alboinus. Hic bella gerit in Azzonem Eſtenſem. Piſtorienſium diſſidia, eorumque Civitas à Florentinis obſeſſa. Pro ipſis contra Florentinos ac Bononienſes fruſtra inſurgit Clemens Papa. Debellati tamdem ſe dedunt. Mutinenſium defectio ab Azzone Eſtenſi, uti & Regienſium. Brixienſis Urbis acta. Guibertus de Corrigia è Parmenſi dominatione dejectus, & vi reſtitutus. Bellum inter Patavinos ac Venetos actum. Rizzardi de Camino Tarviſini Præſidis interitus. Azzoni Eſtenſi morte ſublato Ferrariæ ſuccedit Freſcus. Inſurgentibus in ipſum legitimis Eſtenſibus, opem ei ferunt Veneti. Clementis Papæ bellum in Freſcum, & Venetos. Hoſtibus proſtratis, illius Legatus Ferraria tamdem potitur. Albertus Cæſar à Nepote per proditionem cæſus.

HÆc inter Apoſtolicus Philippum Francorum Regem, dum inobediens eſſet, Paſtorali Virga percuſſit; nec quidem injuſtitia fretus eſt Papa magnanimus adversùs eum, qui Regni ſui primitias inficiabatur reſtituere; debuit enim in tempore munus conceſſum perfecto ſpatio revocare: cujus rei ſeries ne poſteros lateat, quàm breviùs hic ſubcinctè narrabitur. Inter Regalis Aulæ theſauros, quibus à Carolo Primo ſuæ ſtirpis ſucceſſiva Progenies de oratam ſe memorat, Flandrenſium turba ſolet eſſe gratiſſima; quæ gens effrenis cùm in Dominum ſuum Calcaneum erigens legem Majorum reddere indignaretur, Francorum animos in odium ſuſcitavit; eademque bellorum ſæpe turbinibus expugnata, victori negata dona demum coacta perſolvit. Sed non ideo eſt parta victoria ſine ſtrage. Igitur cùm longi temporis decurſu debita negaret tributa reſpondere, in eos Philippus ira flammatus excanduit, quos ſibi rebelles penitus nominavit. Demum exercitum maximum trahens uſque Bruozidis locum, qui valle concava telluris optimæ fundatus eſt, violenter irrupit, ubi tentoria figens, tamdiu ſe manſurum, donec hoſtes Marte ſuperaſſet, jurejurando firmavit. At contra vir probus & audax Ugo Flandrenſis militiæ Comes egregius non levior fuit in propoſito velle reſiſtero; ajebat utique liberum Populum intolerabilem Gallorum ſuperbiam pati nequire, horumque jugum ferre non poſſe: ſed quod olim ſervili opera præſtiterit, id vi compulſum contra jus & fas indebitè tribuiſſe. Sicque votis diverſis cùm Dux æſtuaret uterque, omnis in diſcordiam mota eſt Populi multitudo. Itaque pugnam ingreſſi, hic viribus, alter dolis reſiſtere nitebantur. Demum Franci nimboſi ætheris inclementiam negligentes, dum limo caſtra firmaſſent, ſævis imbribus corporum ægritudines perpeſſi ſunt, adeò ut ipſi ſonipedes cœno torpere cogerentur. Non enim urbes, villas, aut oppida expugnare, non

A acies campo Rex tumidus deducere poterat, non vineas muris erigere, aut tormenti genus ullum in hoſtem adducere: tanta paluſtris ſoli mollities, tanta aeris intemperies, ut vix colles in valle natarent. At Flandrenſes mœnibus tuti per navigantes ſublatis excubiis ſecuri manebant, Regemque ſuperbum in caſtris ſordentem conviciis increpabant. Quamobrem ira tumens Philippus acies movere Magiſtro militum, utque mœnia expugnet obſeſſa, trux imperat. Ille autem Domini juſſa non ſponte ſuſcipiens, ne moleſtum ſentiat, in globum armatos manipulos advocat, ſecuſque murum producere nitebatur; ſed tardior ad illos greſſus, & iter nimium difficile equis factum eſt in arva limo-
B ſa. Quod videntes Flandrenſium alæ mœnibus latitantes, illico in hoſtes pedibus humanis viriliter irruerunt; non enim mos eſt illis propter loci ſitum humentem equis impetere: unde tanta Francorum ſtrages, tantus cruoris hauſtus affuit, ut vix omnes agri fuſo natarent in ſanguine. Denique cædibus laſſati Flandrenſes reliquias gentium ſuperbi Regis inſectati ſunt, illumque majorum ſuorum auctoritate verentes, ne Caroli ſemen tamen opprimant, ſponte abire permiſerunt. Qui fuga ſe celeri, relictis equis ferè omnibus in limo, ſubripiens, uſque ad fines Regni ſui ſub inſtante nocte pervênit, ibique ſuorum turbas errantes tutè ſubſtinuit.

Tum ira graviter tumens Regni ſui viros
C omnes ad arma ſolicitat, edixitque ut utenſilibus & bellicis inſtrumentis iterum reſumtis, Flandrenſium ædes & arva igne ferroque depopularentur. Sed ad hæc pecunia grandi opus fore dicebat, qua viros ſtipendia poſcentes vili mercede redimeret; nec ob id tamen Populos ſuos ad tributa Regia non debita ſponte coercuit. Metuebat equidem vulgi favorem peculariis donis offendere; maluit enim pecuniam creditam à ditiſſimo quovis Principe vendicare, quàm populares inſueto cenſus more violenter excutere. Inde ſeniorum conſilio fretus ad Apo-

ſtolicum Legatos ſolemnes properè direxit, cujus opem iu tanta belli cauſa negari ſibi nequaquam verebatur. Sciebat etiam, opulentiſſimum Præſulem theſauros Eccleſiæ propter Fidelium præſidium congregare, & eos, quotiens tempus neceſſitatis incumberet, prodigè fundere. Abeuntes itaque Legati tandem iter longum emenſi, ad Urbem delati ſunt, ubi Boniſacium ſobriis ſemper intentum vigiliis adeuntes, hæc illi pro Rege ſuo verba facundo protulere ſermone: *Venimus huc, Paſtor optime, Chriſtianiſſimi Francorum Regis mandata ferentes, quæ repulſa privari, nec apud te negligi fides noſtra non ambigit. Scimus equidem, id fama dictante, ſiniſtrum belli ſui fatum, dum Flandrenſium faſtus, negantes ſuo Regi parére, ad debitum juſtis obſequiis famulatum cogere niteretur, ad aures tuas diutiùs perveniſſe, & quo ad decet Majeſtatem tuam condoluiſſe: ſic enim fortuna inſtabilis rebus ludit humanis; ſic vices noſtras mutat, & temperat. At non ideo Rex fortis & potens lapſus eſt; ſed erigitur, & audet, ac viribus reſumtis & armis, adverſus rebelles potentiæ ſuæ robur vult prorſus oſtendere. Eget tamen tuæ benedictionis ope, theſaurorumque ſuæ Matris Eccleſiæ ſupplex opem expoſcit, quibus viros & arma reficiens hoſtium cornua victor domet, & corrigat. Debet utique, ſuorum non immemor auctorum, qui Fidei Chriſtianæ cultum ſummis auxere periculis, quoaque idem tuis nunquam deſtitit promtus obſequiis.* Hæc Bonifacius aure ſuſcipiens, mentem jam precibus juſtis erectam tacitus fatigabat; quidque illi aptiùs tribueret grato munere recenſebat. Proinde Fratribus ad ſe vocatis, hujuſmodi Legationis modum conſultor ſecretus aperuit. Illi verò dubiis hæſitantes judiciis, velut cuique Rex gratior fuerat, votis conſuluere diſparibus. Primus quidem Matthæus Urſinus ſub Apoſtolico Cardo præcipuus, dum Philippum odio latenti collideret ob Columnenſium latebras, quos fovere in tuto videbatur, non Regi meritam opem edidit, quum propter ſui Regni augmentum, non Sanctæ Religionis, pugnam expeteret; ſi tamen Apoſtolico cauſam illius tueri ſancitum eſt. ipſum opes multas & theſauros congregaſſe, quibus facilè non ſuo Regi ſubveniiſet; idemque non moleſtum ceteris turbis eſſe, ſi quod eſt ſuum, aptè contribuat Ut verò ſedit Orator audax, aſſurgens Lucas Januenſis ait: dignum fore Philippo in adverſis ſuis clementer obſequi, nec quam opem expoſcit, à divite Clero negandam: cùm & idem in agendis pro Eccleſia promtus utique fuerit, nec remiſſus; & theſauros quidem multos adeſſe, quibus facilè Romanus Pontifex illi ſubveniat. Videndumque, ne Beneficiorum immemor Clerus manifeſta notetur ingratitudine; & ſi deficiat, Fidelium animos infirmare ſe ſciat, & in fervore dilectionis tepefacere. Neapoleo autem vir facundus, & audax, poſtquam hos ſermones accepit, cum neutro conveniens, opem Regi debendam non eſſe locutum cautè redarguit, quòdque theſauros Eccleſiæ ſervans illi ſubveniat clara voce laudavit, nec quidem ex modicis Cleri horreis, ſed coacervatis Eccleſiæ peculiis auxilium præſtandum maturè propoſuit; nec tarda manus ſuccis egens opportunis medicinam præſtolari differat, donec vulnus ſanabile. Sciebat quippe, Boniſacium in avaritia laborare. Denium colloquio dimiſſo, Bonifacius animum jam inquietè fatigans, meditatus eſt non facilè, aut ſinè periculi metu fore, aurum, argentumve ad Philippum ex Urbe transferre, latronum inſidias pertimeſcens longa Regnorum diſtantia. Proinde præter fratrum ſuorum aſſenſum de primitiis Regni ſui, quæ Romanæ cultoribus Eccleſiæ dabantur, Philippo ſtatuit providere, ut infra certum tempus earum perceptione gaudens, finito ſpatio priori cauſæ reſtaurare pateretur. Sicque Legatis in ſecretiorem Aulam vocatis primitias omnes frugum Regni Francorum, ipſarumque uſum per Apoſtolicas conceſſiones Philippo donator prodigus erogavit, eatenus ut poſt tres annos eadem in priſtinum revocentur.

His Legati donis functi ad Regem ſuum maturo acceleravere progreſſu, illumque jam ad hoſtes grandi profectum militia de his, quæ Apoſtolicus conceſſiſſet, placidis docuere ſermonibus; qui gratè capiens munus oblatum in hoſtes alacriùs perrexit. Sed & heic dum aëris inclementiam hyeme imbribus ſæviente pateretur, fortunam non minùs ſibi moleſtam fore comperit; nam cædes multas, & ſuæ gentis captivitatem ſæpe cernens, denique ſuadentibus ſuæ Majeſtatis cuſtodibus, Guilielmo Regi Anglico, & Teobaldo Burgundiæ Comiti viris illuſtribus, hujuſce controverſiæ cauſam eorum arbitratu decidendam, Dux uterque vix ſponte permiſit. Solent quippe Reges, & Mundi Tetrarchæ tumentes animis non facilè ad prima deflectere; raroque manſueſcit potentia, niſi victa ſuperbia. Tunc Philippus excidia ſuorum multa perpeſſus, paucos è Flandrenſium gladiis ſecum eduxit, Regnique ſui mœnia repetens, litem hanc arbitris utrinque delectis decernendam impoſuit, qui propter tumentium Ducum faſtus intolerabiles de concordia paciſci nequientes, interpoſitis bellorum induciis furentes gladios quieſcere mandarunt, donec per temporis ſpatium diſcordiæ cauſam non ignorantes, quid juſtitia exigat inter ipſos ſuo arbitratu definiant.

Interea gravis Apoſtolicum cura vexabat, dum Federicum Siciliæ poſſeſſorem violentum ſuperare non poſſet. Nam hic Caroli Natos duos Apuliæ Ducem Robertum, & Tarenti Principem in finibus ſui Regni caſtra moventes belli tumultu disjecerat: & ex eis alterum captivavit, alterum uſque in pelagus fugando perſecutus, vix evadere paſſus eſt; ſed hunc tandem, Neapolim poſt breve ſpatium armis invadens, in ipſo Portu captivum uſque Siciliam victor adduxit, de quibus hic compendioſè tractamus, quia latiùs in priori Libro conſcripſimus. Quamobrem Carolo, quem pia Mater Eccleſia dudum foverat, benignè compatiens, quatenus captivos redimeret, ac violentum Regni Siculi detentorem de ſede projiceret, Philippo Regi Francorum Legato. ſuos opem rogaturos, id Carolo poſcente, direxit; qui Apoſtolici juſſa non moleſte ſuſcipiens, Carolum Regis ipſius germanum, quem pro Eccleſiæ reformandis partibus in Thuſciam legaverat, ad Apoſtolicum accedere Regiis literis exoravit, & ut illius vota perficiat, ſedulus Orator perſuaſit. Sciebat quippe, non ea Pontifici grata, quæ apud Thuſcos Legatus ipſe peregerat. Itaque frater ad Urbem citò proficiſcens idem exercitum, & puppes multas accipiens, in Siciliam transfretavit. Ubi quid idem perfidus egerit, pridem vobis conſcriptum ſatis egregiè reliquimus. Potuit etenim Federicum volens ad reſtitutionem poſſeſſionis vi compellere, ipſumque reſiſtere deſperantem in vinculis arctare; ſed nec Bonifacio gratum egit, nec idem Carolo gratior fuit: tanta latens animorum ſubverſio cis inerat. Acceperat etiam Carolus ſuperbum

Ur-

Urbis Præſulem, à Philippo de primitiis ſibi certa lege conceſſis, adventante termino, reſtitutionem expoſcere, quas longiore ſpatio Rex cupidus uſu capere deſtinaverat. Unde Legatis hinc inde remiſſis, perſuadentibus concordiæ Miniſtris, dum invictus repugnaret, anni quarti tamdem uſum identidem protelavit; neque id ulteriùs ſe paſſurum per ſacras Clave proteſtatus eſt. Carolus verò Cleri apicem peroſus, ne illius vota ſub ſpe concepta perficeret, Federico urbes & oppida, & quæque vi ablata reſtituit, finxitque illum ad obſequia Virgæ Paſtoralis inniti, dolentemque pœnitere, quod Eccleſiæ dudum hoſtis rebellaſſet, & pro ſe interceſſurum fide ſpopondit. Deinde certus Pacis agendæ, exercitum omnem pelago emenſo, id quidem Apoſtolico ignorante, reduxit; Urbemque improviſus applicuit, ubi Bonifacium malè gratus adiens, non magnificè, velut ante ſpoponderat, ab Apoſtolico ſuſceptus eſt; ſed ab illo vexatus contumelias multas accepit, ut vix impetuoſiùs iracundiam temperans manus ſuas à cæde ſuperbi Pontificis abſtineret; ſed ne virtus animi labe victa deſiperet, ad fratrem rediens properè, quovis non impediente, diſceſſit. Tunc Bonifacius de Philippo malè cogitans, ne primitias ſibi conceſſas ulteriùs capere putet, priuſquam anni circulus radiis ſolaribus concluderetur, Regi non fido Legatos ſuos aptè direxit, qui ſub his verbis Legationis ſuæ modum cautiùs edidere.

Non tua nos ad te, Philippe, *Majeſtas, ſed Cleri Princeps optimus venire coercuit, dum rebus ſuis providens ea vult uti ſolertia, quæ ſobrium Principem decet curis advertere. Noſti quidem, & ipſe non negligit, primitiarum Regni tui uſum in tempore tibi permiſſum, ſpatio inſtantis anni finito, ad verum Dominum neceſſe converti; quod dum ferè præſto ſit, te vult priùs certis anticipare ſermonibus, ut ſi fortè ignarum te dicas, eo nuntiante non dubites. Reſtat quidem ambitus Lunæ trinarius, quem tibi comparans, inde munus conditionale reſtituas. Ne putes denuo tibi precibus ullis adſcribere. Fixum eſt enim illius cordi, non ultra tibi competere: quòd ſi rem negas, flammatum erga te ſenties Apoſtolicum repetundarum actione juſtiſſima*. Hæc Philippus mente concipiens bilem jam tumidus incitabat. Nec modeſtè quidem, dum propoſiti ſui tenax rem utilem relinquere indignabatur; utque furore accenſus more Gallico in hæc verba prorupit, velut excandeſcens ira dictabat ab impetu: *Si Cleri Princeps inſidus vos ad Aulæ noſtræ Tribunal legavit, iſtinc reduces ad illum cita ſuggeſtione remittimus, ut ſciat nos arma ſua præter Dei cultum non metuere. Quòd ſi quicquam paret moleſtum, veluti dabitur nobis, viribus reſiſtemus. Non debuit enim munus conceſſum, priuſquam jactura noſtra refecti ſponte reddamus, ipſe repetere, ſi bene quid ſit Magni Caroli Succeſſor, quidve poſſit, ſobria mente diſcutiat. Ite nunc, & illi noſtra verba referte: quod tenemus, adhuc prorſus tenere volumus, donec reſtitus dignum putabimus, ut non indigeat matris auxilio fidelis alumnus Eccleſiæ*. Poſt hæc autem ſubitò in thalamum ſe rapiens, Legatos abire juſſit, qui properè ad Urbem venientes tumidi Regis verba Apoſtolico retulere. Sed non minor Bonifacium ſermonibus auditis ira vexavit, quàm Regem Legati furentes verbis implicitis effecere. Deinde anno perfecto Petri ſucceſſor non oblitus quid in Philippum moliretur, illi quatenus primitias ſibi in tempore conceſſas prorſus reddat, per Apoſtolica ſcripta certus imperat; quod ni ſtudeat ſatisfacere, Claves ſacras, quantæ ſunt, humeris ejus imponere proteſtatus eſt. At non ideo Rex tumidus Sacræ Religionis cuſtodem vereri dignatus, humilem ſe reddidit; ſed magis iracundiam excitans in eum, ſuis reſcriptis propoſitum nequam edidit. Quamobrem Pontifex de Juſtitia meditans, Philippum, & ejus complices Sacræ Communionis interdicto tenaciter innodavit, & ni certum infra temporis ſpatium Paſtori ſuo devotè paruerit, anathematis ſupplicium certus expectet. Demum itaque cùm nec reddere munus acceptum, nec ulla pactionis lege cum Apoſtolico Rex tumidus flecti vellet, non minùs cornua erigens in adverſum Principem æſtuans Bonifacius illum, qui Claves ſacras ſpernebat, in conſpectu Fidelium truci judicio condemnavit, locumque Studio Liberalium Artium jam à tempore multo aptiſſimum, & lanificio congruum, ac gentibus, & divitiis opulentiſſimum, Doctrinæ cultu privavit. Poſt hæc autem cùm Philippi potentiam doloſve metueret, ne labatur vi captus, Carolum Neapolis Præfectum literis ſolicitat, quatenus ad ſe gentem multam protrahens, Apoſtolicum ab artibus ſuperbi Regis tueatur. Qui vetuſtam indolis ſuæ propaginem, & cognationis modum ſuis reſcriptis exponens, reddidit ſe Philippo adverſari non velle. Quapropter Bonifacius Carolum peroſus, dum Eccleſiam magis gratam, quàm ejus ſtirpem ſovere debuerit, illi immenſos auri theſauros, quos pro paranda claſſe adversùs Federicum mutuaverat, indignatus animosè repetiit, & ut reddat in eum Paſtoralibus ſpopondit ſævire remediis. Deinde Albertum Auſtriæ Ducem, quem paulò ante Cæſarem agnoſcere noluerat, dum in Italiam proficiſci negaſſet, per ſuos Legatos adſcivit, utque citus adveniat, benignus Orator illi perſuadet. Sunt, qui Federico Siciliæ detentori Legationem hujuſmodi deſtinaſſe dijudicent, qui adeò capitalis Eccleſiæ hoſtis fuerat, ut in eum tota Cleri potentia conjutaſſet; feruntque illum paratis armis & claſſe triduo poſt obitum Bonifacii litus Italicum applicuiſſe, & inde properè reverſum, dum prodi metueret. Albertus verò cùm nondum copias armatorum congregaſſet, audito Romæ Pontificem dolis extinctum, inter ſolitos ſui Regni fines permanſit, nec deſcendit ad Italos.

Demum itaque Rex graviter offenſus, non ultra vindictam differri ſuſtinuit. Noverat equidem Columnenſes Bonifacium exoſos à Patriæ finibus exulare, quorum Sarra vir audaciſſimus ſub Neapoleonis fiducia, qui ex ſorore ſua illum cum germani quatuor Nepotem vocabat, apud Caſtrum Marini, quod juxta fines Campaniæ colitur, ſecurus manebat. Hunc Rex perfidus nuntio feſtino ad ſe incitat, qui voluntatem illius cautè perquirens, ut in Bonifacii necem moliatur vi doliſque, perſuadet. Gaviſus ille de hoſtis ſui præcipitio, quidquid in nefas poſſit, verbis amicis ſe factitare pollicetur. Rediens itaque ad oppidum ſuum, quid Philippus de Apoſtolico flagitaret, Neapoleoni literis indicat; ſciebat enim Bonifacium huic moleſtum, licèt ſecum ſocialis eſſet inhabitatio. Nam è fratribus ſuis Romæ Pontifex illum ſtudioſè delegerat apud Anagniam manere, ne in ſoli Patrii ſede relictus videretur ab illis. Hic Nepoti annuens, propoſitum Regium laudat, ſeque id ope ſua facturum latenter exponit. Tunc ne Regis meditatio vana fieret, Raynaldum Xopinum inter Campanos illuſtres virum ſatis nobilem, & ad ne-

nefas pronum, feſtinus acceſſit, illique rem pandit, utque armatos clam congreget, ſedulus orator imponit, aurum etiam argentumve ad virorum comparationem prodigus erogavit, pollicitus ad rem nihil deeſſe. Paruit ille, & ad Sarram ſe rapiens, pro patrando ſcelere comitem illi ſe præbuit. Gavisus Sarra pro Avunculo ſocium ſibi inveniſſe, cum eo quid expediat facere conſuluit; viſumque eſt, ut Stephanus Sarræ germanus è Provincia, ubi ex bonis Uxoris degebat, properè vocaretur, utque à Philippo turbas fideles accipiens ad Sarram feſtinus accedat; Raynaldus verò fidas clientum cohortes inter Campaniam pretio doniſque clam appararet, ut cùm res factu operoſa perveniet, in mora non lateat. Abiens itaque Sarra, fratre prius revocato, Regem inter Proceres ſuos tunc rebus agendis intentum diu expectatus invênit, hæſitantique, quidnam cum Apoſtolico ageret, sereno vultu nuntiavit, rem ipſam, quam mente conceperat, expeditionem exigere, ſeque ad id veniſſe, ut Regis ſummi miniſtros accipiens, præmeditatum facinus inde perficeret. Quod Rex exoptabiliter audiens, licèt abominabile ſibi propter Dei cultum videretur, non ideo quatenus ſibi complaceat votum ſuum peragere, deſtitit à propoſito. Tunc Guilielmum de Nogareto Militiæ Regiæ Præfectum, & cum eo equites ferme trecentos galeatos adjunxit, qui Sarra Duce diebus aliquot feſtinantes tamdem inter Campanos fines non hoſtili more tutis latebris devenere. Quod poſtquam Neapoleoni veris literis indicatum eſt, certum patrandi ſceleris diem nepoti conſtituit, monuitque ut intra viros & arma ſic paret, ne, dum opportunitas temporis aderit, per ignaviam res imperfecta corruat. Noverat enim, Apoſtolicum de ſe metuentem ſolicitæ ſe commendaſſe cuſtodiæ, & inter Natalitii ſoli clauſtra cognatorum vigiliis ſe dediſſe.

Ut igitur dies ſtatuta pervênit, vis perfidus Domini ſui præcipitium ſciens, cùm Aurora rubeſceret, portarum claves, quas Sigonfredus de Buſſo Papæ Armiger ſtrenuus ſervabat, fallax Miniſter juſſit aſſerri, ſimulans id ab Apoſtolico noctis in tempore ſuſcepiſſe. Credidit militiæ Præfectus, & mœnia valvis reſeratis aperuit, hoſtibuſque aditum ignarus præbuit. Tunc militiæ Dux adverſa Regia ſigna promovens Anagniam, comitantibus his, quos prædiximus, violenter irrupit. Inde ad Papale Theatrum impetuosè corruens, eos, qui Pontificis ſalutem ſub armorum feritate ſervabant, ante ipſum Theatri veſtibulum modica cæde diſperſit. Tunc in Aulam Paſtoralem Sarra primùm ingreſſus eſt, ſatellitum turbis circumventus, poſt quem illico Raynaldus memoratus, & cum eo multi, quos Campaniæ incolas ſibi ſtudioſus aſciverat. Bonifacius verò thoro, nondum egreſſus, propter ſtrepitum, quem audierat, inſolitum repentè excitatus eſt, ad quem famuli prodeuntes hoſtilem catervam nuntiaverunt. Admiratus autem, quid eſſet, ſubitò ſe pannis involvit, chlamydemque ſacram, qua tutior eſſet, feſtinus accepit. Ut igitur tamdem illuc, ubi latens, ſed ſinè metu ſedebat, januis vi ſubverſis perventum eſt, omnis pretioſa ſuppellex protinus inde ſubrepta eſt. Vaſa argentea, theſaurorum acervi immoderati ferè omnes rapinis intentos replevere. Sarra autem de hoſte ſuo multùm anxius ne fugeret, illum inter omnes Aulæ receſſus quærens, comprehendere flagitabat; donec ad thalami ſecreta loca perveniens, illum ante Aram flexis genibus ſtudioſus invênit. Ingreſſus itaque, & cum eo turbæ multorum, non ideo illum cædere, aut in eum manus injicere auſi ſunt; ſed vigili ſervandum cuſtodia loci hujus commendavere Primatibus. Qui ut Sarram agnovit, Raynaldumque Xopinum, quem equeſtris militiæ titulo decoraverat, ne moreretur gladiis obtruncatus, ſupplex oravit. Deinde ſurgens apud thorum ſuum non aptè conſedit. Tunc in eum multa convicia capitalis hoſtis adjecit, multiſque illum minis rigidis exprobravit; illumque, ne per fugam evaderet, Matthæi natis duobus ex proſapia nobiliori hujus Patriæ tradidit cuſtodiendum; qui ne offenſam ullam pateretur, in tuto ſervavere ſoliciti. Illi autem, qui ob nefas perficiendum convenerant, prædonum more ſuppellectilia cuncta ſibi diripuere. Ut verò Pontificis Aulam ſpoliis nobilibus prælati ſunt, ſubitò ad ædem Marchionis, quam Bonifacius grato nepoti Aulæ ſuæ proximam auro multo conſtruxerat, furore multo corruêre; ſed ille clientum turba munitus in eos tela adverſa direxit; cùmque acriter utrinque pugnaretur, Marchio pavefactus inter plebem intuens ex multis unum ſibi familiarem agnovit, illiq; verbis mitibus blandiens perſuaſit, quatenus opem poſcenti non neget, utque compatriotas omnes ad amici tutelam accerſat, ſupplex peroravit. Qui benevolentiæ primævæ non immemor, amico leniter compatiens, Populi multitudinem ad arma ſumenda animoſis ſermonibus impulit. Quamobrem Sarra Populorum furorem metuens, in Solis occaſum prœlium diremit, ſicque Marchio ſe theſauroſque ſuos æde ſervata tutatus eſt.

At Sarra anxius multùm, ne res imperfecta ſuis votis obeſſet, Neapoleonis induſtria ocius ad Pontificale Theatrum ſe contulit; ibique Bonifacium molliter adiens, illum jucundis ſermonibus affatus eſt. Retulit quidem, illum in Columnenſes nimis crudeliter deſæviſſe, nec id genus inimicum ei fore, aut in ejus præcipitium conjuraſſe, ſed invidorum compulſu miniſtr Cleri Principem in ſemen nobile ſævam rabiem protendiſſe. Quòd ſi velit ignoſcere, & ad priorem fortunam reſtaurare, pollicitus eſt devotæ fidelitatis obſequium, & ſalutem ejus viribus totis extollere. Ad hæc Bonifacius vitæ ſuæ periculum metuens, licèt genus hoc exoſus in ultimum foret, tamen ne moreretur cæſus gladiis ſatellitum, ignoſciturum ſe illi, ceterique è Tribu ſua ait, ſique ſibi modum tam nequam conjurationis aperiat, pollicitus eſt benignum ſe Columnenſibus exhibere. Proinde Sarra facundus nocte ſubveniente delectatus eſt virum tam ſummæ auctoritatis reverenter alloqui, & placidis ſermonibus ſibi benignum efficere. *Non ſtupeat animus tuus. Paſtor bone, ſi proſcriptus & exul immeritò hoſtis vindictam ſui viſus aſſumere; quiſque enim ultionem acceptæ molitur injuriæ; nec quidem de te, licèt fortè metueris, cruorem haurire, aut pœnas exigere ſævus diſpoſui (ſcis enim id facere me potuiſſe) ſed quatenus caros Penates, lareſque patrios, quibus indignè privatus tot diebus erravi, ipſe repeterem. Dulcis namque eſt amor Patriæ, & jucundum inter ſuorum amplexus occumbere. Quinimmo ſcelerum conſultores delere putabam, & ob id potiſſimè arma paravi; & tu idem hos non ignaros hujus ſceleris profectò capis; ſitiunt enim magis tuum interitum, quàm exules; & ii ſemper viſi ſunt metuentes de te, dum felici Sede manentes ambigunt à te poſſe corruere. Eja igitur miſericors prudenter age; & Sacræ Religionis vexillum apprehendens, clavibus juſtis reos dejice, humiles exalta, ſuperbos contere, & inſontes clementer refove, ſi Deo placere ſtudes in re-*

gione

Digitized by Google

gione viventium. His placatus ſermonibus Papa magnanimus, Virum tam ſummæ probitatis intuens, illi ſubitò miſertus eſt, ac ſpopondit magnalia, quæ ſecretò promiſſa, nulli ſcire fas eſt. Sed non ideo Vir Sarra doloſus verſuti Papæ verbis fidem adhibuit; ſed ut cautiùs ſervaretur curas omnes advertit, donec tertia die Lucas Januenſis, qui Bonifacio fidus ſemper comes affuerat, in Populo tumultum excitans, violentos Regis prædones ex Anagnia viribus impulit, ſicque Papam tutum diebus octo ſervavit.

Octava verò die Papa excandeſcens ſumma iracundia, ut tutiùs imperaret, ad Urbem comitantibus multis per dietas tres vehiculo impoſitus tandem ſe corripuit. Quod Urſinorum primi Matthæus & Jacobus præſcientes, ne hoſtes Urbem intrarent, neve Bonifacius de ipſis malè conciperet, magna virorum copia fulti obviam exierunt, & Apoſtolicum adventantem inter ſe capientes; illum ad Sedem juxta Templum Apoſtolorum magno impetu perduxere. Ubi conveniens Cardinalium cœtus injuriam Domino ſuo illatam valde moleſtâ queſti ſunt, & ob vindictam ejus omnes rerum ſuarum copias expoſituros ſe fide jurarunt. Bonifacius verò conceptum jam in mente rancorem tacitè ſervans, tumido vultu eorum his vocibus cautis affatus eſt: *Neceſſe eſt*, inquit, *ut ſcandala veniant, væ tamen illi, per quem ſcandalum venit. Sic enim oportet fieri, ut Scriptura impleatur Divina; ſi quidem capti, & læſi fuimus, non culpâ noſtra, nec ſic fieri putabamus. Quid quòd & ipſe Dominus noſter Jeſus Christus læſus & proditus ab eo, quem theſauris Fratrum ſuorum præfecerat, capi voluit & pati? Sed nos eo Duce nil patimur præter opprobrium Paſtoralis Excellentiæ, non tamen ut noſtrum dici poſſit, ſed eorum, qui Chriſtianæ Fides cultum habent; ſed vindex Deus & juſtus pro nobis aget ultionem ex merito*. Deinde verba perſtringens, Matthæum, qui Neapoleoni proximus ſtabat, acie torva conſpexit, & in thalamum ſe corripiens quietis causâ, ceteros abire permiſit. Matthæus autem vir verſutus & prudens verba Papæ perplexa mente repetens, in ſe genuſque ſuum læsum Pontificem flammatum fore concepit; ſed ne periret incautus fidelium ſuorum principes in ſecretum convocans, monuit quatenus atrium Pontificis ſolicitè cuſtodirent, ne vel ille ad hoſtes pergere, aut doloſum quicquam in Urſinorum gentem machinari poſſet. Seduxit etiam ſibi fidos clientes in Aula Pontificis, qui cautè ſcrutarentur, quid Papa ſtatueret. Demum poſt triduum metu paulatim excuſſo, Bonifacius de Matthæo, ſuiſque complicibus male cogitans, quo ut lædere poſſit audaciùs, ad Lateranum inde tranſire diſpoſuit; aiebat enim locum illum Sole adhuc flagrante ſibi jucundiorem eſſe, & voto ſuæ ſalutis aptiſſimum. At non ideo trans Tyberim proficiſci parabat; ſed quatenus Urſinorum dolos utrinque metuens, ab ædibus eorum, quæ Templo præfato ſunt proximæ, & ubi potenter dominantur, procul abiret; ſciebat enim, Annibalenſes in Laterano potentes eſſe, ſub quorum fiducia tutum ſe abſque metu ſperabat, eo quòd Urſinos odirent, & Columnenſes non diligerent, invidia prorius urgente. Cum his tamen Columnenſes, dum nondum cecidiſſent, fœdus certum per Matrimonii copulam contraxere. Ut igitur fama magìs increbuit Romæ, Pontificem parare ad Lateranum deſcendere, omnes lucra petentes, illuc ſubitò convenere: quod Matthæus non leviter ferens, ad Apoſtolicum comitantibus multis acceſſit, illique verba in hunc modum cautè diſſeruit: *Accepimus, Pater optime, id fama dictante, ad Lateranum te velle deſcendere; & ob id miramur, cur tu graviter offenſus è tuto in locum tibi ſuſpectum accelerare deſideres. Scis etenim Sedem hic ſecuram, & tibi magis debitam eſſe, in qua præſidiis amicorum fultus hoſtium jacula non vereare, & lædi non dubites. Quòd ſi illuc fortè prodieris, ubi nam qui te tueatur, qui opem ferat, quæſo, ſtudioſius aderit? Non illic nos fidos clientes, ſed qui illa circum atria ædes ſuas fundavere, malè tutus habebis; & ſi eos vocaveris, fruſtra illorum auxilium expectabis. Huc ergo venimus, qui meritò tecum cæleſtis Jaunæ Cardines nuncupamur, non minùs avidi ſcire, quàm dubii, quæ illuc cauſa te vehat; nam ſi juſta ſit, tecum in carcerem, & in crucem mitti volumus; ſin minùs, errantem Paſtorem ad rectos tramites dirigere certi ſumus, ne in devia pererrans incautè labatur. Debueras tamen, priuſquam hoc certum mente conciperes, Fratrum tuorum judicia uti, & quid magìs deceat ſobriè perſcrutari, ne ſiniſtrum quid inde vel incongruum ſequi poſſit, ubi ſumma quæri ſolet induſtria*.

Hæc Bonifacius aure protrahens, jam quid redderet mutuo ſermone laborabat; tunc demum vultu jucundo latentis odii vota diſſimulans, hos, qui advenerant, retro talibus verbis affatus eſt: *Si fama vos docuit Cleri Principem Lateranus Sedem ſibi verè deſtinaſſe, non fictè, non falsò locutam ſcitote. Nam illuc profectò adire volumus, avidi maximè ſalutis curam gerere. Quòd ſi ſedes vobis hic prima cenſetur; non tamen ideo tollit, quin & aliò poſſimus interdum, cùm libet, accedere. Nam libera nobis poteſtas à Deo permiſſa eſt, & noſtræ mentis ſumus effecti. Si veniſtis ſciſcitari cauſam noſtri itineris, ne ulteriùs in dubio laboretis, hæc eſt, quia ſic nobis placet, ſic nos delectat, ſic nunc avido ſedet in animo. Cur ergo debitum priùs vobis hoc pandere, quàm concipere? cur judicium veſtrum expoſcere? Jam non agitur ob hoc de ſalute cujuſpiam, non de geſtis Catholicæ Fidei; quotiens enim quicquam arduum ſobriè tractandum accidet, tunc in judicium vos vocabimus; ſed ex hoc nihil refert veſtro opere vel conſilio uti; ipſi enim ſic nobis conſuluimus, ſic providimus, ſic agendum fore decrevimus. Iſtinc itaque ad locum illum in proximo Deo Duce feliciter ibimus. Non ſic ibitis*, (velut impetus ſuadebat) unà Matthæus, & Neapoleo rigidis vocibus ſubdidere. Hinc junior Neapoleo in ira flagrantiùs ardens, verba jam incœpta in ſeriem proſequutus eſt: *Non ſic ibis, ut putas, Bonifaci; non enim patiemur, ne in te hoſtes noſtri, aut tu cum eis in nos nefandè quicquam moliaris. Scimus equidem, ſcimus, cur tu illuc ire properes, cur extra protectionem noſtram fugere innitaris. Deſine ergo à propoſito, & in melius curas adverte. Et cur non ibimus, cur, cur*, ſæpe repetens Bonifacius, *quis prohibebit, ne utamur libertate? Quis corporis noſtri poteſtate abutetur? Videbimus*, inquit, *videbimus; experiri jam libet*. Hæc & alia, velut excandeſcens ira ſuggerebat, eructans, in thalamum ab aſpectu ipſorum ſe corripuit; ubi furore gravi vexatus vix amens effectus eſt. Illi autem, qui propoſitum Papæ mutare nitebantur, ſatellites ſuos, & Miniſtros armis ſuffultos circiter Aulam Pontificis diſtribuêre; & nonnullos ex eis oſtia quæque cuſtodire juſſerunt, ne latenter Papa verſutus ſe ſubripe-

Digitized by Google

ſiperet. Altera autem die mane facto Papa magnanimus ſui propoſiti tenaciſſimus pictos thoros, & aulæa decora juſſit imponi, & illuc quò ire parabat, in Lateranum perduci: quod fidi clientes, Domino ſuo imperanti ſatisfacere cupientes, ſoliciti nitebantur præſtare. At Matthæus Jacobum, & Neapoleonem, & cum his Miniſtrorum copias magnas ad Aulam Pontificis deſtinavit, ut ne illum abire permittant viribus totis elaborent. Qui illuc properè accedentes, in ſecretiorem ædis locum, ubi Papa manebat, ſubitò devenere: quos ut ille acie torva conſpexit, ad quid veniſſent tumidè ſiſcitavit. Illi ad hæc pro tuendo Principe ſuo, eo quòd in necem ejus Rex Francorum ſatellites ad Urbem clandeſtinè deſtinaſſet: Subdidit Papa magnanimus ſe id non metuere, neque pro tutela ſui illorum opem expoſcere, & ut abeant inde gratiſſimum ſibi eſſe. At non diſceſſuros ſe tam ſubitò, reddidere; quamobrem dolore magno flammatus Papa furibundus intremuit; putanſque cur veniſſent, equos parari juſſit, jam experturus, ſi iter ſuum viri nequam impedire præſumerent. & ne illum hoc ſimulare conciperent, chlamydem, & ea, quæ Papam decent, fulcimenta ſolemniter induit. Tunc Legati à Matthæo thalamum iterum ingredientes, non paſſuros ſe, ut Papa inde diſcedat, fide certiſſima ſpoponderunt. Quibus ille: *Cur mihi iter inhibetis liberum? cur vim nobis inferre vultis? nondum enim libertas crepta eſt, nondum captivi ſervamur. Videbimus ergo, quiſnam arbitrio noſtro fungi prohibebit. Videbis præſto*, inquit, Jacobus; *nam ſolus arcebo, ne vadas, quo pergere feſtinas.* Cui Bonifacius: *Ergo captivus arctabor, ut ſerviam, nec ſolita potiar libertate?* Iterum Jacobus ad hæc: *Captivum profectò te ſcias, ut famulitas nunc, qui toties imperaſti; & non tuo, ſed prorſus noſtro parebis arbitrio.* Tunc Papa dolorem in ira concipiens, ora compreſſit, & velut amens effectus, illis excluſis, thalami oſtium claudi juſſit, ne quis ulterius introiret. Illi verò cùm hora diei jam ad paratas epulas vocarentur, ne liber eſſet Paſtoralis ædis egreſſus, fidis cuſtodibus munivere. Bonifacius verò Miniſtris ex more parantibus, his veſci renuit; cui Joannes Campanus, quem longis retro temporibus fidelem dubiis in rebus expertus ſociali more dilexerat, amicis vocibus perſuaſit, quatenus in adverſis fortiter reſiſtens inopinabilem ſiniſtri caſus eventum patienter toleraret, nec ut ille vellet deſperare remedium, in eo confidens, qui dolentibus conſulationem in ſe ſperantibus benignè contribuit.

His aliiſve ſermonibus non illum adeò conſolatus eſt, oec furentis animum placare potuit, ut verbis voces erumpereot, ne dum cibis utilibus veſceretur; ſed illum obliquo vultu reſpiciens dentibus dentes eliſit, ſpumamque multam evomens dementis geſtus explicuit. Nun ille thorum quietis causâ, ſomno noctibus totis & diebus excuſſo, petere; non ſedem pictis aulæis premere, ſed vigil curas inſomnes animo fatigatus facere viſus eſt. Reminiſcebatur equidem felices ſui ſtatus honores, quibus nihil anxius eſt in memoriam adjectis. Torquebat & illum graviùs apud ingratos beneficiorum ſuorum elapſa memoria, quòdque nulli miſerabilis videretur. Præterea nunc undenam opem præſtolaretur, dùm Philippum à ſe læſum Orbis Principes metueret? Albertus etiam, quem prius Cæſarem nominari vetuerat, & poſt in Italiam ſuis literis exhortatus vocaverat, nondum copiis paratis, Germaniam ſuo regebat imperio. Federicus verò Siculi Regni poſſeſſor violentus de ſe metuens puppes litore congregabat, ut inde ad Apoſtolicum poſſet tuuis accedere; ſed nec dum quiſque illi opem allaturus advenerat. Hæc Bonifacius in mente diſcutiens dum conſolationis medela careret, in deſolationem triſtiſſimus abiit. Demum igitur cùm adveſperaſſet, menſæ cibis fruſtra expoſitis, Papa jam natura infirmante vix ſtare poterat; ſed dolor illum validior angebat, ut latius fureret. Nocte itaque ſubveniente dementior effectu, rabiem oculis proflagrantibus & vultu retorto magis oſtendit, non ſomnum, aut quietem ullam appetens, non epulas nobiles, quibus ſopor excuſſus membris etiam ægrotantibus ſolet acquiri. Sic ille furens nocte tota inſanior paulatim fiebat. Donec, Aurora jubar ſuum extollente, feſſus, impotens, & debilior factus eſt. Tunc famulos omnes, qui Domino ſuo compatientes valde dolebant, thalamum exire imperat, ipſumque Joannem Campanum, qui dudum repulſa caruerat, & ſub omni pondere fuerat rectus & amicus fideliſſimus, abire coercuit, & ſolus ſine ullo comite manens oſtium peſſulo clauſit, ſolidoque firmavit munimine, adeò ut nulli liceret introire. Tunc huc & illuc furioſus ubambulans, baculum, qui thoro procerus hærebat, manu tollens eliſum dentibus conterit, & ſpumis obtexit. Sunt qui illum baculo minutatim trito Belzebuth Inferorum Principem vocitaſſe dijudicent, eoque impellente Divini Numinis auxilium deſperaſſe (*); nam ut doloris ſummi rabiem pati nequivit, Diabolico correptus à ſpiritu caput muro ſævus incuſſit, caniticmque verendam capillorum & ſacræ lanuginis proprio ſanguine madeſecit. Deinde cùm laqueo careret, inter thorum & ſtramen vultu ſupino tamdem ſuffucatus occubuit.

Miniſtri verò ſui, qui foris vigiles condolebant putantes illum ſomno correptum quieſcere, tumultum & murmura quæque reſtinxerant; cùmque hora diei fieret tertia, hæſitabant quid agendum potiùs eſſet. Nonnulli etiam ex ipſis apud oſtii tabulas aure ſuſpenſa venabantur, ſi qua vox inde ullo motu audito percipi poſſet; ſed omnia intro ſilebant, nihilque audibile tractabatur. Satiùs adhuc etiam expectare viſum eſt, putantes illum triſtitia reſolutum thoro quieſcere. Ut igitur multùm morati horam quaſi Nonam adeſſe cognoverunt, malè ſuſpicantes de Domino ſuo, ſtrepitus crebris parietum verberibus effecerunt, ut paveſactus exurgeret, aut excitatus de ſtrepitu interrogaret; ſed non ideo quicquam auditum eſt. Tunc conſilium ineuntes, hortatu Johannis oſtio vi ſubverſo, celeres introierunt, & luce admiſſa Dominum ſuum thoro turpiter jacentem invenerunt, illumque certatim crebris lacertorum amplexibus ſuſſerentes à ſomno excutere certabant; ſed fruſtra ad impoſſibile nitebantur. Ut igitur illum ſpiritu privatum cognoverunt, nareſque, & pectus nullum anhelitum exhalare, multi lacrymas & gemitum effudere: quod ſatellites à Matthæo, nepoibuſque ſuis in Aula Pontificis conſtituti vi-

(*) Indignum hoc mendacium, ad denigrandos turpiùs Bonifacii mores ab hoſtibus ejuſdem confictum, evertit auctoritas Jacobi Cardinalis S. Georgii ad Velum-aureum, qui Romæ degens eo tempore ereptum illum teſtatur editâ Catholicæ Fidei formula, & placida ſanctaque morte. Recolat Lector ejus ſcripta Tomo III. hujus Collectionis fol. 660. quæque in adnotationibus adjecit Papebrochius.

Digitized by Google

videntes, illis confeſtim indicavere. Hi autem homines illius temeritatem valde ſtupentes, quòdque necis cauſam dediſſet condolentes, ſecum queſti ſunt, & ad Aulam Papalem properè convenientes, Bonifacii cadaver fidis oculis cernere ſtatuerunt: ſed illud quidem jam rigens, & aſpectu deforme, ſpumis adhuc ore fluentibus, vix cognitum, horrorem multum intuentibus faciebat. Deinde fama, quæ malo velocitet gandet, ſubitò extinctum Bonifacium Populo nuntiavit, eademque diſcurrens per vicos & compita Urbem totam hac ſtupendi rumoris æmulatione replevit. Tunc Clerus omnis, & Procerum multitudo, Populuſque multus in Atrio Pontificis, Templique Apoſtolorum ante veſtibulum, ſubitò convenere, & defuncti cadaver pannis decentibus convolutum pheretro impoſuere; illudque in Templum venerabiliter deferentes, conſummatis exequiis in Vaticano Baſilicæ Sancti Petri de more vetuſto telluri obrutæ mandavere marmore ſuperjecto. Mortuus autem eſt Bonifacius Anno Tertio Dominicæ Incarnationis poſt Tercentum & Mille, VI. Idus Octobris ætatis verò ſuæ LXXXVI. & vixit in Sede Apoſtolica Annis octo, & menſibus decem, velut in Sacris Annalibus ſcriptum invenimus.

Ecce Potentibus, Orbiſque Dominantibus memorabile documentum, qui Deum non verentes omnia ſub pedibus, ut libidini ſerviant, projecere. Hinc fraudes & doli, hinc Regnorum ſubverſiones, hinc rapinæ, hinc Populorum cædes, & tributa violenta, peſſumdata Virtute proveniunt. Ii, ut regnent, opibus polleant, ſolis voluptatibus gaudeant, pro Juſtitia vim, pro Pietate ſævitiam, pro Legibus voluntaria documenta conſtituunt: quo fit, ut boni ſemper lateant, & premantur ab impiis. At neminem vulgò felicem niſi rectus vir ſe comperit; nec quemquam vita, ſed finis laudabilis Deo & Hominibus gratum oſtendit. Ab hoc omnium judicium pendet, & caudæ vertex decore laudatur. Hic namque memoratus ſæpe Bonifacius adeò fortuna blandiente, dum juvenis, dum vir, dumque ſeneſcit, in ſublimi poſitus eſt, ut ſolus dives, potenſve, & felicium feliciſſimus vocaretur, nec minùs prudens, ac ſcientia decoratus, dum ſe ſic extolli à ſede infima providiſſet; ſed jam vix ſenio ingreſſus in poſtremam ſenectam abiens, ubi vitæ noſtræ metas natura diſpoſuit, cùm Deum ſibi magìs propitium debuerit precibus, & devotis contemplationibus inclinare, ab eo prorſus devius factus eſt; cùm ſapientiæ ſuæ robur oſtendere, demens inſanit; cùm ſuæ felicitatis modum in ultimis explicare, tunc miſerrimus omnium inſeliciter occidit. O quàm inanis, quàm vacua hujus Mundi felicitas, quæ neque perpetua, nec ſtabilis eſt, & ſi blanditur cuipiam in ſupremo ſuæ jucunditatis extollit, ut illum inde præcipitem graviori lapſu mutabilis obruat! Sarra verò, qui ſub Bonifacii ſpe in Urbe latebat, ut illum vita defunctum accepit, licèt in ſummo rancore vexatus odiſſet, tamen viri tanti jacturam exiſtimans mœſtus indoluit, & ne dolis comprehenſus ſuis hoſtibus traderetur, procul abiens, eò, ubi ſecurus eſſet properè fugam arripuit.

Hæret hic calamus, & modica pridem dubitatione ſuſpenditur: Debuimus equidem temporum ordines vitis illuſtribus, & eadem acta ipſis temporibus adaptare, niſi cauſa prope juſta fortaſſe impediat; ſed aptius viſum eſt Romanorum Pontificum, qui citra Johannem XXII. iiſdem temporibus poſt Bonifacii necem delecti ſunt acta conſcribere, quàm Italorum geſtis ſtilo depictis, iterum Apoſtolica per cujuſque ſui limitem ſignanda reſumere. Nec refert multum, ſi retrogradi fiemus, dummodo eadem ſit materies operis, & earum perſonarum dignitate fulgentium; nempe enim peregrinationis hujuſce modus erit his fortè jucundior, quos etiam Philoſophorum ſcripta verendia ſæpe faſtidiunt. Defuncto itaque Bonifacio ſæpe dicto, ceteri, quibus Cardo januæ Cœleſtis infigitur, pro delegendo Cleri Principe convenerunt, ubi quid quiſque ſentiat, quove judicio nitatur, diſſ.tendum uſque ad aliquot dies, ſobriùque diſcutiendum vigiliis decrevere: nam in arduis cura vigil exigitur, & mora tunc utilis eſt: cùmque omnis id mente diſcuſſerit, tunc judicii ſui ſecreta conſultus aperiat. Nec minùs Carolus Neapolis Præfectus, qui poſteaquam Bonifacius à Sarra læſus eſſet, ad Urbem comitantibus filiis duobus, Roberto ſcilicet Apuliæ Duce, & Philippo Tarenti Principe, copiiſque virorum multis acceſſerat, ne quis ſeditioſus tumiduſque decerneretur Pontifex, anxiùs æſtuabat. Venerat equidem tunc à Bonifacio vocitatus, dum in ipſum rancoris labe promotus, eo quòd in Philippum Francorum Regem pro tutando Cleri Principe vires ſuas, & arma negaſſet, Paſtoralem gladium injicere meditabatur. Vulgò tamen accepimus, Bonifacium ob hoc malè concepiſſe de Carolo, & cum Federico genero ipſius clandeſtinè conjuraſſe, ut ſi vellet, de Socero ſuo vindictam poſſet aſſumere. At non ideo paſſus eſt Federicus tantum neſas perficere, ſed ut Apoſtolico gratus fieret novis obſequiis uſque ad Oſtienſe litus puppes applicuit. Iterum ergo convenientibus in unum Papæ Cardinibus, dum quiſque ſamiis laboraret, tamdem re tanti operis in certamen diſcuſſa, Nicolaus Tarviſinus ex Prædicatorum Ordine Cardo decretus, Papa decernitur. Hic vir ſatis diſcretus inter Collegas ſuos ſcientia laudabatur, benignus, & mitis jurgia oderat, & pacem amabat. Hunc Bonifacius primis ſuæ dignitatis Annis, & cum eo Joannem de Murro Minorum Ordinis Doctorem præcipuum ad pacificandos Franciæ Reges, & Angliæ, qui gravi animorum diſcordia vexabantur, certa Legatione tranſmiſit. Qui properè illuc profecti tumentium tamdem Regum animos placidis ſermonibus ad concordiam placavere; & ne reſumtis iterum odiis læſa fide ad arma revocarentur, inter eos de contrahendis ſponſalibus pepigere, idque fœdus indiſſolubilis conjugationis nodo retinere tentarunt. Qui poſtquam ad Urbem reverſi, Papæ indicaverunt, tamquam munus ampliſſimum illi tradidiſſent, gaviſus eſt, & ne tanti laboris præmium fruſtra ſperarent, utrumque Cardinalium numero liberalis adſcripſit, iiſque dignitates multas in Sede contribuit. Demum verò cùm ferè Anno interjecto poſt hæc Carolus poſtulaſſet à Bonifacio, ut defuncto Hunnorum Rege Andreaxio abſque virili prole, nepos ipſius ex primogenito ſuo Carolo Martello Rex decerneretur illi Populo; & apud Optimates illius Regni facilè perfeciſſet, à Sede Apoſtolica id litteris indicantibus faciliìmè adeptus eſt. Utque Rex optato non careret effectu, creatus hinc & hinc Hunnorum Rex, quos Hungaros nunc fama vulgaris appellat, Caroli nepos, qui & Carolus Ubertus ab Avo nominabatur, illuc ut Regnum capiat, & cum eo Nicolaus memoratus, qui Paſtoralibus remediis compellat favere indignantes, maturo acceſſu dimittitur. Qui jam adverſantibus ſibi illius Regni Nobilibus, id

per-

A perſuadente Ognenzeverlao Bohemiæ Rege, qui Othocarum ejus Natum adhuc puberem ad id Regnum deſtinaverat, inter fines regionis Auſtralis ſub fiducia Alberti ſecura delituit tutela. Hìc quidem uterque Avunculus fuerat neſcius, cui potiùs obſequatur in Regno; ſervabat etiam Adeleitam Andreaxii natam unicam, ut illi, qui Regnum caperet, Matrimonii fœdere copularet. Gratiùs tamen Othocarum fovebat in ipſo cordis archivio, ſed gratiſſimus alteri videbatur, Apoſtolicum ſibi benignum efficere cupiens. Interea Ognenzeverlaus vita defungitur, & Othocarus, qui apud Hungaros regnabat, mortuo Patre revocatur ad Regnum. Ubi demum igitur cæſo gladiis Othocaro in ipſo juventutis flo-B re, Sororibus tamen duobus relictis, una cum Henrico Tirolis Comite conjugata, altera nondum viro matura, Carolo Uberto Regnum comprehendente, Albertus illi, qui ſuperſtes manſerat, Adeleitam, quam diu ſervaverat, nuptiis celebratis adjunxit, cœpitque tunc Nepoti favere liberiùs, adeò ut rebelles ſibi ceteros ſubjugaret. Demum ergo revocatus Nicolaus, Rege novo proſperante, ad Urbem maturavit. Unde factus eſt Carolo gratior, quia Nepoti ſuo dux fidelis & prudens fuiſſet, eoque magis ipſe viribus totis niſus eſt, ut Cardinalis Tarviſinus Papa decerneretur.

Decretus itaque Nicolaus ferè omnium aſſenſu Cardinalium Romanus Pontifex, in Templo venerabili Apoſtolorum XIIII. Kalend. Novem-C bris, die quarta poſt obitum Bonifacii, in omnibus his, velut Papam decet, expertus, coram omni Populo jucundis ſtabilitur applauſibus. Proinde diebus aliquot interjectis, quo celebranda ſolemnia diligentiùs peragere poſſet, apud Lateranum in Templo Sancti Johannis Kal. Novembris, aſſiſtentibus Cardinalibus, & Carolo cum duobus natis, ac Nobilium, & Populi multitudine, Miſſâ ſolemniter celebratâ, Papalem Inſulam, quam olim, ut perhibent, Conſtantinus Beato Sylveſtro conceſſit, capiti ſuo reverenter impoſuit. Poſt libata verò Myſteria ad Sedem debitam comitantibus turbis reverſus eſt.

Refert nunc equidem, ut Cardinalium, qui D tunc januam Catholicæ Fidei ſuſſerebant, nomina in ſeriem redigamus, ne avidè quærentes, qui tunc in Sede marſebant, curis torqueantur inanibus. Erat quippe Matthæus Rubeus de Urſinis omnium primus, qui cùm Bonifacii faſtus ſibi metueret, ejus præcipitium ſtudioſus optavit. Nec minùs ex eadem progenie Neapoleo, vir animoſus & ſagax. Nepotes quoque Jacobus, Cajetanus, & Franciſcus de Campoflorido, qui ne caderent, virum mente pacificum in Sede cupiebant. Ceteri etiam Joannes de Bocamatiis Romanus, Joannes Monachus Francigena, Petrus Hiſpanus, Guilielmus Parmenſis, Franciſcus Cajetanus de progenie Bonifacii, Theodericus de Urbe-Veteri, Leonardus Quercinus E Campanus, Ardulphus Neapolitanus, Gentilis de Marchia Anconitana Ordinis Minorum, Rizardus Senenſis, Lucas à Fliſco Januenſis, quem Bonifacius de captivitate liberavit, Leonardus de Ordine Ciſtercienſi, & Joannes de Murro Oppido Anconitano, ſibi Ducem non ſeditioſum, non diſcordiæ ſatorem volebant. Poſt hæc autem Carolus paucis diebus moratus in Urbe, quam regebat, Apuliam cita claſſe repetiit.

Nicolaus verò, qui ſe jam Benedictum XI. vocari ſtatuerat, in Apoſtolica Sede receptus, rem ſibi commiſſam ſolicitè gubernabat, nec odio vel timore correptus in quemquam niſi juſte ferebatur. Sed non ideo juſtitiam in graſſantium capita auſus eſt viriliter ſequi; nam potentes, qui tunc Urbem ſuæ libidinis temperabant arbitrio ſatellitum gladus circumventi, non illum in ſe leges ſuas extendere permittebant. Venerant etenim in Urbem Columnenſes, externa proſcriptione damnati, & armis ſe tuentes, claves ſacras contemnere auſi ſunt. Nonnulli etiam Proceres aliarum tribuum ſcelera multa, contemto Cleri Principe, factitabant. Unde idem Papa ſe inter tantos Mundi labores ſolitarium abſque ſuæ indolis fideli præſidio malè jactari conſiderans, ſedem à ſe deſumtam eſſe mœſtus indoluit; non enim Agnatos Cognatoſve, ex humili natus progenie, ad ſe accerſendos habebat, non nepotes illos, quorum fiducia fretus auderet ſecurus. Quamobrem licèt cordi ſibi eſſet omnia viriliter agere, tamen ne odio impiorum graviter premeretur, magnalia quæque peragenda gelidè refovebat. Nil ergo ab ipſo, donec Papa ſpiravit, quicquam arduum, memoriave dignum auditu percepimus, niſi quòd ſuadentibus perfidiæ cultoribus, quatenus in Philippum Francorum Regem, Bonifacii actitatis inhærens, Anathematis gladium fulminaret, ab his ſe cautus moderator abſtinuit. Sic & alia multa neſanda fuere, quæ nec rogatus impediebat, nec audax increpator manifeſtè damnabat (*). Ut igitur hyemis nivibus & imbre conſumta ver floribus jucundum deſiit, Caſtoris & Pollucis ſitu Phœbo egrediente, idem Papa memoratus Urbem exire diſpoſuit, dixitque ſe uſque Aſiſium, qui locus Oppidum eſt ſatis egregium in finibus Thuſciæ, ob reverentiam Beati Franciſci, cujus ibi cadaver marmore ſervatur impoſitum, penitus profecturum. Et cùm ferè omnes Cardines nuncupati, iter longum prætendentes, diſſuaderent, propoſito ſuo tenaciter inhærere eo illic flagrantiùs æſtuabat, non quia vehemens deſiperet, ſed tacita mente conceperat citra magnam Italiam apud Longobardos Sedem Apoſtolicam ſibi ſtatuere, ut & in poſterum ibidem eſſet fortè manſura. Matthæus autem, qui ſemper dolis pectus armaverat, ſumendi cauſam itineris corde præmeditans, inter fratres ſuos conceptum laudavit Papæ propoſitum, & ob id omnes ſuo Principi benignè fauturos jucundis verbis hortatus eſt. Demum igitur Papa certus abire, paratis equis, & his, quæ vehiculo ſupportantur, ſequentibus Cardinalibus cum maxima multitudine Urbem exivit, & primùm per dietas tres Viterbum applicuit. Inde ad Urbem-Veterem quatuor diebus accedens, non diu ibi moratus, Peruſium ſupervectus curru adjecit, ubi à Populo reverenter ſuſceptus ad Atrium Pontificale honore magno perducitur. Hæ enim Urbes uſque ad fines Thuſciæ protelatæ intra Ducatum Spoletanæ regionis Eccleſiæ Romanæ dotibus adſcriptæ ſunt. Hic Benedictus tutum ſe putans à gladiis impiorum, qui Urbis tyrannidem exercentes Paſtoralia decreta negligebant, animo vires aſſumſit. Et cùm jam Populo Fæſulano per ſua ſcripta mandaſſet, quatenus Verium de Circulis & ejus complices, quos à Patria ſua violenter ejectos dudum injuſtis proſcriptionibus exulare coëgerat, ad proprias ſineret Sedes quietè reverti; & Populus ille recuſaret: eos tamquam Sacræ Legis contemtores, coram gentium multitu-

(*) Etiam memoriæ hujus Summi Pontificis injurioſus eſt hic auctor, cùm tamen eundem non tam ſanctitate, quam miraculis claruiſſe tradat Bernardus Guidonis editus in hac Collectione Tomo III. fol. 672.

A titudine magna, extra Fidelium communionem
abſtractos fore, & ni infra diem tertiam Paſtori
ſuo pareant, graviori pœna mulctandos publicè
nuntiavit. Idem quoque delectatus eſt ſuorum
prætentata Anteceſſorum officia in diſtribuendis
juſtè meritis viriliter exequi. Et ob hoc jam in
Philippum Francorum Regem verenda parabat
edicta: quod ut Regi ſecretis literis indicatum
eſt, quoad potuit, niſus auri donis explicitis ve-
neno Papam extinguere, ad hoc conſcios Nea-
poleonem, ut perhibent, & Johannem Franci-
genam pollicitis aſciſcens, ne Apoſtolicum in ſe
furentem moleſtiorem ſentiat, eis ut opem fe-
rant, Nuntiis fidelibus indicavit. Qui pollici-
tum munus pro perpetrando ſcelere cupientes,
B pincernas duos Papæ miniſtrantes pretio corru-
pere; ex quibus, dum ficus jam maturos appo-
ni menſæ Dominus imperaſſet, qui cibaria mi-
niſtrabat, venenum his latenter immiſcuit; quas
cùm Papa inſcius avidè voraſſet, non ideo pro-
pere defecit in prandio; ſed uſque in dies octo
metas vitæ protendens, viſceribus jam tabe con-
ſumtis profluvio ventris languens in ſede defe-
cit. Nec quidem tunc pictos thoros ſuos pre-
mebat accubitu, ſed inter Fidelium obſequia,
& Pontificum devotos cantus pro ſe Deo ſup-
plicantium ſedens in ligneo ſcabello ſubitò ſpi-
ritum exhalavit: cujus cadaver Clerus omnis
veneranter aſſumens nobili pheretro impoſitum
ad Templum Beati Dominici Prædicatorum Or-
C dinis ſolemniter detulere: ibique celebratis exe-
quiis poſt Aram Tabernaculi in ſacrario telluri
obrutum ſublimavere. Defunctus autem eſt IV.
Non. Julii Anno ſuæ ætatis quinto & ſexageſi-
mo, nec plus quàm octo menſibus & diebus
XVIII. Apoſtolica regnavit in Sede.

Deteſtabilis quidem eſt, & res pernicioſa ve-
nenum, ac omni prorſus humanitati contraria,
quæ ſolutis animi ſenſibus inviſibiliter corpus ex-
tinguit, viſcera noſtra morſu rodit, & velut
ignis medullas exurit; & dum venis ſerpit, vix
eſt qui potenti medela ſubveniat. Sic enim vir
ille fortiſſimus Jovis natus Alcides, ut Poetarum
ſcriptis refertur, propter ignaviam conjugis ſuæ
infeliciter occidit. Sic Philippi Macedonis filius
D Alexander; ſic Romanorum metus & ſtrages
ſævus Annibal; ſic etiam multi Orbis Principes,
& probi Tirones, quos nulli bellorum tumul-
tus, nulla gladiorum tormentorumque ruina pa-
ventes, aut hoſtibus terga vertentes effecere,
latenti morbo ſubtracti ſunt. At nefandum hoc
mortis genus impiis trucibuſque Tyrannis de-
bendum fore Plato refert. Nec iniquum, ſed
honeſtum eſſe, viros perfidos, & humanum cruo-
rem ſitientes vi doliſve necare. Quales Diony-
ſium Siracuſanum, ferreumve Alexandrum, ac
Phalarim tormentorum repertorem veterum fuiſ-
ſe teſtatur auctoritas, ne fiant longævi ſuper
terram. Sæpe etiam odio, vel invidia temerè
ducti aconita, & noxios herbarum ſuccus cibis
E ac potibus miſcuere, ut dum latenter perimant,
ſceleris tanti credantur inſontes, velut Pontia
privignis ſuis, Medæa Theſeo miniſtravit. Sed
ille, qui ſcelerum juſtus eſt Judex, & corda no-
ſtra ſcrutatur & renes, nullum latens ſcelus aut
impunitum tranſire permittit; graviorque fit ul-
tio, quotiens lentus pœnam differt, moramque
ſeveritate compenſat. At quidem nunc laboris
incœpti ſtudio percurramus.

Ut igitur Benedictus vita privatus Cœleſtem
petivit Sedem ſpiritu, convenientes in unum cœ-
tus Cardinalium pro futuro Cleri Principe, quòd
ad id opus tam ſæpe vocarentur ex debito, cum
gemitu queſti ſunt, & magnam quidem defuncti
Paſtoris toti Mundo fore jacturam proteſtati.
Demum verò cùm decernendi Pontificis Romani
tempus inſtaret, idque propenſiùs expediretur,
quod cuique potiſſimùm videretur in tempore
diſcutiendum, totum ſtabili judicio decrevere
cenſendum. Inde omnes votis diſparibus abeun-
tes ædes ſuas, & cubilia petivere. At verſutus,
de quo ſæpe diximus, Matthæus, ut jam ſibi,
ſuæque ſtirpi provideat, ne cadat ignaviâ, ani-
mum in mente fatigans, ſe, vel ex nepotibus
alterum Papam decerni magnificè ſtatuit. Sic &
ceteri, quid magis cupiant, ſobriæ mentis libra-
mine inveſtigabant, donec iterum die fixa ſacri
Cardines in ſecreto Pontificalis Aulæ diverſorio
convenerunt, ubi quiſque judicium ſui cordis
aperiens, dum odio vel amore potiùs traheren-
tur, adeò ſtudiis variis laborabant, ut multa re-
ſtantis operis differenda penderent. Quamobrem
dudum verbis rigidis contendentes, dum nemo
alteri, niſi certa ſpe motus, obſequi dignaretur,
diſcordes abiere, & in locis diverſis, velut quiſ-
que extra illa mœnia ſedem invenerat, quietem
ſibi jucundi ruris oblectationibus præbuere. Hæc
inter Jacobus de Columna, qui poſt acres Boni-
facii morſus in ſe ac genus ſuum apud Peruſium
latuerat, longo damnatus exilio, dum nepotes
ejus Sarram, & Stephanum, multoſque à ſua
ſtirpe productos Urbem jam ingreſſos audiret,
Petrum, qui pari ſorte ſecum à Cardinalium
cœtu depoſitus exulabat, è Patavis, ubi diu la-
tuerat, ſecretis literis revocavit, ut ubi Patruus
ſuus abſque metu gaudebat, illuc & nepos jam
ſecurus accederet. Lætatus itaque Petrus fidis
perſuaſionibus uſque Peruſium brevi ſpatio ſe
corripuit, ubi quid agendum ſibi cautiù. foret,
ſolicitus uterque cutis meditatus eſt. Demum
verò cùm apud Cleri apices deligendi Paſtoris
cauſa traheretur in moram, magnumque eos in-
ter gloriæ certamen eſſet, adeò ut diſſidentibus
ipſis tanta res jam neglecta langueret, Petrus
vir ſatis prudens Philippo Regi Francorum, quem
à Bonifacio pariter damnatum ſciebat, & ſuæ
genti amiciſſimum, hujuſce decreti ſuſpendium
ſuis literis nuntiavit, & ut Rex idem ad hoc
curas advertat, potiſſimè hortatus eſt, nec
minùs ſe facturum ſumma ope quod Regi
gratum foret, fide ſpopondit. Inde Philip-
pus illum auro pollicitiſque magnis apud om-
nes laborantem precibus oneravit, quatenus
voti ſui deſiderio potiatur, nec deſiſtere,
priuſquam ardua geſta peregerit. Petrus ita-
que opulentiſſimi Regis ſpe ductus, omnes,
quos aurum ſitientes noverat, pollicitis do-
nis corrumpere auſus eſt. Matthæus etiam, &
Neapoleo de ſe fiſi magnis conatibus nitebantur,
ut eorum alter ſtatuatur in Sede, nihil veriti
fratres ſuos metu aut amore ſibi deeſſe. Caro-
lus quoque Neapolis Præfectus, licèt pro Siculi
Regni redemtione vexaretur, in hoc tamen Ami-
corum obſequio promotus eſt. Æſtuabant &
alii Optimates Urbis, Principes multi, & Orbis
Reges, ne Apoſtolicus fieret ſuis votis extra-
neus. At multum valet aurea perſuaſio, quæque
conſtat in donis expectata fiducia. His igitur
jactata procellis Petri Navicula, quæ ad Por-
tum ſalutis vota Fidelium provehit, profectò
ferè biennio ſinè Gubernatore permanſit. Donec
Populus Peruſinus hujuſce rei tamdiu in diſcri-
men Catholicæ Fidei protelatæ tædio graviter
offenſus, hos, qui jam vaſtæ puppi vela fato
permiſerant, in unum congregari mitibus ver-
bis hortatus eſt. Cùm ergo ad id loci, ubi
ordo debitus exigebat, ceteri conveniſſent, &
in certamen hujuſce gloriæ nondum placatis

A vultibus mitiores, ſæpenumero tumidi, pondus tam maximum non æquo libramine pependiſſent, idem Populus moræ jam impatiens, ne quid moleſtum ex hoc fieret Chriſto devotis, ædem, in qua convenerant, tecto ſublato ætheri oſtendêre; victumque illis negantes, omnibus utenſilibus privatos fore ſpoponderunt. Qui ad hæc jam vi coacti animum advertentes, diebus multis vario certamine contendêre: namquiſque ut ſibi magis placeat, non ut inſcius ageret nitebatur. Demum ergo cùm eorum nemo ſibi Sedem compati dignaretur, ad externos deferri maluerunt. Quos inter Clemens tunc Burdegalenſis Epiſcopus de gente Vaſconia, id auro Regio, donisque maximis exhortantibus, & Pe-
B tri ſtudio inceſſabili. præ ceteris in Apoſtolorum Sede plurium aſſenſu Papa decernitur. Quod poſtquam Petro de Columna, Patruoque ſuo per eos, qui munus pollicitum expectabant, ſecretè nuntiatum eſt, illico avidi votum Regium perfici, id Philippo, Clementique primi ſuis literis indicavere: donec ille electus ſolemnibus Legatorum Miniſtris de hujuſce dignitatis dono certificatus eſt. Tunc idem, licet in Anglica Regione Præſul eſſet, tamen Philippo gratiſſimus, eo quòd à juventute familiaris extitiſſet, rem tanti ponderis ſibi commiſſam properè nuntiavit. Quod Philippus preſciens reſilidit, illum non metuere onus tantum aggredi; ſed audere, & Regio uti præſidio. Tunc Legatis
C ab eo remiſſis fidelium conſilio fretus juſſit, quatenus Cardinalium turba omnis, & ceteri, quorum obſequio Papalis Sedes ambitur, illuc, ubi tunc aderat, maturis greſſibus ambularent.

Quod edictum ii moleſte ſuſcipientes, rurſus illum per Legatos illuſtres oravere, nullibi præterquam in Urbe ſedem ſtatuere, eiſque non ſine diſpendio magno graviſſimum fore, ſi tanta gentium multitudo trans Provinciam ex libera migraret Italia; labefactari etiam vota Fidelium, ſi Sedes Apoſtolica, ubi Pontifex Primus Deo dicatus inſedit, ad alienam Orbis partem transferatur. Ad hæc Clemens Regia cultus induſtria reddidit, honeſtum fore, ut omnes Paſtorem ſequantur, ne idem deficiente ſuo grege
D Paſtoralem baculum in Gallorum comitatu aſſumat, promiſque ſe velle, ut ad ſe omnis Cardinalium turba ſuſpendio moræ brevis accedat. Ut igitur Papæ fixum in corde propoſitum cognovere, qui potuit celeriùs ad ipſum ſe proripuit. Petrus autem ad Philippum ſe contulit, ut pro ſe, ſtirpeve ſua ſolicitus intercederet. Ut igitur ferè omnes apud Burdegalum votis diſparibus convenere, ibidem Clemens Papa decretus, utriuſque Regis aſſenſu poſt menſes quatuor uſque Pictavium tandem profectus, ibi ſedem ſuam biennio moratus inſtituit. Hic locus antiquiſſimus, & vetuſtis fabricatus mœnibus in Aquitania Regione juxta fluvium, qui Clanum nuncupatur, fundatus eſt, ſatis fertilis,
E & divitiarum opulentia decoratus, Francorum Regi famulatur; ubi Philippo gratiſſimus, aviduſque votis ejus favorabiliter obſequi, ad ea, quæ per Bonifacium geſta fuerant, curas omnes advertit; difficilius enim eſt Apoſtolica decreta tollere, quàm ſtatuere. Cùmque ſuadentibus malè fide conſultis, quatenus Bonifacio de Hæ-
A reſi damnato, cetera contra Francorum Regem nefandis judiciis acta revocarentur in irritum; non paſſi ſunt Ricardus Senenſis vir magnæ auctoritatis, & opulentiſſimus, & Petrus Hiſpanus, prætendentes illud nequaquam ſinè injuſtitia fieri poſſe, idque peritorum omnium, vulgique diſſonum opinioni, ſi tantus Pontifex poſt fatum ejus tam abhorrendæ vitio turpitudinis offuſcaretur. Addiderunt etiam, multa per eum illuſtria facta effectu carere, ſi ſceleris tanti reus ita vocaretur; enim verò clarorum ſæpe virorum fama odio aut invidia impiorum profanata, dum lingua ſpirituque privati tueri ſe nequeunt, apud improbos depravata eſt, ideoque poſt fata virtus pariter, & vitium magis
B patent, niſi crimen interitur. Demum verò cùm Pontifex magnus Philippi noxam, quam olim Bonifacius peroſus in contumeliam Regiæ Dignitatis moleſtè ſuſceperat, prorſus tollere deſtinaſſet, quoad potuit nixus eſt, ut ſi non juſtum, ſaltem æquum, & dignè factum videretur. Hoc judicio ſuo patefecit, ut Bonifacius in captione ſola, nec ante vel poſt, Hæreticus (*) haberetur, ſicque juſtè capi potuiſſe: & ob hoc cùm neque in Chriſtianiſſimum Francorum Regem nodoſum Anathematis fulmen projicere quiverit, ipſum eumdem Philippum prioribus Catholicæ Fidei reſtituit argumentis, & ab crimine objectorum liberum promulgavit. Deinde Jacobum, & Petrum de Columna, quia Cardi-
C nalium cœtu exules dudum rebus omnibus privati latuerant, ad apicem priſtinæ Dignitatis reſtauravit; nec minùs ceteros, qui in Bonifacium conjuraverant, à vinculo maledictionis Apoſtolicæ liberavit. Si tamen id debuerit agere, cùm potuerit, decernat ille, qui juſtus eſt Judex, & nulla fallitur tergiverſatione lædentium.

Poſt hæc autem rebus aliis, quot Mundi climata ſuggerunt, multùm intentus, ea potiùs vexabatur animi moleſtia, quam cordi Regis infixam retro multis annis agnoverat. Sciebat quippe, illum Hieroſolymitani Templi Duces non vereri, & eorum Ordinem Religionis Sacræ prævaricatorem potiſſimùm deteſtari. Igi-
D tur poſtquam delatio nefandi criminis, quæ dudum etiam ſedente Bonifacio conceptui verſabatur, apud Clementem ſuſcepta eſt, Pictavi adhuc ſedens, inquiſitione ſolemni adversùs eos de rei veritate ſcrutari conatus eſt. Criminabantur namque Ordinis tanti apices, & eorum ceteri ſtudiis annexi, quòd licèt ipſi pro Fide Catholica ad recuperationem Terræ Sacræ, quæ Saracenis, & Paganis incolitur, continuis bellis acriter dimicarent, viderenturque Chriſti pugiles, tamen in ipſo Ordinis ingreſſu deteſtabilem quidem & ab omni prorſus honeſtate ſegregatum errorem committebant, eo maximè, quòd ingrediens omnis, priuſquam cucullam aſſumat, Chriſtum pro nobis paſſum & mortuum nega-
E bat, coramque venerandæ Crucis aſpectu ſe incredulum profitens, rigidis contumeliis profanabat. O crimen intolerabile! o genus hominum deteſtabile! o perditionis horrendæ materies! & ſic dum unum & verum Deum turpiter execrari nitebantur, id ſcelus per aſſumtæ Religionis habitum detegi non putabant. Quod Apo-

(*) Supinè hic errat Ferretus, ſi ejus verba ſignificant in aliquo læſam a Clemente V. famam Bonifacii VIII., cùm totus Hiſtoricorum Chorus, & Acta Concilii Viennenſis, aliaque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta ab Odorico Rainaldo producta, certos nos faciant, nihil umquam emanaſſe adversùs orthodoxam fidem Pontificis illius, immo criminibus impactis ejus memoriam fuiſſe abſolutam. Iſtud adeò certum, ut vix credam, Ferretum id ignoraſſe, atque aliter ſcripſiſſe, quam veritas habeat. Fortaſſe poſt illa verba in *captione ſola* aliquid deſideratur. Alioqui ridendam rem traderet Hiſtoricus, ſcribens eum non ante, nec poſt captionem Hæreticum fuiſſe, ſed tantummodo in ipſo captionis momento.

Apoſtolicus, Regis memorati, multorumque Orbis Principum indignatione ſuſcipiens, ne tantum tamque abhorrendum nefas ſilentio prætereat, ſolemnes Nuntios ſuos Berengarium, & Stephanum Presbyteros, & Landulphum Diaconos Cardinales a Principibus & Magiſtris dicti Ordinis ſciſcitaturos de veritate hujuſce criminis, quod jam ipſi Papæ per Inquiſitorem ſuum hæreticæ pravitatis in Francia ſcriptis, & proceſſibus veris manifeſtum erat, ſtudioſè legavit; utque ab his (cùm à Papæ præſentia ſe invaletudinis aut nequitiæ cauſâ ſurriperent) per jusjurandum inquirerent, an objecta in ipſos, & quæ per confeſſionem aliquot ſuorum Confratrum acceperant, vera eſſent. Ad quæ in eorum animas reſpondentes, objecta adversùs eos & eorum Ordinem, omnia & pleraque alia perpetraſſe ſpontaneo motu faſſi ſunt, uti de his in proceſſu tantæ cauſæ ſcriptum fore comperimus. Quamobrem idem Clemens, accerſitis undique Terrarum Prælatis ad ſe Concilii faciendi cauſâ, in ſolemnibus Reſurrectionis Dominicæ diebus, tertio jam ſui Pontificatus Anno apud Valentiam, quæ Provinciæ Civitas ſatis egregia eſt, Synodum univerſam celebravit, in qua multis ab eo ſobriè diſcuſſis, hoc, quod diu cordi fixum tenaciter hærebat, in Templariorum Ordinem damnationis telum protulit ob nefandiſſimi ſcelus criminis, eoſque ſuppellectilibus, & bonorum omnium uſu privatos æterna proſcriptione damnavit, utque capientium ſervi fiant, & multis pœnis affecti pereant, ubique mandavit. Quamobrem licèt ceteris atrox judicium videretur, attamen Sedis Apoſtolicæ Decreta profitentes, ſui Paſtoris Legem ſervare miſi ſunt. Capiuntur itaque, dimiſſo Concilio, omnes Templariorum turbæ; ſed in Francia ac Provincia primùm capti, & ſpoliati rebus ſuis, carceri mancipantur; tum diu vinculis retentos pædoris ſqualloriſve rigidi anguſtia peremit. Sic & in toto Orbe Chriſtiano actum eſt. Atrium etiam mirabile, quod Princeps eorum Apollonis juxta Pariſium civitatem ære magno conſtruxerat, Philippo contribuitur. Sunt etiam, qui pretioſiſſima vaſa, reſque pretio magno nobiles illum accepiſſe dijudicent. Cetera verò præter ea, quæ fiſcalibus tributis, aut Miniſtrorum laboribus debita pervenerunt, his qui ſe Beati Joannis Baptiſtæ famulos in aſſumta militiæ ſuæ Regula profitentur, Apoſtolica cenſura traduntur. Si qui autem ex Templariorum cœtu manumiſſi, aut per fugam abſtracti evadere potuerunt, projecto Religionis ſuæ habitu, miniſteriis plebejis ignoti, aut artibus illiberalibus ſe dederunt. Nonnulli etiam ex parentibus clariſſimis orti, dum transfugæ laboribus multis & periculis dudum expoſiti, vitæ tœdium magnificis animorum nobilium conatibus vilipenderent, ultro ſe gentibus edidere, adjurantes ſe objecti criminis prorſus inſontes. Ex quibus vir quidam audax & animoſus, ut auditu comperimus, cùm ad Clementem ex Neapoli vi adductus coram impavidus aſtitiſſet, ſuppliciumque ei multùm Papa minaretur, odio accenſus: *Non*, inquit, *te*, *Clemens injuſte*, *vereor*, *qui dum mihi mortem minitaris*, *quæ Deo me gratum offert injuſtis ſuppliciis interemtum*, *ſed tu timere debes*, *quos potiùs judicio ultionis*, *quàm juſtitiæ zelo damnaſti*, *& quos ante Tribunal Sacrum in die noviſſima triſtis invenies*, *coram tremendo Judice tuæ villicationis cauſam editurus*. *Nec tunc flammarum iracundia te verebor*, *aut rigidum pio ſermone placabo*; *ſed & tu idem*, *qui judicaſti me*, *ab eo judicaberis*. Talibus itaque Papa offenſus, diebus illum multis in cuſtodia ſervatum, tamdem igne abſumendum fore, eo quòd ex Principibus nefandi Ordinis non minùs ſacrilegus Deum, quàm Paſtorem pertinax offendiſſet, poſtrema judicii ſui lege mandavit. Qui damnandum ſe flammæ cruciatibus, cùm præſto eſſet, intelligens, nihil territus, aut in mortis ſupplicio vultu dejectus, ſed audax & fortis, voce magna clamavit: *Audi Papa trux*, *& meos ſermones intellige*: *Ego quidem ab hoc nefando tuo judicio ad Deum vivum & verum*, *qui eſt in Cœlis*, *appello*, *teque admoneo*, *ut intra diem & annum coram eo pariter cum Philippo tanti ſceleris auctore comparere ſtudeas*, *meis objectionibus reſponſurus*, *tuæque excuſationis cauſam editurus*. Deinde obticuit, & magnificè ſupplicium tulit; nihilque molle aut effœminatum oſtendit. Mirabile quidem & ſtupendum, quòd ille Prophetiam edidit, & ex Fide propoſitum ſumens mirabilem in operibus ſuis Deum invênit. Nam uterque, Philippus & Clemens, priuſquam Anni circulus ageretur, vitalem ſpiritum effudere. Papa quidem morbo languens defecit. Rex autem, dum feras in venatione ſequeretur, ab apro graviter ſaucius, tamdem inſanabili vulnere iter univerſæ carnis invênit: quod quantum gentibus incredibile, tantum nobis poſſibile viſum eſt. At non ideo poſtremum hoc Hiſtoriæ pro rei veritate conſcripſimus, ut auctoritate noſtra poſteris evangelizetur; ſed velut fama dictavit, dignum his miſceri fore putavimus. Nam ea, quæ à longè ſunt, mente concipi, non oculis ſubjici queunt. Et quidem hæc Fidelibus jactura maxima fuit, dum tot pugiles Chriſti, qui numero ſupra XV. millia Virorum capita notabantur, propter tam horrendi facinoris crimen, tam ſævæ perditionis incurrêre judicium. Nec ideo quamquam hujuſce rigor edicti ab imperitia vulgi damnetur, putandum eſt, tam ſalubrem, tamquè Deo gratum Paſtorem odio vel prece corruptum à juſtitia declinaſſe; nam omnia bene & ſapienter ab eo geſta nemo mentis integer ambigit.

Satis adhuc Romanorum Acta Pontificum laborioſè tractantes, dudum illis inſtitimus. Igitur Italorum clades ab eo, quem prædiximus, Jubilæo, unde longiùs quàm putavimus, temporis ordine devii fuimus, feliciter reſumentes, quid in eos ſuis Ducibus de Regno certantibus moleſtè contigerit, Deo duce, ſtilo breviore ſignabimus. Nec quidem hæc ſcriptis ullis edita apud tot Viros illuſtres auditu comperimus, niſi quòd recens memoria adhuc vulgi ſermonibus reſervavit. Extinctis verò linguis, quæ ab oculis ſuis vera locutæ ſunt, iſtinc prorſus lethæa ſequetur oblivio, niſi fortè felix ſcribentium perpetuabit auctoritas. Neſcimus tamen, ubi rerum tantarum ſeries ſuperſtitioſè tractabitur; rariſſimi quippe onus tam grave tentare conati ſunt; nam vix ullus, aut modicus labor eſt, ubi mens delectatur in opere; verùm ubi animus torpet, eadem ſummi laboris perfectio eſt, & corporis diſſipatio. Et in hoc potiſſimùm Ars Poetica eſt, cujus eſt verborum menſuram & pondus inſpicere, ut aptè conſideant, in qua nos etiam jucunda ſæpe delectati ſumus inſania; nec tamen, ne Philoſophorum judiciis derogetur, hujuſmodi ſcientia contemnenda eſt. Nam quis Poetas egregios, ſummi viros ingenii, & ſapientiæ amatores fuiſſe jam dubitet, qui ut ſcribendo delectandi cauſam inveniant, veris ficta componunt, & eadem certis pedum menſuris adaptantes breviſſimo

A verborum ornatu in ſeriem redigunt? Potuiſſent nempe Maro, & Statius, ac diſcreta Naſonis induſtria Philoſophica multa conſcribere, niſi ſui virtutem ingenii tenuioribus voluiſſent argumentis oſtendere. Et is quidem labor arduus eſt, adeò ut pauciſſimi delectentur in illo. Quòd ſi merces, & qui olim à Mecœnate dabatur honor, ſtudia ſequeretur, major ſcribentium turba nobis eſſet. At ſola in divitiis, & potentia conſiſtit gloriæ multitudo, & cura his omnis advertitur. Populo venerabiles & timendi ſunt, quibus opulentia major eſt. Sed viliſſima eſt illorum meditatio, qui ut congregent totis viribus enituntur, neſcii quibus parent, navigent, vel ædificent. Laborandum verò prorſus eſt, ut B virtutem, quæ Deo nos offert, ſumma ope colentes bene agendo vitia comprimamus, & quam quærimus vitæ laudabilem memoriam, clariſſimis geſtis adepti in cœleſti Patria collocemur. At quidem iſtinc ſumti laboris conſcribendo proſequimur intentum.

Si relata nobis multorum dicta bene didicimus, primo poſt Jubilæum Anno Maphæus Vicecomes Mediolani Præfectus, adverſantibus ſibi Turrianis jam in Patria ſua dudum exulibus, & Alberto Scotto, qui Placentiæ dominabatur, potentia ſua privatus, & è laribus avitis violenter ejectus exulare compellitur: ſemper enim fluctuat humanæ vitæ conditio, & eadem inſtabilis fortunæ famulatur imperio. Nunc enim humiles C exaltat, nunc ſummos deprimit, felices in luctum detrudit, lugentes ad riſum provocat, nunc torquet aut fovet rebus caducis annexos. Cujus rei ſeriem, ut ignorantibus clariſſimè pateat, quo breviùs id poſſe continget, his felicis memoriæ ſcriptis pertinaciter inſeremus. Placatis namque graſſantium inter Parmenſes, Bononienſes, & Azzonem Ferrariæ Satrapam turbinibus animorum, bellique tumultu ceſſante, omnis Azzonis cura, omniſque animi meditatio in tollendis Ducum ſuperioris Lombardiæ fœderibus, qui de benevolentia pepigerant, avidiſſimo impetu ferebatur. Nec deerat ſuis votis occaſio; oſtendebat enim, ſibi Parmenſes favere, contra Albertum præcipuè, dum bello à ſe ſuperabiles non dubitarat tutatum fuiſſe, ſicque D eorum Regno privatum penitus extitiſſe. Quamobrem zizaniæ ſemen infandum, quo invidi ſemper utuntur, eos inter viribus totis ſeminare diſpoſuit. Sciebat quippe, tunc memoratum Albertum, faventibus ſibi Philippone Papiam detinente, & Antonio de Fixirago Laudis Præfecto, Cremonenſibuſque, ac finitimis inde Populis in ſublimiori gradu poſitum, non ideo Maphæo gratiſſimum fore, eo quòd atrox peſtis invidiæ, quæ felices latenter vorat, illos vexaret in odium; ſed nequaquam, quoniam ſævæ tyrannidis pari vitio laborabant, Populis ſuis deſides viſi ſunt; uterque enim ſua, qua poterat, tuebatur induſtria. Hunc pro deſponſanda Sorore E ſua Beatrice, quæ inter coætaneas virgo ſatis pudica, & forma decora ferebatur, unum ex natis Alberti per Nuntios ſecretos cautis ſermonibus interpellat, & Azzonis probitatem, ejuſque vetuſtum genus à Proavis illuſtribus derivatum inſpiciens, licèt id non in animo gratum, ſtabilique fixum propoſito concepiſſet, tamen ut gloriæ potiùs, quàm meditandi moræ certus adſcriberet, quid placeat editurus, brevi diſtulit intervallo. Interea gaudio lætatus immenſo Maphæum, quatenus illi potentiæ ſuæ modum, quantique æſtimetur inter Proceres, ex hoc magis oſtendat, ad locum ſecretum inter fines ſuos conſilii capiundi cauſa ſtudioſus accerſit, ubi ſo-

A brie convenientes, dum utilibus verbis ſermonem dirigerent, hæc quæ ab Azzone conjugii cauſâ ſuſcepiſſet, Maphæo jam non prudens conſultor aperuit. Qui periculum ſibi imminens illico meditatus, non perſuadens hujuſce fœderis modum, ſed illi manifeſtis diſſuadet argumentis. Unde idem in ſe receptus, ut ſobriè cuncta diſcuteret, facto moram invênit. Maphæus autem verſutus & prudens, ut tantæ indolis nurum ſibi paret, Azzonemque vinculo conjugii tenaciſſimo ad fœdus amicitiæ provocet, illi ſolemnes Legatos repentè direxit, qui Ferrariam uſque profecti, Marchionem ſui cauſam itineris ſciſcitantem, cur advenerint, placidis ſermonibus alloquuntur. Quos ille gratus accipiens, ſua jam B certus vota peragere, dierum paucorum meditandi cauſâ moram aſſumſit, nequaquam paſſus Legatos inde diſcedere. Poſt paucos verò dies his in locum ſecretioris Aulæ vocatis, primùm de Maphæi ſtatu, ejuſque natis ſobriè percunctatus, inquit, propoſitum ſibi conjugium, quo Maphæo fiat conjunctior, fore gratiſſimum; idque, ne effectu res careret, ultro ſe facturum data fide ſpopondit. Illi verò Domini ſui mandatum habentes pro Galeatio primogenito cum Marchionis Sorore ſponſalibus certis pacti ſunt; deinde egregiis donati muneribus abeuntes fœdus initum cum Azzone expectanti retulere Maphæo. Qui ne facto moram adjiciat, brevi tempore jugales nuptias ſolemniter celebravit. Sic Beatrix C Obizzonis nata, decora, & forma ſpectabilis, ejuſque ferè ætatis, qua virgines pudicitiæ magnæ laudantur, Galeatium virum agnovit, illique thadis non adverſa juſtis adhæſit. Quod poſtquam Alberto manifeſtè compertum eſt, admiratus tantam perfidi viri Maphæi nequitiam, illico bilem animo ſuſcitavit; inde flagrantius ira accenſus vix impetum temerè ſubeuntem forti moderamine temperavit; ſed tandem ſecum deliberatus vitium tam nequam rigida virtute compeſcuit, odiumque cauto vultu diſſimulans, ultionis modum aptiſſimo tempori reſervavit.

Tunc brevi temporis interſtitio, faventibus ſibi Philippone, & Antonio, ac Turrianis exulibus, qui jam ab Aquileja Sede Veronam pro- D fecti Laudem appulerant, Petrum Viſcontem Maphæi Patruum, quem illi ſciebat exoſum ob Regni cupidinem, literis ſe retis aſcivit, utque in nepotem ſecum conjuret perfidus certum juſjurandum accipit, cum quo & Petrus Ruſconus Comi Præfectus, eique illius gener gratus adhæſit. Poſt quæ conflato fidelium mercenariorum exercitu magno cùm jam Petrus è patria diſceſſiſſet, quatenus nepotis odium fugeret, illique graviùs offenſam infereret, præſentiens Maphæus Patrui minas, illum jam montaneis Collibus abditum dolo cepit, & uſque Mediolanum violenter adduxit, ubi cùm mentem ejus pollicitis ullis nequaquam placare poſſet, in carcerem detrudi juſſit, & ſolicitè cuſtodiri. Albertus verò E ſciens, Petrum jam captum eſſe, magis intumuit, ſumtiſque virorum copiis ad numerum viginti millium, è Laude progrediens versùs Mediolani Civitatem ſigna direxit, multùmque die una profectus, uſque ad fluvium, qui Lamber nuncupatur, cùm Sol jam pronus occideret, ibi pernoctans ſua caſtra diſpoſuit. Maphæus autem, quamvis bello deficeret, ne timidus hoſtis videatur, acies ſuas uſque Melignanum, qui à Patria ſua decem millia paſſibus longè diſtabat, obviam repentè produxit, ubi cùm utrinque pactis inducitis bellum traheretur in moram, ſecretè ad Maphæum progrediens hoſtis Albertus, illum pari dolo, & falſis pollicitis multùm affatus,

cre-

ed by Google

credentem & falli minimè veritum ſtudioſè decipit; nam illi perſuaſit, quatenus ſceptro depoſito Turrianos exules ad lares patrios reverti fineret, nihilque illis adverſatus, hinc & inde animorum rancore projecto, jugo Patriam liberaret; nec metuere, illos ulteriùs ſibi minas aut periculum incutere, cùm neque illis ideo fiat altior ſedes in Regno, nec moderamen latius, niſi demum viciſſitudinaria lege contingat, Civiſque cum Cive rem Populi perageret. Nec verebitur quempiam, donec togatus juſtitiam meditabitur. His Maphæus ſermonibus paulùm ſedatus, dum quid agendum ſibi potiùs volutaret, dubiumque futuri belli conſideraret eventum, ſubitò præter amicorum ſcientiam, quod diu privatè ſceptrum habuerat, Alberto, quem fallere non putabat, dum illi per jusjurandum ſe fidei obſidem ſpopondiſſet, liberaliter tradidit. Inde etiam, ubi exercitum ſuum ſupra millia XV. Virorum capita congregaverat, diſcedere turmas juſſit; & Alberto ſe credens, donec cum exulibus ſibi adverſantibus pacto de fœdere conveniret, ſecum manere non dubitavit. Ferunt tamen illum cum hoſtibus pugnam avidiùs anhelaſſe, niſi plebeji ſaveris obſequio deſtitui ſe putaſſet. Nam inſtabilis vulgi benevolentia eſt, & hujuſce pertinax odium. Neceſſe quidem eſt, ut qui Populo dominatur, inviſus fiat, & identidem pietate excluſa diſpliceat. Nec valuit quidem illi Azzo ſuam opem tribuere, cùm neque animus, neque tantum robur adeſſet. Tameo oe Maphæus à ſe deſtitui quereretur, uſque Cremam ſuorum cohortes adduxit, ubi nihil manens, poſt ſceptrum depoſitum, rediens Ferrariam, Cremonenſis civitatis incolas in tumultum excitavit, ut ſi togati, aut plebis multitudo, quæ nondum tota ab exercitu memorato redierat, nequaquam ei adverſaretur, tyrannide illam ſua opprimeret. Sed cauta Procerum induſtria illum, priùs multis tamen ſuorum detruncatis, abire permiſit, eo quòd ignorantiam errore perfidus ſimulaſſet. Itaque protelatis præter ſpem concordiæ diebus, dum quereretur Maphæus rem ipſam in longum nimis protrahi, diſceſſurus, non habuit qui eum abire permitteret, ſed modeſtè ſervatus jam famulans, imperio eſt privatus. Tunc ſe libertate privatum agnoſcens, eaque, quam vix putabat, fide projectum, illico natos, qui Patriam adhuc patri ſervabant, literis admonet quatenus ſuppellectilia & vaſa pretioſa in tuto reponentes, profugio celeri ſe commendent, & hoſtium manus violentas, necem eorum ſitientes effugiant. Hi verò patris utile conſilium non aſpernati, ſubitis equorum greſſibus extra patrios lares in exilium abiere. Galeatius quidem Pergamum cum equitibus mercede conductis ducentum numero celer appetit, alii autem germani Marcus & Luchinus nondum facti puberes cum matre timida ſub amicorum fiducia latitantes, demum ad extraneos brevi perſugêre. Poſtea verò quàm Maphæus illuſum ſe novit hoſtibus jam Mediolanum introeuntibus, ſpe ceſſus omni, Placentiam, id Alberto volente, profectus eſt, ubi menſibus binis moratus tandem inter Brixiæ fines apud Iſidis lacum ab Amico vocatus non delicio è delituit. Inde Veronam accedens trium lapſus annorum dum Bartholomæo de la Scala, qui tunc defuncto patre regnabat, ingratum ſe ſciret, Baylardini hortatu Nogarolæ rus, quod Mantuæ finibus conterminum ſedet, velut in tuto confidenter annis quinque miſer habitatur incoluit, donec reſpirantibus melioris fortunæ zephyris Patriam repetens in ſede ſublimior factus eſt. Turriani verò procul hoſte dejecto, Patriæ moderamen capientes, ceteros Maphæo complices ad exilium rigidis cruciatibus impulere; ex quibus trucior Muſca magis in eos ſævitiam exercebat; ſed inde morte præventus paululum dominatus eſt, poſt quem Guido ſceptra ſuſcipiens, mitior in cives, tyrannica tamen rabie multotiens vexabatur. Nec tunc modus erat exactionum; ipſe etiam nimiùm tumidus omnem Patriæ gubernationem conſortis impatiens ſibi contribuit. Unde Procerum in ſe convertit invidiam; ſed vulgo quidem benignus ſatis apparuit, dum illi mellitis ſcivit verbis cautè blandiri. Sic igitur annis fermè decem regnare ſibi feliciter viſus eſt. Demum ſub Henrico VII. Cæſare è ſublimi ſede prolapſus, ſceptro, Patriaque privatur, & cum tota ſuorum ſtirpe damnatur exilio. Sed ſtupet omnium diſcreta peritia, cur hæc viris, opibuſque, & ferè omnium, quæ citra Galliam ſunt, civitatum opulentiſſima tyrannicis ſemper angoribus ſe premi, & libertate numquam potiri voluerit: nam & illam vix putant alteram eſſe Romam, nec indignè. Sed impia Procerum rabies, & effrenis Regni libido, quæ ſemper infimos opprimit, mites diſſipat, truces fovet, hæc in ſanguine primorum delicias quærit, ac plebem artificio magis incolam jugo ſubjicit, & ſervire cogit, ut turpiter imperet.

Eodem anno Albertus de la Scala Veronæ Præfectus, cùm annis uno & triginta poſt cædem fratris ſui Maſtinoi ſatis feliciter regnaſſet, jam in ſævitiam protendens, morbo tandem abſumtus occidit cui primogenitus Bartholomæus, adulto nondum Alboino, & Cane Magno pubeſcente, ſucceſſit in Regno. Hunc tamen formidoloſus pater, ut à potentibus fieri aſſolet, ne agnatorum invidiâ nati caderent, priuſquam ægrotaret, Populo ſuo Principem fore decrevit. Qui virtutem animi, & ſtirpis ſuæ robur agnoſcens, adhuc eo ſuperſtite Patriæ moderamen aſſumſit, & ut ſolus regnaret, plebis favorem, ſtipendiaque merentium vultu blando adſcivit. Primùm quidem armis decoratus, cohorte fidelium accepta, Botteſellam Mantuæ præfecit, Bardilono dominante depoſito, & Taglioo fratre ſuo, qui cum Azzone per fœdus oitebatur adjungi (nec tum illi tertius & vigeſimus annus advenerat) unde perfectis deſiderii votis, ad ſua ſe recepit, ut libro ſuperiore depinximus. Poſt hæc cùm Maphæus Mediolani Præfectus Turrianorum impetum, faventibus illis Longobardorum Ducibus, valde metueret, & ne incautus periret, opem amicorum ſtudioſè imploraſſet, quos inter Alberti fidem totiens expertus, nequaquam ſibi deficere ſuſpicabatur, non paſſus eſt id Bartholomæus, ſed prohibuit, patre non adverſante, ne vires ſperatas jam non ſibi gratus acciperet. Nec quidem ſivit, quod ille ſperabat, ut gens ſua illuc ſimularet profecturam, ſed potiùs Turrianis aditum per Veronæ mœnia liberalis exhibuit: quòd ferè omnibus ſtuporem induxit; nam præter animorum benevolentiam, & pollicitam mutuæ pactionis fidem in idem velle, jam Alboinus Maphæi natam legitimè duxerat. Sed rancoris innati pertinax odium hujuſce rei cauſam ferunt, eo quòd Maphæus præter Alberti ſcientiam cum Azzone memorato ſociales nuptias celebraſſet. At ille deſtitutum ſe videns, potiùs quòd in ſalo fortunæ ſævientis traheretur remis & carbaſo ſpoliata ejus puppis, quàm quòd blandientibus molliter zephyris ficto faventium obſequio deprimeretur, gratulabatur. Itaque cecidit vir ſatis probus,

A lius, & audax, ſed identidem eximio lapſu in ſuperioris rotæ culmen poſt breve tempus elatus eſt. Iterumque Scalæ apices benevolentia prima, pactique fœderis vinculo amplexus, & hinc iterum odioſus in aliis Borea ſæviente procellis deſtitutus eſt. At de his quidem, cùm ordo temporis exiget, prolixè tractabimus. Bartholomæus igitur, patre defuncto, Patriæ gubernationem paucis annis obtinuit; nam & idem dum ex adoleſcentia juveneſceret, natis duobus uno ex legitima, altero ex concubina relictis, morbo graviter languens expiravit. Poſt quem Alboinus natu major ſceptrum accipiens, jam non Maphæi, ſed Guiberti Parmenſis gener, primorum ritu in paterna ſede præficitur. Sed non B ideo multa præclara, fatorum curſu impediente, ab eo geſta didicimus, niſi quòd fœderis pacti ſervator, & eorum, quorum ſe conjunctionis vel benevolentiæ causâ complicem ſciebat, non exilis adjutor, vires & opes ſuas liberaliter effundebat.

Proinde Guibertum memoratum, qui adverſantibus ſibi Rubeis, & ceteris Parmæ ducibus, non tantùm è ſede depoſitus, quam diu privatè tenuerat, ſed extra lares avitos projectus exulabat, ad priores dignitatis gradus, non ſinè Parmenſis Populi ſtrage magna victrici gladio reſtauravit. Idemque poſt magnum Azzonis impetum in Mantuæ finibus apud Serravallem remoratus eſt, cùm inde relictis machinis, & bellicis C inſtrumentis Paſſarinus Botteſellæ Præfecti germanus metu fugiſſet, eodem Præfecto Cremonenſes agros ſumtis ab Alboino viris & armis hoſtiliter depopulante, non paſſus acceptam ab antiquo hoſte injuriam abſque ultione tranſire; & nactus belli tempus, annuente ipſo Mantuæ Præſide, puppes multas illuc è Benaco gurgite per undas Mintii celer advexit, multaſque à Botteſella paratas invênit, quas inter una pugnæ aptiſſima Lupus, altera curſu velocior Regina nuncupabatur. Quas cùm è Mantos fatidicæ mœnibus in Padum deduci magiſter equitum imperaſſet, non exitum felicem ideo ſortitæ ſunt. Nam Azzonis induſtriâ, priuſquam D Ferrariæ litus attingerent, viris ſuis & armis deſtitutæ, ferè omnes captæ & in prædam deductæ ſunt, paucæ verò in fugam converſæ Portus patrios advenere; unde gravem rerum jacturam, & præſumti facinoris contumeliam Dux uterque moleſtè ſuſtinuit. Demum verò flammatus Alboinus cùm ad obſidendum Hoſtiliæ oppidum Azzo ſuas gentes hoſtiliter direxiſſet, tutatus locum inexpugnabilem, brevis moræ diſpendio exercitum ſuum in Azzonem direxit, adjunctiſque ſibi Mantuæ viribus circiter Brigantini turrita mœnia ſua caſtra diſpoſuit, ubi Azzonis ſuperbiam & vires ejus nequaquam metuens, dum ibi menſibus fermè tribus ob caſtri rebellionem, rapinis & depopulationibus agrorum intentus, propoſito tenaci manſiſſet, tamdem convicti tutiſſimi loci cuſtodes ob ciborum penuriam, ultro ſe victaque mœnia Alboino pactis fœderibus tradidere. Ferunt nempe illos ſui opem Domini præſtolantes, cùm victu carerent, horrida quæque animalia, priuſquam victi cederent, avidè voraſſe, hiſque conſumtis, non bello, ſed fame ſuperatos moleſtè paruiſſe. At non ideo vir impius & avidus cruoris Azzo illis, dum coram eo ſe recepiſſent, adjurantes, fame, non pugna convictos, & uſque apud mortis januam creditum eis locum ſervaſſe, miſertus eſt; ſed eos, quibus rem ſuam commiſerat, oculis, & dextera, lævoque pede truncari juſſit, ut furore ſuccenſus

A in eorum tormentis inde ſuſceptam placaret injuriam. Moleſta eſt ſemper quidem humanitati ſævitia, cùm ſinè juſtitiæ libra gladius furoris accipitur; nec tutum eſt Dominantibus adhærere, his præcipuè, quorum libertas nondum obſequiis irretita ſervire dignetur. Nam Potentes à famulis munus gratè ſuſcipiunt; ſi verò deſiſtant, prioris obliti muneris ſuſcepti, nullam beneficiis gratiam rependunt; quòd ſi contra eorum judicium peccatur, velut ira furens impellit, ſervus afficitur. Victor denique Alboinus muros, & aggeres omnes, nequid ulteriùs ſibi moleſtum inde contingat, ſolo æquari juſſit, & exercitum ſuum revocans properè Veronam acceſſit, ubi ſatìs feliciter imperans annis ſex moB deramen obtinuit. Donec vita privatus Cani Magno in agendis à Patre faſcibus totam hereditatis antiquæ portionem abſque lite reliquit. Quid igitur illi poſt hæc Deo permittente contigerit, quotiens operis ordo dictabit, ſtilo prolixiore ſignabimus.

Nunc quanta Piſtorienſibus calamitas, quanta bellorum moleſtia ſiniſtris futurorum eventibus acciderit, bis ferè temporibus, cùm Clemens Romæ Pontifex decretus eſſet, hujuſce conſcriptionis noſtræ ſtudiis æquum depingi fore putavimus; non quia res jucunda auditum excitet, ſed ſtupenda nimis, & horrida fortè legentibus compatientiam doloris afferet. Cùm igitur Alborum pars dudum exul è patriis laribus violenC ter rejecta apud Lucanos colles Annis fermè tribus delituiſſet, adverſantibus Nigris, quos Fæſulanorum gens, Curtio de Donatis expulſo, eo quòd in Patria ſua ſeditionem egiſſet, promtis obſequiis reſovebat; iidem exules avidi dulcia patrii ſoli arva repetere, totis animi & corporis viribus nitebantur, quo ad poſſent deſiderii ſui vota peragere. Nam omnes ad hoc impetuoſis curis accendimur, & quod vi prohibitum eſt, flagrantiùs peroptamus. Demum ergo faventibus eis, quos benevolentiæ aut amicitiæ ſtudiis ſibi tenaciter irretiverant, promtis animis clandeſtinè urbis ſuæ introitu potiti ſunt. Ubi ejectis violenter hoſtibus non ſinè eorum ſtrage magna, moderamen accipiunt. Hujus D conaminis princeps Teſolutus de Uberis, vir obſcurè natus, & inter Albos Fæſulanæ gentis probus & audax, qui ob invidiam è Patria violenter ejectus cum exulibus portionis ejuſdem militabat; & huic quoque pari generis indole natus Schiatta de Cancellariis inter parentes clariſſimè natus adhæſit. Sed hic demum poſt menſes quinque obſidionis magnæ cùm Nigrorum vota magis foveret, è Patria clam prolapſus adverſùs obſidione preſſos in hoſtium Caſtris fidus & probus uſque ad tempus captionis militavit. Quamobrem offenſi graviter Fæſulani primitus ſuis viribus conati ſunt, ſi potuiſſent, exules Amicos primis ſedibus reſtaurare; cùmque nequirent, ad hoc ſocias urbes, eiſque certo fœdere conjunctas, auxilio petivere; itemque Carolum Neapoli regnantem, eo quòd illis amiciſſimus eſſet, pro viris & armis augendis per Legatos ſuos orant. Qui licèt reparandi Siciliæ Regni curis anxiis torqueretur, non ideo Fæſulanorum preces repulſa neglexit, ſed itidem natum ejus Robertum Apuliæ Ducem eum maxima armatorum cohorte uſque Florentiam liberaliter tranſmiſit, qui properè exercitum ſuum congregatis Amicorum viribus per Picenos agros producentes, circiter Piſtorii urbem infeliciſſimam caſtra hoſtiliter poſuere. Nec modus tunc rapinis, agrorumque ſævis depopulationibus; nam ſubitò agricolarum ædes, ruraque omnia

igni

igni ferrove conſumſerunt. Hic enim locus eſt, ut Veterum dicta perhibent, & Criſpinæ Romanæ Hiſtoriæ ſcripta teſtantur, ubi L. Catilina, Marco Tullio Cicerone, & Cajo Antonio Conſulibus, in Patriam Anno Urbis conditæ DCXCI. nefandè conjurans, cum Marco Petrejo à tribunis miſſo pro tuenda Republica acriter dimicavit, victuſque & telo foſſus in prœlio ſceleſtis hujus regionis turbis ad nefas hortantibus dignè periit. At ii, quibus urbs obſeſſa vigili cuſtodia ſervabatur, Lucanorum viribus paucis, Piſanorumve inanibus votis adjuti, negantes aditum hoſtibus patere, ſe quibus poterant viribus magnificè tuebantur. Sed fruſtra paucorum copiæ manus multas ſuſtinent, dum turbis maximis opprimuntur. Ut ergo Dux belli repugnantes tam viriliter vidit obſeſſos, nec vi eos, aut illius tormentorum generibus poſſe convinci, aggerem magnum telluris obrutæ circum illa mœnia fieri ſtatuit, ſoloſque Portarum aditus ſollicitè cuſtodiri, ne quid ulteriùs vel opem vilere, aut utenſilibus munire præſumeret, utque intra pugnantibus animi caderent. Tunc bellum atrox utrinque indictum eſt: & ſi quis in pugna deprehenſus vi dolove fuerit, membris detruncatis, aut vita ludibrio privabatur. Neminem pietas aut carcer ſpe tributi ſervabat; undique cædes, undique belli ruina furore accenſo crudeliter imminebat.

Hæc igitur tam ſæva Fæſulanorum obſidio ad Clementem famæ rumoribus delata eſt: quod ille moleſtè accipiens, ſuadentibus multis è numero Cardinalium, ſed potiſſimùm Rizzardo Senenſi, qui Alborum partem favorabili complectebatur obſequio, Ducibus Magiſtratibuſque Populi Fæſulani Paſtoralibus mandavit edictis, quatenus exercitum ſuum revocantes Piſtorium obſidione liberarent, Legatoſque ſuos ad Sedem Apoſtolicam deſtinarent, dicturos furoris ſui cauſam, ut ſi juſtè arma ſumſiſſent, ab eo, cujus eſt, favorem exigant, & ultionis acre judicium; ſin minùs, fulmen violentæ temeritatis expectent. Nec eis licere, præter ſui Paſtoris arbitrium, cuique bellum indicere, aut manus violentas in quemcumque injicere. His talibuſque moniti argumentis, non ideo furentes à propoſito ſuo flammatis animis deſtiterunt, ſed atrociùs comminantes, rebellibus ſuis bellum ſævius inferebant. Ob quam rem Clemens Carolo nuntiavit, ut natum ſuum, quem ad opem Fæſulanis inferendam ſtudiosè legaverat, velociùs revocaret: quod ſi peragere neglexerit, ſe Paſtoralem ſciat accepturum injuriam. Quod ille facere cupiens, ne in indignatione Summi Præſulis ex culpa maneat, natum, qui adhuc in caſtris ſævienti Populi militabat, ad ſe redire compulit. At non ideo Fæſulanorum animi imbecilliores facti ſunt, ſed majorem equitum turbam è Bononienſibus acquirentes, numquam ſe inde diſceſſuros, priuſquam ſuperatos hoſtes apprehenderint, & victa mœnia in ruinam adjiciant, certis fœderibus adjurarunt. Unde Clemens ira magis accenſus, eo quòd illi Papalia negligentes edicta atrociùs furerent, Anathematis arctioris jaculo illos velut Eccleſiæ rebelles, qui pariter Bonifacii Papæ, ac Benedicti judicia ſpernentes, à conjunctione Fidelium abſtrahi ſe paſſi fuerant, ſuadentibus ad hæc Fratribus, tenaciter innodavit. Bononienſes, quibus edixerat per ſcripta ſolemnia, ut vires ſuas è Fæſulanorum exercitu revocarent, eo quòd Domini ſui juſſa neglexerant, minori pœna mulctabat; utque hoc Papæ valde moleſtum agnoſcant, Neapoleonem virum prudentem, & è cœtu Cardinalium non mediocrem, ad Italicas partes pro tollendis bellorum exceſſibus, & placandis diſcordiæ tumultibus, utque inobedientes meritis pœnæ tormentis afficiat, ſtudiosè legavit; ſed potiſſimùm quatenus Fæſulanos, Bononienſeſve Paſtorali virga percutiens, eos ſubmotis belli machinis ab obſeſſis mœnibus Piſtorienſis urbis diſcedere coarctaret. Qui tandem illuc è finibus longinquis advectus, Romandiolam priùs celer advênit, ubi juxta Cornelii Caſtrum, quod Imolas appellant, diebus aliquot moratus, tandem Bononiam, eis tacitè repugnantibus, audax ingreſſus eſt. Tunc ſe ab Apoſtolica Sede profectum, itinerisque cauſam exponens, eos nunc blandis, nunc rigidis ſermonibus allocutus eſt; utque Fæſulani complices à propoſito priore deſiſtant, in eos ſævientem Legatum agnoſcant, ſeque illuc obveniſſe, & ab Apoſtolico mandatum ſolemniter ſuſcepiſſe. Cui plebs, Magiſtratuſve ſe juſtis tutantes argumentis ob antiquæ fœdus benevolentiæ, juſjurandive pollicitam fidem Fæſulanis, nequaquam deſiſtere proteſtati ſunt, aut ſocias vires illis inficiari poſſe. Quod audiens trux Legatus, ſubitò in iracundiam ſermone prorumpit, eiſque comminatus eſt, ni juſſis Apoſtolicæ Sedis obtemperent, Paſtorali ſtipite percuti, ac in ultionem læſæ Majeſtatis adduci. Rurſus hi furentes, Populi ſuggeſtione compulſi, Legato trucia in eos ſupplicia comminanti reſpondent ſe amiciſſimis dudum Fæſulanis nequaquam velle deficere, quinimmo majores illis virorum copias ad ſuperandos Piſtorienſes temerè adverſantes, quam celeriter deſtinare audaciſſimo impetu polliceatur.

Quamobrem offenſus valde Legatus verba in ipſos aſpera, minaſque Regias vix furibundus objecit; confeſtimque, velut fremens ira dictabat, in plebem ſuperbam, ejuſque Satrapos Apoſtolici fulmen Edicti feſtinabat injicere; ſed furentis Populi, qui jam ad diripienda è penatibus arma paſſim vagabatur, metu profugus, ex urbe moleſta clam ſe corripuit, & uſque Faventiam aſſiduo equorum curſu citus advênit, ubi famulos ſuos, qui pro ſupportanda ſuppellectile poſt Domini ſui inopinatum egreſſum anxii remanſerant, diutiùs expectavit; ſed fruſtra, nam furens Populi multitudo, quæ in atrio ad ædem Legati convenerat, dum eum ſibi per fugam ereptum vidit, in miniſtros ejus gladios converterunt, multoſque ex ipſis minutatim trucidantes, totam illius ſupellectilem, & vaſa pretioſa, velut quiſque ad diripiendum potentior, propriis uſibus manifeſto potiri auſi ſunt latrocinio. Quod poſtquam Legato indicatum eſt, ſubitò in iracundiam prorumpens, verſùs Apoſtolicam Sedem feſtinu progreſſu acceleravit, ubi tandem maturè receptus, quid à Bononienſium Magiſtratibus, & Plebe ſuſceperat, Papæ de tam feſtino regreſſu admiranti ſeriatim expoſuit. Quod ille moleſtè ſuſcipiens, non impunitum quidem tantæ temeritatis crimen prætermittere tulit. Continuò igitur Fratribus ſuis in Aulam ſecretiorem accerſitis, ipſum Neapoleonem, quid in Legatione ſibi commiſſa perfecerit, coram omnibus palam edere compulit. Proinde omnium aſſenſu ad ulciſcendam Apoſtolicæ Sedis offenſam totis conatibus ſævire in Bononienſes ſancitum eſt, quantum id juſtitia ſuadebit. Qui moniti, requiſitive ſæpiùs, quatenus coram Cleri Principe ſuper objectis adversùs eos ob crimen læſæ Majeſtatis irent reſponſuri, & præfixi temporis ſpatio tuitionem ſui erroris profeſſuri, non ideo illuc proficiſci dignati ſunt, ſed edictis Apoſto-

licis

A ſicis repugnantes, auro pollicitiſve donis nonnullos ex Curiæ apicibus in ſuam tutelam allicere præmeditati ſunt. Sed eorum cogitatio evanuit. Etenim ab Apoſtolico eadem Civitas Artium ſtudiis Liberalium, quæ diutiùs ſervaverat, mercimoniiſque ac beneficiis demum, quæ ab Eccleſia Romana quondam acceperat, privata, poſtremò noviſſimum anathematis gladium expectabat. Sed interjecto temporis ſpatio, in cujus mora vix digeſti rancoris oblivio trahebatur, Legatos ſolemnes ad Atria pro venia impetranda Bononienſes Proceres dirigunt, qui tamdem placatis Papæ juſtis odiis, Fratrumque ſuorum, leni ſermone veniam à miti Principe nacti ſunt; ſed non abſque dignæ mulctationis pondere id munus in Patriam retulere. B At non ideo, ut jam prælibatæ ſævitatis primordia reſumamus, Fæſulani ſuo tenaces in propoſito à Piſtorienſium obſidione deſecere, idque onus avidiùs ſupportantes vallum cuſtodia vigili commendatum circiter obſeſſa mœnia tutiùs ſervavere; unde incluſi jam gravi penuria depreſſi ſexum imbecillem ad arma primitus, deinde infirmiorem ætatem ſenum puerorumque excludere rati ſunt, è quibus mulieres quædam haud ex infima progenie in caſtris hoſtilibus deprehenſæ, manibus abſciſſis, & apicibus naſi deformes effectæ, retro progredi compulſæ ſunt. Ut igitur Piſtorienſes tam rigidæ ſementis Fæſulanorum cognoverunt nationem, metu perculſi, C cùm nemo liber eorum foret in captivitate redactus, poſt decem & octo menſium tempus elapſum, jam utenſilibus privati rebus, de concordia cum hoſtibus pepigere, ut mœnibus ultro exhibitis quiſque ſecurus abiret: Paſſi ſunt, id Fæſulanorum Duces, jam longæ moram obſidionis increpantes. Sic ergo Piſtorienſes, qui ferventius bellum tulerant, relicto Fæſulanis victoribus patrio ſolo, iterum exulare coacti ſunt. Unde Fæſulanorum greges inſani ob graves obſidii longi ſumtus, jacturamque rerum ſuarum in reliquos captæ urbis atrociùs ſævire conceperunt. Demum ergo poſt Procerum fugam, vix omnis Populus exiens ad alienigenas tranſmigravit, qui verò manſerunt viliſſima D plebs, & vulgus, ſervitiis victorum ſuorum fabriles operas tribuerunt. Si denique placatis animi furoribus, & Piſtorienſium urbe in fidem accepta, Fæſulanorum exercitus victor ad Patriam remeavit. Sed victa urbs & civibus ſuis ſpoliata, quorum copia ſatis ei inerat, tum hoſtium metu, tum exilio ſponte ſuſcepto, ne Populo famuletur inſano, in deſolationem abiit, & quæ ſe jactabat, opibus potentiave, ac cœtu Procerum ſuorum, tunc pauper & extremis eſt afflicta malis brevi tempore. Sic equidem inteſtina bella, ſic animorum turba furentium, dum nemo ſibi compatitur, veterum exemplis efficiunt. Iſtinc igitur ulteriùs procedamus.

Per idem tempus Azzo Eſtenſis Marchio, vir E æque potens ac nobilis, dum felix ſui patris Obizzonis tribus dominaretur urbibus, unâ retentâ, duas eodem fato triſtis amiſit. Nam Mutinam, & Rhegium, quas Annis ferè tribus & decem poſt obitum patris tyrannico more poſſederat, excitatis earum Populis ad libertatem, non ampliùs titulis ſuæ Dominationis adſcripſit; nihil enim violentum fit perpetuum. Idem enim erectis urbium illarum Proceribus, cæſiſque, & ſupplicio affectis Plebis Magiſtratibus, ad ſolam pecuniarum exactionem, quibus modus non fuit, bonorumque proſcriptiones avidius intendebat, quo nihil tyrannis formidoloſius eſſe poteſt. Idem etiam quo ſibi tutiùs dominaretur, dum faſtus magnanimoſque Mutinenſium impetus vereretur, metumque metu libraret, mirabile oppidum muris valloque ſeptum intra Mutinæ aggeres labore multo conſtruxit, cujus ambitus magnam nobiliſſimæ urbis portionem deſtruxit; ſed non ideo voti ſui deſiderium conſecutus eſt. Ut igitur Deo permittente Populus audax animos viriles aſſumſit, jugumque rigidi Azzonis abjicere ratus eſt, ſuadentibus etiam aliquot ex Primoribus, quos inter Saxolus juvenis audaciſſimus præeminebat, ſubitò Patriam ſuam è juribus Azzonis eripuit. Nec quidem hujuſce modum libertatis adeptæ poſſumus prætermittere, cùm animi potiùs, quàm corporis virtute pro patrio ſolo pugnaverint. Notum quippe eſt, urbem illam opulentam, & inter Æmilianos ambitus non minùs egregiam, quæ licèt anguſta loci modici mœnibus concluſa ſit, tamen longinquis finibus agrorum ad vicinas urbes extenditur. Hæc ſtrenuos etiam viros, & probos, animique gloria decoratos gignit, quorum ſatis ampla familia vulgò refertur. Hic etiam locus eſt, ubi Marcus Antonius ab Octaviano, cùm adhuc junior eſſet, Panſa & Hirtio Conſulibus ſuperatus effugit; ubi Conſules gemini bello interfecti, Octaviano ſuperſtite, ad decorem urbis eodem tumulo poſiti jacuerunt. Azzonis itaque milites mercede conducti, cùm idem Ferrariæ, quæ illi gratior Sedes habebatur, voluptatibus ludiſque Veneris indulgeret, ad loci commiſſi vigilias diligentiùs inſiſtebant, nec Populi vim metuebant doli ignari. Saxolus ergo ex adoleſcentia furens, cùm ſe clariſſima ortum indole à Proavis cognoſceret, ſervitutis impatiens, dedignatuſque ob illatam ſocio ſuo moleſti percuſſoris injuriam, accerſitis undique ſodalibus, multiſque ex plebe non infima, in gentem Azzonis ſæviendum ſtatuit, dum poteſtas eis à Deo permiſſa, & opportunitas facti poſceret. Cui facilè obtemperantes ad conjurationem vocati, eo quòd pari ætate flagrantes odio Azzonem haberent, ſe ad perficiendum hoc facinus complices ſpoponderunt.

Nec longum tempus adepti, ne fato moram adjicerent, neve per ignaviam abſque meditationis libra in onſultè perirent, dies paucos in ſuſpendio protraxerunt. Convenienteſque iterum die præfixa apud ædem Gentilis plebeji, qui licèt Saxolo generis impar eſſet, attamen animi & corporis induſtria non minor inter coætaneos putabatur (hunc, quem diximus, magnanimus adoleſcens non tam ædium ſuarum proximitatis causâ, quæ in eodem vico pendebat, quàm morum & probitatis gratiâ ſibi gratum effecerat) ab hoc documentum accipiunt, quatenus per vicos omnes & calles aqua effunderetur, quæ propter hyemis rigorem inſtantis in maſſam coagulata lubrica fieret, adeò quòd nec equis, humaniſque pedibus pervia eſſet; ac proinde paratis fidelium cohortibus viarum anfractus ſolicitè cuſtodirentur, ne quis ex ſtipendio conductis in globum conveniret, oſtiaque, & portarum aditus cujuſpiam mercenarii Azzonis obice clauderentur. Id placuit aſſenſibus omnium, & ut tertia die in diluculo prodeant ad id opus, pollicita fide conſtituunt. Saxolus autem licèt id prorſus facere concupiſſet, non tamen patrem ſuum Manfredum latère voluit. Erat hic nempe Azzoni valde gratus, & militiæ ſuæ Dux, creditam ſibi Patriam ex fide ſervabat; quod poſteaquam ſecretè natus aperuit, mox illi ſtupor magnus advênit, cur tam animoſus, & temerè labens in impetum natus eſſet. Deindo

con-

cōmminatus eſt, ni ſe à eonceptu retrahat, graves illi pœnas ſe daturum. At non ideo juſſa patris extimuit, ſed magis excandeſcens retulit, ſe prorſus id facinus perfecturum; nec quicquam vereri, ſi pro Patriæ libertate in pugna defecerit. Triſtis iterum, eo quòd unicum ſuæ felicitatis heredem ex legirimo thoro ſuſcepiſſet, ne ſi adverſante fortuna malè recidat, proditionis reus judicaretur, minas & verbera trux genitor nato pollicetur, ſeque id Azzoni confeſtim indicaturum, ni à propoſito priore deſiſtat. Ad hæc Saxolus, agnoſcens patris ardorem immenſum, qui ſupra quam patris eſt, eum diligebat: *Non poteris*, ait, *hæc*, *care genitor*, *Tyranno ſæviſſimo indicare*; *tempus enim prope eſt*, *& in aurora noctis inſtantis Populi tumultum audies*, *qui Patriam ſuam reſtaurabit priſtinæ libertati*; diſceſſitque, & ad ſtabulum jumentorum ſe corripiens, equos annona ſaturos, paratoſque ſuis phaleris ipſe recenſuir. Tunc famulis imperat, ut, cùm opportunitas aderit, matutino adventante, eos frœnis, apparatibuſque ſuis citi muniant. Deinde ad cubile profectus eſt, ubi ſomni modica quicre refectis artubus, armis ſe fulgentibus induit, flagitabatque ur præſto eſſet horæ rempus expediens, nimiùmque morari queſtus eſt. Proinde ne ſocii thoris ſomno proditi torpeant, per nuntium fidelem clam excitari juſſit; utque paratis armis & equis vigiles opportunum tempus expectent, certi officia ſua exequi properent, ſedulus Princeps innititur. At pater ejus in ſomnis animo cuncta revolvens, quid potiùs agat dubius ignorar; verebatur enim, nempe Azzonis gladium, ſuique ſtatus ancipitem fortunam, ſi id non prohibeat. Sed major illum promebat anguſtia, ſi nato privari per ignaviam pateretur. Poſtremò fidem amor ſuperavit, maluitque Patriæ libertatem, quàm Tyranno ſervire.

Ur igitur hora noctis dudum expectata pervênit, ſubitò animoſus Adoleſcens equum aſcendit, accerſitiſque ſociis, & fidelium copiis magnis, in medium forum Plebis ſignis palàm expoſitis feſtinus advênir; ad quem Populus omnis magno tumultu conveniens libertatem ſuæ Patriæ acutis vo ibus clamitabar. Denique excitati Marchionis equites mercenarii, Urbiſque Præfectus, ad arma capienda feſtini conabantur; qui doli ignari ædibus prodeuntes ſuper glaciem levi maſſa præcipites lubricis equorum pedibus cadebant; qui verò caſu liberati, aut rurſus equis impoſiti ad ædem ſui cunei properabant, in ipſis viarum anfractibus faucii, vel interfecti manſerunt. Nonnulli etiam inter ſuas ædes incluſi, dum illis exitus non pateret, quia vectibus aut obice tenebantur, fruſtra ſe armis inſitos gemuerunt, cùm nequaquam opem afferre valerent. Pauci verò in globum adducti ad ædem Manfredi, qui vices gerebat Azzonis, advenientes, dum plebem in foro clamantem impugnare viriliter auderent, non paſſus eſt Manfredus id fieri; dicebar namque Populi furorem ſe negligere, ni exteriùs opem præſtolaretur; pauciores quoque copias ad pugnandum ſe habere; nec dubitandum quidem, ſi urbis aditum tantùm cuſtodiæ reſervarenr. Proinde cohortibus, quæ ad eum convenerant, in aciem deductis, mœnia luſtrans circumivit, forumque Populo reliquit inſano. Tunc ſummotis procul ſtipendiariorum gladiis, major vulgo crevir audacia, & uſque in atrium Præfecti à turbis irruitur, ubi valvis hoſtiliter reſeratis vix captum Præſidem à cæde furens Populus liberavit. Demum impulſu mercenariorum Azzonis, poſteaquam Manfredus urbis clauſtra longo circuitu examinavit, ad forum properans ſigna direxit. Ut ergo cominus perventum eſt, aditus omnes, unde iter erat, ab infeſtis Populi turbis occupatos invênit. Præterea vicos glacie abditos intro ſimiles ratus eſt in equorum lubricum arte doliſve ſic paratos eſſe. Miratus quoque eſt in Adoleſcentibus tanti fraudes ingenii, cùm gentem ſuam in globum advocans, quæ ad eum modicis fluxerat copiis, *Non*, inquit, *tutum eſt nobis cum Plebe gladiis dimicare*; *nam furor immenſus eos incitat*, *majoreſque illis vires adſunt*, *& crevit audacia*; *nec quidem eſt*, *quòd paribus copiis occurramus*, *cùm perambulare non poſſimus*: *tanta nos in lubricum præcipites fraus gelu perducit*: *paciſcique ſatius videretur cum Populo*, *quàm ſub dubio Marte pugnare*. Ad hæc viri quidam ingenui, Marchioni valde pro acceptis donis obnoxii, dimicandum prorſus eſſe cenſuerunt, nec vereri vulgi rabiem, cùm vilis turba foret bello & armorum ſtudiis imperita. His accenſi vocibus, in plebem irruere properabant; quos ut vidit ſtrenuus Adoleſcens, productis in aciem fidelium copiis adversùs clientes mercede conductos, ipſumque genitorem ſuum pila direxit. Quem ut Plebi complicem agnovere Azzonis ære conducti, id rari Manfredum ſtatuiſſe, de concordia paciſcendum fore proteſtati ſunt. Sicque dimiſſis ad Saxolum Nuntiis, placuit ut ſtipendia merentes, armis abjectis, nulla rerum ſuarum jactura læderentur. Abierunt ergo ea pactionis lege, ſuadente Manfredo; nec jam quiſquam pro Azzonis apue dimicabar. Tunc vendicatis patriæ ſuæ loris Populi gubernationem accepit, caſtrumque ab Azzone conſtructum Plebis miniſtris reſignavit: donec illud paucis diebus ſolo proſtratum æquari juſſit. Poſt hæc exulibus, præter eos, qui Gibulengæ partis Duces vocabantur, ad lares patrios revocatis, plebiſcita reficiunt, Leges novas, & Edicta conſtituunt, & in publicum omnia redigunt. Tam nempe privati Ducis fuerat his moleſta ſubverſio, ut metu perculſi Rempublicam ſervare conentur, & ut regnent, petulantia rerum imbuti minores opprimunt, dolos fraudibus inferunt, vim legibus addunt, & pro libidine omnia faciunt. Hæc etiam urbecula Bononiæ ſemper morſibus ulceratur, & cùm minor ſit, à majore ſemper opprimitur. Hæc duo quàm male conveniant, ſic in pari fato perambulant.

Rhegini verò, qui Azzonem non minùs moleſtum habebanr, audito, proximam eis Mutinæ civitatem Populi libertatem vendicaſſe, altera die, priuſquam adhuc ſperaſſent, jam ſubitis armorum rumultibus in foro conveniunt, omneſque pronis animis libertatem Patriæ ſitientes, Prætorem ipſum, qui pro Azzone regebat, ex Atrio projecerunt, fiſcumque jam omnem arripiunt, & nulli jam ſervire conſtituunt. Mercenarii verò equites pro ſtipendio conducti, ur Populum tam avidè furentem ad exuendum ſervitutis jugum cognovere, haud ignari, cur ram inſolentes auderent, non obviam prodire, ſed armis & pugna deſiſtere rati ſunr. Metuenda quidem nimis eſt, & periculis inſita furentis Populi rabies, quotiens movetur ad impetum. Sic itaque, die vix una & eadem, binis civitatibus Azzo privatus eſt: qui ſi itidem juſte regnans ſævitia caruiſſet, nec violentum quicquam perfidus intuliſſet, non trux, non auri cupidus Rempublicam gubernaſſet, fortè tot urbes egregias ſuis perpetuaſſet heredibus. At tyrannicè vivens non fratres, non ſui generis con-

conſortes benevolentia naturali complexus eſt. Ipſe quidem omnia metuens, neminem in fide ſuſcepit, ipſoſque germanos Franciſcum, & Aldrovandinum iiſdem parentibus genitos, ut ſolus regnaret, exulare compulit, Ferrariamque ſua ditione premebat. Quamobrem juſtus ſcelerum vindex in eum, non ſinè clade magna vulgi Ferrarienſis, judicium acre permiſit, cujus facti ſeriem, quotiens ordo temporis exiget, huic laboris immenſi ſtudio conſcribemus.

Eadem tempeſtate Berardus Epiſcopus Brixienſis, vir æquè prudens & nobilis, Patriam ſuam privatim ac publicè gubernabat; nam Populi favorem adeptus, faſtus eliſit, coëgitque nonnullos Optimares à mœnibus exulare, ne in tumultum prodeuntes arma ſuſciperent, Rempublicamve in diſcrimen temerariis auſibus excitarent. E quibus Bruſadorum, Vexilliferorumqoe genus ejectum, eo quòd omnium audaciſſimum foret, primùm exulavit; ſuos autem, qui ex Madiis nuncupantur, & his complices, grato fovit amplexu. Hic quamquam privarus in Sede videretur, plebejus eſſe maluit, & Senatum augere, quàm ærarii ſpoliis ex bonorum proſcriptione ſibi pro petulantia uti. Juſtitiæ enim verò pius cultor fuit, ſeverus fidei ſervator, cunctis benignus, & in re facienda cautus Pontifex, ſobrius, & parcus ſatìs, partialis multùm, & in propoſito tenax. Hic quo tutiùs regnaret, ad decorem Patriæ muralibus novis & cæmento vetuſta mœnia renovavit; propugnacula quoque multa, ac turres pugnæ aptas circum muri coronam fabricavit; valvas quoque, ac portarum aditus, ſupra quàm Lombardorum mos ſit, mirabili conſtruxit opere. Pacem, non bellum voluit; unde urbs hæc nobiliſſima quàm brevi tempore viribus & opibus dives abundaverit, hactenus recens fama commemorat. Sicque annis ferè decem ſub Præſule Reſpublica mirabiliter adolevit; poſt quem vita deſunctum Maphæus hujus prior natu germanus moderamen aſſumſit; ſed hic magìs bellicoſus & audax famæ gloriam quæſivit in armis. Junctus enim Alboino tunc Veronæ Præfecto Botteſella immanior, eo quòd in ultionem ſuſceptæ injuriæ avidus æſtuabat, collatis armatorum copiis in Cremonenſes agros exercitum duxit, ubi igne ferrove ac rapinis indulgens, ruſticana ferè omnia depopulatus eſt; uſque ipſam urbem, in qua Plebs togata lanificio magìs, quàm Marte aſſueta, multis millibus recenſetur, paucorum viribus expugnaſſet, niſi quòd inde Azzonis metu, qui Paſſarinum è Serravallis Oppido juxta Padum, ubi cuſtos à fratre ſuo Botteſella pavidus reſiſtebat, impetuoſo Marte fugaverat, ne ulteriùs Mantuæ fines excederet, abire compulſus eſt. Sed non ideo potens Marchio, licèt copiis multis, quas à Socero ſuo Carolo Apuliæ Rege acceperat, circumventus eſſet, ultra progredi auſus eſt. Nec tamen illic ſinè bello manſiſſet, ſi locus ille pervius ſicco limite, non lacunis & paluſtribus foret ulvis abditus. Diebus tamen paucis moratus, Hoſtiliæ caſtrum, quòd circa Padum adverſis illi turribus eminebat, pugna tentare conatus eſt. Fruſtra tamen rediens mapalia quædam ſtipulis tecta flammis abſumſit. Demum ergo, cùm nec hoſtibus bellum inferre, aut illos lædere graviori jactura poſſet, conſumto Serravallis ambitu, & Ponte ſuccenſo, Ferrariam feſtinus adiit. Sed non multum poſt hæc Alboinus ad ultionem ſuſceptæ properavit injuriæ; nam acceptis ſocialis amicitiæ turbis à Paſſarino primo, qui poſt Botteſellæ funus Patriæ moderamen accepetat, Bricantini caſtrum, quod Marchio valde gratum habebat, tamdem viribus, & fame ſuperatum ſolo proſtravit. Sed, quoniam de hoc ſupra quicquam attigimus, non ultra progredimur.

Alter etiam belli caſus apud Parmam his ferme diebus acceſſit; nam Guibertus de Corrigia hujuſce urbis Præfectus egregiè cùm oblectandi causâ rus patrium adveniſſet, ignarus ſiniſtri fati, à Populo ſuo id ſuadentibus Procerum auſibus, quorum Princeps Joannes Quiricus Guiberti gener avidus impulerat, præterquam ratus fuerat, excluſus eſt. Qui magna vexatus iracundia, cùm nequaquam ullo pactionis fœdere priori fortunæ ſedem reſumere poſſet, vi doliſve laborandum eſſe decrevit. Sed vir aſtutus & prudens, nullo mentis ingenio, nullo verborum lepôre, pollicitiſve magnis, adverſantis ſibi Populi rabiem placare valuit; metuebant namque illius furorem ob injuriæ ſuſceptæ pondus, recolentes etiam, qoibus ſæpe ſuppliciis uſus ſit; potiri quoque ſe libertate, quam adepti fuerant, non tyrannico ulteriùs famulari hero prædicabant. Tunc ne facto moram adjiciant, utque ſui voti cupiditatem exhauriant, quem Dominum abnegabant, nec quidem non velle, ſed ad extremum facere putent, quominus idem regnet, exercitu vires ſuas oſtenſuri proſiliunt, & è mœnibus patriis exeuntes, uſque ad Oppidum Inzolæ, ubi itidem Guibertus tutis latebris ſe crediderat, caſtra moventes, circiter hunc locum turbas vigiles diſtribuerunt. Diſtat quidem à Patria novem millibus paſſuum: quod ille videns, ſeque anguſtia loci, Populique furentis obſidione comprehenſum, ne tamen in manus hoſtium iocidat, cautus mente diſpoſuit. Denique cùm viribus impar eſſet, metueretque Plebis acre judicium, ſi intro ſævire liceat, id genero ſuo Alboino, qui tunc Brixiam inferendæ opis causâ celer adierat, per ſuas literas nuntiavit; qui properè ſocero vires & arma dirigens, non ideo Maphæum repugnantem evertit. Hic quoque generi copias gratè ſuſcipiens, ab Alberto Scotto cohortes præſtolabatur amicas; ſed nequaquam potitus eſt. Uterqoe eâ, quæ de Regno, & de gloria certantibus ineſt, benevolentiâ ducebatur. Ut igitur opportunis ad opem remediis ſe circumventum putavit, ſubitò in hoſtes, qui nihil tale verebantur, irrupit; proinde primas equitum turmas primo disjecit impetu. Nec dum quidem utrinque pugnatum eſt; nam fuſis dementis Populi Ducibus, cetera multitudo fugæ converſa eſt, præſertim qui equis veloribus inſiſtebant, aut robur majus levibus membris jumenta tribuerat, qui bellum nempe atrox validiùs ſubſtinere debuerat. Hos tamen Guiberti milites cruoris avidi curſu velociore perſecuti, uſque ad aggeres Patriæ gladiis piliſve cæciderunt. Reliqui verò; qui nec per fugam correpti terga verterunt, nec veniam ab impio Domino poſtulare dignati ſunt, inter ipſas acies telis foſſi ſunt. Quamobrem tanta ſtrages Parmenſis Populi tunc facta eſt, ut uſque in hodiernam diem fama ſervetur; ſæviebant namque atrociſſimi mercede conducti, ut Domino mage placerent; nec his modus ullus, aut parcendi menſura, donec Guibertus vulgo ſuo tamdem miſertus eſt. Ceteri, qui nec cæde, nec fuga correpti, in vinculis ſervati ſuot; ex fauciis magna pars periit. Ferunt igitur, captivorum, cæſorumque numerum ſupra millia qoinque virorum capita in bello defeciſſe. Triſtis ergo Patria luctibus fœmineiſque ululatibus reſonans & querelis, vix reſumtis animis, nullo adverſante, ſervata permanſit. Poſt hæc cùm victor Guibertus Populo majores clades ſponderet, ni reſtaurari ſe pateretur, ſuadentibus

bus

bus concurdiæ miniſtris, ſub certa lege pactionis eadem Parmam, placata modicum Plebis rabie, more civis ingreſſus eſt. Captivi quoque liberi fiunt, & cetera in priorem ſtatum rediguntur. Ut igitur introitu potitus eſt, non eo major quiſquam illi ſe parem facere auſus eſt. Tunc genero, cujus ope potens foret in Patria, natæque precibus gratum ſe ſatis exhibuit. Aliquos tamen ex Populi grege, eo quòd ſceleris principes, licèt gladiis, latenter tamen, cædi voluit; ſicque gubernationem ſuæ Patriæ iterum regnans privatus arripuit; ſeque, ut tutius ſtaret, tribus Brixiæ, Veronæ, Mantuæque Præfectis complicem per certum fœdus exhibuit. Unde ſuperioris Lombardiæ Ducibus ſtupor magnus affuit, & eos inter odium maximum ſuſcitatum eſt, cupiebatque quiſque lædere. Quamobrem tota Longobardorum nobilis regio in animorum diſſidium vertebatur, multùmque bellorum tumultibus utrinque actum eſt, donec adventante Henrico Cæſare VII. aliis fortunæ motibus eadem Provincia, Orbiſque totus labefactatus ingemuit.

Iiſdem temporibus magna Patavis, Venetiſque diſcordia tumidis animorum jurgiis orta eſt. Et quidem hos arma injuſtè ſumſiſſe, apud ſobrios, viroſque modeſtia graves compertum emicuit. Nam ſola furentes Populos rebus ſecundis petulantes vectigalium novorum ambitio, & loci propinquitas ad bella coercuit; nec defuit his odii latentis occaſio. Patavi etenim luxu divitiarum, jucunditiſque fortunæ plauſibus elati, dum per otium molle effœminari ſe dicerent, in augendis Patriæ ſuæ finibus elaborandum, nec ulteriùs tolerandum, à Venetis vim ſuis rebus inferri; quodque eorum violenta detinuit occupatio, totis viribus acquirendum fore decreverunt. Ad hæc plebiſcita vocati ſunt Plebis Magiſtratus, & inanis Populi multitudo, qui velut æſtuans dictabat impetus, fieri prorſus denſis vocibus clamitabant. Nempe veſana eſt vulgi latrantis opinio, cùm imperitè judicium profert rebus incognitis. Quid enim huic cum virtute, cum prudentia? quid temperatum, aut forte eſt? Vendant Opifices, emantque merces ſordidas, Fabri incudes feriant, & ceteri illiberalium cultores Artium ſua lucra provideant; non ſe gravibus optimiſque Viris, quotiens de virtute agitur, ſtolidi inſerant; quod non intelligunt, diſcutere nolint, nec velut putant id bonum eſſe fateantur. At continentes, ſobriique auſcultent, quibus agendorum felix cognitio ineſt; non facilè arma ſumere in quempiam eſſe putent; gravis enim eſt belli jactura, ideoque nullum, niſi juſtâ & magnâ causâ, ſumendum fore bellum animi integritate dijudicent. Igitur decreto Senatus ex Equeſtri ordine Jordanus de Vigontia, & Jacobus Guernerius mittuntur ad id loci, ubi res agenda opportunitatem quærebat; qui operariis, foſſoribuſque ex agro promotis magnum aggerem telluris obrutæ, legionibus & caſtris adhibitis, in acervum effecerunt. Hoc enim opus fines ſuæ Patriæ claudere, & id loci contiguitate dirimere prædicabant. Sed alia latens cauſa ſuberat; nam cùm latis convallibus aquarumque decurſibus ſtagnum ingens apud Patavorum fines Clugiæque Portu extremos, quod Veneti longiſſimis temporum ſpatiis occupatum poſſeuerant, hinc inde cohæſerit, rati ſunt Antenorides ſalem ex aqua illa & aeris temperie, vicinorum more, conficere ut exinde tam ſibi, quàm ſuo fiſco complaceant. Quod Veneti non minùs cauti rerum ſuarum proviſores crebro auditu percipientes, repentè ſolemnes Legatos Patavium dirigunt, admirantes cur in finibus utriuſque Regni opus inſolitum, præter quàm rati fuerint, injuſtè moliuntur: quod ſi quid novum parabant, vocandos eſſe priùs, quibus ſedes contermina jacet, eademque finium regendorum vexat occaſio, ut fortè iis propulſetur ærumna. Ad hoc Patavi, nihil cum Venetis agendum, moliendumve novum decreviſſe, cujus causâ & iidem lædi ſe queri poſſint, ſibique licere fines ſuos indagine ſeptos ambire abſque illorum documento. Tunc Legati retro abeuntes Decurionibus ſuis rem ordine pandunt, quodque Patavi furentes verbis addiderant. Sed non ideo ſubitis auſibus ducti ſunt. Nam ſobriè diſcutientes quid agendum potiùs foret, ſeniores, potioreſque conſulunt, utque res in certamen minimè tranſeat, totis viribus enituntur. Interea Patavi ſecundarum rerum luxu, gloriæque cupidine ducti, opus initum conſummantes, jam areas patentes, inſtrumentaque ſalis coagulo opportuna paraverunt. Tum Veneti, patefactis hoſtium dolis, rurſus Legatos ſuos Patavis dimittunt, qui apud Plebis Magiſtratus, & Præſidem ſuæ Patriæ cauſam ediſſerant. Ut igitur ad id loci perventum, accerſitis Reipublicæ Tribunis & Magiſtratibus in Prætorii veſtibulo, Venetorum Legati hujuſcemodi vocibus cur advenerint, cauſam facundo ſermone depromunt: *Non decet rebus in certamen adductis initis, priuſquam æqui diſcuſſerit libra judicii, ne fortè res modica in grandem controverſiam accendatur. Sceleſtum quoque fit, quotiens re media noſtris elicimus dolis fraudes inſerere, præſertim cùm de Regni finibus agitur. Quòd ſi de ſtatu vel gloria diſſidium interſit, nulla animi tolerantia vel modeſtia, ſed expoſitis viribus certandum eſt. Igitur viri egregie, quos immenſa novarum rerum vexat ambitio, vitandos ducite bellorum caſus ambiguos, ne ſecundis votis elati Deos infeſtos habeatis. Siquidem finibus in veſtris litus ambitum cupitis extendere, nequaquam graves ob id f enctos invenietis, licèt vocandi tamen fuerint, & primitus limite certo docendi. Sed dirus latet anguis in herba, dum maritimo Portu carentes ex aqua noſtra ſalem ſtudio inſolito conficere laboratis: quod quidem præcipuum Majores noſtri, qui ex gente veſtra modicum telluris in amplam ſtationem condiderunt, eis debitum munus lege naturæ longè retro temporibus habuere; ut qui fertilis ſoli cultu privantur, hac ſaltem dote magna referti, vitales cibos mutuo quæſtu reciperent. Quid ergo juvat prodere opus noſtrum? quid propagines veſtræ indolis lædere, cùm ab Antenore, & nos trahamus gentis noſtræ primordia? Sinite igitur nos quietè vivere, beneficiaque veterum auctoritate conceſſa uti abſque moleſtia. Ceterùm vim vi propulſabimus, bella enſe & gladiis conferemus, totumque robur Illyricum, & Martialem theſaurum vacuabimus, priuſquam talibus patiamur rapinis in ludibrium protrahi violenter.*

His Patavùm Duces, Populique Magiſtratus accenſi ſermonibus, inquiunt: *Non ſufficit nobis Antenorem ſtipiti veſtro Principem dicere, aut noſtræ gentis originem habuiſſe, ſi privatam ſedem eligitis, ut & legem inde commodi gratiâ ſtatuatis. Nec ob id veſtrum eſt condere legem, quæ ut ut alteri noceat, ſuo proſit auctori. Sed à quo Rege, vel Principe hoc conſtat indultum? Qua veterum lege vobis aſſumitis Salis coagulum, ut alteri non eodem titulo debeatur? Cur in finibus Patriæ noſtræ id fieri prohibetis, quod veſtrum non eſt? Judicate etiam merces*

venales, aut forum nobis non eſſe, omniaque nutui veſtro ſervire. Non ſic, velut fortè ambigitis, vota noſtra ſolventur; nec nobis velut mari imperabitis; nulla quoque hìc vectigalia rapietis, ut famulas vobis operas præbeamus. Sat equidem utile ſimul & jucundum nobis emolumentum intra fines Patriæ noſtræ perficere, vimque repugnantibus addere, donec potens valebit audacia. Nec dolis perfidiave certabimus, ſed enſe juſto, ferrique duritie æmulorum cornua confringemus.

Talibus igitur aliiſve dictis, veluti impetum ſuggerens iracundia ſub odii latentis velamento flagrabat, qua Artificum Duces calefacti inhoneſtis vocum tumultibus loquebantur, abeuntes Venetûm Legati, iterque remetientes obliquum cita puppe in Patriam delati ſunt; ubi accerſitis Reipublicæ Patribus conſcriptis, Decurionibuſque, quibus arcana primùm deteguntur, ſuæ Legationis modum, quidve retro ab illis ira ſuccenſis acceperint, compendioſè coram aperiunt. Quamobrem non minùs flagrantes tumidive Marchitæ, Majorum vulgique favore producti, adversùs Patavos arma juſta ſumenda decernunt; & ne facto moram adjiciant, confeſtim puppes & inſtrumenta bellica parari jubent, ac utrique pugnæ magis aptos eliciunt. Erat quippe tunc illis Petrus Gradonicus Dux Prior, & patrii currus auriga, vir ſatis prudens, & facundus, ſed hortator tardus, in bello ſtrenuus, & audax pugnator, multa qui pro Patria clarè geſſerat, donec in ſenium tendens ad gubernatum acceſſit moderator egregius: Hic Patavis, priuſquam hoſtilis fieret invaſio, ſecretis literis nuntiavit, ut ni à propoſito priore deſiſtant, Venetorum iram in ſe ſentient, ne fortè dicant incautè pulſari; dieque præfixa admonuit, qua exire ad pugnam magna cohorte decreverat. Sed non ideo Patavi minas inanes veriti ſunt, ac providè, flagrantiùs belli ardore correpti, aggerem nondum opere ſuo perfectum, ne hoſtium lædantur ab impetu, vallo cratibuſque denſis, ſub quibus tutè ſpiculis ſagittiſve, ac miſſilibus pugnandum ſit, muniri conſtituunt; vireſque rebus ſecundis amicas ante ſpatium ſixæ lucis aſciſcunt, quas Rizzardus de Camino Tarviſii Præfectus mille viris auxit armatis. Vicentini quoque, eo quòd dudum Patavis per ſociale fœdus adhæſerant, tyrannicoque moderamine premebantur, magnas ſuorum copias ultra ſuarum virium facultates coacti ſunt mittere.

Ut igitur Patavis advenæ multi è finitimis Locis confluxere, confeſtim aſſumtis ex ampla Populi multitudine cohortibus, & juvenum manipulis, eò, ubi locus pugnæ inſtabat, tumultu maximo convenere, ſubvectis quoque tentoriis, ac bellicis inſtrumentis, caſtra demum tenus aggeris vallo in ſicco litore poſuere; & ne quid ſiniſtrorum ignavè accidat, vigili rem cuſtodia ſervare nituntur. His Præfectus Roſſinus Prætores Roſſelli natus, Adoleſcens probus & audax, Simeon quoque de Vico Aggeris Patavinus plebejo præficiuntur aſſenſu. At contra non deſides Venetorum alæ puppibus multis adverſo Portu conveniunt, quas viribus ſuis tantùm, non aliunde turpi quæſtu paratis, emittunt. His . . . . . nobilitatis mediæ non obſcuri generis ſtipite derivatus, belli Dux efficitur, qui mox pugnæ locum attingens, Patavis ſe rebellantem oſtendit, & ne quid effœminatum molleve inferat, in ipſo furoris impetu audaces Venetorum turmas versùs hoſtiles manipulos juſſit occurrere, non ideo ut manus insereret, ſed potiſſimùm quatenus metu Patavos ad arma compelleret.

Diebus itaque paucis in moram adjectis, quos inter utraque cohors vires ſuas elicere valuit, Illyrici Dux agminis, quem aggerem Patavi vallo ingenti conſtructum viribus ſuperari timebant, ingenio primùm penetrare ratus eſt. Proinde inclinatis aquarum decurſibus, quæ à mari uſque huc protelatæ certo telluris obice tenebantur, ſub inſtantis noctis tempore, quo litus ſuum abundantiùs æquorum ventoſis procellis pulſatur, circiter locum tellure ſuppreſſum lacuna increvit, adeò ut puppibus facilè pervius eſſet. Mane itaque redeunte, prudens Ductor puppes, & viros apparat, aggeremque citus invadit, & facilè capit; nam qui Patavi locum ſervare debuerant, ſomno vinoque proditi in fugam converſi ſunt. Pauci verò virtutem agentes, telis effoſſi, aut in aquam præcipites, occidêre. Sed cùm prorſus Antenorides Venetos irruentes è mœnibus ſuis pellere niterentur, (nondum enim locus ille ab his totus deprehenſus extiterat) gentem ſuam illuc feſtinare compellunt; ſed illos Veneti jam aquarum fiducia potiti facili labore compellunt, vallumque & machinas omnes igni flammiſque dedere. Hæc quidem victoria modico cruoris hauſtu parta Venetis audaciam & vultum intulit; quamobrem Roſſinus, & alter Patavini Dux exercitus, ira ex cauſa deſcendente flammati, ne Veneti puppibus ſuis ulteriores ripas attingant, baliſtis, aliiſque tormentorum generibus prohibere conantur. Hic gravis pilorum miſſiliumque pugna viribus alternis emicuit; ſed horum major Venetis exſtat induſtria; nam ex calybe puro ſpicula digito longiora, quibus acies obtuſa nodi inſtar eſt, fabricantes, nullo clypei armorumve obice retinentur. Patavi autem ex ferro ſolido ad modum tenuis clavi vix tunicas ipſas armis ſuperimpoſitas ſuis ſagittis penetrabant. Unde maxima eorum ſtrages, Venetorum pilis nequaquam fruſtra cadentibus, dietim ſequebatur. Paulatim igitur retro prolapſi à ripa ſtagni nocentis Patavorum Duces procul exulabant, machinaſque multas tormentis aptas obliti in litore ſicco deſtituunt. Quas Veneti non per ignaviam deſides flammis admotis adurunt; quotieſque cum hoſtibus manibus inſiſti ad pugnam aptè conveniunt, continuis pilorum miſſilibus mortes & vulnera Patavis inferunt. Sicque omnes in bello facilè defeciſſent. Quod poſteaquam belli Duces agnovere, nequaquam ulteriùs decertandum fore cum Venetis ſagittarum impetu ſtatuunt. Quòd ſi rem cominus gladii gerere liceat, id ſancire demum velint, ut victoria æquo Marte reluceat. At ii, quibus certa belli prærogativa ſuberat, in tuto manere potiùs, nulloque dubio ſortis diſcrimini ſe committere auſi ſunt. Prudens enim ſuæ mentis libram examinat, & quod certum eſt, nunquam judicio ambiguitatis exponit. Denique placatis flagrantium Patavorum animis, magnâ belli jacturâ, turpique ſuæ cupiditatis ingloriâ, celeri curſu pactis induciis in Patriam ſuam reverſi ſunt. Donec paulatim furor immoderatus ſerenis vultibus acquievit. At . . . . . victor claram belli laudem Venetis, ſuoque generi perennem famam memorabilis intulit.

Poſt hæc autem, modico temporis lapſu Rizzardus memoratus Tarviſii Præfectus, qui poſt obitum genitoris ſui Girardi, graves cum Petro de Urbe tunc Sedis Aquilejenſis Patriarcha, ob finitimos contermini ſoli limites, ac ceperat inimicitias, dum uterque gentem ſuam ad tuitionem Caſtrorum, quæ juxta Liventiæ ripas tranſitum prohibent, ſtudioſè miſiſſent, lugubrem ſini-

ſiniſtri belli tu'ir eventum. Nam ex ſuis plerique telis ſaucii in prœlio cecidere, paucis verò per ſugam elapſis, ceteri aut aquis ſubmerſi, aut in captivitatem adducti ſunt. Unde idem Præfectus amicorum ſuorum opem ulciſcendi cauſâ nactus, equitumque mercenariorum turbam magnam adiciſcens, quatenus hoſti ſuo noceat, ad hoc curas omnes ſtudioſus advertit. Demum cùm ex Patriar. hæ clientibus, quos ſibi magis pollicitis caros effecerat, clam conjurans, eorum hortatu uſque Utinum noctis intemperie profectus eſt, ubi valvis reſeratis exceptus, vix inde ſubito tumultu pateſactis dolis, vi repulſus evaſit. Gravis hæc quippe illi jactura multùm dedecoris intulit, ſed tamdem impotens cum Patriarcha memorato de coocordia pactus eſt.

Refert nunc equidem, id ordine temporis geſtorumque memorabilium ſato poſcente, Ferrarienſium calamitates, eorumque graves motus depingendo conſcribere: hæ enim ob culpam Azzonis Præfecti ſui in plebis meritum, Deo permittente, accidere viſæ ſunt. Nam ſæpe vulgus luit delicta nobilium, & filii parentum uvas acerbas comederunt. Azzo nempe jure ſceleſtus & ſallax, dum unicum ſibi natum ex illicito thori concubitu ſuſcepiſſet, poſt ſe regnaturum in patria Sede concepit, illumque, quo tutiùs ſibi heredem efficeret, à Clemente V. Papa legitimæ ſucceſſionis munere ſunctus eſt. Qui ne cujuſpiam ſociali fœdere læderetur, omnia in pejus trahens, fratres ſuos Aldrovandinum, & Franciſcum ob hoc è patrio ſolo exulare coërcuit. Aldrovandinus itaque, vir ſatì humilis, numquam bellis expertus, eo quòd illi viſus oculorum obtuſus vix cominus diſcernebat, apud Bononiam ſedem quietam elegit. Franciſcus verò, animoſus & audax, dum ſe malè jactari cautus agnoſceret, ad Policini litus applicuit, ubi Rhodigium, aliaque circumſtantia loca aſſumtis fidelium copiis acer invadens, graves Azzoni moleſtias ſævus intulit. Denique cùm Azzo illuc exercitum magnum dimiſiſſet, viribus inferior germanus locum illum non ſponte deſtituit; ſeque ad amicorum præſidia moleſtè corripuit, nunc apud Patavium, nunc apud Tarviſium manens, jugulo ſemper fratris intentus. Interea cùm Azzo annis fermè decem & ſeptem poſt obitum patris ſui latis ſelici ſorte regnaſſet, jam ægrotans gravi morbo depreſſus, natum ejus unicum jam adultum, cui Freſcus prænomen impoſitum ſuerat, languens aſciſcit, illique Patriæ moderamen commendans, ſuppellectilis omnis, divitiarumque ſuarum univerſum heredem inſtituit; utque tutiùs regnet, mirabile Caſtrum Thedaldi aggere magno, muriſque ſeptum juxta ripas permeantis Eridani, quod Obizzo olim inter urbis mœnia fabricari mandaverat, ſervandum vigili cuſtodia tradidit; monuitque ut Franciſcum, & Aldrovandinum hoſtes ſuos fore credat, neve illos modis ullis urbem intrare permittat. Tunc Medicorum fretus conſilio, qui jam ſalutem ejus, nil operantibus ſuccis, aut poculis datis, deſperabant, ad ultimum balnea Patavino ſolo calentia quærit, quæſitâque fidelium comitivâ humeris ſubvectus applicuit. Queis diebus multis humeſactus, cùm nihil ei profuiſſent, patrium Eſtenſem locum celer adit; ubi denique morbo ingraveſcente, dum mors debitum ſuum exigi poſceret, vita privatus membrorum omnium mole diriguit. Cujus cadaver uſque Ferrariam puppe vectum natus, ſama potiùs, quàm pietate permotus, paratis ſolemniter exequiis, feralibuſque donis, magnificè tumulo commendavit. Nihil enim mors Potentum minas veretur, nulloque metu, precibuſve illa protrahitur. Hoc quidem cum nobilibus commune plebs habet, ut ingenuus pariter & ſervus vita privetur. Poſt hæc illico ſe Dominum appellans, cùm urbis poteſtatêm jam paternis monitis apprehendiſſet, omnia nutui ſuo ſubjacere diſpoſuit, legeſque, & plebiſcita nova, & mores multos præter ſuetam opinionem inſtituit, multa quoque tuitionis causâ cavis aggeribus, vel refectis mœnibus fabricavit. Sed fruſtra vigilat cuſtos humanus, ubi Dominus non cuſtodiat Civitatem. Ut ergo fama defunctum ſignificans Azzonem magis increbuit, Franciſcus memoratus, qui curis anxiis vexabatur, quatenus Ferrariæ moderamen, & ſibi jure debitam ſedem heres aſſumeret, priuſquam frater ejus moreretur ægrotans, id alteri fratri Aldrovandino ſecretis nuntians literis perſuaſit, audendum fore, nunc exilio ſublato in Patriam viriliter irrumpere, debitumque regimen de manu perfidi poſſeſſoris auferre, priuſquam ſpurius indignæ ſublimationis ſedem accipiat. Qui licèt oculorum albedine premeretur, adeò ut a ies ſuas nequaquam procul agnoſceret, mente tamen integer, ſatis diſcreta pollebat induſtria, fratri perſuaſit tentandum priùs, ſi ullo pactionis genere cum nepote de Regno convenire poſſet. Quem cùm literis, Legatiſque fidelibus prætentaſſet, inanis ſermo ejus factus eſt, profuitque nihil verba direxiſſe; quinimo contumelias in eum nepos objecit, ipſumque Patricidam vocavit, patris ſui necem improperans. Nam apud quoſdam ſama gravis increbuit, dum apud Eſtem Azzo reparandæ ſalutis causâ langueret, fratremque ad ſe pro venia impetranda hortatu Nicolai de Lucio accerſiri mandaſſet, truci impietate germanum blandiri ſimulantem, fratris gulam manibus utriſque complectendo ſuffocaſſe, eo magis ut illi citus in Regno ſuccederet, memorque injuriarum ultionem expoſceret. Itidem ergo Franciſcus ex improperio nepotis adjecto bilem multam ex itans, jam non verbis, ſed actis in ſpurium regnantem ſurere deſtinavit. Proinde conflatis paucorum turbis, iterum Policinum litus invadit, paratiſque ſibi gentibus illis, & locis, graves nepoti minas ferro flammiſque, ni illum in ſede recipiat, pollicetur. At Freſcus viribus auroque potentior comminantem ſibi patruum parum timens rigidis verbis increpuit. Quamobrem exul Marchio flagrantiùs ira ſuccenſus, cùm conatus ejus ſterilis fieret, alia ſuperandum via fore nepotem ratus eſt. Inde Venetiam primùm, deinde Ravennam appetens apud Guidonem de Polenta Præfectum, eo quòd illi animo fideque junctiſſimus foret, dies multos ſtudioſè permanſit; expoſitâque viæ causâ, quidve moliatur ejectus hoſpes ab hoſpite ſuo voti deſiderio fruitur. Hinc ne facto moram adjiciat, vires omnes amicas, pretioque conductas adſciſcit. Ipſo etiam Marchio ex urbe Levirum ſuum Gentilem ex proſapia Urſinorum nobiliſſima, quem valde diligebat, literis ſecretis accivit, qui Sorori virum magnis curarum fluctibus angi noſcens, opemque illi valde neceſſariam, quo ad potuit, feſtinus viros & arma paravit.

Interea Ferrarienſis Populus, Azzone defuncto, cùm jam auderet metu depoſito, ſumtis animis libertatem, quæ dudum caruerat, vendicare conatur. Hinc Jacobus de Boccampanibus, vir ſatis egregius, principem ſe geſſit, & ſeditionis auctorem, ad quem omnis Populi multitudo congregata tumultum edidit, armiſque ſumtis in violentum Dominum manus injecit.

At

At ille Rainaldi de Marcharia Mantuani ope fretus, qui mercenarios ejus equites Dux regebat, Populi manipulos temerè pugnantes ſuperavit, paucisque gladio interfectis, aliquotve ſupplicio gravi damnatis, multos ejecit. Unde metuendus nimiùm infido factus eſt Populo. Poſt hæc verò cùm Franciſcus memoratus magnam virorum turbam amicorum ſuorum ope conflaſſet, peditum ferè duorum millium, equitum autem centum, præter eos, quos Gentilis Urſinus ex Urbe conduxerat, puppibus ſe credens Padum ingreditur, adverſiſque nititur procellis uſque Ferrariam in nepotem accedere. Qui properè, ſcito patruum hoſtiliter adventare, navem maximam, quam ex Mantuanorum reliquiis captam Azzo ſervaverat, viris replevit; eoſque ubi procul ab urbe preſſa tribus fermè millibus paſſuum anguſtis aquis inimicus inſtabat, repentè dimittit. Ea propter Franciſcus in tranſitu præmeditato turbatus, ſolum occupat, ruraque & agros ruſticanos invadit; multique ad illum exules confluxere. Reſumtis itaque à Populo animis, iterum ad ſeditionem promotus eſt; non tamen ut arma ſubitò caperet, ſed de Domino graves ſermones tumidus eructabat: Unde idem Præfectus non minùs Plebis furentis, quàm Patrui ſui impetum veritus, à Venetis opem imploravit, ea fœderis pactione, quatenus & ipſe cum imperantibus regnet, illamque Patriam viribus ſuis tueantur & ſumtibus. Quod ſi itidem mallet Venetiam proficiſci, magnum ab eis auri pondus ſuſcipiat. Per fœdus igitur certum Civitate venumdata, Veneti pro ſubſidio implorato illuc ſexcenta virorum capita baliſtis fulta dimittunt. Sed ii nondum cum Freſco regimen obtinuerunt. Nam Gentile memorato cum Ravennatibus, & Lamberto de Polenta Suburbium inferius clam ingreſſo, Franciſcoque Marchione ex Rhodigini Pulicini litore conflatis mille peditum turbis cum Galeatio Maphæi primogenito ſororis conjuge Patriam adeunte, ſuſceptoque inter murorum ambitum Antiſtite ſuo Guidone Vicentino, qui Populi ſui libertatem rurſus flagitabat, ad ſeditionem vulgus omne corripitur. Nam impatiens Domini vulgus eſt, idemque rerum novarum ſemper ambitione protrahitur, maximè ut Patriæ liberatio fiat. Vir benignus & Religione frater Guido Vicentinus, qui à Nicolao Papa memorato jam Ferrariæ Præſul, quàm Bononiæ Præfectus decretus fuerat cum Antiſtite illius Civitatis Nuntios ſolemnes ad Clementem Papam Quintum direxit, eo maximè ut ſpeciale munus theſauri Romanæ Eccleſiæ urbem Ferrariam dudum tyrannis oppreſſam, nunc ditione nova ſubmiſſam, Sacræ Sedis dotibus applicaret, neve ulteriùs injuſtis Dominis premeretur. Poſt hæc autem erecto Crucis vexillo, ſequentibus turbis Clericorum, Laicorumque multis, uſque Ferrariam noctu citus advênit, quem cùm Populus adventantem, libertatiſque dulce nomen prædicantem acceperit, ſubitò arma corripiens, Præſule admiſſo pugnam excitat, & in Dominum ſuum, Venetoſque regentes irruunt. Illi verò Plebis furorem metuentes, fuga ducti inter aggerem, vallumque, quos circiter Thedaldi Caſtrum tuitionis causâ fabricari voluerant, ſe recipiunt. In hoc quidem telluris ambitu non minima urbis portio disjecta eſt, & in captivitatem adducta; denique inter aggeres omnis Freſchi Venetorumque multitudo contrahitur, locique tutiſſimi mœnibus circiti ſolicitis vigiliarum excubiis illum cuſtodire nituntur. Sed non hoc animorum diſſidium abſque multorum ſtrage provênit; nam ſæpè pugnantibus his cum Plebe audaciſſima, plerique telis ſaucii, utrinque vita defuncti ſunt. Tunc Populus liber exultans pulſo Domino, Patriam ſuam publicis Legibus gubernabant; Præſulemque ſuum honore miro verentes, illum in agendis omnibus conſultabant. Quo perſuadente; alio ſublato, Franciſcus Marchio inter muros velut civis admittitur, cujus præſentiam, doloſque vulgus metuens, ne quicquam privatum ille moliri poſſet, exules omnes, qui ob *Azzonis*, trangreſſorumve ſuorum edictum longis retro temporibus proſcriptione damnati fuerant, revocare voluerunt, quos inter illuſtres viri Salinguerra, Rampertuſve è proavis antiquiſſimis genus non obſcurum trahentes gaudio lætati magno, patrios lares adeunt. Freſcus autem, & ceteri complices, è Patria illa oriundi, quorum princeps Franciſcus de Menabobus extitit, Decurionum aſſenſu, Plebiſque juſſu, perpetua proſcriptione damnantur. Sic ergo Populus liber Rempublicam non ſinè magno mentis turbine gubernabat. Poſt verò tempus modicum Veneti nimiùm rebus ſecundis elati, avidique Portus vicinos acquirere, Freſco valde impellente, & conclamante, legem pacti fœderis ſervari debere, negligique non poſſe, virum ex ampla familia, ſatis egregium, cui nomen Joannes Superantio fuit, cum magna claſſe, viris armiſque fulta, Ferrariam ſtudioſè dimittunt, qui blandis ſermonibus miniſque furentem Populum ad jugum prioris ſtatus impellat, utque patiatur Venetos cum Domino ſuo per fœdus adjungi. Hic tamdem ſuperatis Padi fluctibus, Freſcum, qui tutiſſimis Thedaldi mœnibus formidoloſus manebat advênit. Miratus igitur loci magnitudinem, urbiſque decorem non modicum Venetis fulcimentum, gaudio valde magno lætatus eſt, deſtinatque animo Cives ſuos ad captionem Patriæ hujus accendere. Deinde Populi Magiſtratus accerſit, ſuadetque, ut Dominos ſuos potentes Venetos ad gubernationem accipiant, fœduſque cum Freſco initum ſervent, graves ab illis pœnas ſe daturos agnoſcant. Quibus furentis Populi Duces dedecus illi magnum rigidis verbis objiciunt, nequaquam Venetorum ſervos fieri adjurantes. Legatus autem Venetus effrenem vulgi rabiem metuens, medios inter ſermones Thedaldum cito greſſu repetiit, paulùmque moratus, poſt dies octo patrium litus acceſſit, ubi vocatis Patribus conſcriptis, quæ geſta dictaque in medium aperit, quidve illis expediat, rem incœptam perfici laudans, non moleſtus perſuaſor exponit. Priuſquam igitur Decurionum cœtus ab aula diſcederet, ſancitum eſt illis, Ferrariam omnibus modis vendicare, & ditioni ſuæ prorſus vi doliſve ſubjicere, & ad hoc theſauros omnes, & viros effundere.

Protinus itaque fœderibus cum Freſco ſtabili pactione firmatis, Veneti ſtipendia magna diſponunt, viroſque & arma pecuniarum muneribus certis alliciunt, & ut turbam maximam congregent, profuſis omnibus Fiſci nituntur peculiis. At Populus Ferrariæ libertatem, qua dudum caruerat, ſervare avidus, ne nobiles ab exilio revocati quicquam nocivum Plebi moliantur, ad cuſtodiendos Patriæ fines accuratè dimittunt, municipiorumque illis ſervandorum clauſtra diſtribuunt. Effectum verò eſt, ut Franciſcus, & Salinguerra, eo quòd inimiciſſimi forent, Maſſamque inferiorem æquè ſervarent, ideo per impatientiam tumidis animorum rancoribus ſuſcitatam mutuis ſe vulneribus cæderent, aut ab hoſtibus cæderentur. Magnum quippe nobiles

inter

inter & vulgus ſemper eſt odium; & quæ corporum, eadem eſt diſparitas animorum; nam alterum genus parem reſpuit, alterum ſuperiorem habere non patitur. Jam Veneti paratis virorum manipulis, & Claſſe magna, in puppibus gentes locant, haſque Ferrariam deſtinant, armis facibuſque fultas, ut lædant. Præfecti duo Johannes memoratus, & Vitalis Michael exercitus hujus Duces, Patrum decreto, cenſentur; qui poſteaquam litus celeres attigerunt, ſubductis navibus ante caſtra veſtibulum tutis ſe mœnibus credidere, ſubeuntiſque noctis in tempore ſomno feſſos artus recrearunt. Altera autem die, cùm Sol jam radios ſuper terram emitteret, Venetorum mercede conducti accenſis facibus multis è caſtro prodeunt, & impetu magno in civitatem ipſam violenter irruunt, ædes omnes, qua tranſeunt, ignibus corripientes. Nec juvat ſuppellectilem aut vaſa ulla rapere, ſed cetera flammis conſumere. Profugi autem incolæ ſubitò vulgus ad arma excitant; multi quidem ſuis rebus intenti ſpiculis periere, puerique ac genus imbecille fœmineum, dum amore ſuarum ædium tenerentur, improviſi vel impotentes fugæ ignibus abſumuntur. Evagans igitur flamma vorax, ſupra quàm ducentum ſecta ex opulentiſſimis in cinerem vertit, donec apud theatrum muris altiſſimis ſeptum aſcendens in favilla extincta defecit. Populus autem ira magna flammatus, dum ſic Patriam ſuam male jactari cerneret, in foro conveniens, quid agat metu perculſu, ignorat; verebatur namque tyrannicis falli dolis, & in ſervitutem rurſus incurrere, dum hoſtium Ducisque vires & potentiam nullis opem inferentibus repellere vi poſſe deſperabat. Forum tamen ipſum, & Prætoris Aulam ſervare diſpoſuit, ſatiuſque vult liberum mori, quàm manente vita ſervire. Vocatis denique Tribunis Plebis, quid agendum potiùs ſtudioſi conſultant; fixumque eſt, ad furentes Venetorum Duces Legatos tres ex Senatus decreto mittere, qui cur illi Patriam incenderint, bellumque tam acre ſævientes intulerint, ſolicitè perſcrutantur, & de interponendis induciis paciſcantur, donec de concordia fuerit ſobriè utrinque diſcuſſum. Mittuntur ergo tres ex Plebe media, inferiorive, quos Patrum decrevit auctoritas, qui ad Oppidum permeantes nuntium primitus eò dirigunt, ut acceptâ fiduciâ Venetorum Principes ad colloquium evocent, tum per jusjurandum fide pollicita ſecuri Thedaldum intrant, & coram Ducibus memoratis adducti de jactura ſua tam graviter illata queruntur, curque in eos flammas, bellumque moverint ſciſcitantur. Ad hæc Johannes Superantio, vir eloquens multùm, cautus ſatìs, queritur, quòd Populus ille de Domino ſuo malè decreverit, repugnetque cum ipſo ac Venetis per ſociale fœdus adjungi, & graves pœnas, ferrum flammaſque minatus eſt. Legatus verò Plebis illum modò mollibus verbis placare, modò pollicitis magnis corrumpere niſus eſt; ille autem Fabricius alter, nullo mobilis auro, urbem totam flammis accendere pollicetur, ni vulgus illi ſe dederit. Metu perculſi tres viri inducias poſcunt, ut inde pactiones, & fœdera diligentiùs caveant. Permittit illis Venetus; itque ad Plebem redeunt, & cuncta in ſeriem, animoſque hoſtium acres & minas exponunt. Rurſus Plebs tumultum excitat, morique potiùs quàm jugum ſubire, vult.

At ſenior longævus mentis integer inquit: *Durum eſt, cives, conditionis veſtræ Problema. An Liberi moriamur, an Servi vivamus, conſulto quærimus. Libertas quidem jucunda eſt res, ſi modò eam tueri poſſumus; ſed quis opem ferat? Bononienſis quidem quanto proximior, tanto nobis odio gravior eſt. Patavus valde moleſtus eſt, à quo Azzones, & Obbizo, Eſtenſeque genus omne derivata ſunt. Mutina verò, & Rhegium urbes exiguæ ſemper curis ſolicitis, & jugo diſſenſionis premuntur. At Venetia viris, & opibus repleta nos quærit, pollicetur que nobis per certum fœdus adjungi. Scio quia dominari velit: at quomodo prohibeamus? neque vires, neque induſtria nobis eſt. Hæc præterea Patriam noſtram violenter invaſit, minaturque ferrum, & ignes, nec veretur repelli poſſe, dum tuto loco conſiſtit. Credo equidem ſatius eſſe, ne penitus ſervire cogamur, per fœdus illis adjungi, quam pugnando malè vincere.* Vix ille verba finierat, cùm plerique juvenes animoſi dementem illum, nimiſque audentem appellant; nonnulli etiam gladios capulis apponentes necem illi minantur; ſed veneranda ſenectus, & quod Patriæ ſuæ rem ſemper ſolicitè geſſit, illum vulgi rabie liberavit. Poſt hunc alter aſſurgens ætatis mediæ vir, plebejus magis quàm nobilis, ex utroque tamen ſanguine genus trahens, utile ait ſenile conſilium, & magnum in eo fore pondus pro rerum experientia. Subdidit, Venetos mitiùs regnaturos, quam ſi ad unum imperium transferatur, negans in multitudine tyrannidem fingi poſſe, aut bellum vix utile, quod nullius opem præſtolaretur. Quòd ſi Patriam incendi patiantur, non ideo libertatem vendicaturos ſe ſciant. His mitior Populi furor effectus modicum acquievit, donec ex plebe infima, mediave nonnulli, quibus artificio laborioſa vita perducitur, belli periculum metuentes, de concordia pacifici cum Veneus prorſus inſtituunt. Difficillima quidem res eſt ſævientis Populi vota diſſolvere, ejuſque flagrantes animos ab impetu revocare. At vulgus facilè terretur, quotiens potens illum vexat, aut mulcet induſtria. Sic denique permittente Populo, rurſus Legati redeunt, paciſcunturque cum Venetorum Ducibus certo legis fœdere, ut Venetus moderamen capiat, reſque in tranquillo maneat; ſed præſertim omni vacet rapax pecuniarum exactio. Placuit utrinque fœderibus ſtare. Præficitur itaque Vitalis Michael, Johannes verò in Patriam exultans remeavit. Qui autem certa lege pactionis gubernationem accepit, primùm blandè, demum paulatim trucior effectus, circa muniendi caſtri fulcimentum omnes Fiſci theſauros conſumens, gravibus plebem tributis angebat; unde ſubitò in eum omnis vulgi multitudo deteſtabile odium generavit.

Interea dum ille menſibus ferme ſex privatè regnaſſet, accedentes ab Apoſtolica Sede Legati duo Arnoldus Tutelenſis Abbas, & Onuphrius de Trebis tamdem longum iter emenſi, uſque Bononiam pervenere. Ubi priùs ſuæ Legationis modum referentes, quid venerint, poſtulentve, Ferrarienſes patulis ſcriptis edocent. Admiſſi igitur præter Gubernatoris patientiam, Ferrariam adeunt, Populique Magiſtratus in ſecretum alliciunt, utque illis pareant pro Sacra Sede ſcriptis manifeſtis imperant. Ad hæc illi gratè ſe facturos, ſi modò libertas detur, ediſſerunt. Tunc audito Plebis Magiſtratu, Vitalem pro Venetis dominantem facundè compellant, atque ut civitatem Ferrariam, ejuſque ambitum illis tradat, præceptis admonent Paſtoralibus. Ille verò ſermonibus blandis flagrantes in impetu ſuo Legatos demulxit, civibuſque ſuis, priuſquam reſponſum traderet, ſolicitus indicavit; accepitque verba verbis reddere, ac rem

ipſam

ipſam audacter & ſobriè cuſtodire. Legati igitur, ut vident officium eis permiſſum nequaquam impediri, illi quatenus abeat, ſinatque Loci comprehenſi moderamen adjiciunt. Negavit ille, ac Venetis certa fœderis lege urbem adjunctam ſcriptis oſtendit. Deinde rebus in controverſiam adductis, dum huic, Venetiſque ſæpiùs Paſtoralibus objeciſſent argumentis, quatenus Ferrariæ Sedem Papæ dimitterent, fixamque illis diem ſtatuiſſent, inter quam mandatis obtemperantes non repugnent: quòd ſi negent ſactiſcere, Interdicti pœnam incurſuros ſe ſciant. Nequaquam illi parêre dignati ſunt, ſed moleſtiùs repugnantes Sacri Paſtoris edicta negligere viſi ſunt. Quamobrem Legati ira ſuccenſi, dum paginæ ab ipſis editæ nihil prodeſſent, ipſos Venetos, eorumque Duces Petrum Gradonicum non ſcriptis, ſed certiore verbi ſermone præſentialiter aggredi, remque omnem in ſeriem audacter exponere, & ni ab incœpto deſiſtant, Paſtorales minas inſerere rati ſunt. Ex ambobus igitur ætate Prælaturaque major Abbas Tutelenſis Venetiam adiit, & accitis citò Decurionibus, Populique Magiſtratibus, rem totam, eurque advenerit, ſatìs facundus Orator exponit; ſubditque, ni Papæ Legatis obtemperent, graves pœnas ſe daturos non ambigant; multaque verba trucia addit, quibus blandiri nequaquam videatur. At priuſquam in ſermone deſiſteret, plerique animoſi juvenes luxu rerum ſecundarum elati, verbis in mediis obſtrepere; nonnulli etiam, ut perhibent rei memores in hunc lapillos projicientes, contemta virtute Paſtoralis Diſciplinæ, multis illum opprobriis offenderunt, adeò ut ille inauditus ad ſocium reverti cogeretur. Deinde reverſus uterque apud Bononiam omnia dicta geſtave cum Venetis Clementi per literas ſuas celeriter deſtinant.

Ille verò admiratus Venetiam tam effrenem, tamque temerè plebem ejus audentem, confeſtim fratres in unum vocat, illiſque totam rem pandit, quidve ſtatuendum ulteriùs ſobria deliberatione conſultat. Ad hæc vir magnanimus, & gravis alloquio, haud ex Cardinibus inferior Neapoleo, memor eorum, quæ à Populo Bononienſi contumelioſè ſuſceperat, in Venetos Paſtoralibus Edictis repugnantes juſtè agendum prorſus, eoſque digno ſupplicio mulctandos fore perſuadet, ne ſi pertinax illorum error parêre recuſet, impuniti tranſeant, Claveſque Sacras neglecto Paſtore contemnant. Huic omnis turba veneranda concors, magnificè locutum fuiſſe collaudat, viribuſque totis innitendum, ut rebellium furor perdomitus acquieſcat. Clemens igitur, ne facto moram adjiciat, repentè adverſùm hoſtes Eccleſiæ Venetos, eorumque Duces, & nefandi conaminis Principes, gladium acuit, illoſque quatenus in diem certam ſuæ novæ tuitionem exponant, legitimis ciet induciis. Hi ex decreto Senatus Legatos ſolemnes deſtinant, ubi Papa ſedebat, non ut venia crimen tollant, ſed potiſſimùm quatenus auro doniſve magnis judicium acre ſubvertant. At ſterilis eorum labor evanuit, nihilque labeſactari valuit. Severâ conſtantiâ profectis retro Legatis, non ideo Veneti Papæ propoſitum ſcientes à cœpto deſtitere; ſed pertinaciùs nequitiam accendentes majoribus niſi ſunt viribus adverſari. Clemens autem jam conſummatis omnibus quæ judicii libram exigunt, in Cęna Domini juxta Pontificale Theatrum Avenioni, ubi tunc ſedebat, in Venetos Majeſtatis ſuæ virgam extendit, eoſque tactu gravi percuſſit. Damnavit enim, & velut reos læſæ Potentiæ judicavit; beneficia quoque, ac privilegia per Romanam Eccleſiam ab olim tradita revocavit; & ut capientium ſervi fiant, rebus omnibus ſpoliati abſque reatu, decrevit. Alimenta etiam mercimonialiaque pondera illuc advehi ſubducive prohibuit; mandavitque, ut ceterorum Fidelium odiis premantur, cujus rei ſeriem patentibus literis per Orbem Terrarum indicavit. Poſt hæc ne fruſtra judicium tranſeat, deſitque vindex juſtitiæ, Arnaldum Pelagruam virum magnæ probitatis & induſtriæ ad Italicas partes accuratè legat, qui aſſumtis Fidelium copiis, Paſtorales vires gerens, in Venetos gentium omnium odia vireſque incitet, veniamque noxarum ſuarum dignè pœnitentibus, & pro Eccleſia pugnantibus, certus promiſſor indulgeat. Hic è Curia progreſſus montium juga ſuperans, ad Longobardos primùm vênit, & juxta Placentiam diebus aliquot moratus, Legationis ſuæ modum coram Nobilium Populique multitudine, curque advenerit, ſatìs facundus Orator expoſuit. Quamobrem multi crimen ſuum tollere cupientes, affixo pectoribus Crucis ſigno, illum devotè ſecuti ſunt. Deinde Parmam accedens, idem fecit. Quas autem urbes iter accelerans adire non potuit, ſolemnibus ſcriptis edocet, utque in eis Præſules, ceterique Duces vulgo referant magni Paſtoris Edictum, ſolicitus imperat. Parent equidem omnes, & quo ad poſſunt, vota Fidelium adversùs Venetorum proterviam excidiumque conatibus ſtudioſis alliciunt. Unde maxima gentium multitudo ſpe polliciti præmii ad Legatum celeriter ſe proripuit. At idem jam Mutinam, Rhegiumque tranſgreſſus, uſque Bononiam citus appulerat, ubi magnificè ſumtus à Populo, illic Fidelium turbas omnes congregavit: eſt quippe locus ille Ferrarienſi conterminus, ubi res expedienda ſævis enſibus agebatur.

Primùm igitur Præſules civitatum, quæ Venetis contiguæ ſedent, Apoſtolicis ſcriptis acceſſit, quatenus acceptis Fidelium cohortibus ad ſe properent, quos inter Paganus Patavinus Antiſtes, Altigradus Vicentinus ad illum maturè profecti, Diœceſanorum ſupra tria virorum millia juxta Ferrariam convenere. Guido autem Ferrariæ Præſul, benignus & vafer, priuſquam Legatus Ferrariam applicaret, illic diebus multis adventantem Dominum expectabat, Populumque ſuum, projectis Venetorum manipulis, & Prætore Vitale, ope auxiliantis Eccleſiæ refovebat. Unde hoſtes Patriam ſuam irrumpere cupientes, adverſis telorum ictibus ſæpe repulerant. Vitalis autem ex Senatus decreto Venetiam ſe tranſtulit, ubi relatis his, quæ fecerat, diceratque, alterum pro ſervandis Thedaldi mœnibus dimitti perorat. Igitur Veneti non ignari eorum, quæ in eos Papa moliretur offenſus, eurque Legatum Pelagruam è gremio Paſtorali dimiſerit, ut gentes maximas & arma parent, rurſus ſtipendia petentes alliciunt; præterea cuneos quinque ex ampla Populi familia accuratè conſtituunt; ſingulaque virorum millia illis annectunt, utque citi Ferrariam adeant, puppibus remiſque commendant, quorum Jacobus Quirinus probitate ferocior, claroque Nobilium ſanguine ortus, principatum obtinens, ad accelerandum iter feſtinavit, diebuſque binis aquis ſubvectus locum tamdem optatum advênit, ubi ſubductis litori puppibus mœnia commendata ingreditur. Sed cùm in his Freſcus ſe nimiùm pro libidine moleſtum ingereret, vexatus Princeps memoratus, dum res tota Patrum decreto ſibi deberetur, iræ impatiens Freſcum clava percuſſit. At ille prohibitus ſatellitum tur-

turbis pari modo vindictam exigere, dolore magno correptus puppem aſcendit, Venetiamque ſe properè tranſtulit, ubi querelâ depoſitâ apud Magiſtratus plebis, dum nequaquam ulciſci permitteretur, gravi morbo ſerpente ob triſtitiam deſolabilem diebus paucis abſumtus expiravit. At Jacobus memoratus, ſociique commendata Thedaldi mœnia ſolicitis tuebantur excubiis, plerumque adversùs irruentes Cruciferorum turbas, reſeratis valvarum clauſtris, hoſtiliter ferebantur; nam magnæ Fidelium alæ jam ex Antenoridæ finibus Ferrariam gentibus auxerant; unde Populus reſumtis animi viribus magìs audebat, lætabaturque hoſtes appetere. Hæc inter, Legatus potens, conflatis virorum copiis, dum pertinaciam Venetorum modis ullis revocare non poſſet, jam decidendam ferro litem aggreditur. Primùmque turmas omnes bello paratas Ferrariam proficiſci citus imperat. Multum illis Bononiæ Populus virium addit; octies namque mille viros umbonibus abditos, baliſtiſve, atque ſagittis fultos, armat, tormentorumque pondera magna, quibus caſtri mœnia conterantur, poſt eos dimittit. Sed adversùs hos fortuna parum proſperis proceſſit eventibus; nam cùm ii juſſo litore appuliſſent, ſecus Padi ripas caſtra diſponunt, indignantes tecta ſubire, poſt verò triduum a diebus inſtructis, Turrim, quæ caſtri pontem trans aquas tutabatur, dum facilè ſuperare putant, invadunt, clamoremque magnum tollentes hoſtibus metum inferre cogitant. Veneti autem cominus eos accedere paſſi ſunt, tenſiſque ſpiculorum impulſibus, ut aggerem tangi viderunt, ſagittas, ſaxaque conjiciunt. Unde Bononienſium alæ telorum nocentium jactu repulſæ in fugam convertuntur; ſed ex his multi peremti, nonnulli graviter ſaucii, cùm inſanabilia fierent vulnera, tandem languore ſupremo defuncti ſunt. Deinde repentè victores puppibus citis elapſi, tormenta quælibet Bononienſium in prædam comprehenſa producunt, claſſemque multam Ferrarienſis Populi litore creditam ignibus aſſumſere.

Dolens autem Legatus, infelicem jacturæ tantæ caſum, ob ſuæ gentis ignaviam accidiſſe, omnia ſolicitè cuſtodiri juſſit, præſertim caſtri fines, patuloſque illius exitus, unde hoſtes in ſe populantium more aſſueverant irrumpere; decrevitque eos fame faciliùs ſuperari poſſe, quàm gladio. Sed ne telluris ſpe illis ſublata, aquis fidentes obſtare poſſent, ſubitò trans fluminis lati ripas pontem conſtrui imperat, ut greſſus inde regreſſuſque ſit; ſub ipſo quoque trabibus acernis, & multo robore, ne puppis ulla tranſeat, claudi voluit; atque magnificè conſtructam lignis machinam Franciſco Marchioni, Salinguerræve tradit ſervandam, militiamque omnem his commendat, ut tranſitum potentiùs tueantur. Nec minùs alteram fluvii partem, quæ trans oppidum illi declives aquarum lapſus ſuggerat, ſeptis arboribus obſtruit, ut inde hoſtes nec fugere, neque opem præſtolari ſe putent. Priuſquam tamen opus hoc ſudore multo, rebuſque magìs conſummaretur, Jacobus memoratus per fugam evadere tutus eſt. Noctu igitur, dum vigiles excitantur, furtim egreſſus cymba ſe versùs Mantuani ſoli fines inde proripuit: quod poſteaquam luce adveniente ſociis patuit, animi in poſterum, & vires languere; nam aſſiduus pugnæ impetus illis inſtabat. Quamobrem diffiſi locum tutari poſſe, dum in ſe gentes undique irruere cernerent, noctis tempore, quo blandior quies membris ſerpit humanis, è caſtro prodeunt, furtimque egredi

A properant; ſed locorum ignari, aggerumque, qui tellure obruta iter impediebant, circum fluvii litora vagabantur, ſi puppibus, aut quuvis evadere daretur remedio. At ſolicitè Legati potentis excubiæ, dum frequenter obſeſſi loci ambitum circuunt, voces & murmur inſolitum, pedumque crebros ambitus audiere. Paſſim igitur oculos circumferentes ad Lunæ radios, hoſtes è caſtro prodeuntes, & fugam tranſitu quærentes agnoverunt. Confeſtim clamore facto, turbæ omnes fidelium excitantur, & auditâ tumultus causâ, è caſtris nullo ordine prudeunt, & loco quolibet circumeuntes hoſtes profugos occupant, illoſque gladiis cædunt. Pauci nempe (tanta è fuga voluntas) viribus uſi ſunt, ſed ii
B tamdem non ignavè peremti; reliqui verò ex Thedaldo progreſſi, quorum ſupra quàm trium millium numerus extitit, gladiis cæſi, aut aquis ſubmerſi ſunt; rari verò per fugam elapſi mortis periculum evaſere. Tanta quidem ſtrages fuit, tanta cruoris effuſio, ut aquæ pariter alveus, tellus omnis, & ripa ſtagnantis ſanguinis more rubeſceret. Tunc victorum manus cædibus tantis defeſſæ ſunt; tunc Luna in ſereno micans rubicundo vultu cruoris inſtar futuram ſtragem infidelium Cœlo teſtata eſt, adeò ut ſuper Terram tenebræ factæ ſint. Nec quidem captivus ullus veniâ imploratâ ſervatus auro ſe redemit: tanta etenim victoris rabies, tanta ultionis ambitio, ut omnis pariter ignavus & prudens ne-
C aretur. Nec pertæſum eſt talibus miniſteriis uſque in lucem gladios inſomnes agi. Hæc latitantes in ripis Eridani, virgultiſque ac arundinibus tectos, quærentibus prodidit: nec minus ii cædem paſſi ſunt. Nonnulli tamen, priuſquam effoderentur, ſalutem in aquis ſperantes, ſponte ſubmerſi ſunt. Sic igitur ferè omnes, qui e caſtro prodiere, cæſi turpiter occubuere tellluri. Sed eorum cadavera quæque, ne fortè putrefacta aërem inficiant, in acervum congregari, & in imum foſſæ telluris præcipitari, gaudens Legatus imperat, deſuperque ſolum obſtrui: circa quod juſſi operis miniſterium etiam muliebre genus decoratum veſtibus ſufferens magnas inter glebas laxo gremio ſponte convênit. Fuere nem-
D pe, ut ajunt, duo millia virorum capita, trecentum & quadraginta quatuor, præter eos, qui ſub aquis latuere demerſi, gladiis cæſa, & pecudum more ſublata.

Quamobrem inter Thedaldi vicina mœnia ſervari ſuorum caſum infelicem dolentes, non abiiſſe longiùs gavíſi ſunt. Ex his tamen, velut quiſque ſibi magìs fidebat, dum ſpe omni ſe privatos agnoſcerent, furtim progredi nitebantur, donec paucis intro manentibus, dum audentis Legati turbas impetumque ferocem poſſe pati deſperarent, reſeratis Loci valvis, & ſubmotis clauſtrorum vectibus ſponte in apertum prodeunt, nihilque repugnantes aditum hoſtibus
E patiuntur. Unde omnes ſubitò Cruciferorum manus in optatum locum irruunt, capiuntque, & ſuppellectilia quæque ac bellica inſtrumenta diripiunt. Tanta quidem prædæ ſitis, tanta victoriæ gloria fuit, ut oblito cædis officio Venetorum alæ per medios hoſtes effugerent. At non ideo certis per fugam ſalus patuit; nam qui poſtremò ad locum veniunt, fugientes hoſtes invadunt, illoſque gladiis cædunt. Lambertus verò de Polenta cùm cæde abhorreret, captivos multos ad numerum ſeptingentorum puppe reponens, illos in prædam ducebat. Sed Bononienſium turbæ ob ultionem injuriæ ſuſceptæ flagrantes, puppem inſiliunt, captivoſque omnes ferro cædentes aquis demergunt, quos inter

Comes illuſtris Marchariæ Raynaldus Mantuanus telis foſſus obruitur, multique cum eo Nobiles & egregii, qui laribus ſuis violenter ejecti in caſtris turpi quæſtu degebant. Servatus autem ex illis reſtitit Angelus de Molino, qui cùm ex cuneis quatuor poſt Jacobum Quirinum major haberetur, itidemque in contemtum Apoſtolici à primordio belli noviſſimi effigiem Papalem arundinibus, ſtipuliſve contextam deſuper pannis galeroque & ceteris ornamentis involutam fabricaſſe ferretur, illamque diutiùs malo ſuæ puppis appenſam flammis tamdem aſſumtam Fidelium oculis objeciſſe, juſſu Legati cymbæ impoſitus, circumque ſtraminibus ac ſulphure ſeptus, & igne ligno ſuccenſo in Padum dimittitur, ubi coram omnium aſpectu pari ſupplicio cum ipſa lignorum fabrica flammis aſſumtus eſt. Tunc Venetorum robur depreſſum, tunc cornua confracta defecere adversùm Eccleſiæ pugiles; ſicque ferè omnes eorum trabæ gladiis, aut aquæ vorticibus correptæ ſunt. Proh quantus mœror, quantus deflentium ululatus, quanta matrum planctio apud Venetiam, ſama in rebeſcente, provenerit, vix poſſet quis lingua depromere! Legatus itaque victor caſtrum apprehendens in eo ſedem ſuam tutè conſtituit, apprehenſoſque multos ſceleris auctores, eo quod Venetis ſe complices addidiſſent, multùmque illis conſilio & opere valuiſſent, laquei feritate mulctavit, oramque ſuæ ditionis, quam in finibus Ravennæ Veneti dudum poſſederant, impugnari juſſit, gentemque ſuam illuc gratè dimiſit, ubi diebus paucis obſeſſam, victamque, & metu potiùs quam viribus ſuperatam, loci munitionem telluri obrutam diruerunt. Qui verò illam ſervabant, cùm in fidem accepti de vita pepigiſſent, liberi dimittuntur. Gavisus ergo Legatus gaudio valde magno, eo quòd victoria potitus foret, menſibus duobus apud Ferrariam moratus circa reformandos Magiſtratus, & Populi mores, Thedaldi caſtrum obrui funditus imperat, ſaxaque & lapides inde ſubvehi, ne in priſtinum refici, aut numquam timori poſſit eſſe. Pupulum etiam Eccleſiæ ſamulari jurejurando admiſſo coarctat, illique Præſidem conſtituit, qui temporaliter juſtitiam hinc beneficiis, hinc meritis exerceat pœnis. Nec minùs equites mercenarios, peditesque pro ſervanda civitate ſtatuit. Inde omnibus in ſeriem compoſitis versùs Bononiam iter aggrediens, ad Papalem Sedem quàm citiùs ſe proripuit, ubi à Clemente magnificè ſuſceptus, inter ſummos Eccleſiæ apices ob geſtæ rei gloriam clariſſimus reputatur. Hæc de Venetorum lapſu propter aſſumta in contemtum Apoſtolicæ Sedis cornua, inter magnificè geſta temporibus lapſis nobis edita ab auctore non ficto didicimus; quæ quoniam valde magna nobis digna memoratu viſa ſunt, his labori noſtri ſcriptis æquum putavimus inſeri. Nec quidem procul ab eo diſtant tempore, cujus cauſâ opus tantum aggreſſi ſumus. Nam nono Dominicæ Incarnationis Anno poſt Trecentos & Mille hujus belli caſus affuit. Henrici verò Septimi Cæſaris, à quo mente concepimus exordium operis noſtri ſumere, ſequenti Anno fuit motus ad Italos; ſed retro prolapſa facta cùm memoriæ digniſſima viderentur, prætermittere nequivimus.

Nunc eò uſque pervenimus, ubi mare notum intrantes velis latioribus ſecuriùs transfretabimus. Priuſquam tamen hoc in litore tenacem jaciamus anchoram, dicendum eſt, quid Alberto Auſtriæ Duci, cùm Annis octo & menſibus ſeptem faſces Cæſareos occupaſſet, in ipſo vitæ noviſſimo contigit exitu, quiſve cædis ſuæ auctor temere ductus, curve gladium acceperit in Principem tantum. Deinde ulteriùs evagantes, Henrici memorati illuſtria facta, Deo auxiliante, narrabimus. Ideoque ad Albertum ſermo dirigitur. Hic quidem Dux, prudens ſatis, & ſtrenuus cùm neque Bonifacium Papam VIII. neque Benedictum, aut Clementem V. benignè ſibi aſpirantes comperiſſet, Italiam negligens, apud Germanos Imperium geſſit; multùmque ſuis natis, & generi profuit Cæſarem induiſſe. Sed quia nihil adeò felix, quod non idem ſollicitum, ſæpe cum Johanne nepote ſuo, & Haymerico, jam morte tumulato fratre ſupraſcripto, maximam dividendi Patrimonii causâ litem habuit, quam cùm nemo decidere propter impatientiam Regis de juſtitia vellet, tamdem certa fœderis pactione de concordia tranſegere, paſſuſque vix eſt Albertus, metuens filiorum inopiam, modicam vendicati ſoli portionem nepoti concedere: Ah quàm ignava eſt parentum pietas, quæ ut pecuniam & opes natis congreget, virtutem negligit ac doctrinam! Hinc ejectus nepos inviſus è lare patrio ignotam cogitur regionem aſſumere. Ut igitur pubertatem exuit adoleſcens, armaque & virilem animum induit, vexatus ex multu modicum accepiſſe, æmulorum quoque ſtimulis ſæpe compulſus, de patruo inſido malè concepit, optabatque votis aptiſſimum ultionis tempus adeſſe, donec idem nepoti blanditias illaturus, quatenus flagrantem ab impetu retrahat, illum ad ſe literis ſecretis adſciſcit. Johannes autem, licèt patruum odio multùm habens, ejus tamen imperiis obſequens, ad eum citus ſe proripuit, qui nepotem blandiùs ſolito mitibus verbis allocutus, jucundo vultu, manibuſque ſuſcepit expoſitis, & in ſecretioris Aulæ diverſorio penes Cæſarem ſedere compulit. Admiratus Johannes patruum tam humanum, tamque familiarem, longè ſolito nefas mente concepit. Sciſcitatur ergo ab eo Cæſar, quid cum Populis ſuis agit, quave degat induſtria, curque ab Aula dudum ſe contineat. Ad hæc ille: Populis ſuis ſatìs gratum, ſed * eo propter Ducis impatientiam moleſtum fore ſe reddidit; nam gravis eſt, quod Dominum non vult, ſi regnare compellitur, malleque apud patruum ſamulari, quàm in externis locis imperando ſervire. Illi autem inquit Albertus pietatem ineſſe, dum patris germanum debitè vereretur; utque mitiùs eum placet, eo ſe profecturum oblectandi causâ ſpopondit. Gavisus nepos ſpem in voto concipiens, precibus illum humilibus oneravit; quoque Cæſarem opulentè ſuſcipiat, redeundi libertatem implorat.

Permiſit ergo Cæſar cauſa neceſſitatis urgente. Hic dum epulas, magnificoſque rerum luxus parare pergit, in ædem ſatellites allicit, monetque, quatenus ſibi fideliter obſequentes, quem mori juſſerit gladiis cædant. Pullicentur hilares facere quod Dominus imperet, collaudat enim quiſque Principem fide magna in anguſtis rebus expertum. Deinde illos juxta Rheni litus, ubi in Portu tenditur è puppe progreſſus inter exigui loci latebras inſidiis locat; ipſe autem ad patruum celer diebus paucis acceſſit. Cæſar verò nepotis adventum ſciens, paratis equis, & turba modica, quo ſe magis familiarem oſtenderet, futurorum ignarus, iter arripuit. Ut ergo perventum eſt ad alveum Rheni, cujus unda liquefactis aucta nivibus impetuosè ferebatur, ſubductis in litore puppibus navem Cæſar aſcendit, nepotemque cum ſociis tenus ſedere voluit. Cæteri verò partim equis per

fluvit

fluvii litus agroſque ſubvecti ſunt. Denique velocior fluvii meatus ad optatum loci Portum, urgentibus nautis, proram impulit, ubi paratis equis in litore Albertus jam ſato properans, priuſquam turbæ veniſſent, cum nepote litus ingreditur. Nec procul inde ceſſerat, cùm ſatellites è virgultis magno impetu prodeuntes in eum corruunt, quos ut metuens vidit, in nepotem converſus fruſtra ſpem mente concepit; nam ille perfidus Cæſarem appetens, primùm ejus gladio latus aperuit; deinde alter, quem turbis infeſtis præfecerat, ignarus, quem læderet, verticem clava percutit. Indignatus verò nepos infidus, quemquam de hoſte præter ſe vindictam aſſumere, ceteros obſtare imperat, ſoluſque nefas tantum perficiens, crebris vulneribus patruum nihil tale veritum ſolo tamdem proſtratum interimit. Sunt & qui ferunt, illum inter ipſos vulnerum ictus graves Cæſari malefactorum ſuorum contumelias objeciſſe, & ob id atrociùs præter indolis avitæ memoriam deſæviſſe. Perpetrato denique ſcelere cum impiis clientibus ſe inde celeri ſuga ſubtraxit. Qui autem Albertum ſecuti fuerant, ut inopinatum cædis ejus eventum procul conſpexere, clamorem extollentes & gemitus, trans fluminis alveum ſe corripiunt. Sed nequaquam adveniſſe profuit, ut opem Domino ſuo ferrent, aut tanti ſceleris ultionem exigerent; nam defunctus ille caſuſque turpiter humi jacebat, parricidaque tum procul per fugam evaſerat: Repentè igitur Alberti natis infelicem ſui genitoris exitum literis nuntiarunt: quod poſtquam illi ſtupentes dolenteſve per iter acceperunt, cædiſque modum, & auctorem ſciſcitantes cognoverunt, ſubitò Fridericus, & Lipoldus natorum primi, multis comitantibus, eò veniunt, ubi genitorem ſuum turpiter cæſum vulneribus videntes, pietate magna promoti lacrymas multas, & gemitus effudere. Deinde cùm ſatis luxiſſe viſum eſt, ſuperpoſitis aulæis obtexere cadaver, accerſitiſque ſuæ regionis Templorum cuſtodibus, diluculo ſequentis diei conſummatis ſolemniter exequiis, illud magnificè tumulatum telluri obrutæ mandavere. Templumque ibi ſubitò conſtrui theſauris apertis inſtituunt, quod brevi temporis mora confectum, Ciſtercienſium Ordini ſervandum tradidere. Poſt hæc autem omnis illorum cura, omniſque conatus in ſceleris auctorem ulciſcendi cauſâ ferebatur; nam in hoc natorum pietas paternum amorem potiſſimùm ſuperat. Confeſtim ergo, quam Johannes detinebat, Regionem furialiter appetunt; cùmque illum longinquiùs profectum reperire non poſſent, ædem ejus ignibus conſumſere, multoſque ſatellitum pœnis afficientes, quod à patre ſuo Johanni nequam traditum fuerat, ſibi vendicant; iiſque perfectis Viennam, ubi Regalis Sedes Alberto fuerat, repentè proveniunt, Magiſtratuſque, & urbes à patre relictas nati quinque in ditionem accipiunt, & theſauris magnis, quos ille paraverat, congaudentes opulentia rerum ſecundarum potiti ſunt. Ut ergo defunctum Cæſarem fama velox per Orbem nuntiavit. magnus apud omnes ſtupor invaſit ob ejus cædem, multique ſuper eum judicantes perfidiam nepotis increpabant; plerique illum dignè peremtum, eo quòd nepotem malè foveret; ſed ferè cetera Procerum multitudo Germaniæ odii, vel invidiæ labe corrupta, Cæſarem gladiis occubuiſſe lætata eſt.

Explicit Liber Tertius.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

Henricus VII. Cæſar electus in Italiam deſcendere parat. Longobardiæ ſtatus, & Principum conſilia in Regem adventantem. De Bobemiæ Regno coram Cæſare diſputatum, qui tamdem Italiam ingreſſus pacificè Mediolani conquieſcit. Legati plures ad ipſum confluunt. Guido Turrianus à Maphæo Vicecomite deceptus in Auguſtum ſeditionem movet, & victus cum ſuis exulare cogitur. Brixiæ motus, & averſio à Cæſare. Paſſarinus & Butironus conſtituti Mantuæ Vicarii. Patavinæ Reipublicæ Legati ad Henricum. Vicentinorum conjuratio, ut Patavinum jugum excutiant. Cremonenſes ab Henrico deficiunt, tum fruſtra ſupplices ab ipſo graviter caſtigati. Vicentini in libertatem ſe erigunt. Brixia rebellis ab Auguſto obſeſſa. Patavini eumdem ære dato ſibi devinciunt. Thedaldus Brixianorum Primas in teterrima Patriæ obſidione interemtus. Contra cadit Valeranus Cæſaris frater. Inani eventu ad pacem ſolicitati Brixienſes à Legatis Pontificiis. Peſtilentia in exercitum Cæſaris illapſa, cui tamdem ſe dedunt Brixienſes. E Placentiæ dominatione dejectus Albertus Scottus.

HActenus rerum vetuſtarum, quæ priuſquam nati eſſemus, quæve poſt ortus noſtri tempora, donec pueriliter ageremus, facta ſunt, ſplendida, eademque ſordida, memoria digna conſcripſimus. Nunc ea, quæ pubeſcentibus nobis fatorum lege apud Italos facta ſunt, laboris ſummi ſtudio percurramus. Et quidem his certiùs fidei robur veris literis judicantes, non fictum quicquam, nec rogatum, aut favore conceptum, ut placeamus, ſcripſiſſe profitemur; nullis etenim decurpari velamentis debet Hiſtoria. Hic namque Poëtarum mos eſt, qui ut placeant veris ficta componunt; conſcriptores verò magnificarum rarum veritatem meram ſequi debent, non odio vel amore corrupti, ne fortè legentium fides traduci videatur ineptè. At cur fingat Hiſtoricus quiſquam, cauſa me latet; neque enim apud Principes noſtros tanti eſt ſapientia, ut per virtutis ſemitam ambulantes fama ſe decorari velint; ſed voluptatibus ſolis indulgentes juſtos odio ſupprimunt, & impios blandè faventes extollunt. Quòd ſi docti ſtudiorum mercedem acciperent, major Scriptorum copia nobis eſſet: nunc in divitii honor omnis exquiritur. Aggredimur ergo viriliter opus mente conceptum, ſolamque rerum geſtarum, nullis ſeducti affectibus, veritatem proſequamur. Multi enim ad id ſufferendum onus in Patria noſtra ſe contulere: ſed agendorum occupatione obrepti ab hujuſmodi curarum anxietate deſtitere, nimiùm quippe in acquirendis opibus, retinendiſque divitiis ſuperſtitioſè verſati. Veſana quidem mentis ambitio eſt, quæ virtutum meritis perpetuari non vult. Laudatur utique probitas, & ab ipſis etiam improbis Juſtitia commendatur; at non ultra rei fructus provenit, ut eſurientibus dapes veniant, ſitientibus potus, aut nudis amictus: unde fit ut Sapientia brevi tempore pereat. Qui verò ſtudiis ſponte verſati ſunt, nullam præter gloriæ ſpem manentes, ſuo delectantur in opere, cujus fama merces, decoriſque ſuit expectatio, quæ & à virtute procedit. Si verò ſcelere doluſve parta

A Orbi reſonet, opprobrium ſui auctoris quotiens refert, & memoriam ſævi nominis judicat. Et profectò ſi labor, qui maximus eſt, dum corpus pariter & animus exercentur, delectatione ſua careat, omnem Sapientiæ fabricam tolli neceſſe eſt penitus. Nec juſtè quidem. ſi quis in opere parum progrediatur, increpabitur; ſatis enim eſt tanti ponderis ſarcinam tentaſſe. Itaque redeuntes, quis Cæſar poſt Alberti necem delectus à Patribus Italiam potenter invaſerit, quidve apud Longobardos primùm, deinde Auguſtam petens Sedem in Urbe retroque progrediens is fecerit, aut quis exitus illi contigerit, quàm id celeriùs poterimus Deo Duce ſignabimus.

B Defuncto itaque Alberto, confeſtim Germaniæ Principes, quibus poteſtas tradita eſt, pro conſtituendo ſibi Rege conveniunt; cùmque fabrii molis tantæ curam ſuperſtitioſè gerentes primorum hortatu compulſuve ſæpe numero conveniſſent, multùmque illis juſti ſtrenuique Principis eligendi, qui ad regendos Imperii faſces avidus niteretur, cura vigil ineſſet, tamdem multis Germaniæ Ducibus, ne quid indiſcuſſum maneat, menti occurrentibus, præ ceteris Hainricus Lutzelburgenſis Comes aſſenſu claro decernitur. Fridericus quidem Alberti memorati natus, Bavariæque Dux Rodulphus, quoad potuere, niſi ſunt hujuſce dignitatis titulum ſibi vendicare; ſed re in certamen adducta, C ut neuter invidia laboraret, Hainrico ferè omnium Principum judicio contigit. Hic enim, licèt ambobus potentia opibuſve inferior haberetur, non ideo animi corporiſve minor, illi virebat induſtria. Nam ex clara ſatis proſapia ortus, inter ceteros bello ſtrenuus, & conſilio prudens valde putabatur. Huic Dux Brabantiæ Margaretam natam ejus, dum pubes foret, matrimonio copulavit, qui & illi ad obtinendos Auguſtæ ſedis apices multùm valuit. Sed de his, quoniam à Patavino Poëta & Hiſtorico Albertino Muxato diffusè conſcriptum eſt, compendioſè tractabimus. Potuit enim ille pro Patria ſua Legatus ad Cæſarem omnia ſui generis primordia, quæ nos latent, ad unguem per-

perſcrutarì, & ea manifeſtè diſſerere. Scripſit itaque, primùm ab origine bujus exordium ſui laboris aſſumens, non quod oculis noſtris editum, ſed fama velut dictat, accepimus: *Lucemburgi Oppidum eſt Francorum fines ab Germanis dirimens &c.* Ut autem Cæſar decretus de more Principum Aquiſgrani locum attigit, aſſumturus primam argentei Diadematis inſulam, perfectis his, quæ Auguſtum Principem decent, aſſiſtentibus Procerum turbis, circa reformandos Imperii faſces, eorumque diſtributionem, curas omnes advertit. In quo rerum examine Johannes memoratus ab eodem Patria ſua, utpote reus læſæ Majeſtatis, bonorumque omnium proſcriptione damnatur. Quæ cùm Fiſco Cæſareo prorſus applicari vellet, non paſſi ſunt Fridericus, & Lipoldus ex Alberto Primogeniti; id abſque injuria fieri poſſe prætendentes, & Parricidam ipſum nullam in bonis avi patruive portionem capere debuiſſe. Nec deerat, cujus patrocinio cauſa ſua apud Cæſarem foveretur. Ideoque factum eſt, ut moræ diſpendio tanta res ſobrium mentis libramen acciperet. Poſt hæc Proceres peremti cineres Alberti, qui procul ab Cæſarum Divorum urnis illo reconditus ſolo, ubi proſtratus occubuit, inhoneſtè vacabant, ad Imperiale Templum Sancti Dionyſii advehi curant. Iidemque ejus oſſa argenteo pheretro condita poſt celebratas exequias humeris ſuis imponentes, & uſque ad ſarcophagum deferentes, telluri obrutæ commendare ſatagunt: memorati enim Lipoldus, & fratres, invidia magna ducti, ſic patriis fieri reliquiis pertinaciter orant; nam & illum Cæſarem fuiſſe, defunctumque ſub Auguſto nomine prædicant. His adverſatus Rex novus, Alberti cadaver inter Divorum ſepulcra, eo quòd idem bello ſuum Dominum injuſtè ſuperaverit, retrahi abnegat. Noviſſimè autem cùm nequaquam immeritas novi funeris dignaretur inſtaurare exequias, multis denique precibus oneratus, ceteros Alberti natos eorum, quæ ab avo quondam, patreque ſuſceperant, univerſos heredes fore decrevit, iisque maximum Auguſtæ clementiæ donum contribuiſſe ratus eſt. At non ideo adoleſcentes precibus deſtitere, donec placatus Cæſar, putreſcentem jam, quin imo marcidum Alberti truncum, Cæſareas ad urnas adduci compatitur; ſed non illum pari honore dignatus eſt; nam plumbeum pheretrum accipiens, non alio metallo decorari voluit, nec ſe illi ſuppoſuit, & nihil aliud quàm feralibus adeſſe myſteriis tulit.

Dum hæc illic manifeſtè geruntur, accerſitis undique ab Rhodano inter Gallicos fines, Germaniamque ipſam Magiſtratibus, Cæſar memoratus, Patreſque conſcripti conſilium ineunt, quidve circa reformandas Imperii partes agendum, ſobriis curis eliciunt. Placuit namque primùm hoc Clementi Sedis Apoſtolicæ Præfecto, qui tunc Avinioni ſedebat, ſecretis literis indicare, illiuſque patientiæ modum agnoſcere. Sed priùs id Philippo Francorum Regi fuerat indicatum, qui cùm Henricum primævo ſuæ ætatis flore gratum haberet, effecit, ut Apoſtolicus illi benignum ſe redderet. Deinde Legatos ad Italica Regna profecturos accuratè decernunt, qui Cæſaris adventum Populis nuntient, illumque ad Auguſtam ſedem, pacatis primùm Longobardorum diſſidiis, properantem magnificis admitti paratibus imperent. Delecti quidem octo Legationis viri, quorum duo Antiſtites venerandi, Conſtantienſis ſcilicet & Baſilienſis, alii verò Juris peritiſſimi, aut militia, claræve indolis generoſitate decorabiles. Hi ſuæ Legationis modum patentibus ſcriptis accipientes, ad Longobardos primùm citis acceleravere progreſſibus, ubi ceteras Ligurum Æmiliorumque ſedes, & è Gallicis jugis in planum Apenninum inter & pontum conſtructas Illyricum ſingulariter adeuntes, adventantem illis Cæſarem nunciant, utque Dominum ſuum veneranter excipiant, patentibus ſcriptis edicunt. Obſtupuerunt valde omnes Longobardorum catervæ, quæ poſt Fridericum nullis Cæſaris paruerant argumentis; præcipuè tamen ſemper Tyrannorum formido ſolicita, quorum preſſuris tota vix dolens agebatur Italia. Erat quippe tunc violentus Mediolani Dux Guido de la Turre, illamque trux Sedem poſt lapſum Maphæi octo ferme annos tyrannide ſæva poſſederat; nec minùs etiam Pergamum recèns tyrannis oppreſſerat. Vercellas autem & Novariam Simeon da Colubiano pari modo premebat; Placentiam Albertus Scottus; Papiam Philipponus; Comum Martinus Lavetarius; Parmam Guibertus de Corrigia; Mantuam Raynaldus Paſſarinus; Veronam Albuinus Canis; Vicentiam Patavi; Tarviſium verò Rizzardus de Camino non multùm trux moderator habebat; Brixiam Maphæus de Maziis poſt germanum ſuum Beraldum Præſulem glorioſum; Cremonæ verò vulgus interdum, ſed Proceres multùm privato dominabantur impetu, quorum primi Jacobus, & Guilielmus de Cavalcabobus Principatum ſervabant. Laudem, Cremamque Antonius de Fixiratico detinebat; Mutina quoque, & Rhegium nunc Guiberti, nunc Bononienſium metu ſolicitæ, ſuis manebant Populis circumſcriptæ. Sola Bononia inter fines Æmilios Plebem ſuam jugo vacantem habebat. Venetia quoque, & Patavium apud Illyricum litus, ubi ferunt Anthenora poſt Troïcum excidium urbes primùm conſtruxiſſe, tranquilla pace florebant. Ferrariam, & Romandiolam potentia Ducis Apuliæ ſub Apoſtolico ſupprimebat. Florentia autem lanificio multùm intendens, & Procerum faſtus abhorrens, multis ejectis, vulgus ſuum regnare conſtituit. Lucani autem, & Piſani Populum dominari alternis viribus permittebant. In quibus autem Plebs mage valuit, Potentes exilio, aut relegationis mulcta damnati ſunt. Quibus verò tyrannica rabies fuit, bonis ejectis, omnia ſolicita erant, menteſque anxiæ curis angebantur obnoxiis, utique formidoloſa ſtatus ſui conditione, ne ſubitò corruant, doliſque, quibus potiſſimè utuntur, decepti in laqueum ſuum cadant.

Ex omnibus autem Guido memoratus valde Cæſaris adventum peroſus, eo quòd idem potentia prævalebat, Philipponem, & Albertum, Simonemque, & Antonium, quos pari vitio tyrannidis refovebat, quid agendum tanto rerum diſcrimine anxius conſultor exquirit. Qui ſibi primùm, deinde amico metuentes, poſt ſobrium mentis examen conveniendum eſſe decernunt. Sed non his latens deerat invidia; nam qui ſe ſublimiorem oderat, illum corruere votis optabat. Hæc eſt labes, quæ ſemper impios devorat, labes iniqua, quæ malos torquet, & afficit. Convenerunt denique Principes quinque apud Laudem, ibique ſobriè percunctantes, quid imminenti periculo cautiùs peragendum foret, demum utile viſum eſt alios inferioris Lombardiæ Duces pertentare, ut ſi liceat venienti Cæſari obviam reſiſtere, auxiliares vires parent; ſin minùs, & ſuam agi poſſe cauſam exiſtimet timoris meditatio, brevem capiundi conſilii moram trahentes, nequaquam tenaces

ediſ-

ediſſerunt. Hinc anxii magìs memorati quinque Duces, dum ad ſcelus tyrannicum complices non haberent, ex ſe ſalubrem ſui ſtatus opem redimere deſtinant. Malebat equidem Antonius Auguſtum venientem prorſus excludi, illique totis viribus adverſari: quod & Guidoni, Simonique viſum eſt. Philipponi verò, theſauris apertis Germanum Principem placandum eſſe. At neutrum Albertus laudans, ingenio potiùs, quàm viribus auroque innitendum dictitat, qualis eſt ſervilis amor in Dominum, qualive Populus tyrannum ſuum benevolentia refovet. Præterea non ignorabat effrenem vulgi exultantis ambitum, Cæſarem votis ſupplicibus peroptare: ob quam rem à Populo ſe deſtitui verebatur infido. Sciebat quoque, Cæſarem nullis auri tributis, nullave pactione tardari poſſe; unde admittendum benignè illum, admiſſumque dolis necandum, aut vi repellendum, faciliùs perſuaſit. Ad hæc poſt diſcuſſum mentis libramen ceteri aſſenſere, remque tacitam adhibentes, tenaci vinculo fœderis irretiti ad ſedes ſuas properè redeunt. Interea Legati ab Auguſto Rege dimiſſi, Germaniam, Galliamque linquentes, Longobardiam primùm ineunt; ceteris Populis Regis ſui mandatum ediſſerunt, ſpemque faventibus, metum autem & minas grave adverſantibus pollicentur. Unde Plebs omnis Italiæ, quæ novis ſemper trahi Ducibus quærit, lege fatorum alterna venientem Cæſarem jam manifeſtis optabat applauſibus. Contra qui tyrannicis illam preſſuris angebant, dolentes multùm ſedis ſuæ præcipitium metuebant. Venerunt quoque Legati nobiles noſtram ad uſque Patriam, quam tunc à Patavis longè retro depreſſam antea memoravimus; vidimuſque illos, nondum facti puberes, in Senatu & coram Populo Legationis ſuæ modum exponere. Quamobrem omnes turbæ gaudio valde magno exultantes juſti Regis adventum præſtolari viſæ ſunt metu depoſito; ſemper enim vulgus novis trahi fatis exultat. Sic etiam Patavis ipſis indicatum eſt. Ut igitur apud omnes Italos, certa Legatorum Romani Principis oratione, ſonus exiit, ceteri tyrannidem exercentes metu magno depreſſi ſunt, multùmque pro capiendis ſæpe conſiliis agitantur, ſed potiſſimùm ſuperioris Lombardiæ Duces, quibus primus Cæſaris impetus imminebat. Cùmque rurſus Guido Turrianus fidem eorum pro vitandis ſui Regni periculis intentaſſet, negavit illi Philipponus ſe complicem fieri, proteſtatus, Cæſarem benignum, gratumque ſibi ſuſcipiendum prorſus eſſe. Idem quoque Simon, & Albertus ediſſerunt. Solus Antonius Guidonis metu ſperabat; neque enim iis, benevolentiam quamquam animo fingerent, ſincera cordis dilectio fuit, nam tacita rancoris labe, velut multùm potentibus aſſolet, præcipitium mutua vice flagrabant. Guido autem iracundia vexatus ſociorum inconſtantiam increpat, quòdque major in locupletiori Aula caſus inſtabat, graviori ſolicitudine torquebatur. Unde Cremonenſes ad opus invitat; ſed Populi fidem veritus inanem, Maphæum Brixiæ Præfectum de fide ſolicitat. Idem quoque Albuino, Paſſarinoque, & Guiberto indicat, qui nequaquam illum benignè foventes, eo quòd ſub alternis vexarentur odiis, Guidoni ſe complices fieri negaverunt. Unde itidem graviter turbatus in ſpiritu, ſe ipſum negligens, horum ſedes prorſus lapſuras poſt ſe conſolatus agnovit. Deſtinat igitur Cæſarem benignè ſuſcipere, non veritus ceteris Longobardis apud illum potentia opibuſve præcedere. Sic & ceteri jucunda ſpe ducti gratiores fieri non dubitant, & quiſque, ut ſtet, cadentemque alterum ut videat, curis ſolicitis angitur. O quanta eſt Tyrannorum perfidia! quanta Potentum veſana cupiditas! quibus nulla fides, nulla ſtabilitas, nullus benevolentiæ locus eſt; qui ut præſint ceteris, atque imperent, neminem diligunt, aut juſtè fovent, ſolis cædibus aut rapinis intenti. Sed diuturnus eis labor, nec ſtatus perpetuus, donec judicio divino confringuntur.

Dum hæc apud Longobardos anxiis ſolicitudinibus agitantur, Cæſar memoratus iter accelerans, Proceres omnes Germaniæ Duces ad ſe vocat, ut parent equos, & arma, Regemque ſuum ſequantur Auguſtum imperat. Priuſquam tamen conſummarentur juſſa Regis, hæc inter ceteras animo cura potiſſima viſa eſt. Nam apud illum manens Hainricus Tirolis Comes, & Carinthiæ Dux cum nobilibus Bohemiæ, eo quòd ab illis è Regno ſuo ſe violenter expulſum querebatur, controverſiam ſtudioſus agebat, poſcebatque ab Auguſto, quatenus ſe debitam reſtauraret ad ſedem. Ex adverſo autem reponebatur, Hainricum Regis titulum poſuiſſe cum Regno; nam licèt idem Othocari Primogenitam legitimè duxerit, defunctam quippe marito Regni decus abſtuliſſe, idque deberi germanæ ſuperſtiti jure profeſſi ſunt. Hæc cauſa Peritorum facundiâ ſæpe & multùm coram Auguſto ventilata (nequaquam enim de Regno paupere certabatur) dubiis legum pendebat judiciis. Nam ritè primogenitam fuiſſe Reginam, & ab ea conjugem Regem, vix dubium emergebat. Unde Cæſar rem tantam ſobriè diſcutiendam protrahere ratus eſt, donec eadem limpidè juris nodo relapſa apud viros graves patebit, aut Procerum interventu bonorum lege pactionis terminabitur. At moleſtè tulit Henricus fato moram adjici, ne ſpes ſua dudum protelata ſterilis fieret; ſæpe enim fit ut quod ardentiùs peroptamus, ſeriùs aut raro capiamus, hujuſque præſaga mens eſt, quotiens ſpem timoris anxietas occupat. Hæc inter Auguſtus ſoceri hortatu ductus pro deſponſanda Regina Bohemiæ, quæ poſt obitum germanæ nubilis annos tum decem & ſeptem impleverat, primogenito ſuo Johanni Bertoldum virginis avunculum, eo quòd illi cura Regni omnis inſtabat, ſecretò allicit, oratque, quatenus cum Duce Carinthiæ de concordia paciſcatur, ſinatque illum Bohemos regere, & conjugis ſororem viro jungere, ut inde tollatur omnis zizaniæ controverſia. Hæc illi reddidit flammatus ira Bertoldus: nequaquam ſe cum Tirolis Comite pacem agere poſſe, malleque neptem ſuam Cæſari commendare, curamque illi ſui connubii mittere, quo Regnum accipiat. Pactus eſt igitur cum eo virginem primogenito ſuo Johanni nuptialibus votis tradere, id exhortante Amadeo Sabaudiæ Comite. At non ideo confeſtim Cæſar fato prolapſus annuit; ſed ſobriè peragenda quæque diſcutiens, Tirolis Comitem accerſiri juſſit, utque ille rem arduam modeſtè ferat, hortatur, velitque ſuper ea bonorum arbitrio virorum amicè decidi. Quibus ipſe placatus Cæſari vices ſuas liberaliter tradidit. Cæſar autem arbitrium Brabantiæ Duci, Comitique Sabaudiæ commendavit, qui cum Bertoldo priùs de ſponſalibus neptis ſuæ paciſcentes, rem Carinthiæ Duci ſecretè aperiunt, utque patiatur controverſiam tolli, ſeque Regno privatum exui, precibus pollicitis quàm multis hortantur. Ille verò cùm moleſtus ex hoc dudum fieret, denique mitibus verbis, ſpeque retributionis magna convictus liti ceſſit, & virginem Bohemiæ Reginam primogenito Cæſaris Johanni copulari non adverſatus eſt. Unde Germanorum de more Principum,

pum, Reginæ vir Rex appellatur, & ſceptrum accepit. Sed hic quamquam minor annis ferme ſexdecim, patrio tamen ſpiritu roboratus viriliter geſſit, dejectiſque craſſantium faſtibus, juſtitia ſplendidus, & prudentia doctus, probitate magna, animique virtute inter Europæ fines clarus habetur.

His itaque perfectis cùm Cæſar ſuis rebus intentus vota Principum, eorumque, qui ex Italia profugi metu Tyrannorum exulare cogebantur, nimiùm protelaret, paratis ad iter turbis, Idibus Novembris Dominicæ Nativitatis anno treceteſimo decimo & milleſimo civitatem Lauſanæ feliciter egreſſus eſt, primùm juga Gallica ſuperans, Sanſiam tranſiens, denique apud Lacum, quem vulgò Imbriam vocant, & in devexo colle Ligures deſpicit, celer applicat. Ubi dies ſex pro manendis ſequentum turbis ſobriè moratus, Præfecto vice Regia Nicolao Senenſi, qui ob invidiam dudum è Patria ſua ejectus violenter, ad Cæſarem jam pervenerat, moderamen commendat. Appulerant quoque Legati Piſanorum, Regem ſuum magnificè proſequentes. Inde ſe transferens in extremum limitem Longobardorum finium, qua Gallia non procul dirimitur, citus advênit. Hinc Senones, Cimbrique quondam Romam furialiter invaſerunt, & Aſte relicto Taurinum invadit. Ibi propter loci commoditatem, eo quòd juxta Leviri fines tutus, Liguribuſque proximus foret, dies multos moratus eſt, ad quem multorum alæ nobilium Italorum confluentes, ſpe boni ſuſpenſum adhuc Cæſarem, quid denuo ageret, mitibus verbis hortantur, utque prorſus Italiam appetat, conformeſque urbes Tyrannis oppreſſas libertati reſtituat ſupplices poſtulant. E quibus Maphæus Mediolanenſis Vicecomes, vir magnæ induſtriæ, eo quòd Annis octo Turrianorum mole depreſſus exilium pateretur indignè, ingentes Cæſari conatus addit. Vênit quoque Philipponus Papienſis cum magna equitum caterva, ſe gratum Cæſari exhibens, ut inde retro mercedem libertatis accipiat. Obizzonus de Spinulis Januenſis exul, reditum ſperans in Patriam, quibus potuit comitatus acceſſit. Multi etiam è Thuſciæ partibus, Æmiliiſque finibus votis paribus confluxere, quorum nomina in ſeriem poſſe dirigi negat vocabulorum ignota confuſio.

Refert nunc, ut ſequentes Cæſarem Barones, quibus majoris præeminentiæ fama claruit, nuncupemus. Amadeus quidem Sabaudiæ Comes, Auguſto gratiſſimus, eo quòd idem vir probus & nobilis, conjugiſque ſuæ ſororem duxiſſet, habebatur; ſed eo mage gratior Balduinus Archiepiſcopus Treverenſis, Gualcranus quoque miles ſtrenuus, Cæſaris utrique germani. Theobaldus etiam de Barei Leodienſis Epiſcopus, illi prima conſanguinitatis agnatione conjunctus, qui Cæſarem ſummi zelo fervoris complectentes, & ſponte comitati, nullis illum fortunæ tumultibus relictum deſerunt. Reliqui verò debitis fidelitatis obſequiis, aut ſtipendiorum mercede conducti ſocii ſe laboribus addiderunt; è quibus Guido, Hugoque, Delphini Viennæ nuncupati, quatuor centum equites conduxerunt. Philippus de Sabaudia Lacedæmoniæ Princeps centum; Rodulphus Brabantiæ Dux trecentos; Guido Namurcenſis Comes centum; Lipoldus verò Dux Auſtriæ vir impetuoſus & audax quingentos, eo quòd ille cum fratribus à Cæſare gratuitum beneficentiæ munus conſortis ſui Johannis proſcriptione ſuſceperant; Johannes Fredus Comes de Ligna centum; Henricus verò

A Flandrenſis, quos potuit trans Rhenum ſtipendiis magnis adduxit: ideoque militiæ hujus a Cæſare Princeps effectus eſt. Venerunt quoque in ſubſidium viri multi Religione verendi, quos inter Epiſcopus Gebennenſis, Conſtantienſis, & Baſilienſis, Abbas de Guitemborch, & reliqui, quorum numerus me latet, magnis armatorum catervis ducti ſunt. Ex omnibus igitur in gregem collectis quinque millium capita virorum Cæſarem habuiſſe deprehenſum eſt. Poſtea verò quàm turbas ad ſe confluentes aſpexit, revocato Nicolao de Bonſegnoribus Senenſi, quem apud Imbriam præfecerat, iter citus ingreditur, & per dietas VII. Auguſtam, Vercellas perveniens Novariam appulit, ubi priuſquam acce-

B deret, Simon de Colubiano, qui Vercellas dudum privatè tenuerat, ſuſceptis exulibus, Regi paruit. Idem quoque Novarienſes fecerunt Optimates. Guido verò Turrianus Mediolani detentor, ut Cæſarem tam citò adventantem accepit, cùm nequaquam fideret viribus illi reſiſtere, Legatos ſuos inde direxit, & Auguſto quam diu poſſederat, moleſte Patriam pollicetur invitus. Tum ipſe Guido memoratus, agnatos omnes nobilibus pannorum velamentis fultos, phaleriſque decori obtectos ſecum trahens, obviam procul exivit, equoque prolabens, genu flexo Cæſarem verenter excipit; Patriam quoque pulchram opibus, viriſque repletam, & ſua quæque contribuit. Cæſar verò illum vultu ſe-

C reno ſuſcipiens, lateri ſuo comitem ſedere compulit; deinde fide data, acceptaque rerum, Piſanorum alas, quæ ſequebantur Auguſtum, Mediolanum adire juſſit, Aymericumque Flandrenſem militiæ Regiæ Præfectum, qui locum occupet, poſtea dimiſit. Sequenti verò diluculo ipſe concomitantibus Procerum turbis, & Guidone, urbem, quæ apud Ligures altera Roma perhibetur, Populi magnis exceptus applauſibus, lætus ingreditur. Hoc XI. Kal. Januarii Anno ſui Regni ſecundo fuiſſe comperimus. Hic Atrii Pontificalis locum ſibi Sedem elegit; erat quippe latum, & tectis magnificis decoratum. Priuſquam tamen ingreſſus pateret, exules omnes, qui ob partiales diſcordias ejecti fuerant, re-

D ſtaurari juſſit ſecumque Caſtonum de la Turre Epiſcopum Mediolanenſem, qui propter Guidonis ſævitiam exulabat, & Maphæum Vicecomitem, id non ignorante Guidone, in Patriam duxit, poſt quem illico ceteros ſibi complices revocavit. Poſitus itaque Cæſar apud Templum Cathedrale, quietemque ibi agens, non ideo torpore deſes effectus eſt, ſed animum ſobriis curis jugiter exercens ſolicitè ferebatur. Cùmque dies Orbi veneranda, qua Deus & Homo natus ex Virginis utero prodiit, paucis diebus inſtaret, de more Principum gentes ſuas pavit egregiè, illoque Proceres Longobardorum, qui multi jam ad Cæſarem ſupplices venerant, diſcubuere. Interfuit etiam Guido memoratus, &

E alter ab exilio revocatus Maphæus, quos depoſitis animorum odiis invicem blandis verbis conciliare parabat. At Guido trux, quatenus apud Auguſtum mage præeſſet, theſauris apertis magnifica illi dona contribuit; præterea Collaterales ejus, Sabaudiæ Comitem, & Nicolaum Senenſem auro pollicitiſque muneribus ſibi valde benignos effecerat. Gualcranus autem Regis frater utrumque pari vice fovebat; non enim ille avaritiam, ſed in decorem germani juſtitiam ſequebatur.

Hæc inter ceteri Longobardorum Duces jam Cæſarem votis pronis adiverant, aut adire paraverant; exierat nempe ab eo jam edictum, dum

A dum adhuc Novariam coleret, ut ceteri fidelium Legati tertio Nonas Januarii apud Mediolanum convenirent, qui ſumturum Cæſarem Diadematis ferrei decus aſpiciant. Nec in his ſegnior viſus eſt Antonius Laudis Præfectus, nam Guidoni tenax animo, eodem Cæſari ſe modò tradit. Albertus quoque Scottus per Legatos Placentiam exhibet; nondum enim res, quibus Auguſtum decorare parat, ſedulus diſpendio moræ conflaverat. Guibertus quoque de Corrigia Legatos eò direxit, Parmamque deſpondet. Idem etiam Paſſatinus, Albuinuſque faciunt. Maphæus verò Brixiæ Præfectus præſentialiter adiit; noverat enim capitalem hoſtem ſuum Thebaldum de Bruxatis Cæſari familiarem eſſe, B adeò ut dignaretur illi per fœdus Baptiſmatis obſequii populariter inſeri. Fridericus etiam Cojonus, & Albertus Soardus Bergomenſium Optimates Patriam ſuam tradunt. Cumas Epiſcopus Præfecti germanus, qui uſque Germaniam Cæſari Legatos dimiſit; Franciſcus verò de la Mirandola, eo quòd Imperii calore flagrabat, Mutinam; Guido Savina Rhegium: quas urbes è jugo trucis Azzonis Populi virtus recenti gladio liberaverat. Cremonenſes autem, eo quòd illa civitas Populi multitudine circumſpecta diſparibus animorum votis agebatur, noviſſimi Cæſarem adeunt, primique tumultum rebelles ſuſcitant; denique tamen metu potiùs quàm benignitate promoti, Legatos eò dirigunt, C quorum præſtantior, populoque gratior, Supramons Amatus, vir prudens & magnificus, Cæſari Patriam ſpondet. Reliquæ verò urbes juxta Venetiam poſitæ ſub Patavo potenti inter tot tantoſque motus fatorum manebant prædeſtinatum eventum. At Fæſulani, Æmilique, quibus Bononia, Florentiave urbes maximæ præ ceteris inſeruntur, nulla Cæſarem vereri ſuggeſtione dignati ſunt; ideoque magis illi clandeſtinè tacitis inſidiis adverſantes rebellarunt. Exules verò, qui ab ipſis ſuæ dulcis Patriæ finibus ob partiales æmulorum rancores dudum abſentaverant, ad Auguſtum ſpe magna ſe corripiunt. E quibus Brancaleo de Andalojo, Paganus de Panico, Thadæus de Ubertis, Lappus D Farinata, Simon Philippi ex vetuſta proſapia oriundi, multis illum precibus onerabant. Hos Cæſar, reliquoſque, quibus egregia morum diſcretio reverendis geſtibus nobilitatis ſigna manifeſta palàm oſtendebat, nullo partium neſandarum amore ductus, juſtis animi cultibus refovebat. Nec quidem, ut ajunt, quiſquam eo juſtior, clementiorve, aut prudentia major inter Germanorum Ducum apices tunc inventus eſt; qui ſi perfidiam Italorum inexpertus agnoviſſet, doloſque vitaſſet, meritò labentes Imperii partes, depreſſoſque tyrannide Populos in ſalubrem ſtationis libertatem reformaſſet. At credulus, benignus, illos obſequiis refovens, in laqueum eorum vix improvisè cecidit. Igitur acE ceptis in ſe urbibus memoratis, eorumque Ducibus, per ſingulas idem Auguſtus viros egregios, qui pro Regia Majeſtate illis præſint, accuratè legavit, voluitque ut omnia priſtinæ libertati reſtaurentur, ceterique, quo odium, aut partialis invidia è patriis laribus violenter ejecerat, penates ſuos exilio ſublato repetant. Dimiſſus quippe apud Mutinam Lappus Farinata Fæſulanorum exulum vir clariſſimus, Veronam Johannes Zeno de Piſis, Brixiam Albertus de Roviglione, apud verò Cremonam Johannes de Caſtilione Lucenſis exul Præſes aſſuit vice Regia. Cum quibus & exules multi in ſedes ſuas revocati mœnia Patria ſubierunt. Ex Mantuanis primi Saracinus, & Bertonus nati Banglini de proſapia Bonacolſorum, Corteſia Comes de Caſaledo, Veneticuſque de Gaſaris, viri ſtrenui, & pleri que tam populares, quam plebeji. Multi etiam apud Cæſarem metu capitalium inimicorum, donec idem tumentes adhuc animorum rancores compoſitionis lege placaverit, permanſerunt, è quibus Vinciguerra Comes Veronenſis, vir magnæ indolis, Patriæ exilio longævo transfuga, metu Procerum de la Scala, qui diu Patriam illam dudum tenuerant, nequaquam eò proficiſci auſus eſt. Idem Manfredo de Beccaria Papienſi, & Guilielmo de Rubeis Parmenſi tutius viſum eſt. Thebaldus quoque de Bruxadis Brixienſis exul Cæſaris fiduciam expectabat; B verùm ille recenter ejectus majores ſpiritus, quòd complices multos haberet, auſu magno ſumſerat. Quem, licèt Maphæo viri hujus ſcelus experto reſtaurandum nequaquam fore videretur, Cæſar tamen quemquam juſtè fovens, in Patriam ſuam reſtitui prorſus voluit. Nec minùs Marchio Palavicinus, quique propter lapſum agnati ſui Boſonis de Dovaria ejecti fuerant, Cremonam invitis Optimatibus adierunt. Idem etiam exules Mantuani, repugnante Paſſarino, ſortiti ſunt.

Dum hæc illic geruntur, ſuſcepto quoque Modoetiæ diademate ferreo in Epiphaniæ Feſto, aſſiſtentibus Procerum turbis, Caſtonoque Mediolani Præſule, Cæſar reformatis Italiæ partiC bus ad Urbem citus deſtinat maturare progreſſum. Sed longè votis ſuis concepta ſpes abfuit; nam Guido memoratus, ceterique, quibus violentæ tyrannidis Regna fuerant juſtè ſublata, in Regem ſuum dolos clandeſtinè fabricant; indignabantur enim ſubeſſe, qui aliis conſueverant imperare. Quamobrem Guido præfatus, ne Cæſari, quem odio habebat, aſſiduis in Aula Regia blandiri cogeretur obſequiis, ægrum ſe ſimulat. Nati autem ejus Simon, & Franciſcus Regem comitabantur prodeuntem. At verſutus Maphæus Vicecomes, Guidonis potentiam veritus, ne ſi fortè Cæſare abeunte illi moderamen attingat, neſas animo concipit abhorrendum. Dolebat quippe, hoſtem capitalem Cæſari graD tum eſſe, nullumque illi perfidiæ ſcelus, quo Majeſtatis læſæ reus criminaretur, contigiſſe. Unde properè ad illum clam ſe conſerens, ſubmotis arbitris, infit illi, ſalubrem morbi cauſam, modò velit, ſe daturum. Admiratus autem Guido, cur ille tum improviſus advenerit, non hunc ſibi Medicum, ſed Deum eſſe reſpondit. At ille, *Scio, te*, inquit, *ea, de qua & ego premor, animi ægritudine laborare; quòd ſi placet fidem fide ſervare, meque tecum in Patria degere, Cæſarem vi doliſque ſuperabimus; nec deerit Regni promiſſa fiducia.* Guido autem vir prudens ſatìs, nequaquam in Dominum ſuum de perfidia ſe cogitaſſe reddidit. Adjurans ille fidei teſtem juſjurandum adhibuit, non fraudes E inſerere. His laboſactata Guidonis conſtantia Maphæo cordis ſui ſecretum temerè aperuit, ſeque illi complicem ad patrandum ſcelus conceptum non fictus promiſſor exhibuit. Denique ſocietati mutua ſuggeſtione pollicitæ per juſjurandum fidei robur annectunt. Diſceſſit itaque Maphæus voti ſui compos, natumque ejus Galeatium natis Guidonis ſodalitio amore conjunxit, ut inde facinus impetuoſis juvenum caloribus abſque moræ diſpendio patrari poſſet. Ignarus verò Cæſar futurorum, blandam adoleſcentium familiaritatem collaudans, illos parentum faſtus, rancoreſque ſævos poſuiſſe gratatur. Guido autem, cujus animus ſemper anxia ſolicitudine

A dine torquebatur, putans hoſtem cum hoſte
confringere, illico Antonium Laudenſem per
nuntium ſecretum adſciſcit, illique pollicitum
Maphæo fœdus aperuit. Increpat ille Guidonis
ignaviam, cur hoſti credat; Guido verò, ſe mi-
nimè arbitrari Maphæum dolos inſerere, cùm
prior ipſe ſpoponderit, fidemq; juriſjurandi vin-
culo ſervandam irretiverit; præterea poſt eje-
ctum Cæſarem, illum quoque necandum fore,
aut proſcriptione damnandum. His vecors An-
tonius amicè ductus, metuens fidei gravitatem
offendere, quamquam invitus, annuit, multoſ-
que fautores ſedulus quæſitor invênit, è quibus
primi Simon Vercellinus, Albertus Scottus, Phi-
lipponus Papienſis ſceleris perſecutores, pleri-
B que etiam, quorum vocabula me larent, com-
plices ſe dedere. Rurſum igitur Maphæus ad
Guidonem rediens perficiendæ rei modum in-
quirit. Viſumque ſatius utrique eſt, ut tumultu
per Turrianos excitato ceteri hujus conſcii illò
ſe referant, utque omnes in Cæſaris gentem
ruant. Galeatius verò Regis armatos, qui in
ſuburbanis locis manebant, valvis objuctis ex-
cludat, neminemque inde ſinat forum appetere
Sic denique Cæſarem facilè ſuperandum Ma-
phæus proteſtatus eſt. Hoc illi valdè pla uit,
nec Guidoni tunc mentis obtuſæ moleſtum exti-
tit; fruſtra etenim fatis obſiſtitur, quotiens lap-
ſurum è ſummo exigunt; nam inter ſecreta Di-
vinæ Sapientiæ humanum deſipit ingenium, pre-
C miturque idem fuſca caligine. Quis ergo viri
hujus perfidiam abneget? quis deteſtabile cri-
men, & abhorrendum nefas? Qui hoſtem erra-
re dolis impulit, perſuaſitque fidem fallere ſub
alternæ fidei velamento? Piget me conſcribere
rem dolis armatam; ſed neceſſe eſt prorſus id
fieri, ut in ſeriem iſtinc procedat Hiſtoria.
Adventante ergo luce præfixa, quo tumultus
fieri debuit, noctu Maphæus Cæſarem adiit, il-
lique Guidonis conceptum ſcelus expoſuit. Cæ-
ſar verò ſtupens, dolenſve pariter, quòd vir
tantus in erroris labem temerè fluxerit, priuſ-
quam lux fieret, ne improviſus corruat, Sabau-
diæ Comitem acciri juſſit, illique rem aperit,
permiſitque, ut quid agendum videretur, ipſe
D perficiat. Repente Comes providus rem ſibi ex-
pediendam aſſumens, Cæſaris metum ipſe leva-
vit, diſceſſitque, & Henricum Flandrenſem ex-
citans, mercenarios equites clam parari juſſit.
Deinde mane facto cùm Simon Guidonis natus
in vico, ubi Turrianorum ædes inſiſtunt proſa-
piæ ſuæ conſortes, præmediatique ſceleris fau-
tores in cœtum congregari faceret, ut inde ar-
mis furentes forum invaderent, præoccupans lo-
cum Comes ſtrenuus ſequentes manipulos in glo-
bum traxit. Quod poſteaquam Simoni nuntia-
tum eſt, nondum diffidens, ſi Galeatius promiſ-
ſa ſervaverit, rem incœptam expeditiùs niteba-
tur perficere; nondumque congregatis ſuorum
E turmis audacter in hos, qui à Comite miſſi ex-
plorandi causâ fuerant, ferox irrupit, multiſ-
que ſauciis in ſuos retro viriliter impulit. Hen-
ricus verò prodire niſus, majores ſecum copias
trahens, eò ubi Turrianorum alæ frequentabant,
celer appulit, quem Simon audax, cùm jam dif-
ferendum ulteriùs non eſſet, improviſè occupat.
Tum res gladiis geritur, multumque cruoris vi-
cibus alternis per vulnerum crebros ictus effun-
ditur, multique peremti jaculis miſſilibus, quæ
famulorum manus è ſpeculis ſummis ædium di-
mittebant. Hæc inter Galeatius voti ſui com-
pos, Regis gentem, quam excluſurum ſe polli-
citus fuerat, anxio curſu inquietus admiſit, il-
lamque uſque ad Turrianorum ædes palàm diri-

gens, in forum vênit. Guido autem in circuitu
ſui atrii cum multis latens, equo ſublimi pro-
vectus exivit, cùmque dimicantes procul aſpi-
ceret, relatum eſt ei, Galeatium ſub vexillo
Regis juxta forum adeſſe. Illico ſtupens Guido
jam detectam Maphæi perfidiam increpat, &
apud ſui generis propagines hujuſce temeritatis
ſe ignarum diſſimulans, protervus inclamat, ut-
que arma ponentes bello cedant minis incertis
edicit. Illi verò flagrantis adoleſcentiæ ducti
verecundia, ne victi metu cedere dicantur, ma-
jori hoſtibus impetu reſiſtebant, donec adve-
niens probus Comes, id ſuggerente Galeatio,
Guidoni viſo proclamavit: cur tantus fieret tu-
multus armorum in Patria. His Guido magis
ſe anxium oſtendens, in ſuos inermis irrupit, il-
loſque verbis rigidis, verberibuſque cædens, re-
tro abire coërcuit. Sed cùm in ædes ſuas re-
verti properaret, jam illas, ſupportabilia quæ-
que diripientes, Germanorum Latinorumque
turbæ feſtinis incurſibus occupârant; & has qui-
dem illorſum Galeatius ſævus impulerat. Tunc
Guido proditum ſe videns, aſſumtis his, quibus
cura animi propenſior imminebat, in fugam
converſus abiit; nec valuit quicquam Comitis
exhortantis clamor, ut reditum ſumeret; deſpe-
ravit enim benignum ſibi Cæſarem fieri poſſe.
At non ultra hinc illum, Comite id prohiben-
te, ſecutæ ſunt Regis alæ; nam ut prædiximus,
huic gratus, benignuſque fuerat. Præterea nec
dum præmeditati ſceleris modum intellexerat.
Ejecto igitur Guidone cum turba magna, con-
feſtim Duce Galeatio Comes ad Turrianorum
ædes acceſſit, quas latronum de more turba
jam multa rapinis intenta violenter invaſerat;
parabatque ſuppellectilem omnem in ſarcinam
deductam abſtrahere: Nec quidem frumenta,
aut res eſu aptas, ſed vaſa pretioſa, thoroſque
pictos, & aulæa conflaverant; nonnullæ etiam
mulieres ornatus veſteſque, & . . . . amictus
ex humeris fugientium detraxere. Obſcœna qui-
dem, & intolerabilis depopulatorum, quæ ſæ-
vitia, quæ fœmineo ſexui non parcit, nec ætati.
Hæc vir probus ſiniſtrum Guidonis caſum inge-
miſcens deferri prohibuit, cuſtodeſque fidos re-
bus imponit; utque mulieribus vis nulla infera-
tur, nullumque cum eis adſit conſortium, mi-
tis imperat. Hinc retrocedens ad Cæſarem ſe
proripuit, quem jam thoro erectum, & curis
nutantem invenit; ſuberat enim hac animi preſ-
ſura validior, quòd vir magnus & potens, ſpe
cujus alios Lombardiæ Proceres benevolentia
complecti putabat, ſic temerè aberraſſet. Vo-
catis itaque ad ſe Principibus, quorum conſilio
fretus peragenda factitabat, quid in Guidonem
denuo moliendum ſit, ſobrius Conſultor inqui-
rit. Ad hæc illis judicia diverſa; conſentibus
poſtremò, hunc Majeſtatis læſæ reum eſſe de-
cernitur. Nec deſtitit his Maphæus ſedulus ex-
hortationis obſequium præbere. Tunc Guido
vocatus per vicos Patriæ, quatenus infra diem
coram Regia Majeſtate proveniat, objecti ſce-
leris crimen liniturus, in contumacia pertinax
factus eſt, unde Auguſta cenſura damnatus re-
bus omnibus ſpoliatur, Fiſco namque Regio ap-
plicata ſunt vaſa aurea, ornamentaque pretio-
ſa. Ceteri verò ſuppellectilem omnem, velut
quiſque potentior fuit, prædonum more diri-
piunt. Poſt hæc ædes labore magno conſtructas
igne ferrove ſolo proſternunt. Quamobrem Gui-
do ab extremis Patriæ finibus, ubi juxta Pa-
gum, qui . . . . . nuncupatur, clam latuerat,
repentè ſe conferens Cremonam adiit, ibi co-
miter ſuſceptus (nam & hæc civitas Regni jam

inobediens effecta Præſidem ſuum abire compulerat) apud Marchiones de Cavalcabobus hoſpitalitatis benefitio potitus eſt.

Eadem die, qua Guido repulſus abſceſſit, Antonius Laudenſis de ſe metuens, Regem abnegat. Expulſis igitur utrinque Regiis Prætoribus, hiſque, qui ab exilio revocati fuerant, hi talibus aures Auguſtas novis percutiunt. Nec multum poſt hoc Brixienſes in diſſidium excitati, id ſuggerente Theobaldo de Bruxatis, Maphæum de Mazis, treſque ſecum ex compartialibus Optimates captivos apprehendunt, pulſoque Alberto Prætore ſuo, Regi parère indignantur. His gravius Rex offenſus majori curarum anxietate torquetur, quidve agendum ſit denuo hæſitat. Philipponus verò Papienſis, & Albertus Scottus nulla rebellionis ſigna facientes, apud patrios lares nullis adverſantibus quietè manebant. Cæſar itaque tot inter rerum anfractus quid potiùs eligat ignarus, commilitones majores aſciſcit, remque illis totam ediſſerens (nam & illos jam clara ſama docuerat) qua nunc agendum apud Longobardos ſit verſutia, dubius conſultor inquirit. Ad hæc vir magnanimus Sabaudiæ Comes verbis nequaquam decertandum fore, ſed experiendum, quid Germania, Galliave poſſit in Ligurem infidum, cui nec major virtus innata; nec clementem in hunc Regem dolis manifeſtis ignoſcere, ſed ignibus ſerrove omnia depopulaturum, & proſcriptiones, exilia, & mortes daturum eſſe; ſeque non omnibus benignum, ſed trucem inhumanumque vultum oſtendere. Sic enim Fridericum retro Longobardorum perfidiam expertum egiſſe retulit. Hoc pæne omnibus utile conſilium viſum eſt. Sed Pontifex verendus Germanus Cæſarem mitem ſerumque per vices alternas fieri juxta rerum formas perſuaſit, gladioque interdum, ſed aſtu ſæpe cum Liguribus, Æmiliiſque pugnandum; nec decere Principem injuſtitia uti, ſi, quæ pariter utraque hominis virtute laborandum. Extemplo Cæſar, Senatu dimiſſo, Valetanum fratrem ejus Brixiam dimittit qui perſcrutatus diſſidii cauſam, Thebaldum, ſuoſque complices ad Regiam fidelitatem revocet, Patriamque illam tumultibus fluctuantem inquiete confirmet. Procedens ille juſſu Regio, quingentos armatorum ſocios ſecum duxit; cùmque tandem ad Vicum, quem Ureios appellant, ventum eſſet, præmiſſis ab eo Legatis uſque Brixiam retro ſuſcepit: non ultra adeundum perficiendi ſpe voti, ſed edendum eſſe quid velit. Ille verò introitum Urbis appetens repulſa privatur. Tunc ad colloquium ex Optimatibus plures vocat, Thebaldum præcipuè, quoſque Patriæ ſuæ primos ſciebat. Venerunt ergo ex Plebe media quatuor ſatis diſcreti, cum quibus dum quod optaret perficere non daretur, factum eſt tamen ut captivos redimeret, ſecumque uſque Mediolanum adduceret. Suberat & altera ſchiſmatis cauſa, quæ Mantos ex urbe proceſſit; nam Paſſarinus, fraterque Butironus, qui poſt defunctum Botteſellam annis ferme tribus Principatum moleſtè tenuerant, ſucceſſo eis Lappo Farinata vice Regia, adductiſque in Patriam exulibus, quos memorati fratres ſui Patris longum exulare coegerant, quod illi ſecum civiliter degerent, moleſte ferebant; nec minùs illis, quamquam ignoſcere ſimulaſſent, capitales hoſtes exoſi præcipitium illorum ſitiebant. Accidit nempe, ut dum alter alteri clanculum dolos vimque molíretur, ſubitò fieret tumultus in Populo. Hunc enim Paſſarinus ſuſcitandum vir aſtutus, ignaro auctore, ſtatuerat; ſed ficta vox apud Vulgi querelas inſonuit, relegatos in Patriam arma ſumere. Confeſtim igitur pars utramque ſumtis armis in globum hinc inde conflatur. Hi Plebis multæ auxilio fulti, eo quòd in Populo nihil atrox exercuiſſent, exilio priſco miſerabiles invadunt, mercenariorum quoque ſtipendia quærentium, quos dudum ſanguine plebejo ſoverant, copiis magnis adjuti, Ferrarienſium præcipuè, quorum multæ poſt Azzonis obitum turbæ illuc confluxerant. Nec obſtitit Lappi reverentia Præſidis, quin Exulum manus violenter ejecta rurſus Penatibus ſuis cedere cogeretur; priuſquam tamen egrederentur, multi gladiis utrinque teliſque confoſſi ſunt.

Hæc ad Cæſarem delata aures ejus animumque vexabant; ſciſcitans ergo quis auctor diſſidii fuerit, acceptum eſt illi, Lappo indicante, Exules primùm arma ſumſiſſe: ſic enim ille à Paſſarino dictæ rei ignarus acceperat, nec deerat hujus rei perſuaſor, qui apud Regem militabat, Paſſarinumque dilectioni miro complecteretur ardore. Fuit hic Baylardinus Veronenſis, vir magnæ induſtriæ, pro Ducibus cognatiſque Albuino, & Cane Legatus ad Cæſarem, ne illi, qui ſemper, Patreique ſui decus Imperiale devotis venerati fuerant obſequiis, ſolito careant Regno ſupplicaturus. His aliiſque turbatus Cæſar, agendis ſemper intentus, quamquam vorantis ſolemnitas Carniſprivii præſto eſſet, non diſtulit tantis rebus intendere. Pulſabant nempe illum hinc Exules Thuſci, Longobardique, quòd ſpes eorum jam mora langueret. Hinc reformandarum decoquens ardor Italiæ Urbium, ad quas animi curas omnes verterat. Inſtabat quoque multum ſuperque Diadematis ſuſcipiendi cauſa, ut iter ad Urbem maturis acceleraret progreſſibus. Subierat & altera penſi materies, quam ſtipendia petentes pro lapſi mercede temporis tumultuoſis queſtibus moverant, pro quibus repentè ſedandis Cæſar pecunia carens (valde enim metuebat tumultum fieri) Maphæum ad ſe vocat, pleroſque etiam ex Optimatibus, qui jam Maphæo poſt lapſum inviſi Guidonis ſtudiis certis adhæſerant; edixitque ut è Patria ſua grandes æris acervos pro ſolvendis ſtipendiis creditia parent. Illi, ſed Maphæus præcipuè, avidi Regia juſſa perficere, ex omni Plebis Populique multitudine diſtributos theſauros acquirunt, Regique tradunt: ſic & querela mercenariorum modicum extincta quievit. Per hos dies Paſſarinus & frater Beraldum ex proſapia ſua ortum, qui Cæſari Mantuanorum Exulum ſcelus exponat, quive pro eis Mantuæ præſidatum auro pollicito nanciſcatur, accuratè dimittunt. Hic querelâ depoſitâ Regem jam tributis magnis intentum per interpellatores aſciſcit, ut ſi velit illi Patriæ ſuæ regimen tradere, magnum Fiſco Regio auri pondus ſe daturum ſpopondit; facilèque nactus eſt quod poſtulavit. Sed averſantes ſibi agnatos invênit; nam cùm Regiis ſuffultus edictis Patriam ingredi vellet, excluſus ab illis, inopinatum tulit perfidiæ ſuæ eventum. Hi verò, ne Rex pollicitis carem vexaretur, majores illi, conceſſo præſidatu, cenſus, id operante Bailardino memorato, contribuunt, factique ſunt Paſſarinus, & Butironus Mantuæ Præfecti vice Regia. Nec minùs Veronæ Duces egregii Albuinus & Canis Patriæ ſuæ moderamen, quam Genitor amborum Albertus, ipſique poſt illum multis retro temporibus privatè tenuerant, donis polliciti ſque magnis, Legato ſuo id factitante, jam non Tyranni, ſed Miniſtri Regii accipiunt. Tunc primùm Cæſar pretio corruptus perfidiſque ſuorum hortatibus faſces Magiſtratuſque omnes venum expoſuit. Tunc & Patavi nimium rebus ſecundis

elati

elati Legatos duos, non quòd Cæſari parêre auperent, ſed explorandi causâ, ne incautè pereant, ſtudioſè oirigunt. Fuere ii è Patribus Senatuque delecti Antonius de Vicoaggeris Judex, & Albertinus Muxatus, nondum Poëtæ titulo decoratus, qui Mediolanum profecti Sabaudiæ Comitem pro ſe patrocinari apud Cæſarem oravere. Hinc rem totam differentes, petitum eſt illis, ut ſcilicet legibus, moribuſque conſuetis vivere liceat, Prætores eligere, civitatique Vicentiæ Regio nutu imperare. Super hæc indulta ſcriptaque habuere. Quòd ſi Regias Patentes auro redimere voluiſſent, quàm facilè impetrare ab eo potuere. Sed non his quicquam à Patribus mandatum, præter inveſtigationis modum exequi. Cùm igitur hæc ſobriè pertractantes apud Curiam Regis diebus ferme XXX. morati, diſceſſum habuiſſent, in Patriam relati quæ dicta geſtaque in Senatu retulere. Decretum eſt itaque Cæſari nequaquam parendum, priuſquam hoc Papæ indicatum fuerit, veluti extiterat; nam urbem illam Eccleſiæ ſubnixam ajebant, nihilque civibus licere abſque noxæ periculo. Rurſus delecti quatuor Legati Avinionem profecturi, qui Apoſtolico rem exponant, ſciſcitenturque ejus arbitrium. Fuere hi Anſelmus, & Rolandus Guarnerinus ex Equeſtri Ordine, Barritus de Lingua Vaccæ, & Johannes de Vigontia ambo Juris peritiſſimi. Qui confeſtim iter captantes pro Patria hoc onus immenſum abſque moleſtia ſubiere.

Interea Vicentinorum Primates ſub Patavo annis ſex & quadraginta jugum mite perpeſſi, cùm jam libertatem vendicare cuperent, adventantis ſpe Cæſaris magna producti, inteſtina clam conſilia conjurationeſque multifariam metu ſoliciti peragebant; cùmque multum & ſæpe ob id conveniſſent, ſuſpenſis omnia judiciis pertractantes (nam valde his Patavorum formidoloſa erat potentia) ecce vir prudens, & facundus Sigonfredus Ganzera Cypro delatus Regis ſui mandata ferens ad Apoſtolicam Sedem properabat. Jamque Illyricos ventum erat in portus, cum Patavis exoſus per Vicentiæ fines, unde ortum traxerat, exilio damnatus injuſto, tranſitum facere metuebat; moleſtum quippe illi erat directos calles, relinquere; jucundum præterea ſuperque delectabile Patriam ſuam, qua luſtris ferme quatuor abſentaverat, in propria viſere. His jactatus genero ſuo Bugamanti de Prothis, quid cupiat, metuatve, ſcriptis indicat, qui properè ad ſocerum reſcripta dirigens, nullum illi metum incumbere, ſecurumque inde tranſitum patêre hortatus eſt. Sciebat nempe, illum intonſæ diu lanuginis velamento, canitieque deformem, inviſum quoque longi per tempus exilii, ipſis etiam civibus ignotum eſſe. Sic generi ſilus hortatu Paduam celer advenit, Gallicumque Idioma proferens, nativo depoſito, quærentibus nomen ejus ſubticuit, Legationis tamen ſuæ cauſam edidit. Inde procedens Nuntio ad Generum præmiſſo, apud Coloniam Quarteſſoli, quæ diſtat ab urbe Vicentina ter mille paſſibus, exeuntem illi obviam generum multis concomitantibus invênit, à quibus comiter exceptus, iter reſumens, per Patriam ſuam nullâ ſtationis morâ factâ tranſivit; ultraque progreſſi cives illum uſque ad extremos contigui ſoli fines comitati ſunt. Ac non in tanto viæ lapſu ſteriles illis ſermones fuere; de Patriæ namque libertate actitatum eſt, quove modo conatus optatum ſortiatur effectum, ille promtum avidumque ſe offerens, modò velint cives, clara voce deſpondet. Ad hæc quoque, Domini ſui negle- A cto mandato, Veronæ manſurum per triduum & ultra, donec illis ſuæ devotionis vota depromſerit. Tanta denique repatriandi dulcedo illum invaſerat, ut omnibus ſe periculis liberalem exponeret. Abiens vale dicto proceſſit: illi autem Vicentiam rediere. Tunc ii clandeſtina rurſus conſilia conjurationis reſumſerunt, ſolitoque frequentiùs. Sed hos tamen formido magna premebat; deſſueti enim virtute res agere, ſolis quæſtibus & rapinis intenti erant. Hæſitantibus verò illis, quomodo præmeditatum facinus aggrediantur (multi namque jam ſubtrahi cupiebant, propoſitoque deſiſtere) ſic infit vir audax Jacobus Verlatus, quem major perficiendi facinoris ob ſuſceptæ quamdam ultionis injuriam B vexabat impetus: *Non decet, ſocii, civeſque, rem tantam jam cœptam ſic in ſuſpenſo relinquere, noſque metu libertatem, quam nemo niſi prudens optavit, ignavè negligere. Dulce namque & jucundum eſt pro Patria mori; nec vos hujuſce rei jam inſontes credite; ſufficit enim ſemel conjuraſſe. Quòd ſi pœna vobis paratur debita, nihil proficit vota retrahere. Eia viriliter agamus; Deo fatiſque rem promiſſam proſequamur audacter. Si tantùm nos una deducet voluntas, doliſque carens fides illæſa, profectò quod venamur habebimus.* Hic omnes recti vires animumque ſumſere, placuitque nullo pavente cœpta peragere. Polliciti igitur per jusjurandum fidei robur non lædere, ſecreta ſuæ opinionis C conſcripta ſub arcanis ſigillorum preſſuris condita, per Nuntium fidelem expectanti Veronæ Legato properè dirigunt. Qui mentem civium ſuorum intelligens per indices literarum notas ad Cæſarem, neglecto Legationis officio, properavit. Jamque Cæſar poſt Laudis reſumtionem dolis habitam, Cremonam iracundia vexatus aggredi properabat, quam cùm Primates ejus, hortatu Guidonis de la Turre, Bononienſiumque, ac Fæſulanorum impulſibus, Regi ſubnixam in ſcelus revocaſſent, non ideo pertinaces cœpto manſere, diffidentes illam ab impetu Regio tutari poſſe. Sed hæc quatenus pateant in ſeriem deſcribenda ſunt.

Cæſar Mediolani ſedem adhuc tenens, Lon- D gobardorum verſutias deſtinat pari vice refellere, nec vi tantùm, ſed dolis interdum aſtuque cornua eorum moleſta confringere. Vexabat illum Antonii de Frixiratico, quam non putabat, conſtans perfidia; ſed eo magis poſt Thebaldum de Bruxadis ſcelus infandum Cremonenſium ignavia pertinax. Altera quoque ſuberat Diadematis in Urbe ſumendi cauſa, quæ Cæſarem à movendis bellorum arcebat induciis. Nam præfixam ſuæ coronationis metam in Feſto Aſſumtionis Beatæ Mariæ Virginis XVIII Kal. Septembris à Clemente Papa indicante Boſiolo Parmenſe Sedis Apoſtolicæ Nuntio, ſtatutam, acceperat. Quæ cùm vix præſto eſſet, quatenus Rex vocatus juſtè imperaret, donec Papa beni- E gnus reſpirabat, citum ad Urbem deſtinat maturare progreſſum. Sed longè nimiùm ſpes diſtat à votis; nam quod aſpernans negligebat, vitare non potuit. Sobrio igitur fretus conſilio Antonium memoratum, Philipponumque de Languſco, Guilielmum, & Ja obum de Cavalcabobus, ac Thebaldum Brixienſem cum ceteris ſuorum compl cibus ad colloquium maturius accerſit. Quò progreſſi Philipponus, Antoniuſque fiduciam erroris ſui proteſtati ſunt, ceteri de ſe metuentes acceſſum negavere. Rex itaque unum ex multis tantùm venatus, Antonio redeundi ſpe ſublata, illum minis arduis, ni Patria ſua Cæſari tradatur, ſe ſuppliciis affecturum

rum pollicetur. Coactuſque præter fidem Antonius civitatem Laudis Regi tradens, illam à ſuis excipi juſſit; potituſque ſic eſt Cæſar urbe memorata. Quod Guido Turrianus intelligens, lætatus multùm, jam Cremonenſium Proceres validioribus Cæſareæ perfidiæ argumentis ad rebellionem magis propulſare, ipſumque Populum variis affectibus hæſitantem accendere, magiſque ac multùm per dies inſtare. Sed hos modicum erigens, denique tepeſcentes agnovit. Diffiſus ergo ſpem in his ponere, aſſumto clam Fratrum Minorum habitu, ſolo comitatus famulo Brixiam ſe corripuit, tectumque noti fidelis ingreſſus, Thebaldum cum tribus fervore partiali complicibus ad ſe vocavit, quibus adhibitis ſe jam non mentiens, voce geſtuque manifeſtans, Thebaldo, quem priuſquam caderet, benignè ſoverat exulantem, de conſtantia eorum erga Cæſarem cautis ſermonibus percunctatus eſt. Ii, nondum ſtabili faveantve, repugnentve propoſito deſtinaſſe, viſuri priùs Cremonenſium exitus, reponunt. Quos cùm à fixo mentis conceptu nequaquam verbis ullis poſſet removere, retro abiens Cremonam repetiit; deinde paucis diebus moratus Parmam cum natis acceſſit, Rhegiumque pertranſiens & Mutinam, Bononiam uſque ſe tranſtulit. Nonnulli tamen ex proſapia ſua (octuaginta virorum capita in ſe numerum recenſebat) juvenes animoſi promontorium in finibus Cumæi ſoli poſitum, quod Montem-Orphanum vocant, quatenus in tuto reſideant, voti paribus adierunt. Multi etiam in exilium abiere.

Jam Cæſar Cremonenſibus metuentior magìs atque magis effectus, ut nihil intentatum relinquat, rurſum admonens, illoſque ad Auguſtam revocans clementiam, ne ſcripta jam negligant, Valeranum Regis fratrem ad hos dimittit, qui cum paucis tandem ex eptus in Senatu Cæſaris mandatum expoſuit. Nec multum ſermonem ejus innata juvit facundia; nam militantes in armis rariſſimè liberalibus Scientiis ſunt docti. Hæc orationis ſumma breviſſima, ut Regi pareant, aut mœnibus ioclufi ſe tueantur. Quamobrem Populus omnis Plebiſque Magiſtratus in ſeditionem excitati, tumultuoſis vexantur diſſidiis; nam vulgus ferè omne juſto Regi parendum eſſe cenſebat, primates verò ex Populi grege multi reſiſtendum. Damnabant nempe Regis geſta, ejuſque turbas ab ignominia quæſtus. Unde ſubitus acceptis armis furor excitatus eſt, velut quemque ducebat impetus. Valeranus autem metuens inter gladios vulgi ſævientis ignavè cadere, citus abſceſſit, Regioue Cremonenſium facta, geſta dictaque retulit. Cæſar ergo Longobardorum perfidiam, ſimultateſq; & inconſtantiam damnans, in hos ſævire prorſus deſtinat. Tunc Maphæo Mediolani Præfecto Vice Regia relicto ſequentibus armatorum manipulis verſùs urbem jam moleſtum iter accelerat. Cremonenſes verò Cæſaris flagrantem iracundiam atque in eos impetum non ignari, jam ſe muris, valliſque credere metuentes, Regem placandum ſuſcipiendumque benignè diſponunt. At Marchiones Jacobus, & Guilielmus, ceterique optimatum hortatu, quorum civitas memorata Regem negaverat, vulgi rabiem vetiti, ne fortè ob hoc, quatenus Rex placaretur, vincti trudantur in exilium, velut quemque fors tulit, ſponte abierant. Boſiolus itaque memoratus inter Ligures Æmilioſque ſodalitii hoſpitalitatiſve causâ multùm agnitus, magnæ dilectionis typo ductus, miſeriſque ob futuras clades piè compatiens, ad Cæſarem pro Cremonenſibus inter-

A ceſſorem, nullo impellente, ſe contulit. Oravitque, quatenus devotos, pœnitenteſque illos placatus Cæſar benignè ſuſcipiat; cui licet flammatus non annuit, pro his tamen ſupplicare non prohibuit. Repente igitur idem Apoſtolicæ Sedis Nuntius, haud ignorante Rege, Cremonam advênit, hæſitanteſque, quonam modo Cæſarem offenſum mitiùs placarent Plebis Magiſtratus invênit. Sancitum namque is erat jam illi penitus obſequi. Hos ad fidelitatem Regis hortatu promtos, nec jam titubantes edocuit, quatenus venienti Regi funereis velati chlamydibus, capiteque tecto, extra Patriæ vallos cum olivarum ramis occurrant, veniam pacemque ab offenſo Principe ſupplicantes: quod & illis effectum eſt.

B Nam cùm Cæſar non ampliùs quàm ſpatio termille paſſuum magnis armatorum ſtipatus catervis urbe diſtaret ab illa, jam non dubius illos ſibi parituros, indice Boſiolo, ecce occurrens illi Populi multitudo palmis obtecti ad ſylvæ inſtar, habituque miſero induti, velut dictaverat Boſiolus obviam prodiere. Plerique tamen ex his ad numerum ſexaginta, quos ſuperioris mediæve Plebis vetuſta generis propago, aut innata virorum induſtria Reipublicæ Magiſtratibus dignè præfecerat, præmeditati criminis non inſontes, laqueis gulæ diſpoſitis, ſupplices Cæſarem flexis genibus oravere. Ille autem concepti rancoris bile nondum digeſta, ſubitò illos, quos non ignorabat nefandæ rebellionis expertos, com-

C prehendi juſſit, vinctoſque & vehiculis turpiter ſuperpoſitos per municipia diſtribui, ac ſollicitè cuſtodiri; tegmentumque nobile, quod auro pretioſiſque rebus mirificè contextum, haſtilibus quatuor ſuperpoſitum, ſub quo Regem in Patriam deducerent, rigidè aſpernans, eo operiri indignatus eſt. Inde ad urbem maturans truculentus Rex omnibus eximio pavori fuit; Tribunalque conſcendens, accerſitis ad ſe his, quos Legum rigores, & jura noſſe conſtabat, Cremonenſes læſæ Majeſtatis reos dijudicans, muros, civitatiſque hujuſce mœnia funditus proſternenda, honores, & Privilegia quæque ab olim indulta in irritum revocari juſſit; neminem ex his

D liberum, ſed Romani Principis ſervum, coloniſque & ſuburbana rura civitati non parêre voluit. Ardua quoque Turris in foro priſcis fundata temporibus ad urbis decorem, ſuperpoſita cuprei Leonis effigie, reſcindenda fuerat, niſi Cæſar precibus Auguſtæ placatus propoſitum revocaſſet. Deſitumque eſt, illa pro Populo placante, ab agrorum depopulationibus, ædiumque multarum ſubverſionibus, & cæde non modica. Tunc Cæſar nimiùm ſævus, aſperque judicatus eſt, aliis juſtu, miſericorſve, quòd in hos truciora non egiſſet; ſed profectò ſi mitiùs cum his rem tractaſſet, veniæque locus, ut noxam benignitas ſuperaſſet, ceteri Ligurum Populi eo liberiùs pio Regi ſe dediſſent: decet enim Cæ-

E ſarem clementem eſſe, proſtratoſque & veniam poſcentes gremio pietatis excipere.

Nunc refert geſtorum ſeriem proſequentes, priuſquam Brixianorum excidium referamus, infauſtam Patriæ noſtræ liberationem laxiore ſtilo conſcribere. Sigonfredus itaque memoratus, neglecto legationis officio (tanta illum repatriandi cupido trahebat) Cæſaris Aulam ingreſſus, Theobaldum Leodienſem Epiſcopum, eo quòd jam notus illi fuerat, ſermonibus blandis alloquitur, quid petat, quidve ſtudioſus advenerit, in ſeriem explicans. Ille Cæſari gratiſſimus, arcanique ſui ſcrutator obloquii, rem pandit auditam, retroque accipit, perficiendum Legati propoſitum. Sciebat nempe Cæſar Patavos,

pol-

pollicitæ fidei tranſgreſſores, moras expetere. Commiſſa res tanta Præſuli egregio velocitatem poſcebat, unde idem, cùm nequaquam illi procul a Rege abeundum eſſet, Aymoni Epiſcopo Gebennenſi, Grationique Domino Clariatii viro ſtrenuo, catervas armatorum multas tradit, edicitque ut Legato Vicentinorum Duce, quorſum ille præcedens eos adduxerit, non ingrati ſequantur. Abeuntes illi Vanizeno de Piſis, qui paululum Veronæ præfuerat, redeunti ad Sedem Regiam occurrunt, inhibenteſque regredi, Veronam diebus paucis adveniunt, ubi triduum morati, donec res expedienda videretur, equoſque & viros quietè reficiant, id Albuino, Canique ſubſidiis imploratis aperiunt. Qui gaudio valde magno exultantes, eo quòd Patavos odirent, præſidia magna pollicentur. Denique Vicentini, quibus Patriæ libertas vendicanda fuerat, illuc perfidos nuntios greſſibus citis mittunt, vixque illis tranſitus uſque Veronam tutus. Nam dum Reſurrectionis Dominicæ gaudia celebrarentur Paſchalia, tanta imbrium multitudo perruptis Cœli cataractis fluxit in terras, ut iterum diluvium fides humana metueret. Subitò namque omnes fluviorum alvei ſuperatis ripis adeò intumuerunt, ut ceteros viarum anfractus, agroſque ſub aquis mergeret. Nec vanum indigenis prodigium, cùm præſcia futurorum Divina Majeſtas triſtem Patavis, Vicentiniſque, & toti Marchiæ Tarviſanæ ſignificaret eventum. Vixque niſi quod fatorum ordo præpoſterus aberrat, Deum prohibentem, docentemque hos ab incœpto deſiſtere, ſi fas eſt, auſim dicere. At non ideo peſtiferi cives in propoſito defecere; nam acceſſitis ex Urbe marmorea Regis manipulis, Cypri Duce Legato, manè Jovis XVI. Kal. Aprilis ſublatis Aquilarum vexillis in forum armati prodeunt, victoremque Cæſarem invocantes tumultum excitant. Unde Prætor Johannes de Vigontia, qui è Patavis dimiſſus tunc Rempublicam gubernabat, ſtratis erumpem, auditâ tumultus causâ multùm vexatus obſtupuit. Etenim tranſmiſſa Regis ala noctu properans confeſtim coactis in unum turbis per patentes aditus Portænovæ, qua civitas infelix inſpicit Aquilonem, in forum erumpit: cum quibus & Canis memoratus, ignaro fratre, tamquam ad pollicitum ſibi ſceptrum ſe comitem intulit. Mox cives nefandi, è quibus Macabrunum de Vivario, Jacobum Verlatum, Guidonem Bixanum Salomonem de Marano, Petrum de Prothis ſeditionis principes intelleximus, aſſumtis animi viribus Prætorem ex Atrio vi miniſque detrahunt; nulloque adverſante, ſuperpoſitis Cæſareis ſignis turris invaditur. Ceterùm Patavi, quos pro ſervandis Vicentiæ mœnibus majori ſolito cœtu Patria ſua deſtinaverat, metu perculſi, locum, qui dicitur Inſula, inter ipſa mœnia versùs Orientem plagam muris arduis ſeptum apprehendunt. Sed nequaquam his crediti tutari ſe auſi ſunt. Nam licèt valvis deductis inexpugnabiles forent, vix ullo impellente fugam arripiunt, multique trans fluvii alveum, qui Bachillio nuncupatur, loco contiguo abire properantes, dum multum imbribus tumuiſſet, præcipites merſi ſunt: tantus enim illos pavor invaſit, tanta cordis ignavia, ut primo impetu bello cederent, hoſtibuſque patentem locum ſponte ſinerent. Vidimus enim hoc, & certum conſcribimus; nam ædes noſtra his muris ingentibus eſt ſpatio brevi contigua.

Sic igitur civitas Vicentiæ, priuſquam fieret hora lucis tertia, ab hoſtibus capta, & ſuperatis Patavorum turmis Auguſti potentiâ inſignita. Nec ſtupendum quidem, ſi puſillanimes bello deſueti pugnæ ceſſere; nam longa pace deſides arma non norant, non claſſica bellorumve ſtrepitus audire ſoliti. Tanta nempe fuerat tranquillitatis quies, tanta paci amœna jucunditas, ut Patavos, Vicentinoſque tunc in ſublimi felicitatis orbe poſitos dijudicet vulgaris opinio. Capti igitur Paduani, rebus ſuis ſpoliati, celeres dimittuntur; nonnulli tamen vinculis adjecti, pauci verò ſaucii, aut telis confoſſi manſerunt. Hæc ut Paduam triſti nuntio referente delata, repentè Populus ſtupens, dolenſve pariter bacchantium ritu arma ſuſcipiunt, nulloque ordine prodeuntes ad uſque Barbani Pontem, qui vicus eſt juxta fines utriuſque ſoli poſitus, laxatis habenis accelerant, ubi tumentibus fluvii rapacis undis greſſum coërcentes, quorſum ſecurus pateat tranſitus, ſtudioſè perquirunt. Hos namque ingens vexabat impetus, quo ad poſſent, quam nec dum putabant urbem ſuis concivibus deſtitutam tueri, vireſque illis auxiliares addere, atque improborum delere protervìam. At occurrens illis quidam ex Plebe non media, ſolo amictu lineo, ſic loquax infit: *Quid ultra Cives? Jam iſtinc progredi non expedit: omnia dimiſſa, nihilque præter captivos relinquitur, quod noſtrum ſit.* His ſtupefacti ſermonibus Paduanorum Duces, multis hujuſce facinoris in teſtes adhibitis, retro ceſſere, Paduamque ullulatibus, ac querelis repletam delati, Prætorium ineunt, ubi vocatis Decurionum mille Patribus, quid ulteriùs ſtatuendum peragendumve ſit accuratè conſultant. At fruſtra repugnantibus fatis quicquam humana molitur induſtria; nihil enim eſt virtute conſpicuum, famave dignum, quod Deis invitis efficiatur. (*) Altera verò ſortis conditio noſtrates agebat; nam æquè omnes Primorum clariſſimi, Plebiſque vulgus ignobile, futurorum ignari, gaudio valde magno lætabantur; plerique tamen ævo maturi, rerumque lapſarum experientia docti, nefandum id Patriæ facinus deteſtabile arbitrati, judicium Populi damnavere. E quibus vir facundus & prudens Henricus de Ravaſino, Morandiuſque Panenſachus ex illuſtri proſapia ortus, ambo virtute conſpicui, dum Patavorum ſceptra laudarent, metuerentque tumultus Plebeji diſſidium, per fugam ſeſe corripiunt. Ceterùm ſiniſtra Morandum ſors tulit; captus namque cum primogenito ſuo, grandi mulctatur pecunia, & procul à finibus Patriæ relegatur. Alter autem ſponte abiens in exilium apud Patavos ſedem elegit; neuter tamen in Patriam revocatus, aliena tellure procubuit. Altigradus quoque Præſul benignus & ſapiens, dum è Patavo delectus Aulam Pontificalem Annis ferme ſex poſſediſſet, metu profugus ſub ignoto celatus diſceſſit habitu. Plerique etiam deformes, aut ſpecie ficta, clam inde prodeunt: tantus namque in Patavos odii rancor confeſtim accenditur, tanta impetus flagrantis excandeſcens libido, ut ſolo Patavi agnomine quiſquam hoſtis diceretur. Hoc nempe his ex violento, quod dudum tenuerant, proceſſit imperio; ſemper enim ſervis moleſti ſunt Domini. Jucundum igitur hujuſce libertatis initium Vicentinis fuit, at longè diſſimilis nube fatorum eventus, qui rerum prolapſu cer-

(*) Fati, & Deorum vocabula frequenter uſurpat hic auctor, Catholicum tamen ſcias, ut hæc eadem hiſtoria abundè teſtatur. Sed dum eloquentiæ laudem intemperantiùs affectat, in poeticam perſæpe phraſim, formulaſque delabitur.

certificatus emicuit. Primùm namque Patavi furentibus vexati animis trans fines ſuos impetuosè progreſſi, inter Vicentinorum limites cædes, rapinaſque depopulationibus ſævis intenti, ſuccenſis ædibus peregere. Nec minùs iis par alterna vice refertur injuria. Sic utrinque graſſantes ad ultionem Populi lædere ſatagebant, donec placatis modicum turbinibus animorum, incendio, rapinaque deſitum eſt. Vicentiæ Prætor effectus vice Regia Vanni Zeno de Piſis memoratus, qui poſt diſceſſum Epiſcopi Gebennenſis, Caniſque Magni, rationem ponderis tanti ſuſcipiens, Cæſarem pretioſis aureis muneribus ob beneficii retributionem accepti donandum hortatur, utque itidem illam Patriam à Patavorum incurſibus tueatur benignus. Conflatur ergo grandis repentè pecunia Fiſco Regio applicanda, quam Nobiles, Plebejique (tanta hos libertatis ſuæ delectabat imago) vix ullis queſtibus recenſitam Auguſto per Legatos dimitere. Hoc Regi tributum, licet exile foret, juvamento tamen ceſſit.

Cæſar autem Cremonæ perſiſtens, dum Brixianorum proterviam, offenſaſque pertinaces prorſus ulciſci, eoſque plectere deſtinaſſet, ad obſidendum hos, vocatis undique fidelium copiis, feſtinus aggreditur. Diſpoſitis itaque circiter caſtris in planum, colles etiam præcluſis viarum tramitibus deſuper occupat. Venere itaque diſtinctis virorum ordinibus civitates, Mediolanum, Novatia, Vercellæ, Cumæ, Papia, Laudum, Cremona, ſupremæque nonnulli Proceres Lombardiæ; inferioris autem Verona, Mantua cum maximis copiis armarorum. Brixienſes verò, priuſquam Cæſar in eos exercitum dimiſiſſet, Cremonenſium ſuppliciis moniti, ſævo nequaquam Cæſari parendum fore conſtituunt. Præfecto igitur Thebaldo de Bruxatis viro magnanimo, ad reſiſtendum unanimes fiunt; nec deerat ſuadens impulſor. Scelus his nempe Fæſulani Bononienſeſque polliti itis viribus ingerentes, erga Cæſarem eatenus intruſerunt, longo quatenus apud Brixiam bello confectus, & procul, in hos ſævire deſiſtat. Tunc collectis undique ſatis intempeſtivis, granoque veteri, opportuna quæque uſibus humanis adduci reponique intra mœnia ſtudioſis curis efficiunt. Deinde præcluſis ad aditum ceterorum valvis, infirmiores ætate ſexuve, retentis pugnæ dumtaxat habilibus, egredi mœnibus cogerunt. Primùm itaque Cæſar extrinſecus depopulanda omnia, diripiendaque igne ferrove decrevit; captivos, & armenia quæque vi rapta capientum eſſe, nullaque pactione redemto in vinculis ſervari. Proinde ſuorum aciebus inſtructis muros adverſos baliſtarum tormentorumve omnium generibus impetit. Nec minùs ipſe ab hoſtibus incluſis nunc ſagittis, nunc exterioribus bellis impetitur. Cùmque parum aut nihil hos tutis murorum latebris occultos poſſet ad pugnam arceſſere, ſatius viſum eſt Cæſari ſolerti machinarum artificio, aut longa obſidii mora rerum penuria domitos ſuperare. At non ideo, quamquam Brixianorum impetuoſam temeritatem multùm vereretur, exteriùs incumbentes rerum aliarum curas his agitatus procellis ignavè neglexit, ſed in agendis promtior, ſolicituſque petentibus omnibus aures, ſeque valde benignum exhibuit. Aſſiſtebant illi quippe comites fideliſſimi, fratres ambo, Sabaudiæ Comes, & ceteri Gallorum Germanorumque Proceres gravitate verendi, quibus poſt Cæſarem magis Imperialis ſupportatio culminis imminebat. Tunc quoque conſors thori fideliſſima, vitæque ſolamen Marghareta concomitata eſt, quam nullis labefactatam adverſis, nullo fractam rerum turbine, nulliſque ſublatam jucundis reperit inconſtantia. Numquam hæc, quatenus vir ſæviat, blandita, moleſtave fuit, ſed iratum fulminantemque juſtè perſæpe placavit. Deorum ſacris intenta; vigiles ſemper aris ignes pro ſoſpite marito felicique ſervabat. Inter has rerum capedines plerique Cæſaris potentiam admirantes, metuenteſve poſt ſupetatos Brixianorum faſtus ſe bellis impeti, ſponte promoti ad illum defecere. E quibus Guibertus de Corrigia, veluti ante detinuit Patriæ ſuæ præſidatum, cenſu dato ab Cæſare vendicavit. Eodem Rizardus de Camino, æris contributione magna, Tarviſii, Feltri, Belluni Præturam nactus eſt. Paduani quoque, dum ſola eorum civitas poſt deletam Brixiam bellis excidenda reſtaret, metu perculſi jam Cæſari parendum eſſe decernunt. Hujuſce perſuaſor decreti Gebennenſis Epiſcopus, qui lapſos è Regio ſinu Patavos beneficentiæ priori reſtaurare ſolerti ingenio nitebatur. Scripſit nempe is, Cæſarem, benignum, gratum reddi poſſe, facileque impetrandum quicquid placuerit, ſi modò urbs pareat; pro his quoque ſe interceſſurum boni more patroni pollicitus eſt. His motus Paduæ Populus jam conſilia perſuaſioneſque Muxati, ſociique collaudans, & cùm pridem vehementi diſtractus ignavia hæſitaret, jam tandem imperitiam Vulgi deteſtans, obſequendum Regi prorſus eſſe voluit; hocque Epiſcopo per literas indicant. Æſtuans ille pro augendis Imperii faſcibus, properè Regio juſſu Vicentiam ſe contulit, & juxta fines utriuſque ſoli Patavos ad colloquium allicit; quò poſteaquam eſt utrinque perventum, facundis illos verbis ad Regis favorem hortatur; ſpondetque ſe omnia facturum, ſi tamen pareant. Ad hæc illi, parituros ſe, ſi modò legibus conſuetudinibuſque ſuis uti liceat, proteſtati ſunt. Porrò illud fieri vix adjurans Epiſcopus, Legatos ad Cæſarem dirigit cum pleno mandato, idque celeriter ſuadet. Diſcedens ergo precibus oneratus eſt, quatenus Bacchilionis fluvium, quem Vicentini in Paduanorum offenſam jactutamque gravem ex conſueto priſci meatus alveo deflectentes in alterum, Paduam labi non ſinunt, in priſtinum reſtaurari faciat. Pollicitus id factiſcere, hinc inde vale dicto, Vicentiam rediit, ubi vocatis ad ſe Tribunis Plebis cœtuque nobilium rem à Patavis quæſitam expoſuit, utque Vicentia fluentum per Euganeos Campos labens non impediat, Regia vice minas edicit. Quod cùm illi conſtanter ſæpe negaſſent ſe facturos, nam Patavi jam capitales hoſtes adjudicati fuerant, flammatus Præſul iracundia reddidit prorſus id fieri oportere. Unde ſubitò in clamorem adactis repugnantibus, vox hæc ad aures vulgi uſque pervênit. Excitatus repentè furor Populi armis reſumtis ad Aulam Pontificalem impetu magno concurritur, & ni Præſulis gens ad turrim vaſtam, quæ deſuper imminet, aggreſſa pilis miſſilibuſque aditum prohibuiſſet irruentibus turbis, profectò Gebennenſis Pontifex inter furentes vulgi gladios cæſus occubuiſſet. Ceterùm Proceres noſtri, quibus tanti crimen erroris primùm debebatur, placatis furentium animis, excitatum campo compoſuere tumultum, ſicque ipſis blandientibus ſæva cæde deſtitum eſt. Hæc Patavis nuntiata magnam perficiendi voti ſpem ob injuriam Præſulis addidere. Confeſtim ergo delectos in Senatu viros ſex, è militari ſcilicet ordine Henricum de Scrovegnis virum locupletem, ex Plebejo, A. de Rogatis, ex Juriſtis Ba-

A Balearium de Brognachis, & Antonium de Leo, memoraroſque Muxatum, & Antonium de Vicoaggeris ſub Aymonis fiducia ad Cæſarem direxere. Qui properè iter ſumentes, cùm per Vicentiam ob recens animorum diſſidium peragrare metuerent, indignarenturque preces effundere, quibus conſueverant imperare, Bononiam longiore tractu denique adeunt, quibus (Populo fremente, hos ad exoſum ſibi Principem illorſum iter parare) priuſquam ingrederentur urbem populoſam, diſtantibus adhuc quinque millibus paſſuum, ultra progredi ex Plebiſcitis inhibitum eſt. Sed brevis moræ diſpendio, Patavis hoc benignè implorantibus, hàc Legatis tranſire permiſſum eſt, ex B his tamen milite ægrotante, Plebejoque cauſis imminentibus occupato, reliqui ad Auguſti caſtra inde profecti ſunt. Ubi Aymonis ductu ſretique conſilio, geminos Regis fratres, Sabaudiæque Comitem pro ſe apud Cæſarem patrocinari blandis ſermonibus oravere; qui Paduæ magnificentiam ſcientes Regi obnoxiam Fidelium conatibus prodeſſe multùm, & rebellibus metum addere poſſe, pro his ſe ſupplicaturos deſpondent. Quare factum eſt, ut Cæſar vocatis Legatis Paduanorum ſuæ Legationis modum benigno auditu perceperit. Juſſus igitur ſociorum hortatu Muxatus coram Mundi Principe commiſſam Patriæ ſuæ normam Orator facundus edidit. Fine orationis habito, Cæſar C ſemotis inde Legatis, triduò maturè deliberans, compotes voti ſui Legatos Regiâ munificentiâ ad Patriam redire permiſit. Hiſque conceſſis muneribus ſcripta patentia, Regiæ Bullæ ſignata munimine, quo certior fides adſit, omnibus exhibet. qui in Patriam referentes jucundo reditu à Populo exultante magnificis plauſibus excepti ſunt. Congregatis ergo Decurionibus in Senatu, vulgatiſque in propatulo Regiæ Majeſtatis Edictis, quibus potiſſimè decurſus aquarum per ſolitos alveos versùs Paduam nequaquam per Vicentinos impediri legebatur inſertum, tantus ad æthera clamor, tanta vocum identitas ſublata eſt, ut omnes pariter invictiſſimum, juſtum, & benignum clamitarent. Sicque nullo adverD ſante civitas Paduæ Auguſto obnoxia & Imperio fidelis effecta eſt, quæ poſt ſævam Eccelini tyrannidem nulli privato ſamulans jugum nullum perpeſſa adhuc ſuerat. Continuò in Prætorii criſtatis apicibus veſtibuloque ipſo depictæ Aquilæ, verenda Romani Principis ſigna, eademque ſupra urbis aditus imago refulſit. Hinc quoque Præſes effectus vice Regia Gerardus de Inzola Parmenſis, vir ſatis prudens, & ſtrenuus qui non dudum ob violatam à Patavis fidem præſidatum obtinuit. Pro tantis itaque meritis, proque Regia munificentia, Paduani ſuaſione illorum, qui pro illis interceſſerant, aureorum millia centum, præter ea, quæ pro pollicitis donis, proque impenſis exhauſta ſunt, Regis Fiſco votis avidis applicavere.

His Cæſar acceptis, vultu jucundo magnum Patavorum exenium, hoſque ſe non ingratos laudavit. Deinde militibus quæque diſtribuens, ad pugnam munificus largitor Populos omnes hortatur. Tunc nondum flaveſcentibus ſatis menſe Majo Idibus jam profectis, falces dimittunt, & intempeſtivam meſſem depopulantibus ſævis exercent equis pabulum, & ſtramine nunc tecta, nunc cubilia facientes. Neque horum inclementia plantis vitibuſque pepercerat, ſed omnia ſuceiſa, deletaque inter caſtrorum limites, quantumcumque procul undique ter mille paſſuum quantitas exulabat à mœnibus. Cæſar A igitur hoſtes ſuperare intentus, aviduſque, donec Populi recentes ad pugnam laboribus deſidiaque nondum affecti languebant, opus ingens pugnæque nimis accommodum more Gallico lignis acervatis è robore ſabricari juſſit. Hanc Itali machinam latino ſermone *Vineam* appellant: ſub ſaccis umbone protectis ad uſque mœnia rotis mobilibus pertrahitur, ut arietibus inde crebris, aut gradu ſupremo muros impetat cominus, vel exſuperet. At neque ſegnior Thebaldus opportuna bello remedia, opportunaque ſibi prævidere, cùm circiter urbis aggeres omnia tuta fore cerneret. Hinc rupem arduam mœnibus contiguam, qua collis deſuper in planum extenditur, ubi quondam . . . . late- B ribus cœmentoque ſolicitè cuſtodiri apertiùs viſum eſt. Conſtructa ergo lignorum ſabrica, rupibus montanis erigitur, quò Præfectus urbis viſendi cauſâ tranſlatus (inde enim Cæſaris caſtra ejuſque acies omnes ſpectare poterat) nunc Cæſarienſium motus, pugnæve modum, nunc illorum numerum alta recenſebat è ſpecula. Cùm ſemel igitur huc ſiniſtro caſu Præfectus triginta fermè comitatus haſtati, ab hoſtium ala, quæ inter collem, & urbem obſeſſam clanculum iter apprehenderat, circumventus eſt. Ubi dum acriter pugnaretur, utrinque ſuperatus, tamdem Thebaldus vulneribus quinque graviter ſaucius telluri procumbit, ſemianimiſque ore reſupino, ne for è agnitus apprehenderetur, ſpiritum ex- C halans cadaver fore diſſimulat. Sed proh fata! hic indice famulo (notum illi quondam ac domeſticum fama dictabat) à Germanis clamore magno in caſtra protrahitur, Cæſarique veluti præda ingens, munuſve magnificum exhibetur; quem ille torvis oculis intuens, viri tanti novam pertinaceſque motus animi, doluit tam ſævis fatorum deberi ſuppliciis. Convictus, faſſuſque, læſæ Majeſtatis reus, Auguſta pro illo fruſtra ſupplicante, irati Regis examine morti damnatur; ſed morte gravior pœna, ignominioſuſque moriendi modus. Nam primò corio bovino impoſitus eſt, ut ſpirans adhuc pœnæ diutiùs ſervaretur, tum quatuor onagrorum caudis annexis circum caſtra protrahitur, deinde D quadri-parte lacertis pedibuſque hinc inde ſeorſum divulſis jumentorum tractibus quatuor, Populorum turbis iterum poſt fata eludendus dono traditur. Caput verò Germanis ſervatum haſtis ſuperponitur, infixumque apici non procul à mœnibus Brixienſibus oſtentatur. Viſcera ſparſim ſolo projecta poſt, canum abhorrentibus morſibus, tamdem ignibus abſumuntur.

Hicque infelix Thebaldi fuit exitus. At non ideo mœnibus tutis incluſi ægrè belli ſtrepitum trepidis animis pertulere; ſed magis in dies reſumtis viribus ſe tollentes, neglecto Thebaldi funere, captivos omnes, quos in vinculis ſervabant, laqueis ad murorum propugnacula pendidere. Sic uni centum ferme umbras de more priſco litantes debitam ſibi ultionem viſi ſunt meritò redemiſſe. Proinde quatuor ex Optimatibus Præfectis præeminentiæ ſuperioris inſignia, ut tota civitas pareat, contributis clavibus ſuper omnes Portas Populi decreto permittuntur. Hinc audentiùs Populo tumultibus interius oppugnatum, aut procul è mœnibus in hoſtes frequentiùs ſolito proruptum eſt. Nec minùs ab his Cæſaris caſtra ſubitis armorum impulſibus, quàm ab illo vexati inter murorum latebras, nunc ſagittis, nunc tormentorum machinis impetuntur. Hos inter rerum actus protracta in dies ferme triginta pendens victoria, jam magno utrinque conſtabat; ſed eo longè graviori dam-

damno, irreparabilique jactura Cæſari conſtitit ſiniſtris fatorum eventibus. Jamque lugubrem conſcriptionis noſtræ materiam, ſtrenuique viri Regis germani, in quo tota bellorum ſpes, tota fiducia victoriæ manebat, caſum infelicem calamo invito percurrimus. Iſte enim non adverſis occidit pugnando vulneribus, non viribus inferior, equove proſtratus, ſed ignaro ſuæ cædis auctore procul lethale vulnus accepit. Statuerat nempe ligneam machinam ſecus muros volubili rotarum orbe producere, ut cominus hoſtes gladio peteret, aut muros crebro perverteret ariete; effectumque eſt ut invitis Brixienſibus tenus fovearum aggeribus in occaſum Solis vinea figeretur, quam ſequenti diluculo tranſvehi ad opinatum locum vir bellicoſus optabat. Mane facto, priuſquam luceſceret, intrinſecorum ala valvis apertis aggreſſa, telis facibuſque accenſis irrumpit, & fabricam mœnibus ſuis minitantem flammis admotis, pulſa Cæſarienſium turba, urere nititur. Proinde tumultus caſtra incitat, & ad viſos ignes ſubitò quemque denſis clamoribus ciet. Diſcurritur ergo caſtris relictis undique, & ad ferendam opem pro extinguendis ignibus quiſquis enititur. Clamor tantus ad Valeranum pervènit, qui confeſtim anxius, ne quid ſiniſtrum neglectumque Cæſarienſibus accidat, ut erat paucis obtectus armis, ignavè, fatoque ſiniſtro provectus, eo feſtinus accedit. Et heu proh dolor! ſagitta muris acriter demiſſa ſtrenui militis guttur lethali vulnere percuſſit. Reverſus autem in caſtra ſaucius Regis frater, dum foret vulnus immedicabile, diebus paucis vitalem ſpiritum exhalavit, cujus cadaver Alboinus Veronæ Præfectus à Rege poſcens ad inſtar doni maximi illuc vehiculis deferri, & juxta Cœnobium Prædicatorum magnificis humari exequiis ſuperpoſito marmore commendavit. Hic caſu exercitus omnes Germanorum Longobardorumque ad lacrymas impulit. At Cæſar interiùs lugens, nullam vultu tanti doloris indaginem vir fortis oſtendit, ad quem Proceres, diſſimulato funeris cultu exteriùs invitati tacitum in caſtris juſtitium diutius habuere. Mirabile quidem, quàm id conſtanter Auguſtus patienterque tulerit. Auditus tamen, ſi famæ creditur, moderatos fletus latenter effundere, interque acres gemitus nefandum Longobardorum genus, deteſtabilemque perfidiam ferro impiiſque ſuppliciis excidendam prorſus dixiſſe, nullique ignoſcendum. Ulteriùs haud ſupplicationi locum eſſe deſtinat. Ergo caſtris nequaquam diſcedere, priuſquam rebelles hoſtes, urbemque nefandam ferro flammiſque deleverit, & ad hoc vires omnes, Cæſareoſque faſces, & quicquid Gallia, Germaniaque poteſt, expoſiturum ſe proteſtatus eſt. Deinde thalamo progreſſus, ſuperſtiti germano, Comitique Sabaudiæ fixum mente propoſitum in Longobardorum necem edidit, qui Regi compatientes obſequio miti conceptum meditationis ſuæ ſobriis effatibus collaudarunt. Tunc memores breve ſumendi Diadematis tempus inſtare, idque præoccupatum citra ſpem ob Brixianorum pertinaces injurias, longique moras obſidii, Apoſtolico ſupplicandum fore decernunt, ut cognitâ moræ tantæ causâ in tempus congruum coronationis prorogetur inſtantia, ſinatque quàm primum Cæſareis votis aderit opportunitas. Mittitur ergo ex Principibus ævo maturior Baſilienſis Epiſcopus, qui Avinionem uſque profectus, Papæ Cæſaris ſiniſtros fatorum eventus, utque ille Brixianorum perfidiam prorſus incurvare putaverit, in ſeriem explicat, oratque quatenus ope

A non deficiens coronationis tempus protelari, donec ſe ad id facultas adaptaverit, patiatur non moleſtus: quod facilè vir diſertus, miſerante Papa, velut imploravit precibus, nactus eſt. Utque itidem pronum Clementem, Cæſarique benignum ſciat, confeſtim Papa quatuor ex latere ſuo Cardines, qui Auguſto vires animumque parent, utque illi Diadema in Urbe ſuggerant, accuratè decrevit. Fuere hi nempe Arnaldus de Frangeriis Sabinenſis, Nicolaus Veletrenſis atque Oſtienſis Epiſcopus, Leonardus Quercinus Albanus, Lucaſque de Fliſco Januenſis Diaconus Cardinalis, qui ad Regem Romanorum citra Appennini juga ardua properantes, demum in caſtris ejus ſolicitis greſſibus applicuere; B ubi comiter excepti magnum Cæſari gaudium afferentes, coronationis obſequium juxta ſuæ optionis modum in tempus opportunum polliciti ſunt, rebellibus verò metum pœnæ majorem intulerunt. Exultans igitur Cæſar tantorum virorum applauſibus grates multas Apoſtolico referens, hos magnificis epularum profuſionibus in caſtris aluit; cùmque dies octo manſiſſent, rati pium eſſe diſſides ad concordiam animorum revocare, perfringere Brixienſium pertinaciam demollireque perſuaſionibus manifeſtis, Cæſare patiente, nituntur, qui & ſi non permiſit, nequaquam tamen prohibuit. Ingreſſi itaque mœnia duo ex illis, Sabinenſis ſcilicet, & Albanus, ab occurrenti Populo verenter excepti, ſequen- C tibus turbis in Atrium producti ſunt, ubi congregatis Tribunis Plebis, & Magiſtratibus, vulgique multitudine magna, alter Cardinalium orationem hujuſmodi habuit.

Mira quidem, imò ſtupenda res eſt apud Cleri Principem cæteroſque Mundi Reges, cur urbs hæc tam fœcunda, tam nobilis, in Eccleſiæ ſacroſanctæ contemtum, cui devota ſemper & famulans paruit, juſtiſſimi Cæſaris iter ad Diadema properantis, adverſo Marte facta rebellis, impediat. At quænam hæc, ò cives, ignavia? quis animi pertinax impetus? quænam vos ad hoc nefas cordis cœcitas impulit? Neſcitis hunc, ut Imperii robur augeat, jubar illuſtret, & labentis Italiæ circulum erigat, exules reparet, D *noxios retrudat, juſtitiam exerceat, in Italiam deſcendiſſe? Vultis ne divinum edictum refellere, ut quod eſt Cæſaris Cæſari non tradatur? Vultis duorum alterum Luminare tenebris condere? non enim abſque altero offendi poteſt hic Papæ noſtro gratus, & benignus Rex, qui vénit in nomine Domini. Eja ergo ponite truces animos, & pertinaciam omnem exuite, mitemque Dominum blandè placaturi veniam exorate; pius enim eſt, & miſericors, noſque pro vobis ſupplicantes illum, quamvis adverſum vos flammatum ſentiamus, ignoſciturum deſpondemus. Verùm ſi pertinaces ignaviam potiùs, quàm conſilii ſanioris lucem ſecuti pugnare mavultis, cædes, excidia, flammas, incendia, & labo-* E *res arduos, demum Patriæ veſtræ ruinam expectate. Neque profectò illi dudum poteritis bellando reſiſtere.* Ut ergo facundus conſedit Orator, vota omnium ſuſpenſis mentibus adhæſere, quidve potiùs eligant inter ſpem metumque dubii tacitis muſſant alloquiis; donec Pinus de Vernariis Cremonenſis exul, tunc Aulæ Prætoriæ Moderator, aſſurgens juſſu Tribuni Plebis hæſitantes vulgi animos hujuſmodi verbis erexit.

Nolite admirari, viri illuſtres, verendique cœleſtis Januæ Cardines, nec ad aliquem ſtupor hinc tranſeat, ſi cives hi prudentia magna viribuſque quondam experti, Gallicum hunc, qui ſe Cæſarem juſtum falsò nominat, ab eorum

ſini-

finibus arcere cupiunt. Non enim illum Deo gratum, Papæque noſtro Sanctiſſimo commendat ulla diſcretio, cùm neque per virtutem in agendis juſtitiæ ſe conformet, nec apud viros illuſtres bonis actibus polleat, cupidus & avarus. Reſpicite, quæſo, ad rapinas & tributa, quæ vir illuſtris, ceteris inhibens, omnia ſibi contulit, unde Præſidatus, & Poteſtates, & Plebiſcita quæque venumdans, impiis Populorum tortoribus, & Tyrannis ſævis accepto ære permiſit; quibus nullum ſub Cælo flagitioſius hominum genus eſt; nam labores piorum manducant, & in lacrymis pauperum exultantes ſolis intenti voluptatibus delectantur. Hoc Medıolanum, Parma, Mantua, Verona, multæque aliæ urbes egregiæ circum fora proclamant. Nos igitur, qui liberi ſumus, huic nos, conjuges, natos tam ignavi trademus, ut liberos pretio ſuſcepto ſervos efficiamus? Nequaquam. Hercle Populus iſte mori liber mavult, quàm malè vivendo ſervire. Hic eſt etiam vir, qui ſe pium & juſtum jactando præfingit, nefanda olim Federici ſchiſmata, partialis effectus, inter Italos ſuſcitat, dum Guelfos abhorrens, Gibellinos extollit. Hos, licèt juſtè quipiam fortaſſis ejecti fuerint, revocari prorſus imperans, & alios in ſpem trahens, exilia diu proſcriptioneſque pati cogit. At quid plura? Nihil honeſtum, aut cum virtute efficitur, ubi avaritiæ deteſtanda labes intervenit. Præterea quod unicum reſtat ſolamen afflictis? Poterit hic Populus ſperare veniam? ſupplex humi ſternetur, adorabit pœnitens, & miſericordiam expectabit ab impio? Sed hoc edocet recens vicinaque Cremonenſium dementia, qui Regis ſuperbi inclementiam neſcientes, poſt crimen exile veniam ſperantes, captivi majoribus adhuc ſervantur flagitiis. Quòd ſi nequam ejus propoſitum incurvare ſpe vana ſixi putatis, huicque Populo in vanum promittitis, oro deſiſtite. Non enim votis veſtris res optata perveniet. Teſtetur ille, qui pro Cremonenſibus mercedis hujus perfidiam facto ipſo tunc expertus agnovit. At nos Sanctiſſimi Papæ, & Domini noſtri Cardines verendi, hanc Patriam Deo, Sacroſanctæque obnoxiam Eccleſiæ, ſi libet, accipite, utque vultis efficite. Non enim gloria nobis ex hoc debebitur. Veſtrum ſit decus, veſtra ſit fama. Ceterùm ſi onus tantum ſubire reſpuitis, daturque nobis libera obſequendi facultas, profectò huic nequaquam Regi parère volumus, ſed armis viribuſque reſiſtere. Sunt enim nobis multi, animique præſtantes, nec deſunt corporum alimenta, quæ ſi poſt ſemeſtre ſpatium duratura longi obſidis morâ deficiant, horrida quæque uſuique negata, demum conjuges, liberoſque vorabimus; poſtremò nos è muris altis præcipites, aut gladiis cæſi, vel cultro, vel laqueo, vel veneno, quotve modis mors paratur, priuſquam huic ſerviamus, ſponte vitam haud projiciemus inviti.

His erecti omnium animi jam non murmure tacito, ſed manifeſtis applauſere ſermonibus. Plerique etiam non ex Plebe infima clamore magno Prætoris ſui dicta ſic votis omnium fixa conceptaque proteſtati ſunt. Quamobrem ſtupefacti Sedis Apoſtolicæ Cardines, dum Brixianorum pertinaciam, eoſque tam unanimes cernerent, conventu dimiſſo, ex Atrio delapſi ad Ædem Pontificalem tranſire parabant, ut ſumtâ cœnâ noctu quietem agerent; ſed rogatu Tribuni Plebis, ut omnia ſobriè perſcrutentur, Cæſari veraciter edenda, penus, & horrea, ubi tritici vinique multitudo maxima recondita ſervabatur, ac utenſilium omnium apparatus, præſentialiter adierunt, videruntque ſingulatim quæque ſuis diſtributa per ordines. Unde Populum illum non immeritò prudenter egiſſe in tanto belli diſcrimine ſecum arbitrati ſunt; nec penuria longa affici poſſe; muliebreſque quoque voces arrectis auribus per vicos & pulpita, non minùs hoc genus Cæſari moleſtum percepere. Demum Sole ad occaſum declinante, cœna hoſpitioque potiri ſunt. In craſtino autem, orto jam Sole, turba ſtipati magna, valvis egrediuntur, Cæſarem adeunt, audita, viſaque omnia illi in ſeriem referunt. Auguſtus ideo vultu geſtuque nequaquam promotus, ſpem ſimulans, magno interiùs dolore ſupprimitur. Torquebat nempe illum Diadematis ſumendi mora ob nequitiam Longobardorum præter ſpem adjecta, ſed eo graviùs, ne ſi cum hoſtibu. his ulla pactionis lege conveniat, ſuperatus vulgi opinione judicetur, ſummiſſumque ac pavidum Cæſarem belli metu compulſum fecant diſceſſiſſe. Suberat & altera labefactati cordis anxietas, quòd Populi diutium in caſtris morari jam longi tœdio premebantur obſidis, clamque ſe inde rapientes, neglecto Regis edicto, furtim abibant. Præterea ſciebat hos moleſtiùs hyemem pati poſſe, quàm æſtatis calorem, quæ jam Autumno ſubeunte fugiebat; nam tunc impoſſibile imbribus, ſolutis nivibus, ſciebat loci ſtationem eſſe.

His jactatus Cæſar animi preſſuris, equo ſubvectus per caſtra, viſendi causâ, Cardines ſecum ducit, ut ſuorum languentes impetus ad pugnam audentiùs erigat, deinde ſumto cibo horâ pene ſextâ, paratis Vandalorum Italorumque copiis & armis, hoſtes imperi telis imperat; unde gravis utrinque Mars excitatus eſt; at multis hinc inde ſau iis ſubeuntes Cæſaris alæ in caſtra revertuntur. Sequenti verò luce rurſus paratis armatorum manipulis urbs obſeſſa viris invaditur; neque obſtitit præceps fovearum indago, nam uſque ſecus muros vi Cæſarienſibus itum eſt: tanta namque hos vincendi abeundique cupido premebat, multùm ſuperque longi belli tœdium, ut libentes ſummis vitam periclis exponerent. At mœnibus non ſegniter hoſtis inclusus interdum portis erumpere, alaſque nimiùm accedentes cominus cædere, aut ſub murorum veſtibulo pugnantes nunc ſaxis, nunc fuſtibus, aut demiſſis pilis obtundere. Fit utrinque cædes ardua; ſed gravior in exteriores ripis hærentes, nihil aut parùm vineis proficientibus, telorum grando dimittitur. Vix itaque viris animoſis ad bellum lux ipſa ſuffecit. Cùm ergo adveſperaſſet, feſſis debilitatiſque membris revocati ſunt à belli Duce, atque in caſtris refecti matutinum expectabant pugnæ conventum. Legati autem Apoſtolicæ Sedis, ut qui tumentes utrinque viros ad cædem nefandi jugulis conſpexerunt, Religione prohibente tantum nefas ſubjicere oculis, id Cæſare patiente, diluculo caſtris ceſſere, Cremonamque ſe conferentes, incertum belli finem ſub quietis otio manere deſtinant. Jamque aër flagrantibus Leonis radiis, Sole in Virginem declinante, peruſtus, multùmque imbribus deſuetis peſtilens adeò effectus eſt, ut vix omnes caſtris militantes ægritudine laborarent; nec Plebeji tantùm, quibus modica delitiarum copia inerat, ſed Duces ipſi, Procerumque Primores, quibus nulla fuit ciborum anguſtia. Primùm hæc labes Gallis, atque Germanis influxit. Deinde Italos, quamquam his modeſtior vini hauſtus, epularumque ordo magis ſobrius eſſet, latenter invaſit. Nec mirum, ſi Gallos primùm, qui ſub Arctoo axe procul à ſolaribus nati radiis, æſtum glacie temperant, nunc deſuetæ regionis intemperiem ſufferentes pe-

peſtilens æther oppreſſit. Sed & ſub cœlo Italico nati, primiſque temporibus educti, non minùs ſerpente morbo periere. His obfuit multùm infectus cadaverum humanorum, equorumque ſenus caſtris olfactus, ex tabe conceptus, dum non procul extra ſtationes reponuntur. Multi namque humatore carentes in mediis relicti agris, volucres feraſque pavere, nonnulli etiam in ipſis caſtris tellure modicum obruta defoſſi ſunt; quique alterum tumulavit, luce ſequenti & ipſe pari officio functus eſt. Nec jam ſepulcris locus aptus manebat: tam repletus erat terræ ſinus undique. Nullæ his exequiæ, nulli Sacerdotales chori, aut pia obſequia devotis orationibus affuere, vixque ullæ lacrymæ, gemituſque auditi ſunt: hoc frequens miniſterium in humandis cadaveribus omni cura vacabat. Sic clam nihil proficiente Medicorum ope, labefactatus aër venis inſerpit, unde lethalis morbus uſque ad medullas languore tacito pertranſiens, ægrotantes paucis diebus abſumſit. Hæc incredibilis pernicies, quam Epidemiam vocant, tot Cæſarienſes fato dedit, tot viros ſtrenuos, ignobileſque ſine cæde proſtravit, ut vix defunctorum numerus ſuperſtitum in caſtris æquavit. Ex Ducibus namque Primatibuſque Gallorum morbo periere ſeptuaginta, vel plures; ex haſtatis militibus Germanici Italicique Idiomatis ſupra millia ſeptem; ex levis armaturæ peditibus Plebeque infima numerus infinitus; ſed hic cùm recenſeri non poſſet, viginti millium deductus eſt. Occidit quoque eo Anno memoratus Vir Illuſtris . . . . . . ſed è caſtris procul, nam morbo correptus dum apud Cæſarem manens de ſalute metueret, Gebennas adduci in lectica voluit. At morte præventus morbo nimiùm ingraveſcente apud Iporegiam vita defecit. Leopoldus quoque Dux Auſtriæ, vir impetuoſus & audax, aëris corrupti metuens intemperiem, jam languore depreſſus uſque Veronam primùm delatus eſt, inde ad primam ſedem maturus acceſſit. Multi etiam gravi morbo languentes in ipſis viarum defecere tramitibus.

His Cæſar circumventus fatorum anguſtiis, quid agat dubius, quibuſque Deos placet infeſtos cæremoniarum cultibus, anceps ignorat. Urebat namque illum germani dolor peremti, quòdque ſuorum necem morbo immedicabili jugiter cerneret. Nec minùs Auguſta, dolentis viri pietate permota, vigiles aris ignes, ſedulumque thuri odorem votivis precibus adolebat, nullumque pro ſoſpite Conjuge Numen intentatum eſt. Nam nocturnæ vigiliæ, inceſſabiles myſteriorum voces, & vota diurna, nullis illam deliciis, aut veſtium ornatibus indulgere ſenſerunt. Proinde factum eſt, ut omnia in ſolitudinem traherentur. Ipſe quoque Cæſar tacito ore convictus vix peragendis in tanto rerum turbine vacabat intentus. At ſuperſtes germanus, Sabaudiæve Comes, ſecretorum ignari, ut Cæſarem tam dejectum, tamque ſubmiſſum conſpexere, labefactatam animi ſui virtutem modis increpantes adverſis, ſobriis illam hortatibus erexerunt. Quamobrem facie jucunda diſſimulans, quo premebatur interiùs, dolorem obtexit; multùmque & ſæpe caſtra circuens audere ſuos hortatus eſt. Hos inter rerum anfractus Canis Veronenſis, qui jam ægrotanti germano ad Patriam Regio nutu remiſſo, recenti equitum peditumque in caſtris ala ſucceſſerat, magnum Cæſari ſolamen vir bellicoſus attulit. Nam ſæpe mœnibus hoſtes incluſos viriliter impetens, jam belli mora defeſſos diuturnis illos incurſibus fatigabat. Unde ceteri manipli Populorum, viri hujuſce robur admirantes, vires, animoſque pariter reſumſere . . . . è quibus grate ſuſceptis binos Amadeo Sabaudiæ Comiti, totidem Guidoni Flandrenſi militiæ ſuæ Duci munificus tradens, reliquos ſibi ſervavit. Ex vero igitur gaudio turbæ omnes hoſtilia frequentiùs mœnia, veluti Cæſare lætato magis auderent, ſævis oppetiere conatibus; unde vix pugnam ſufferentes incluſi tam in ambiguo ſpem metu comprehenſam reliquere. Tranſivit namque clades è caſtris ad aggeres, ita ut non modica pars morbo interiret, præcipuè qui penuria rerum affecti, aut ſedulo labore defeſſi vigiliarum excubiis premebantur. Ceterorum virorum turba ſuperſtes ne morbo caderet, otia, neglecto Patriæ ſuæ edicto, quærebat; factumque eſt, ut ad pugnam pauci jaculis lætis occurrerent. Cæſar autem horum ignarus, quæ fiebant intrinſecus, cùm jam Populos Longobardorum obſidii longa mora defeſſos è caſtris abire cerneret, vixque ſe, Gallis Germaniſve tantùm dumtaxat exceptis, deſtitutum agnoſceret: accerſitis ad ſe Principibus arcani conſilii, bellum id ſumtum erga Brixienſes ſtrenuo Sabaudiæ Duci commendare diſpoſuit; illique turmas ad id opus perficiendum opportunas, conferentibus etiam vires auxiliares urbibus jam ſubnixis, addidit, ut dum bellum illud ſtrenuè ageretur, victique hoſtes utenſilium penuria ſponte ſe traderent, ipſe interim placatis Thuſciæ, aliarumque nationum diſſidiis ad Urbem accedens Diademate Regio potiretur. Sciebat namque, Apoſtolicæ Sedis Legatos id votis avidis præſtolantes moræ tœdium intolerabiliter ſuſtinere. Hoc apud omnes judicatum utile; parabatque jam Cæſar hujuſce propoſiti modum exequi, cùm vir prudens, & decorus induſtria, Lucas de Fliſco Januenſis ex Cardinalibus memoratis, virtute nequaquam inferior, ſeu Divino monitus inſtinctu, ſive Fratrum compulſus hortatu, vel quòd idem præ ceteris utpote Longobardorum gente clariſſimus, hanc ſibi decidendam prorſus litem agnoſceret, caſtra repetiit, Cæſarique conceptum ſuæ mentis aperiens, non repugnante eo, neque palàm permittente, Brixiam, præmiſſis tamen induciis, ingreſſus eſt. Ubi tumentes primùm animos, effrenemque vecordiam Populi jam miteſcere ſentiens, placidis hos affatur alloquiis: Patriam ſuam ſtare, neque flammis, aut ferro ſcindi patiantur, utque Cæſari ultro ſe dedant, ſedulus Orator admonuit, ſeque ad id fact[illegible]endum, modò rem arbitratui ſuo commiſſam non moleſtè linquant, accuratè pollicetur. Nec dubitare, ignoſcendi adhuc locum eſſe, flammatumque Cæſarem benignum reddi poſſe.

His igitur, virique tanti auctoritate fiſi, Brixienſium Optimates, Populique Magiſtratus, tam rerum penuria, quàm belli quoque tractu defeſſi, cujus initium VI. Idus Maji, finem verò XII. Kal. Octobris conſcriptum Annalibus fuiſſe comperimus, Lucæ Cardinali ſe Patriamque ſuam liberè permittentes, vitas oravere. Flammis ferroque abſtinendum, & ab exilii proſcriptione prorſus deſiſtendum, noxâ remiſſâ, rurſus prot[illegible]ſtatus Lucas, fide ſuſcepta ad Cæſarem exiit, illique pro paciſcendis cum hoſte comitiis Brixiam ſe ingreſſum infit, utque itidem non moleſtus patiatur, validis perſuadet argumentis. Aſſumendi ſcilicet Diadematis tempus inſtare, nec differri ulteriùs oportere; expectantes præterea urbes Regis ſui deſidiam increpare, quodque magis penſandum, in caſtris ſe vix deſtitutum agnoſcere. Quamobrem ſuorum fretus con-

ſilio

filio Cæſar, Cardinali rem expediendam ſecretè permiſit; in propatulo autem nihil ſpondens, niſi quantum Auguſtæ congrueret Excellentiæ, ſuo tamen arbitrio ſatiſfcenda quæque reſervans. Lucas verò de Cæſare nihil metuens, quòdque illum ſecreti conſcii Proceres Cardinali obſecuturum in omnibus promiſerant, rurſus ad intrinſecos adit, & ab his peragenda omnia arbitratu ſuo velut à Rege nactum ſe edidit, nullo repugnante, poteſtatem accepit, Cæſarique pandit, & rem, illo nequaquam adverſante, cum Sabaudiæ Comite Flandrenſique Duce perficit. Tanta namque illum rei perficiendæ cupido duxit, ut Cæſarem nutui ſuo ſtare, nec fallere illum, aut votis ſuis alienum fieri credens, nequaquam ambigeret. Sed ipſo facto Gallorum fidem expertus, pacta verſo intellectu percuſſa, ſeque deceptum in ſecretis queſtus eſt. Nam noxam remitti, nihilque grave tribuendum, mœnia nequaquam diruenda, & qui hoſtes fuerant, ad benevolentiam admitti ferebatur. Conſummatis igitur pactionis alternæ fœderibus, Cæſar Sabaudiæ Comitem, & Guidonem memoratum, cum magna militiæ ſuæ caterva valvis apertis moleſtæ Urbis intro dimittit; ipſe autem manens in caſtris per ſolitos portarum aditus ingredi abnegans, non niſi apertis ruina muris, quantum ſemis baliſtæ jactus amplectitur, cum Regina pariter Urbem adit, exulibus qui pulſi ante fuerant circumventus. Cui obviam prodeuntes Populi turbæ cum ramis Olivarum veniam implorantes, trucem illum, malaque in eos concepturum ex vultus indagine præominati ſunt. Ad Atrium itaque magno delatus applauſu, ſumto cibo circa deprimendos Brixianorum faſtus conſilium init; confeſtimque mutatis roſtrorum ordinibus, plebiſcitiſque deciſis, mores alios, legeſque ſervandas inſtituit, ipſaque mœnia circum circa deprimi, & exciſa cum fragmentis ſuis in foveas obrui imperat, ut inde liber omnibus pateat aditus, nihilque ulteriùs reſiſtere valeant. Delectis quoque ex Optimatibus Guelphæ partis olim Thebaldi complicibus ad numerum ſexaginta, quorum primores hi Florenus de Poncarali, Corradinus de Confaloneriis, Gulielmus ejus frater, Ubertanus de Salio, plerique alii, quorum vocabula prætermittimus, hos Regem quòcumque pergeret ſecuturos edicit. Paucis quoque moratus diebus, atcumque properiùs valuit, pro ſtatuendo apud Papiam generali Concilio, ſingulas famulantium Populorum urbes, quatenus ſolemnes eò Legatos inter diem præfixam ſtudioſè dirigant, Regiis Literis allicit. Ubi circa reformandas Italiæ citerioris partes, auditis ſingulorum querelis, ſobriè commiſſo hujuſce urbis moderamine Galeotto de Malaſpinis ſtrenuo, per Soncini tramitem Cremonam maturo progreſſu repetiit, ubi patulis Brixianorum queſtibus graviter offenſus, eo quòd læſos ſe citra pollicitum Cardinalis fœdus quererentur, non minùs ploratu fletibuſque mulierum pro captivis ſuis devotè ſupplicantium moleſtè perculſus eſt. Tandem Regina pro his jugiter intercedente, dum inter tot lacrymas & ipſa modicùm oculos pietate mota defudiſſet, captivos omnes, qui per municipia Rimenengi, Caſtri-Leonis, & alia Loca diſtributi juſſu Regio in vinculis ſervabantur, relaxari juſſit. Tum ob graves illius in ſubitò parandi cenſus exactione preſſuras, novaſque leges, quibus uti volebat, orta inter Cremonenſes, & ipſum diſſidii cauſa affuit. Unde ferè omnes longo carceris pædore ſoluti ſunt. Ex clara quidem proſapia memorabiles hi Sovramons Amatus, Carinus Gazonus, Gerardus Jeſanus, Maſinarius Laudenſis, Symbaldus de Burgo, Guiſerius de Summo-Vereno. Multique præter hos obſcurè nati, ut ajunt, apud Caſtrum Leonis extincti ſunt; ex Plebejis verò ſupra quàm trecenti, quos Galeottus Regia vice Præfectus, dum apud Brixiam Cæſar in caſtri eſſet, Gibellinorum hortatu dolo capi, & vinculis arctari juſſit, dolore magno, fameque conſumti turpiter defecere.

Inde Cæſar Cremonenſium perfidiam deteſtatus, cùm ſtatutum tempus Concilii vix præſto eſſet, relicto Præſide Soffredo Piſtorienſe, ſequentibus Cardinalibus versùs Placentiam digreſſus iter arripit, cùmque penes ter mille paſſuum ferme ſpatium ventum eſſet, Placentini obviam prodeuntes Regem ſuum flexis genibus adorantes, libertatem Patriæ ſuæ votis avidis petiere. Introque illum applauſu magno ducentes, Albertum Scottum de ſæva tyrannide criminati ſunt, quòdque ille longo tempore Populum gravibus nunc bellorum, nunc æris, nunc cædis immeritæ ſuppliciis affeciſſet. Cæſar verum ſobriè percunctatus, dum componendarum tranquillè rerum mora privaretur, majoriſque diſſidii propter varia civium vota cauſam agnoſceret, rem hanc alio diſcutiendam loco ſuſpendens, Alberto Præfectura privato, Petro Delmeſa Veronenſi gubernationem tradit, jubetque, ut itidem Albertus Regem quòcumque ſequatur. Qui ſpe ſua fruſtratus digredientem Cæſarem uſque ad Papiæ fines ſequitur, ſed oblata ſibi in Patriam libertate, Oppida quæ priùs violenter occupaverat, citus adit, potiſſimè Arquati locum magna fovearum, aggerumque indagine circumventum, ubi ſe tutum ſciens, viris teliſque fulcitus, inde bellum atrox Patriæ movit intrepidus, agroſque depopulatus, & ædes ſævis ignibus, & rapinis, hoſtis ex plebiſcito, reuſque mortis adjudicatus eſt, donec modico temporis intervallo, Petro ſublato, Galeatius Maphæi natus moderamen accipit. Hic Alberto minas inferens, metumque addens, ni loca tradat oppreſſa, obſidium pertinax, mortemque, & ſuæ gentis exterminium polli etur. Pavens Albertus id Maphæo per literas indicat; memor enim familiaritatis vetuſtæ non illum ſibi deficere cogitabat. At verſutus Maphæus haud injuriarum oblitus dolis hunc opprimere deſtinat. Suadet igitur, ut Galeatio nequaquam pareat, ſed in tuto reſidens pacem cum civibus agat, nec ulteriùs depopuletur agros, aut ignibus ædes abſumat; nato verò, quid potiùs in hoſtem capitalem agendum ſit, clandeſtinè imperat; edicit nempe, ut vir moleſtus vi doliſve prorſus occumbat. Galeatius namque ſibi Patrem exoſum ſimulans, eo quòd in Albertum malè conciperet, exercitum parat, circiterque oppidum memoratum repentè producit, ubi baliſtis, & machinis, omnique genere tormentorum hoſtem impellens, multis ſæpe illum occurſibus terruit; nam uſque aggeres, nequaquam impedientibus fovearum cupidinibus, itum eſt. Quamobrem puſillanimus Albertus, viribus jam ingraveſcente ſenio diffidens locum tutari poſſe, hoſtem ad colloquium allicit, illumque blandis ſermonibus alloquens, cur in ſe neglecto, genitoris edicto nitatur, modeſtè increpat, probati quondam amoris & beneficiorum memoriam ad crimen objiciens. Ad hæc Galeatius commiſſam ſibi Placentiæ ſedem in pace ſervare, hoſteſque è finibus repellere, vel faventes ad Plebis gratiam reſtituere; cum Alberto cauſam ob antiquam cum Patre benevolentiam benignè ſe

A velle agere, ſi priùs locum ſponte dederit, nec inde ſecedere, priuſquam oppidum vendicarit, per jusjurandum pollicetur. Albertus verò, quo ad potuit, nitus eſt flagrantis animoſi juvenis impetum à fero mentis conceptu divertere, multa illum verſutia, multiſque illum probabilibus argumentis impellens; ſed nequaquam illum labefactare valuit. Hoc tamen præter ſpem ſtudioſe nanciſcitur, ut reſignato primùm oppido, in Patriam brevi temporis intervallo, donec Populi ſeditio acquieverit, redeundi facultas ſibi adſit: Adquieſcens igitur Galeatio ſub ſpe polliciti fœdens, metu potiùs, quàm animi benevolentia, ceſſit. Albertus locum rerum omnium opulentia decorum, ſed Bacchi frequentiùs, juniori Tyranno concedit; ipſe verò cum
B natis duobus Mediolanum adit, ut apud Maphæum memoratum interea natum ſibi benignum efficiat, velitque, etiam Placentinis adverſantibus, illum in Patria ſua civiliter degere. Sed longè amoto ſæpe ſpes exulat, quodque magis cupimus raro vel numquam aſſequimur. Albertus itaque revocari ſe putans, poſt ſemeſtre ſpatium intolerabiliùs moram increpat, Maphæumque deſidem in amici reditu vocat, ſolicitanſque frequentiùs nunc precibus, nunc rigidis ſermonibus ulcerat. Ille verò ſui voti compos, quòd ab hoſte capitali nunc ultionem exigeret, blandis affatibus exandeſcentem ira demulcet, neque graves illi moras fieri ſuadet,
C donec tractabilis natus rebus in quiete compoſitis mitiùs vocem patris audiat. Nec dubitari, illum ſpe ſua fruſtrari poſſe, aut aliqua utenſilium penuria affici, theſauris omnibus, ut libet, apertis. Sed nequaquam his viri flagrantis impetum placare valens, inanibus illum ſpei longinquæ paſcebat affectibus. Interdum etiam ſe,

A ut ſolando magis hoſtem confirmaret, per ſeptennium memorabat a patrio ſolo rebus omnibus ſpoliatum miſerabiliter exulaſſe. Quod animo concipiens Albertus, perplexa licet verba ſubjicit intellectui, novitque præteriti memor, Maphæum ſibi latenter illudere. Deinde conſolationis remedium non inveniens, Maphæo clam ignaro Mediolanum deſerit, & Cremonam olim ſibi complicem paribus votis animi celer adit, ubi à Primoribus ægrè ſuſceptus, iiſque potiſſimùm, quibus fortuna ſtante rebus ſecundis gratiſſimus fuerat, morbo venis ſerpente, ſeu labore viæ, ſeu ætatis annoſæ defectu, ſive quod potiùs credibile eſt, ſummi doloris anguſtia, dum ſe tam dejectum, tamque depreſſum agno-
B ſceret, paucis diebus abſumtus, aliena tellure procubuit. Ex hoc quippe magnum poſteris documentum elicitur, quàmque Divina virtus rebus præſit humanis, dum vir tantus olim metuendus, ac viribus magnis opibuſque præſtantior inter Populorum Duces blandiente fortuna, nunc ſubitò lapſus in imum, eadem ſæviente, nulli miſerabilis infeliciter occidit: digna quidem patratorum ſcelerum ultio, quibus ſemper abuſus erga Patriam agnatoſque ſuos, fidem, pietatemque numquam coluit, & ut Regno potiretur, trux in omnes, perfidus, & inconſtans præ ceteris appellatus eſt. Talis nempe Tyrannorum eſt mos, ut Populos gravibus ſemper pecuniarum exactionibus torqueant, legeſque ſa-
C cras diripiant, bonos lædant, impios foveant, omnia ex libidine jubeant, ſolis delitiis & voluptatibus dediti. Quid plura? nihil his juſtum, nihil rectum, aut pium efficitur virtute neglecta; meritò igitur horum traditur infelix exitus, dum flagitioſa ſemper fuit à Deo deteſtata conditio.

Explicit Liber Quartus.

IN-

INCIPIT LIBER QUINTUS.

Henricus VII. Concilium Papiæ habet, tum Genuam profectus magno plauſu excipitur, ibique Potentum lites componit. Multi ad eum Legati, ſed peſte in Urbem ingruente Auguſta diem poſtremum obit. Varii Romanorum, Thuſcorum & Longobardorum motus, plerique adversùs Cæſarem. Genuenſium querelis permotus Henricus Piſas tamdem ſe confert, ubi perduelles Imperii palàm damnat. Per Thuſciam progreſſus Romam pervenit, & obſtantibus ei Roberti Apuliæ Regis copiis, multa ibi prœlia gerit. In Lateranenſi Baſilica Imperialem Coronam ſuſcipit. Bellum in Urbe continuatur. Inde tamdem Cæſar digreditur, & debellatis in itinere aliquot caſtellis apud Florentiam ſibi adverſantem conſiſtit. Ingens utrinque armorum apparatus, dimiſſa obſidione versùs Senas ſe convertit, expeditionem urgens in Apuliæ Regem. Tum ægritudine corporis correptus apud Bonconventum gravi rerum viciſſitudine moritur.

DIgreſſi modicum è calle directo per devios temporum ordines nequam ſenis proterviam, ejuſque fata noviſſima his operis noſtri ſcriptis inſeruimus, ne fortè rurſus exigente rerum ſerie alio conſcribere loco neceſſitas urgeret, & ne felix tanto luxu rerum ſecundarum nequaquam lapſus aut nimiùm præcipitatus lege fatali, iterumque fortaſſis in apicem rotæ volubilis alterna vice reſtaurandus eſſe putaretur, niſi repentè ignominioſus vitæ finis manifeſta ſatis demonſtratione pateret. Aptius quippe viſum eſt, caput, & pedes, membraque omnia ſimul oſtendi, quàm variis locis & tempore dividi. Nunc Cæſaris tranſitum in Papiam feliciter reſumentes, quid inde diſcedens apud Januam, & Piſas, demumque Urbem ingreſſus potenter egerit, retroque cedens functus primùm Diademate Regio non ſinè magna ſuorum ſtrage, quot quantiſve laboribus Thuſcos appulerit, quave inde tellure curſum vitæ peregerit, Deo nobis propitio in ſeriem conſcribemus.

Cæſar itaque Papiam jugi motu profectus à Philippino, ceteriſque Primoribus ex Plebe magnificè ſuſceptus, applauſibus in Atrium ducitur; ubi colloquium ſolemne habiturus, vix promulgato edicto Legatos omnes parentium Populorum accerſiit, ſigillatim omnes in unum convenere. Adſiſtentibus autem Sedis Apoſtolicæ Cardinalibus, Johannes de Cancellariis Januenſis, vir eximiæ auctoritatis & facundiæ, Cæſare jubente, Orationem hujuſmodi placidis verborum affectibus edidit.

Magna, Quirites, Virique conſpicui, extrema Regem hunc veſtrum pro reformandis Italiæ partibus vexat ambitio. multùmque hactenus, quo ad potuit, pro extirpandis delendiſque rebellium pertinaciis, conſilio & opere uſus eſt, nec dum tamen valuit animi ſui votum, impedientibus fatis, ad plenum exequi. At profectò fluens ex Cœlo juſtitia ultorem hunc impiorum dabit in Terris, auctoreſque ipſos ſcelerum in diem virtute proſternet, dum locus & tempus magis accommodum viribus reſumtis affuerit. Primùm tamen ne vos lateat, migrandum eſſe ad Urbem Diadema Regum aſſumturus, neceſſitate id urgente, diſpoſuit; nam Cardines ab Apoſtolica Sede profecti, ultra præfixam Coronationis diem moram increpantes commiſſum illis

A *officium nimis protrahi queruntur. Præterea gentes alias gravibus diſſidiis, preſſuriſque affectas Regem ſuum ſuperſtitiosè novimus cupere, ipſumque titulo Regio decoratum fortiùs imperaturum, formidoloſumque magis Populis fieri, ut Regia juſſa non negligant. Sicque prudentum conſilio ſtabilitum prorſus eſt, nihil apud fideles innovare velle, ſed ſolicitam omnibus curam circa graſſantium perfidiam adhibere, ne quid ſiniſtrum accidat, donec itidem Rex maturè regreſſus advenerit. Proinde omnes Legati pro patriis rebus agentes ſub arcanis ſcripturarum votis, quid unicuique magis expediat, poſcant, quidve utilius videatur Cancellario Regis exhibeant, ſuper quibus ſobriè ab Auguſto diſcuſſis,* B *quid potiùs velit eſſe, ſingulatim per reſcripta ſua edet. Rurſuſque omnes luce tertia in eadem Sede conveniant audituri Regiæ cenſuræ Decretum.*

Hæc ab illo prolixiùs edita. Aſſurgens autem memoratus Oſtienſi Cardinalis à latere Regio, facundo multùm eloquio mirificè laudans, probabilibus argumentis vota omnium exhortatus eſt. Demum conventu dimiſſo ceteri abiere ſuſpenſis animis hæſitantes, quid pro ſe utile quiſque meditetur, poſcatque à Rege ſuo fieri. Horum numerus, ut ajunt, non paucior octuaginta interfuere, nempe Legati ferè civitatum omnium Liguriæ, Æmiliæ, atque Venetiæ, è quibus memorabiles hæ Iporegia, Chierium, C Aſt, Novaria, Vercellæ, Mediolanum, Cumæ, Pergamum, Brixia, Cremona, Placentia, Papia, Parma, Rhegium, Mutina, Verona, Mantua, Vicentia, Padua, Tarviſium. Bononienſes autem, & Fæſulani, eo quòd Regem inviſum odio haberent, eò Legatos ſuos indignati ſunt mittere. Illuceſcente ergo die præfixa eadem omnes, qua dudum tertius, ſede convenientes, Rege imperante, conſiſtunt, ubi ſingulorum ſcriptis ad Tribunal delatis, acceptiſque, Orator idem Johannes juſſu Regio rurſum infit: Cæſarem valde lætatum in ſcriptis fidelium voluntatibus, pro quibus fidem eorum conſtantiamque collaudans, grates inde debitas referebat; prorſuſque cordi ſibi fore ſuper omnium D commodis, quàm primùm temporis opportunitas aderit, conſultè providere; verùm ad id propter varia imminentia graviſſimis laboribus peragenda tunc facto locum non eſſe, ſed accom-

commodari aptis rerum eventibus, nullique deſperandum, ſed in Domino confidendum, qui ſubjectorum vota intuens profectò cupitum efficiet portum attingere.

His aliiſque hortati, ægrè lætati, tacitis ſecum muſſitantes tumultibus infremuerunt, cùm Regem extra Longobardorum fines maturiùs quàm rati fuerant jam abire parantem agnoſcerent, præcipuè quos violenta Tyrannorum potentia exulare coegerat, dum in ſpem hucuſque producti jam manifeſta ſe perfidia fraudari quererentur à Rege. Ex his nempe ſama clariores Manfredus de Beccaria Papienſis, Gnilielmus de Rubeis Parmenſis, Vinciguerra Comes Veronenſis, Antonius de Fixiratico Laudenſis; & plerique alii obſcuris orti parentibus, crebris vociferantes querelis, non modò Cæſaris, ſed Aſſiſtentium etiam plectebant auditum. Quibus Rex benignè ſatis orſus eloquio, quo ad potuit, verbis mitibus ſpem pollicitus eſt; illicoque inde ſe referens horâ diei ferè nonâ epulatus Papiæ, moderamen Ludovico de Sabaudia viro ſtrenuo commendavit.

Poſt hæc maturè abiens, ſequente Procerum turba, uſque Terdonam dietis binis profectus eſt. Priuſquam tamen Papiam linqueret, cæteros urbium memoratarum Proceres, quatenus intra diem certum viris armiſque ſuffulti Regem ſuum uſque ſequantur ad Urbem, & apud Januam conveniant, literis ſecretis accerſiit, inter quos Guibertum Parmenſem, cujus perfidiam ſæpe deteſtatus, nequaquam illum conſtantem eſſe vix dubitans, potiſſimùm apperebat. Canem quoque Veronenſem, eo quòd idem juvenis animoſus, & Imperii zelator optimus videbatur, nonnullos etiam ex aliis vocavit urbibus, quos ſciebat opibus & potentia præfulgere, quoſve putabat facilè prævaricatores res pacificas in diſſidium trahere. Ex omnibus tamen pauci Regis obtemperavere mandatis. Exules verò, qui hactenus ſpem mente contraxerant, Regis perfidiam deteſtantes, ulteriùs illum ſequi abnegant. Solus autem Laudenſis Antonius nondum ſpe privatus, quam auro cenſuve pollicito, intercedente pro eo Sabaudiæ Comite, falli non putabat, poſt Regis greſſum Terdonam applicuit, ubi reſponſo accepto, cùm repulſam intelligeret, ſecum fremens, ignaro Rege, diſceſſit; rediensque Papiam à colonis Voglerii ruris Manfredi de Beccaria valde complicibus captus eſt, & in vincula conjectus. Hic cùm pro redemtione ſua magnum auri pondus pactus eſſet, non tulit Manfredus memoratus jam Maphæo partialis typo benevolentiæ circumſcriptus; ſciebat quippe, hoc amico moleſtum fieri, cujus hoſtem non ignorabat capitalem eſſe. Maphæum itaque de captivitate hujuſce viri docet, qui valde lætatus, properè hoc Cæſari indicat, permittente eo, captivum à Manfredio accipit, vinctumque compedibus arctis in carcerem mitti jubet, ac ſolicitè cuſtodiri. Potitus ergo Cæſar exigua civitate Terdonæ, non multum ibi moræ contraxit; ſed in hoc doloris magni cauſam invênit. Nam vir acer, & ſtrenuus militiæ quondam Cæſareæ Dux Guido Flandrenſis eo, quem in caſtris apud Brixiam ob aeris intemperiem venis hauſerat, diu languens morbo ingraveſcente correptus eſt, exequiiſque magnificis & cæremoniarum luctifico decore ſubhumatus. Cæſare verò apud Terdonam manente, Januenſes jam de tranſitu Regis certiorati, Legatos ſolemnes cò dirigunt, qui ſeduli illum comitantes greſſibus ſecurum aditum ſpondeant, indicentque quà faciliùs tranſeundum ſit illorſum per ignotos viarum anfractus, & juga itu aſpera . . . .

Demum peractis his, quæ apud Terdonam expedienda Cæſari viſa ſunt, inde iter aſſumens, per arduos Gabii colles itidem Rex poſt dies binos in planum deſcendit, Januamque appetens, illuc tandem applicuit, ubi Populo magnificis applauſibus occurrente, ſupra quàm ulli credibile videatur, præviis Tubicinum, Hiſtrionumque turbis, introducitur. Feſtiva dies illa Jovis XII. Kal. Novembris ſolemnibus agitata tripudiis, omnes Cæſari Januenſium theſauros aperuit. Nam inter urbis aditus, quò Cæſar iturus erat, omnes viarum lapſus, deſuper ſtratis aulæis, purpura nitens obtexit; præterea turbæ omnes indutæ novis amictibus, auro gemmiſque nitentibus obviam proceſſere. Nobiles quidem ſeorſum à Plebe, pars equis ſubvecti adoleſcentes ſuos in haſtiludiis militantes præmiſere; qui verò profecti Abbatem Populi turbis maximis circumventum comitati ſunt. At partem Auriorum foventes Populo immiſceri dedignantur, ſolique in globum adducti, novis veſtium ornatibus coloris ejuſdem ante veſtibulum Cathedralis Eccleſiæ non ultra progreſſi Regem venientem admittunt, ibique illum debitis venerantes obſequiis ſe ſe, ſuaque ei liberaliter offerunt. Fuere hi nempe, ut ajunt, è ſtirpe Auria, ſuiſque complicibus ferme virorum mille capita, qui partem Spinolorum exoſi, his mixtim inſeri dedignantes, Plebique viliſſimæ, Regi potentiam ſuam ſic oſtendere auſi ſunt. Cæſar verò ſub umbra nobiliſſimæ purpuræ deſuper tectus cum Regina pari honore ſequente in Atrium Pontificis adductus eſt, ubi luxu rerum utenſilium ædes omnes expenſis fiſcalibus abundabant, ad quem viſendum tam nobiles, quàm Plebeji undique confluentes advenere: ſicque dies illa ſolis obtutibus quietique data, nullius frugi ſub actione pertranſiit. Sequenti verò luce Præfectus urbis, & Abbas Populi de more vetuſto, veluti jam fuerat, ex Plebiſcito ſancitum, maximis comitati turbis Cæſarem adveniunt, illique Patriæ ſuæ regimen tradentes, omnia ſuo nutui liberales abſque aliqua novorum fœderum pactione ſubjiciunt: quod ille gratò ſuſcipiens blandis eorum induſtriam commendavit affatibus. Verùm ne ignavia ab inconſulto viderentur tradita, perſuaſit, quatenus per jusjurandum fides pollicita quàm legitimè fieret; ſicque effectum eſt, Rege volente; nam delectus quidem Plebis mediæ, ſingulorum cauſam editurus, decreto Senatus coram Rege memorato, adſiſtentibus Procerum ſuorum turbis, & Populi multitudine, in Vico publico juxta Aulæ ſuæ veſtibulum ſubnixam Cæſari fidelitatem cum juramenti vinculo pollicitus eſt. Poſt hæc litium diſſidiis, quæ multifariàm ob novum urbis regimen juſto Principi commendatum Auguſtis auribus infremebant, curam impendere feſtinabat; erant namque multis variiſque modis temporum lapſu ſecutæ. Ex omnibus tamen, quæ inter Aurias, & Spinolas vertebatur, ardua magis difficiliorque paratu controverſia. Nam cùm hæc urbs nefandarum ab olim Gib lengæ, Guelphæve Partium accenſa ſchiſmatibus, in contentionem maximam traheretur, ejectis vi Guelphis, his duabus nobilium proſapiis diripienda ſuccubuit; brevique temporis lapſu potienda permanſit. His igitur rerum luxu ſecundarum elatis, dum fieret paris contentio, ſubitis Reſpublica tumultibus everſa eſt. Duo tamen ſeditionis Principes fuere; ex Spinolis Opizinus, ex Auriis Barnabas. Hi cùm opulen-

tia

tia magna fulti, ut Potentes ſe crederent, & alter præeſſet alteri, dolos vimque parabant; ſicque cædibus & rapinis tota res agebatur, donec prudentior Barnabas germani ſui Conradi, ſuorumque complicum fretus conſilio, Guelphis admiſſis, Opizinum violenter ejecit, hicque dudum exul tunc in Patriam à Cæſare reſtauratus advenerat. Quamobrem Barnabam Opizinus, & ſui de ſpoliatione fiſcalis theſauri criminabantur, quòdque ille hoſtibus admiſſis Imperii, & præcipuè ſunctus viribus Regis Caroli zelatoris Majeſtatis Auguſtæ, per tyrannidem urbem oppreſſiſſet. E contra verò adversùs Opizinum ferebatur, illum Rempublicam in diſſidium vertere niſum eſſe, & generi Marchionis Montisferrati admiſſo præſidio, Auriis expulſis, Patriæ flammas perniciemque paraſſe; hoſtemque adjudicatum, quòd ex temeritate præſumta rem Populi, ſuis legibus de more vetuſto non gubernaſſet, inficiabaturque Barnabas ſe rapinas aut prædam ex ærario coacervaſſe. His altercationibus Cæſar offenſus, quòd inter electioris animi ſtirpes contentio maxima ſuſcitaretur (nam neque tantùm has duas proſapias gravis cauſa vexabat, ſed ferè omnes, quibus tumentes animos Proavorum geſta nobilium, aut immenſæ divitiæ ſuggerebant) litem hanc decidendam viro ſtrenuo Sabaudiæ Comiti delegavit. Ipſe verò, quamquam inde rebus maturè compoſitis digredi concepiſſet, propoſitum diſtulit in tempus habile, donec pacatis horum diſſidiis res in tranquillo ſtatu permaneat. Percunctatus itaque, ut patentiùs re occupata Potentum faſtus elidat, Abbate Populi, ei relicto tantùm ſuperlationis vocabulo, permiſſi quondam arbitrii poteſtate privavit, quoſque ſatellites pro ſui tuitione ſovebat, abire coercuit. Præfectum quoque de more veterum rudibus inſtitutis amovit, ſibique auctoritatem vendicans, omnia pro libito facitiſcendi, mulctandi, ignoſcendi, Vicarium pro ſe decrevit Gibertum de Aſpramonte, agnationis ſuæ virum egregium, illique annuum tributum ſexaginta millium Florenorum auri conſtituit, Legeſque non ex Plebiſcito, ſed Cæſaris decreto ſervabat, mores conſuetudineſque innovans, deſueta voluit inſtituta ſervari.

Interea Longobardorum Duces literis Cæſareis accerſiti, quid agant dubii, variis curarum ſolicitudinibus angebantur. Adiere tamen illuc pauci, quos accepti merces beneficii meritum reciprocare ſuggerebat, quive petitos ſibi faſces vendicare cupiebant. Inter hos Canis Veronenſis, ſama præclarior, majori comitum turba ad Cæſarem ocior ſe proripuit; ſed idem poſt dies XV. ob nunciatum funus germani ſui Alboini, quem graviter ægrotantem juſſis Regiis obtemperaturus, in ambiguo vitæ diſcrimine liquerat, Auguſto permittente, deceſſit, inquietuſque diebus quinque Veronam ſe proripuit, ſemianimemque fratrem inveniens, die ſequenti vita privatum magnificis tumulavit obſequiis, potituſque eſt Patriæ ſuæ, nullo adverſante, præſidatu. Acceſſere etiam Marchiones Salutiarum, & ex Malaſpinis viri duo egregii ſamoſique apud colles oppidaque montana inter Longobardorum fines, Thuſcorumque receſſus. Luchinus quoque junior Maphæi Vicecomitis natus, concomitantibus multis, acceſſit. Plerique etiam clara indole ſuæ ſtirpis editi, quos exilium, aut Regni ſpes ambitioſa premebat, ſponte ſecuti ſunt. Nec quidem Legati memoratarum urbium greſſus Auguſtos devii, (tantus illos officii commiſſi metus angebat) temerè relinquere; ſed uſque in Januam, quamquam hos gravis labor urgeret, Cæſarem comitati, magnas æris impenſas rerum ſuarum profluvio querebantur. Fuere inter alios quatuor è Patria noſtra delecti, quorum nobilitas gradu prior: Sigonfredus de Arzignano vir Equeſtris Ordinis, factioſus & audax; ex Plebe media, quamquam ævo maturior, Martius Boſſus, multùm ſe efferens per ignaviam; reliqui duo inferioris proſapiæ adoleſcentes egregii, locupletibus orti parentibus. Nec tamen illos Decurionum Senatus elegit, ſed improbi jam in ſcelus nitentes, qui Cives omnia ſubvertère; effectumque eſt, ſic ferentibus fatis, ut ex adoleſcentibus alter ætate junior Ferrarius Guidonis de Lanzade natus, unicum parentibus ſolamen, apud Januam gravi morbo deficeret. E Patavis totidem numero illorſum tranſmiſſi ſunt, Rolandus ſcilicet de Plaziola, vir impetuoſus & loquax, Jacobus de Alvarotis moribus & vita diſcretior, ambo tamen juris peritiſſimi, Johannes Henricus de Capitevaccæ, memoratuſque Albertinus Muxatus nondum Poëta dictus in Populo. De Verona Nicolaus de Altomanno, Bonmeſius Paganotus pro Patria ſua Cæſarem perſecuti ſunt; reliquique, quorum vocabula nobis ignota iſtic prætermittimus. Cæſar igitur apud Januam reſidens pro componendis in ea rebus, præſertim Spinolarum & Auriorum controverſiis, multas animi gravedines ſiniſtro ſatorum eventu perpeſſus eſt; nam infecto tam ſaluberrimi climatis æthere ob latentes inter Germanos, Gallicoſque viſcerum corruptelas, cujus initium apud Brixiam morbo venis ſerpente proceſſit; maxima hominum turba membris langueſcentibus occidit. Nec pepercit mors impia ſexui vel ætati, nam in ipſa quoque Auguſta vires experiundo exemplar humanæ vitæ certiſſimum patefecit. Corrupta ergo membrorum compagine ob laboris aſſidui tolerantiam, eadem magni Principis conjux diebus paucis lucem exivit, cujus cadaver nitenti purpura circumdatum, de more Regio impoſitâ vertici aureâ Coronâ, apud Cœnobium Minorum Fratrum, ſequente Nobilium turba, depoſitum juxta Aræ Sacræ Tabernaculum in ſarcophago publico tellure obruta ſubhumatur. Tunc dies celebris verendaque Luciæ feſto Idibus Decembris inſtabat vix anni curſu perfecto è Gallicis jugis egreſſæ. Ex hoc Cæſar paululum vultu turbatus, nullas tamen in patulo lacrymas foris effudit, interiùs verò thori ſociam deflens, quam primis optavit, ſupremis eamdem caſti amoris tædis exarſit, quia ſola contentum thalamo fidem ſervaſſe apud omnes putatum eſt. Hæc clades etiam in Januenſes ipſos tranſiens, multos letho proſtravit; nec valuit ſaluberrimi quondam ætheris clima puriſſimum; incredibilis enim viſcerum contagio adeò illic increbuit, ut vix omnes interirent; ideoque effectum eſt, ut Clerus omnis cum Antiſtite ſuo Deum, quem ſibi infeſtum putabant, hymnis & cantibus circiter mœnia urbis expiarent; nec apud Veteres incolas par excidium viſum eſt numquam, vel relatum.

His Cæſar multùm dolore anxius, curiſque ſolicitus (nam pauci ex multorum grege ſupererant) quid agat dubius obverſatur. Venère igitur ad illum viſendi gratiâ Piſanorum Legati, cùm ad Patriam ſuam acceſſurum maturiùs concepiſſent, ne ſpes admiſſa labaret, quatuor & viginti induſtria magna decori, quorum princeps, ut ajunt, Comes Facius Gerardi natus egregii, cujus uxorem, (velut deleta nondum refert memoria) ſuperato Romanorum Rege Corradino, Carolus Siciliæ Rex pari ſupplicio mul-

mulctari juſſit. Hi Regi ſuo fiſcales theſauros, & publica æquè tradentes omnia nutui ſuo paritura deſpondent, orantes illum, quatenus citis greſſibus Piſas adeat, utque aptius iter peragat, galêas octo pro ſupportandis equis & viris, in portum ſubvehunt. Multas præterea rebus utenſilibus onerarias illo ſtatuunt naves, quæ victum ſuppetant; manſere nempe in portu Piſano ſecus Januam Regem manentes ferme menſes duos, ut ajunt, donec ſpes votis acceſſit. His quoque diebus à Roberto Neapolis Rege tranſmiſſus Legatus . . . . Rizardus ſedulo curſu pervênit, qui à Cæſare jucundo vultu ſuſceptus varia vulgi judicia per vicos ſuſcitavit. Quidam enim veniſſe illum pro nuptialibus inter utroſque Reges fœderibus inſiunt; quidam, ut Cæſari metum ſuſcitans, quid inde meditetur ſtudioſus intelligat, ob eamque cauſam pacta vix ulli ferenda poſtulaſſe. Arcana tamen hæc prorſus incognita Plebi, donec increbeſcente ſama Robertum eumdem cum Urſinorum favore Urbis loca tutiſſima ſuis viribus anticipaſſe relatum eſt; eòque germanum ejus Johannem cum maxima virorum manu deſtinaſſe. Idque diu vix creditum, Sarra de Columna indicante, tunc Cæſari patuit; quamobrem Rizardus memoratus pavore concepto maris diſcrimen negligens, præter Cæſaris ſcientiam puppe delabitur, Apuliamque repetens ad Dominum proficiſcitur. Nec procul iſtinc feſtinus acceſſit Galvanus Lanzea, vir egregius, Friderici Regionis Siculæ poſſeſſoris vafer Legatus, qui galêi duabus Portum attingens Cæſarem regalibus primùm muneribus opulenter donavit, demum ad illum ſe conferens, ſecretò rem ſibi commiſſam aperuit, quam vulgi judicio minùs cognitam pauci ex Secretariis Regiæ Aulæ intellexere. Verùm de ſponſalibus contrahendis habita mentio ſuper aliis majori excuſſis examine præterivit, ſatis enim apud omnes agnitum eſt, quæ inter hos Duces benevolentia, qualis amicitiæ ſtatus eſſet. Igitur uterque niſus eſt apud Cæſarem de opportuno ſibi remedio providere; gratior tamen Fridericus longa ſuorum ſtatione niſus eſt, quòdque idem Auguſto vires ſocians & arma pro naniſcendo Urbis aditu pollicitus eſt.

Interea rebus ſic fluctuantibus ecce Sarra de Columna, vir factioſus & audax, ex Urbe proveniens ad Cæſarem ſe proripuit, illique perſuadet maturum illuc accelerare progreſſum; gentem Roberti Regis Apuliæ, Senatorias jam curules, Urbiſque loca munitiſſima, Urſinis adjunctis, retulit occupaſſe; maturèque repugnandi opus eſſe, priuſquam hoſtes ſibi mœnia quæque ſubjiciant. Unde Cæſar Cardinalium Procerumque ſuorum fretus conſilio, Ludovicum de Sabaudia, virum ſatis illuſtrem, pro anticipandis locorum opportunitatibus, utque Populi favorem adeptus Regi venienti iter expediat, ad Urbem properè dimiſit. Qui puppem ingrediens, versùs Piſas remis incubuit; ſed nimiùm tempeſtate maris adactus, vix naufragio depreſſus in maritima loca, quæ ſub Comite Sanctæ-Floris, Aquilas verente, demum evaſit; unde comiter ſuſceptus inde ad Urbem feſtinus acceſſit. Noverat enim vicos, & viarum quælibet compita, in qua Senatorius Præſes paulò ante regnaverat, multumque illi valuit: quam ſibi famam bonis actionibus, & animi virtute paraverat. Nova quoque de Lombardiæ partibus Cæſari nuntiata vix primò credita, denique veris auctoribus, & referente fama, compertum eſt, omnia clandeſtinis turbari motibus Guelphos ſuſcitatis partialium viribus in Gibellinos atrociter ſævire; Guibertum quoque de Corrigia, Florentinis, Bononienſibuſque per ſociale fœdus admiſſis, nova cum Guidone de la Turre ſponſalia pepigiſſe; Philipponem quoque de Languſco hoſtium impulſibus, reſumto ſibi Patriæ ſuæ Præſidatu, Roberti Regis gentem adſciviſſe in Gibellinorum necem, & præcipitium. Ob eamque cauſam Brixienſes in Mazios conjuraſſe, ſed illos cautè prævisos, admoto Pergamenſium ſubſidio, Goffredique apud Cremonam Regia vice Præfecti, cum quo Galeatius Maphæi primogenitus manu potenti ſe contulit, Guelphos cædibus contriviſſe, pluribuſque necatis multos in exilium compuliſſe. Nec multùm poſt hæc Marchiones de Cavalcabobus, ejectoſque Cremonenſes, apud oppidum Caſalis-Majoris latitantes, Cremonam egreſſis Goffredo, Galeatioque præfatis, in prædam furtim amicis intro faventibus irrupiſſe, factamque illam civitatem Imperio rebellem, admiſſis hoſtibus, & Guidone Turriano, qui non modi um Maphæum Mediolani Præfectum metu perculit. Quamobrem Cæſar in agendis pertinax, Guarnerium de Ottemborch, virum inter Gallos valde ſtrenuum, properè tranſmiſit illorſum, qui Placentiam primùm appetens, ubi metu Alberti Scotti omnia ſolicita erant, nequaquam intro admiſſus niſi certa fœderis pactione, ſcilicet paucis concomitantibus ineat, iracundia tumens retro ad Cæſarem, dedignatus admitti, ſe proripuit. Longobardia verò maximis ſatorum tumultibus labefactata, velut alto fortaſſis loco geſtorum ſeries explicabitur, bellis, & rapinis inſedit.

Rurſum Cæſar accepit, Thuſciæ urbes in illum neſanda moliri, Populoſque Senarum, Peruſii, Lucæ, Piſtorii, & Florentiæ, certa fœderum pactione inita, parare iter ejus ſuis gentibus impedire; eò ob idque miſſum à Roberto Rege Degonem militiæ ſuæ Ducem, qui jam apud locum, qui Sarzanum nuncupatur, in finibus Lucani ſoli cum equitibus quingentis appulerat, ut inde Cæſari tranſitum prohiberet. His circumventus Cæſar magna curarum ſolicitudine premitur; illum etiam exhauſti æris pecunia multùm angebat, quòd Curiam ſolitis epularum profuſionibus non alebat; quòdque ſtipendia poſcentes mercenarii ſui, dilato eis per ſemeſtre ſpatium tributo, pro eſculentis & poculentis rebus vim Januenſibus inferebant. Unde aſſiduis Cæſaris aures querelis impetebantur, tum etiam quòd latrocinia prædaſque pari nolentem plebem crebris pecuniarum exactionibus in ſe furere metuebant. Nec jam occultè, ſed palàm audiri queſtus Populi, Cæſaris adventum, ſeque tam pronos in admittendo illum deteſtantis, quòdque olim Friderici de Scoph copias magnas paucis fudiſſent, hunc verò Regulum per ignaviam temerè ducti nullò obice ſuſcepiſſent. Addebatur his præterea, divitem potentemque maris & terræ Patriam ſuam jam mercimoniis, remigioque privatam propter vicinorum metum, & potiſſimè Roberti Regis, unde in Apuliam negabatur acceſſus. Talibus invaleſcens dietim rumor queſtibus Cæſarem metu perculit, ne fortè Populus in furorem adactus ſubitò illum tumultu flammatus oppeteret; periculoſum namque vulgi impetum, cùm ſævire cœpit, expectare. Priuſquam igitur flamma in rogum ex ſtipulis permearet, exactionibus æris modicum ſuſpenſis, Leodienſem Epiſcopum, & Henricum Flandrenſem, Piſas pro implorando pecuniarum ſubſidio vice Regia properè dimiſit, ubi calentibus multum animis Piſanorum ad Regis obſequia grandem inde theſaurum citis manibus Ja-

nuam

Digitized by Google

auam retulere; quo viritim diſtributo inter Cæſaris mercenarios violentæ modicum rapinæ, quæ vulgo aſſiduæ fiebant, qoievere.

Inter hos rerum anfractus Johannes memoratus Alberti de Auſtria nepos, qui ejus etiam Parricida, Cæſaris decreto, reus mortis adjudicatus ſucrat, ſuadente, ut ajunt, Rodulpho Bavariæ Duce, inopem cenſu magno Regem placaturus uſque Januam ſe proripuit, qui cùm diebus multis ferme latitans ab Aula Regia ſe continuiſſet, tamdem ſpe magna ductus, Rege luce quadam epulis indulgente, coram ſe obtulit, pronuſque ad pedes proſtratus veniam poſtulavit, pro ſe referens, ob violentum injuſtumque Patrui imperium temerè juventutis lubrico ductum, illius exitium perpetraſſe, & pro tollenda tanti reatus mulcta ſe Regem copiis ſuis ad Urbem, retroque paſſim ſecuturum deſpondens, orabat ignoſci. Quem Cæſar ſuſpenſis primùm, deinde torvis oculis intuens, abire juſſit, utque poſt epulas redeat ſermonibus blandis hortatus eſt; doluit nempe illum adveniſſe, quem non ambigebat juſto damnandum fore ſupplicio. Sciebat etiam ex alta ortum indole, formaque venuſtum, ad extollendos Majeſtatis ſuæ apices valde opportunum auxiliares vires addere poſſe: ſed intro agnatorum ſuorum pertinax odium nulla pietate pla andum juſtos Cæſaris metus, ne forte differre judicii gladium ſumere puſillanimus cenſeatur, fortiore actione ſuggerebat. Verebatur nempe, præter famæ vulgaris arbitratum, Friderici de Auſtria, germanorumque quatuor faſtus potentes elidere, qui quamquam tunc abeſſent propter Leopoldi morbum ingraveſcentem, nondum ad ædes patrias è caſtris ante Brixiam delatum, Henricum tamen ex primogenitis duobus alterum ad Cæſarem cum magna virorum ala mittere frequentabant. His Cæſar circumventus, juſtus maluit eſſe, quàm pius. Johannem itaque verſutus invênit; ſed hic poſt Regis diſceſſum Friderici factioſis hortatibus, auroque dato, creditur veneno peremtus occubuiſſe; nulla enim de ipſo fama, nullus exitus ſui rumor alterius certo auctore auditus eſt.

Jam Piſanorum Legati gravibus moræ diſpendiis ſuſpenſum iter Cæſaris increpantes, quòdque magnis puppes impenſis litus alienum fruſtra ſervarent, propenſioribus Regem ſollicitudinibus de tranſitu versùs Piſas orabant, multiſque illum donis ac pollicitis onerantes, præcipuè de eorum illi munus, quod quidem bis memorandum ſcriptis dignè viſum eſt, maximis æris profuſionibus, manuumque laboribus conſummatum prodigaliter offerunt. Erat quippe tentorium pannis nobiliſſimis auro gemmiſque contextum; deſuperque radians pretioſo conſtructa metallo Aquilæ ſtabat effigies. Hoc, ut ajunt, inter ſtativas ſex millium capax virorum vulgi judicio cenſebatur. Sed admirabilis pretii æſtimatio ſtuporem omnibus inducebat; nullum enim eo opulentius, nullum Cæſareis votis donum aptius putatum eſt. Cæſar itaque ad digreſſum properans, pacatis Auriorum, & Spinolarum quibuſcumque diſſidiis, Populi Januenſis favorem bortatus erga ſe, ſuppellectilem, vaſaque omnia navibus imponi juſſit. Quod cùm palàm edictum certis pateret, Legati, qui ex urbibus Ciſalpinis eò profecti manebant, dum ſe puppibus advehi dubitarent, ſicque in Januenſium manus deſtituti Cæſaris odia malè perpeti crederent, iter devium anticipantes versùs Lucanos colles eriguntur, ut inde Piſas equis ſubvecti permearent. Hac Cæſari tranſeundum fuerat; ſed tutius viſum eſt pelago, quàm terræ periculis ſe credere. Aderat enim, ut prædiximus, Dego Roberti Regis armiger cum Thuſcorum, Longobardorumque copiis, ut Auguſti iter arctum inter colles obſtrueret. Pauci tamen ex Legatis Piſas adiere, nam major eorum numerus furtim Cæſarem deſtitutum linquentes abiere, præcipuè qui è Longobardis advenerant. Brixienſes autem primi, audito compartiales ſuos, qui in Patria manſerant, Maziorum impulſibus violenter ejectos, necatoſque plures iniquè, non ſinè Cardinalis Januenſis aſſenſu, Cæſare prorſus ignorante, ſecedunt; versùſque Placentiam iter primum remetientes, denique apud locum, qui Zavatarellus nuncupatur, in crepuſculo devenere, ubi hoſpitio cœnaque potiti, dum illuceſceret, digredique feſtinarent, ruſtici indignè in hos malè concipientes propter velocem itineris fugam, quos Cæſari fore ingratos non ambigebant, ſingulos captos, rebuſque & literis ſpoliatos abire nequaquam permittunt; tamdem precibus victi æreque dato, retentis equis & armis, liberos ſinunt. Qui pede loca itu aſpera peragrantes in planum denique pervenere; tuncque inter Cremonæ fines caſu perducti ſunt ad oppidum Caſalis Majoris, in quo Marchiones de Cavalcabobus conſertis Guelphorum ſubſidiis, exulumque ſuorum, Patriæ ſuæ bellum rapinis & cædibus inferebant, donec poſt dies paucos egreſſis in prædam noctu Gaffredo & Galeatio Maphæi nato, qui pro Cæſare Cremonam detinebant, iidem Marchiones ſociis ad hoc Brixienſibus, dum & ipſi prædam ſinerent acceptam vacuam Regis copiis, Cremonam properè corruunt, carptimque nullis prohibentibus ineuntes urbis ſuæ mœnibus potiti ſunt: quod non modicum partialibus ſuis ſolamen in adverſariorum metum accidit. Nam huc exules omnes à Cæſare ſe trahentes, in Gibellinorum exitium undecumque conveniunt. Huc etiam ſe contulit Guido Turrianus, Bononienſium, & Parmenſium favorem nactus, ut inde ſumtis amicorum viribus Patriæ ſuæ dominationem, pulſo Maphæo, vi doloque reſumeret. Sed fruſtra illum cura talis erexit, nam hoſte ſuo Mediolanum vigili cautoque moderamine ſub Auguſto ſervante, itidem Guido memoratus gravi morbo ſerpente vitalem ſpiritum exhalavit, cujus inopinatum funus grande Turrianis exulibus præcipitium, Maphæo autem lætitiæ cauſam dedit eximiam. Nec qnidem modicum triſtatus eſt Philipponus Papienſis, Guibertus de Corrigia, Guidonem ſummæ probitatis & induſtriæ virum in tanto rerum actu ſibi defeciſſe, cujus ſpe ablata quæque vendicari poſſe fidebant. Non ideo tamen in propoſito defecere. Sed quid ulteriùs ab his actum ſit, alio conſcribi loco putavimus, quatenus Cæſaris acta ſub uno ſuarum rerum glutino concludamus. Nunc ergo hujus iter in ſeriem producatur.

Cæſare adhuc Januam opprimente, equoſque & ſuppellectilem collocante, ut inde Piſas citus appeteret, omnes ferè Longobardorum copiæ, quæ ad illum debitè fluxerant, Rege ignaro diſceſſere. Solus Luchinus Maphæi natus cum paucis iter Regis concomitatus eſt; Legati quoque Paduanorum, quamquam Roge non adverſante, tamen ægrè permittente, impetratis ab eo reſcriptis ſuper decurſus aquarum, quæ à Vicentinis per ſolitos labi non ſinebantur alveos versùs Paduam, fragmentis arborum telluriſque & ſaxorum mole ſtagnantes, patrios fines læti repetiere. Ut ergo parata omnia Cæſar ad iter ex-

A periendum vidit, compoſitis in Janua rebus, utcumque valuit, paucis ſequentibus illum, puppes invadit; ſed non plura cum eo quàm virorum octingenta ferme capita maris periculum ſubiere. Multi namque ex Gallis Germaniſque ſequentibus ægritudine laborantes jam deſecerant. Ex Proceribus nempe ſuperſtites Amadeus Sabaudiæ Comes, Balduinus Epiſcopus Regis frater, Theobaldus Leodienſis Antiſtes, Henricus Flandrenſis militiæ Regiæ Præfectus, Rodulphus Bavariæ Dux, Joſredus de Lignazo, paucique alii ſama celebres manſerant. Hi comites, Regiſque tutela; præterea Cardinales memorati, Oſtienſis ſcilicet & Januenſis, Regem comitati ſunt; Albanenſis verò jam morbo correptus apud B Lucam vita deſecerat. Triduo igitur maris procellis remigio ſuperatis, denique Piſas appulit, ubi occurrentibus ei turbis optimatum Piſanorum, exulumque, quos Thuſcia nefandarum ſchiſmate Partium deteſtabilis, hortatibus impiorum ejecerat, Regem ſuum præſentialiter viſere ſpe redeundi in patrias ſedes adire coegerat. Extra mœnia uſque ad locum Sancti Petri in Gradu, qui locus inde quatuor mille paſſibus diſtat, Cæſar ſupra quàm credibile ſit magnificis ſuſceptus applauſibus à Pupulo ei obviam prodeunte gratanter excipitur; nec minùs hilares Plebis alæ paonis novis ornatæ, inſtrumentorum modis, ac vocum jubilis applaudentes, gratari viſæ ſunt in adventu Regis Auguſti; C nam ferè ſexus omnis & ætas grege ſacto obviam exire viſi ſunt. Sic Cæſar purpura gemmis auroque micante ſupertectus introducitur octavo Idus Februarii Nativitatis jam Anno Dominicæ duodecimo trecenteſimo, & milleno, qui apud Pontificale Theatrum Sedem eligens lautis epularum profuſionibus gentem ſuam pavit. Huic Plebs, Populuſque omnis divitem Patriam terra marique potentem liberè tradentes, ſe ſuaque mutuis promtis obſequiis obtulere, vireſque omnes & theſauros ſuos pro augendis Imperii faſtibus pollicentur: quod ille non minus gratè ſuſcipiens, urbis curam regimenque ſibi vendicavit, ſtatuitque ut amoto Præſide alter præficeretur vice Regia; Plebiſcita, Legeſ- D que multas ex conſuetudine innovavit, & multas decidit, novaſque ſuperaddidit morum formas, ærariique peculium ingens longis retro temporibus, magnoque labore partum, exhauſto penu rapax prædo abſtulit. Quamobrem Populi Magiſtratus ira tumeſcente vexatus, dum viribus ultionem exigere non daretur, in Regis contemtum verba multùm ignominioſa furialiter eructavit. Unde Cæſar modicum turbatus, horum vecordiam plectens exigua diſciplinæ mitis caſtigatione mulctavit, tantùmque illis permiſſam Officii poteſtatem tollens alios ad idem Patriæ decus commendabiles ſubrogavit, rurſuſque juſſit ſolitis legibus de more vetuſto Rempublicam gubernare, veritus non inanem Populi fu- E rorem in ſe odioſo rancore convertere. Difficile quidem eſt vulgi flagrantem, cùm ſævire cœpit, placare impetum, eoque magìs timendum eſt, cùm in furorem adactus odio ſuo Principem habet; neſcit enim flammatum ira miteſcere, priuſquam ſatiatum ultionem peregiſſe putaverit. Ideoque tutius eſt diligi, quàm timeri. Juſti namque recta ſequentes nemini injuriam rapinis ullis aut violentis actionibus, inferunt: ſic Deo & Hominibus grati quietem agunt, & ſemen eorum augebitur. Impii autem per ſævitiam rapinas, latrocinia, bonorum proſcriptiones, cædes, exilia, Populorum ſpolia, violentaque tributa, voluptates ex libidine potiùs

A animique petulantia colunt, quàm virtute. Sed velut olera herbarum decident, & tamquam vas figuli confringentur, qui metu diligi volunt, vim inferunt, Regna ſubvertunt, Pacem turbant, bella, diſſidia, inteſtinaſque factiones Populis inferunt, ut violenter imperent, & ſibi quæque diripiant. Hic Tyrannorum mos eſt, quibus nulla pietas, nulla fides, nulla virtus ineſt, omnia ſuſpecta, metuque ſolicita; nihil ſtabile, aut perpetuum, ſemper eſt anxia ſui ſtatus, ac vitæ conditio.

Pauliſper igitur ſedata vulgi rabie, compoſitiſque rebus, Cæſar in agendis ſolicitus, cùm dietim increbeſcens ſama jam non fictum loqueretur Guibertum de Corrigia, Philipponem- B que de Languſco, Bononienſibus, Tuſciſque per ſociale fœdus annexos unà cum partis Guelphæ ſautoribus Longobardiæ Civitates Imperio devotas bellis & rapinis aſſiduis violenter impetere, eoſque neglecto Cæſaris ſceptro rebellea in contemtum Auguſtæ Majeſtatis effectos eſſe: ne ignavæ temeritatis cornua jam ſuſcepta protenſiùs erigant, & Cæſaris gladium debitæ ultionis diſciplina vereantur, in hos juſti libram judicii vindex acuit. Contextoque erroris ſui codice, quatenus inter decem & octo dierum ſpatium, ob læſæ noxam Majeſtatis criminati coram Rege præſto veniant, pro ſe tuitionem legitimam dicturi; Aulæ ſuæ poſtibus juſſit affigi. Cujus edicto non ſolùm Guiberti nomen inſer- C tum, ſed & generi ſui Joannis Quirici, Opizinique de Uoziola virorum clariſſimæ indolis. Præterea Civitatem Parmæ, Rhegii, Florentiæ, Lucæ, ceteraſque his in perniciem Regis complices literis iiſdem admonuit, quaſi exilem Regis potentiam nihil aut parum timerent, & in abſentes tamquam rebelles Imperii hoſtes, ac læſæ Majeſtatis reos Cæſar judicium pertulit. Actum hoc Piſis ſexto Idus Aprilis in horto Coſſi & Gaddi de Gambacurtis, ubi ſæpe Rex cum Proceribus ſuis ardua geſta tractare ſueverat. Ad hunc viſendum Thuſcia ferè omnes proſcripti, exilioque damnati, diſtinctis Proſapiarum ordinibus acceſſerant, inter quos memorabiles hi . . . . Epiſcopus Aretinus ex ſtirpe . . . . . D Simon Philippus Piſtorienſis, Caſtruccius de Interminellis Lucanus Civis, Thadæus de Ubertis Fæſulanus, Ugutio de Fagiola, Fredericus de Montefeltro, viri probiſſimi, plerique alii obſcurè orti, quos potiùs invidiæ labe ex laribus avitis, quàm fortunæ caſus ejecit. Hi Cæſarem confertis ſauturem copiis præſentialiter adeunt, vireſque ſuas ſuppellectilemque omnem illi liberaliter ſpondent, orantque quatenus illos intra patrias ædes reſtauret ortis & pius; quos blandè mitibus verbis affatus, ſpem conceptam animique robur erexit. Jam ad Urbis tranſitum Cæſar intendens Piſanorum copias armis ſultas parari voluit, ut inde numerum eorum viſu recenſens, quos ſibi opportunos aptoſque magìs E crederet, Regio arbitratu deligeret. Primùm enim equites phaleris decoros, galeiſque radiantes, & loricis obtectos ordine longo procedentes ante ſui Theatri veſtibulum in globum adduci juſſit; hique mille virorum capita judicio multorum putati ſunt. Deinde peditum alas pari ordine ſubſequentes fixo conſpexit obtutu, juvitque multùm Patriam illam ſibi devotam tot virorum greges coacervaſſe; fuere nempe, ut ajunt, millia quatuor baliſtas ferentium, ſex millia gladiatorum lanceas umboneſque gerentium; levis autem armaturæ Plebis numerus infinitus. Per hos dies tumultus in Patria illa magnus armorum excitatus eſt; nam cùm omnia

epu-

epularum vinique luxu in libidinem traherentur, A
Balduinique Treverenſis Regis germani clientes
per vicos noctu choreas magnis vocum cantibus
ducerent, famulis Sabaudiæ Comitis caſu reper-
tis, eodem actu deſipientibus, dum utraque in
globum turba conveniſſet, culpa quidam ſatis
levi compulſus, alterum animosè manu percuſ-
ſit. Ille verò, cujus facies læſa fuerat, læden-
tem gladio ſauciavit; quamobrem omnes in fu-
rorem adacti nudatis enſibus bellum incitant,
in quo proſtrati teliſque confoſſi ſunt nonnulli,
ſaucii ferè omnes. Ex hoc clamor immenſus ad
Regis Aulam delatus, illum è ſtrato exire com-
pulit; quiſnamve ſtrepitus vocum percunctatus
intelligens, ſuperſtites, ſauciosque capi, & in
carcerem mitti juſſit. Denique poſt dies paucos, B
intercedentibus utriſque Ducibus memoratis,
obliti injuriarum clientes, ſibique invicem ignó-
ſcentes, initoque pacis fœdere, Rege volente,
dimittuntur. Altera etiam turbinis cauſa his
ferè diebus acceſſit, quæ Regem, Proceresque
ſuos triſtari fecit; nam memoratus Aretinus Præ-
ſul, vir prudens & ſtrenuus, qui cum magno
comitum cœtu ad Regem ſe contulerat, ma-
gna illi auxilia vireſque daturus, utpote de-
votus ſemper Imperio, labore viæ, curſu-
que inquieto permeans æger factus XII. Ka-
lendas Maji vita defecit. Hic quidem ma-
gnum Cæſari præſidium, ſolamenque ad au-
gendos Imperii faſces in Thuſcia potiſſimùm
valiturum putabatur; ſed citra ſenii metus mor- C
bo correptus binos ex fratre nepotes miræ pro-
bitatis adoleſcentes theſaurorum ſuorum here-
des Cæſari commendavit. Poſt hæc Cæſar, re-
bus, utcumque valuit, in tranquillo compoſitis,
temporiſque opportunitate maturum exigente di-
ſceſſum, paratis ad iter virorum turbis de tranſ-
itu ſuo in patulum omnibus indicat. Confertis
ergo Januenſium, Thuſcorumque exulum, &
Germanorum copiis in unum, ſuadentibus quo-
que Apoſtolicæ Sedis Legatis ad Urbem citos
maturare progreſſus, Cæſar Piſas linquens, gu-
bernationem hujuſce urbis Franciſco Comiti de
Ubaldinis, viro ſatìs ſtrenuo, recommendat.
Deinde properè Optimates aliquot, mediæque
plebis viros dignitate conſpicuos ducentum nu- D
mero ſecum trahens, urbem hanc nequaquam
ulteriùs viſurus. VI. Calendas Majas egreditur;
primuſque motus ejus apud locum, qui Vigale
nuncupatur ad Piſanorum fines quietis portum
elegit. Hoc oppidum in colle vaſto fundatum
litoribus imminet, unde maris æquor immenſum
non procul aſpicitur, Inſulæque multæ nobiles
Piſis ſubnixæ, quamquam eminus patent, qua-
rum memorabiles hæ, Corſica, ubi ſolum fer-
tile, opumque multitudo favos dulces ſuper-
abundantibus mellis copiis præbet. Sardinia tri-
tico divitiiſque opulentiſſima; Elba ferro, ca-
lybeque optimo incredibiliter copioſa. Inter
has etiam quædam ſteriles, vixque ullis habi-
tatæ cultoribus, quia frugi non ſunt, fama nec E
celebres. Ad litus tamen Plombinum, ſtatio
nautis opportuna, conſidet, qui locus viris mul-
tis opibuſque repletus, à nonnullis Piſanorum
. . . . inter theſauros habetur.

Hac Auguſtus tranſiens, cùm per Thuſciam
rebellium metu ſecurus illi aditus non pateret,
multumque dolis aut vi inter anguſtos viarum
calles ignavè lædi metueret, per loca maritima
iter dirigit. Ut igitur ventum eſt apud locum,
quem indigenæ Caſtilionem appellant, juxta Pi-
ſani ſoli metas biduo gentem ſuam præſtolatus,
cùm jam hoſtiles aditurum ſe locos cognoſce-
ret, quietem agens pernoctatus eſt. Luce verò
tertia confertis in unum copiis, has blandis ſer-
monibus alloquens, vires animoſque audax du-
ctor accendit, juſſitque equos & arma confe-
ſtim parari. Ipſe etiam thoracem, & clypeum
ſumens, ceteris ut quid mage faciendum ſit
exemplum palàm exhibuit. Deinde aciem fer-
me quatuor centum virorum ſecum ducens pri-
mus egreditur; ceteros verò Sabaudiæ Comiti
commendans pari greſſu Cæſarem ſecuturos edi-
cit; putabat nempe, hoſtiles turbas Umbronis
tranſitum prohibituras obviam perveniſſe, qui
fluvius è montanis jugis ſub Groſſeti mœnibus
in planum defluens ſæpe imbribus magnis, aut
nivibus ſolutis impetuoſo torrente labitur; quam-
obrem amnis metuendus non ſinè naufragii me-
tu præcipitis ſuperatur. Jamque huc ventum à
Cæſare, & ecce prævius illi nuntius, Senenſes
aufugiſſe, nihilque ad tranſitum obſtare retulit.
Gaudens, dolenſve pariter, ſinè obice facilem
tranſitum eſſe, ultra progreditur; exactâque ibi
morâ, quantum epulis indulgeret, horâ jam
textâ in agris quietem peragit. Refectis deni-
que viris & equis procedit ulterius, donec in
planum means quinque millibus ferme paſſuum
procul à Senis, Nicolai de Bonſegnoribus hor-
tatu, gradum preſſit. Sequebatur verò illum
non longè Sabaudiæ Comes ſtrenuus, & Regis
germanus Treverenſis Antiſtes, aliæque Germa-
norum, & Italorum mixtim procedentes; quiſ-
que enim, quo ad potuit, anteire viſus eſt;
probiſſimi autem Gallorum Optimates Cæſarem
ſtipantes, illi debitas obſequiorum vices jugi
patrocinio comites tribuunt, inter quos memo-
rabiles hi, Theobaldus de Barre Leodienſi Præ-
ſul, Rodulphus Bavariæ Dux, Goffredus de Li-
gnazo, Comes de Octingen, Comes de Calci-
nemborch, plerique alii viri ſtrenui. His au-
dens Cæſar, mapalibus ſe ruſticanis credens,
otia noctu contraxit; diluculoque hortatu me-
morati Nicolai depopulari agros ædeſque per-
mittit; ſicque apud mœnia Senenſia itum eſt,
unde captivi ruricolæ, armenta, gregeſque multi
arva paſcentes ad Regia caſtra violenter impulſi
ſunt. At non ideo mœnibus incluſi bello ſe cre-
dere auſi; metuebant nempe inteſtinas factiones,
doloſque neſandos, ne quid per ignaviam malò
accideret. Poſt rapinas verò ſumtas, aliaque
ſpolia, Cæſar ad iter ſedulus Thuſciæ fines ma-
turè peragrans, denique Viterbum in Calendis
Maji feliciter appulit, ubi quatriduo moratus
eſt, donec maniplos ſuos avidè præſtolaretur.
Et ecce occurrentes ei alæ virorum maximæ,
quæ à Manfredo Urbis Præfecto, acceptis fau-
torum copiis, miſſæ ad Regem prodeunt, qua-
rum adventu non parva Cæſarienſibus crevit au-
dacia.

Hinc brevis ad Urbem acceſſus. Quid apud
Romam igitur facilè quæſitor intelligit. Rela-
tum eſt nempe, Johannem Roberti Regis ger-
manum, faventibus ſibi Urſinis, cum gente ma-
xima locos bellis aptos munire, Urbiſque clau-
ſtra ſervare, præſertim unde aditus Cæſari ne-
ceſſariò fieret: huncque Pontis Mollis tranſitum,
quem ferme ter mille paſſibus ab Urbe diſtan-
tem muriſque ſeptum Stephanus & Sarra Co-
lumnenſium Optimates callidè anticipatum Au-
guſto ſervabant, totis viribus impugnare; inter-
que Urbis mœnia diſſenſiones graves & tumul-
tus diſparibus vulgi judiciis excitari; Ludovi-
cumque de Sabaudia maximis labefactari peri-
culis. Quamobrem Cæſar maturè pervolans, eò
denique pervênit. Sed jam hoſtis Johannes Cæ-
ſaris adventum formidans copias ſuas retro abi-
re coercens, relictis tantùm viris XL. pro tui-

tione loci, quem Tripizon vocant, ubi Turris vaſta in oppoſitum memorati Pontis non procul imminebat, in tuto Sancti Angeli Oppido ſe crediderat. Cæſar verò turmas hoſtiles præterquam fuerat ratus abiiſſe triſtatus, trans pontem liben. memoratum nullo adverſante ſe corripit. Jam nox tenebris Cœlum oppreſſerat, unde in agris mediis pernoctare coactus quietis remedia, utcumque valuit, novus hoſpes invênit.

Obſtabat nempe Tripizonis Arx metuenda, ſub cujus eundum cacumine prorſus fuerat. Nec tamen inde abſque jactura ſuorum tranſitum eſt; multi namque ſpiculorum jactibus à longe ſaucii medicorum opem neceſſariò petiere. In ſequenti autem diluculo Cæſar concomitantibus fidelium turbis, ac Stephano, & Sarra memoratis, occurrenteque ei ex Urbe Populi cœtu magno, Urbem Romanam dudum votis optatam feliciter ingreſſus eſt. Lux illa ſoli Domino dedicata Nonas Majas irrepſerat. Hic primum ad Lateranum accedens, ſedem ibi tuta ſtatione decrevit, verenterque ſuſceptus à Clero de more priſco, velut Canonicus Beati Johannis Templum pellicio deſuper tectus, biretoque verticem protegente fultus, ingreditur; peractiſque Hymnorum jubilis gaudio valde magno exultans, paratis epulis veſcitur. Repletus verò cibis mox in peragendis æſtuans, Proceres ſuos conſultor maturus allicit, quibus hortantibus, Treverenſis Antiſtes, & Robertus Flandrenſis pro expugnanda ſuperandave Tripizonis Turri, quæ iter impediebat, dimittuntur. Hi Regis juſſu ſumtis virorum cohortibus ad id loci properè veniunt, & in agris, quibus nudius tertius Cæſaris alæ pernoctarant, caſtra diſponunt, factoque impetu in Johannis ſatellites ære conductos, qui Turrim miſſilibus variiſque tormentorum generibus tutabantur, pugna prima vix locum exceperunt. Denique tamen, cùm ſecundi tumultus etiam vim repuliſſent, adjecto his mature præſidio propter copias multas illorſum à Johanne tranſmiſſis, confecto prœlio, multiſque utrinque cæſis & ſauciis, Regis gens victrix emicat. Cetera verò Johannis turba, quæ victa pugnæ ſuccubuit, in fugam converſa eſt; ex ea tamen quinque armis decoris inſignes in ipſa fuga peremti, duo etiam graviter ſaucii paululum poſt mortalem ſpiritum projecere. Qui verò Turrim ſervabant, opem deſperantes, ultro ſe locumque Cæſarienſibus dederunt. Hac potitus victoria Cæſar, gaudio valde magno exultans, ſuis audaciam ingerit; demum ad deprimendos hoſtium faſtus, ſuperandave locorum clauſtra, quæ per Urbem multifariam, id Johanne, Urſiniſque factitantibus, ſervabantur, curas omnes advertit. Erant nempe multa per viarum anfractus, qua Cæſari tranſeundum fuerat in Jovis Arcem, ſed hæc tumidis aggerum globis, fragmentis paucis omiſſis, occupat. Sola Turris vaſta apud Templum Sancti Marci deſuper eminens modicum obſtitit; ſed in ſequentem diem, priuſquam adveſperaſſet, victa ſuccubuit. Reſtabat ultimus militiarum ſuperandus à Cæſare locus, unde in Capitolii Sedem patet ingreſſus, Hunc Ludovicus de Sabaudia, dum Senator eſſet, Rizardo ex proſapia Urſinorum, & Johanni de Annibaldis viris ſtrenuis ſervandum commendaverat lege pactionis, ut venientem Cæſarem, nequaquam adverſati benignè ſuſcipiant. Sed hi Johannem foventes, Cæſaris ſigna peroſi, illum prorſus excludi pertinaces in propoſito voluere. Cùm ergo Cæſar obſtinatos horum animos erga ſe, pollicitis ullis que blanditiis mulcere non poſſet, locuſque inexpugnabilis videretur, dolis & aſtu decertandum fore decrevit: licèt enim vim vi repellere, fraudeſque & verſutos ſcelerum auctores paribus dolis elidere. Protractâ ergo puſillum morâ in capiendis ad hæc conſiliis, Cæſar Annibalem Johannis militiam ſervantis germanum literis facetis acceſſit, rogans quatenus ad ſe veniat metu vacuus. Ille nihil de Rege ſceleſtum concipiens, ad illum ſe maturè proripuit, quem blandè primùm Rex allocutus, cur indebitè ſibi adverſetur, curque venientem Romanorum Principem non admittat, ab illo dona multa, potentiamque, ut libet, ſumturus, utque locum benignè dedat, hortatur. Ad hæc ille, Cæſarem non adire, multumque frugi ſibi eſſe, ſi ſedem naneiſcatur; nihil adverſari, ſed fauturum ſe ſpopondit; in peritis autem ademtam ſibi prorſus libertatem, quam à fratre ſuo vendicare oportebit, innitique ad ſummum ut & ipſe, ſociuſque locum occupantes Cæſari non moleſte faveant. Cùmque poſt hæc ad diſceſſum properaret, non paſſus abire Cæſar illum cuſtodiæ mancipavit, demumque vinculis arctavit, & cum eo Proceres aliquot Romanorum, quibus elatiores in facinus animos putabat ineſſe; brevemque his dierum metam ſtatuens, ni locum intra lucem præfixam ſibi dedant, cruces mortemque trux minatur: quod Annibal germano ſuo indicans literis ſecretis, ne moriendum ſit ei tam ludibrioſè depoſcit. Atrox ille primum, magnanimique robur induens, dum ſic à Rege infeſto perperam agi cerneret, perfidiam ejus deteſtans, nequaquam captivum à morte fratrem redimere concepit. Adventante autem luce præfixa, dum fraterna flagitia, necemque ignominioſam mente revolveret, illoque privari, quem valde ſuperque diligebat, feritatem omnem protinus exuit, piuſque quàm fortis eſſe maluit. Ultro igitur præter Johannis Roberti germani ſcientiam pro redemtione fratris ſui Cæſari locum tradit, quem ille mox gentibus occupans citus invadit; nec dum enim Capitolii Sedes adeunda ſinè Marte fuerat. Hanc nempe Rizardus & Johannes memorati ex Arce Militiarum elapſi maximis virorum copiis maturè fulcierant. Reſtabat quoque alter ſuperandus primùm locus Capitolio vix conterminus, quem Minorum Sacra Religio Virgini Matri Verbi conſtructo Templo dicavit. In hunc viris armiſque munitum Regiæ pugnantes alæ viriliter prodeunt, facilèque bello ſuperatum cæſis hoſtibus occupant; plerique tamen è Cæſarienſibus ſaucii jaculis, paucis elapſis diebus, ſalutari voto potiti ſunt. Per hos dies maxima virorum cohors è Thuſcia ad Johannem Roberti germanum delata pervênit, in qua mille virorum capita pedites & equites putari ſunt. His dux effectus Comes de Biſerno capitalis Piſanorum hoſtis in Vico-lato, qui Canuganum nuncupatur, cum Regia gente prœlium init; dudumque res gladiis acta eſt, donec horâ diei jam ſextâ victor Cæſar emicuit; peremti namque Thuſcorum multi, captique bello confecto, reliqui verò per fugam evaſere. E captivis inſignes Comes memoratus, plerique alii nobiles obſcurè orti in vinculis adacti ſunt. Cohortes autem Regiæ hoſtium terga ſequentes ædes multas, propugnaculaque bellis apta flammis impoſitis obruunt; cum quibus & multa virorum capita, deſuper telis armata ut Cæſarem repellant, ignibus abolentur; ſicque incendio paſſim evagante uſque in locum, qui Minerva nuncupatur, ubi Prædicatorum ſacer Ordo devotis Hymnorum jubilis ante Aras Deo pſallit, victo-

ribus

ribus applaudentibus, itum. Quamobrem tantus Johannem & Rizardum pavor invaſit, ut ſe tutari diffidentes, cùm jam vineas, aliaque belli tormenta ad expugnandam Capitolii Arcem paratas viderent, furtim inde ſe proriperent, relictiſque paucis, qui eamdem vitam per fœdus orantes ultro ceſſere, locus ille quondam Jovi veterum ritu dedicatus, à Cæſare, Seue relicta, facilè captus ſit.

Hac Cæſar Seue potitus de more vetuſto curules ſuis Ducibus innovans, beneficia quæque diſtribuit, inter quæ Ludovicum de Sabaudia memoratum, quo pridem Senatoris Titulo functus erat, identidem reſtauravit. Johannes autem germanus trans Tyberis alveum magnam Urbis partem favore Urſinorum opprimens, dum & idem copiis fultus maximis tutiſſimum Sancti Angeli Oppidum muris altiſſimis circumdatum obtineret, ſæpe Cæſarienſes ſubitis bellorum tumultibus impetebat; nec minùs ipſe ab his pulſatus poſt ſævas gladiatorum cædes profugus agebatur. Nullum tamen his campeſtre bellum, nulla prœlii definitio indicta; reſpuit enim Johannes comminus decertare. Interdum tamen more prædonum è mœnibus clam prorumpens in Cæſarienſes improviſus irruit, factaque cæde acceptave, retro per fugam evadit; unde Regis alæ in furorem accenſæ, dum ad arma ſæpe accitæ, parum aut nihil profeciſſent, hoſtes ad bellum dolis & aſtu allicere deſtinant, ut inſidiis retro poſitis redeundi libertas ſit ademta. Nec mora: Sabaudiæ Comes, paratis ad pugnam maniplis, cohortem virorum egregiam uſque ad ſtativas hoſtium, quibus iter obſtruſum fuerat, curſu cito dimittit, qui juſſa factiſcentes ab hoſtibus circumventi prœlium ineunt; cùmque Johannis gens ſuis opem latura in globum erumperet, non ſegnior Dux Regiæ turbæ copias ſuas eò dirigit; ſicque utrinque acriter dimicatur, in quo belli certamine Johannis alæ velut priùs retro diffugiunt; inſequentes verò Cæſarienſes uſque ad Oppidana clauſtra has à tergo lædunt; tantus enim vincendi fuit ardor, ut quo temerè ruerent obliviſcerentur. In hos ergo altera Johannis cohors, quam ſemper ad auxilium inferentium paratam habebat, furibunda prorupit, facilèque utpote feſſos, & locorum ignaros brevi Marte confudit. Qui ſuperſtites nec cæſi, nec capti versùs alas ſuorum fugientes, impellentibus hoſtibus, tamen evadunt; & jam Dux belli memoratus copias virorum magnas parari juſſerat, ut inſidias ex conceptu fixo diſponeret. Ut ergo ad ſe dimiſſos malè impelli, & in fugam verſos aſpexit, laxis habenis in hoſtes corruit, hoſque tamdem viribus impares, numeroque pauciores facilè ſuperat, profugos cædens uſque ad Tyberis alveum ſecutus eſt; ubi paratas à Johanne rurſum copias videns, in has velut leo acer impetuosè proſiliit; puduit namque retro fugere. Hic acre bellum, hic pugna atrox cœpta eſt; huc Cæſaris Duces ferè omnes Marte conveniunt. Non has ordo ullus acies cornibus inſtructis aſcivit, ſed in globum adactæ, velut caſus tulit, quæque conferuntur. Gravis hæc belli cædes, in qua probiſſimi, acreſque viri, ſupra quàm credibile ſit, gladiis peremti cecidere. Ex Cæſarienſibus memorabiles hi, Theobaldus de Barre Leodienſis Epiſcopus, vir prudens & ſtrenuus, Regis agnatus, Joannes de Cont Epiſcopi . . . . cuſtos, M. Abbas de Guiſemborch, Petrus de Sabaudia Senatoris germanus, plerique alii obſcuræ indolis, qui non degeneres in fuga proſtrati, ſed inter confertiſſimos A hoſtes cæſi ſunt. Multi etiam locorum ignari, & viarum errore traducti, ſatellitibus circumventi perimuntur. In hac Cæſar pugna gravi ſuorum cæde vix ſuperatus retro acies venire compulit. At non ideo Johannes abſque magna ſuorum ſtrage victor emicat; cæſi enim multi, ſauciique inſanabiliter, inter quos fama celebres Laurentius Johannis Statii natus ex proſapia Urſinorum, agnomine autem de Campo-Florido, adoleſcens audax & ſtrenuus. Gentilis Urſinus in crure lethale vulnus accepit; ignobilium verò cæſorum utrinque numerus ducentorum recenſetur.

Cùm igitur jam adveſperaſſet, prœlium dirimitur. Lux illa Veneris VII. Kal. Junii, quæ B tumentes Ducum animos maxima irarum vexatione conterruit. Stephanus de Columna, & frater ejus, ceterique Romani, qui ad Regem cœtu magno confluxerant, illi ſpem audaciamque magnam ſuggerunt. Legati verò Apoſtolicæ Sedis Cæſarem fidis comitati greſſibus, ut illum à Johanne, fautoribuſque Urſinis, malè jactari vident, ſiniſtrorum mole ſucceſſuum compatientes, hinc placaturos blandis affatibus hoſtes mente concipiunt, ſatiuſque fore Auguſto pactis fœdera, quam armis bella tentare. Ambiguus namque fatorum eſt caſus, incertumque, ubi fata conſidant. Propere igitur, Rege non adverſante, Johanni memorato, complicibuſque, Gentili memorato propter illatum vulnus ægrotanti, C Ponzello, & Ponzelleto ex eadem Urſinorum Proſapia viris Illuſtribus, ſcripta dirigunt; utque Cæſari non adverſentur, patianturque illum in Baſilica Templi Apoſtolorum Diadema ſumere, inſtanter orant. Perſuadent etiam per fœdus pacem exquiri, ad hoc inducias utrinque conſtitui, armiſque deſini, donec pactum fuerit de concordia, id ſuggerente Papa, noxas omnes hinc inde remitti; & ni factiſcant, Apoſtolicum, à quo tranſmiſſos ſe ad Principis coronationem dictitabant, prorſus offendi. Præterea Romanum in eos Populum ſumtis armis pro Rege ſuo ſævire velle indicabant, nihilque obſtare præter Auguſti clementiam. Multa quoque ad benevolentiæ fœdus congruentia juſtiſſimis argumentis D inſcripta ſunt. Sed hæc, Cardinaliumque tributam facultatem, viri magnifici elati animi aſpernantes, nihil retro, quid potiùs eligant, dignati ſunt ſcribere. Unde hi non modicum ira vexati, quæ in Urbe geruntur, Apoſtolico indicant. At Cæſar flagrantiùs æſtuans, vocatis ad ſe Principibus conſilii capiundi causâ in Vico publico ante Capitolii veſtibulum cœtus omnes Romanorum Populi congregari juſſit, quorum numerus ſupra quàm decem millium virorum putatus eſt. Hic per Nicolaum Senenſem oratione facunda ceteros edocet, Urſinos, fautoreſque ſuos trans Tyberim habitantes, viribus à Johanne ſumtis nimis obſtare, hoſque in tuto latentes vix ſuperari poſſe; cùmque uegent Cæſa- E rem in Baſilica coronari de more veterum, & nequaquam hortantibus Apoſtolicæ Sedis Legatis reſponſum dediſſe, nedum obtemperare dignato fore; ſic ergo in agendis abjectâ clementiâ deſuetis remediis providendum, hocque apud conſultos Regiæ Aulæ ſancitum, ut omnes, qui hactenus ſuggeſtione rebellium Cæſarem negaverunt, intra diem præfixam ad Aquilas ſe proripiant metu ſecuri; qui verò pertinaces cœpta peregerint, ſævitiem, bellique ruinam expectent. His aliiſque hortatus, clamore magno lætitiam ſuſcitat, protinuſque hoſtes impeti ſumtis armis expoſcit. Quod in tempus habile differens provida Regis induſtria, primùm Transtyberinos

ad

ad ſigna Regia claro edicto vocari juſſit ; pauci tamen illò ſponte ſe transferunt. Et jam ex Primoribus quidam advenerant , in ambiguo fatorum impoſiti diſcrimine , quorum fama clariſſimi Urſius adoleſcens glorioſus ex proſapia Urſinorum , Petrus de Monte-Nigro , vir factioſus & audax , Rizardus de Annibaldis , qui poſt deditionem Militiarum nequaquam ad Johannem reverti auſus eſt. Hi ad Cæſarem ſponte prolapſi magnum illi præſidium audaciamque ingerunt, quibus dum hortatu omnium locus Sancti Angeli memoratus ab hoſte comprehenſus bello expetendus eſſet , ſingulas Plebis acies ſtudioſè commendans in pugnam laceſſit . Sed fruſtra Rex Germanus locum inexpugnabilem impetens , cohortes armatas duxit , nihilque bello proficiens hoſtibus audaciam intulit , unde ii viribus animiſque reſumtis in ſequentem diem Cæſaris alas gladiis expugnantes, multos letho dant, pleroſque captivos in Arcem ducunt. Cæſar itaque ratus hoſtium vires eſſe nimium potentes, ultraque poſſi hos dies coronationis obſequium protrahi, cùm jam victori fato diffideret , accerſendos Apoſtolicæ Sedis Legatos pro miſſi conſummatione mandati ſuperſtitioſè diſponit ; hocque per Proceres Romanorum eſſe implorandum, ne idem metu compelli putetur ; exigitque , ut dum in Baſilica Apoſtolorum Regio Diademate fulciri non ſinitur, ſaltem alio quovis loco intra Urbis mœnia voti ſpem capiat.

Quamobrem ex Regis decreto Decemviri auctoritate digna vereudi leguntur ad Cardines, qui eorum judicium perſcrutati, quid de Rege moliantur intelligant. Sed hæc non brevibus dierum motibus peragenda , cùm res in tenui juris ænigmate probabilibus utrinque probaretur argumentis, in moram protracta ſuſpenduntur. In quo temporum lapſu dierum ferme XV. dum rurſum erumpentibus in ſe hoſtibus magnam ſuorum ſtragem Rex dolens ex improviſo conſpexiſſet (in quo belli inſultu Stephanus etiam Columnenſis , magnum Regis ſolamen , arundine crus læſum vix lethali vulnere pertulit) majori inſtantis doloris anxietate vexatus, Regio potiri Diademate nititur . Neque illi ſiniſtris fatis oppreſſo redeuntes ex Siculis Legati partibus Simon Philippus Piſtorienſis , Vanni Zeno Piſanus , Ubaldinus de Caſtello imperfectis commiſſæ Legationis votis multum gaudii retulere. Hi namque tranſmiſſi pro ſponſalibus inter utrumque Regem contrahendis, adducto ſecum Manfredo de Claramonte, nihil aut parum profecere. His etiam diebus Luna Solis Eclipſim paſſa eſt, nam orbe perfecto, exulatis procul nubibus, ad inſtar cruoris rubens , demum parte dimidia tenebris obfuſcata lucem amiſit : quod apud Augures magnum Orbi prodigium nuntiaſſe futuras clades putatum eſt . Igitur Legatis à ſe ad Cardines reditum differentibus , fremente Populo Regis ſui votum malè perfici , rurſus delectos XXI. viros illò dimittit , qui Cardinalium vota ſcrutantes ſic prorſus fieri, id volente Senatu, ſignificent , prætendantque juri conſonum , quotiens Romanus Princeps è Sede vi pellitur , aliam in Urbe poſſe ſua ſponte deligere . Ad hæc etiam Leges perſuaſorias applicent, quæ ſacris Juſtiniani Digeſtis *de eo quod certo loco per commune , & de Officio delegati* Lege *ſtatuimus* , *ut eos* &c. clariſſimè rediguntur . Cùmque hi apud Militias, ubi Cardinales ſedem habebant , rem inexpeditam perficere nequirent , obſtantibus horum repulſis , quibus ſe nullo Cæſarem loco , præterquam in Apoſtolorum Baſilica, coronaturo dictitabant ; ſicque à Papa fore ſancitum, priuſquam legarentur ; ob idque ad illum pro libertate hujuſcemodi rei venticanda literas direxiſſe , præſtolatoſque dudum Papæ reſponſum , nec dum habuiſſe: rurſus delecti à Populo quatuor ad id loci conveniunt , ſed neque hi Cardinalium minis ullis , precibuſve, aut pollicitis tenax menti propoſitum divertêre. Quamobrem Populus ſubitò in furorem actus reſumtis armis in Cardines irruit , circiterque Aulam clamorem attollens, ni Regis ſui juſſa expediant, cædem gladiis comminantur . Et profectò , ut ajunt , ni Rex idem ad Populum exiens immanem trucemque mitè placaſſet alloquio , duriora accidiſſent : neſcit enim furentis Populi rabies miſericorditer agere. Denique hi metu magno perculſi fixam dierum octo metam implorantes , ut ni inter hujuſcemodi temporis ſpatium à Papa quid ſumſerint, poſt hoc Regis vota perficiant , id Rege non adverſante, faciliter obtinent ; decretumque eſt jurejurando in proximo Apoſtolorum Feſto tertio Calendas Julias Regem Diademate ſuo potiri . His contenti Rex , Populuſque placantur.

Appropinquante verò die ſtatuta , cùm jam omnia ad expediendum coronationis obſequium parata forent , itidem Rex apud Sanctæ Sabinæ locum , unde ad Lateranum brevior tutiorque via vel ſemita ſibi viſa eſt , ſedem eligit ; pernoctanſque diluculo , candidis ornatus veſtibus , & crine ſoluto perambulans trans Collem Aventinum , denique ad Pontem de la Forma gradu ſolicito , ibi juxta Cæſarum ſanctiones , Populique normam, Rempublicam tueri, Legeſque ſeravare pollicitus eſt. Inde paululum moratus versùs Lateranum iter arripuit, cui collaterales viri duo egregii pecuniam auream,argenteamve paſſim diffundentes per vicos, & pulpita jaciebant ; ex quo deprehenſum eſt, Cæſarem prodigum liberalemve fore omnibus oportere. Sicque à Rege in Templum Beati Johannis in Laterano denique ventum eſt, quò poſtquam ſtudioſus applicuit , Nicolaus de Prato Oſtienſis & Velitrenſis Epiſcopus , Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus à Latere perveniens, Miſſam in Apoſtolorum laudibus celebrem exorditur, cui miniſtrantes Arnaldus , & Lucas memorati cum Clero, ſolemnibus vocum jubilis pariter concinunt . Jamque poſt Angelorum Canticum , & Evangeliſtæ ſacri paginam Symbolum decantaverant : & ecce Sacerdos memoratus bicipitem Mitram nivei coloris accipiens , Cæſare pronis genibus coram eo flexo, capiti ejus reverenter impoſuit : deinde protinus aureum Diadema ſuperponens , obſequio Miniſtrorum adjutus illi Pomum aureum ſiniſtra , Sceptrum verò Regium in dextera obtulit ; cujus Pomi apicem Crux eodem fabricata metallo deſuper obumbrabat . Priuſquam tamen Sceptrum acciperet , enſem vagina ſolutum ter acerrimè vibrans , hunc , clypeumque ſolido auro perfectum Altari deponit . Hæc non vana apud prudentes dona exiſtimantur ; figura enim hujus eſt , ut in Pomi glutino unus Deus, & una Fides Religione ſacra verſetur. Quidam verò Terræ Orbem in manu ſui Principis, cui famulari neceſſe ſit, non ineptè diſcernunt. In Sceptri verò forma gubernatio , & potentia ; in diademate autem juſta & Imperialis præeminentia , quibus judicet , nuncupatur. Conſummato itaque obſequii Divini Myſterio, Cæſar ex Templo diſcedens per eumdem viæ lapſum , concomitantibus Procerum maniplis , eò , unde motum fecerat , accuratè revertitur. Hic dies multum Populo ſolemnis , maximas convivarum turbas opulentiſſimis viſcerationum deliciis pavit . Proinde Vulgus exultans, cui venalibus emolumen-

tum

tum in rebus valde profuit, jucunda ducens ſolatia, choreas ordine longo circum Atria protrahit. Epulatus itaque Rex in conſpectu Nobilium, ſedentibus lateri Cardinalibus, damum ſumto cibo in agendis pertinax, vix lucem illam, hoc eſt III. Calendas Julii Petro Paulove veterum Religione dicatam animi tranquillitate producit. Poſt hæc Manfredus de Claramonte à Friderico Siciliæ Poſſeſſore reſcripta patentia ſuper nuptialibus cum Henrico fœderibus amodo conſummandis accepit; ſactumque eſt ut die ſeptima poſt Regi Coronationem Henricus de Flandria Cæſaris Procurator, Manfredus verò Domini ſui memorati, ſolida inter Petrum Friderici Primogenitum, Beatricemve Auguſti natam, ſponſalia per jusjurandum alternatim pollicerentur; idque coram Cæſare, Nobiliumque cœtu maximo in Aula juxta Cœnobium Sanctæ Sabinæ jugalibus perfici tædis tempore debito ſtatuunt: quæ res Cæſari valde grata lætitiam intulit. Sicque contractis utrinque futuræ cognationis ſponſalibus, non ſegnior dilectionis mutuæ, opiſque neceſſitatibus inferendæ pacto illi intervenit. Hic enim Fridericus Cæſaris armiger in maritimis partibus Regiâ cenſurâ præficitur, quodque bello paraverit ex hoſtium ſpoliis ſuum fore decernit. Sciebat nempe illum Roberti capitalem inimicum in præcipitium ejus multùm ardeſcere. Dimiſſis autem cohortibus, & Manfredo, cœnâ factâ, jam Rex Procerum ſuorum affatibus gravem illis moram in Urbe fieri ſtudioſus intelligit, quòdque bellis aſſiduis fatigati rerum penuria, & aeris deſueti calore corporum gravedinem paterentur, jam ad diſceſſum promtus exaudit. Tunc Cardinalibus acceſſitis pacem eum hoſtibus quærit, ut Populus ſub armis defeſſus denuo quietem agat, ſedulus Orator, non tamen ut victus Cæſar putetur Urbem metu relinquere. Proinde hi Johannem literis ſecretis monent, quatenus ad eum migrandi facultas Legatis Apoſtolicæ Sedis pateat. Qui haud ignarus libertatis petitæ meditator, in fratris arbitrium quæque transferens, moræ cauſam invênit, reſpuitque eum illis mutui ſermonis vicem allicere: quod Cæſari nuntiatum magnum illi rancoris tœdium ſuſcitat. Extemplo itaque vocatis ad ſe Populi cœtibus, ante Capitolii veſtibulum conventu habito, per Nicolaum Sonentem Orationem hujuſcemodi edidit.

Scitis, aſtantes Nobilium turbæ, tuque Popule liber, quantis retro laboribus Rex veſter afflictus, ſudore quanto, & ingenti bellorum diſcrimine, denique Urbem advenerit, quibuſve adverſantibus Diadema tamdem Regium feliciter ſumſerit; nec vos latet, quot quantiſve cladibus, & preſſuris ingens laceſſitur Italia, quæ partim Imperio devota, partim adverſa, gravibus undique ruinis impetitur. His incluſi mœnibus hoſtes adſunt; exteriùs quoque æmuli minantur; ſed potiſſimùm Thuſci rebelles, qui Roberti Regis præſtolati auxilium Cæſarem in Urbe convictum ſuperaturos ſe prædicant. His quidem Auguſtus veſter obviam prodeuntibus prorſus occurrere putat, ni eorum cautior virtus impediat; non enim hos qui mœnibus crediti ſunt, potuit hactenus ad arma trahere. Jam Sedem Cæſaream nequaquam defeſſus appetiit, jam Diademate Regio potitus Sceptrum tulit, nihilque reſtat neceſſariò peragendum præter Orbi quietem addere. Sed hæc Urbs potiſſimùm illi velut tenax anchora fixa eſt, ut victis fugatiſque hoſtibus tranquilla potiatur libertate: quod licèt præſto non ſit non contrariâ fortunâ, Deo utique propitio, fiet. Cæterùm fatis, Mundique fragore vota impedientibus, non nimis aſſueta Germanis exteriſque gentibus loci hujus regio morbos ægritudineſque ardentibus ſolis radiis comminatur. Aer quidem vapore jam infectus accenſo, vix ſalubres ſentiens ventorum ſpiritus, tabeſcit: unde præſtat imminentia vitare pericula, quàm ignavè deficere. Sic ferè omnes Cæſaris Proceres clamitant Urbem exire, & ſalutifera loca appetere, ut membra labore defeſſa reficiant. Sic Cæſar ſuorum querela convictus ſatiſfacere optat. Priuſquam tamen Urbem exeat, vobis hoc pandens clara voce ſignificat, ne fortè illum procul abeuntem metu putetis fugam arripere. At non ideo deſperandum eſt, nam Rex veſter fortis & potens, viribus reſumtis fidelium vota jucundis reſtaurabit applauſibus.

His Populus, Plebſque omnis prehenſa ſermonibus, jam non tacitis queſtibus, ſed claro murmure nequam Cæſaris propoſitum deteſtatur. Infit enim, *Urbem gravibus bellorum inſidiis in ruinam labi, ſi Rex ſuus deſolatam ſic deſtituat; & præcipuè fideles omnes hactenus ſpe vana proditos in hoſtium manus incidere; ſatque Cæſari fore, ſi Urbem Urbium in quiete adjiciat, quæ Cæſarum Sedes & Orbis Regina meritò dicitur, quòd ſi deſueti ætheris intemperiem veretur, non procul migrandum eſſe. Diſtat quidem hinc non ampliùs quàm ſex decies mille paſſibus Tybur, ſalubris valde civitas, in qua reſidens æſtivos valde calores vitare poterit, donec Autumno ſubeunte aer ſalutiferos Aquilonis ſpiritus exhalabit.* Cæſar hæc patulis capiens auribus, vulgi querelam intelligit: cui ne fiat moleſtus ob fugam, obſequi ſpondet. Sed commilitones fugæ avidi, quatenus bellorum diſcrimina vitent, & in ſalubriori climate quietem agant, prorſus abire depoſcunt. Ex omnibus tamen ardentior Sabaudiæ Comes, qui jam cum hoſte pactas dictitabat inducias in proximis Auguſti Kalendis finem exigere. Denique Plebis queſtus, quàm Procerum ſuorum, mage veritus Cæſar, in Urbe manſurum ſe ſpondet. Audiit nempe, hoſtem conventu habito poſt Regis diſceſſum reliquas fidelium ædes flammis adurere velle, ipſoſque gladiis necaturum. Magna quidem & inſatiabilis eſt Germanorum ambitio in exigendis nimiùm tributis, ac in rapinis intenta. Tunc delectis ex Populo viris novem, qui ex totidem Tetrarchis Romæ deſervientibus grandem æris acervum .... Gallorum ſuperbia modicùm placatur. Cæſar itaque fixo manendi propoſito apud Militias Sedem accipit. Ibi rurſum vocatis ad ſe turbis, & concione habita, coram aſſurgens Stephanus de Columna, laudibuſque multis Regem decorans, adventum ejus Urbi, totique Populo valde opportunum fuiſſe prædicat; nec alio potuiſſe modo eum hoſtibus ſuis pacem exquiri, cum quibus nulla pactionis fœdera, nullus amicitiæ locus inveniri potuit; proteſtatus etiam pronis hos animis, doniſque pollicitis placare nequiviſſe, ſicque Regem exorandum fore, res quietè compoſitas, priuſquam diſcedat, contractâ morâ dimittere, ne fortè Optimatum viribus Plebs optima inſolenter oppreſſa ob ſuſceptum Cæſarem ingemiſcat.

Hæc rogatu Populi edita Cæſaris propoſitum audacibus roboravere ſermonibus, reddiditque benignis affatibus, ſe prorſus Urbi manſurum, nec ante diſcedere, priuſquam Populus, Plebſque omnis quietem cum hoſte ſuo pactis habebit induciis. Ut ergo Gallorum Duces nequaquam illum Urbe diſceſſurum vident, querentes in moram trahi, præter Regis arbitrium multi abeunt,

abeûnt, ex quibus ſama conſpicui Ludovicus de Sabaudia, & Delphinus de Vienna, nec ſegnior Oſtienſis Cardinalis invito Auguſto Urbe egreditur. At non ideo Cæſar in tantis ſatorum tumultibus confracta virtute animi labitur, ſed magis atque magis in diem ſpe magna ductus audaciam concipit, Urbem ſolicitè cuſtodiri jubet, bellica inſtrumenta reficere, gentes in turbam contrahi. Præterea quicquid ſtrenui Ducis eſt ſedulus perficit. Dum hæc igitur ab eo geruntur, ecce vir audax & nobilis Janicho Romæ ortus, qui Cæſari pridem obnoxius illum negarat infidus, ſumtis armis, & turba modica hoſtili more corruens ad Urbis aditum, qui Porta Datia nuncupatur, furialiter vênit, ubi ædes multas flammis urens ſubportabilia quæque diripuit. Demum mora brevi contracta Lateranenſem Urbis Januam impetuoſus aggreditur, oſtiique valvas clauſas impellens, Rizardum de Annibaldis memoratum ad pugnam clamore laceſſit: hic namque ſub Cæſare militans Columnenſium votis adhæſerat. Moratur igitur paululum ante Januam multa verba in Regis contemtum eructat, minaturque hoſtem, quem præſtolari nequaquam vult..... Jam hoc Cæſari nuntiatum ad arma manipulos incitat, equoque confeſtim ſubvectus belli Dux Henricus Flandrenſis, ſociique Stephanus & Rizardus memorati, cohortibus ſecum adductis, clamitanteſque foris hoſtem audacter impetunt. Sed ille jam ſuga veloci correptus abierat. Poſt quem mox celeri curſu procedentes Cæſaris alæ uſque ad oppida Johanni ſaventia hoſtilem civem inſequuntur; ex quo magna pars metu disjecta inter Capitis-Bovis mœnia, quod oppidum Boniſacius Papa Octavus conſtrui fecerat, tutè ſe recipit, parſque longiori viæ lapſu ſervata eſt. Cùm ergo gens Cæſaris ſugientes Johannis alas nequaquam lædere poſſet, illico circiter oppidum hoc aciebus inſtructis bellum paratur, & cœptâ utrinque pugnâ, dum ad uſque aggeres denique ventum eſſet, ſuperato vallo ab tertia ferme hora, priuſquam adveſperaſſet, Henricus victor hunc locum violenter ingreditur; ubi multis hoſtium cæſis captivos pau os, ſed ſecum ſpolia plura adducit. Priuſquam tamen illò rediret, mœnia flammis, & vallum abſumi jubet, quod eo volente actum eſt properè. Regreſſus autem in Urbem, priuſquam acies dimitteret, ædes multas, quas idem.... apud Sanctæ Sabinæ Templum ex opulentia parentum habebat, incendio ſurripit, quæ non modica hereditatis ſuæ jactura ab incolis omnibus putata eſt. Hæc ab Henrico magnificè acta, cùm ſtupenda Cæſari viderentur, ob amici decus inſigne ſingula viſu percunctaturus præſentialiter adit, laudat ſuorum vires, & hoſtium auſus deteſtatur ignavos.

Poſt hæc igitur cùm bellum rurſus atrox excitaretur in Urbe, iterumque cum hoſtibus reſumenda neceſſariò arma eſſent, Cæſar Populo ſuo Ducem, eo frequenter poſcente, ſtatuere deſtinat. Delectus igitur, Johannes Savellus, fidus Henrici Flandrenſis memorati comes, & ſocius, vir æquè probus, & audax, Cæſaris decreto Populo Romano præficitur, ut quoties juſſerit, arma ſuſcipiat, & in hoſtes, utcumque res opportuna fuerit, impetuoſè labatur. Jam Cæſar veritus ob calentes nimiùm Solis radios Leone flagrante Romam colere, ubi peſtilens aer vaporibus infectis accenſus graves jam corporibus humanis ægritudines miniſtrabat, Urbe egreditur; relictiſque Duce Populi memorato, & Henrico Flandrenſi cum equitibus quatuor-

A centum pro Sedis Auguſtæ tutela, Tyburim celer adit, ubi ſatis à Populo magnificè ſuſceptus ſtationem elegit. Hæc Urbs exiguæ ambitus è colle pendens ſalubres ventorum ſpiritus procul accipit, nec minùs aquæ gelidæ è fontibus vivis ſcaturientes paſſim effluunt. Huc Cæſar advectus XII. Kalendas menſis Auguſti otium capit, Procereſque ſuos pari modo quieſcere jubet. Sed ex his quietem abnegans Rodulphus Bavariæ Dux, eo quod illum abeundi cauſa juſtiſſima multùm ſuperque confeſtim urgebat, Rege præſcio, ad Alemanniæ partes accedit, quem multa Germanorum cohors fugæ avida pro viſendis larium ſuorum penatibus, Cæſare prorſus ignorante, ſecuta eſt. In hac Cæſaris quiete B fortuna modicum illi blandè ſpirans exultationis jucundæ gaudium tulit; nam cùm Robertus Apuliæ Rex magnas equitum turmas ad fratrem ejus Johannem ex implorato ei præſidio deſtinaret, conatus hujuſce præſcius Johannes de Zechano, Sarræ, Stephanoque gratus avunculus, qui apud Campaniam Cæſaris fautor potens habebatur, acceptis ſuorum cohortibus, & gente Cæſarea, inviſam ſibi Roberti gentem in arcto viæ tranſitu juxta Tipherni fines occupat, hancque improviſò acer invadens, denique viribus ſuis victor emicans ſubdit: in quo belli certamine tercentis in captivitatem adductis vix totidem gladio peremtos letho dedit. Hoc Cæſari nuntiato, magnam illi lætitiam valde tulit, C hoſti verò Johanni in deſolationem & cordis ejulatum acceſſit. Nec minùs hunc infelicem ſatorum eventum præſtolari, dudum preſſam Roberti opem Tiphernum deflevere colentes. Sed non ideo poſt hæc intra mediæ Urbis viſcera pugna deficit, nam Johannis mercenarii ære conducti, ut nec ignavia, nec triſtitia depreſſi putentur, prædonum more ſubitò corruunt, ædibus ignem apponunt, bellum clamore excitant; quamobrem ſæpe glaciis peracta cædes, aut crebris vulneribus dimicatum eſt. Denique ſuadentibus de.... interpellatoribus apud geminos belli Principes pacti ad tempus induciis pugnare deſitum eſt. Igitur Cæſar Urbem accuratè regreſſus, jam bello ſopito, & auri tributis exultans, apud Lateranum Sedem accipit. D Venerat nempe Legatus à Friderico, vir æquè prudens & nobilis, magnum auri pondus Cæſari tradens pro virium apparatu, rebuſque uſui pretio redimendis. Compoſitis itaque modicùm belli diſſidiis, Cæſar ad egreſſum prorſus intendens, vocatis ad ſe Columnenſibus, & Populi Ducibus, infit, neceſſariò illi abeundum fore, ut expectantes Terræ, Mariſque nationes viſo Rege corroboret, Thuſcorumque pertinaciam, quam non ambigebat in ſe cohortes maximas adſciviſſe, confractis eorum cornibus obruat. Nec ideo gratam ſibi Urbem deſtitui, ſed illam viribus totis amplecti, ut ne quid finiſtrum fidelibus accidat; ſperare tamen poſt pactas inducias cum hoſtibus de pace fœdus eſſe; quòd ſi E res in diſſidium denuo retrahatur, copias multas Romæ manſuras pro tutela Sedis Auguſtæ, priuſquam abeat, decreviſſe. Nec longè Cæſarem profecturum, cùm in ſola multis gravibuſque concuſſa curis Italia agere primùm expediat, quæ Rege ſuo carens Tyrannorum cruciatibus, & jugo nefando ſemper oppreſſa torquetur. Multa quoque addidit placidis Rex facundus affatibus, ut ſpem addens horum animis metum excuteret. His Stephanus ſuique complices ut fixum Regi prorſus abeundi cognovere propoſitum, niſi paululum blandis labefactare ſermonibus, dum fruſtra tentarent, il-

lius

lius conceptum laudant, hortanturque Italicas partes viſere; nec metuendum ei fore Sedem Auguſtam ignavè negligi, aut cum hoſtibus, ſi bellum moveant, pavido Marte certari, nihilque penſi habere quid Roma ſua gerat, ſi modò ad exteras gentes victor emicet. Proinde Cæſar, decretis Stephano, Sarræque quatercentum equitibus, & Populi Duci memorato, XIII. Kalendas Septembris urbem Romam numquam denuo reviſurus egreditur; & dum Ponte Molli tranſiret, hoſtiles catervæ, collibus propinquis adductæ, dum Regis diſceſſu plauderent, nequaquam ei obſtare in tranſitu auſerunt.

Abiens ergo turbis ſequentibus luce, dum adveſperaſſet, Sutrium appulit, ubi cœna, ſomnoque refectus, altera die Viterbum demum applicuit. Hic Populum ſibi valde gratum habuit, nam diebus quinque moratus in ſe pronos omnium conatus agnovit, cùmque diſceſſum pararet multorum vicit oculos lacrymis profuſis madeſcere. Hinc iter haud moleſtè reſumens, Tudertum petit, multumque, ibi triduo moratus, otii capit. Hic rogatus à Populo, quatenus Peruſium Tudertinis ingratum, eo quod de Regni finibus contentio ſæpe fieret, juſtis belli tormentis impeteret, majori cura vexatus petitis obſequi renuit; quamobrem idem Populus tumultum excitans abeuntem clauſis januis Cæſarem temerè impedit. At non ideo Rex tumefactus, (ſciebat nempe hos per ignaviam deliquiſſe) abire prorſus expetit; tunc recluſis inde valvis egrediens finitimos Peruſini ſoli calles invadit; Huic iter impediens aggeribus valloque ſeptum Marſani potens obſtitit oppidum, quod ille in diem ſequentem acri bello ſuperans, cæſis, captiſve oppidanis flammis abſumit; deinde Caſtilionis mœnia, penes ripas inde labentis ſtagni præcipites eminentia gravi prœlio impetit, caſtriſque diſpoſitis, circiter vicina rura, ædeſque omnes ſævis populationibus & rapinis diſſipat. Demumque locum ipſum vi ſuperat, & igne conſumit. Digreſſus inde, Peruſinis nequaquam impedientibus, Cortonam adit; luce verò ſequenti, quam Imperio ſemper devotam audierat, civitatem Aretii, plaudente Populo, gratè ſuſceptus ingreditur, in qua biduo moratus, compoſitis modicum, utcumque valuit, in otio rebus, fidelitatem à Populo Rex volens accipit, quam & illi de Sancto Sepulcro, (qui locus in Hetruriæ partibus dudum Cæſari rebellis fuerat) placato Regi per jusjurandum polliciti ſunt. Jam Cæſar Fæſulas rebelles votis impetiturus, non procul hinc contiguis utrinque ſoli finibus eſſe gratatur. Tunc arma parans, migrandum hinc fore cautiùs, aciebuſque celeriter inſtructis in hoſtiles agros exit impavidus; primùmque apud locum, qui Mons Vargus nuncupatur, caſtra diſponit. Hic Fæſulanorum cohortibus mercede conductis, indigeniſque ſuis pro finium tutela ſervabatur: quem Cæſar præterire dedignatus, quatenus hoſtibus ſuis jacturam efficiat, bello impetit, ædeſque omnes extra mœnia poſitas flammis adurit; cùmque valla & aggeres, jam Sole ad Occanum declinante, tranſire nequiret, ſequenti luce, paratis machinis, & tormentorum generibus Marte locum invadit; vixque tunc tranſitum eſt aggere in crepidine ducto, ſed uſque in crepuſculum pugna contracta nox prœlium dirimit. Mane autem facto oppidani vim metuentes, cùm jam ſuorum pauci præter ſancios, aut jaculis peremtos bello ſupereſſent, Cæſari locum ſponte dedunt. His ignoſcens Rex benignus notam remittit, jubetque ut rapinis nullis, aut cæde lædantur. Deinde caſtellum Sancti Johannis, quod hinc ferme paſſibus ter mille diſtabat, adductis ſecum cohortibus petit. Hoc ruricolæ agrorum vicinorum propter Regis metum, ſubportatis intra ſuppellectilibus ſuis, per fugam invaſerant, quo per lacunæ inſtar aqua circumdato tutari ſe putant. Sed Cæſar in agendis providus, ut aquis fidentes poſt acre bellum videt, ſtagnantes inde latices educere cauto parat ingenio: quod Oppidani præſcientes, cùm nequaquam obſtare fiderent ſic is aggeribus, certa fœderum pactione Regi ſe tradunt. Inde Cæſar brevi mora contracta digrediens, cùm in ædibus ruſticanis metu ignis noctu quietem agere nollet, in agris ipſis ſub arborum frondibus otium capit; nec dum enim, Sole Libram premente, calor diurnus noctis temperiem demſerat. Figinique Pagum linquens, denique locum, qui nuncupatur Inciſa pervenit. Hic à Fæſulano dimiſſi Populo DCC. numero haſtati milites, qui Cæſaris iter impediant in anguſtis viarum anfractibus, quantum baliſtæ jactus exhalat, è mœnibus prodeunt; quos Rex ſtrenuus aciebus inſtructis petens, dum cominus adeundi facultas non daretur, præſtolatos eos per duas horas, quatenus ad bellum è colle in planum deſcenderent, quid agendum ulteriùs commilitones ſuos prudens conſultor inquirit. Decretum igitur eſt poſt varia multorum judicia, per rectos adversùs Florentiam colles adeundum prorſus, nec loca quælibet expugnare. Hoc Cæſar fretus conſilio locum nullo Marte petitum deſerit, ultraque progreſſus in planum vix procul hinc mille paſſibus vênit, ubi veſtigia ſiſtens, quatenus turbas omnes in unum adducat, ſequentes eminus hoſtium catervas aſpicit. Quæ dum adventaſſent, ut Cæſarienſes à tergo læderent, Comes Sanctæ-Floris de Majano, qui jam ad Auguſtum auxiliaribus copiis ſe receperat, dum noviſſimæ Dux turbæ curam gereret, verſis ſignis in hoſtes truculentus redit. Sed hi Marte brevi reſiſtentes, ſupervemente Henrico de Flandria Regiæ militiæ Præfecto, in fugam abeunt, tutiſque oppidi latebris ſe recipiunt. Cecidere tamen ex his circiter LX. virorum capita, ex Regiis verò copiis circiter decem. Memorabile quidem viſum nobis eſt audaciſſimi robur equitis, qui Cæſaris manipulos linquens, ut victorem hunc faceret, fugientem ea acie adverſa vexilliferum uſque ad ipſa ſecutus mœnia, denique mutuo foſſus vulnere cadens, illum etiam equo labentem pari cæde mori compulit, his ſcriptis inſerere: quòd ſi vocabula horum nota fierent, majori prorſus fama niteſcerent.

His peractis, cùm jam labor horaque diei cœnæ apta quietem optaret, in agris ipſis Cæſar pernoctatus, cibo ſomnoque membra refi it. Jam Fæſulana Plebs, Populuſque crebris perculſa tumultibus, dum adventantem cominus Regem rumoribus ortis audiret, quid agat dubia ſpe conſultat. Præerat huic Dego memoratus à Roberto Rege dimiſſus, qui vires animumque in tanto rerum diſcrimine ſuggerebat; hic delectos ad certamen viros acuens in globum contrahit, minaturque Cæſaris alas, urbem Florentiam impetentes, adverſo Marte confringere; ſed raro vel numquam verboſis geſtibus acta conveniunt. Increbeſcente verò fama, Cæſarem ſecundis fatorum occurſibus Thuſciam peragrare, jamque devictis locorum ſedibus Fæſulanos colles impetere, ceteræ fidelium copiæ in Hetruriæ finibus exulantes, paratis equis & armis illi complices ſe reddunt, quos inter fama cla-

riſſimus Fridericus cum fratre ſuo Sperantia, nati olim Comitis Guidonis de Monteferetro, concomitantibus multis, adveniunt. Ugutio quoque de Fagiola, vir acer & ſtrenuus, quas potuit vires adduxit. Horum numerus trecentorum cataphractorum equitum putatus eſt. Confluxere etiam in Cæſaris caſtra Proceres multi patriis laribus ob dilectum Imperii nomen violenter ejecti. His Cæſar fretus, dum vires ſatis ſibi aptas, cerneret, majoribus ſpem votis trahens, iter aſſumens versùs Florentiam, nullâ inde morâ, ſtudioſus accelerat; utque hoſtem non dubitet Plebs inviſa, ſævis cuncta populatibus & rapinis vaſtat, igne etiam ſuppoſito. Hinc ad Patriam fugientes agricolæ provectis armentis, & ſuppellectilibus ſuis, adventum Cæſaris præſto eſſe teſtantur; quos velut cladis futuræ augures Dego rigidis verbis increpans, aſſumtis quinque & viginti ſociis, ut Populo metum excuteret, inermis Urbem egreditur; cùmque oblectandi causâ per agros vagaretur, jam procul à mœnibus per mille paſſus ventum eſſet, Cæſar ipſe fulgentibus armis obtectus, dum acies ſuas, forte centum delectis in curſu quinquaginta ſtadiorum præcederet, hoſtilem turmam aſpiciens, ſublato enſe prolabitur. Dego autem veloci fuga correptus in urbem pavefactus aufugit. At non ideo Cæſar veſtigia relegit, ſed ultra progrediens apud Sancti Salvii Templum, qui locus à Fæſulanis mœnibus brevi ſpatio diſtat, ſedem accipit. Hic conſertis ſuorum copiis clangore tubarum magno, vocumque tumultibus adeſſe Cæſarem manifeſtè teſtantur; præterea in apice Templi patentes Aquilas, ut eminus inde conſpici poſſint, figi jubet. Sole itaque occidente caſtra diſponit, quæ in ambitum telluris foſſæ producta inter ſtativas affixis tentoriis, & depoſitis ſarcinis conſtruuntur. Fæſulani verò terrore magno perculſi confeſtim arma diripiunt, & muros viris coronant, & omnia ſolicitè cuſtodiri jubent. Poſt hæc Populo fremente obſidium pati, diſtinctis virorum ordinibus, Dego militiæ princeps degener, quamquam vetuſtæ formæ ſpectabilis, urbem egreditur, aciesque ſuas ſub valli munimine locat, jubetque pedites aggerem exterioris ripæ conſcendere. Erant quippe, ut ajunt, ſupra quàm credibile ſit millia terdecies virorum capita; quos poſtquam egreſſus ad bellum Rex ſuſpicatus eſt, confeſtim arma capiens ſuos manipulos in globum evocat; proinde aciebus inſtructis in hos iter convertit. At vulgus infidum Cæſaris alas radiantibus galearum comis procul aſpiciens, ſolo viſu metum concipit, retroque abiens in tutum ſe locat. Dolens Auguſtus turmas hoſtiles abiiſſe, nec jam cum his cruento Marte bellum geri poſſe, velut leo ſecum fremens, ad uſque ulteriores aggerum ripas pervênit, tentans ſi quem exteriùs pugnæ avidum poſſet evellere. Sed inde ſagittarum jactu repulſus, quantum baliſta pilum extendit, ſigna Regia manere imperat. Hic in Fæſulanæ Plebis contemtum mercenarios ære conductos ſingulatim numerari jubet, ut ſi quis fortè metu ſubtractus, aut quavis cauſa abſit, haud ignoret: ſicque omnes percunctatus ſolerti cura, numeroque recenſet. Cùm igitur adveſperaſſet, neminique clauſis proruptum mœnibus foret, ſinè Marte ullo caſtra repetiit. Hoc quidem magnificè actum apud ſtrenuos judicatum eſt, ut Cæſar impavidus urbem hanc opibus viriſque potentiſſimam paucis adjutus copiis in pugnam laceſſerit, obſidiique longi mora depreſſerit. Plerique verò non tam conſpicuum dignum memoria putant; nam qui to-

A tum ſibi Terrarum Orbem ſubigere debuit, viros, bellis aſſuetos, fugæque neſcios, adversùs Plebem lanificio intentam ſecurus adducere potuit. Præterea inteſtinas factionum ſimultates, odia verſutè latentia compartialiumque varia in peragendis vota, nihil in Populo ſtrenuè perficiendum decrevere.

Sic itaque Cæſar in caſtris manens bellum acre nunc agrorum depopulationibus, nunc ſævis armentorum rapinis, & ædium flammis movet; dumque his metuendus inſtaret, ecce Johannes de Savegnago, qui Urbanus Senator curules ſub Auguſto poſſederat, inde fugatus ab hoſtibus, permittente Sarra, tunc caſtris appulit. Sed hic, cùm Regis alas ſibi commiſſas è Peruſinis B finibus duceret, ab hoſtibus improvisè circumventus acriter dimicavit, hoſque viriliter ſuperans, permittente fato, minoribus copiis victor effudit; quoſque captivos in vinculis dedit, uſque Cortonam trahens, Populo cuſtodiendos tradit. Ceterùm in tranſitu juxta Montem-Politianum onagros multos cum ipſis rerum ſarcinis prædonum incurſu ſpoliato amiſit. Hæc in caſtra delatus tran ſfuga idem Cæſari refert. Dolens verò Cæſar Urbis imperium amiſiſſe, in Robertum Apuliæ Regem, cujus inſtinctu omnia fiebant, malè concipit. Deinde acrius in Fæſulanos bellum movens, ſufferenda quæque, diripere, prædari, ædes ruſticanas flammis urere, & cuncta in ruinam trahi jubet; ſciebat nempe hanc C dilectam nimis urbem Roberto eſſe, in qua vires & arma ejus ſæpe locaverat. Huc igitur alas virorum magnas ex Catalonia mercede conductas pro tuendis adversùs Cæſarem Fæſulanis Robertus memoratus deſtinat; impellitque Thuſciam omnem, & Romandiolam nunc precibus, nunc cenſu dato, vires auxiliares ad opem dimittere. Bononiam præcipuè, quæ compartialis benevolentiâ fœderis adjuncta ſibi primitus fuerat; ex hac nempe trecenti contubernalium equites, peditumve numerus mille Populi decreto Fæſulas diriguntur. Nec minùs Romandiola ipſa, & præcipuè Ariminenſes, & Ravennates, quibus major victoriæ Auguſti metus inerat, delectis virorum manipulis opitulantur. D Sciebant nempe poſt victos Fæſulanos ſævientem in eos Cæſarem directo calle profecturum eſſe. Ipſe quoque Guibertus de Corrigia his animum audaciamque pollicitis magnis ſufficit. Patavi etiam, qui jam Cæſarem abnegarant, licèt aſſiduis belli tumultibus, adversùs Canem Veronenſem arma ſumſiſſent, copias non magnas eò dirigunt. Sic itaque conſertis undique turbis mœnia ipſa Fæſulanorum vix tot virorum capacem ambitum habuere, quos ſupra quàm octoginta mille capita prudentum experientia fore putatum eſt. At non ideo, quamquam longè minoribus Cæſar copiis diſpar eſſet, his ad bellum erumpere auſum eſt; ſed intra mœnia ipſa latenter Duci imperio, ſolicitis nocte luceque E vigilum excubiis clauſtra ſervabant. Hoc quidem agebat Dego memoratus Regiæ Dux turbæ, Roberti decreto fixum ineſſe, ut nequaquam cum Gallis Germaniſve congrederentur ad pugnam. Sæpe tamen prorumpentibus partim turbis, quæ ſummo pugnandi fervore trahebantur, admotis totidem caſtrorum viris, ſub ipſis pavidæ urbis non procul aggeribus dimicatum eſt, ex quo belli certamine alternis fatorum caſibus utraque gens modico cruore lapſo exiiſſe fertur; ſed gravior in Fæſulanos cædes jugiter viſa eſt. Erant quippe ſolicitis incluſi mœnibus juvenes animoſi, quibus labor armorum valde gratus, indignabanturque otium agere,

Digitized by Google

re. Sic ne longo moræ tœdio affecti per diffidium torpeant, in caſtra impetum facientes, ad arma diripienda exercitum ſuſcitant, occurrentibuſque contra nunc gladiis, nunc miſſilibus certamen initiant: unde ob frequens ſæpe initi prœlii miniſterium quædam perfecti jam pudoris matronæ, virginibus in turbam accerſitis, bellum atrox in celſis murorum propugnaculis deſpicere auſæ ſunt, hincque Cæſaris affixa tentoria, nobiliumque Procerum ſigna patenta digito certatim oſtendere: tanta enim viſendi fuit amœnitas, ut ſæpe familiarium oblitæ negotiorum in ſterili otium peragerent. Nec tamen hæc pugna abſque multorum ſtrage per dies effecta eſt.

At Cæſar ut deſides ad pugnam Fæſulanos videt, circiter ipſa mœnia ferro flammiſque cuncta depopulari jubet: quapropter exigua Fæſulanorum turba trecentorum ferè numero in apicem collis pro tuendis ab hoſtium incurſu ædibus ſe transfert, in quam Germani furialiter irrumpentes, denique ſub brevi Marte ſuperant; nec vaſta montis rupe, aut . . . . . ſuis rutati, pleriſque ferme peremtis, aut captis, pauci fugam evadunt. Hæc modica vulgi ſtrages ceteris immenſum pavoris metum addit. Ut igitur, nullis extra prorumpentibus, nihil ad votum Cæſari perficere viſum eſt, hyeme jam horrida ſubeunte, Phœbo Pithonis pharetram urgente, procul à mœnibus eundum fore ſtatuit. Noctu ergo priuſquam matutinus Lucifer oriretur, ſuppellectilibus retumque ſarcinis ad iter paratis, exercitum movet, deinde trans Arni labentis alveum primas Italorum copias mittit: cùmque tenebris luce nondum excuſſis declives aquarum ripæ metum inferrent, accenſis igne fa ibus iter quæritur. Nec furtim inde digreſſus eſt; tantus namque lituorum, & tubarum clangor, tanta tumultus vocumque diſparitas, tanta lampadum multitudo fuit, ut & muris collibuſque ipſis, nedum mœnia ſervantibus, abiens Cæſar manifeſtè pateret. At non ideo pavidi, recluſis valvarum aditibus, poſt terga Cæſarem læſuri prorumpere auſi ſunt. Superato denique fluminis gurgite apud locum Sancto Caſſiano Religione vetuſta dicatum, unde etiam nomen aſſumſit, nullo læſus hoſtium impulſu celer appulit. Hic ſarcinas deponi, fixaque humi tentoria inter ſtativas poſita erigi jubet; ſed in ædibus magna virorum pars ſedem accipit. Hinc Fæſulas octies mille paſſibus, Senas verò ferè bis totidem calle directo per colles aditur; hac quoque Piſæ breviori ſpatio diſtantes ſtatutos onagros, curruſque ſuos utenſilium pondera ſufferentes ad Cæſaris caſtra dimittunt. Functus itaque Cæſar opportunitate loci ſedem accipit, jubetq; ut depopulatis agrorum cultibus omnia ferro flammiſque hoſtiliter rapta in ruinam trahantur; ſicque eo jubente perficitur. Fæſulani autem ædium ſuarum, ruſticanæque turbæ jacturam deflentes, non ideo capitalem propinquo Marte hoſtem impetere auſi ſunt. Cæſar in caſtris manens Natalitia Verbi ſolemnia Anno jam altero ſubeunte verenter colit, totamque hyemem, & veris tempus incipiens perficit. Italici jam Duces, Gallique multi tœdio longo obſidionis affecti diſcedere quærunt; jam ipſe Cæſar ſumtibus magnis, victualiumque penuria vexatus, cùm nihil bello proficeret, conſilio primum fretus, contractis in unum manipulis abſcedere quærit. Inde iter aſſumens versùs Piſas ſibi multùm gratas Idibus Aprilis biduo accelerans, tamdem eò pervênit, ubi à Populo non tam magnificè, velut pridem, ſuſceptus eſt.

Hic nempe Populus maximis auri tributis, laborumque preſſuris exhauſtum defeſſumque ſe nimis prædicabat; nequaquam tamen inviſum ſibi Principem è mœnibus ſuis repellere auſus eſt. Potitus Rex ſede quieta, in expediendis negotiorum viciſſitudinibus circumfertur; major tamen huic in rebellium ſuorum proterviam ſæviendi ardor inerat; ſed potiſſimè in eum, cujus impulſu omnia, velut prædiximus, æſtuabant. Tunc properè, Januenſibus in ſeditionem concitatis, Ugutionem de Fagiola virum acrem & ſtrenuum eò dimittit, ſublatoque Guilielmo de Aſpramonte illis præficit, qui extemplo deſæviens ſontes multos meritis dignè ſuppliciis rigidus Prætor afficit, diſſidiumque omne, placata vulgi rabie, temperat. Cæſar verò adversùs Robertum judicii ſui fulgur acuens, tunc valuti peſſimum Imperii hoſtem, & læſæ Majeſtatis reum damnat, privatumque Regio ſemper titulo, hiſque, quibus ab Eccleſia Romana dotatum ſe faſcibus prædicabat, Imperiali auctoritate decrevit, mortiſque demum rigido mulctandum fore ſupplicio. Guibertum quoque de Corrigia, qui Fæſulanorum perſuaſionibus arcanis vota foverat, pari necandum pœna ſtatuit, qua Theobaldus Brixienſis ante patrios muros laceratus occubuit. Hic etiam Patavos, Canis Veronenſis hortatu, cum quibus apud Vicentiam bellum acre gerebat, ob nefandæ crimen rebellionis majorum de more condemnat.

Interea memor eorum, quæ cum Friderico Siciliæ detentore pro futuris natæ ſponſalibus peragenda prorſus inſtabant, ne polliciti tranſgreſſor fœderis jusjurandum violet, dilectum ſibi æqua mente germanum Archipræſulem Balduinum ad Gallicas partes dimittit, edicitque, ut Beatricem ipſius Regis natam pro conſummandis amodo nuptiis cum viro celeriter regrediens ſecum advehat; jubeatque, quatenus Primogenitus Cæſaris natus Johannes Bohemiæ Rex, vocatis ad ſe Germanorum Principibus, gentes multas adſciſcat, deſcendatque prorſus in Italiam, maturum genitori ſuo præſidium illaturus. Hæc Balduinus à Rege commiſſa referens, properè Galliam petit; utque Cæſari. juſſa peragat, ſedulus ſtudet. Sed fruſtra id factiſcere viſus eſt; nam præveniente inopinati caſus fato, priuſquam reditum faceret, Cæſar occubuit. Nec minùs æſtuans Fridericus in Roberti necem pactas cum Auguſto nuptias exequi flagitat. Hic Legatum eumdem, qui de ſponſalibus pepigit, rurſus Cæſarem adire compulit, ut ſi velit in Apuliam proficiſci, claſſem paret, deſpondens ad hæc omnes Siculi Regni theſauros, & vires. His Cæſar gratus, pari voto Robertum lædere cupiens, puppes, armaque in Apuli ſoli tranſitum parare ſpondet, omniaque factiſcere annuit, quibus hoſtem è ſede præcipitet; ſicque his pariter flagrantibus decretum eſt, expedienda quæque inter Kalendas Septembris fieri; tum æquè apud Oſtiæ litus Rex uterque conveniat, ubi Terræ Marique in exoſum Apuliæ Regem liberior aditus patet. Poſt hæc Manfredus ad Fridericum maturè rediens, audita, relataque illi in ſeriem pandit. Quamobrem puppes è Siculis undique litoribus intra tutos Drepani ſinus locari jubet, haſque remis & cæmento refici ut æquoris undas tutiùs ſubeant; nec minùs viros, & arma feſtinus parat. Delectæ ergo hinc quatuordecim numero in litore ſubvehuntur. Nec ſegnior Auguſtus factiſcenda expedit; apud namque Piſæ litus viginti præſtantes robore galêas, ſecus autem Januam (eo quòd major copia navium inerat) bis totidem parat; viros hinc remis, hinc pugnæ aptos mercede pollicita redimit, rudentes &

exhauſta novat; vetuſta reficit; & opportuna quæque remigio ſupplet. Pro tantis ergo paratibus pecuniam e fiſcalibus magnam dunis congregat, quæ non ſine Populorum injuria quereláve maxima redimi potuit.

Dum hæc à Cæſare ſuperſtitiosè geruntur, ecce languor modicus, ſeu laboris aſſidui exercitio, ſive immoderato ætheris calore promotus in Auguſta viſcera pedetentim irrepſit, quem Medicorum induſtria ſumma ope viſa eſt opportunis effugare remediis. Hæc, ut ajunt, torrentium materies humorum ab epatis vitio procedens colore caput læſit, unde cibis exteouatis, & vino lymphato continens æger ſaluteoi quærebat; debuit tamen judicio peritorum cruor ex venis hauſtu phlebotomiam pati, niſi quod flagrans Leoni æſtus fortem hanc Medicam inhibere docebat. Placatus itaque modicum inteſtinus calor febrem demulſit, vixque Cæſar gravitatem membris ineſſe palpabat; ſed cùm hæc flagrans inter materies ſupervacuis viſcerum humoribus egredi poſceret, in coagulum abiens, eaque inter inguen, & cruris genu parte ſeceſſit, & tumefacta valde ad inſtar tuberis apoſtema peſtilens induit. Ex hoc medicorum induſtria ſatis fidit, eo quòd re ſolubilis ægritudo purgativis herbarum ſuccis videbatur; ſed non ideo ægrotantem Auguſtum abire prorſus quærentem, quatenus locum ab utroque Rege ſtatutum fidei ſervator anticiperet, ſalubrem Piſæ ſedem linquere voluit. Cùmque prorſus inſtaret, adveniente luce præfixa, neglecta medentium ope, equum aſcendit, ſignaque adduci, & ceteros ſequi Cæſarem manipulos jubet. Repentè igitur turbæ omnes, Rege imperante, paratis equis & armis haud moleſtè juſſis obtemperant. Egreſſus inde Cæſar versùs Senarum urbem ſigna convertit, jamque longum iter emenſus, apud Caſtilionis Oppidum, cùm adveſperaſſet, cibo, ſomnoque refici patitur. Mane facto abiens per Umbronis alveum, nullo adverſante, transfertur. Tunc Groſſeti urbeculam tranſiens, denique inter Senenſes fines advectus, juxta Bonconventi Pagum, qui locus à mœnibus per undecim millia paſſuum fermè diſtat, caſtra diſponit. Hic hortatu Nicolai de Bonſignoribus, qui Plebem inter, & nobiles, tumultuoſam fore ſeditionem ajebat, moram contrahit, ut ſi poſſet hanc ſibi vendicare urbem, vi doliſve ullis prætentaret; ſed denſior illi nervorum pulſus, ſomnuſque gravis febrem nondum venis excuſſam indicans, Phyſicorum opem acceſſit. Tuber quoque eo dies adauctum ad inſtar ignis rubens quævis remedia negligere videbatur; ſicque duplici calor intrinſecus fomite pro edens ſenſim incenditur. Quamobrem hæſitantes medici quid potiùs agant, ſuſpenſis animi curis difficili verſantur ænigmate; deerat nempe iis librorum facultas, rerumque omnium, quibus Hippocratis, Galenive documenta uti perſuadent, quæ ſuppellex caſtra non ſequitur. Præterea flagrantis ardor ætheris repugnabat artem imitari. At non ideo rapinis, ſæviſque agrorum depopulationibus, Cæſare ægrotante, deſitum eſt; nam greges, armentaque omnia in prædam advecta, & ædes ruſticanæ ſuppoſitis flammis abſumtæ ſunt. Denique coaleſcente inter memoratæ urbis ambitum diſſidio pertinaci, horum conſcius, amico indice, Nicolaus, adeundum eſſe nunc penitus illò Cæſarem docet, qui ſingulari benevolentiæ typo ductus, ut quem in laboribus & periculis ſummis fidelem expertus agnovit, in Patriis demum laribus reſtauraret, morbo neglecto præter Medicorum arbitrium arma induit, equoque ſublatus, confertis in globum manipulis, versùs mœnia jam in tumultum excitata greſſus dirigit, cùmque ad exteriores aggerum ripas nullo adverſante perventum eſſet, patêre aditum putans, ſigna continet. Sed intro vulgus, Proceresque, audito Cæſarem furore magno adventantem præſto eſſe, metu perculſi truces animos ponunt, jamque pacatis ſeditionum auctoribus pro tuendis Patriæ ſuæ mœnibus concordes exierant, quos ut telis, tormentorumque generibus ad tutelam paratos Cæſar aſpexit, nec ſuperabiles intra Patrios ſinus eſſe, dum ad pugnam laceſſiti nequaquam erumperent, ſpe ſua fruſtratus repente ſigna relegit: in quo rancoris fulgore patentia quævis agrorum ſata ædeſque omnes turmæ depopulatæ ſunt. Deinde caſtra repetit, & jam repentino motu diuturnique labori æſtu flagrans, gelidas pleno ſcypho aquas ſitibundus hauſit, thoroque lapſus ardorem ſedare nititur. Sed febris immenſa geminis aucta caloribus ſubitò membris irrepſit: unde accerſitis ad ſe Medicæ Artis opitulatoribus remedia quærit; arebat namque guttur anhelo pulmonis flatu, nec ſatis jam poterat humectari. dolor etiam immenſus caput urgebat, unde cibos abhorrens ſolum aquæ nectar expoſcit. Cùm ergo Sole occidente nox fieret gravior, quies excuſſo ſomno nulla adeſt, & arentia ſemper ora, æſtuanſque magis pectus quieſcere non ſinunt. Mane facto convenientes Medici urinam inſpiciunt, eaque denſior ſolito rubiginem magnam oſtendens, febrem graviſſimam continuis horis adeſſe teſtatur. Hinc capiti dolor immenſus vix illud erigi patitur. Tunc farinam ordeaceam modicè ſumi ſtatuunt, ſed in caſtris hæc ſuppellex inveniri non potuit; nec quidem æſtu .. inſtante venis haurire cruorem Medicalia permittunt documenta. Ignari igitur quid agant potiùs, ſuccis herbarum gelidis ardorem ſedare nituntur; at fruſtra tentantes linquunt. Adventante autem luce tertia, cùm nequaquam ulla prodeſſent remedia, æſtuans magìs ac magìs in dies ardor accenditur, unde ſecretorum conſcii de ſalute ejus diffidentes, Comiti Sabaudiæ ceteriſque Ducibus rem pandunt, providendumque fore maturiùs, Catholicis illum indui Sacramentis hortantur. Hæc Procerum cœtus intelligens, quid agendum ulteriùs in tanto rerum diſcrimine menti volutat. Denique rogatus Sabaudiæ Comes, ut qui gratior Cæſari foret, ægrum adit, paululumque ſolatus noviſſima illum ſumere Sacramenta compoſitis verbis hortatur. Cæſar verò mentis ſuæ compos id fieri prorſus exoptans, Sacerdotis induſtriam petit, ad quem delatus . . . . . vir auctoritatis eximiæ, ſub Regula Beati Dominici militans, confeſſum reatus & nova Cæſarem, ac devotè pœnitentem, conceſsâ piè veniâ, benignis verborum affatibus levavit. Poſt quæ igitur accerſitis ad ſe Germanorum Ducibus magnanimo Cæſar alloquio noviſſimæ voluntatis ſuæ Codicem in ſcriptis redegit, ſingulatim quæque coram omnibus pateſaciens, demum natos turbaſque omnes iis commendans, aſſumto verentiſſimè Sacroſancto Divini Verbi Sacramento non multum poſt hæc morbo in ſeptemdium protelato vitalem ſpiritum tradens ſuæ debitum carnis exſolvit, hocque velut Annalibus ſcriptum invenimus Dominicæ Nativitatis Anno XIII milleno trecenteno X. Kalendas Septembris. Cujus cadaver Germani maximis lacrymarum profluviis pheretro imponentes, adusque Piſas delatum apud Cathedralis Templi locum magnificis ſubhumatum exequiis tumulant.

Debuit namque hoc in Prædicatorum Cœnobio

bio Fratrum dignè reponi, niſi quòd doloſa in-
ter Germanos lingua, nobis prorſus ignota, Sa-
cerdotem in ipſa venenum Hoſtia confectum
miniſtrantem ſcienter perpetraſſe edidit, ob
eamque cauſam ſubitò Cæſarem, priuſquam
ægritudo poſceret, emigraſſe. Unde multi in
furorem adacti inter Religionis hujuſce clauſtra
impetuoſis tumultibus irruentes, nonnullos me-
tu Regulares ſecretis thalami cubilibus latitan-
tes, quoſdam verò ante ipſas Templi aras enſi-
bus occupant, crebriſque vulneribus letho de-
dunt, ſic propter has cædes exequias Domini
placaturi. Sed ab nequam hujuſce Auctor ſce-
leris, deteſtabiliſque fidei violatæ ſacrilegium,
qui dolum in tam venerabili præcipuoque latère
retulit Sacramento, qui Deum, in ore cujus
nunquam inventus eſt dolus, pati neſas tantum
ſecumque immiſceri poſſe credidit! Nemo enim,
niſi fortè ſit impius, aut in Hæreſi pertinax,
Chriſti Corpus & Sanguinem lædere meditabi-
tur; ſi verò quiſquam indignus aſſumſerit, hic
ſe judicans valde peccabit in ſpiritu. Defuncto
igitur Cæſare ſubitus per omnes Thuſciæ partes
rumor increbuit, deinde fama crebriùs invale-
ſcente, ad extremos Italiæ Populos delatus eſt.
Ex hoc dolentibus apud Piſas Germanis, & his,
quos Gibellinæ partis zelus urebat, aut qui in
exilium adacti ſpe Cæſaris patrio regredi lares
optabant, magna Senenſes, Fæſulanoſve, ac
cetera urbes pari voto flagrantes exultationis,
& gaudii replevit amœnitas; ſed præcipuè Ro-
bertum, cujus virtutem jam pavor tantus inva-
ſerat, ut viribus ſuis, Regnoque diffidens, au-
dito Cæſarem claſſem multam parantem in ſe
irruere, vix Apuliam metu profugus ſponte re-
liquit. Fridericus verò Siciliæ Poſſeſſor cùm jam
quaterdenis æquora puppibus permearet, deni-
que apud Cajetæ litus applicuit, ubi Cæſaris
obitum ſedulus ſcrutator intelligens, dolore ma-
gno perculſus, versùs Piſas iter accelerat, huc-
que claſſe cita provectus in Portum tendit, ubi

A à Comite Sabaudiæ ceteriſque Germanis, ac
Piſanorum Ducibus, gratanter acceptus, urbem
mœſtam ingreditur. Hic Regii funeris cauſam
modumque ſciſcitans cum lacrymis pariter que-
ſtus effundit; deinde Germanorum Duces ad
perficiendum Cæſaris votum propoſitum perſua-
dens Orator expoſcit, ſeque laboris & viæ co-
mitem nullis moveri turbinibus pollicetur; nec
multùm in expediendis moræ rebus ineſſe; nam
puppes, & arma, omniaque ad hæc jam para-
ta, ante Cæſaris obitum fore prædicat. His
tabefacti modicum Germanorum Proceres, de-
nique in curas adacti, Germaniam, à qua pe-
riculis multis, & laboribus affecti præter ſpem
nimiùm abſentaverant, prorſus repetere deſti-
B nant, nec ulteriùs apud Italos bellum gerere.
Piſani quoque ob Regis ſuſcepti famulatum, il-
latamque finitimis Regnis offenſam pavidi, ne
ſi fortè Gallorum turba omnis abſcedat ab ho-
ſtium incurſu lædantur, ſtipendia his magna
polliciti ſunt; non enim hos Friderici propoſi-
tum aſſequi delectabat; verebantur namque Ro-
berti potentiam in ſe truciùs deſævire, ſi claſſe
viriſque Fridericum juvent. Sic ergo Siciliæ
Rex, Piſæque Populus ſpe ſua fruſtrati, abeun-
tes in Germaniam Duces mœſti queruntur. Fri-
dericus quoque inopinatum Cæſaris obitum,
quòdque maximum auri pondus in reficiendis
virorum turbis, & claſſe illi paranda creditum
amiſiſſet, tacitiſque queſtibus ingemiſcens, Siculum
C litus vento blandiùs aſpirante repetiit. Sed hic
poſt breve tempus à Roberto hujuſce temerita-
tis crimen vix ſuperatus ſenſit. Qui verò Cæ-
ſaris caſtra mercede magna conducti ſequeban-
tur, à Piſanis ære pollicito retenti ſunt, quorum
numerus octies virorum capita centum contine-
re putatus eſt. His verò cùm Dux non eſſet
idoneus, & qui Rempublicam gubernaret, re-
vocatus à Janua vir acer & ſtrenuus Ugutio de
Fagiola Populi decreto præficitur.

Explicit Liber Quintus.

IN;

Digitized by Google

INCIPIT LIBER SEXTUS.

Langobardorum Principum acta poſt mortem Henrici Auguſti. Maphæi Vicecomitis potentia in urbes finitimas dilatatur. Papiæ, Placentiæ, Parmæ, Brixiæ, Mutinæ, aliarumque civitatum varia fortuna. Canis Scaliger Vicentia potitur. Hinc Patavini Populi ira & arma in illum. Cædes & prædæ mutuæ, & belli non una fluctuatio. Rizardus de Camino Tarviſii Regulus per conjurationem interemtus. Memorabilis Patavinorum apparatus in Canem, & multæ in Vicentinum ac Veronenſem agrum excurſiones. Nicolaus de Lucio ab ipſis deficit. Petrus de Altichino populari tumultu à Carrarienſibus confoditur. Rurſus Patavini in Veronenſem agrum irruunt. Tum improviſi Vicentinæ civitatis Suburbium intrant. Mirabili victoria Canis rapidè accurrens eorum exercitum fundit. Pax denique tot tumultibus finem facit. Robertus Apuliæ Rex Siciliam invadit, ſed Friderici Aragonenſis induſtriæ, & maris ira victus, ad pacem & ipſe trabitur. Maphæus Vicecomes Cremonam ac Vercellas ſibi vindicat. Parmæ, Rbegii, ac Mutinæ acta.

REfert nnnc, ut geſta Cæſaris memorati jam in ſeriem conſcripta retro linquentes, Longobardorum clades, illatumque Patriæ noſtræ bellum à Patavis in ſeriem redigamus. Et quidem hæc, quamquam non magnificè acta, ocque memoria digna eſſe dicantur, tamen ſic exigentibus ſatotum doctrinis, ut poſtera non ignoret ætas, quo ad puſillum fiat capax ingenium, novis literis illuſtrabit. Quòd ſi fortaſſis rude Codicis noſtri opus, indignumque ſama videbitur, non ideo redarguendus eſt hujuſce Auctor Hiſtoriæ, cur ſe tantis auſit conſcribendis inſerere; non enim hic labor exiguus, aut indecorus ſumeudus eſt; profitemur nempe magnis hæc etiam agitanda Philoſophorum ſtudiis, inque Ciceronis officina diſcuſſa materie, formam modumque recipere debuiſſe; ſed rariſſimus horum eſt numerus, qui laborem in otio, & ſtudium in deliciis optare velint. Nec mirum, cùm neglecta virtute, omnes ad libidinem, ad opes, ad gloriam impetu ferantur. Si quis verò famam, quæ niſi bonis acquiri poteſt, honeſto vitæ cultu, moribuſque optimis parare voluerit, is vulgo neglectus, non ideo præmium ex laude ſuſcipiet. Satìs ergo eſt, ſi de Populo multo unus invenitur, qui papyros in volumen annectens, ſaltem velit relatas ſibi fabellas irridendo conſcribere. Jam enim viſus eſt agere, quod ferè omnes in ſtudiis aſpernantur. Hiſtoriam verò in ſeriem conſcribentes, difficillimum quidem opus aggreſſi ſunt, quod non ſinè maximo animi & corporis labore perficitur. Et nullus mage arduus, intolerabiliorve labor, ubi membra pariter & ingenium exercentur, à quo ſi contemplandi delectatio ipſa tollitur, quæ ſola famæ gloriæve cupiditate producta ſuum laboris præmium manet, nullam profectò mentis induſtriam in ſcriptis redigi poſſe compertum eſt. Ea namque potiti ſunt Græci, & Latini, quorum memoria parentibus libris adhuc celebris prædicatur; quæ autem vi, doliſve, peſſimiſque rerum actionibus fama nuncupatur, ea prorſus infamia, ſuique Auctoris contumelia eſt. Cedamus ergo his, qui ut ſcire videantur, ſtudere negligunt, nec A gaudent onus aſſumere, quod facilè laturos ſe prædicant, delectemurque in rebus fama conſpicuis, quotiens nobis ab agendorum occupatione vacabit, ne ſi fortè quietem in otio deſides prætentemus, ignavè ſtudio memorabilium rerum defuiſſe queramur.

Nunc apud Longobardos geſta, dum Cæſar ad Urbem properaret, feliciter reſumentes, priuſquam aliò feramur, compendioſè tractabimus. Maphæo igitur Mediolani præſidatum gubernante, dum illum Turrianorum grex magnus, ceterique bis complices ad ſummum odirent, Guido Turrianus apud Cremonam ægrè militans nunc Proceres, nunc Plebis Optimates Patriæ, literis aut nuntiis ſecretis ad conjuratio- B nem allicit, omnia pertentans, ſi poſſet primis ſedibus reſtaurari. Sed fruſtra viſus eſt, nam cædibus & rapinis violenter inſiſtens in ſe ferè omnium indignationem manifeſtè convertit. Ut ergo nequaquam id moliri præſentit, dolore magno vexatus denique languens effectus eſt. Ægrotans itaque, dum ſolari non poſſet, priuſquam anni circulum exul mergeret, morbo nimiùm ingraveſcente, infeliciter occubuit, theſaurorumque ſuorum, & ſuppellectilis omnis natos ſuos Simonem, & Franciſcum heredes inſtituit. Hoc Maphæo delatum lætitiam immenſam tulit. Tunc ille, ut tutiùs regnet, ceteris gratus, omnia Reipublicæ munera in medium ponit, & faſces, theſauroſque diſtribuens, velut cuique C congruum fuit, providus erogator confert. Sic Populi benevolentiam ſibi conciliat, Turrianos verò omnibus deteſtabiles facit. Hi cùm multi ſupereſſent, & ferè omnes adoleſcentes egregii, Patriæ ſuæ bellum indicentes, quo ad potuere, viſi ſunt nunc clandeſtinis intro factionibus, nunc ſævis agrorum depopulationibus ſibi ſedem priſtinam vendicare, donec hoſtium incurſu comprehenſis quibuſdam ex ipſis, ceteri metu perculſi in exilium abiere.

Nec minùs Philipponus de Languſco, pulſo Regis Præſide, qua primùm potitus fuerat, Papiæ ſedem occupat. Hic Maphæum exoſus, eo quòd animi voto uterque diſpares, multùmque Turrianis benevolentia cordis annexos, ſed Alberto Scotto præcipuè, flagrabat; unde ad bellum

lum citatus Placentiam amico vindicare vi doliſque parat. In tantis igitur conatibus Guibertus de Corrigia ſibi compartialem literis ſecretis allicit, qui metu Regis oppreſſus erat, eique clam conſiliis audaciam ingerit, docetque ut Robertum Apuliæ Regem præſidii causâ poſtulet, à quo repentè vires accipiens, apud Tortonam dimiſſos à Roberto maniplos locat; cùmque poſt triduum, confertis in unum turbis, verſus Placentiam noctu peragraſſet, putans urbem hanc furtim ingredi, ſpe ſua fruſtratus inde revertitur. Tunc in ipſo reditu Comitem de Salebrus, qui à Cæſare dimiſſus pro Fidelium tutela, Placentiam adire properabat, fortè invênit, in quem ſubitò impetum faciens copias omnes adducit. At ille utpote magnanimus, & fugæ neſcius, ſecum fermè comites centum trahens, impavidus in Philipponis gentem viriliter irruit, multiſque cæſis & ſau.iis, denique confecto pilis equo telluri obrutus ſurgit, cùmque multum gladio dimicaſſet, jam longo Marte defeſſus in capturam urgetur, & uſque Papiam advectus carceri mancipatur. Ex hoc turbatus Maphæus, quid agat potius meditatur. Confeſtim ergo Cæſari hæc pandens, qui tunc apud Piſas maturè ad Urbem iturus omnia parabat, animum vireſque accipit. Tunc civitati Laudi, quam in ambiguis ſemel expertam ſatis noverat valde opportunam eſſe, Soncinumque oppidum Comiti de Foragio ab Cæſare donatum cenſu magno nanciſcitur, Cumaſque in deditionem accipit. Interea dimiſſus ab Auguſto Guarnerius de Ottomborch, vir bellicoſus & audax, Placentiam citus advenit; quem cùm prius ægrè ſuſceptum Optimates ſolicitè ab urbe abire compuliſſent, de Alberto nimiùm veriti, nunc Maphæo volente benignè ſuſcipiunt. Cùmque res jam ad bellum pronas Maphæus agnoſceret, veritus ne quid ſiniſtrum per ignaviam cedat, amoto Petro del Meſa Veronenſe, Galeatium primogenitum ſuum Placentinis præficit. Hic ſumtis à Patre copiis Albertum Scottum vi doliſve in exilium abire compulit, qui tandem juxta Cremam, ut prædiximus, vitæ ſuæ tempora perficit. Deinde Philipponem amici vindictam exigentem, cùm itidem ſiniſtro fatorum caſu ſecus Placentiam profectus multas ſecum copias adduxiſſet, dolo ſuperatum vinculis tradit, patrique ſuo uſque Mediolanum dimittit, ubi quem rebus feliciter ſtantibus Antonium Laudenſem amicè dilexerat, in eodem carceris ergaſtulo apud eum depoſitus invênit. Nec multùm poſt hæc Papiam, quæ Rizardino Philipponi nato commendata ſervabatur, clandeſtinè ingreſſus, illam patriis titulis vendicat, in quo urbis introitu dum itidem Rizardinus vir bellicoſus & acer improvisè hoſtibus occurriſſet, ab his denique ſaucius equo proſtratus viriliter occidit. Quod poſteaquam Philippono, indice famulo, conſtitit, vix dolore tanto vitam projecit. Simon quoque de Colubiano Vercellinus dum & ipſe cum Tizionibus, quos in Patriam jam ab Cæſare reſtauratos ad ſummum oderat, in diſſidium traheretur, diviſis bipartitim mœnibus in directo fluminis alveo ſuperatus, inventuſque poſt tempus exiguum apud Duces memoratos ſolicitè cuſtodiendus attrahitur. Sic Maphæus felicibus potitus eventibus, quos maximè verebatur Longobardorum Proceres in captivitatem victor adducit. Nimiùm pridem adverſa illi ſors fuerat, quæ ſtantem in ſumma rotæ uſque ad imum præcipitans vix deſtituit; ſed aſpirans feliciùs in altiori ſublatum cacumine ruſus advexit. Hic enim natis quatuor adoleſcentibus miræ probitatis, imbecillioris. . . . totidem, prædatu hoſtium ſuorum ſpolia victor tulit, decemque urbium, priuſquam moreretur, Gubernatorem ſe novit. Cremona quidem illi noviſſimè acceſſit, quam poſt Guilielmi Cavalcabò viri audaciſſimi fatum infelix apud Soncinum, ortâ jam inter Ponzones, & Guilielmi agnatos diſcordiâ, licèt urbs hæc Paſſarino jam tradita ægrè ſervaretur, per induſtriam Ponzini obtinuit, eique natum ſuum Luchinum præfecit. Hæc quidem urbs auſpice Virgilio cùm miſeram appellat, adeò profugis inde civibus deſtituta erat, ut in extremo miſeriæ gradu videretur ejecta. Nullæ quippe Coloniæ circum manentes, nulla per agros ſata victum ſuæ Patriæ miniſtrabant; ſed omnia nunc flammis, nunc rapinis depopulata nihil perferebant; quæ verò oppida ſervabantur, Patriæ bellum atrox inferebant. Sic Populus, qui quondam tot innumerabilibus fremebat virorum copiis, vix modicam efficiens turbam, in arcto contractam urbem brevi replebat anguſtia. Hoc Primates, Nobiliumque rancor conſortis impatiens, variis animi votis efficiunt; ſemperque Plebs miſera Potentum noxas eluit.

In hoc rerum procinctu Guibertus de Corrigia metu Populi Parmenſis, quem ſæva tyrannide, maximiſque pecuniarum exactionibus opprimebat, ne cum Guilielmo de Rubeis exule clam conjuretur, illum admitti deſtinat; contractaque animi voto cum eo certa fœderis pactione, Magdalenam Guilielmi natam in conjugio ſumit. Sic revocatus ſocer in Patriam Plebis applauſu, ſedem vetuſtam accipit; memor autem injuriarum, generique perfidiæ, poſt lapſum biennium ad id facinus complices, rem agitantibus Johanne Quircio, Gerardoque de Inzola, tumultu excitato in plebe Patriæ libertatem parat. Quamobrem Guibertus Populi furorem metuens cùm multis amicorum copiis ſe circumventum aſpiceret, metu profugus Patriam linquit & in tuto Caſtilionis ambitu inter Parmenſis ſoli fines ſe recipiens, quietem agere abſque horum controverſia contentus eſt. Paſſarinus quoque Mantuæ Præfectus Mutinam, idem factitantibus Gibellinæ partis Ducibus, metu hoſtium, quos in exilium abire coegerant, neve in ſervitutem adacti Bononienſis vulgi jugum infeſtum moleſtè perferant, in deditionem accipit; quam mercenariis virorum copiis fulciens tyrannide ſolita opprimit. Soli Rhegini inter tot bellorum anfractus libertate Populi magnificè potiuntur. Bononia verò ſolicitis, Auguſto nondum procul amoto, curis æſtuans, modò Fæſulanis, nunc Cremonenſibus vires animoſque ſuggerit. At Canis Veronæ Præfectus, defuncto fratre ſuo Alboino, Patriæ ſolus moderamen accipit, cùmque illi magna nanciſcendi finitimæ regionis Principatum vexaret ambitio, quoad potuit, viſus eſt modis omnibus vendicare. Neque tamen Brixiam capere auſus eſt; hanc Mazones, hiſque complices, pulſis Guelphæ partis Ducibus, detinentes, non ideo tutè ſolicita mœnia privati urgebant. Erat nempe his moleſta vulgi ſeditio, quæ pro exulibus ſuis bellum Patriæ inferentibus ſæpe numero vexabatur, donec ſuadentibus concordiæ miniſtris ſub certa lege fœderum omnes in Patriam revocantur. Sed hi perperam agentes, fidem, quam per jusjurandum ſervare polliciti ſunt, nequiter violant; nam cùm res in tranquillo compoſitæ pace frui viderentur, non paſſi ſunt Guelphæ partis Duces perfidi, Mazones ſequaceſve ſuos per fœdus initum in Patria degere. Excitato

tato namque ad tumultum Populo, clamantis vox audita eſt, Gibellinos in ruinam Patriæ, præcipitiumque Plebis conjuraſſe. Quamobrem factionis hujus ignari, dum jugulis turbas omnes intentas cernerent, ultro abeuntes per fugam mœnibus egrediuntur, & per municipia collibus Patriæ affixa diſtributi bellum maximum hoſtibus intulere. His memoratus Canis, Maphæuſve Mediolani Præfectus ſæpe vires auxiliares contribuunt, ut ſi poſſent, Guelphis ſuperatis, vi aut dolis introeant; ſed nequaquam, id prætentantes, nacti ſunt. Colonias tamen ipſas, ruſticorumque armenta & greges, ac ſuppellectilem omnem in prædam ducentes, nunc ferro, nunc armis circiter Patriæ ambitum metu ſolicitæ omnia hoſtiliter depopulati ſunt, adeò ut ſola mœnia Guelphis, Plebique viliſſimæ vix bene cuſtodita ſufficerent: digna quidem perfidæ gentis & vulgi diſparibus animi votis æſtuantis a cœlo demiſſa ultio, quæ nunc cladibus intrinſecus excitatis, nunc belli exterioris turbine, opulentiam omnem, quæ diſſidii materies fuit, modico temporis lapſu contraxit, nec tamen truces horum faſtus perfidiamque perdomuit. Sed hæc hactenus, nam plura notanda ab his acta conſcribenda pervenient.

Canis itaque ad præſidatum Vicentiæ, quam, velut prædiximus, è jugo Paduanorum Cæſareis comes manipulis liberam fecerat, vigili cura, totoque animo pronus intendens, quos ſibi pollicitis magnis, animique voto gratos effecerat, ex urbe ipſa ſecretò allicit, ab hiſque, ut ajunt, quid cupiant, moliantur ve cautus inquirit. Proinde nefas eorum intra concipiens, eo quòd Civium ſtragem ſuorum Plebiſque faſces optarent, perficere pollicetur. Gaviſi valde id prorſus fieri ſuadent, orantque, quatenus res maturè procedat. Hoc à Cæſare tunc apud Piſas per tranſitum ad Urbem innitentem cenſu dato facile impetrarunt. Quidam nefandos ad patrandum ſcelus Cives ſigilla falsò edita cum patentibus ſcriptis ad Cæſarem delata putant fabricaſſe, quòdque ille ſuſpicans hoc Proceribus Vicentinis, totique Populo valde gratum, liberalem Canem tunc nulla inveſtigatione præfecerit. Quomodo autem cumque proceſſerit, nobis hoc prorſus ignotum; nam vix puberes tunc effecti, puerilibus adhuc ludis pilam exercebamus. Præfecto igitur Cane rumor inter Plebis aures intonuit. Pars igitur, Patavorum metu compreſſa, Ducem Canem eſſe flagitat; pars verò rurſus jugo ſupprimi dubitans, admitti nequaquam illum eructat. Unde ſubitò vocatis ad ſe pleriſque Optimatum, priuſquam res in diſſidium verteretur, precibus pollicitiſque magnis ſub frequentia occurrentis vulgi, nullo adverſante, Canis inducitur, & in Atrio publico Sedem accipiens à Cæſare conſtitutus Præſes nuncupatur. Hoc nempe XI. Nonas Martii duodecimo trecenteſimo & milleno Anno Dominicæ Incarnationis fuiſſe conſtat. Diſcedens ergo Aldrigettus de Caſtrobarco, qui per menſtruus octies lapſus præſidatum tenuerat, gubernationem urbis huic tradit, multùmque viſus eſt Cani, quem valde diligebat, in tantis affectibus obſequi. Hic mercenarios ſecum clientes variis ortos regionibus, differentiſque Idiomatis ſtipendio magno conduxit, ex quibus ſubitò mores, honeſtè vivendi modus, & cultus in Patria noſtra pariter cum fortuna mutati ſunt. Tunc ſtupra, voluptateſque, & verſuta dolis ingenia ab his proveniunt; nec pietas, nec fides ulla, ſed in vitium proni actus eorum ex libidine magis ferebantur ad impetum. Hoc ut Patavis nunciatum, continuò vulgus vehementi ſtupore compulſum odium fulciat, & in furorem accenditur; ſed eo magis, referentibus novi ſchiſmatis auctoribus, eumdem Canem Paduæ quoque Præfectum ſe jactare; unde concuſſis novo rancore Patavorum animis extemplo Cæſareum nomen, Regiaque omnis reverentia ab his uſurpantur, deteſtabiliſque fit votis omnium adverſa Imperialis præeminentia Majeſtatis. Cùm ergo ſuſpenſis paſſim animis Populus quid agat certiùs dubitaret, ſubitò in furorem adactus Atrium ſcandit, & collectus in unum Tribunis Plebis diſcutiendum ſuper his quidnam utilius foret Placiola edixit. Aſſurgens itaque Rolandus de Placiola, ut mentes omnium erga Cæſarem moleſtas agnovit, abnegandum prorſus Auguſtum, utpote fallacem, & . . . . . clara voce ſuadet, quòdque illo rerum inops, & paucorum copiis circumventus, nequaquam ulteriùs vires augebit; omniaque ex Plebiſcito juxta vetuſtas Legum ſanctiones in priſtinum revocari; nec pacem, aut ullam fœderis pactionem cum Vicentinis habere, ſed vi, doliſque in eos utendum eſſe, donec ſuperato Cane ad ſuetum Patavorum regimen adacti fuerint. Poſt quem Albertinus Muxatus, ut qui Cæſari gratiſſimus fuerat, differendum potiùs in tempus habilo, nec præſto Regem adhuc ſuperſtitem valentemque jam temerè negligendum eſſe, furorique cedendum, donec pedetentim res ſuis votis accedat. Talibus itaque Plebis furor accenſus vix in illum impetu ſubito corruit; & ni fortè reverentia Præſidis obſtitiſſet, numquam iſce Orator Poetæ nomen ſibi vendicaſſet. Sancitum igitur ex Decreto Senatus, perfido Regi nequaquam ulteriùs obtemperandum, omniaque ad vetuſtos Populi mores reducenda eſſe. Tunc Aquilarum effigies, quæ in Atrii veſtibulo, ſummiſque murorum faſtigiis depictæ fuerant, repentè cum ipſo pariter cæmento diripiuntur, ne qua in poſterum ſigna cerni poſſint. Sic & paſſim & totis urbis appendítiis vulgi mandato effectum eſt, Præſeſque Gerardus de Inzola, qui hactenus Regis vices palàm geſſerat, mutato officii vocabulo in aſſuetum Poteſtatis nomen à Plebe decernitur. Sed hæc prudentibus viris maturè deteſtata, qui Patriæ ſuæ cladem omine ſiniſtro prædixere; nonnulli etiam Optimates, etſi non hæc factiſcenda hortati ſunt, non ideo benefacta laudarunt. Poſt hæc tumeſcentibus utrinque animis paulatim furor accenditur; tunc ſimultates odiaque detecta ſunt.

Patavi verò, qui ultionem capitalis hoſtis ardentiùs flagitabant, ut jam bellum, non pacem exquirere videantur, dimiſſis uſque Baſſanum mercenariis clientibus, inde ſævis depopulationibus rem nefandam initiant. Nam hi citra fluvium Brentæ hoſtiliter irrumpentes, in ruſticanas Vicentini ſoli Colonias violenter irruunt, & omnia in prædam trahentes, ſuppoſitis ædes flammis expilant. Hoc funius, profugique incolæ Cani repentè nunciant. Quamobrem dolens, gaudenſque pariter, ab his bellicum cœpiſſe impetum, & quia adoleſcens animoſus & acer Patavis vires ſuas oſtendere flagitabat, prudentum conſilio fretus reſtauranda quæque in prædam adducta, ædeſque reficiendas, primò per ſcripta ſua Patavos docet. Hi verſutis ignaros ſe queſtibus dictitantes, mercenariorum temeritatem increpant. Sed non ideo ſtudent ablata reſtitui: quod in aliquot protelatum dies, dum fruſtra verbis ageretur, jamque hinc exactæ minæ mutua vice tumeſcerent, rurſus iidem clientes, Patavis volentibus, Angara-

ni

ni Pagum, ſolo dirimente fluvio Bexano conterminum, igne conſumunt, & in prædam diripienda quæque intro advehunt. Quamobrem Canis excandeſcens repentè bilem excitat, & dimiſſis mercenariorum maniplis in Paduanorum Colonias, pari modo rapinis & incendio potitur. Tunc excuſſa utrinque fœdera, concordiæque omnis futura compago, tunc in furorem bellicum excitata utrinque rabies efferа Populorum, omniſque ſub armis ætas bello opportuna tegitur. Nec arduum fuit umbones aut pila deferre; quadraginta etenim ferme annos pace potiti, diſſidium tumultuſque fieri adoleſcentes virique avidis votis optabant. Extemplo itaque citatis ad bella Populis, ruricolæ primi, ſublatis armentis & ſuppellectilibus ſævo Marte læduntur, qui verò impetu magno primò nec læſi, nec capti ſunt, ſupportabilia quæque in Patriam ſuam trahentes in tuto locari ſe ſtudent. Vidimus nempe agricolas timidos longo vehiculorum ordine ſuppellectilem vaſaque omnia feſtinanter adducere, matreſque natos ſuos nunc gremio, nunc humeris anxie ob metum deſcrentes, ſub ipſis ædium noſtrarum porticibus accubare. Hunc belli modum in caſtris aſſueti docuere, ut cæſis captiſque agricolis, direptiſque horum copiis, ædes omnes incendio diſſipentur. Ita quotiens per impios à Cane conductos ære mercenarios vidimus agreſtium Patavorum turbas manibus poſt terga vinctis in Patriam noſtram captivas protrahi, haſque gravibus pœnis affectas, donec pretio dato ſe redimerent. Sic & Patavi horumque mercenarii in Vicentinos agricolas crudeliter peragunt. Sed quid hi terram aratro vertere, ſegeteſque & vineas aſſueti colere, agreſte virorum genus, talibus meruere lædi proterviis? Cur hi potentum noxas, tumentumque animorum rancores eluunt? Non ſic agi debuit, ſi pietas ſacra prævaleat. In tanto igitur diſſidii fremitu Patavi Martinum Canem ex civibus ſuis delectum, apud Camiſani oppidum inter Vicentini ſoli fines, quò & ille agris ſuis intentus ædem tutam ſibi ſtruxerat, accuratè præficiunt, ut inde non ampliùs quàm ſeptem millibus ferme paſſibus diſtans Vicentinis bellum atrox inferret. Non moleſtus ergo aſſumtâ virorum turbâ, hoc avidè perficit. Hic omnes ruralium Colonias, quæ inter fluvii Ticinalis ambitum, & Patriam noſtram uſque ad Patavorum limites protelantur, ſævis rapinis, incendioque vaſtat. Quamobrem Canis ira vexatus noctu turbis aſſumtis locum invadit, putans illum furtim ingredi, aut maturo prœlio ſuperare. At nequaquam perficit, nam præcipitibus aggerum ripis, & paluſtribus alveis fundatus, ambitum negavit ingreſſum. Hinc reverſus Canis poſt dies paucos Dimitrium ingenuis ortum parentibus apud Celvareſii Coloniam intra modicum telluris obrutæ, ædibus ejus valloque ſeptum, facilè ſuperat, captumque uſque Vicentiam duxit, ubi deliciis quondam ſuctus angore carceris miſerabiliter occidit. Canis verò modica functus victoria, ſævior in Patavos furit, aſſiduis multùm rapinis & ædium populatibus . . . . exigente tamen opportunitatis cauſa relicto nepote ſuo Friderico Præſide, Veronam proficiſcitur. Patavi autem accenſis in hunc odiis avidiùs æſtuantes, in dies vigilare, nitique, ſi poſſent, optatam Vicentiæ Sedem vi doliſque in priſtinum vindicare. Ad hæc quidam ex Optimatibus Patriæ noſtræ pollicitis magnis hortati, qui jugo ſævæ tyrannidis opprimi ſe putantes, eorum quoque Cani confœderatos ſciebant votis avidis ultionem exigere, Paduanorum petitis annuunt, conjurantque, ut Patavis rurſum per fœdus admiſſis, Canem ipſum compliceſque illi compatriotas aut cædant, aut mœnibus violenter ejectos procul arceant: ſic enim tunc fama frequens vulgo dictabat.

Adveniente ergo die ſtatuta, Paduani ſumtis armatorum maniplis, directo calle Vicentiam petunt; cùmque his juxta Quartixoli Pontem, ubi conſtructum trabibus ædificium, quod Italica gens Bitefredum vocant, deſuper imminebat, denique ventum eſſet, reſtaretque tranſeundus Tiſini alveus, nuntio referente Præſidi memorato, confeſtim pro tutela Pontis, utque venientes repellantur hoſtes, armatos mercenariorum maniplos, Civiumque alas ad id loci Præſes dimittit. Necdum celeres Pontem advenerant, & ecce phalanges Paduanorum obviam ſuperato flumine procedentes in hos ruunt, cœptoque prœlio multi gladiis ſaucii fodiuntur, inter quos fama celebres Conradus de Vivario, Tiviſolus de Repetis, Montorius Maſcarellus, Gerardus de Prothis, & Nicolaus de Luſcbis, ambo adoleſcentes egregii, plerique alii, quorum vocabula prætermittimus; captivi verò pauci advehuntur, è quibus non obſcurè orti duo Albertus Morcabruni de Vivario natus, & . . . . Petri de Triſſino; ceteri verò Populares. Qui autem neque capti, neque interfecti, profugio celeri intra ſuburbana vallorum clauſtra ſervantur. Patavi ergo, cùm ulteriùs partâ victoriâ procedere non auderent, felici ingreſſu Paduam repetunt. Hæc ut Cani nuntiata ſunt, ſubitò Vicentiam citus advênit, ubi res omnes in ambiguo belli diſcrimine labefactatas inveniens, audax Præfectus animos intulit, multumque ſiniſtris fatorum eventibus ingemiſcens, dolet primo impetu defeciſſe. Deinde refectis paululum viribus, qui fervore partialis benevolentiæ huic pridem adhæſerant, præficique illum accuratè niſi ſunt, alterius zelatores partis de perfidia criminantur. Quamobrem capti multi, ſæviſque tormentorum pœnis affecti, denique laqueis vento ſuſpenſi ignominioſè plectuntur. Inter quos memorabiles germani duo Gualdinellus, & Marcabrunus Colzadii iiſdem parentibus orti, Bonacoſa de Marano vir ſatìs egregius, & Jacobus Piciga juvenis in utroque Juris dogmate glorioſus. Priuſquam tamen hi crudeliter mulctarentur, plerique, ut ajunt, facinoris conſcii ob motum adoleſcentis Tyranni, impiorumque Civium, ſponte Patriam linquunt, velut Sigonfredus de Arzignano, Henricus de Milacapellis, equeſtris uterque Ordinis, & Raynaldus Verlatus vir ſuæ ſtirpis, aſſumto ad inferos Jacobo, magnanimitate præclarior, tunc hortatu perfidorum in Cives ſuos, pietate ſublata, graſſantium, & reliqui, quos decus, aut Patriæ reverentia Populis gratos efficit, in exilium proſcribuntur, quorum pars maxima revocari deſperans ad hoſtes Paduanos ultro ſe transfert. Ejectis igitur ferè omnibus bonis, quatuor non ampliùs lupis laceranda commendatur à Præfecto Reſpublica, quorum vetuſta nobilitate ſuperior Marcabrunus de Vivario, ad hoc complices nefas, Guidonem Bixarium, Petrum de Prothis, & Bugamantem ejuſdem proſapiæ ſocios habuit. Sub his etiam fautores multi factitandum id prorſus hortatibus ſuaſere continuis. Tunc excuſſa Populi libertas; Legeſque, & Plebiſcita in ſceleratorum optione decretæ; inceſſabilis ſummaque æris exactio. Nec modus huic, nam multifariam, ingenioque omni, locupletum dona violenta, exulumque ſpolia, demumque ſuppellectilia ipſa in medio ſubhaſtata foro,

foro, in pretium rediguntur. Nec minùs prædia Fiſco, quam dedita venundantur. Sicque omnia in vitium ſævæ tyrannidis abeunt, ut ex libidine magis, animique petulantia gubernaretur.

At Patavi Vicentinorum cladibus exultantes, ne deſides in bello videantur, conflato grandi exercitu è Baxiano progreſſi, Maroſticæ Coloniam impetunt, quam aggeribus valloque præcinctam diebus quinque machinis, pilorumque genere omni hoſtiliter impugnantes, luce ſexta patente in deceſſum collis ingreſſu denique ſuperant. Oppido autem in apice montis ſervato, cùm nequaquam ſuperandum eſſet, direptis armentis, & ſuppellectile omni, cetera flammis impoſitis abſumuntur. Depopulatis quoque ruralibus vicina ſtatione contiguis Paduam repetunt. Canis verò acer & ſtrenuus adoleſcens, dum ad illatæ ultionem injuriæ intenderet, compartialium opem nactus amicorum, grandem ſatis conflat exercitum, & uſque in planum juxta colles Euganeos caſtra promovet, ubi deductis aciebus Rovoloni Pagum collibus fundatum poſt ſævam pridem rapinam igne deſtruit; deinde finitimas agrorum Colonias pari vaſtat excidio. Triduo ſævis inſtans populatibus Vicentiam redit, neque enim pares vires & copias Paduanorum exercitui habuit; ſatis autem fuit illi octies centum equites perſectis viribus aſciviſſe. Indignati ex hoc Patavi valde inter ſe dudum ſimultates & odia exercentes, jam patulis bilem effudêre rancoribus. Guilielmus quidem Novellus vir egregius, eo quòd Gibellinæ partis princeps vulgo ferebatur, Primorum hortatu à ſatellitibus circumventus, in ipſo Prætorii veſtibulo gladiis trucidatur. Quamobtem ceteri ex hoc impetu hoſtes judicati, partim metu diffugiunt, partim in exilium dimiſſi procul abeunt. Sicque regimen illud in ſe diviſum variis animorum fluctibus agitatur. Primi nempe ad Rempublicam regendam ſub ſpe utilitatis aſſumuntur, Tiſo de Campo Sancti Petri vir nobilis, multùm dilectus à Populo, Macaruffus, & frater ejus Barnabas, Petrus de Altichino vir plebejus, plerique alii in hoſtis contemtum Guelphiæ partis zelo flagrantes. Sancitum eſt ergo, ſuadentibus his, & Populi Magiſtratibus, omnes Patavorum vires in glutinum accerſcendo conferre, & uſque Vicentiam mercenariorum omnium, Populique gregem ſumtis armis ad bella dirigere, ut vel prœlio ſuperatus campeſtri, vel intra mœnia convictus hoſtis ſedem relinquat. Repentè igitur, conſertis in unum maniplis, caſtra movent, & promtis ad iter aciebus Vicentiam petunt; cùmque his negaretur ingreſſus, juxta Tiſinæ alveum in ipſo nemore, quod non ampliùs quàm mille bis paſſibus noſtra diſtat à Patria, ſtationem eligunt, ubi diſpoſitis in ambitum caſtris, cœtus omnis intra ſtativorum limites certos adducunt. Hoc ut Cani nuntiatum eſt, in agendis ſedulus, vigiles pro reſervandis mœnibus decemit excubias; ipſe etiam ab otio continens, quid agat potiùs, contubernales ſuos in dubiis hæſitans ſciſcitatur Jam ad illum multi Paduanorum exules prona mente confluxerant, inter quos memorabiles hi Rainaldus & Gaboardus de Scrovignis adoleſcentes locupletiſſimi, Traverſus de Deleſmaninis juvenis animoſus & acer, & plerique alii. Dum ergo hoc animo volutaret, ecce adveniens ab ruris opimi Colonia, quam apud Cuſtodiæ colles, ubi mons cavus gelidas auras eructat, intra alveum fluvii labentis, & collem indigenæ fundaverant, adveniſſe Patavos fluvium tranſire parantes nuntius refert. Confeſtim ex hoc Canis ira ſuccenſus, acceptis mercenariorum turbis, illorſum accedit, utque temerè ductos, partim ligneum ædificium Ponti deſuper imminens oppugnare, partim ad umbras arborum Phœbo in geminis æſtuante otium quærere hoſtes agnovit, extemplo in eos furialiter irruens oppugnantes primùm audax invadit, hoſque facde ſuperans, crebris armorum ictibus occupat. Qui verò ſaucii nec dum occubuerant, per fugæ remedium ſe tutantes in agrorum latebris defecere, aut in alveo bifurcati amnis præcipites ſubmerguntur. Nec deſitum eſt profugos cædere uſque fixa prope tentoria. Potuit tunc nempe victor Canis caſtra hoſtilia ſpoliare, ſique ædes ſuburbanas inviſæ urbis noviſſet, exercitum omnem uſque tenus aggeribus invaſiſſe; at retroveniens, ne qua per inſidias premeretur ignavia, occurrentes ſibi hoſtes letho proſtravit; ſed maxima horum turba in aquis præcipiti ſaltu demerſa, ut jugulum vitaret, in imo fluminis alveo ſuffocatur. Si quis verò nauta tranare potuit è ripis impetitus à ruralibus Canem ſequentibus denique ſaucius pilo in mediis undis obruitur. Hæc nempe ſtrages ſupra quàm virorum quatuorcentum numero putata, magnam Cani ſuffecit audaciam; neque enim ille in tanto turbarum hoſtilium excidio ex ſuis ſama conſpicuum quemquam amiſit, excepto Lucio Sego proprio vocabulo, pronomen verò Panzetta, qui ex alta Schenellarum progenie derivatus è Patavo, quamquam vetuſto Primorum damnatus exilio, progenitum ſe jactabat.

Confecto igitur prœlio Canis modica exultans victoria, cito regreſſu Vicentiam petit. Patavi verò de ſtrage ſuorum intelligentes, ne quid ignavè ſiniſtrum accidat, cùm jam adveſperaſſet, revocatis à vallo ſuburbano maniplis, intra quod pugnando viriliter facilè ingredi putabant, tentoria celeres adeunt, & cœna, modicoque refecti ſomno, priuſquam craſtina lux albeſceret, præmiſſis onagrorum ſarcinis, vehiculorumque quadrigis, non procul hinc noctu caſtra ſummovent, & juxta vetuſtum fluminis alveum, ubi Paduam, priuſquam obſtrueretur, brevi labens Euganeos cultus ambibat, exiguumque Scrulæ Pagum, accuratè diſponunt. Summa illis nempe cura fuit alveum recenter obſtruſum per ſolitos riparum meatus Paduam aggere moto dirigere. Sed fruſtra id factiſcere niſi ſunt; nam Canis extemplo copias ſuas illorſum citato curſu deſtinat, & in plano citerioris ripæ ex oppoſito copiarum hoſtilium caſtra diſponit, munitque aggerem ſagittis & vallo, ne Patavi voto potiantur optato. Hic locus, veluti à majoribus noſtris eſt traditum, ſæpe numero Vicentinos & Paduanos ad arma furialiter impulit; nec ſinè cæde, Populique utriuſque jactura lis hæc bello decidenda pervênit. Cujus cauſam, etſi vulgo pateat, externos tamen latuiſſe noluμus. Inter multos variosque amnes intra Vicentini ſoli gremium, declivibus hinc inde fontium rivulis permeantes, duo famoſi in Patriam ſuam reflexi opportunitatem aquarum copioſè miniſtrant, quorum alter Retronus, alter Bachillio famâ nuncupatur. Hi vix æquales in undis, uſuque optimo, per ipſa urbis viſcera diviſi illabuntur, nec procul à mœnibus, quinimo juxta murorum clauſtra mixtis in alveum eumdem aquis veterum fabricatione junguntur, deinde ad extrema producti versùs meridionalem plagam maturo lapſu ſcaturiunt. Priuſquam ergo memoratum locum permeando deveniant, alterum minoris famæ fluvium, qui Tiſina nuncupatur, ex obliquo ſuſcipiunt, ubi ſecus collem

by Google

lem exiguum vetuſtis retro temporibus creſcens alveus biſurcatur, partimque Paduam labens per rura Montis-Gaudii fertur, partim verò juxta ripas Bericani montis circiter Lucii colles paludem efficit. Hunc Patavi, dum Vicentiam opprimerent, ſaxis, & cæmento teſtudinei operis magna ſolicitudine obſtruunt, adeò ut aqua velut ſtagnum languens tota versùs Paduam flueret. Hanc igitur ſaxorum ſabricam Vicentini poſt accenſum in Patavos odium furialiter deſtruunt, perque vetuſtum fluminis alveum aquas reflectentes, alterum hoſtibus miniſtrantem lignis & virgultis, omnique ſaxorum genere, ſuppoſito telluris acervo, ne quis inde labatur humor, impediunt; novamque inde ſoveam fabricantes lacunar omne diſſolvunt.

Hunc ergo locum Patavi, eo quòd inter Patriæ ſuæ viſcera aquæ penuriam ſentiebant, deductis virium ſuarum copiis pertinaciter occupant. Cane autem viriliter adventante, cùm propoſitum exequi non daretur, in iracundiam promoti, ſæpe aggerem, murumque ſubitis bellorum impulſibus, nunc ſagittis, nunc miſſilibus hoſtiliter impetunt; ſed iidem repulſi fruſtra queruntur prætentaſſe; ideoque ſtatuunt, ut admiſſis undique fidelium copiis bellum acre viriliter ineant, viribuſque ſuis moleſtum Canem in præceps obruant. Coacti igitur ſenes puberesque omnes juſſu Præſidis è Patavio ad caſtra deveniunt, numerumque ſuorum, non vires augent. Huc quoque Rizardus de Camino Tarviſii Præfectus, eo quòd Patavos in ambiguis rerum ſuarum ſatis benignos compererat, agnatum ejus Tolbertum cum haſtatis centum equitibus, trecentis verò peditibus accuratè deſtinat; ſed iſte Præfectus non multùm poſthac incautè peremtus occubuit, cujus necem ne poſteros lateat, compendioſè dictabimus. Primogenitus namque poſt Gerardi patris ſui obitum modetamen accepit, atque is nulla Tyranni veſtigia ſequens, Plebi ſuæ gratus habebatur. At nimiùm venereis actibus inſiſtens, dum pudicæ conjugis Altinerii de Azzonibus forma captus inſaniret, nec prece pretiove ullo virtutem ejus labefactare poſſet, viro ſuo ex legitima ſatis cauſa patriis laribus ſe abſentante, quam optabat vi doliſque adulterare compellit. Hæc verò poſt nequam commiſſum omnia viro ſuo per nuntium fideliter aperit; maluit nempe ſe ipſam perdere, quàm nefas tantum pavidè ſubticere. Vir autem pudicitiam conjugis laudans, quibus potuit blanditiis illam ſolatur, monetque ut cuncta diſſimulans, nihil in propatulo edat. Ut ergo rediit manſurus in Patriam, quem ſummum oderat, prudens fingit hoſtem diligere, remque ipſam Rambaldo Comiti, utpote viro ſtrenuo, civique optimo in ſeriem pandit. Dolens ille, amici verecundiam blandis ſermonibus levat, & ultionis remedio delendam fore hortatur injuriam. Ipſe etiam natæ pari contumelia vexabatur. Decretum eſt itaque, Rizardum prorſu interimi; ad hoc etiam facinus perpetrandum plerique Nobiles ſocialibus ſe complices viribus offerunt. Reperto denique ſatellite, qui ob pactum magni auri pondo ab his oſſenſum ſibi quemquam jugulet, Rizardum ipſum ludo alearum nimis intentum, exhortante clam cum immitibus ceteris Altinerio, ſecuri percutit, caputque hujus magno vulnere graviter lædit, in quem Comes memoratus, ceterique facinoris conſcii furialiter irruentes, illico gladiis ſatellitem ſævis obtruncant; hoc que pium benevolentiæ videbatur obſequium, ut pro Domino cæde mutua vindictam exigerent. Sed verſutius actum eſt, ne itidem lictor ignavus patrati ſceleris auctores, rem omnem pandens, vulgo detegeret. Sicque ſaucius diebus paucis abſumtus eſt, & urbs Tarviſii, Populo libertatem adepto, ſervire deſtitit. Cremonenſes etiam jam Patavis per ſocium fœdus obnixi auxiliares vires benignè dimittunt. Ipſe verò Franciſcus Eſtenſis Marchio, ut qui ex Antenoreo ſe ortum ſanguine veterum primordia recen memorabat, quique pulſus à fratre Patavos in adverſis ſatis ſibi valde gratos invênit, huc in propria maturus accedit. Refectus itaque Paduanorum exercitus tantis amicorum copiis, tubarum clangore magno, ac jubilis vocum exultat; potuit nempe tot viribus in unum conflatis Longobardos omnes Marte ſuperare; nam ſupra quam millia virorum quinquaginta putatus eſt numerus, equorum verò decem millia. In hoc etiam viri illuſtres multi, bellorumque induſtria experti, & plerique ex Paduanis auctoritate primores. Hi Tiſo memoratus, Jacobus de Carraria cum nepote ſuo Nicolao adoleſcente egregio, qui patris Ubertini pedibus ægrotantis vires ſupplebat, Nicolaus de Lucio, Albertinus de Caſtronovo, uterque ex alta Maltraverſorum progenie, Macaruffus cum germanis duobus: plerique alii in capiundis conſiliis diſcreti, & prudentes. Ex adventitiis Vinciguerra Comes Sancti Bonifacii, & Piſcareſius cum pleriſque ex Patria ſua Verona exulibus, Corteſia Comes Mantuanus, & Franceſchinus de Riva, Albertus de Rovoglono, Guilielmi de Caſtro-Barco nepos, qui de ſtupro conjugis avunculi criminatus meruit exulare; multique è Lombardia profugi odio accenſi rancoris Guelphæ partis igne flagrantes Patavis adhærent mercede pollicita. Plerique etiam Vicentinorum exilio recenti à Cane projecti, quatenus de hoſte ultionem aſſumant, ad inviſos ſe Patavos transferunt; è quibus primores hi Morandus de Triſſino, Sigonfredus de Arzignano, Henricus de Malacapellis, uterque militia decorati, Zagninus Teupolus cum natis duobus egregiis. Rainaldus Verlatus, Bonincontrus de Bravis; nam alteri duo Henricus Ravaſinus vir prudentiſſimus & facundus, ac Bonmaſſarius à Colle conſilio meliores Paduæ manſerant. Ex ſtipendio autem conducti, & in caſtris degere ſolita multitudo magna confluxit, quorum fama clariſſimi duo, Bertrame Guilelmus, alterque Guilelmus Ermanus ex Angliæ partibus ſtipendia proſecuti.

His verò viris Patavorum exercitus dives, non tantùm modicas Canis alas, arctumque fluminis alveum ſuperare debuit, ſed ipſas quoque urbes Veronam, & Vicentiam funditus extirpare. Scriptum eſt autem: *Ubi multitudo, ibi confuſio*. Compulſis itaque in diſſidium Primoribus, nihil hic magnificè, aut actum ſtrenue comperitur; nam ſuadentibus Jacobo memorato, Nicolaoque de Lucio deductis machinis trans fluvium eundum eſſe, non paſſi ſunt. Tiſo, & Macaruffus, ne hunc laudis titulum Carrarienſibus aſcribi poſſet, in tempus habile rem differendam cenſuerunt, donec putreſcens aquæ ſtantis lacunaris injecta ſorde, æſtuque caloris exercitum omnem diſcedere compulit. Inde caſtris procul adductis non ampliùs quàm ter mille paſſibus, rurſum ſtativis in ambitum fixis trans fluvium in oppoſitum ruris Caſteneduli caſtra diſponunt, ubi machinas, tormentaque bellica pro ſuperando fluvio fabricare cenſentes, donec perfectum opus fuerit, plerumque ſagittis, ac miſſilibus ripas ulteriores invadunt. Sed contra Canis exercitus copiis paucis adjutus adverſantes longè Pa-

tavos ſpiculis terret emiſſis; nec quicquam hinc inde actum diebus multis eſt fama conſpicuum. Igitur conſummata ferè operis magnitrue, Tiſo, in quem Populi favor omnis, bellique fiducia manifeſtè conſtabat, gravi morbo correptus in Patriam pro ſalutis nanciſcendæ remedio lecti a ſubvehitur; ſed paucis diebus abſumtus vita defecit. Quamobrem diffidens vulgi copia ſe prœlio immiſcere, jam deliciis blandis aſſueta, caloris æſtum, cibique indecori alimenta faſtidiens, abire poſcebat; hocque magis votum explicuit, quòd in Patavos (ſive hoc ætheris intemperie, ſeu flagrantibus Phœbi radiis, aut quod mage puto, labore deſueto contigit) maximè horum turba membris infirmantibus ægritudine laborabat. Nec diu morbus inſtans protelatur; ſed diebus paucis ægros abſumit. Hic metus exercitum omnem contrahere perſuaſit; priuſquam tamen retro procederent Montiſgaudii collem inter utriuſque ſoli fines maturè diſpoſitum ligneis machinis fulciunt, ut inde bellum ſuæ minitaretur Patriæ; conſtat enim hunc locum Vicentiæ theſauris implicitum, quem paulò ante à Civibus noſtris munitum urgente metu in cinere ſuppoſito igne conſumtum noſtra ætas vidiſſe commemorat.

Reverſis deuuo Paduam hoſtibus non minor inopinati morbi clades Civibus noſtris inſerpſit; nam ferè omnes in Patriam relati morbo deſecere; ipſa quoque mœnia languentium turhis infecta alios paribus membrorum vitiis tabeſaciebant. Vix tunc ſepulturis locus inventus eſt. Interiere quidem tam nobiles, quàm Plebeji (nam nihil eſt his cum Plebe communius) inter quos memorabiles hi ob facinorum notam ſuorum perfidiam Marcabrunus de Vivario, Guido Biſſarius, Guilhelmus de Prothis, plerique alii pari vitio laborantes. Nec minùs ruricolæ metu profugi, dum ædes ſuas, ſataque, & ſuppellectilem ſævis apertas depopulationibus quererentur, in otio deſides pari clade abſumuntur. Sic denique Patria noſtra ſuis viduata Civibus paucorum auxilio ſuffraganda relinquitur. Tunc Canis Patavorum viribus multùm inferior, cùm exercitum in hos conflare non poſſet, nunc deductis furtim copiis hoſtiles procul diſtantes Colonias ſævus invadit, igne ferrove omnia vaſtans, captivos agricolas armentaque in prædam adducit; & quamquam exterius bellum inferret, multùmque laboribus inſudaret; non minùs intra mœnia Populum continuis pecuniarum exactionibus fatigabat. Tunc Dux novus, adoleſcenſque gloriæ cupidus, contubernalium ſuorum conſilia ſecutus, omnia ex libidine factitabat. Prætermittimus igitur, quatenus Veronenſes, Vicentinoſque violentis auri rapinis affecerit; nam hoc tolerabile; ſic enim plerumque fit diſcrimine bellorum ambiguo. At querendum eſt nobis de moribus, vitaque horum impudica, qui mercede conducti ſordidis nos infecere criminibus. Tunc partialis ambitus, fœdaque animorum voluntas mentis iniquæ conceptum acuit. Hinc diſcuſſa benevolentiæ fœdera, fides læſa, privatum fœnus excultum, rapinæ, furta in pretium devenere. Nihil amabile, nihilque decorum, aut his juſtum efficitur. Hinc Gibellinus agnatum ſuum, quatenus placeat, exoſus in imum detruſit; factumque eſt Guelphi nomen omnibus deteſtabile. Hujus ſchiſmatis auctor præcipuus quidam ...... qui è Patria ſua non minùs, ut ajunt, ob perfidiæ crimen ejectus, quàm partialis furoris odio, dum Rempublicam gubernaret, à pietate alienus, cum virtute nihil exercuit. Hic diſſidium, factioſoſque conatus inter Cives eructans, neſan-

A da quæque molitus eſt: ſed hæc hactenus.

Interea vix ſopito bellorum tumultu, Patavi, ut ajunt, hortatu Nicolai de Lucio, qui ob celebratas pridem cum Bailardino nuptias Populo Paduano ſuſpectus habebatur (acceperat enim pro Guidone nato ſuo Viridam neptem Canis in conjugem) ex unde exercitum poſtremò contraxerant, militiam omnem illorum noctu dimittunt, ſubvectaque puppe, ac lignis, trabibuſque multis ad amnis memorati ripas accedunt; cùmque nullus citra impediret, ſubvecta in aquas ..... turbam virorum magnam tranſvehi jubet. Gaudentes verò mercenarii clientes in hoſtili ripa ſe depoſitos, jam ad perficiendum facinus ſumtis armis celeres illabuntur. Cùm
B verò ventum eſſet ad Pontem Ruri Caſteneduli, qui à paucis agreſtibus ſervabatur, hos ſopore blando tumulatos furtim occupant, cæſoſque in alveum fluminis præcipitantes ſocios vocant. Confeſtim itaque adductis trabibus Pons, qui ſemiruptus acceſſum negabat, fabrorum arte perficitur, per quem Patavorum alæ traductæ, priuſquam ruralibus pateſieret, jam copias multas adſciverant. Deinde tranſeuntibus Patavorum agminibus, ſubitò rumor inquilinis advertitur; utque certum ab exploratoribus patet, repentè ſuppellectilem omnem, reſque ductu faciles, & armenta collibus montanis attrahunt, pueros matreſque in antris deliteſcere ſuadentes; ipſi quoque ruricolæ per juga celſa metu diſcurrunt; fa-
C ctumque eſt ut ceteræ virorum turbæ armis projectis amentes viderentur. Hoc Vicentinis nuntiatum grandem illis triſtitiam intulit; cùmque Canis abeſſet tunc Veronam delatus, quidam ex mercenariis clientibus juſſu Gallaſſini Prætoris ad id loci Marte dimittuntur; ſed hi ab occurrentibus Patavorum manipulis vi repulſi non ſine cæde redeunt. Patavi igitur trans fluvium advecti Colonias omnes intra fluvium, colleſque diſpoſitas extemplo occupant; ſed præcipuum his, juxta Longaris Pagum copias pro ſervandis caſtris in cœtum contrahere viſum eſt. Apud verò Cuſtodiæ Rus optimum ferè omnes Paduanorum Proceres, quibus in otio ſumma voluptas curæ fuit, quietem agunt. Hic mons cavus arte in fora non
D longum productus, viros multos, reſque ſupportabiles intro ſervabat; quem cùm Patavi expugnare non poſſent, hujus acceſſum faſcibus adjectis, ſarmentorumque frequentia obſtruere minitantes, denique incluſos certa fœderum pactione liberos dimittunt; ſed intro conflata ſuppellectile, vaſaque omnia in prædam adducentes viritim diſtribuunt. Vina autem recentia, quæ torrentis æſtu caloris ſervari conſueta blandum pariebant hauſtum, ob penuriam antehac perdita ſitientibus nequaquam potum miniſtrabant. His frumenta in horreis depoſita, uvæque palmitibus ſuis pendulæ jam Sole in Virgine adurente, in dulciorem guſtum procedentes alimenta ſuggerunt. Nec deerant ædes vaſis repletæ, cereraque
E ſuppellectilis ornamenta; nihil enim horum villicà fugientes adducere potuerunt. Interea Patavi aquæ inopes intra mœnia, accerſitis undique foſſoribus declivem fluminis alveum per ſolitas inde ripas tellure obruta dirigunt; plerumque etiam incurſibus ſerio inſtantes, uſque renus Bericanis collibus ſupportabilia quæque in prædam adducentes, cetera flammis adurunt.

Canis verò è Patria ſua relatus, cùm ſiniſtris fatorum caſibus triſtaretur, in apicem montis, qui Patavorum caſtris imminebat, deſuper extemplo labens, nequaquam hos lædere potens retro properat, multùmque ſolicitis vigil mœnibus inſtans omnia cuſtodiri latè decrevit. Patavi autem pro-

ducto

ducto in amnem ſolito fluvio, deciſis primùm à ſtipite fœcundis vinearum plantis, ſaucii que circiter ad uſque liber .... pinguis arboribus, poſtremò ædibus accenſis faces immittunt, omniaque ſævis depopulationibus abſumentes caſtra movent, & juxta opulentiſſimam Barbarani Coloniam rurſum inſidunt, parique damno culta hujus afficiunt. Sed oppidum colli imminens vetuſtis fundatum à Patribus, ut quod Marte illud ſuperare crederent, hic dies multos manere compulit; cùmque acriter pugnando incolæ reſiſterent, ſummotis caſtris abeunt, & ſecus Aureliani Pagum moram contrahunt. A tergo autem ceteras ruralium ædes, quas iter peragrando tranſierant, ignibus vaſtant, quarum hic ordo perhibetur. Longare primùm juxta ripam fluminis; deinde Cuſtodia, inter colles ab Arcto condita, Linſignanum inter rupes montium ab Oriente, detegit aditum; Caſtenedulum verùm collibus modicis ſuperpoſitum feliciores auras à meridie ſuſcipit. Nantum in valle detruſum vix paludem in ſe contrahit; Moxanum autem in arduo collis apice poſitum incolas ſuos labore viæ plerumque afficit. Barbaranum in geminas diviſum oras à colle in planum deſcendit; Zauxanum monte circumductum à Veſpere intempeſtivas umbras aſſumit. Præterea Gramonam, treſque nobiles ſatis Pagos vallis paludi nimiùm opportuna inter colles hos ſervans, his bellorum tumultibus ſævè diripitur. Hæc quidem Patriæ noſtræ ora fertilior, in qua triticum, vinaque optima, & Palladis liquor abundanter proveniunt frugi maximo æſtimata, gravem Civibus noſtris inde jacturam attulit. At Patavi ſpoliis multis, luxuque ſecundarum rerum hilares, apud Aurelianum manentes circumſtantia villicorum jugera, ac ſuppellectilem omnem vi trahentes in ruinam, quæque diripiunt; delati inde ad Pojanæ gremium, quod paluſtri ulva circumdatus trepidè ſervabatur, facile locum occupant, cæſiſque cuſtodibus flammis tradunt. Deinde uſque Lunicum hoſtiliter procedentes cùm mœnia muris, valloque ſepta ingredi non daretur, abſumtis igne ſuccenſo mapalibus, quæ in ambitu exterioris Coloniæ deſtituta exſtabant, veſtigia relegunt, & oram depopulantes apud Montagnanam exercitum contrahunt. Ceterùm Lunicenſes proſapiam Comitis Sancti Bonifacii affectuoſis colentes obſequiis, ultro prodeunt, & Dominum ſuum ex corde ſecuti Patriis exulare Penatibus paſſi non ſunt. Interea Canis iracundia magna vexatus, dum obviam his impar exire metueret, Patavorum rura ſecus Brentæ fluvium ſita truculentus invadit, eaque rapax ingreſſu paribus belli excidiis vaſtat, inter quæ nobilem Curtaroduli Pagum viriliter ſuperans, omnia igne, ferrove depopulatus eſt. Nec in tanto diſſidii tumultu mulierculis, pueriſque imbecillibus indultum eſt; ſed fana ipſa, verendæque Templorum aræ ſpoliantur, quæque ſublimibus affixa faſtigiis horas nuntiant tintinnabula non illæſa, nunc fruſtis congeſta deprimuntur. Imò Calices ſacri, librorum ſarcina, pretioſumque quidquid repertum eſt, reverentiâ procul abjectâ, in prædam adducuntur.

Poſt hæc Patavi nimium rebus ſecundis elati, contracto in Patriam exercitu, ne per ignaviam deſides blandiente fortuna in otio torpeant, dies octo ferme morati rurſus in prædam aggrediuntur: Baxianumque provecti menſe Septembri Libra jam dies nocteſque labentibus horis æquante, trans Pontem Brentæ tenus illabentis erumpunt; & ductis Populi mercenariorumque manipulis in planum exeunt; eiſque vires ſuggerunt Communitas Bononiæ, Fæſulanique, & Guecello de Camino, vix poſt patris obitum relictus in Patria. Denique igitur his hoſtiliter erumpentibus apud Villaverlæ Coloniam, non amplius ſeptem millibus paſſuum à Vicentina urbe diſtantem, Sole occidente perventum eſt; ubi caſtris maturè diſpoſitis noctis quietem accipiunt. Mane facto in ulteriores villicorum Pagos ſubitò percurrentes, armenta quælibet, ſuppellectile nque omnem, & ruricolas ipſos in fuga comprehenſos in prædam attrahunt, multiſque diebus rapinis inſtant, ac depopulatibus ſævis igne ſuccenſo per ædes & mapalia inſæviunt, donec ferè omnes inter montium ambitus ipſamque urbem ad Aquilonem fundatæ Coloniæ in ruinam everſæ ſunt. Inter quas hæ fama celebres, Maladum, Scledum, Thienæ, Brigantium, multæque aliæ virorum capaces; nec tamen his furor contentus eſt. Cùmque fruſtra tentaſſent, retroque iter flecterent, cetera ferro igneque diripiunt. Hic Canis animum erigens in hos erumpere deſtinat; ſed puſillanimes contubernalium ſuorum duces metu magno perducti, illum aggredi velle diſſuadent; verebantur namque ex otio deliciiſque, bellorum ſudoribus affici, qui Venereæ libidinis obſcœna petulantia uti, ac Populos ſuos pecuniarum exactione torqueri magniloquis ſuadebant hortatibus. Ut igitur Patavi agros ædeſque villicorum omnes depopulati ſunt, retro abeuntes in Patriam ſuam, nullo adverſante, deveniunt. At Canis bilem excitans, quidnam potiùs agendum mente volutat; querebatur namque, hoſtes infelicem hanc Patriam ſævis depopulatibus & rapinis ferè circum vaſtaſſe, reſtareque versùs . . . . quartam ferme ambitus partem tribus Marte ſævo dirutis, abſumendam ſupplicio pari, nec ſe hoſtiles audere fines invadere, niſi ſubitò prædonum more, aut impetu repentino. Sunt qui illum inter impares bellorum tumultus urbem hanc auro ſuſcepto Patavis linquere voluiſſe ſuſpicentur; ſed vana prorſu hæc opinio, nam gloriæ cupidus, eaque, quam Tyranni venantur, libidine imperium ſuum augere flagrabat.

Interea Nicolaus de Lucio vir æquè nobilis & potens, dum à Populo ſuo ob fœdus cum Bailardino initum ſuſpectus haberetur, metueretque, ne æmulorum hortatu in rabiem vulgus adactum in ſe deſæviat, apud Lucii Collem ſuæ Patriæ hucuſque ſervatum tutandi causâ ſedem accipit. Hic à Cane ſæpe, Bailardinoque ſæpe numero labefactatus, denique horum hortatibus pollicitiſque magnificis acquieſcens, Patriam ſuam abnegat, Canique adhæren, ſponte locum aquis valloque ſeptum tradit. Quamobrem Canis mercenarii ære conducti, Patavinique exules illorſum tranſmiſſi Colonias multas juxta Colles Vendæ, Baoniſque, & Cinthi vetuſtè fundatas ſævis rapinis & igne diripiunt. Ex hoc Patavorum Duces valde offenſi, & nequam ejus perfidiam deteſtantes, pro ſervandis finitimorum cultis agrorum ad Eſtenſem copias ſuas Pagum maturè dimittunt, ipſumque Nicolaum velut Civem perfidum, Patriæque ſuæ proditorem, & reum mortis damnant, utque penatibus privetur avitis, ædem ſuam repentè ſolo proſternunt, & ob perpetuam tanti ſceleris memoriam, in excelſo Atrii publici ſpectaculo proditoris effigiem depingi jubent, cùmque illa, Collateralis ſuaſoriſque tantæ perfidiæ imago Antonii de Curtarodulo pariter depicta vulgo depromitur Hæc enim de more veterum in teſtimonium Virtutis & Gloriæ famoſæ decus inſcriptis à vertice titulis conſuetudo ſervabatur,

quæ

quæ buic in contemtus ſui nominis, & obliquam vitiorum labem pervênit. Poſt hæc Patavi grandem conſlantes exercitum, conſtructis inter navium foros vineis bello aptis, per aquas inde labentes uſque Lucium ſequentibus turbis advohunt, multumque utrinque acriter dimicatum eſt, vixque Patavi victores locum Marte ſuperant; ſed Sole in oceanum declinante vi repulſi in caſtra redeunt. In ſequentem verò diem Canis, audito locum à Patavis expugnatum, vixque Marte primò convictum, maturè illum virorum copiis fulcit. Nicolaum quoque, eo quòd formidoloſus in manus hoſtium cadere ac opprimi verebatur, obviam exiens uſque Vicentiam ſecum adduxit. Jamque byems Phœbo ſagittas (B) Chironis urgente brumalibus horis irrepſerat, cùm Canis admiſſo Nicolao audax magis effectus, graviore Patavos Marte impetiturus, à Maphæo Mediolani Præfecto, Paſſarinoque ſibi per ſociale fœdus adjunctis, opem expoſcit; cui properè copiis auxiliaribus obſequentes turbas dimittunt. Venit nempe Luchinus Maphæi natus junior à Patre tranſmiſſus, cumque eo Guarnerius Comes apud Longobardos à Cæſare, ſecum equites ferme ducentum trahens. E Mantua verò Butironus Paſſarini germanus equites centum, pedites verò quingentos adduxit. Venere quoque Veronenſes Iberni, ſed Plebis viliſſimæ turba major, lanificio magìs quàm armis intenta. Nec dum Canis has turbas præſtolatus (C) eſt. Ut ergo omnes in globum contraxit, Camiſani locum vix Martino abſentante deſtitutum celer invadit. Oppidani verò tumultu magno excitati, cùm Aurora rubeſceret, confeſtim arma diripiunt, locumque baliſtis & ſudibus, omnique telorum genere feſtinant tutari; ſed fruſtra id factileere niſi ſunt; nam lacunar aquæ ſtagnantis ad inſtar circumductum ob gelu immenſi frigoris glacie ſtabili coagulum fecerat, adeò ut præter ulteriores ripas tranſitus inde ſecurus eſſet. Tranſmiſſi itaque Canis manipli per aquarum ſuperficiem ſiccis pedibus lacum audacter invadunt, in quos oppidanis, ſæpe turbas dirimente ſpatio modico, irruentibus, ut hos trans ripas adductos conſpexere, languentibus paululum dextris prœlium ineunt; deinde verò pro- (D) lapſi facilè ſe ſuperari ſentiunt; nec quiſquam è Canis gente præter Guarnerii Vexilliferum ex illo Marte cecidit. Hic enim dum feſtinus ſigna Domini ſui transferre cuperet, gravibus obtectus armis, glacie læſa in imum obruitur, undique correptus nullo opem ferente ſuffocatur. Quamobrem Guarnerius ira ſuccenſus captivos omnes Oppidanos in prædam donatos à Cane ſuſcipit, hoſque ob illatæ ultionem injuriæ laqueis pendit. Superato denique loco non parum Vicentinis moleſto, direptis omnibus, quæ ſupportari vel advehi potuerunt, Canis hunc ſuppoſitis intro flammis expilat. Proinde victor exultans, revocatis inde copiis Lucium feſtinus (E) in diem ſequentem applicuit, ubi trans fluminis alveum audacter erumpens Patavos apud Eſtenſem Pagum pro ſervandis Regni ſui finibus manentes curſoribus præmiſſis ad bellum ciet, cùmque ii manus conſerere non auderent, Cinthi mœnia colli vetuſtè fundata deſtrui jubet, multaſque inter colles depopulatus Colonias, igne ferrove vaſtat, ſed præcipuè Bocconi Oppidum, quod Albertinus de Caſtronovo Nicolai de Lucio agnatus, turribus vaſtis ingentique muro circumdatum Patria ſufferente, ſervabat, Marte ſævo impetit; hocque tamdem ex ignavia puſillanimique Ducis imprudentia vi ſuperat, vinctumque illum ſecum attrahit. Hic dies tres (A) moratus, Exercitum trahens, Vicentiam citus repetit. Perfectis igitur bis magna Patavos bilis accendit, deſtinatque Populus univerſus vi doliſque proditoris ſedem antiquam prorſus eruere; unde Canis præfecto jam Nicolao apud Pergamum vice Auguſta, ubi ad ſe vocatus Bailardinus pridem ſceptra tenuerat, Lucii Pagum, ædeſque omnes, quas erga Paduanorum robur tutari poſſe deſperabat, ſubvectis flammis abſumens ſponte deſtituit.

Et jam vere ſubeunte diſſidentibus inter ſe Patavis, eo quòd Tiſone mortuo, ejectoque Nicolao, res tota Macaruffis occupanda videbatur, quibus obnixus avidè Petrus de Altichino vir æquè præclarus audaciam ſuggerit, non (B) paſſi ſunt Carrarienſium Primores ſuæ indolis potentiam tam ignavè ſupprimi. Cùmque multum alterutro diſcindenda Patria conatu in diſſidium traheretur, ex Carrarienſibus animoſi valde adoleſcentes duo Nicolaus & Oppizo Petrum memoratum, ejuſque Prolem adultam prorſus cædere deſtinant. Sed hos non una, nec eadem cædis cauſa produxit. Hunc quidem alta ſuæ indolis propago conſortis impatiens, quæ ſuperiorem nequaquam pari dignatur, alterum verò ſuſceptæ digeſtus nondum rancor injuriæ, dum ſororem in ſtupro comprehenſam viro ſuo jugulari perſuaſit, qui & alteram diviti Plebejo germanam nuptiis adjunctam imparibus cum adultero junctam fraternis impius manibus tru- (C) cidavit. His permoti juvenes argumentis, ad hocce nefas, turbis ſociorum implicitis properantes Petrum in occurſibus impetuoſis invadunt, illumque juxta fori limites gladiis circumventum vulneribus crebris ſauciant. Denique tamen elapſus per fugam equi velocis in Atrium Pontificale ſe recipit. Extemplo igitur factus eſt tumultus in Populo, conveniuntque omnes armis ſuſceptis in foro, ubi Nicolaus adoleſcens memoratus, jam ſublato Populi vexillo Patriæ libertatem clamitabat; ignarum verò quid agat vulgus dubiis hæſitat incertæ actionis eventibus. Macaruffus verò, ſuique complices paventibus animis eò conveniunt, ſciſcitanturque diſſidii quænam occaſio; quos ut vidit Nicolaus, Marte (D) in eos lapſurus fuerat, niſi medium ſe conferens Paganus de la Turre Paduanorum Antiſtes tumentes ad cædem animos benigno placaſſet alloquio. Primi etiam Carrarienſium Jacobus & Ubertinus hujuſce tumultus ignaros ſe ſimulantes, rem prorſus in tranquillo referre ſuadent. Effectum eſt ergo, Pagano hortante, ut Macaruffus inde diſcederet; viſum eſt namque, eo amoto faciliùs furorem Plebis ſedari poſſe. Et jam nati tres Petri memorati, Pax prior, & Fraſſa (ſic proprio, vel appellativo nominati vocabulo) metu magno perculſi ad Patrem ingrediente, eodem Præſulis Archivio latebant; quod audiens nuntio referente Nicolaus, forum adhuc cum Plebe cuſtodiens, relictis ſuorum (E) turbis ad Aulam Pontificalem maturè ſe confert, ubi capitales Plebis hoſtes accuratè poſtulans, dum Pontifex inficiaretur exhibere, ni tradat repentè, jugulum cædemque trux illi minatur. Formidoloſus itaque Antiſtes poſcenti quamquam invitus Petrum, natoſque tres lacrymabiliter tradit, quos extemplo ad forum ignominioſè protractos, ſatellites jam ad cædem parati gladiis in fruſta trucidant, primoque natos adoleſcentes coram ipſo genitoris obtuitu, deinde cæſis membratim his, noviſſimè Petrum infelicem canibus edendum in vico projiciunt. Nec tamen his contenti truces animi, ſed ædem miſeri ſævis ſpoliatam rapinis, & prole fugata, ſi

qua

ſqua ſuperfuit , vaſtari jubent . Hæc Civis non parum egregiè inſcepta ultio haud merito Carrarienſium faſtus modicè placavit ; nec ex Plebiſcito quicquam præter reformandæ pacis edictum eſt. Tunc Macaruſſus vereri magis Populi furorem, benevolentiam nanciſci ſtudet , multumque germanis duobus adhærens Reipublicæ plurimùm prodeſſe nititur ; interdum etiam in agendis ſe præferens , quidnam ſtatuatur agnoſcens , optimique de more Civis labore ſummo ac vigiliis quietem excutiebat. Nec minùs Carrarienſes publicis uti muneribus , remque ſuo obtemperaturam arbitrio quærunt , quamque ille nimium fovebat Guelphorum partem, fictis neutræ opinionis ſtudiis abhorrere ſimulant. Sic igitur in diſſidium abiens Antenoris vetuſta progenies gubernanda tribus manſit ; ſed Hoſtis formido ſui, Plebiſque favor ambiguus erga Rempublicam animos quamquam timentes erexit.

Placatis itaque modicè rebus, utcumque prudentum auctoritas mage voluit , ne Canis hos deſides putet , adverſus illum Patavi flagrantes adhuc exercitum parant; conflatiſque in unum copiis, circiter Kalendas Junias è mœnibus prodeunt, & juxta Montagnanæ oppidum ſecus Veronæ metas antiquè fundatum , denique biduo applicant, ubi præſtolati turbas omnes, vehiculorumque ſarcinas , Vinciguerra Comite belli Duce, in craſtinum ſigna dirigunt , Coloniamque mœnibus vaſtis non procul potentem poſt terga linquentes , denuo aciebus inſtructis Arculas non vilem Ibernæ regionis Pagum , dum jam adveſperaſſet, maturè ſubeunt , ubi caſtra firmantes, depopulatis undique ruſticorum agris, cædibuſque ſuccenſis , Veronam calle directo adire properant. Cùmque ripas Alponis nullo adverſante tranſiſſent, perventumque jam eſſet ſub Monteaureo non procul ab urbe illa, Comes memoratus inde exul patrios intuens lares, quibus longum abſuit, lacrymans ſolvit , paululumque moratus, dum ſpem fruſtra conciperet, verſis ſignis ad caſtra revertitur ; ſed veſtigia relegens Colonias omnes tam rupibus , quam plano fundatas, ſubductis flammis expilat , gregeſque multos, & armenta, agrorumque incolas miſeros in prædam trahit , inter quas hæ memorabiles valde nuncupantur: Illaſium , Colognola , Suavium , Montecleda , Monsforti , pleræque aliæ. Ex hoc Canis ad curam animum erigens, ne quid ſiniſtrum per ignaviam accidat, aut Veronæ Populus in tumultum adactus exulem compatriotam, jugo Canis abjecto , valvis reclusis admittat, multùm triſtari viſus eſt; ſed de nepotis Friderici , quem ad gubernationem Patriæ ſuæ præfecerat , conſtantia fiſus metum extenuat . Patavi ergo depopulatis Veronenſium agris, cùm trans Atheſim nivibus auctum ſolutis iter non eſſet, apud Montebellum Vicentini ſoli greſſus firmant. Huc Canis , ut quid agat nepos in Patria breviori ſpatio ſciſcitaretur , fortè mercenarios equites ſecum non ultra progredi auſus adduxerat; in quem Patavorum aliquot veloci curſu præmiſſi, quatenus locum anticipent, ſubitò currunt. Hic bellum atrox repentè ortum eſt ; in quo ſaucii cæſique multi utrinque , ſed major Patavorum compertus eſt numerus; neuter tamen victor emicuit. Supervenientibus autem ſinè ordine Patavis Canis abire compellitur . Tunc biduo morati reliquias ferè omnes villi orum Patriæ noſtræ flammis abſumunt. Nulla tamen bis in divites Arzignani, Treſſenique valles ituris repugnavit occaſio; ſed Deo volente, ſeu precibus Morandi Sigonfredique Vicentinorum exulum , ac generis primor-

A dia ſui trahentium, tum etiam quia longo bello defeſſi patrios adire lares optabant, ſine jactura prætereunt. Monticuli tamen, Creatii, & Brendularum Pagos, dum tranſitum illuc facerent, modicis flammis elidunt. Cùmque ad Meledi collem brevi mora perventum eſſet, inde vehiculos, exercitumque omnem producentes, rurſus Barbarani oppidum tormentis impetunt ; cùmque fruſtra tentaſſent, inde alveum obtruſi iterum Fluminis cava tellure confeſtim aperiunt, & Patavinum per ſolitas ripas labi faciunt ; utque denuo impediri nequeat, aggerem arduum cum valli munimine juxta Fluminis hiatum conſtruere deſtinant. Jamque id opus cœperant fabrili induſtria, cùm locum tutari poſſe diffiden- B tes , imperfectum linquunt , & vulgo moram increpante , Paduam redeunt.

Nec multùm poſthac auditus eſt rumor Franciſci Marchionis Eſtenſis, qui dum apud Ferrariam ſuperioris more civis ſecurè quietem ageret, à Dalmaſio viro nefando cuſpide longa trajectus occubuit; quamobrem nati ejus, & conjux honeſtiſſima, ſponte in exilium abeuntes apud Rhodigium ſedem accipiunt. Relatum eſt etiam, Philippum Francorum Regem , qui venuſtate corporis per antonomaſiam Pulcher vocabatur, tunc in venatione ab apro molari percuſſum tranſmigraſſe diebus paucis, cui natu major Ludovicus, è tribus ab eo genitis, ſucceſſit in Regno. Hic Philippus, priuſquam obiret, Nurus C duas in ſtupro deprehenſas cum ipſis adulteris crudeli ſupplicio peremit. Alteram verò, quia vir ejus Barulus pudicam comprobavit , vix in clauſtro degere paſſus eſt. Hic etiam, ſororem ejus Angliæ Regi nuptam viro ſuo bellum indicere voluit, captumque illum in carcere detrudi , donec Regnum naro coactus traderet. Poſtremò Templariorum Ordinem malè fovens , hunc Clementi Papæ Quinto perſuaſionibus ſuis fecit ingratum, adeò ut per Apoſtolicam cenſuram Ordo ille numeroſus nunquam reſtaurandus in infimum laberetur. Sed hæc ſuperiori Libro depinximus. Henricus etiam VII. Cæſar eodem tempore, velut ſupraſcriptum eſt , diem ſuum obiit; nunc quid Patavi cum Cane Veronenſi D pugnando fecerint reſumamus.

Dum igitur annus alter poſt tertium & decimum ante Calendas ſerperet Januarias , Patavi rurſum conflato exercitu, Pantaleonem de Buzzacarinis Civem ſatìs ſtrenuum ad depopulandum Veronenſium agros trans Atheſim maturè dimittunt; qui Patriæ ſuæ juſſa non moleſtè peragens, ponte conſtructo, colonias multas flammis expilat ; armenta , gregeſque hoſtili more diripiens in prædam attrahit. Hic noviſſimus Paduanorum exercitus in Canem feliciter prodiit. Canis verò ad ultionem prorſus intendens, diebus ſacris ante Reſurrectionis feſtum, accerſitis ad ſe compartialium Longobardorum viribus, conductiſque è Karinthia galeatis mercede ma- E gna quinquaginta, & centum equitibus , Aponum petit; cùmque noctu quietem expoſceret, ædibus igne clam, ut ferunt, ſuccenſis, oppoſitos in agros ordine nullo exit. Tunc proditum ſe, ignavèque ſuperatum extimuit; ſed viriliter maniplos omnes in globum contrahens lucem diei futuram expectat. Cùm ergo Aurora rubeſceret , aciebus inſtructis versùs Patavium, unde hoſtibus obviam iter eſſet, audacter incedit, nulloque adverſante pontem , qui medio Fluminis imminet opere magno conſtructus apud Tencarolæ vicum , hoſtiliter impetit ; ſed nequaquam illum ſuo Marte ſuperans, ſpiculorum jactu repulſus , hora brevi diſceſſit . Deinde

apud

apud Montiſgaudii collem exercitum contrahens caſtra diſponit. Hic Patavi, velut ante conſcriptum, vineas ac turrita mœnia robore ſecto, trabibuſque multis in apice montis fabricaverant, ut inde breviori tramite in Vicentinos agros ſævis depopulationibus vagarentur; potiſſimùmque quatenus apertum Fluminis alveum longè deſpicerent; utque locus bello inſuperabilis fieret, turbas multas in eo conſtituunt. Tunc Antonius de Malitiis Paduanus ex ſtirpe ſatìs egregia decreto Populi primus oppidi curam habebat, cumque eo ſtipendiarii quinquaginta mercede conducti intra latebant. Hi dum Canis impetum vereri ſe dicerent, nec locum primo Marte tutari poſſe, præter ſcientiam Ducis, pollicitis magnis labefactati oppidum ipſum, Ducemque ſuum captum luce tertia Cani tradunt. Hac igitur modica functus victoria, locum ipſum intra Vicentiæ limites poſitum, dum adverſùs robur Paduanorum ſervare metueret, flammis abſumi jubet. Vicentiamque captivos multos attrahens citus repetit. In tanto igitur bellorum fremitu numquam Patavi Canem Marte ſævo furentem mutuis incurſibus impetere auſi ſunt.

Hæc priuſquam Paraſcæve lux expectata fieret, cùm præſto jam eſſet, à Cane magna effecta ſunt; rurſuſque illum poſt feſtum ſolemne in Patavos egredi putatum eſt. Sed facta eſt vulgi palàm profitentis opinio inanis. Et ecce his diebus fama in rebeſcente relatum eſt per vicos & pulpita. Clementem Sedis Apoſtolicæ Principem noviſſimum vitæ ſuæ curſum peregiſſe apud Lugdunum anno jam Pontificatus ſui octavo, VII. Calendas Majas quartodecimo trecenteſimo & milleno Dominicæ Incarnatinnis anno. Hic cùm natione Vaſco, ortus in loco, qui Viandrar Diœceſis Burdegalenſis appellatur, cùm populari nuncuparetur vocabulo Beltrandus Gaſconus . . . . Epiſcopus eſſet, per Bonifacium Papam Octavum ad Burdegalenſem translatus Sedem poſt obitum Benedicti Papæ in Apoſtolorum Sede præfectus eſt, voluitque Clemens à Clemente Primo, Quintus ſocceſſivè appellari. Sedit autem annis octo, menſibus decem, & diebus quindecim; creatus enim Papa anno quinto poſt trecentos & mille, quinto Idus Junii, velut Annalibus ſacris conſcriptum invenimus. Quo defuncto propter Cardinalium diſſidentes animos, inſtantiamque Ludovici Francorum Regis, Robertique Apuliæ Ducis jam patre præmortuo ad Regnum profecti, aliorumque Orbis Principum Curiâ diſſolutâ diebus multis Sede Apoſtolica ſuo Duce vacavit, donec digeſtis omnium votis alter, de quo infra dicendum eſt, denique Papa creatus Cleri moderamen accepit.

Poſt hæc Patavi, dum rurſus obtruſo Fluminis memorati alveo aquæ penuriam moleſtè perferrent, ne ulteriùs Vicentinorum abuti controverſia cogantur, è Timavo non procul illabente undas declivibus ripis accipiunt. Sed opus ingens labore arduo perfici ſumma prorſus ambitio neceſſitatis urgebat. Proinde ergo accerſitis undique ruſticanis longo tractu humum effodi jubent, effectumque eſt denuo fabricantibus ingenio Peritis, multùmque ac ſuper induſtribus, ut aquarum rivus è Timavo ſcaturiens in Patavum laberetur, urbſque tota bumentibus circum liquoribus putiretur. Ne tamen arva ligonibus ſodientes agricolas, unde alveus tellure cavus obruta ducebatur, Canis alæ poſſent facto impetu lædere Paduani circiter caſtra producentes, hoſtiliter exeunt, vigileſque dies, & noctes ſponte perpeſſi, foſſores ſuos tutè cuſtodiunt, donec opere conſummato illos abire permittunt. Priuſquam tamen Patavorum manipli armis obtecti mœnia ſubirent, ad reficiendos Aponi vallos aggeremque illò feſtinanter accedunt, Turrimque ſatis arduam Templi ad inſtar propugnaculi muniunt, circiterque aggeres binos ducunt, viroſque multos, ac bellica inſtrumenta collocant, ne rurſus Cani intro ſperandum ſit, inque ipſos agricolas ſæviendum. Deinde perfecto labore noctu acies per aggeres trahentes, denique Vicentiam applicant; vixque tunc inopinato labentes curſu ſuburbium Sancti Petri aggeribus magnis, valloque circumductum improviſo cuſtode introëunt, niſi quòd procedentes manipli, aditum verentes, dolis putatis tumultum incitant, ob quem ſubitò Canis arma corripiens, Bailardinuſque de Nogarolis jam Præfectus ab illo ad tuitionem ſuæ urbis confeſtim erumpunt. Cùm dimicatum jaculis utrinque miſſis acer fuiſſet, repulſi tamen Patavi patrios lares adeunt. Hinc bellum atrox clangens vix ſopitum menſibus tribus raris prædonum occurſibus viſum eſt. Nam adeò Coloniæ inter Vicentinos, & Patavos fines pridem omnes ignibus longævoque belli excidio neglectæ ſunt, ut ſolis feris habitabiles forent, agrorumque jugera tot aratris exculta ſteriles inde myricas, & gramen inexpugnabile proferebant; nemorum quoque Sylvani ab nimiùm denſis impediri greſſus arboribus querebantur. Si quis verò rus ſuum viſendi gratiâ è mœnibus ignavè prorupit, aut ab hoſtibus captus, aut lupiſeſca factus eſt. Jamque deficientibus agrorum depopulationibus & rapinis, non ſæpe numero, velut pridem, hinc inde proruptum eſt. Sed hæc armorum quies, ſimulataque furoris pacati rabies, Patavorum dolos ingenioſis imaginibus acuebat; utque hoſtem capitalis odii fallere, Vicentinaque illi mœnia per nefas auferre poſſit, his Exules Vicentini, quorum numerus latior præter fidem intro undi ſpem ſuggerebat, idque probabilibus ſati argumentis recenſendo modum indi ant. Avidi ergo Canem lædere, hæc ſuſpenſi intelligunt, conſcriptorumque Patrum edicto corroborant, clamque omnia parari, ne quid fama loquax edoceat, intra jubent. Sciebant quippe, Canem ipſum ob urgentem peragendorum opportunitatem dies multos apud Veronam manſiſſe, Bailardinumque memoratum, cujus fidem ſæpe expertus probarat, ad Karinthiæ Ducem Othonem implorandæ opis gratiâ ſtudioſè legaſſe; ſoloque Vicentiam Antonio Bailardini germano vices fraternas gerente cuſtodiri. Cùmque omnia ſibi feliciter obſequi viderentur, in peragendis facilè votis conceptæ libidinis noctu quinto Calendas Octobris ſiniſtris ſatis erumpunt; hoſque, qui aditum in Vicentina clauſtra polliciti fuerant, cum fidis peditum cohortibus maturè præmittunt, qui ad aggeres ſuburbanarum ædium Sancti Petri denique procedentes, ſequentis copias Vulgi, equitumque Paduanorum alas dudum præſtolati ſunt. Deinde Duce belli mandante Poncino Cremonenſi Paduæ urbis Præfecto terras aggerem ſopitis vigilum oculis carptim introeunt, vallumque, quà pateat turbis ſequentibus aditus, telluri proſternunt. Admiſſi intro pedites Poncino rem pandunt, qui properè mercenarios in globum equites uſque Pontem aggeris trahens præſto his ſe adeſſe nunciat. Confeſtim ergo depulſis cæſiſque cuſtodibus, qui propugnaculum Ponti imminen ignavè ſervabant, ſtrato in imum Ponte, Poncinus celer ingreditur. Nec dum Lucifer Cœlo radians lu-

lucem ſyderibus pulſis attulerat.

Ingreſſu itaque nullo adverſante potitus, id ſequenti Populo Paduano applauſibus jucundis ſignificat; quamobrem ſomno, viæque labore deſides Patavi protinus torpore depoſito vires aſſumunt. Sed non ideo maturior his progreſſus: tanta vehiculorum, ſarcinas armaque ſua deſerentium cura ſubſtitit, ut abſque his, velut mercimonium imbelle ſequeretur, ne quaque anxii feſtinarent. At Poncinus in agendis pertinax, productis in aciem maniplis, victum facilè ſuburbium occupat, parcens tameo illi. Vanni Scorvegianus de Piſis militiæ conductæ Dux, occurrentes Canis phalanges vi repellit. Nec mora, vix facto diluculo victores Patavi totos ſuburbii ſinus invadunt. Tunc quid agendum ulteriùs, vocatos ad ſe Populi Magiſtratus Poncinus maturè conſuliat, viſumque eſt Paduanis utilius à cæde rapinaque abſtinendum prorſus, nec quemquam ex ſuburbanis lædi. Exit ergo Edictum voce Præconis, nullam victis inferri moleſtiam, unde pavidæ io cunabulis pueros educantes, poſitis jam querelis, matres reponunt, ſuppellectilemque omnem jam latebris occultandam ſtare permittunt; utque Patavi mitiùs agant, rebus ſuis eſculentis poculentiſque ultro prodigis effuſionibus onerant, orantque quatenus piè agentes neminem lædant. In tanto igitur belli diſcrimine Antonius de Nogarolis Præfecti vices germani obtinens, ſcito Patavos in ſuburbium irrepſiſſe, confeſtim Cani Nuntium dirigit, qui omnia in ſeriem explicans opem in ambiguis poſcat. Tum mercenariis equitibus ferme ducentis forum occupat, aditusque omnes pavidæ urbis, utcumque valuit, viris ac telis maturè ſuffulcit, præcipuè tamen Turres binas, ipſumque oppidum, quod olim Patavi, dum feliciter gubernarent, juxta fluminis alveum, ipſumque ſuburbium, dirimente fluvio conſtrui fecerant: unde ſpiculorum grando frequens in Patavos facilè dirigi poterat. Hinc repulſi hoſtes baliſtarum formidine tecta ſubeunt, & viarum anfractus, quibus miſeræ urbis aditus directo calle non procul aſpicitur, ſtratis trans citraque lanceis ſolicitè cuſtodiunt. Ipſi etiam occupatis in oppoſito murorum ædibus deliteſcentes ſub tutis latebris ſpiculorum intro ſagittas dirigunt. Unde ſaucii plerique mœnia reliquere. At hæc Antonius maturo prævidens remedio, ignibus impoſitis cremat, ne ulteriùs hinc metuendum ſit. Viſus eſt quoque plures ſuburbii domos flammis urere, ut hinc Patavis metu ignis egrediendum eſſet; ſed impotens voto deficit. Ceterùm Patavi viſo igne, dum & aliis impoſitum ædibus mente conciperent, paululum extimeſcere viſi ſunt. Quamobrem Poncinus, & Vanni, & plerique alii Patavorum Primores conſilium incunt, ut quidnam agendum potiùs accuratè diſcernant. Tunc in globum adducti juxta Pontem, ubi triangulus eſt in vico, per quem directo calle Paduam tenditur, à ſagittariis turres ſervantibus miſſilium jactu terrefacti ſunt; retroque procedentes diverſorium vicinæ domus invadunt. Ex ipſis tamen infelicior Morandus Panenſaccus Vicentinorum exulum ſtrenuiſſimus, qui capiendis ſemper in conſiliis acceſſebatur, jaculo lanceæ adinſtar juxta virile membrum ſaucius poſt fugam diebus paucis abſumtus lethali vulnere occidit. At non ideo Patavorum Senatus, quamquam viri ſtrenui caſum condolerent, cœpto deſtitit in propoſito. Tum conſultantibus multifariam Patribus, denique Vanni exhortante decretum eſt, ſuburbio prorſus cedendum, reſque omnes ſupportabiles in prædam ducendas eſſe; nullamque (dumtaxat ſuburbanis) inferendam hactenus violentiam, niſi qui è mœnibus egreſſi eum Patavis bellum gerant; vallumque ſolo ſternendum; foveas XXX. paſſuum æquandas fore ſpatio; cominuſque in exterioribus agris caſtra in ſeriem diſponenda, ut quotiens ingredi libeat, liber aditus pateat. Hoc inſauſtis utile viſum eſt Plebiſcitis. Utilius tamen fuerat multorum judicio ſuburbii clauſtra ſervare, aditusque omnes è mœnibus obice magno violenter obſtruere; priuſquam bellum Cani coofertis virorum maniplis indicere. Sed Divina humanorum actuum virtus præſcia, quam futurorum caligo non latet, inopinatarum rerum paravit eventus, multumque Patavis cœpto diſſimilis ſortita eſt.

Igitur Poncino mandante turbæ omnes ad exitum properantes ſuburbii tectis erumpunt. Ægrè tameo his juſſa Præſidis ſui, querelis palàm editis, obſervantur, adeò ut oullus jucundæ vocis concentus, oulla victoriæ tantæ præludia lætitiam teſtarentur. Tunc omnia in ſpem pridem conceptam pavore quodam intercipi viſa ſunt, quemque ægrotare Canem fama dictaverat, præſto adeſſe concipiunt. Nonnulli tamen adoleſcentes avidè rapinis intenti paventium ornatus mulierum, reſque pretioſas valde furto diripiunt; plerique etiam incœſtæ libidinis conjugatas, ſolutaſque virgines ſecretis violare thalamis niſi ſunt. Sed inter hæc ſcelera horrendum illud magis facinus deteſtabiliſque propoſiti, ut Dei Religione neglecta clauſtris incluſas Moniales vi corriperent, Sanctuaria quoque Aris impoſita talibus ſpoliis exultantes attraherent. Profectò his ob illatam præter fœdus injuriam Dei vindex judicium ſupervênit. Nec quidem ipſe Vanni jam in ſenium tendens manus à præda inſontes abſtinuit; paſſus eſt enim clientes ſuos multa ſubtrahere; fortè & Poncinus, ut ſuorum querelas abjiciat, conniventibus hæc oculis vidiſſe diſſimulat. Egreſſi autem in agros Patavi pars ſubductis vehiculorum ſarcinis quietis locum orditur, pars epulis intenta horâ diei ferme quartâ ſub umbris arborum pranſura diſcubuit. Nonnulli etiam noctis heſternæ ſomno proditi viæque labore defeſſi, ſopiti ad umbras pectore ſupino ſternunt: tanta nempe his in mercenariorum Duce ſpes inerat, ut illi curas omnes commendati exercitus ſinerent; nec quiſquam ulteriùs ordo armorum vigilumque Patavis obſervatus eſt. At ſæpe ignotis res noſtras liberiore voto committimus. Vanni ergo rapinis intentus, dum commiſſam valli ſervandi curam ignavè gereret, non quid ſiniſtris fatorum caſibus accidere poſſit, ratus eſt; abſentem enim hoſtem, aut thoro ægrè recubantem, nequaquam venturum putabat. Attamen paucis ſecum collatis ad ſigna, veſtibulum interioris valli, propugnaculique aditum reſervabat, utque rapinis intenti maturè prædam educerent, ingreſſus omnes capti ſuburbii incendio ſubjicit. Poncinus verò, cui major belli cura inerat, caſtra diſponere ſtativorumque modum, ſingula luſtrans, ne quid ex ignavia ſiniſtrum accidat cuſtodire; nam Petrus Braymontis Catelanorum Dux à Cane conductus in exterioribus hortorum cultibus Patavorum alas lædere cupiebat; iſque facto impetu ſæpe manus cum Patavorum mercenariis occurrens inſeruit, non ut bellum cominus gereret, ſed more lupi prædam venaretur. Accidit tamen, dum ſimul impetum faceret, ſub galea improvisè lædi, guttureque ſaucium lanceæ ictu abire, hocque vulnere poſt dies paucos abſumtum.

Interior autem Patriæ noſtræ ſinus, quamquam A
murorum indagine circumductus, non ideo,
metum excuſſit, par enim captæ urbis imago
viſa eſt. Hinc mulierum ploratus, amentiumque
ſenum, & puerorum vociferantes querelæ; hinc
virorum adoleſcentiumque corpora arma prote-
gi neſciebant, quique bellis ſemper aſſueti mili-
tare, pavore magno circumducti vix arma de-
ferre poterant; pallor namque hos vultu demiſ-
ſo pavidos fore teſtabatur. Nec ſolùm mœnibus
noſtris metuendum erat; ſed & Concivibus capti
ſuburbii condolentes, hinc agnatos, hinc fami-
liares noſtros, velut quiſque amore notior, de-
flebamus. Jamque lucis horâ pæne ſeptimâ,
Sole cœli cardinem adeunte, ecce Canis tot vo-
tis optatus, tribus dumtaxat terga ſequentibus, B
celer applicuit, vixque tunc paucis agnitus, nam
arcu pharetraque ſuccinctus Medorum ritu ju-
mentum ſublime ruſticanis phaleris decoratum
ſeſſor urgebat. Mirabile enim, quinimo ſtupen-
dum valde, quòd idem tam ocior, tamque ce-
lerrimus, iter longum triginta mille paſſuum
horis quatuor metatus, volucris inſtar advenerit.
Conſtat, illum, dum pranſurus lymphis manus
abſtergeret, dimiſſum ab Antonio nuntium ſu-
ſcepiſſe, confeſtimque dimiſſis epulis ſolo An-
driotti . . . . . exiguique meri hauſtu refectum
equo inſiluiſſe. Cùm ergo feſtinans Montisbelli
Pagum attingeret, equumque defeſſum calcari-
bus repugnare ſenſiſſet, non aſpernatus eſt inde-
corum villici jumentum ad iter intentum aſcen- C
dere. Ut ergo illum adveniſſe rumor nuntiavit
exiguus, vix primò creditus, deinde fama, fre-
quentiùs referente certo auctore, pedetentim ir-
repſit. Tunc ſpes erectis puſillum animis metum
excuſſit, ſolicitaque curis anxiis Patria in hoſtes
cœpit audere. Nec mora: Canis ira vexatus, ac-
cerſitiſque contubernalibus pretio conductis,
equo magno, qui è Bailardini ſtabulo coram ad-
ductus fræna lambebat, armis objectus inſiluit,
ſequentibuſque ferme quinquaginta Equitibus in
ſuburbium jam Patavis deſtitutum reſeratis val-
vis egreditur. Cùmque directo calle per ædes
flammis impoſitis tranſire nequiret, ſecus val-
lum permeans, denique ad propugnaculum,
unde Literiæ Pagum aditur, cetera luſtrando D
pervênit. Ubi non multùm procul viſis Patavo-
rum ſignis veſtigia cita continuit; deinde ultra
progrediens, dum cominus adveniſſet, irruenti-
bus in illum turbis hoſtium magnis retro celer
aufugit, & uſque foveam, quæ ſuburbium Pu-
ſterlæ dirimit, moderato curſu deſtitit. Hic la-
bore feſſus, æſtuque ſitibundus potum exquirens,
ex uterculo ligneo vini modicum hauſit. Ut igi-
tur agnitus ab his, qui citra foveam Patavis
tranſitum prohibituri manebant, illico tranſvectis
ſine ordine turbis ſuorum circumventus eſt. Ve-
nêre quoque è mœnibus acres viri multi, audito
Cane cum hoſtibus immiſceri. E Vicentinis
etiam plerique, inter quos Vivaldus Brugnolus
acer adoleſcens ad Canem affectuosè ſe contulit. E
Nec ſegnes quidem Petri Braymontis ſocii, ſuo
jam Duce ex congreſſu in Patavos ſaucio, illor-
ſum devenere. Canis itaque ſuorum tam libenti
obſequio lætatus gaudium concipit, adverſuſque
hoſtes modico greſſu procedens, juxta valli inte-
rioris veſtibulum, ſi quemque ex aggere lapſum,
temereque vagantem poſſit elidere, oculis cir-
cumductis examinat. Diſtabant quidem eminus
ad baliſtæ jactum modicæ Patavorum catervæ,
in quibus Poncinus cum Patavis multis proſter-
nendi valli, deprimendique aggeris cura inten-
tus, ſpatii molem fortè metabatur; nec quos vi-
debat hoſtes contra in globum adduci metuebat.

Huic tamen ex frequenti multorum relatu Ca-
nem adveniſſe conſtabat; ſed incredibilis vulgi
rumor, itineriſque longi ſpatium, quòdque ille
ægrotare ferebatur, fidem excuſſit. Vanni quo-
que militiæ Dux, cui omnis belli cura, exerci-
tuſque fiducia commendata fuerat, neglectis ho-
ſtium viribus, lacero agmine paucos ſecum at-
traxerat; reliqui pridem intenti anticipandis ca-
ſtrorum locis haud procul aberant.

Ut igitur Canis turbis fidelibus circumventus,
Patavos tam ignavè labentes agnovit, animum
erigens victoriæ ſpem intra concipit. Audierat
nempe, parvas virorum turbas ſæpe univerſos
Exercituum globos magnis viribus confudiſſe.
Deinde ſuos paucis verbis hortatos, ſignaculo
Crucis à fronte deducto, in hoſtes laxis habenis
excurrit, cujus impetum plerique mercenariorum
Proceres obviam congreſſi adverſis viribus exce-
pere. Tunc gladiis res geritur. Poncinus verò,
& qui cum illo Patavi exteriùs profugi, bellum
his finiunt. Impares denuo viribus Paduani Ca-
nis impetum non tulere. Cùmque omnes in glo-
bum adducti, sauciis jam cæſiſque multis ad
exitum valli properarent, Albertinus Muxatus
equo intra Pontis capedinem lapſo, ne peditibus
ſequentium equorum depreſſus occumbat, è Pon-
te illo vulneribus jam ſeptem ſaucius in foveam
ſponte ſe projicit, ubi à peditibus Canem ſequen-
tibus fruſtra reluctans captivus adducitur. Ex-
templo namque Canis reſumtis animi viribus ad
Pontis aditum ſe transferens, fuſis Paduanorum
cohortibus, ſigna ſua in altum jubet erigi, en-
ſemque rutilo cruore pollutum trux vibrat. Ut
ergo Pontis è ſpecula titubantes metu Patavos
videt, paucoſque in aciem coeuntes, ſignis ex-
cuſſis properè in hos Vivaldum Brugnolum ex-
hortatus dimittit, qui equum calcaribus ſævis
ad curſum urgens, obſtantes in globum turmas
facilè disjecit. Cùmque compedem retinere ha-
benis nequiret, deductum fortè in extremo via
currum improviſus obtundit, præcepſque colla-
bens ſub equi pondere (proh dolor) à gladiato-
riis ſatellitibus obtruncatur. Tunc Canis in aper-
tum Paduanorum globum excurrens, facilè hos
pugna ſuperat, unde in fugam verſi cedentibus
terga indefenſa præbent. Reſtitit in viæ medio
fugientibus, ſpem audaciamque Civibus ſugge-
rens, Barnabas Macaruffus, qui paucis conco-
mitantibus adversùs Canem bellum acre orditus
eſt. Sed denique ſublata ei è vertice galea, foſ-
ſoque pilis ſonipede, clava læſus humi procubuit,
cum quo & plerique cæſi ſunt. Hinc Canis, nul-
lo adverſante per viæ lapſum excurrens, fugien-
tes à tergo Patavos gladiis cedit, multoſque humi
proſtratos ſinit occidere; ſublata enim his erat,
foſſatis utrinque à via lata deductis, in agros
tranſeundi facultas. Qui verò ad umbras arbo-
rum quietem agebant, repentè in fugam converſi
latebras quærunt. Pars ad lucum iter agens per
ignotos viarum egreſſus, ut quemque ſors tulit,
aufugiunt. Pars ſomno cibiſque graves & mero,
poſitis tellure armis, quid agat neſcia, per agro-
rum clauſtra vagabantur. Plerique tamen Vicen-
tinis immixti ſuos, mutato idiomate, feroces
impellunt. At Canis fugientes Patavos truci gla-
dio inſequens, ceteros obtruncari jubet. Donec
Jacobus de Carraria cum nepotibus, pauciſque
comitantibus, dum vitam ſupplex oraret, cap-
tivum accipit, illumque cuſtodiendum contuber-
nalibus ſuis tradit, ultraque progreſſus Vannem
mercenariorum Equitum Ducem, detecto vertice
galea carentem, pari benignitate comprehendit;
non enim Canis trux ultor, aut cruoris avidus
fuit. Ut igitur eo ſic Patavos impellente ad
Quar-

Quartixoli Pontem ventum eſt, cùm nullos hoſtium ante conſpiceret, retro iter aſſumens verſis ſignis Jacobum memoratum, ipſumque Vannem, & pleroſque alios inſignes ſecum in urbem ducit. At populares turbæ per ignotos agrorum calles fugæ remedio diſcurrentes in hoſtium manus tamdem incidêre. Pars lucum, qui non procul aberat, greſſibus petens, inter ſentes vepreſque latebris occultis ſecura delituit; plerique tamen per directos viarum calles hinc Paduam, hinc Baxanum, aut Citadellam, aut Montes Euganeos, velut quemque ſors tulit, magnanimi petiere. Qui verò illuceſcente die nec capti nec fauen latebris abditi noctem votis inſtantem obtinere, dum erumperent ad iter feſtini, vigiles ad prædam hoſtes in mediis viarum tramitibus inveniunt, à quibus capti in vinculis arctantur; deliteſcentes autem in virgultis & frondibus, dum cibo potuque carerent, fame compulſi, victoribus ſe quærentibus ſponte dedunt. Nec tantùm virilis ſexus in prædam erumpit, ſed ipſe fœminæ ad inſtar viraginum in cœtum adactæ fugientes Paduanos comprehendere auſæ ſunt. Inventum eſt etiam, nonnullos, admiſſis per nemus moloſſis, latentes Patavorum turbas detexiſſe, ſicque multos triduano ambitu comprehendiſſe. In quorum terum anfractu Poncinus, ut ferunt, vepribus deliteſcens, duobus ſe palàm levis armaturæ peditibus ſponte offerens, ab his pacto auri pondo, ſi Paduam ſecum adducerent, illò juxta polliciti modum ſilenti nocte comitatus eſt. Qui excuſſis metu Patavis non modicum in afflictis rebus ſolamen extitit.

Ex captis itaque Paduanis conſcriptus in ſeriem, recenſituſque numerus ſeptingenta ferme virorum capita præter inſignes, quo prædæ avidi ob ſpem æris polliciti latebris abdidere, productis calculorum ſummis fuiſſe compertum eſt. Qui cùm intra Vicentinos carceres latè ſervari nequirent, fune connexi per horrendum lapſis imbribus callem Veronam protrahuntur, ibique arctè ſervantur. Jacobus verò memoratus, & nepos ejus Marſilius de Rubeis Parmenſis, Vannis Scorvegianus in Aula Canis cuſtodiendi ſatis honeſtè reponuntur. Albertinus verò Muſſatus, qui Gregorio de Poyana in ſortem captivus ceſſerat, apud eum vulneribus ſeptem curandus, Cane volente, permanſit. Ad quem viſendum ſæpe victor dignatus accedere; ſuique contubernales procacibus illi verbis, quàm id jucundius potuere, mutua vice illudentes, non imprudentiùs accepere. Nondum enim ille lauro hederaque virenti ſub Poetæ titulo decoratus coronam attulerat; nec dum etiam Hiſtoria illi edita, Ezerinique Tragœdia, quam poſtea jam Poëta vocatus in propatulo edidit. Digna quidem huic tanti honoris retributio, qui Reipublicæ negotia vigili cura pertractans, aſſiduoque animi & corporis exercitio indeſeſſus geſta Cæſaris Henrici, Italorumque clades magna conſcriptorum indagine ſtudioſus in ſeriem compilavit. Meritò igitur vir magni ingenii, prudentiaque & fa:undia circumſcriptus, Poëtæ titulum ſola animi virtute ſortitus eſt. Non enim ex claris ortus parentibus opes ab his, aut honores in Patria ſua felix ſucceſſor habuit; ſed ex Plebe infima ortum ſe ſciens, inter Patrios Conſulares, jucundaque Paduanæ urbis munera à Tribunis Plebis, & Populi Magiſtratibus meruit recenſeri. Felix ergo Patria, felixque concivibus optimis, dum laboris tanti mercedem famæ celebris pretium, multaque ſplendida à Fiſci liberalitate donatus attulit. Inter ſau ios verò Patavos agniti Rolandus de Placiola, & Johannes de Partenopeo, uterque Juris periti; plerique alii ex Plebe media, quos Canis Veronam jam prudenter attrahi voluit. Caſi proſtratique quadraginta ferme numero, ſed Popularium acervus major, è quibus ferme pars altera à ſatellite quodam Cani obſequente, ut caſi fratris ultionem exigeret, vincta comprehenſaque gladio impio detruncata eſt. Proh pudor! captivum hoſtem, ſuperatum, & irrepugnantem viliter cedere. Sic enim ille germanum poſſe reviviſcere, aut juſtas illi fuſi cruoris exequias præbere conceperat. Hoc nempe Canis nefas perauditum abhorruit, juſſitque ut hujuſce auctor procul ab Aula diutiùs abſentaret. Confertis igitur Paduanorum maniplis, auditum eſt magnam vehiculorum, curruumque cohortem oneratorum à bubulcis impellentibus ad exercitum, in medio viæ ſubductis bobus, deſtitutam eſſe, ad quos Vicentiam pertrahendos Canis repentè fidelium turbas dimittit. Maxima quidem rerum pretioſæque ſuppellectilis æſtimatio, quas Patavi delitiis aſſueti quadrigis advehendas poſt ſe commendaverant. Hic pateras, ſcyphoſque aureos, & lectiſternia cum fulcris, panniſque nobilibus, vinaque Cretica, cum antidotorum diverſis ſpeciebus ſub fidis cophinorum clauſtris incluſerant: tanta horum imprudens veſania, tanta deſpecti Canis ſuperba temeritas, ut etiam ipſa arma carrucis inſerta reliquerint; non enim bellum, ſed otia quaſituros ſe putabant; ſæpe enim fit, ut neglecta paucorum cohors multorum imprudentes cœtus virili Marte disjiciat. Nec jam incredibilis vetuſtarum rerum memoria, quæ Patavorum manus ſæpe multa virorum millia fudiſſe tradit, modernorum opinione cenſetur; velut Machabæorum fortiſſimum Judam, Pœnum Annibalem, Julium Cæſarem in Hiſtoriis peregrinis accepimus, ſi Canem magnanimum præ ceteris vix dolore confuſum pauciſſimâ ſuorum turbâ numeroſos Paduanorum maniplos facilè ſuperarit. Neque igitur hos dolis, aut aſtu, ingenioſiſve fraudibus in arctum obſtruens, fudit, ſed viribus ſuis, eorumque vecordia, qui vinci voluere, non vincere. Quòd ſi Patavi prudenter egiſſent, idemque hos Patriæ ſuæ amor votis paribus affeciſſet, profectò non tantùm Canem ipſum, ſed Longobardos etiam adverſo Marte debellaturi fuerant.

In tantis igitur blandientis fortunæ ſucceſſibus Canis exultans, properè his, quos ſibi per mutuum benevolentiæ fœdus aſciverat, gaudium victoriæ ſingularis per ſcripta ſignificat, oratque, quatenus dimiſſis ad ſe auxiliaribus cohortibus opem non negent; tuncque potiundæ ſibi Paduæ tempus præſto affore, ſi amicorum viribus ſuffultum ſe viderit. Ad quem Paſſarinus Mantuæ Præfectus ob felicem amici ſucceſſum gaudio valde magno congratulans, in diem tertiam, comitantibus equitum, peditumque ſuorum turbis, maturus applicuit. Nec multùm ſegnior Guilielmus de Caſtrobarco, nepoſque ejus Aldrigettus luce quinta ſequentibus turbis adveniunt. Ipſe etiam Guibertus de Corrigia jam Parmæ ſedibus Patriis violenter ejectus, ut Cani, quem votis animi fovebat alternis, jucunda felicitate congaudeat, illorſum ſponte ſe transfert. Nicolaus quoque de Lucio è Pergamo revocatus, inopinabiliſque facti ſerie ſtupefactus, ad viſendum fidis oculis compatriotas, cum quibus olim, cùm Patria incolumis ſtaret, Rempublicam gubernabat, Vicentiam citus advênit. Veronenſes etiam delectiſſimorum maniplis, quotquot ad arma, ſexu vel ætate non impediente, habiles exiſtimati ſunt, illo acciti conveniunt.

Nec minùs Vicecomes Maphæus natorum alterum pro amici ſubſidio cum ala ſuorum deſtinaſſet, ſi Dalphini de Vienna impetum excepturus vires ſatis amplas, ad pugnamque ſuſtectuas, habuiſſet; ſed jam proximus illum metus amicorum opem urgebat expoſcere; fueratque Canis vocandus ad hoc, niſi cauſa inſtans Paduanorum excuſaſſet. Interea Paduani, qui urbem luctu multo metuque magno concuſſam cum Antiſtite ſuo Pagano, Clerique Ordine cuſtodiebant, rebus omnibus in deſolamen abeuntibus, quid agant neſcii, dubiis mentibus hæſitant. Ut ergo Poncinum advenisse relatum eſt, modicum lætati, Prætorem ſuum in ſolita ſede præficiunt, animiſque reſumtis mœnia prorſus excubiis diurnis nocturniſque ſolicitè cuſtodiendam decernunt, Civeſque è manibus hoſtium reverſos intra recipi; hoſque ſiniſtros fatorum eventus amicis Tarviſinis, Bononienſibus, & Faulanis literarum notis pandere; nuncque præſidii maturandi opus fore, ne deſperatis Padua votis Cani ſervire cogatur. Confeſtim igitur Tarviſini pedites tercentum, equites autem ferme octuaginta Paduam deſtinant. Bononienſes verò, quàm id celeriùs Populi ſavor decrevit, equites centum, pedites autem ferme quingentos illò dirigunt. Quamobrem Patavi ſuſcitatis in ſpem ribus audaciam pavidis mentibus ingerunt. Tunc ne quid in exterioribus municipiis ſiniſtrum accidat, muniendos Baxani, Cittadellæ, Montis-ſilicis, & . . . . ſinus, omniaque latè ac ſolicitè cuſtodiri ſtatuunt. Iturus tamen in eos Canis hoſtiliter fuerat, in Patavium ambiguis concuſſum fatis, ſi poſſet, introitu quovis modo frui tentaturus. Sed è Cœlo dimiſſus imber aquarum uberrimus, fluviorum alveos, aggerumque ripas omnes adeò pluvia in terras manante replevit, ut lacunæ inſtar omnes convallium agri ſub aquis merſi æquoris faciem imitarentur, vixque tunc alterum diluvii metum inſtare Orbi per ruptas Cœli cataractas, continuato dierum multarum ſpatio, putatum eſt. In hæc igitur nimborum intemperie Canis, ejuſque contubernales nunc feriis, nunc ludis intenti, tecta frequentiùs incolebant, ipſumque Jacobum (eo quod ille vir clariſſimæ indolis foret, magnumque Patriæ ſuæ decus) applauſibus his jucundis alliciunt, ut curis interdum anxiis per oblectamen abſtractus animi ſolicitudines recreet. At ille ſuæ Patriæ memor, nullis intentum jocis animum habens, pudibundo vultu inter hos vocum cantus a . . iri reſpuit ad quem triſtitia vix dejectum ſulaturi verbis utilibus Guilielmus, & Paſſarinus memorati ſæpe introeunt. Hi enim ſenio vix confecti multa retro inſtabilis fortunæ munimenta didicerant, multumque his penſi inerat, quid in tantis Cani ſucceſſibus potiùs expediret. Accidit ergo, ut alearum intenti ludo, poſt lapſa ſolatia feriis utilibuſque ſermonibus curam impenderent, tuncque belli finem victoriam fore probabilibus conjicerent argumentis. Ad hæc vafer Jacobus ſubaddit, multos victoria uti neſcire, nimiùmque ſucceſſibus fiſos ſæpe præcipites obruiſſe. Talibus igitur verborum hiatibus Vanni Scurvegianus de factitanda inter Canem & Patavos concordia ſermones inſerit: quibus arrectas utrinque aures cautè pandentes, id prorſus cum Cane moliendum fore, quamprimum facultas aderit, mente concipiunt; neque enim à Jacobo moleſtè accepta ſunt. Digreſſi itaque iſtinc Guilielmus, & Paſſarinus ad Canem ſe referunt, illique blandiis obſequentes, quidnam tractandis de pace fœderibus animo ſedeat prudenter diſſerunt; quos illico torvis intuens oculis, non qua debuit oris modeſtia oblocutus abſceſſit. Facile quidem ac pertinax viſum eſt, nec ullis poſſe ſatis averti, illum victâ Paduâ uti poſſe.

In ſequentem verò diem Canis ſobrie noctu vigiliis excitatus, his blandè acquieſcens, rem illorum arbitrio factitandam permittit. Rurſum ergo Jacobum adeunt, Vannemque curis hæſitantem, quid de pace ſentiat, interpellant. Ille apud ſocium diſſerens libertatis potiundæ locum affore prorſus hortatur; ſicque Jacobo annuente ſignificatum eſt Patavis, cum Cane pacis fœdera iniri poſſe. Quamobrem Decurionum cœtus, Patriciique Conſulares in unum vocati, quid de ſtatuendis cum Cane fœderibus, an bello uti malint, judiciis alternis diſſerant. Macaruffus namque peremti germani caſum deflens, ultionis opportunitatem in gladio flammatus optabat; quique amiſſam querebantur vehiculis ſuppellectilem, ſeque vix fuga prolapſos in hoſtium ærumnis refici cupiebant. Ubertinus verò Jacobo adhærens, eadem propaginis ſuæ dignitate fretus, non minùs captivi jacturam cognati, querens, verba triſtia coram Patribus eructabat, maximumque Patriæ periculum imminere, ſi Jacobus, ceterique in captionem adacti neglecta pace corruant: unde diſparibus animorum votis is cum clamore intra Prætoris ædem extollitur. Dimiſſo itaque Senatu, hæc propere Ubertinus Jacobo per ſcripta ſignificat, qui paululum bilem excitans, tunc avidus factitandum prorſus cum Cane amicitiam mente concipit. Deinde vocatis ad ſe pro Cane interpellatoribus, adeundi in Patriam facultatem, obſide dato fidei ſervatore per jusjurandum, optavit. Pro ſe quoque ſiſtendo ejus nepo vadis factus eſt, id patruo imperante. Egreſſus itaque Jacobus Canis Aula, denique Patavium citus applicat, ubi occurrente ſibi Populo gratè ſuſceptus in atrium Præſidis poſt reviſo, lares adducitur, coramque Patribus conſcriptis, & Populi Magiſtratibus ſuæ judicium mentis aperuit, factitandamque prorſus cum Cane pacem validis argumentis hortatus eſt; neque ulteriùs fortunæ mendaci inſtandum, fidendumve, cùm nimiùm atrox jam in Patavorum ſtragem ſiniſtris fatis acceſſerit. Præterea convictos Marte degeneri Patavos nequaquam ulteriùs cum Cane bellum aſſumere impares oportere: quòd ſi bello uti malint, captivorum Civium cruces, tormentaque, & ærumnas intolerabiles imminere. Quibus latè explicatis, univerſus cœtus fœderibus cum hoſte tractandis annuit. Erat quippe Jacobus in Patria ſua Civis Populo valde gratus, Plebique gratiſſimus, cujus auctoritas Reipublicæ in arduis ſæpe rebus multùm valuit. Præterea non obſcuris ortum parentibus ſe ſciens, & agnatis cognatiſque multis ſuffultum, opes, divitiaſque multas acervo ſuæ felicitatis addebat. Decretum eſt ergo à Plebiſcitis, & Magiſtratibus, ut de concordia prorſus cum Cane agatur, ſicque Dei nutu diebus paucis hinc inde pacis fœdera pertractata ſunt; nam captivis omnibus mutua vice relaxatis, cetera in priſtinum reſtaurantur, ſitque ut omnis belli tumultus quietis animorum votis abſcederet. Præterea ne quis in alterum vi doliſve ulteriùs malè cogitet, viginti millium argenti marcharum transgreſſori fœderis initi pœnam addunt. Pro his quoque Venetiæ Communitas, ut metu pœnæ utrinque fides facta ſervetur, vadis efficitur. Hæc quidem urbs aquarum indagine circumdata, lanificiis, quæſtibuſque liberalibus multùm intenta eſt, & divitias ex alienis partibus domum advehit; ſola etenim ab Apennini colli-

collibus, qua Illyricum mare, Adriacoſque fluctus Longobardia deſpicit, libera meruit appellari, quæ Civibus optimis, bonarum rerum actione ſuffulta tyranno Regi parêre non patitur, factiones abhorret, & ſcelera deteſtatur. His ergo, Venetorum interventu, decretis utrinque fœderibus belli materies ſublata eſt, incendiiſque & rapinis omnibus deſitum eſt. Tunc ruſticani agrorum foſſores metu poſito rura celeres adeunt, continuòque agris excultis ſub Arcturo, dum Phœbus jam Chelam urgeret, aratris, ligonibuſque inſiſtunt, ædeſque virgultis paluſtribus, & ſtramine contextas, qualia pecudum tecta locis ſylveſtribus, ordiuntur. Tanta quippe illos patriorum larium cupîdo vexabat, ut neglectis urbanis mœnibus agros mallent raſtris effodere, hyememque futuram ſub exiguis pati mapalibus. Deinde paululum vendicatis armentis latiores ſegetum maniplos ex agris legunt, ædes conſtruunt, & ſolitis exerceri laribus parant. Dulce quidem eſt, & votis humanis jucundum nimis poſſe natalitiis laribus degere, reſque primæva mente complexas feliciter gubernare.

Eadem quoque tempeſtate Robertus Apuliæ Rex in Levirum ſuum Fridericum Siciliæ detentorem moleſtè flammatus, cùm illum ob ſuſceptam à patre per nefas injuriam ſummum odiret, conflato grandi virorum exercitu, & claſſe magna Siculum litus invadit, juxtaque Drepani Portus in plano caſtra diſponens, obſidium parat. Nec tamen, ut ajunt, hæc urbs illi ſuperabilis viſa eſt; facilius enim poſſe alias mœnibus infirmiores paucioribus impugnare viribus præſciebat; ſed hanc plerique non ex Plebe infima Cives, ſimulato erga Carolum & prolem ejus initi amoris fœdere, præſtitiſque apud Bononiam pollicitæ fidei pignoribus ex cata familia, denuo tradere pacti ſunt: non enim his dolum ineſſe agnovit imprudens. Credens itaque voto ſuo nulla ſatorum potiri moleſtia, ſpe magna ductus illorium accedit. Hæc nempe à Friderico prudenter, ut hoſtis impetum viribus impar dolis retundat, acta ſunt; ſice enim Robertum in ſe arma parantem ſciens, cùm Siculæ regionis fines longe lateque tutari poſſe diffideret, ignarus quo potiſſimum litore numeroſa claſſis ſiſtenda eſſet, apud Drepanum vires hoſtis impetuoſi ſumere deſtinat. Cogit enim minis & precibus, quoſdam Primores ex hac urbe Legatos clam Roberto dimittere, eique mœnia Drepanenſia per ſœdus initum polliceri; utque fidem deeſſe non ambigat, obſides eorum natos in tuto deponendos ejus arbitrio fore. Nil ergo veritus Rex, ſallique non ambigens, illò exercitum trahit, juxtaque litus circiter mille paſſus procul in plano caſtra diſponit. Fridericus verò jam Regis propoſitum ſciens, locum gentibus ſuis munit, ut inſuperabilis hoſti fiat. Sed nequaquam illum Robertus inoccupare deſtinat; opinabatur enim illos ſibi pollicitis non deeſſe, quibus ſe crediderat; non enim id repentè poſt cœptum obſidium, ſed apto quamprimum tempore citra trimeſtre ſpatium facturos prorſus ſe ſpoponderant. Donec itaque laberetur hoc tempus, quamquam Roberto animum protelari videretur, rarò in obſeſſos Cives furenti Populo itum eſt, hocque modeſtè, ne Fridericus de his malè concipiat; agrorumque depopulationibus, & rapinis, ædiumque ſævis incendiis, niſi quòd victum & pabula equis neceſſaria miniſtrabat, Regio juſſu deſitum eſt. Moleſtum quippe fuerat ei ſperatæ urbis ſinus, fineſque ſævis vaſtare populatibus. Interea labentibus æquè diebus, præfixum præſto vix ſpatium adeſſe cœperat, cùm Robertus incluſis, quos fideles putaverat, ſecretò nuntium dirigit; hoſque de mora increpans rem non anticipaſſe ſegnes exponit, utque in promiſſo perſtent ſedulus orat, minaſque addit. Illi verò ſiniſtrum quid præter ſpem accidiſſe verſutis argumentis adjurant, utque Rex in ſpe ſecurus maneat, pollicitis certis hortantur. Credidit ergo Rex, inopinatum aliquid rem turbaſſe, tuncque ſatis cuncta permittit. Fridericus verò fines ſuos latè cuſtodiens, omnia ſolicitè ſervari jubet; ſed quam votis potiſſimùm fovet, Meſſinam armis replet, hucque Claſſem omnem attrahens, in portu locat; optabat namque poſſe hoſtem non tantùm fallere, ſed etiam lædere. Et ecce altera præfixæ lucis meta, quam incluſi Roberto ſperanti accuratè ſpoponderant, poſt menſtruum lapſum advenerat. Rurſum igitur Rex turbatus minas inſerit, ut maturè pollicitum fœdus expediant. Ad hæc illi nondum poſſibilitati locum affuiſſe proteſtantur, prorſuſque facturos, ſublata timoris radice omni, ſe ſpondent. Nec dum Rex ſpem animo ponit; labefactatam tamen, certum inter & dubium, concipit; tanta etenim depoſitorum fides pignorum menti adhæſerat, ut ſalli nequaquam metueret. Jamque gravis exercitum mora, hyeme in hunc ſæviente, ad objurgationes, improperiumque Regis converterat, vixque nullis affecti laboribus in otio deſides caſtra ſervabant. Querebantur namque, inter vallos caſtrorumque ſtativa voluptatibus ſordidiſque epularum viſcerationibus torpere, nulliſque ſtipendiis aut belli gloria hoſtes ad pugnam poſſe laceſſere; vixque jam hos metus aut reverentia ſui Ducis frænabat.

Et ecce ſubitus ventorum cœlique fragor immenſus & grando lapſis ab Arctoo imbribus in imum decidit, lituſqua omne Drepani replet nimbus. Jamque in hoſtem Fridericus parata Claſſe magna erumpere ſrequentabat; ſed Ponti furor adverſis illum procellis Roberti Claſſem negat impetere; nec remis arteve uti datum eſt. Tanta etenim ventorum potentia votis obſtitit, ut cominus ire non poſſet. Deſitum eſt ergo manus conſerere, altero Ducum invito. Robertus autem cùm pelago bellum atrox tulit, nam ſummotis rabidis ventorum procellis, vix Claſſis ejus in ſe confracta in ipſo Portu lacero remige deperiit. Nec Ponti furor noctis in tempore deſtitit, priuſquam ille triginta puppes ſolutis nare tabulis diluculo videns per æquor ingemuit. Quòd ſi Fridericus in illum ventis patientibus irrumpere potuiſſet, profectò Robertus à Leviro ſuperatus ſuorum ſtragem, ſeque trans maris ſinus advectum temerè doluiſſet. Ut ergo placata maris ventorumque rabie æquor ſtratum tumeſcere deſtitit, Robertus Diis invitis cedens, Levirum per pacis interpellatores fœderibus allicit; qui licèt hoſtem exoſus foret, veritus tamen ejus potentiam, ne bellum ulteriùs metuat, cum Rege paciſcitur. Vênit ergo Fridericus in caſtra Roberti, poſitaque omni vultus & animi feritate, Regi blanditur, illumque cauto ſermone alloquens pacem orat; utque mitiùs tumidum Regis animum placet, primogenitum ejus, Regiæ ſororis natum, coram Ducibus verendis aſtantem tradit, quem avunculus tactu modeſto amplectens, laxo gremio accipit. Erat quippe jam pubes, forma decorus, ſtaturæ autem robur, quam ætas exigeret, mores honeſti, diſciplinæque conformes, illum ex alta indole genitum teſtabantur. Hic,

ut

ut ajunt, poſt dulces Regis amplexus, ad patrem oculos dirigens, ſciſcitanti Regi quidnam à ſe optaret: non illum diligere, ideo quòd Siculi Regni futuram ſpem nepoti ſuo tollere conaretur, magnanimus edidit. Quamobrem turbatus adhuc Rex ſe dolis & aſtu in voto defeciſſe, nepotem oculis fixis intuetur, animique robur laudans, conceptum odii rancorem ex animo ponit, & cum Leviro fœdera pacis ſobriè tractans, quæ pridem indignatus nequaquam auditu percepiſſet, fieri, dum gratus maneat, benignè compatitur. Sicque protractis quinquennii induciis Robertus claſſem & exercitum omnem contrahens, Neapolim cito remige repetit. Fridericus verò victum hoſtem dolis contudiſſe lætatus, cum pubere nato ſecurus in Siculo Regno permanſit. Iſte pubes Henrici Septimi Cæſaris futurus gener, ni mors illum, ſicut ante depinximus, maturè præveniſſet, poſt temporis lapſum adultus Eliſabeth Othonis Karinthiæ Ducis primogenitam à patruo ejus Henrico legitimè duxit, de qua prolem ſexus utriuſque ſuſcipiens, felix pater ſucceſſor Regnum accepit. Nec multum diſpar, ut ajunt, viribus & induſtria ab avo ſuo Petro, unde nomen in cunis habuit, juſtitia pariter, ac pietate benignus, Populo ſuo gratiſſimus dictus eſt. Etenim conſilio prudens, in bello ſtrenuus, liberalitate munificus, in adquirendis, fundendiive opibus parcus, moribus ſenex, nihil injucundum, aut inficetum tulit. Præterea voluptatem, petulantiæque ritus indecoros aſpernatus eſt. Quid enim turpius, quid viro mollius, quàm adoleſcentem, dum laboribus & ſudore virtutem aſſequi debet, in libidine, voluptateque verſari? Hæc prorſus ætas ab otio, deſidiaque multùm arcenda eſt, ne languori ſe dedat. Quid autem honeſtum, quid utile, decorumve parare voluptuoſa poterit adoleſcentia, quæ commeſſationibus & ebrietatibus ſemper intenta, numquam virtutem aut bonos mores excoluit? Laudentur Gentilium liberi, quibus nulla Liberalium Artium doctrina, nulla diſciplinæ forma, nullus fandi tacendive modus à parentibus ſuis traditus eſt? Regnent hi, gubernent, Rempublicam tueantur, curis intendant & vigiliis, qui ſomnum, famem, ſitimque perpeti deſueverunt, qui veſtes pretioſas, ſcyphos argenteos, & delectabile quicquid ſummis votis appetere niſi ſunt? Non enim tales Paulos, Scipiones, Gajos, Catones, ceteroſque, qui magnificis Patriam ſeque geſtibus ornavere, fuiſſe comperimus. At cur deſides voluptuoſive damnandi ſunt penes ſummos graveſque viros? His nempe Regna, opes, honores, potentia, ceterique rerum luxus manifeſtè debentur; qui verò juſtitiam, pietatem, & bonas Artes colunt, rarò vel numquam præmia digna ſuſcipiunt. Sed hæc hactenus. Nunc cœpti operis propoſitum reſumamus.

Interea pacatis Regum animis, depoſitaque protervia, & modicum graſſantis odii diſſimulato rancore, magnus inter Longobardos furor accenſus, mentes omnium in ruinam diſſidiumque compulerat; nec jam pacis, concordiæve locus bis erat. Nam Vicecomes Maphæus Mediolani Præfectus, quam recens ab Henrico VII. Cæſare Patriæ Sedem reſumto moderamine vir cautus acceperat, captivatis jam ſuæ felicitatis hoſtibus Antonio & Philippone, urbes alias, nationeſque ditioni ſuæ obnoxias impellere conabatur. Jamque Placentiam, Laudum, Novariam, Terdonam, & Pergamum, oppidaque multa inter Cremonenſium fines nunc viribus, nunc dolis, & aſtu vendicaverat. Sed nequaquam his ſatur animus majores famæ titulos ſuis addere ſatis optabat; adverſabantur nempe huic Parma, Cremona, & Papia, votis alternis diffidentes. Hiſque Robertus Neapolis Rex, Florentia, Bononia, vires animoſque magnis auſibus ſuggerebant. Quamobrem ceteri Longobardorum Duces variis ſtudiis decertantes, magnam Populis nunc bellorum, nunc æris petiti moleſtiam rapinis aſſiduis inferebant. Hæc ſola ora Orbis, telluſque Nobilis, Regis impatiens tyrannide opprimi gaudet, numquamque libera, ſervire, quàm imperare mavult, Ducibuſque parêre impiis, quàm juſtè gubernari. Proinde Maphæus dum blandientibus ſibi ſatis, quos odio capitali premebat, vi dolisve afficere moliretur, potiſſimè Guilielmum de Cavalcabobus Cremonæ Præfectum magnæ probitatis, & audaciæ virum, opprimere ratus eſt. Sciebat nempe illum, ut Suncini oppidum jam Maphæi viribus occupatum vendicare poſſet, ſummis votis inniti. Paſſus eſt ergo, Guilielmum hujuſce loci aditum nocturnis inſidiis introire; eòque properè Guarnerium Cæſareæ militiæ Ducem vigili cura dimittens, improviſum bellis hoſtem potentior occupat. Qui cùm longè copiis impar eſſet, denique ſuperatus hoſti victum ſe tradit. Hunc verò Dux atrox, dum captivum, galeaque carentem attrahit in clauſtrum, clava detectum caput elidit. Nec mora: vir probus in imum labens, eliſo cerebro diebus binis abſumitur. Urbs autem infelix, amiſſo lugubris pugile, Ludovico, ceteriſque Guilielmi nepotibus gubernanda tuendaque pervenit. Sed hi, ejecto vi Poncino, eo quòd idem non minoribus ortum ſe parentibus jactans, parem cum his Sedem habere vellet in Patria, poſt acre Canis excidium Veronenſis, dum locum tutari poſſe diffiderent, Maphæo nimiùm impetente, civitatem ipſam civibus exhauſtam, rerumque penuria nimis implicitam Paſſarino, Butironove Mantuæ Præfectis ſponte dedunt. Quam illi ægrè ſatis adverſis occupantes, poſt ſemeſtre ſpatium vix neglectam furtim amiſſam deſtituunt. Nam Poncinus memoratus apud Maphæum deliteſcens, aſſumtis ab eo maniplis noctu muros Patrios arietibus perforans mœnia irrepit, pulſiſque hoſtibus victor Patriæ moderamen tutelamque Maphæo tradit. Unde magnus hos inter, Paſſarinumque, odii rancor ex invidia eſt excitatus. Et jam Papiæ Sedem antiquis fundatam temporibus Maphæus idem vi doliſque ſibi vindicarat, quam dum captivato Philippone de Languſco Rizardinus hujuſce natus, adoleſcens acer & ſtrenuus, magnificè tueretur, fraudis ignarus ab revertentibus Maphæi turbis, unde Ticini alveus intra fluebat, horum gladiis in medio foro viriliter obtruncatus occubuit. Nec profuit illi Roberti copias præſtolari, quas è Valentia celeri motu pridem aſciverat; neque illum Guibertus de Corrigia jam ſede depoſitus, metuque profugus, aſtu viribuſque ſuis tutari valuit. Sola Vercellarum civitas tota Maphæo debenda reſtabat, quam dirimens modicus intro labens fluvius, hinc Ticionibus Imperialis voti zelo flagrantibus, inde Advocatis de Colubiano Guelphæ partis Optimatibus, reſcindenda facilè præbuit. Hos Maphæus auxiliaribus copiis, illos Robertus tardo præſidio alternis ignibus refovebant. Et jam Ugo de Balſio, vir acer & ſtrenuus, quem Robertus Apuliæ Rex è Provincia ſub titulo Præſidatus, ab Apoſtolica Sede Duce va ante, pro ſuffragandis Longobardorum Guelphis accuratè dimiſerat,

dum

A dum idem in Maphæum cum quingentis ferme haſtatis equitibus clam erumpere deſtinaſſet, à Luchino Maphæi nato juxta civitatem ab Alexandro Papa conditam inſidias moliente, apud Baſſignanæ vicum in . . . . . . collis improviſo necatus eſt. Poſt quem vix perfecto biennio, Guelphis adhuc Vercellarum partem detinentibus, Robertus idem, cui deprimendorum Imperialis voti Ducum fervor maximus inerat, Philippum de Valois Caroli ſinè Regno natum, id volente Ludovico Francorum Rege, ad reſtaurandam Turrianorum Sedem fictis ſuaſionibus exhortatus eſt. Qui demum urbem partim obſeſſam cum ſeptingentis ferme haſtatis ingrediens, dum ei Marcus Maphæi natus adoleſcens
B ſtrenuus cum mille quingentis equitibus, ſex millibus verò armaturæ levis peditibus occurriſſet, cum eo colloquium in agris habens, ſpe ſua propoſitoque fruſtratus, paucos dies moratus veſtigia relegit. Quamobrem deſperantibus Turrianis, hiſque complicibus, Maphæo natiſque major crevit audacia. Hinc tamen fama celer increbuit, Philippum memoratum pretio degeneri corruptum in hoſtes aciem convertere noluiſſe; ſicque tributis ſuſceptis, nullo Marte iter ad Gallicos tramites direxiſſe. Nec multùm poſt hæc cæſis victiſque Vercellarum Guelphis, tota bujuſce urbis compago Maphæi ſceptrum ſub tyrannide pertulit. Priuſquam igitur Anni ſex perfecto ſpatio laberentur poſt Maphæi re-
C ditum, ferè omnis Lombardia ſuperior gubernanda illi, cum viribus & potentia, tum aſtu ingenioque ceſſit. Unde Turriani ſpe omni poſita jam in exilium abeuntes, per Orbis diffuſos calles deſuetoſque abeunt. E quibus magna cohors Patavium abiens, eo quòd illic vir illuſtris Paganus, ex eadem proſapia genitus, non modò boni Præſulis, ſed optimi Ducis, & Conſulti nomen habebat, quique itidem conſilio prudens, & bonus in opere putabatur, ſtipendiis militaribus acquievit. Denique ad majus Tribunal poſt Caſtoni obitum ſub Clemente Papa vocatus, Aquilejenſis moderamen Sedis accepit, ubi vocatis ad ſe nepotibus, agnatiſque, & ex cognatione ſua genitis, felicem fa-
D tis exulibus locum contribuit. At Simon ejus nepos ex Guidone natus, vir acer & ſtrenuus, contemto Patriarchalis quietis torpore, bellis aſſiduis, Martiſque ſudoribus affici voluit, nunc Bononiam, nunc Florentiam, ubi denſior ar-

A morum globus inerat, ſtipendia ſecutus expoſcens: ſic enim gloria militaris erigitur, laboribuſque magnis fama, non luxu & otio vendicatur.

Quæ autem trans Padum inter fines Æmilios poſitæ urbes, ſuis obnoxiæ Ducibus, non ſinè rerum ſuarum ac prioris ſtatus excidio everſæ ſunt. Parma equidem, Duce Guiberto, Rubeorum potentiâ violenter ejectâ, Plebis ſuæ Populique legibus obtemperatura corripitur. Rhegium quoque, Gibellinis excluſis, poſt ſævam Azzonis tyrannidem, Optimatibus ſuis gubernandum ceſſit, qui dietim pergebant Magiſtratus, aut Populi Plebiſcita condere, faſces in medio diſtribuere, remque publicam ſinè pri-
B vato commodo tueri. Hæc quidem urbecula, ut mihi videtur, magnanimo ſuorum civium ductu compoſita, inter immenſos Orbis fatórumque ſtrepitus, quieta ſatis, luſtro bis acto, Sede permanſit. At Mutina, quæ ſemper inconſtans, belliſque ſævis ob diſſides Procerum faſtus nullo ſuffragante diripitur, dum Franciſco de la Mirandula Cæſaris memorari juſſu vix perfecto biennio ſervaretur, metu magno ſolicita Guelphis exulibus in Patriam ferro flammiſque minitantibus, cui cedat, in ambiguo hæſitat. Sed Paſſarino potiſſimùm adhærere viſum eſt; metuebat namque Bononiam ob vetuſtum craſſanti odii rancorem, vicinæque telluris diſſidium ſceptra depoſcere, ne tenax inju-
C ſtæ Plebis injuria in ſanguine, violentiſque tributis ultionem exigeret. Nec tamen id præter Canis Veronenſis, Maphæique patientiam, eo quòd Imperialis voti Franciſco complices hæſerant, effectum eſt. Pactis itaque fœderis initi legibus, ne Gibellinis ulteriùs in exilium ſub admiſſo Præſide migrandum ſit, infelix Mutinæ civitas Paſſarino Mantuæ Præfecto gubernanda cuſtodiendave traditur. At longè fides pollicitis abſuit; nam paullùm refovens exhibitæ ſibi urbis auctores, donec mœnia valloſque aggerum indagine circumductos ſuis copiis fulciret, qua functus ſemper tyrannide intro ſævire incipit, primùmque hos verſutis ejiciens dolis, ne ulteriùs metuendum ſit, civibus bonis exhauſtam
D Sedem occupat. Tunc rapinis, ſpoliiſque magnis, & aſſiduis æris exactionibus nullus modus, menſurave. Franciſcus verò, ne exulare ſe putet, Veronæ Prætor efficitur.

Explicit Liber Sextus.

IN-

INCIPIT LIBER SEPTIMUS.

Piſæ, & Luca Ugutioni de Fagiola ſubduntur. Qui Montem Catinum obſidione premens, in ſe Florentinorum, Guelphorumque ceterorum, ac Roberti Apuli arma concitat, eoſque memorabili prœlio profligat. At hic ſubinde è Principatu dejectus exulare cogitur. Forum-Livii Ordelaphi ſibi vindicant. Henricus Tarviſinus Eremita magna ſanctitatis opinione decedit. Johannis XXII. Papæ electio, ejuſque acta ante Pontificatum. Fridericus Auſtriacus, & Ludovicus Bavarus, diſcordi electione Reges Romanorum creati. Ferraria, revocatis Marchionibus Eſtenſibus, Roberti Apuli jugum excutit. Vicentini cum Patavinis quibuſdam conjurati in Canem Veronenſem, ab ipſo opprimuntur. Tum Montem Silicem, Montagnanam, ac alia Caſtella idem occupat, pacemque dat Patavinis. Jacobus Carrarienſis Patavii Dominus conclamatur. Canis conſilium de occupando Tarviſio. Genuenſis urbis inteſtinæ diſcordiæ.

A IStinc Longobardorum ærumnas prætermittentes, trans Colles Apennini, & montium apices in Thuſciam laxo fræno migrabimus. Nec quidem hæc, unde progredi volumus, oblivionis lubrico tranſeunda ſunt; magna etenim magnificèque geſta, virium concuſſione magnarum, Poſteritati ſtuporem fortaſſis afferent. Sed jam ſedulè conſcribentes facti ſeriem explicemus. Defuncto itaque Henrico Septimo Cæſare magna Fæſulanis, Robertoque jucunditas animorum ſecundis votis acceſſit; at non ideo ſublata omnis ſolicitæ curæ formido, dum Piſæ Cæſareis ignitæ caloribus ſub Ugutione de Fagiola viro ſtrenuo reliquas Thuſciæ gentes Guelphæ partis odirent, B multumque illis ferro depopulatibuſque ſævis adverſarentur, atque Aretina Plebs paribus votis obnixa eodem animi zelo flagraret. Sed Ugutionis memorati prudentia, hujuſque robur indomitum, ac Germanorum Gallorumque ſuffragia, quos Cæſare mortuo Piſanorum induſtria ære magno conduxerat, majorem Fæſulanis metum addebant, ne vi doliſve incautè ſuccumberent. Quamobrem degeneris animi Præfectum à Roberto, quamquam forma conſpicuus eſſet, aſpernantes, ab eodem Rege Principem ſtudioſi depoſcunt. Qui ne Amicorum ſuffragiis tardus vocitetur, juxta ſuæ opinionis modum adoleſcentem miræ probitatis Petrum Tempeſta Regi germanum cum centum quater equitibus C in Thuſciam dirigit. Hic apud Fæſulas ſedem eligens quid potiùs factitandum pro ſtatu fidelium percunctatus eſt, viſumque illis majus in Lucanis mœnibus ob vicinas brevi ſpatio Piſas periculum imminere. Unde Guelphos properè ciens, quibus Lucæ civitas, Gibellinis ejectis, ſolicitè regebatur, accenſis in robur animis, pollicitoque ad vires ſuffragio, Gerardum his de Sancto Lupido virum ſatìs egregium præficit. At non ideo exules in finibus ſoli patrii latitantes Oppidorum fiducia, nunc rapinis, nunc incendio, depopulatibuſque deſiſtunt; ſed majoribus adacti furoribus impetus truciores in Patriam faciunt: quod Plebs, Populique rabies moleſtè ferens pacem cum exulibus per vicos & D pulpita metu poſito clamitant; vixque ho furor ad arma ſubitus impulit. Dux itaque Plebis impetum metuens, pro Gibellinis reſtaurandis obſequitur: effectumque eſt certa lege fœderis, ut omnia in priſtinum reſtituta, nullís odia reminiſcentibus, ceteros ſuis rebus adjiciant. Luxque illa celebris Evangeliſtæ Marco dicata VII. Calendas Majas XIV. Dominicæ Incarnationis Anno poſt CCC. & mille, quo pulſi è patriis laribus Gibellini, pacatis animorum rancoribus, Lucam ſubiere. Inter quos putata ſunt Virorum Illuſtrium capita ferme ducenta: ſed major Interminellorum numerus, qui vetuſtam parentum ſobolem animi pariter & corporis virtute fulciebat. At brevis hæc, ſuſcitato rurſus furore, concordia; nam cùm prædiorum ædiumque poſſeſſores injuſti fructus æſtate pendentes veris Dominis tradere negarent, hiſque pertinax multum ſuperque obverſaretur injuria, non paſſi ſunt reduces injuſtè tam lædi, in quibus Primores ſeditionis Johannes Parghia ex Interminellis natu major, & æquè celebris, ſecundo tamen adoleſcentior & magis illuſtris Caſtruccius ex eadem proſapia, rem cœptam viribus ingenioque perficit. Iſte enim dum ſe, compliceſque ſuos malè jactari cerneret, implorato clam ab Ugutione præſidio, admiſſiſque è Piſa mille virorum copiis, Guelphis denique paucis gladio interemtis ſauciiſque, victor evaſit. Profugi ergo in exilium abeuntes partim Fuſcechium, partim Florentiam relictis penatibus abiere. Nonnulli etiam, quod in devexo Catini montis Colle Oppidum eminet, improviſò ſubeuntes, citatis ad arma complicibus, Gibolengos facti prioris ignaros inde pari tumultu violenter ejiciunt, captoque Præſide Guerrucio de Quartezanis, & uſque Fæſulas in vinculis adducto, locum viriliter occupant. Hæc nempe, vix actis in quiete menſibus binis, XVII. Calendas Julii relatu multorum fuiſſe comperimus.

Quamobrem indignatus Regis frater, Fæſulanive, gentibus ſuis locum muniunt, ſuadentque, quatenus Patriæ ſuæ, Gibelliniſque hoſtibus bellum inferant. Adjectis igitur animis tanto præſidio, ſævis jugiter rapinis & depopulatibus inſiſtebant. Ex hoc afflicti Gibellinorum Duces, qui mœnia Lucæ ſervabant, metuque magno perculſi, cùm Regias in ſe vires, Florentinorumque rabiem converti cernerent, rati utile tutumque fore Piſanis adjungi per fœdus amicitiæ, illis ſe, Patriamque ſponte dedunt. His Ugutio memoratus Piſæ Præfectus natum ejus Franciſcum Prætorem deſignat; cùmque inter

Mon-

Montis Catini Oppidum profugos exules ſuperare non poſſet, eo quòd idem locus vaſto aggere muriſque ſeptus non procul à patrio ſolo pluſquam XV. millibus paſſuum adverſis viribus reſiſtebat, ac ultra in Cives, villicoſque ſuos quovis Marte deſæviat, paratis armatorum maniplis exercitum contrahit, circiterque locum caſtra diſponens obſidio premit; deſtinatque æſtate jam media, autumnum hyememque in agris perpeti, donec vi doliſque ſuperatos hoſtes effoderit. Huc Nono Calendas Auguſti primùm adveniſſe tunc referunt. At contra mœnibus valloque ſecuri Guelphorum Primores telis, jaculiſque, & omni tormentorum ſuffulti præſidio, ſe tutantur. Nec deerat bis annonæ, utenſiliumque rerum pro ſemeſtri lapſu, eoque magis, opportuna commoditas. Sed grave eſt obſidium patientibus interdicta quietis libertas ex intolerabili bellorum frequentia. His Regis frater, Fæſulanique opem pollicentes, animos & robur adjiciunt. Accerſitis itaque amicorum præſidiis, è Thuſcia primùm, quæ partialibus promta votis mille virorum copiis ocyùs ſuffragata eſt; tardiùs verò è Bononia, Paduaque vires aſſumtæ ſunt; ſed confertis in unum maximis præter ſpem omnium turbis, non ideo in Ugutionis alas proruptum eſt. Egreſſi tamen è mœnibus Fæſulani aciebus inſtructis illorſum accedere ſimulant, rati, hoſtes metu profugos è caſtris abſcedere. At contra vir probus Ugutio in agris exiens, horum impetum excepturus, obviam prodit. Supererant nempe illi Germanorum reliquiæ, quas Cæſar memoratus apud Fæſulas triumphator habuerat, velut ante depinximus; unde Fæſulani degeneres revocatis præſto maniplis intra tutas murorum latebras ſe recipiunt. Deinde quid agendum potiùs hæſitantes, prudentum conſilio freti, poſt lapſam hyemem Roberto periculum ſuis rebus inſtare per Legatos nuntiant, utque locum obſidio longo vix preſſum auxiliaribus copiis redimat, pulſis hoſtibus, orant. Qui properè, curis licèt arduis angeretur, fidere illos hortatur, nec longo opem adeſſe pollicetur; utque rem ipſam majori voto perficiat, certiùſque fidelium animos & robur ad obſequia compellat, germanum alterum Tarenti Principem Philippum, concomitantibus mille & ducentis equitibus, & nato pubere Carolo, ad Thuſcorum præſidia deſtinat. Ocyùs tamen venturus fuerat, niſi quatriduana illum febris longo dierum ſpatio domuiſſet; quæ nec dum quoque veris tempore medicalibus diſceſſerat documentis. Miſſo igitur Principe, magna Fæſulanis complicibuſque ſuis crevit audacia, multumque obſeſſis ſpei præſidium tulit. At non ideo pavefactu Ugutio caſtra ſummovit, ſed acriù inſtare, ac bellare nunc miſſilibus, & jaculis, omnique tormentorum genere viſus eſt. Et jam locum tutantes utenſilium penuriâ rerum affecti, ſuorum dudum auxilia præſtolati, vix poſſe redimi deſperabant. Fortaſſis etiam protelata nimium ſpe, ni Patriæ reverentia, pudorque dedecoris obſtitiſſet, victum hoſtibus ſponte locum liquiſſent.

Demum æſtate jam cœpta nequaquam obſidium ulteriùs ſe pati poſſe, fame prorſus urgente, Fæſulanis denuntiant, quibus Regius moderator intra menſis unius ſpatium opem laturum ſe ſpondens, illos ad reſiſtendum ſuaſionibus blandis erexit. Proinde Peruſium, Senas, Piſtorium, ceteraſque Thuſciæ urbes ſibi per certum amicitiæ fœdus obnoxias, arma, vireſque Fæſulanis addere ad elidendum hoſtem hortatur. Bononiamque, & Romandiolam, omneſque ſuæ Partis zelatores diem his præfixam deſtinandæ opis ſignificans, ad bellum cum Ugutione ſumendum ciet. Nec multum poſt hæc delectis virorum maniplis ceteræ complicum turbæ, poſcentibus opem Fæſulanis, maturo præſidio ſuffragatæ ſunt. Interea vir probus Ugutio non minùs amicorum vires adſciſcens, Cani Veronenſi primùm, deinde Maphæo, Paſſarinoque citra montium juga, nequam in ſe Fæſulanorum proterviam confertis irruere maniplis per ſcripta ſignificat, atque ut opem in tantis dubii fati caſibus benignè afferant ſtudioſus implorat. Ex bis Paſſarinus ocyor, eo quòd Mutinam detinens Lucani finibus ſoli conterminus aderat, periculum ſibi magnum imminere ratus, ſi Ugutionis vota deficerent, equites centum properè dimittit. Canis verò Paduanorum adhuc perfidiam veritus, in dies multos præſidium ſuum contrahens, poſt belli ruinam tardos armatorum cœtus lentè dirigit; ſed à Maphæo nullum tunc Piſanorum Duci ſuffragium fore dimiſſum accepimus. Etenim illi maximus metus, Regnique periculum ob Francorum turmas jam apud Vercellas ſub Philippo Caroli ſuè Regno nato deliteſcentes, inſtabat. Cui primogenitus Galeaz, Marcuſque adoleſcens acerrimus cum maximis virorum copiis occurrentes, denique Dux memoratus, dum ſpe ſua fruſtratum ſe noſceret, aſtu pollicitiſque magnis convictus ad ſua ſe retulit. Aretinorum favor in Ugutionis præſidium vires addit. Multi quoque nobiles è maritimis, Lunenſibuſque collibus, quos Imperialis ardor urebat, in Fæſulanorum cædem arma ſumſere. Nonnulli etiam Optimates hujuſce voti complices, quibus Florentia, Piſtorium, Senæ, ceteræque Guelphorum gentes exilium necemque ſpoponderant, maturè conveniunt. Jamque confertis utrinque copiis, Princeps Tarentinus exercitum ſuum contrahens, ſublatis utenſilium rerum ſarcinis, extra Fæſulas infelix egreditur, primùmque Fuſcechii clauſtra ſubiens VI. Idus Auguſti quietem ibi diebus ſex agens, turbas ſuas præſtolatus eſt. Nec tamen intra mœnia concluſi omnes; non enim locus ille tot millium capax virorum, brevi contractus ambitu, in agros exire turbas omnes compulit. Putata ſunt namque (ut ajunt) ſexaginta (*fortaſſe triginta, ut habent alii*) virorum millia Fæſulanorum votis obnoxia, tunc in Ugutionis necem conjuraſſe. Deinde ſumtis ægrè ſignis uſque in planum Cicinæ dies binos, totidemque noctes, deductis in ambitum caſtris, moratus eſt. Luce verò XV. Kal. Septembris memoratus Princeps in agris juxta Torrentem, à quo vallis Nebula nuncupatur, caſtra diſponit. Exiguus inde mille paſſuum ferme digreſſus obſeſſa procul mœnia dirimit. Tunc audere magis obſidio preſſi, acriùſque reſiſtere, nec pacem cum hoſtibus optare, fatorum ignari.

At contra vir probus Ugutio nihil formidare, hoſtes parvi pendere, ſecundis fatis inſiſtere: tanta etenim illi ſui roboris, fideliumque Germanorum ſuggerebat audere fiducia, ut victoriam ſemper mente conciperet. Nec deerant huic, quamquam numerus equitum paucior, amplæ ſatis vires ad prœlium. Ex Piſanis namque pretioque conductis ſupra quam ſeptuaginta (*viginti ſcribendum puto; ita enim ceteri alii*) peditum millia, equites verò ter mille, non plures habuit. Princeps autem ſecus Nebulæ fluentum inſidens, quatenus mœnibus obſeſſis incluſos ope reficiat, hoſteſve relidat, aut in fugam hos dedat, viribus totis enititur; ſicque

dies decem fruſtra niſus, votum nequaquam animi perficit. Ut ergo ſpe ſua ſe decipi videt, periculumque rebus inſtare, ſemitas omnes, obſtruſaque viarum pulpita, unde ad obſeſſos faciliùs eundum ſit, cura vigili percunctatus eſt. Sed cùm ingredi clam providi Ducis induſtriâ negaretur, palàm aciebus inſtructis, ferroque minaci per medios hoſtes tranſire deſtinat. Proinde ratus eſt ſuperiorem obſeſſi loci Vallem, quæ Cucenelli Sylva per incolas nuncupatur, maturis anticipare tyrunibus, ut inde tutiùs opem obſeſſis addere, hoſteſque reſidere valeat. Jamque ſarcinas, & ſupportabilia quæque pondera vehiculis onagrorumque clunibus imponi fecerat; nec minùs aulæa diſtenta, ſtativorumque ordines, & tormentorum genera quævis curribus credita deferri jubet. Hos tamen ſupportabilium rerum cœtus, ne hoſtium latrociniis incautè rapiantur, mercenariorum phalanges præibant; hiſque pro æquandis agrorum crepidinibus, qua tranſeundum directiùs erat, præcedentibus foſſorum ligonibus cura præmittitur. Poſt quæ primorum veſtigia, cùm diluculo ſurgens aurora rubeſceret, delectorum catervis juvenum circumdatur, in quibus & nepos ejus Carolus Principis natus, multique è Provincia magnæ benevolentiæ zelo conducti, aciebus inſtructis lentè procedunt. Hos autem Princeps memoratus, dum æger armis indui nollet, concomitantibus Fæſulanis, Senenſibuſque, ac reliquis, quibus capiundi major conſilii, quàm armatorum induſtria inerat, non multùm longè proſequitur. Circiter autem hos acies peditum ordine diſtributæ, modò citi, modò tardi, velut quemque celeritas tulit, pedetentim adeunt. Jamque locum in devexo vallis, unde modicus fere alveus caſtra dirimebat, perventum eſt cùm providus in agendis Ugutio iter hoſtium mente concipiens, ne locum anticipent, qua tranſeundum eſſe prævidit, obvias ſuorum copias maturè dimittit. Qui nec manus inſerentes cominus, paululum diſtantibus jaculorum minis procedentium greſſus impediunt. Nec procul multum Franciſcus Ugutionis natus, adoleſcens acer & ſtrenuus, ſequentibus illum contubernalibus Cæſaris memorati, exulibuſque Thuſciæ Gibellinis, quos ardens in hoſtes impetus accendebat, pleriſque etiam Piſanis, Lucanis, & Aretinis, quorum vocabula prorſus ignota nos latent, trans fluvium lentè procedens, aciem Petri Tempeſtæ ſolicitis curis examinat, ut ſi cautus in illum malè aciem ducentem irruere, aut improvisò negligentem poſſit opprimere, non temerè audeat. Denique cùm Ugutio nimium feſtinus ſuperiores mercenariorum foſſorumque alas imperi vellet, jam alteri nato ſuo Nerio rem ſactitandam obnixis lateri peditum catervis imponit. Viſumque illi tutius, ut alter natus pugnanti fronte prima germano vires adderet; ſed Franciſco medias hoſtium catervas, quibus robur immenſum, bellique fiducia inerat, prætentare utilius fuit. Cùm ergo brevis inter utraſque turmas, baliſtæ quantum jactus exhalat, acceſſus inſtaret, viſiſque cominus hoſtibus, Petrus Tempeſta officio boni Ducis uti vellet, ne quid per ignaviam ſiniſtrum accidat, quo ſublimis ferebatur, ſive illum calcaribus ſævis adactum furor animoſus, ſeu ſors ſiniſtri caſus impulerit, inter cornu primi frontem tumeſcentes equi clunes convertere nitebatur. At ſonipes contemtis furens habenis in obliquum versùs ſuos impetere viſus eſt. Hujuſce autem omnis haud ignarus Franciſcus, exemplo in hoſtes clamore ſublato acer excurrit; primoque primùm dimicans, continuò enſe nudato bellum inſerat.

Hic gravis exorta cominus pugna, hic cædes virorum crudeliſſima, in qua Duces primi utrinque occidunt. Franciſcus etenim galea ſpoliatus, inter confertiſſimas acies temporis ſaucii vulnus præſenſit; unde tanta cruoris effuſio manabat, ut viſu pariter, audituque careret. Admiratus ergo ſeorſum abſceſſit, paululumque reſpirans, conſumto vitali calore, non procul iſtinc telluri obrutus expiravit. Et jam Petrus vulneribus quinque foſſus, & in humum equo præraptus occiderat. Nonnulli etiam ex contubernalibus, delectiſque ſuis, quos ob tutelam ſui corporis prima fronte locaverat, tunc cæſi pereunt. Solus ex his Ubertus Caroli cuſtos, dum puberem adhuc in rei militaris diſciplina ex acie illæſum ſubtrahere niteretur, prœlium magnum ingreſſus gladio dimicat, in quem maxima Germanorum cohors confeſtim irruens, denique illum poſt multos gladiatorum ictus equo proſternunt. Tunc ſigna Regia in unum depreſſa telluri obruta ſunt; tunc ſpes omnis ſublata victoriæ Fæſulanos ceteros in fugam converti docet. Hinc Carolus viſo, quem diligens verebatur, Magiſtro humi recumbere, paucis concomitantibus abire feſtinat; ſed in hunc equitum, leviſque armaturæ peditum turba frequens irruit; ignatuſque quò fugiat, cavis agrorum limitibus iter impedientibus, facilè opprimitur, brevique Marte (proh dolor!) adoleſcens egregius fugiendo perimitur. Nec minùs Ugutio cum altero Franciſci germano jam primas mercenariorum foſſorumque alas vi fuderat. Confecto itaque prœlio ceteræ Principis copiæ in fugam abeunt. Ipſe quoque belli Dux, cùm nondum pugnæ initæ proximus, quid anceps fortuna ſibi paret, hæſitans occurriſſet, ſiniſtri ſati certior fugam arripuit, versùſque colles, quò ſors tulit, paucis ſequentibus equum angit. Tunc victoris manus ad cædem paratæ omnes ferro perimunt; nec libuit parcere, niſi pridem jugulis, cruoreque multo craſſatum fuerat. At victa cohors, poſitis ultro armis, auſugere tentat, donec violenter oppreſſa cæde multa, aut captivitati reſervata protrahitur. Trucior tamen exulum Fæſulanorum, hiſque complicum turba, quos partialis furor ad nefas impulerat; ſed ex his quidam unà cum Franciſco pugna defecere. Nec quidem, cùm cæſa ferme decem millium virorum cadavera inter agros Ugutio cerneret, pietate motus in hos lacrymas ſolvit; nati tamen funus oculis madidis deflens, dolorem ingemiſcendo depreſſit. Tanta etenim illum victoriæ jucundæ ambibat amœnitas, ut animi mœrorem facilè præteriret. Sævior utique, magiſque truculentus ad cædem viſus eſt, ſic putans nato gratas exequias ſolvere, ſi fuſo ſanguine ultionem exigeret, multaſque pro una vita effunderet. Tranſeamus igitur, quanta ſævitia, quantoque cruoris hauſtu victoriam ſibi paraverit; ex his tamen major pars ſpiculis, ſagittiſve læſa eminus, aut equorum pedibus attrita cecidit. Multi quoque dum fugæ remedio latebras peterent, ignari locorum in ulva quadam ſtagnantis aquæ ſubmerſi ſunt. Pauci denique capti, dum pæne mille numero ad uſque Piſas ſune arctati provehuntur: in quibus illuſtres hi, Ubertus Principis armiger . . . . de Lanzoſa Florentinus Tethrarca, Bertoldus de Sancto Miniato uterque Fæſulanæ militiæ Duces. Reliqui verò fuga correpti, hinc & hinc, velut quemque ſors tulit, in tuto ſe recipiunt. Captivi verò cenſu magno redemti poſt trimeſtre ſpatium Ugutionis tolerantia ad lares patrios redeunt.

Ma-

Magna igitur victoria functus Ugutio nati
corpus peremti, paucorumque Nobilium uſque
Piſas deferri jubet, ibique magnificè tumulari.
Ex hoſtium verò cæſorum acervis bina dumta-
xat illuſtrium cadavera, Petri ſcilicet, & Caro-
li, eo quòd iidem Regia ſtirpe progeniti, ſo-
lemnibus delata pompis inter Piſæ ſinus magni-
ficis tumulavit exequiis. Deinde conflatis ho-
ſtium rapinis, & in prædam adductis, victor
urbem gaudio exultantem, quam pridem guber-
nabat, maturè regreditur. At quis adductas Fæ-
ſulanorum ſarcinas, vaſaque ſplendida, aureos
ſcyphos, veſteſque pretioſas onagris ſuperpoſi-
tas, (ut arma linquamus) bellique tormenta
varia in pretium redigat? Difficillima quidem
B bujuſce æſtimatio prædæ: tanta etenim Thuſco-
rum ambitio, & petulantia fuit voluptati de-
ſerviens, ut ſecum tapetos aulæaque comta cum
paludamentis, & mollibus lectiſterniis, ac ſul-
cra depicta, ſuppellectilemque nobilem utenſi-
lium vehiculis, quaſi rus oblectandi causâ pete-
rent, multi protraxerint. Sed omnia in prædam
congeſta ſolis ceſſere petentibus. Ut ergo ru-
mor inter Fæſulas auditus increbuit, continuò
ululatus, vocumque ingens clamor, & manuum
verbera per vicos & pulpita, hæc patrem, aut
natum, altera virum, illa germanum deflet.
Nec mora: Urbs tota in luctum mœroremque
ceſſit. Ah quam lux illa Johanni Baptiſtæ ob
Decollationis tuæ memoriam ſacrata IV. Kalen-
C das Septembris XV. Anno Incarnati Verbi poſt
trecentos & mille, Fæſulano Populo infelix ad-
verſaque nimium viſa eſt! Quæ ut numquam
oblivionis lubricum ſentiat intra cordis penetra-
lia, velut ſacris conſuevit Annalibus, depicta
longum lateque morabitur. Nec minùs ſama ve-
lox id Roberto properè indicat, qui peremti fa-
tum germani, nepotiſque deflens, Principis
ignaviam deteſtatur, illumque è Fæſulanis ma-
turè ſedibus revocat. At victor Ugutio ſucceſ-
ſibus nimium ſecundis exultans, tumidus, aſper-
que nimis effectus, in odium Procerum Piſano-
rum mora brevi ſeceſſit; idque labes animi ſor-
dida, inexpletaque auri cupido, dum ſolus præ-
dam advectam, captivorumque pretium omni-
D no poſceret impudenter, effecit. Deteſtandum
etenim abhorrendumque nimis avaritiæ crimen
apud honeſtos graveſque viros, quæ omnem vi-
tæ noſtræ ſocietatem, nemini compatiens, tol-
lit, nec ſibi, nec alteri prodeſt. Hæc ſolos lo-
cupletes, atriaque Potentum inficit. Hos vecti-
galia, latrocinia, rapinæ delectant, nihilque
honeſtum, aut cum virtute agitur. Priuſquam
verò caſtris abſcederet, trux victor obſeſſis, ni
locum dedant, ſupplicia, mortemque minatur;
quibus ipſe omni diffiſis, quòd Patriæ fidem
juſjurandumque ſervaſſent, ignoſcendum fore
decrevit. Egreſſi itaque Oppidum victori tra-
dunt, & fiduciâ rerum exhibitâ ſponte abeunt.

E Poſt hæc Nerium cum ala decenti Lucam di-
mittens pro ſervandis accuratè mœnibus, illi
præficit, qui peremti loco germani ſuccedens
moderamen accepit. Ipſe autem Ugutio Piſas
adiens, qua pridem conſuevit, ſede præficitur,
cui ſecundis fatorum occurſibus, captivorum-
que pretio tumeſcenti, ſolis indulgere volupta-
tibus, commeſſationibus, & viſcerationum ap-
paratibus cura laborque primus. Epicureorum
acta ſequi maluit, libidineque potiùs & petu-
lantia uti, quàm parcè modeſteque degere, ſic-
que parſimoniam deteſtans, omnia prodigus ef-
fundebat. Sed idem, velut paulò ante depinxi-
mus, Optimatibus, Populoque nimiùm mole-
ſtus ob nefandas ejus exactiones, intolerabilem-

A que animoſi faſtus proterviam, ante perfectum
octies menſtruæ Lunæ ſpatium pulſus, Regno-
que privatus, ad Longobardorum ſtipendia egens
pervênit, cujus rei traditam nobis ab Auctore
non ficto, ſermone jam in ſeriem explicabimus.
Inter Lucanos Ugutioni Primates ob partialem
voti Cæſarei zelum gratos, laudabilis virtuto
morum ſtrenuus & prudens ex Interminellorum
proſapia Caſtruccius non obſcurè ortus gratiſſi-
mus habebatur; quem cùm eidem Præfectus
apud Luniceſes Pagos pro tutandis finium ſuo-
rum ingreſſibus præfeciſſet, Populos multos illi,
oppidaque montana ſubjecit. Denique tyranni-
dem in animo fingens, truciùs in hos ſævire in-
cipit, præſertim quibus nulla timoris ſuſpicio
B inerat. Accidit ergo, ut fatis ob levem delicti
cauſam agnatus illi, familiariſque multùm, in-
ter agreſtium manus, læſumque Plebis villicæ
agrum, gladiis trajectus occumberet; quam-
obrem furibundus, impetuque ſubito correptus
in iracundiam ad ſuſceptæ ultionem injuriæ ni-
miùm atrox, impiuſque prorupit. Paſſus eſt
ergo triginta ſexus utriuſque capita ſatellitum
ſuorum gladiis perimi: quod Ugutioni delatum
graves illi, quamquam amici nomen induceret,
ob imperii feritatem ultionis curas adjecit. Ve-
xatus denique ira, Nerio per ſcripta latentia ju-
bet, ut ſi Caſtruccium ad ſe venire continge-
ret, in tuto ſupprimat. Venit ille non diu mo-
ratus, putans Ugutionem verbis placatum cri-
C men hoc benevolentiæ gratiâ negligere, ſed
Lucanus Præſes Patris juſſa exequens, nihil ta-
lem veritum homicidam vinclis arctat, ipſum-
que ſolicitè ſervandum cuſtodiæ minax tradit;
deinde properè rem expeditam parenti indicat.
Ille cuſtodiendum fida cura, donec ſobriè quid
agendum ſtatuat ulteriùs, reſponſum dirigit.
Interea Piſanorum primi Ugutionis faſtum dete-
ſtati, dum illi nequaquam obſequi dignarentur,
ejicere prorſus de ſede, aut vi necare illum de-
ſtinant. Compoſitis igitur ad nefas patrandum
multorum impetibus, è quibus principes duo hi,
Facius & Nerius ex vetuſta Comitum propagi-
ne geniti, plerique alii etiam ex Optimatibus,
Populique grege, quàm primum his facultas
D adfuerit, in moleſtum ingratumque Præſidem
continuò ſævire conjurant. Et ecce nuntius à
Lucæ finibus Piſam afferens, Levirum Caſtruc-
cii quemdam cum maxima virorum cohorte pro
captivi redemtione Lucam impetere diſſerit:
quamobrem flammatus Ugutio properè merce-
nariorum manipulos pro nati tutela illorſum inci-
tat; ſed inanis rumor mendacem probavit Au-
ctorem. Sunt qui Caſtruccium Piſanis compli-
cem prædeſtinari facinoris conſcium putent;
nam pro ſe multos hortatu precibuſque apud
Præſidem innitentes habuit. Anxius Præſes ju-
ſtitiam pietatemve magis colat ſuſpenſis animi
judiciis hæſitat. Ignarus ergo futurorum, quo
levius agnatos captivi placet, remque benignus
E Plebe miteſcente componat, Lucam adit, ubi
res omnes, natique regimen ſobriè percuncta-
tus, qua liberrimè aptiùs è vinclis laxet ami-
cum, opportunitatem quærit. In dies verò fer-
me moratus, dum res nondum expedienda vi-
deretur, appropinquante Paraſcæve Feſto ſo-
lemnes ibi epulas celebraturus apparat. For-
taſſis, ut ajunt, captivum ſuis tunc donare pa-
raverat. At Piſanis aptiſſima perficiendi facino-
ris opportunitas viſa eſt. Corruptis ergo jam
cenſu pollicito mercenariorum agminibus, quæ
Ugutio pro ſervandis mœnibus accuratè dimi-
ſerat, Sabbato ante diem Feſtum, quo tacitis
diebus binis ob venerandam Dominicæ Paſſionis

memoriam, lætitiæ tinnitus erumpunt, forum invadunt, Populique ſigna pandentes libertatem clamitant. Ob quem claro vocum fragore tumultum, quidam ex Ugutionis contubernalibus, ſequente mercenariorum turba; obviam prodeunt; ſed vi repreſſi, fuſique non ſine cæde, cruoriſque hauſtu, unde abeunt. Victor ergo Populus, Plebſque lætabunda Patriam ſuam priſtinæ libertati redigunt. Quod ſimul ac Ugutioni vero indice patuit, bilem excitans, pro reparando ſibi moderamine accitis mercenariorum maniplis Piſam adire parat, ſed inſidias veritus, falliique metuens, binas tantùm alas illorſum emittit, quæ fruſtra, parumque nitentes, cum reſiſtere non daretur, Lucam redeunt. Triſtis ergo pro ſede relicta, rebuſque ſuis . . . . . . diſtributis, quid agat dubius ſecum volutat; hinc enim Piſanos jam moleſtos, inde nocuos Faſulanorum gladios veretur. Placuit denique, vitumque utile captivum dimitti; idque properè factitat, ſuadetque, quatenus beneficii memor in tanto rerum turbine ſibi adhærere non abneget. Ille prorſus ad ultionem intendens, jam tempus affore ſperatum gratulatur, verbiſque blandis grates referens, nequaquam illi metuendum deſpondet. Proinde abiens agnatos cognatorumque turbam ſecretò allicit, hortaturque, quatenus exoſum ſerumque è mœnibus ſuis Ugutionem depellant, & Guelphis dudum ejectis regimen jure debitum reſtituatur, recuſantemque perimi, ni ultro abſcedat, prorſus abjurat. Patent ovantes, opeſque & vires facto deſpondent.

Noctu igitur mœnia luſtrantes portarum aditus muniunt, gentibuſque fidis, & Populo muros fulciunt: quod Ugutioni mane facto relatum, ſe non ulteriùs regnaturum agnovit. Priuſquam igitur tumultus fieret, ſeque periculo formicoloſo exponeret, ad ſe Caſtruccium, Lucæque Primates allicit. Orant illi, quatenus ſui rerumque fiducia fretus ultro abeat. Qui properè ſarcinas ſuas onagris imponens, comitante nato, fidiſque clientibus Lucam deſerit, inde permeans Æmilios agros triduo perductus eſt. Denique Paſſarino Mantuæ Præfecto fugæ cauſam nuntians apud Mutinam, eo permittente, ſtationem accipit. Erat quippe tunc Bononienſibus Paſſarinus valde moleſtus, ut fida ſemper cuſtodia, curiſque ſolicitis Mutinam ſervans ſiniſtrum quicquam ſemper in ſato metueret. Paſſus ergo Ugutionem hic profugum ſiſtere, illum ſtipendia mereri conſtituit. En quàm inanis fallaxque Mundi potentia, quæ nec perpetuari, neque felicitatem poteſt humanis rebus addicere. Quanta fortunæ vis eſt, quæ nunc deprimit, nunc extollit: Etenim ille, qui tot quondam Populis viriſque ſuperbus imperabat, tot urbes oppidaque ditioni ſuæ regnando ſubjecerat, qui totiens bello victor triumphum duxerat, opulentus, potenſque nimiùm, nunc pulſus eſt egens, vixque ſenio confectus aliena quærere ſtipendia, quaſque totiens aſpernatus fuerat preces effundere cogitur. Sic enim humanis illudit dira ſors vicibus, ſic ſuperbos conterit, ſic rerum exitus mutat, & corrigit. Pulſo itaque Ugutione, Piſa Primatibus Populoque ſuo gubernanda, Lucæ verò civitas Caſtruccii memorati, eo quòd iiſdem ex Primoribus ſtrenuus magis verſutiorque ferebatur, tyrannidem pertulit.

Iiſdem pæne temporibus Cechus de Ordelaphis è Forlivio nobilis exul, dum captivi ſortem doleret, & germani ſui quibus illum è carcere liberet, curis anxiis premeretur, hocque moleſtiùs, quàm bonorum rapinas exiliumque ferret, amicorum fidem nactus, intra ſolicitus ſinus Patriæ ligneo vaſe conditus, quo vina reponi ſolent, temere adducendum bubulco vehiculum ducenti ſe credit. Qui ædem amici, villico ignorante, furtim ingreſſus, clamque ibi dies octo moratus, accerſitos ad ſe fideles & complices ad rebellionem incitat, utque Patriæ libertatem vendicent, nihilòmque Roberto pareant ulteriùs, precibus fidis hortatur; nec dubitare, metumve concipere ſuadet; omnia proſperè factitanda promittit. His tandem erecti, vires ad perficiendum ſuæ voluntatis arbitrium ſpondent: unde conflatis agreſtium copiis, Populique favore, facto tumultu, Cechus palam editus forum invadit, facileque copias Roberti è mœnibus vi repellit. Functus ergo victoria, qua pridem ſede potitus, Plebis voto præficitur. Hic Patriam excubiis metuque ſolicitam, quamquam hoſtium inſidiis circumventus, magnanima prudens ſervat induſtria, donec germanum, in ambitu Caſtri Cari juxta fines patrios duris compedibus vinctum, cenſu magno redimit. Nunc etiam pretio vendicatum, utpote qui maximis antea rebus, magnificè geſtis famam ſibi pepererat, priori ſede reſtaurat; ſed idem longo carceris pædore, animique deſidia læſus, morbo carptim venis ſerpente, priuſquam anni circulus perfecto ſpatio verſaretur, vita deficit. Quod non modicus fratri agnatiſque ſuis, tum inæſtimabili peremti hominis jactura, tum æris exhibiti pretio amiſſo, dolor fuit. Poſt cujus obitum Cechus idem Patriam ſervans, promtum ſatis Populi favorem ob illicitos Roberti quæſtus facilè comperit, urbemque illam in Romandiolæ viſceribus conditam viriliter occupat.

Eadem quoque tempeſtate dum Canem inter & Patavos nec dum rancore ſublato, Pax ficta, craſſantibus ad oeſas, quotiens fallere detur, animis putaretur utrinque, apud Tarviſium Religioſi viri, jejuniis bonorumque operum actione clariſſimi, ſtupenda res accidit. Iſte quidem, ut ajunt, Henricus nomine, de Vandalis ortum traheos, dum ſæpe Occiduas Eoaſque plagas, urbemque interdum ob venerandos Dei & Sanctorum cultus pro venia, ſuorumque criminum lavacro repetiſſet, denique patrias reverſurus ad ædes, per Tarviſii callem, unde iter directius, progredi deſtinat. Ubi modico languore compreſſus, priuſquam ordiatur acceſſum, juxta Cœnobium quondam Pauperum pro reparanda ſalute dies aliquot manſit; cui piorum manus obſequio miti, medicamentis utilibus, rerumque neceſſitudine promta ſuffragatæ ſunt. Sed non adeò facilè jam ſeneſcens mora brevi reficitur. Potitus ergo ſalute, dum magnus adhuc labor, longumque illi viæ ſpatium permeandi in Patriam ſedem inſtaret, quietem agere ibi maluit, quàm Orbem peregrè rurſus luſtrando reviſere. Notus itaque multis, quibus præcipuè major ſacræ Religionis ambitio, quoſque flagrans majeſtatis glutino caritas ſemper accendit, quatenus Deo pſallens precumque juſtorum contemplatione jugiter vacet, locum anguſtia brevi productum extra ſuburbanas ædes ſibi ſponte decernit. Qui denique vigiliis, corporiſque afflictionibus, & annis jam ætate ingraveſcentibus, poſt annos XV. ſuſcepti Eremi ſpiritum Deo commendans vita defecit. Tunc à mulierculis, quæ ei miniſtrabant, dum ſpiritum languens exhalaret, candidam ſuper eum columbam ter volaſſe, viſamque ab illo abſcedere, nuntiatum eſt. Hæc vox in plures elapſa, ſubitò ad vulgi credulas aures tranſiit.

Nec

Nec mora: totum fama urbis ambitum replet. Confeſtim ergo ad viſendum, pieque contemplandum Eremitæ cadaver Plebs Populuſque pariter adeunt; genibus quoque pronis adorantes velut Sacrum Numen, humi procidunt, utque venerabile magis appareat, accenſis circiter lampadibus, ceræque & thuris olphatibus luſtrant. Ipſe quoque Cleri Princeps, concomitantibus Myſterii Divini turbis, Cruce prævia, illorſum accedit. Qui verò cœci, claudi, aut quovis naturæ defectu membrorum vitio torquebantur, ut meritis hujus à Deo votivæ ſalutis dona percipiant, ſi pedibus ambulare nequibant piorum humeris ſubvecti, juxta verendum cadaver deponuntur; è quibus nonnulli torturis, doloreque magno affecti, diſtenſa virtute hujus membra, denique poſitis grabatulis, veluti vulgò editum eſt, retulere. Quidam humeris, lacertiſve, & manibus pridem læſi, poſito utiles morbo effecti ſunt. Sed ex cœcis paucos lumen adeptos vidiſſe Cœlum, famam dictare comperimus. His ergo ad tumultum, famæque ſtrepitum excitatis, ſubitus repentè ad finitimos rumor erupit, ac miratæ Venetorum turbæ, Padua, Vicentia, Forjulii oppida cuncta, & quæ trans Atheſim; Padumque gentes uſque ſub Apennino habitant, ad viſendum in terris Numen, cœtu magno conveniunt. Nec curribus, onagriſve ſufferendos ſe credunt, ſed pedibus nudis ſponte progreſſi; pectora reneſque flagello percutiunt. Jamque ne humo compoſitum ex corruptibili compage cadaver marcidis putrefactum membris oleat, utque ſacro venerabile magis loco ceteris prodeat, ligneo incluſum pheretro ad Cathedrale noctu Templum advehitur, ſurſumque in ſpecula eminens, ſtativis circiter poſitis, ne cominus ire liceat, ſpectabile omnibus patet. Sub cujus velamine pictis aulæis circumducto reſidentes infirmi, cœcique, & qui ſalutis optabile munus juſtis precibus expectabant, eminus verò paululum circumſtans Populi Plebiſque numerus infinitus, advenarum quoque turbæ maximæ conſiſtebant, ingemiſcentibus, clamitantibuſque ægris, Deo pallentes, taciteque preces, & vota fundentes, ſi quemquam morbo ſanari per gratiam intuerentur. In tanto igitur vulgi fremitu ſunt, qui Eremitam hunc Sanctorum Catalogo numerari dignum dicere auſi ſunt. Quamobrem depicta protinus hujus effigies in Templi veſtibulo, deinde per alias Templorum ædes adinſtar hujus viſenda cæmento conſeritur. Nec mora: omnis hanc capit angulus illius urbis, & ſemita; ſed haud effigie ſola contenti; etenim quam vivus Cratem vimine rigido contextam deſuper ſtratus ſomno fovebat, quoque renes & ilia flagello ſæpe pulſabat, quoque pectus caute tundens duro verbere impetebat, ſecus illam colore ficto depromunt. Et ne ejus ignota ſit imago, lateatve quempiam, hinc titulum, BEATUS HENRICUS. inſcribunt. Redeuntes in Patriam advenæ ſciſcitantibus, quidnam de Sancto illo viderint, majora fictis verbis, quàm fama dictitet, vidiſſe perjurant. Illam quoque, quam Tarviſii depictam memores concepere, pari modo in Templis patriis imaginem pingi jubent. Unde major hinc cæremoniarum thuriſque reverentia à ſupplice Populo fiebat. Eadem quoque lompedum tortura gravis, vitioque naturæ laborantium frequentia ad vicina permeaſſe loca, Patriamque noſtram, viſa eſt. Vidimus namque, audituque percepimus, multos dolore magno querentes læſa nimium crura, precibus anxiis inſtitiſſe, idque ſudor, & gemitus, ac tortura gravis fieri teſtabantur; nemo tamen voto potitus ſuo noſtris oculis conſpiciendus advénit. Hæc paulatim fama, quæ pridem ſubitò cœperat, jam finitimos, Italiamque omnem ab Apennino uſque ad litus Adriacum fremitu magno concuſſerat, evaneſcere incipit; nec longum quidem morata fidem amittit. Pauci admodum tantæ illum devotionis dignum fuiſſe prædicant, ut Sanctus vocitari meruerit. Sed hoc Deo. non humanis eliciendum judiciis prætermutimus. Tarviſium quoque, quod pridem funeri exequiiſque feralibus tumulato Eremitæ religioſè operam dedit, diſpari modò reverentia fideque Sanctum adhuc inter vulgus appellat. Hæc ſtupenda res omnibus, dum inviſibiliter dolore torqueri multos ſalutem optantes innotuit. Sed cur id, quove numine contigit, in ambigua diſceptatione vulgi reſumitur. Quidam reverendi precibus Eremitæ Deum primò permotum, ulteriùs votis obſequi dedignatum ob malorum perfidiam ſuſpicantur; nonnulli veneficio, arteque Dæmonum id perpetratum fuiſſe nefas adjurant. At quid vulgi procacibus mage verbis inſideat, poſtrema dictat opinio.

Tunc & Apoſtolica ſuo Duce carens, Clemente ſublato, Sedes quempiam bonorum actione operum in ſe præfici cupiebat; etenim biennio ferme neglecta deſtitui querebatur; nec magna res invidia, competitoribuſque multis carebat. Neapoleo quidem vir clariſſimæ indolis, & prudentiæ, Cardinalium ferè primus pro avunculo ſuo apud Burdigalas Præſule laborabat. Petrus verò Columnenſis ætate, officioque Confratrum celeberrimus, quid magis optet verſutis protegebat alloquiis; nondum enim qui Columnenſes inter & Urſinos dudum revixit, rancor abierat. Philippus quoque alterius Philippi natus, Francorum Rex, pro Antiſtite ſuo jugiter intercedens, hunc præfici niſus eſt. At prudentior, calliduſque multùm Robertus Apuliæ moderator, quem ſub Clemente Papa V. inter Cardines numerari, familiarem, Patrique domeſticum nimis, Jacobum de Cadurca, virum licèt aſpectu deformem Zachæi inſtar literis tamen divinis & humanis imbutum, pridem ſuaſerat, in Apoſtolica Sede conſtituendum prorſus ſobria mente decrevit. Sperabat utique ſic hoſtem ſuum, Regni Siculi detentorem, qui jam hoſtis Romanæ Eccleſiæ judicatus erat, poſſe detrudere. Subierat quoque huic altera verſutia tantæ opinionis, quatenus Piſanos exoſos, Longobardorumque Tyrannos, ſed Maphæum potiſſimè, clavibus ſacris elidat. His permotus affectibus ſecretis animi ſui votum huic literis indicat, utque perficere ſtudeat, per fas nefaſque ſupplex hortatur. Pollicitus quoque illi magnum auri pondo inter Cardines erogandum, ne fruſtratus precibus innitatur. Nec ſegnis quò Cardinalium cœtus pro conſtituendo ſibi Duce convenerat, Nuntium prudentia decoratum, ſcriptaque dirigit, ſed Neapoleoni primùm, cujus ſæpe fidem expertus, amicum fore compererat. Legatus itaque Regis nunc precibus, pollicitiſque magnis multorum judicia clam ſubvertit; nec priùs deſtitit Neapoleonis induſtria, quàm Domini ſui votum ſtudioſus inſtitor perficit.

Denique igitur cùm res tribus debenda potiſſimùm videretur, idque jam ſobrio mentis examine apud Cardines tunc Avinioni reſidentes dubia cunctatim libra penderet, invaleſcentibus Roberti fautoribus, plurimùm Jacobo votorum accedit. Reſtabat noviſſimum Petri judicium, ha-

hæſitans, cui potiùs obſequatur; non enim Neapoleonis avunculum præfici cupiebat, ſuadens nequaquam utile virum ex clara proſapia ſumendum eſſe, ſed ex Plebe, Populove ſaltem, cujus mitior animus, ſuorum faſtus majorum ſequi deſuetus, modeſtè placari ſciat. Itaque poſteaquam omnes ſui arbitrii votum ediſſeruere, qui dignior præelectus identidem vitæ modeſtia animique prudentia inter ceteros viſus eſt, hunc meritò Apoſtolicum decerni perſuadet. Conſeſtim ergo Jacobum memoratum, quamquam idem honeſtè repugnaſſet, Hymno Angelico jubilis vocum edito, Sacra jam Chlamyde circumdatum manenti vulgo Papam à ſe decretum oſtendunt. Qui benignè Sedem accipiens ſe Johannem XXII. nuncupari voluit. Iſte quidem, velut accepimus, ex Cadurca gente, patreque plebejo ortum trahens, dum pubes effectus in adoleſcentiam laberetur, avunculo duce qui tenui mercimonio lucris intentus aliena ſpe fora tentabat, Neapolim proficiſcitur, ubi Caroli Theatrum, locupletiſſimamque viris urbem, & omnium rerum copia luxuriantem aſpiciens, Patriæ ſuæ lares, inopiamque deteſtatur. Et jam Grammaticalibus, Dialecticiſve, priuſquam adoleſceret, documentis imbutus, ſuperioribus doceri Scientiarum dogmatibus peroptabat. Percunctaturus itaque, quo pauper Scholaris loco reſideat, ad quemdam Minorum Ordinis Sacerdotem aſpectu prælaturaque venerabilem fortè ſe contulit, cui Patriam ſuam, votique propoſitum ſecretò detegens, quid agat potiùs ſupplex conſultor opem expoſcit. Miſertus illi vir pius, utpote qui ſcientiæ virtutiſque doctrinis imbutus, propoſitum adoleſcentis miti perſuaſione collaudat ſperareque illum hortatur in Domino; nec ſe tardum ſallacemque illi conſulto, opeve miniſtrum deſpondet. Gaviſus valde, poſt biduum virum eumdem repetit, quidve benignus idem decreverit, ſtudioſè percunctatur. Ille adoleſcentis ingenium, morumque induſtriam admiratus, Minorum Regulam ingredi hunc verſutiis optat alloquiis; ſed honeſte repugnantem apud Regiæ diſciplinæ Magiſtrum inter natos Regis, quibus famulans obſequatur, ſi modò res voto ſuo cedat, deponere hunc totis viribus pollicetur. Effectum eſt ergo, ut Scholaris egenus poſt paucos dies, ſuadente caritatis Magiſtro apud Regiæ Magiſtrum ſobolis diſcipulus fieret; qui ſtudio Liberalium Artium multùm intentus, Sacros Canonicæ Scripturæ Codices contemplatus eſt; nec puduit Regis natos ab hoc auditas bis aut ter repetere lectiones. Tunc etenim placuit Carolo liberos ſuos ſcientiarum doctrinis erudiri: quod apud Orbis Principes, Gentiliumque mores numquam vel raro contingit; aſpernantur namque, qua totus micat Orbis, Literarum induſtriam, quibus non ſolùm Potentes, ſed ex Plebe ima progeniti, ſæpe in apices ſummos provehuntur. Dolis enim verſutiaque mentis delectati, ad hoc unum ut regno, rapiniſque, aut locupletum vectigalibus luxurientur, animo curaque etiam omni accenduntur. Hac Jacobus doctrina peritus, ad civilia quoque Legum Decreta docilis valde ſe confert; vixque panem habens, adeò ut & ipſe Doctor memoraretur, brevi tempore perficit. Proinde jam Cleri titulo inſignitus, Rege non moleſto, beneficia multa inter Eccleſiarum ordines capit. Idem quoque, licèt venuſtate deformis, non minùs prudens, quàm ingenioſus, inter dubios rerum anfractus inventus eſt. Quamobrem duce Magiſtro ſæpe inter ambiguas litium vices exercitatus, glorioſum tenui ſub ænigmate decus accepit; peragendaque Regis edicto apud ædiles, quæve trans Regnum apud viros illuſtres legatione dictanda, jam Regi notiſſimus expedit; factuſque Arcanorum interpres, Aulæ curas ac onus brevi tempore ſuſcipit. Pro quibus ad Francorum ſæpe Regem, Apoſtolicum ſæpiùs, Principeſque Orbis multos facundus Orator à Carolo Legatus acceſſit. Cùmque illum ob grata beneficiorum obſequia Rex idem ſublime provehi cuperet, ſub Boniſacio Papa Octavo ſoli Frigidienſis Antiſtitem decerni ſtudet; qua ſede potitus, non ideo Caroli Aulam deſerit; non enim hunc inter * Campaniæ fines locum cultu magno ſuperſtitioſus inhabitat. Erat quippe hujus litoris vapor infectus, nec ſalubris, utenſilium copia inops, & anguſta loci commoditas. Huc ſemel adductus quam citiùs rebus benignè diſpoſitis Neapolim repetit. Sed hæc inter fortunæ jucunda, Carolo vita privato, Robertus Regia ſede præficitur, cui Jacobus velut pridem in Aula Patria gratus obſequitur, ſicque quinquennio apud Neapolim peragenda quæque vir prudens ſobriè diſcurrit, donec Rex junior ob imminentem in Provincia metum, Regnique ſoliciti curas apud Lugdunum pro ſciſcitantibus famæ relatibus hunc accuratè dimittit. Qui jam admiſſo poſt obitum Bonifacii, Benedictive ad Apoſtolicam Sedem Clemente V. dum Avinionenſis Sedes Præſulis morte vacaret, ratus ſe haud difficiliter huic præfici, ſi modò Papa id Roberto gratum intelligat, literas, ut ajunt, Rege ignaro, proculque manente, in ſeriem conficit, haſque Regiâ impreſsâ Bullâ Papæ deſtinat. Unde Regis votum benignè perſi iens, hunc pridem loci Frigidienſis Epiſcopum, nunc Avinioni delectum Antiſtitem ſuperiori ſede decernit. Ignarus dudum Rex, cur inops Præſul tam ſublime provectus, quave Clementis patientia tam brevi mora ſurrexerit, urgente peragendorum neceſſitate ad Papam ſe confert; cùmque multis ſobriè diſcuſſis ſeria quædam ſub honeſto ritu protraheret Clemens Regi pro dilecto ſuo tunc Avinioni Epiſcopo preces admiſiſſe refert. Cujus verba admiratus Rex, dum Amici crimen temerè proditum mente revolveret, ſubricere maluit, quàm pudorem ejus manifeſtè detegere; & grates inde referens, aula citus abſcedit: quod honeſtè Jacobo increpans, non illum ulteriùs talia auſurum redarguit. Ad hæc ille Domini ſuâ fidem expertus, ſe ſic ulteriùs provehi poſſe, nimiùmque prodeſſe infit audacter. Quamobrem Clementi Rex illum avidiùs commendans, ad obſequia incitat. Is ergo Papæ non moleſtus, Avinione reſidens, ubi jam Curia tota manebat, litium controverſiarumque auditor aſſiduus, nunc Patronus, nunc Judex, definitorque juſtus examinat. Etenim, velut ante depinximus, valde Juris utriuſque peritus, in ambiguis cauſarum judiciis Orator bonus, & ingenio acutiſſimus, cunctorum opinione cenſetur. Ex quo Papam nunc orandi, nunc patrocinandi, aut capiundi ſæpiùs conſilii gratiâ præſentialiter adiens, gratiſſimus illi nimiùm, familiariſque factus eſt brevi tempore. Igitur emergentibus in ambiguum binis potiſſimùm cauſis, quæ ob earum difficiles exitus, judiciique pondus arduum totius ferè Cleri poſcebant examen, cùm Papa prudentum conſilio definiendas promulgandaſque has inter omnium auditus optaret, apud Viennam, quæ juxta Rhodanum ſedet, Concilium Generale conſtituit; ſed pridem huc Prælatos Eccleſiarum Paſtorali Baculo ciens intra diem præfixam convenire jubet. In hoc quidem conventu iis omnes præſertim inerant, quos, ut ajunt, Francorum

Rex

Rex Philippus odio potiùs quàm juſtitiæ zelo permotus Papæ ſuaſerat. Cupiebat namque Rex idem, nec dum placatus poſt Bonifacii Octavi necem, ab ſe ſtatutam juxta votum animi ultionem fatis meritam, ut ludibrio ſervata, flammis oſſa illius malè defuncti cremarentur. Alterum quoque Templariorum Ordinis Præceptorum crimen Idololatriæ nefandum juſto plectendum judicio reſtabat. Proinde Jacobus magnam ſcripturarum indaginem Papæ juſſu contemplans, quid magìs accommodum votis omnium, quidve juris opportunitati mage conveniat, in archivio mentis locat, coramque omnibus ad Synodum acceſſitis mirabiliter explicat. Cujus judicio Romanus Pontifex acquieſcens totuſque Templariorum Ordo deprimitur, & oſſa Bonifacii præter ludibrium intacta ſervantur. Dimiſſo itaque conventu, Papa Sedem, quam Avinioni fore decreverat, citus repetit, & ne Jacobo beneficiorum immemor fiat ingratus, utpote qui ex induſtria animi, miraque ſcientiarum profunditate, laborumque vigiliis bene meruerat, inter Cardinalium cœtus illum aſcribit; factuſque eſt ſecretorum conſcius, & capiundarum in ambiguis celeritatem abſque dolo conſultus. Sicque paulatim ad ſumma permeans, Clemente vita privato, velut depinximus, in Apoſtolorum Sede præficitur. Hocque ſexto decimo Verbi Incarnati Anno poſt trecentos & mille, nono Kalendas Septembris fuiſſe comperimus.

Hocce temporis lapſu dum Sedes Auguſta poſt obitum Henrici Septimi Duce careret, nimium que apud Germaniæ Principes pro ſtatuendo ſibi Rege mora deteſtabilis fieret, noviſſimè duobus res ferro dirimenda relinquitur, ex quibus potentia viriumque copiis tumentior Fridericus de Auſtria, avo, patreque Alberto in iracundiam vexatus, quaſi Regnum ex ſucceſſione majorum ſibi debitum prorſus exoptat; adverſuſque indole non obſcura præclarior Ludovicus Bavariæ Dux eadem Sede conſtitui ardens, trux competitor emicat. Multùmque ambobus agnati, cognatique, & fidei nexibus irretiti, ſtudio jugiter, quo ad voti deſiderium ſuppleant, totis viribus innituntur. Pro Auſtriæ nempe Duce Hunnorum Rex Philippus, & Karinthiæ Dux Henricus æquè favebant. Pro altero verò Bohemiæ Rex Johannes, & Aynaldi Comes vir clariſſimus haud impari ſolicitudine torquebantur; quiſque enim ſuum, quibus poterat, amicum laudibus extollebat. Denique apud Septem-viros, quibus decernendi Romanorum Ducem longis retro poteſtas eſt permiſſa temporibus, his definienda permittitur. Sed ex his quoſdam Fridericus, cùm perficere votum poſſe diffideret, auro pollicito, precibuſque corruperat; ſciebat namque ſe Ducibus Germanorumque Regnis ob Martis impetum ſæpe moleſtum fuiſſe, præterea Cæſares duo ex ſtirpe ſua memorans, quatuorque probos iiſdem parentibus ſtatres theſauris magnis adji ciens, trux nimiùm, aviduſque gloriæ, timeri, quàm diligi maluit. Cùm ergo Regis Auguſti decernendi facultate fungentes paribus voti judiciis conveniſſent, neutroque major vocum numerus favorem adderet, reſtabat ſeptimus Bohemiæ Regi aſſenſus, qui quotiens diſſides paribus ſex votis auctores invênit, Lege vetuſta, cui potius cadat, diſparitate vocum exigitur. His denique, ſive fatorum inſtinctu, ſeu mole criminum expiandorum urgente, nequaquam ſibi competentibus, Rex Bohemiæ neceſſariò poſcitur. Hic altera votorum diſparitas ex improviſo Regni certamine ſuſ itatur. Johannes nempe non ſe minùs Regem Bohemiæ, quàm juſtum Regni poſſeſſorem dote conjugis prædicans, Ludovico ceſſit. Henricus verò Tirolis Comes Johannis temeritatem increpans, eo quòd idem falsò ſe Regem efficeret, ſe (licèt Regno vi doliſque privatus careat) ut primogenitæ ſponſus olim Reginæ, verum poſſidere titulum jactans, Friderico ſororis ſuæ nato, quamquam alteri conſanguinitatis gradus proximior, blandus obſequitur. Proinde delectus uterque, neuter tamen alteri tumidus acquieſcit. Diſtinguendum fuerat petitorum judiciis, quis Bohemiæ Rex jure certior, ſi Ducis Auſtralis patientia toleraſſet; ſed tanta illum effrænis vehementia animi, tanta faſtus impetuoſi duxit inanitas, ut ſpretis æqui legibus, vi ferroque vincere, quàm pace mallet. Jamque ſe Cæſarem nuncupans, ſic apud omnes ditionis ſuæ Populos cenſeri jubet. At Ludovicus mitior definitam prudentum judicio litem expectans, nec dum Johannis aſſenſu fretus, ſe Regem vocitari paſſus eſt; mallebat namque juſtè, quàm violenter ſceptra corripere. Nec tamen illum metus, aut degener animi pavor oppreſſit; audebat nempe, ſi juſta fors illi faverit, commiſſum Imperii regimen prorſus aſſumere, idque viribus totis & gladio viriliter tueri, nec metu, minilve cedere. Quamobrem neutro alteri competiente, citatis in odium, animique rancorem Ducibus, res tanta duobus non ſine bello, virorumque ſtrage maxima, vacuis agris diſcutienda permanſit. De qua, quotiens ſucceſſivi temporis ordo dictabit, Deo ſalutis auctore propitio, in ſeriem redigemus: nunc ad alia *Longobardorum* facta pergamus.

Eodem Anno Ferrariæ civitas, quam poſt Venetorum ſtragem, ærumnaſque, Romanæ Paſtor Eccleſiæ ſibi victor aſciverat, dum eadem poſt Dalmaſii nequam diſceſſum Reſtauro viro impiiſſimo gubernanda ceſſiſſet, rurſum Marchionibus Eſtenſibus vendicata in antiquam probatamque dominationem iterum recidit. Hanc enim Reſtaurus quidam nomine ex Catelanorum gentibus à Roberto dimiſſus, idiomatis ſui copiis ducentorum ferme capitum ſuffragantibus, biennio, menſibuſque ſeptem trux moderator oppreſſerat. Cujus impatiens vulgi furor, duce Rainaldo de Boccampanibus, viro in Populo ſatis egregio, cum pleriſque complicibus, libertatem prorſus ſumere deſtinat. Habito igitur clam apud Rhodigium colloquio cum Rainaldo, & Opizzone Aldevrandini natis, qui Concivibus Patavis non moleſti, juxta memorati loci Padum deliteſcentes in ſpem verſabantur, & ſtatuto die præfixo tumultus excitandi, auxiliares his copias pollicentur. Nec mora: ſubitus vocum fremitus arma clamitans pro dirimenda duorum, qui medio foro bellum acre moverant, pugna, illorſum excurritur. Rainaldus quoque jam armis obtectus, ſequentibus illum Vulgi, Populique turbis, audax proſilit, in quem Reſtaurus, ſuique mercede conducti, viriliter irruens, facilè repulſus ædem repetit, quam Plebis numquam placatura rabies ſubito curſu impetens, ceteros, qui æde latebant, gladiis trucidat. Ipſe verò moderator cum paucis turrim vaſtam, quæ foro imminebat, tutus aſcendit, quem cùm pilis miſſilibuſque tutantem ſe lædere cominus non daretur, conſtructis properè tabularum umbonibus, cratiumque tegminibus tenus adeunt, exciſamque bipennibus & ferro murorum ſtruem funditus eruunt; ſub cujus lapſu Dux ipſe cum ceteris præceps obteritur, tandemque fragmentorum medio repertus, fruſtratim cæſus canum morſibus dilacerandus per vicos & pulpita circumfertur. Reliqui verò contubernalium chori in mediis viarum

rum anfractibus, aut ædium ſuarum latebris trucidantur. Nec furor impius ætati, ſexuique promotus ulli parcit; ſed eodem omnes à Plebe comprehenſi interitu occidunt. Pauci verò per fugam, aut latebras evaſere. Hæc digna nempe ultio impiorum, hæc cædes Tyrannorum, quibus nihil rectum, nihil cum virtute bonum efficitur; quibus miſerorum anguſtiæ, laborque ſummo voluptas eſt, non ut donent, ſed ut rapiant. His vectigalia, locupletumque proſcriptiones, piorum exilia; continuaque æris exactio ſemper placet. Sic enim Dei judicio ſemen eorum peribit, & velut olera herbarum citò defluet. Jamque ad Opizzonem, Rainaldumque deſtinatus, quæ dicta geſtavê, Nuntius celeri curſu retulerat; qui properè Amicorum ſuffulti præſidiis, Ferrariam celeriter adeunt, ubi occurrente Populo comiter ſuſcepti, vires amicas, Civiumque bonorum more præſidium pollicentur, deinde Patriæ moderamen adepti, mitius quam credibile fieret jugum imponunt, donec mercenariorum ſuffraganeas vires adepti patrios ab olim faſtus accipiunt.

In hoc pæne rerum procinctu Canis Veronæ Præfectus, Brixienſium intrinſecorum perfidiam nimis exoſus, Gibellinis ejectis, eo quòd pari voto flagraret, ad depopulandos illorum agros ædeſque ruſticanas exercitum contrahit; primùmque ad uſque urbem inviſam, ſuffragantibus illi memoratis Exulibus, acer excurrit, ubi caſtra diſponens, protumpentibus ſæpe turbis, in terras aggetum limites bellum movet, in quo peremtis, ſauciiſve multis, reliqui metu compreſſi intra vallos latebras petunt. Ut igitur hujuſce urbis introitu potiri nequit, expilatis agrorum omnium ædiumque tectis igne ferrove, denique apud Lonadi Pagum alas reducens ſtationem accipit, Oppidumque Colli modico imminens expugnare prorſus, ſibique vendicare diſponit. Accerſitis itaque peditum mille è Verona, Vicentiaque maniplis; advectiſque machinis, & omni tormentorum genere mœnia hæc muris valloque circumdata viriliter impetit. Quamobrem ita flammatus locum ſuperare prorſus, nec inde abſcedere, priuſquam vendicarit, mente concipit; & jam Ugutionem de Fagiola, quem apud Paſſarinum militare prædiximus, ſecum pollicitis magnis adſciverat. Dum ergo in caſtris pæne ſordeſceret, putans ſic convictum ſtatione longa locum vi doliſque capere, plerique concivium è Plebe media libertatem Patriæ anhelantes, auſu temerario ignavè perducti, adversùs Canem cum Patavis fœdus ineunt, ſuffraganeaſque ab illis vires implurant. Quibus Macaruffus vir famæ cupidus, utque Cani moleſtus magìs noceat, faventibus exulum Vicentinorum turbis, animos ſuggerit. Horum conſcius. Auctorque primus, ut ajunt, Nicola Vicentinus, Albertus de Yzza vir æque popularis, & prudens, qui non magis creditæ ſibi pecuniæ, quàm libertatis zelo productus, hocce nefas aggreditur. Hunc plerique Plebis mediæ orti collegæ, ſociive gravibus æris exacti rapinis, intolerabilique Patriæ jactura compulſi, temerè adeunt; quibus ille ſpem, magnaque rerum præmia ſpondens, ad perficiendum prorſus animi propoſitum erigit. Deinde Macaruffo, Primoribuſque Vicentinorum exulibus rem modumque in ſeriem explicans, audere perſuadet; qui hoſtem elidere avidi multa factiſcere pollicentur. Igitur per ſuburbanum Baricæ callem, unde liberior in Patriam aditus competere viſus eſt, iter ſumere deſtinant; ſed hoc pridem benignitate cuſtodis, qui clauſtra ſervabat, nanciſcendum fore decernunt. Adit ergo blandis illum ſermonibus, primùmque de Patriæ ſtatu, quid optet, Albertus ſtudioſè percunctatur. Ad hæc perfidus ille quid petat inquirit; alter rem aperit, & mercede multa illum in ſpe donat. Ad hæc verſutus fallaxque deliberandi ſpatium petit. Iſque animo volvens poſt multa tamdem animi judicia Bailardino apud Vicentiam pro Cane Præfecto ſermones hos prodit. Hic rem ſub arcano taciturnitatis ſigillo cuſtodiri jubens, exhortari facinus, cunctaque gratis factitanda, ſed edenda priùs illi cautè, permittit; exinde Cani nefando, literis auſus ſecretis aperit, quidve ſtatuerit, utileque magìs fidus leviruṁ edocet. Gavitus ille, ſuos hoſtes poſſe relidere, Bailardino perficiendi curam facinoris linquit; quorum ignarus Albertus, dum perfidus illi Cuſtos, Mutius de Germanis nuncupatus, benignè polliceretur obſequium, laudaretque auſus tanti propoſitum, ſecretò Patavium adit, refertque omnia ad nutum parata, ſed celeritate opus eſſe. Cùm ergo futurorum ignari exules dolos metuerent, fidem Cuſtodis datis obſidibus petunt. Reverſus ille hoc ſociis pandit, viroque perfido; nec ob id imperfecta res linquitur; paſſus eſt nempe Mutius idem hortatu Bailardini primogenitum ſuum apud urbem Antenoris pro fide ſervanda deponere. Idem Albertus, complicumque multis datis pignoribus faciunt. O virum nequam, perfidiaque ſumma deteſtabilem! qui ut Tyranno complaceat, ſceluſque perficiat, natum proprium paterni oblitus amoris apud incognitos Paduanorum Proceres credere patitur. Proinde datis obſidibus, præfixaque luce, qua in Vicentinos aggeres migrandum fuerat, proditor ſecretorum Mutius, pollicitæque per jusjurandum fidei violator, cetera Bailardino refert. Ille verò Cani nuntium dirigens, rem ordine differit.

Interea Macaruffus, Vicentinique exules, quorum primus Henricus de Malcapellis, Bonmaſſarius à Colle, Guzonus Hantozzus, plerique alii adoleſcentes egregii rem factitandam prorſus accuratè decernunt; utque perfectiùs votis potiri propoſitum capiant, Vinciguerram Sanctì Bonifacii Comitem, Piſcareſiumque Viros Illuſtres è Verona quondam ſub Alberto de la Scala proſcriptione longa damnatos, precibus fidis alliciunt. Qui hoſtem capitalem nimium peroſi, vires his auxiliares pollicentur. Cumque bis è Ferraria, Mantua, Cremonave, aliiſque Lombardiæ, Romandiolæ, Thuſciæve Regnis, quos Paduani ſtipendiorum mercede conduxerant, turba Procerum multa confluxit. Sed hoc quidem facinus non omnes latuit; nam Carrarienſes in Macaruffi præcipitium partialis rancoris odio, parique controverſia Regni æquè flagrantes, ut noceant, gratos in Canem conatus approbant, hiſque complices diſſimulato rancore ſe dedunt. At omnia Cani, Macaruffo ignorante, ſignificant. Cùm ergo lux infelix præfixo tenus ſpatio proxima fieret, Canis haud horum inſcius, docente Præſide memorato, exercitum ſuum contrahens, Veronam citus repetit. Inde confeſtim abſcedens ſequente luce uſque in Vicentinos agros denique pervênit. Hic Ugutione relicto, ſequentes in globum alas contrahi, eoque manſuras, dunec acciri jubebit, cautus imperat: ipſe intra mœnia vix ulli cognitus inde ſe recipit, & apud Bailardinum vigilans, quid potiùs agendum conſulit. Ferendum nempe, hoſtes primùm admitti valvis apertis, nihilſque ſilentis nocte clamorem ſtrepitumque movendum, ne facinoris conſcii patefactum ſcelus rati, per fugam,

gam, aut latebras rem impediant. Utilius quidem hoc ſore collaudant, ſicque ſervandum uſque in auroram diſſerunt. Infauſti verò exulum Vicentinorum, Veronenſiumque manipli, conflatis ſecum turbis equitum ferme centum, peditum verò ducentorum, hortatu Macaruffi, Procerumque multorum versùs oppidum Montisſilicis, profecturi Ferrariam (ſic enim ficta dictitabat fama) iter aſſumunt, quos, ut ajunt, Nicolaüs de Carraria Ubertini natus ſuffraganeis quinquaginta peditum choris extra patrios aggeres mille paſſuum quater numero comitatus eſt. Inde hortatibus hos, fidiſque viribus ad iter impellens, ſe à tergo non procul ſecuturum pollicetur. Ignari igitur exules, quid hic cum Cane moliatur, propoſitum iter expediunt, & Aponum directo calle petentes, in Aquilonem ſigna convertunt. Tenebris jam noctis inſtantibus trans Celvareſii Pagum vadentes, denique Pontem, qui Cuſtodiæ Rus lapſu modici fluentis è plano dirimit, occupatum jam præmiſſis clientibus facilè ſuperant; deinde Vicentiam calle directo ſiniſtris greſſibus petunt. Ut igitur apud Bericanum, quod inter collem, & fluvium arcto ſatis calle ſuburbium jacet, infauſtis agminibus ventum eſt, perfidus obviam Mutius per clauſtra, quæ ſervabat, exiens, jam intra mœnia cohortibus irrependum ſore vir ſceleſtus hortatur; hiſque obice moto patentes aditus tradit. Futurorum autem ignari, credenteſque ſalli non poſſe, inter prima ſuburbii mœnia ſe recipiunt; & quidam ex armaturæ levis peditibus urbis murum, unde labentem exteriùs amnem deſpicit, temerè occupat. Erat quippe vetuſtis olim fundatus à Patribus, propugnaculis nullis in coronam adductis, paulùm altior tellure contigua, unde iſtinc commodiùs in urbem progredi poſſe viſum eſt. Sunt qui multos ex illis inter mœnia hinc prorupiſſe ſiniſtris fatis adjudicent. Equeſtris autem phalanx ad valvæ aditum tenſis pilis objectum introitum operiebatur; ſed ſpe votiſque fruſtra accerſitis à Cane ſuorum maniplis brevi mora repellitur. Hic nempe, ut hoſtes præſto adfore ſenſit, recluſa urbis antica, contubernalium turbas emittit, qui eùm in adverſam viriliter aciem gladiis irruere feſtinarent, improviſis lancearum ictibus levis armaturæ peditum ſubitò reprimuntur; quos ſimul ac vir probus Ugutio paventes aſpexit, equo nequaquam miſertus, duces hoſtium primus aggreditur; poſt quem Canis ipſe, Collateraliumque pars maxima. Hic acre bellum utrimque cœptum exoritur, ſed paulò inſtaos citò dirimitur; lancearii namque impetu equorum obruti facilè cedunt. Equites verò copias extra urbem maximas plus quàm rati fuerant in ſe confluere videntes, mente proditos ſe eſſe concipiunt. Nec mora: ægrè luctantibus animi pariter gladiique laxantur; ſed nondum fugæ locus aptior. Dum ergo repreſſi facilè ex anguſto viæ tramite in latiorem ſuburbii partem dimicando appuliſſent, divulſo agmine vulnera, cædeſque tunc ſentiunt; paululum itaque reſiſtentes bello cedunt. Hinc multis gladio peremtis, fauciiſque, qui poſtremò aciem ſequebantur, verſis habenis eò, unde venerant, fugam intentant. Qui verò primæ frontis cornu locati fuerant, vi gladiiſque proſtrati, in ædes vicinas aufugiunt, & latebras poſcentes, nunc humilibus lectiſterniis, nunc ſordidis cubilibus (tanta mortis formido ineſt) deliteſcere patiuntur.

At Canis furens victoriæ ſitibundus fugientes inſequitur, in quo fugæ lapſu multos peremit. Guzonus quidem Nantoi à Patria, vir obſcurè natus, in ipſo ſuburbani aggeris exitu vulneribus multis ſaucius cœno obrutus manſit. Zambonettus quoque ex Martino Cane Patavii editus, pugnando clava gravi mactatus occubuit. Extra verò non procul plerique cæſi, inter quos agnitus . . . . . de Perialtis vir æquè Popularis, ac ſtrenuus, Marcabrunus quoque de Theupolo, juvenis animoſus, & acer, pluribus circumventus occiditur. Nec fugæ modus; nam ad uſque Paduanos (tanta illi inerat victoriæ cupido) delatus agros Canis, Piſcareſium ſuæ matris agnatum denique occupat, captivumque trahit. Et jam cruoris avidi, ſpoliiſque intenti mercenariorum chori, è tectis ſuburbanis ad fluvii tranſitum properantes miſeros, in numerum prædamque cenſebant. Cùm Canis à fuga cædeque revertens, hos cetoroſque fune arctatos intra mœnia duci jubebat; unde cupidi juſſa facbiſcentes, omnia ſingulatim tecta ſcrutantur, multoſque latebris abditos palàm attrahunt, quos inter Vinciguerra Sancti Bonifacii Comes Illuſtris, primùm ignotus plebeis inſuitur. Quàm primùm ergo prodente miniſtro agitur, ad Canem hilari tractu coram advehitur; ſed lethali vulnere tali, ubi tibiam ſecat, modicè læſus, poſt dies viginti morbo inſanabili defunctus occubuit. Ex Vicentinorum autem exulum multi in captionem adacti comprehenduntur, quorum primi memorabileſque Guionus memoratus, Riprandus de Marano, Conſtantius Pagani, Albertus de Colzade, Antonius Melioris, Hippocratis Galenive doctrina perfectus, plerique alii Nobiles, Plebejique; nam multi quidem fluvio innitentes mediis in aquis obruti natando deficiunt. Ex profugis verò Henricus de Malcapellis trans fluvium equo forti ſubvectus, ſuffragante illi, ut ajunt, ruricolæ voti miniſterio, denique ad Patavos relatus evaſit. Bonmaſſarius autem in medio fluminis impetu lapſus ſuffocatur; nec tamen hujus cadaver inventum; ſed ſic numquam poſt hac viſus, defeciſſe putatus eſt. Qui verò intra mœnia facinus tantum aggreſſi, prodente Mutio, arma ſumſerant, paucis inter confertiſſimos mercenariorum, Plebiſque globos egreſſis, miniſtro indice, occupantur, & in carcerem detruſi ſuppliciis, pœnæque ſervantur. Ceteri per fugam ſecuri, rebus Patriaque privati, perpetuo damnantur exilio. Ut igitur Canis victoria potitus, multum exultans hoſte in imum præcipite, optabilibus deſiderii ſui votis agnovit ſe functum, in Patavos culpæ crimen adjicit; marcarum argenti millium viginti pro pœna violati fœderis apud Venetos fidei promiſſæ cuſtodes querelam exponit, poſtulatque, quatenus Pacis tranſgreſſor, eo quòd in ſe maniplos injuſtè dimiſerit, dignè mulctetur. Ad hæc Patavi nequaquam ſe, facinoris complices, fœdera violaſſe abnegant; quinimo Canem Euganeos invaſiſſe agros hoſtiliter; rapiniſque multa in prædam queruntur attraxiſſe. Unde in controverſiam res adducta ſobrio diſcutienda judicio vix ſopita relinquitur. Denique Canis captivis exulibus Veronam dimiſſis, Piſcareſioque cum nato illiciti thori apud Vicentiam vinculis arctato, reliquos proditi ſceleris principes duos & quinquaginta diris ſuppliciis affectos, laqueis colla frangentibus, vento denique pendidit. Albertus quidem memoratus, eo quòd facinoris princeps, ſupplicium primus tulit; poſt quem Bartholomæus à Digito juvenis vafer, Antoniuſque Salvaginatus, Andreas de Liazario vir ex equeſtri Ordine, Benevenutus Bellini, Bonaventura Ravagnani, duoque alii ex plebe humili pari ſupplicio à Cane plectuntur. Hi nempe, ut ajunt, Pa-

Patriæ libertatem optantes, ludibrium mortiſque pœnam forti animo perpeſſi ſunt. Qui verò rem ſcelestus male prodidit, à Cane donatus, & ex inope factus eſt locuples, odioſus tamen omnibus ac deteſtabilis, ut & ipſi caſtra ſequentes ipſum abominarentur. Hæc nefandorum merces, & Tyrannorum præmia, quæ ſolis impiis, & in nefas craſſantibus, avide bonorum exitium clademque urgentibus debentur. Ex hoc metu ſolicita urbs nimiùm, pavidique omnes ſuorum Concivium proſcriptiones exiliaque penſantes, in ruinam ſtragemque trahi cuncta ſuſpicantur; ſed miteſcens Canis feritate depoſita multorum ignaviæ, temeritatique pepercit. Lux illa Pentecoſtes XI. Kalendas Junii memorabilis, longum Patriæ noſtræ conſcribenda Annalibus, exules Vicentinos irreparabili jactura delevit. Tunc Canis Ugutionem, ut Patavis verendus metum addat, ne ulteriùs in ſe malè conjurent, amoto Bailardino, Prætorem deſignat, illique moderamen apud Vicentiam & ſceptra permittit.

Proinde minas in Patavos, quibus elidat, doloſ vimque parat. Etenim jam bis à ſe fuſos nihil aut parum veretur; præterea ſciens odium, quo Carrarienſis proſapia, Macaruſſuſve quadam paris intolerantia vexabantur, unde magnus in Plebe tumultus fiebat, faciliùs ſpem trahit. Oderat nempe vulgus Macaruſſum, ideo quòd violati fœderis auctor in Canem exules tranſmiſiſſet, contraque Carrarienſium verſutia nequaquam hujus conſcia videretur, dunec conſummato cum Machone fœdere occupandi Montis-ſilicis Pagi vir impetuoſus conjurat. Hinc, ſive ficta, ſeu certum teſtata, Nicolaum Ubertini natum cum Cane fœdus iniiſſe fama dictabat. Tum Canis lædere avidus, Machonem quemdam nomine pollicitis magnis ad ſe allicit, poſcitque, quatenus memoratum oppidum ſibi tradat, qui poſteaquam hoc Carrarienſibus moleſtum nequaquam fieri ratus eſt, rem perfici facile ſpondet. Et jam Veronæ Præfectus Henricus Goritiæ Comitem ſatis ſtrenuum ad ſe per Belluni, Feltrive colles, Tridentinaque juga cum armatorum ala ducentorum voto potiturus aſciverat, quibus Guczelo de Camino Rizardi germanus tranſitum præbens ſe complicem tanti conaminis exhibet. Conflatis igitur apud Veronam copiis, cùm lux perficiendi facinoris tamdem inſtaret, exiens Canis, ſequentibus à tergo maniplis Leonicum invadit: inde Aureliani Barbaramque colles citra exſuperans, jam inter Vicentinos adductus, denique Moxani Pontem, qui trans Bachilionis, Retroniſque alveum, tabulis ſuppoſitis hinc inde non procul Paduæ fines arcebat, feſtinus applicat. Ubi Ugutionem Vicentiæ Præfectum paululum moratus operiens, equitum peditumque turbis poſt ſe vocatis, in ulteriorem ripam ſub Occiduo Phœbo pertranſit, quem ceterorum phalanges, ſeu contubernalium, mercenariorumque turmæ mox ſecutæ ſunt. Hinc colles Patavinos aggreſſus Duce prævio ſilenti nocte ruralium ædes procul meat, ne fortè canum latratus, aut quiſpiam ſubtractis armentis querens Paduanis adveniſſe hoſtes connuntiet. Nec frigus intenſum, glacieſve gelu concreta properantem retinuit, donec Tituli, Carbonariæque, ac nobilem Arquadæ ſitum præteriens, apud Montis-ſilicis planum in auroræ ſurgentis ortu citus deſcendit, cui prævius nuntiis jam doctus obviam Machonus prodiens incuſtoditum loci aditum facilè tradit. Conflatis ergo in globum maniplis, hunc Canis viriliter occupat, primoſque curſores, deinde opem allaturas præſto turbas immittit. Ipſe verò cominus ſequens ſigna, denſaſque catervas ſecum attrahit, locumque, petentibus incolis, nihilùmque reſiſtentibus copiis, victor adverſante nullo ſibi vendicat. Hoc ad Patavos celeri nuntio delatum, priuſquam Sol Cœlo rubeſceret, magnum his dolorem pariterque metum addit. Ut ergo vix pridem creditur, mox paulatim crebreſcens rumor invaluit, accerſitis in Senatum Decurionibus, Populique Magiſtratibus, confeſtim quid magis in tantis expediat, dubii conſultant. Prætor omnes ſolicitæ urbis aditus cuſtodiri jubet, imminentibuſque providendum periculis, ne quid per ignaviam ſiniſtrum accidat, vir bonus cenſet; nuncque amicorum ſuffragia expetenda eſſe commemorat. Paretur huic; undeque viſum, ſub armis Populum frementem, delectis paucorum turbis, quibus ſervandæ Patriæ cura major inſit, foro receder, ne fortè in tumultum furiis vexatus quiſquam malè deſipiat. In his autem ſobriè peragendis Macaruſſus obſequio jugi frequens, quo pridem fretus, benignum vulgi favorem nanciſcitur; exiit namque vox in Plebem, hocce dedecus, illatamque a Cane moleſtiam negligentiâ Jacobi de Carraria, cui locus ille ſervandus vulgi cenſura parebat, quàm alio repentino caſu, infeliciter contigiſſe: unde non leve murmur fiebat in Populo, ſed ob metum, ejuſque potentiam ſævire deſitum eſt.

Interea Canis votis jucundis oppidanos, qui mœnia colli ſummo fundata Patriæ decreto ſervabant, nunc precibus, nunc minis excutiens, denuo poſt lucem quintam patientibus his locum accipit. Nec mora: conflatis in aciem maniplis ad Eſtem Coloniam nobilem brevi ſpatio tendit; ſed priuſquam illorſum accederet, vallum incolæ ſemirutum, machinaſque feſtini reficiunt, & hoſtem capitalem jaculis, milliliumque tormentis repellere deſtinant. Ut igitur Canis eò impetuoſus applicuit, cœpta utrinque eſt pugna, unde paratior locus ingreſſui viſus eſt, & protracto pene in ſextam diei horam bello, ſaucioque Cane ſagitta levi, crus ubi pedem annectit, retro acies cedere jubentur. At qui ex mercenariis ſecus collem, ubi nulla ſtagnantis aquæ tuitio aderat, ſuperato aggeris munimine violenter introeunt, protinus clamore ſublato viciſſe teſtantur, ſocioſque plauſu magno cientes, ingredi properè ſuadent. Ut igitur quinquaginta circiter introitu potiti ſunt, ſcalas vexillum ſurſum oſtendunt; & in globum adacti, in tutantes adhuc vallum indigenas laxis habenis excurrunt. Perculſi ergo metu coloni facilè aggerem linquentes, hinc inde deſugiunt, & natos dulces, ſoloſque penatum comites ſecum advehentes, in Poliſinum litus, expoſitis jam ad fugam ratibus ſe recipiunt. Nonnulli tamen equis ſubvecti Montagnanæ Pagum feſtino curſu petiere. Nec mora: ceteræ utriuſque ſexus turbæ, relictis patrii ſoli tectis, & ſuppellectile numeroſa, cum lacrymis, gemituque abeunt. Ceterùm Canis phalanges intro ſævientes, loci pridem aditum occupant, ſtratoque in ulteriorem Ponte ripam ſocios hortatibus fidis alliciunt. Proinde nullo adverſante forum invadunt, & hoſtibus procul addictis, ædes tectaque cuſtode nullo ſervata inveniunt, ubi vina optima. Cereremque, & vaſa pretioſa, ac ſuppellectilem multifariam ornatui ac voluptatibus aptam redundare gaviſi ſunt. Nec dum Patavis bello in quinquennium protracto tanta rerum jactura, tantuſve ſiniſter pudor victoriæ contigit. At ne ſegnior Canis fruſtra ſecundos caſus acciverit,

pro-

protinus Legatos ſuos uſque fertilem Montagnanæ Pagum dimittit, & ni locum properè tradant, bellum atrox minitatur. Oppidani ergo Rus colentes jam Eſtenſium gravi ſorte perculſi, regimen ultro, locique mœnia Cani ſponte dedunt, ad quæ tenaciter occupanda Bailardinum illò properè deſtinat, qui blandis omnia ſermonibus anticipans pro Cane divitem Montagnanæ Coloniam ſuſcipit. Hæc poſtquam à Cane tam viriliter acta ſunt, rurſus ad caſtra prima exercitum omnem contrahit; ſed cùm aliquot rapinis intentos apud Eſtenſia tecta cerneret, arduumque ...... ſecedere, omnia protinus flammis abſumi jubet. Confeſtim ergo miniſtri juſſa Domini ſactiſcentes ignem tectis imponunt. Nec mora: invaleſcens flamma ſubitò ædes amplexa expilat. Conſumitur igitur Colonia nobilis trium millium hominum ferme capax, quæ ad urbis inſtar viros hinc geſtibus, elegantiaque morum decoros, hinc quæſtui, victualiumque ſtudio aptos, aut agris rupibuſque aſſiduo cultu deditos peperit. Deinde Canis graviores Patavis injurias illaturus, Henricum Tirolis Comitem pro deſtinandis ad ſe galeatis centum equitibus orat, qui brevi temporis lapſu mercede magna conductos juxta ſuæ formam optionis accipit.

At Patavi vix ſolicitis diffiſi mœnibus, ne ſpem ultro negligere videantur, Oldericum de Cucania inter extremos Forijulii limites fama ſatis celebrem ære magno conducunt, qui duo & ſexaginta virorum cœtu præditus, decreto Populi, Paduæ tutelam ſibi nanciſcitur: quod Carrarienſibus, ut ajunt, moleſtum nimis. Succedentibus itaque ex voto rebus, Canis omnem, ſignis amotis, exercitum uſque in Terræ-Duræ planum, qui Pagus à Padua ſex ferme paſſuum millibus diſtat, properè ducit, ubi diebus octo moratus, donec in Sacci Plebatum erumpat, imbrium ſrigoriſque inclementiam perpeſſus eſt. Ut ergo fautorum ſpe ductus in moram protrahi comperit, ad fluminis alveum, unde tranſeundum, prorſus armatorum phalanges dimittit. Primus itaque contubernalium Nicolaus ab Equis vir impetuosè prolabens, ut mage Cani placeat, paucis à tergo ſequentibus fluvium tranſit, cui obſiſtentes agreſtium chori, cœptâ utrinque pugnâ, denique illum improvidè telis confodiunt. Ad hanc ſoliciti cædem alii ripam maturè occupant; quare Patavi ſuperato fluvio facilè cedunt, profugique ad extremos limites tecta, ſuppellectilemque omnem hoſtibus linquunt. Hic gazam inæſtimabilem, utenſiliumque prædam rerum divitem Canis invênit; hìc gleba fertilis, Cereris copiam nobilem, gregibus armentiſque pabulum abundè miniſtrat, adeò ut nullibi par reperire fas ſit. Hic quoque celſior jumentorum proceritas admirabilis provenit. Eò itaque delatus, planitiem, quam Plebatum Sacci indigenæ vocant, hoſtiliter occupat. Inde ne Patavi ſiniſtrum quicquam moliri parent, juxta Sancto dicatum Nicolao Pontem, unde iter ad Patavos fluvio directum ſecante callem, acies ſuas & caſtra primò diſponit; ceteræ verò Populorum miteſcentes copiæ, quibus belli rigor ingratus, per contiguos diſtributæ pagos in otia verſabantur rerumque omnium luxu compoſitæ veſcendi modum exquirunt. Tunc panis, vinique optimi ſola vexante penuria, capram per maſſa triticea, aut vitulum pro aſſe prodigus tradit: tanta etenim pullorum, anatumque, & quadrupedum copia fuit, ut hac veſcentibus nimiùm faſtidirent. Denique igitur pane ſublato cùm queſtus fieret revocati ad ſuos penates coloni attrita grani duritie avidos ſatiant. Interea Patavi vix deſperatis rebus lugubres, cum Cane paciſci de concordia quærunt, ad quem Legati pridem viri duo colloquium in caſtris ſtatuunt; eùmque variis hinc inde ſermonum altercationibus foret ſæpe certatum, denique patientibus Paduæ Magiſtratibus, Montis-ſilicis, Montagnanæve Pagos nobiles Cani permittendos fore, quamdiu ſpiraverit, ea pactionis lege cenſetur, ut inde tranſitus pateat, ubi Turris fluvii Pontem Eſtenſis vaſta deſpicit, Oppidumque Caſtri Baldi tenus Alari gurgite illi ſervandum pro fidei pignore obſes traditur. His ægrè Canis fœderibus acquieſcens, denuo ſuadentibus arcanorum conſciis, de Pace agi permittit. Nec mora: Proceres quatuor Patavorum primi, decreto Populi pro ſtatuendis cum Cane induciis caſtra ſubeunt, è quibus Pantaleonem de Buzzacatinis, Macaruffum Rolandum de Placiola Legationis primores accepimus. Ab his ergo conſcriptis utrinque chyrographis memoratos in deditionem Pagos Canis accepit, ea pactionis lege, ut quàm diu vixerit, repetendi fas non ſit; parique modo Caſtri Baldi mœnia, quæ retro Patavis cuſtodita ſervabantur, nactus eſt. His itaque denuo peractis, menſibus ferme geminis victor Canis conferios in globum manipIos revocat, utque hinc finibus Patavini ſoli relictis abſcedant, properè jubet. Ipſe quoque deductis inde in prædam armentis, ſed jumentorum præcipuè, quibus patrias ruralium ſuorum Colonias replere longum optaverat, cito progreſſu Veronam petit. Sed hæc quamquam viſu decora, proceritatiſque ſummæ, mutato loci ſitu, pabulique dulcedine, brevi degenerant.

Hinc patuit, quanto flagrantiùs Carrarienſes Heros Scaliger foverit, quantumque illi moleſtum Macarufforum compliciumque genus omne fuerit; nam expilatis horum Coloniis, ſucceuſiſque igne ſuppoſito ædibus, quales ſunt Urbana Prætoria, Carrarienſium intactas nihiloque læſas per rura quæque præteriit: quod Populo metum, pariterque odium in hos Proceres addidit. At hi ne ulteriùs metuendum ſibi propter Canem ſit, eo quòd Macaruffus Plebis favorem nanciſci moliebatur, in hunc fraudes vimque parant. Quamobrem, priuſquam gladiis hoſtilibus cæſus occumbat, ſponte Patrios reviſurus numquam niſi miſer lares egreditur; & cum natis quatuor jam adultis Ferrariam adit; ubi Rainaldo, quem ſibi pactis nuptiis Generum, licèt exilii tunc curis anxius futurorum imprudens elegerat, fugæ cauſam aperit, ſuadetque quòd Poliximum litus, in quo Pagi nobiles Rhodigium, Lendenaria, & plerique alii ultra citraque fluentem Atheſim à Patavis dudum detentum, ſibique juſtè debitum, vendicet: quòd & ille annuentibus fratribus Regni conſortibus maturus in rem ſuam arbiter efficit. Exturbatum Paduæ vulgus dentibus fremens, Canis perfidiam deteſtatur, putatque illum hocce nefas Marchionibus ſuaſiſſe. Tunc Carrarienſibus, ejecto Macaruffo compliciburque, facilè ſibi Patriæ ſuæ Principatum poſſe nanciſci viſum eſt; ſuſcitatoque famæ mendacis typo, Cani obſequendum prorſus, Macaruffo id factitante, palàm referunt: unde citatis ad ſe Populi Magiſtratibus, de conſtituendo ſibi Principe, qui Rempublicam foveat, tueaturque, cenſendum fore deſtinant. Continuò igitur vocari Decuriones, quorum in ambiguis conſilio uti factiſcendarum opportunitas rerum urgebat, facto cœtu conveniunt; quidve pro tuendis Patriæ finibus, ablatorumque vendicatione magìs expediat,

diat, dubiè conſultantes inquirunt. Poſtquam dudum ſobria mente diſcuſſa variis animorum judiciis hæſitarent, eloquens vir Rolandus de Placiola, qua pridem ſæpe vehementia ductus fuerat, in medium conſtitit. *Et quid opus eſt verbis, Cives, infit? præſto ſalubre nobis, Patriæque remedium. Experti namque Plebiſcitis abutimur, reſque noſtra in ruinam cedit, niſi prævisa nos meditatio relevet. Experiamur namque, ſi privatis legibus melior ſors futura ſit. Et quidem omnia Principem ſibi decernunt; capiti enim cetera membra deſerviunt; animalia ducem habent. Orbis Terræ ſi juſto Regi pareat, cædes, bella, rapinæ, & fœda quæque relatu deſinerent. Jam & nos moniti hæc ſequamur exempla. Decernamus igitur è gremio noſtro nobis Principem, qui ſolus omnium curas exſolvat, qui ſuo Rempublicam moderetur arbitrio, Leges ſtatuat, Edicta innovet, vetuſta deſtruat, rerumque noſtrarum fiat Dominus, & Protector.* His ſuſpenſi vocibus auditores obtutu mutuo paululum hæſitantes, dum ſententiam hujus nemo deſtrueret, facilè acquieſcunt. Nec mora: Carrarienſium fautoribus, qui docti, rogative conſilium inierant hoc gerendum à Jacobo onus dignè proditur; ad quorum ſuffragium plerique conſcii vocibus amicis id prorſus factitandum fore clamant. Præſens ergo Jacobus in medium quaſi coactus attrahitur, plauſuque omnium Paduæ Princeps, non eo, quo pridem, miſſis in arctam pixidem plumbeis de more calculis, decreta Populi ſancire jus fuerat, ſed vocum aſſenſu decernitur. Proinde fidelium cœtu circumventus in Atrium, ubi jam turbæ Plebis magnæ convenerant, procera compoſitionis forma inter omnes conſpiciendus venit. Expoſitis itaque per Rolandum coram univerſitate Populi ſermonibus, quidve ſuper Jacobum res tanta opere conſilioque ac viribus tuenda acciderit, adjectis quoque probabilium adverſæ fortunæ argumentis, rem omnibus optandam ſuadet, hortatumque perficit. Sic denique Jacobus poſt ſævam Ecceliini tyrannidem primus Paduanorum Monarcha vocatus eſt. At non ideo præfectus ille, prudens ſatis, & æquus, morumque rigida honeſtate præclarus, nimiùm ſe efferebat, ſed Plebi gratus, moderamen capit, omniaque in ſeriem prævisa opportunitate locorum & temporum maturè diſponit; nec dolos, aut vim mente concipiens, boni Civis, & pii Præſidis animum induit. Et ne Canis in ſe violentum quicquam meditetur cum illo benevolentiæ fœdus inire deſtinat, utque tutiùs Patriam foveat, huic magnum auri pondo menſtrui collatione tributi deſpondet. Id autem avari mentem hoſtis ad modicum flexit. Sic denique inter hos de concordia pactum eſt, quæ non in longum protelata brevi moræ ſpatio Canis intolerantia defecit. His denique Ducibus colloquium viciſſim habito apud Montis Euganei colles, qui paſſuum ferme parium inter Patavium, & Vicentiam æquo limite diſtant fidei pignus per jusjurandum accipiunt; auxiliaribus quoque turbis, quotiens opus aderit, ſuffragaturos ſe ad invicem pollicentur. Tunc primùm Jacobus poſt captivationem ſuam Canem propetè conſpexit; deinde ad ſedes ſuas uterque regrediens, agricolis, terræque foſſoribus ſpem maximam in excolendis ſulcis turè nuntiant. Non tamen ab illicitis æris exactionibus, aut bonorum proſcriptionibus deſitum eſt.

Hinc Canis Regni avidus, quas bello ſuperet afficiatque Urbes, irrequietus expoſcit; nec in Longobardos, eo quòd Amicis ſubditi, aut

A aquarum mole, locorumve diſtantia tuti, quicquam molitur; ſed Illyricos ſinus, Anteooridumque fines ſumma ſpe ſitiens, ad hos animum, ingeniumque convertit. Padua etenim ſibi ſatorum lege debenda prorſus videbatur; ſed pridem Tarviſii mœnia aſtu capiunda neceſſariò viſa ſunt, quæ cum ejecto viribus Primorum Guezelone de Camino pacis amœnitate florebant. Invidens itaque, dolenſve Scalæ decus, urbem hanc viris & opibus bene agendo refici, dolis vique opprimere flagitat. Fuere tunc plerique Cives ex hac, qui nefandis rerum ſuarum profuſionibus ſemper intenti in præcipitium Patriæ ſuæ, quo rapinas exerceant, ſummo impetu trahebantur; quos inter ſeditionis

B principes Antonius, & Nicolaus de Roverio cum Cane latentibus ſcripturarum votis amicitiam contrahunt. His complices, ſceleriſque tanti fautores ſe ultro exhibent Guilielmus de Valnico, vir factioſus & audax, Guezello de Monſumo, adoleſcens voluptuoſus & . . . . Franciſcus de Morgano, vir æquè plebejus, & nobilis, & plerique alii, quibus aliena rapere, bonorumque afficere fortunas pudori non fuit. Sed his nequicquam ſubvertendi poteſtas aderat, cùm nec vires, aut opes copioſæ ſufficerent. Rati igitur quemquam ex Optimatibus ad ſe pollicitis magnis allicere, Atticum Tempeſtam, ex illuſtri ſatis Advocatorum proſapia ortum, ſubdolis capiunt verborum affatibus;

C iſte enim licèt claris parentibus editus, non ideo prudens, aut ſtrenuus multum putabatur. At Guezello ejus germanus adoleſcentior, huic probitate ſuperior, & animi virtute præſtantior, Patriæ bonum optabat. Sed alter natu major Plebiſcita contemnens, eo quòd vectigal publici boni diu occupatum à ſe Fiſco deberi ſancitum fuerat, in Plebis exitium ulciſcendi, lædendique genus omne ſæva mente conceperat. Præterea illum jam ſermones rigidos eructantem, Margarita de Morgano thori ſocia à germano ſuo pridem monita, rogatave, nefas ſui propoſiti ad perficiendum blandis perſuaſionibus accendit; Hæſitantem quoque metu, dum aggredi tantum facinus dubitaret, ad audendum validis incitat

D argumentis. Denuo igitur conjugis ſuæ votum perficere acquieſcens, præter germani conſcientiam, deteſtandis ob ſcelus meditatum auctoribus obſecuturum ſe ultro pollicetur. Hæc Cani nuntiata, ut animi deſiderium perfici jam poſſe cogitat, lætitiam pariter & gaudium attulere. Tunc majoribus hos pollicitis incitans, rem præſto factitandam temporis opportunitate perſuadet. Sunt qui illum pretioſa mulieri memoratæ dona per ſecreta nuntiorum ſarcinas tranſmiſiſſe arbitrentur; quamobrem viri famoſi repentè amore ſuccenſa, quem nunquam vidit, procul exardet; etenim pronus, & in vitium valde fœmineus ſexus, ſemper nimium, aut modicum pergens, numquam in medio virtutis erigitur.

E Interea Maphæus Mediolani Præfectus, dum Roberti vires, qui jam ejectis Auriorum, Spinolarumve turbis favore Grimaldorum Januam occupaverat, propter loci vicinitatem metum animo concipit; idque Cani, & Paſſarino prævidendum fore ſignificat; & ne per ignaviam, aut hoſte neglecto ſiniſtrum quicquam accidat, reſiſtendum imminentibus periculis docet. Denique poſt multa variis argumentis hinc inde diſcuſſa, ſatius viſum eſt Ducibus, hortatu Ugutionis de Fagiola, quemquam ex ſe Principem conſtituere, cui bellorum impetum prima inſit aſſumendi aut vitandi poteſtas, jubeatque quicquid factitandum videbitur, utque jubenti complicum

plicum turba omnis pareat : Canis ergo plauſu magno decernitur ; deinde exulibus memoratis apud Savonam reſidentibus Legatos dirigere placuit, ut ſi cum Ducibus Lombardiæ ſocialis benevolentiæ fœdus inire velint, auxiliaribus ſe copiis ſuffragandos eſſe non dubitent. Annuunt exules, Patriæque bellum indicere deſtinant. Inde claſſem viroſque apparant ; & ad id loci, ubi tota ſpes inerat, motis ſignis repentè deveniunt. Nec procul à mœnibus caſtra, ſtativarumque fulcimenta, ſed in apice collis, qui mœnia contiguo litore deſpicit, tellure obruta reponuntur. Ad horum ſuffragium Maphæus tercentorum equitum, quingentorumque peditum phalanges dimittit; hiſque Marcum ex natis mage ſtrenuum acrem Ducem inſtituit. Paſſarinus quoque multos ex mercenariis ſuis illorſum deſtinat. Canis verò, ut qui Longobardorum principem Ducum ſe jactabat, minoribus virium copiis communi cenſu, properè ſuffragatus eſt. Ex hoc ſtupefacti Januenſes intrinſeci ſubitò arma diripiunt, & in hoſtiles turmas erumpere cupientes reſeratis Portarum valvis egredi moliuntur ; ſed viribus hoſtium malè repreſſi, non ſinè ſtrage mœnia repetunt. Deinde ſævior belli modus, & animorum tumor ulciſci prorſus exardens, nulli denuo parcendum eſſe, ſed omnes in cædem trahi fixa lege diſponit. Quamobrem rapinis agrorumque

A depopulationibus omnia ruralium culta, ædeſque ſecus litus æquoreum flammis abſumtæ corruunt. Stupendum etenim viſum eſt, tam nobilem, tamve potentem viris & opibus urbem, paucis armatorum copiis adeò oppreſſam, ut ſolus pelagi, ceteris hoſtium prohibitis mole, aditus liber pateret. Eſt hic locus in convexa eminentis collis rupe ad Auſtrum, & Eurum, cujus mœnia propter urbis anguſtiam in longum ſecus collem, & litus magniſi è protelantur; multæ verò in convallibus montium Coloniæ, Pagique feraces, Palladeque repletæ deſerviunt. Sed hæc tellus Mare Adriaticum jugi claſſe percurrens ex longinquis Scytharum, Græcorumve finibus pretioſa mercimoniorum vectigalia patriis rebus adjungit.
B Quamobrem opulentiſſima brevi tempore Civitas multorum copiis effecta, tumidos, nimiumque ſublimes rerum omnium luxu viros peperit. Dum ergo poſt Henrici Septimi Cæſaris obitum ſolis Auriis gubernanda parêret, Grimaldorumve, ac complicum ſuorum multis ejectis, denuo hi auctore Roberto per certum fœdus admiſſi, patrias ſedes invadunt, & ne ulteriùs exilio quiſquam Cives afficiat, mutuo fidei robore ſpondent. Sed parcere neſcia malorum omnium radix tumentes eorum animos ad ultionem fictis incitat argumentis : unde poſt lapſum brevis Anni......

Reliqua deſiderantur.

Digitized by Google

FERRETUS VICENTINUS
POËTA
DE MORTE
BENEVENUTI CAMPESANI
POËTÆ VICENTINI.

Vos, quibus Aonii fas eſt ſub rupibus antri
Pierios latices, & amœni pocula ſaxi
Lambere, & inſanas calamo mulcere ſorores,
Quæ calidum vacuis ſpirant Helicona medullis,
Flete, precor, magni funus lacrymabile vatis
Campigenæ, quem mors crudelis ab agmine noſtro
Abſtulit, & ſævæ damnavit lumina nocti.
Nec tantum lacrymis pateat dolor iſte profuſis,
Sed laniate genas manibus, laniate capillos,
Et percuſſa ſonent libratis pectora pugnis,
Et nox mœſta trahat gemitu ſuſpiria longo.
Sic illum flevere Deæ, quas accolit humor
Pierio de fonte labans, & rupe ſub alta
Triſtia cum lacrymis cecinerunt carmina fuſis.
Nec modus his, namquæq; ſua in morte querelas
Dixit, & humentes ederas lacrymare coëgit.
Ipſe etiam vates Cyrrhæo conditus antro
Flevit, & aſſuetam ſenſit ſub cortice laurum
Triſte queri, Tripodaſque ſolo gemuiſſe cadentes.
Et ſacer Aonio lucus, revolutaque fontis
Pocula, quæ vires reparant, & quicquid in illo
Numinis eſt, auxere ſuas tot fletibus undas.
Sic nos flere decet, quibus eſt permiſſa poteſtas
Has colere, & nutu veſtro comprehendere ſedes.
Nec ſolùm lacrymis dolor hic ſedandus obortis,
Sed calamo, qui voce ſonos impulſus agreſtes
Edat, & adductos tendat ſub pollice nervos.
Inde ut concordes dabit ad nova carmina voces
Plectrum ingens, & mœſta dolet jam fiſtula tangi,
Dic vates, quicumque manu reſonabile buxum
Accipis, & tales Cœlo diffunde querelas.
O Dea, quæ noſtræ decidis tempora vitæ,
Et facis in propriam verti mortalia ſedem,
Seu Dea, ſeu noſtris ſerpens velut aura medullis,
Languorem, & primo finem diſponis ab ortu,
Quicquid id es, Divis tantùm permiſſa poteſtas,
* Nec pietas, nec certa fides, ſed cuncta reſolvit
In nihilum, & ſoli licet hac evadere menti:
Tu Reges, & Regna trahis, Proceresq; Duceſque,
Et Decios, eademque humiles juſtiſſima Codros,
Tu Dominos, ſervoſque ſimul, nec majus* haberis
Par cum Plebe Duces, * quam certo fine teneri,
Sed tamen humanas . . . . . ſæviſſima vitas
Interdum rapis, & magnum factura dolorem,
Regna novas, vacuaſque ſuis tot civibus urbes.
At ſaltem egregio potuiſti parcere vati,
Impia, quem morſu preſſiſti ſæva recenti,
Vitaleſque ſuo rapuiſti corpore ſenſus.
Heu quantis erat ille micans virtutibus! heu quot
Moribus, atque ſuos decoravit laudibus ortus!
Nam decus, & vatum Princeps, & gloria fontis
Pierii, quem docta cohors nunc mœſta ſororum
Molliter Aoniis puerum nutrivit in antris.
A Hic, quem flava modos plectro graviore ſuperbos
Calliope docuit, quo non præſtantior alter
Novit Apollineo citharam pulſare ſub Emo,
Non Flaccus, non ipſe Pater Dux carminis alti
Mæonius, non bella canens civilia, nec qui
Fraternas acies cecinit, neque Naſo jocoſus,
Bina pharetrati docuit qui tela furoris.
Quid tamen, ut longis percurram ambagibus omnes,
Demorer ad laudes? Non ſi mihi guttura linguis
Tercentum reſonent, nec ſi mihi ſpiritus illis *.
Sufficiat, ſit quanta hominis jactura peremti,
Luce, neque adjunctis poſſem narrare tenebris;
Sed quæcumque meos vis eſt diffuſa per artus
Vatis Apollinei, quicquid te Diva magiſtro
B Mens didicit, potuitq; tuis comprehendere dictis,
Et quæ pura fide., animo dum vita manebat,
Illa eadem morti, ac tibi ſe debere fatentur,
Et cupiunt memori ſemper te credere famæ.
Nec dubita, nam ſi quid agunt, aut carmina poſſunt
Pieria diſcuſſa cheli, non gloria ſcriptis
Parta tuis, non fama micans neglecta peribit;
Nec patiar tacitis illam torpere * relatis,
Sed quantum potero memori virtute juvabo.
Nunc, ſoror Urania, noſtro comes alma labori,
Carmina per totum defer jam vatibus Orbem,
Et propera, dum fama nitens clamore ſecundo
Emicat, ac odio nondum eſt percuſſa latenti.
Dic, cytharas, tereteſque levi ſub pectine chordas
C Intendant, & morte gravi cecidiſſe querantur
Campigenam, reſerantque ſuas cum carmine laudes,
Ac memori dignum fama virtutibus aptent.
Inde patent mecum exequias, & triſtia dona
Carminibuſq; novis decorent lugubre ſepulcrum,
Ut ſignata brevi titulo vocet urna * patentem,
Et doceat poſitum qua ſit tellure cadaver.
Cognitus ut tumulo fuerit locus ille reperto,
Forte legens mediis fundet ſuſpiria verbis,
Et lacrymas dabit hinc tantæ pietatis imago.
Hunc tantis fulgere virum virtutibus, & tot
Laudibus, ac tantum peperiſſe Poemata vatem
Laudabit, precibuſque Deos orabit, & iſtis
Impellet votis animam Cœloque beabit.
D Accipe nunc titulum, magni fortaſſe doloris
Solameo, rigidoque libens da carmina ſaxo.
Hoc tua longinquum memorabit facta per ævum,
Perpetuumque tibi famæ ſervabit honorem,
Quodque tibi meritis mors abſtulit impia, reddet.
Tu quoque de multis titulo ſignanda perenni
Arbitrio potiora tuo mea carmina, vates,
Elige, quæ meritam referant per ſingula famam.

Idem

Idem in eumdem.

Hic jacet Aonii cultor venerabilis antri,
Hic decus & vatum Princeps, hic gloria fontis
Pegaſei, quem Diva potens virtutibus aptum
Abſtulit, & lævæ damnavit lumina morti.
At victura diu ſervat præconia fama.
Vivit adhuc; vivetque diu memorabile nomen
Campigenæ, ſi parta valet tam fama perennis
Vivere, ſe quantum mortalibus inſerit actis.

Idem in eumdem.

Proh dolor! & vatis gravior jactura peremti!
Hic exangue jacet corpus tellure recenti,
Cui decus Aonium miris Helicona colenti
Hauſtibus eſſe ſuum vatem dedit ore potenti.
At fera mors noſtræ ſemper contraria menti
Abſtulit, & Parcæ rapiunt ſua ſtamina vitæ,
Fama tamen nullo morſu vitiata nocenti
Vivit, eritque diu nomen venerabile genti.

Idem in eumdem.

Mille trecentenis decies geminaverat Annum
Tertius, è nitidæ poſt quam de Virginis alvo
Induit humanam Proles Divina figuram;
Et tunc levis Hyems poſt ſemina farris humati
Autumno primas fundebat ab æthere brumas,
Nonaque ab imbre ſuum jam ducere Cynthia menſem
Cœperat, & longas ſuperaddere noctibus horas,
A Noxque Jovis Veneri * tunc mane futurum
Tertia quatridui ſperabat lumine Phœbi.
Tu quoque lædentes poſtremo verbere chelas
Phœbe premens geminum radiis Chirona petebas:
Cùm fera mors, ullis numquam placanda rogatis,
Campigenam egregium vitæ ſpoliavit amore,
Et ſua perpetuo damnavit lumina ſomno;
Cui tepidum licuit totis Helicona medullis
Haurire, & tumidas calamo mulcere Camœnas.
Quo neque Pierio quiſquam præſtantior œſtro
Carmen Apollinea fundebat dulcius æde,
Nec quiſquam major cytharam pulſare, canentem
Facta Deum, juſtive fuit præſtantior, * æquè.
Nil valuere tamen rigidæ pia carmina morti,
Nil precibus mixti cantus, quin impia metam
B Cogeret ante datam vitæ conſumere Parcas
Stamina, perfecto nondum ſed debita fuſo.
Proh dolor! heu quantos rapuit crudelis honores!
Quale decus, quantumque tua ſubtraxit ab urbe
Sæva virum, tu Cimbre ſcies, qui ſæpe ſolebas
Laudibus, & ſterili jactare Poëmata ludo.
Fama tamen nullum vivet peritura per ævum,
Dignaque perpetuis fulgebit gloria ſcriptis.

Idem de eodem.

Hic ſitus eſt vates toto celeberrimus Orbe,
Et jacet egregii corpus inane viri.
Qui dum vita ſuos peragebat ſenſibus artus,
Dulcia Pieriis carmina fudit aquis
At quia præcipiti rapuit mors impia tractu,
Vivet inextinctis laudibus ipſe diu.

FER-

FERRETUS VICENTINUS
AD MUSSATUM PATAVINUM
DE MORTE
BENEVENUTI CAMPESANI
VICENTINI POËTÆ.

Triſtis ab æthereo nec jam delapſa meatu
Fama per Euganeas Trojani Antenoris arces
Retulit, egregium morti occubuiſſe Poetam,
Cui Cognomen avis *Campus* dedit, & *Bene* nomen
Cum ⸗ *ento*, Patriaque fuit ſat magnus in illa,
Qua retro * pene fluens Patavo delabitur amnis.
O Saeer Aoniæ Princeps, & gloria ſilvæ,
Cur ſinis iodecori vatem mar ere ſepulcro,
Illum, qui toto micuit clariſſimus Orbe?
Carminibus ſi Muſſe negas laudare peremti
Facta viri, meritumque ſuæ decus addere famæ,
Quis ſibi digna ſatis calamo præcooia reddet?
Quis laudare illum poterit, quis Carmina ſaxo
Mandabit, laudes titulis æquantia juſtis?
Solus enim tenues meditaris arundine Muſas,
Solus habes quodcumque latex Heliconis amœni
Ferre poteſt, quicquidve datur ſub Apollinis antro.
Tu quoque perpetuam rebus dare carmine famam
Et potes, & noſti, Latiæ qui bella ruinæ
Geſta ſub Arctoo ſcripſiſti Cæſare vates.
Forſan & extremi cum luce noviſſimus ævi
Te premet illa dies, & funere merget acerbo,
Par tibi fiet honos, & erit qui carmine dignum
A Audeat emeritæ titulum tibi reddere famæ.
Quis tamen exangues animos, defunctaque vita
Corpora poſt cineres iterum ſe velle referri
Crederet, atque ſuas in loogum vivere laudes?
Non minùs Elyſiis, quàm Mundo, gloria campis
Clara vivit, nam quæque priùs dum vita manebat,
Illa eadem ſequitur virtus poſt fata ſepultos,
Et ſecura manet Cœlo, nec Judicis æqui
Ora timet, meriti depoſceos præmia facti.
Quantum Mæonius gaudet ſua carmina vates
Laudari! quantum variis ſe Naſo libellis!
Et quantum exultas Virgili laude pereoni!
Quiſquis ad hunc agitur ſtudiis, dum vivit, & aura
B Veſcitur, atque ſuis famam cupit addere factis.
Quæ tamen id faciet virtus? Hæc omnia poſſunt
Carmina, quæ rudibus renovant antiqua figuris.
Nec vacat exemplis veterum nova pagina rerum:
Scis bene. Nunc primi repetens veſtigia cenſus,
Unde iter incœpi, ſi re labor iſte gerendis
Tam gravat, ut nequeas longis inſiſtere verbis,
Saltem pauca ſuis facientia laudibus ede
Carmina, quæ titulo decorent lugubre ſepulcrum,
Cognitus ut tumuli pateat locus, & ſacer ille
Inter honoratas poſitum ſe ſentiat urnas.
Fac properè quodcumque velis: ſic ferreus orat
Uncus, avens feſſam portu jam ſiſtere puppim.

ORATIO ANONYMI
IN NUPTIAS
DANIELIS FERRETI.

NUmquam magis incaleſcit in laudes deſiderium meum, quàm cùm dicendum eſt de virtutibus ac laudibus alicujus præclari atque excellentis ingenii, vel cùm ejus ſtirpem exornare contingit: quia nihil extimo, in rebus humanis præclaro atque excellenti ingenio comparari poſſe; nam virtus ingenii, ut inquit Criſpus, clara æternaque habetur. Quare hodierna die exultat animus meus his nuptiis, quibus ſimul uniuntur nobilis & pudica virgo Tuſcana à Vulpe, cujus avus maternus Antonius Anzolellus inter Clariſſimos Italiæ Juris-Conſultos numerabatur, & nobilis atque ornatiſſimus adoleſcens Daniel de Ferreto, egregia proles illius inſignis atque excellentis viri Ferreti, qui eleganti ac perpetuo ſtylo ſcripſit Hiſtoriam temporum ſuorum, & ætatum paulò præcedentium de rebus geſtis in his noſtris Regionibus, atque Provinciis. Attigit eleganti carmine res geſtas Scaligerorum Principum, ſub quibus floruit ipſe Ferretus, ipſiſque gratiſſimus fuit ob ingenii excellentiam, gravitatem morum, vitæ integritatem atque honeſtatem; Hæc eſt egregia clariſſimaque nobilitas, quæ ingenii excellentia parta eſt. Nam præclara ingenia Poetarum, & Hiſtoriæ Scriptorum & ſibi nominis immortalitatem parant, & ceterorum virtutes poſteritati, atque memoriæ conſecrare poſſunt, ut eleganter inquit Ovidius: (*ex Ponto Lib. IV. Epiſt. V.II.*)

Et modò, Cæſar, avum, quem virtus addidit aſtris,
Sacrarunt aliqua carmina parte tuum.

Nonne longè ſuperat, ac præſtat, nobilioriſque viri eſſe cenſendum eſt, dies ac noctes frui colloquio illorum virorum, qui tibi referant mores, ac res geſtas vetuſtiſſimorum Regum, ac Populorum, qui rectos ac præſtantes in vita mores oſtendant, qui doceant aptè, ornatè, diſtinctèque loqui, quàm canibus circumdare ſaltus, auritoſque ſequi lepores, atque inter indoctos ac feros agricolas ducere vitam? Illi itaque viri, quibus hæc cœleſtia dona virtutis atque ingenii contigerunt, veram nobilitatem ſunt aſſecuti, quandoquidem per eximiam virtutem ſe notiſſimos, unde oritur nobilitaris nomen, reddiderunt non tantùm ætate ſua. ſed & apud Poſteros; & aliis per immortalia ſcripta nobilitatem, atque notitiam cum immortalitate no- A minis donare potuerunt. Quid enim gratius nobilibus animis, urbibus, ac Populis eſſe ſolet, quàm exſtare memoriam de virtutibus majorum ſuorum? Credo vos viros nobiliſſimos affici miro amore memoriæ Ferreti, cùm legitis ejus Hiſtoriam, qua continetur, majores veſtros fortiſſimos, atque magnanimos viros pugnantes pro mœnibus, ac Templis, pro honore, ac libertate hujus civitatis, multis graviſſimiſque vulneribus confectos cecidiſſe? quod accidit Anno Chriſti MCCCXIII. quia non poteſt anima glorioſiùs exire de corpore, quàm per vulnera accepta vel pro mœnibus Patriæ cœleſtis, quæ eſt Fides Jeſu Chriſti, vel pro defenſione, ac libertate Patriæ terrenæ. Fateor me amore affici, B & nomini Ferreti Scriptoris illius Hiſtoriæ, & ejus poſtetitati, cùm lego in illa acie atavum meum, cujus nomen ego refero, pro decore ac libertate hujus civitatis ſpititum ac ſanguinem effudiſſe. Gratulor itaque tibi, Daniel cariſſime, quòd tibi propoſita ſunt clariſſimorum exempla virtutum, quòd à Ferreto deſcenderis, qui Poëtæ atque Hiſtoriographi nomen ſumma cum laude promeruit; quòd imitaris veſtigia genitoris tui Jacobi, qui ſuo præſtanti ingenio, virtute, integritate, fide, ac peritia ſingulari nobilitatem ſibi à ſuis majoribus traditam fideliter ſervat, atque cuſtodit; qui ſui animi nobilitatem declaravit his nuptiis, quia te matrimonio jungi voluit cum nobiliſſima virgi- C ne Tuſcana à Vulpe, cujus eſt inſignis ex utroque Parente nobilitas. Nata enim ex matre Gentili, quæ orta ex nobili familia de Anzolellis, atque ex præſtantiſſimo Juris-Conſulto Antonio genitore, cunctis matronalibus virtutibus ornata eſt; cujus omnes ſermones, omneſque vitæ partes, honeſtatis & modeſtiæ reliquis ſponſis præbent exemplar, eruntque inpoſterum filiis, filiabuſque ſuis exempla virtutum. Nata eſt in familia à Vulpe, quæ inter veteres, ac nobiles hujus civitatis familias numeratur, in qua Familia, Patrum, atque majorum noſtrorum memoria plurimi inſignes, ac præſtantes cives, ac viri equeſtri dignitate fulſerunt. Has itaque nuptias undique decora nobilitate fulgentes mecum ce- D lebrato faventes, ac Deum pariter precemur, ut ſuper ipſos conjuges manum ſuæ largitatis ac benedictionis aperiat, faciatque ex hoc connubio naſci prolem ſuis clariſſimis progenitoribus ſimilem.

FINIS.

Digitized by Google

FERRETI
VICENTINI
DE SCALIGERORUM ORIGINE
POËMA
CIRCITER ANNUM MCCCXXIX. SCRIPTUM

AD

CANEM GRANDEM
SCALIGERUM
VERONÆ, VICENTIÆ, AC PATAVII DOMINUM,

Nunc primùm prodit

EX MANUSCRIPTO CODICE

VERONENSI.

Digitized by Google

IN FERRETI VICENTINI

POËMA

DE ORIGINE GENTIS SCALIGERAE

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

QUis Ferretus fuerit, qua aetate vixerit, qnaeve tum ſolnta oratione, tum metro ſcripta reliquerit, jam ſupra diſſerui in Praefatione ad illius Hiſtoriam. Ibi vero Pajarinum veterem Vicentinarum rerum Scriptorem teſtem attuli ſcribentem, ab eodem Ferreto literis conſignata fuiſſe *Canis Grandis de la Scala Heroico Carmine geſta*. Proinde me inceſſit deſiderium vehemens Carminis hujus, tum ut reliquis Ferreti foetibus adderem, tnm etiam ut Scaligerorum Principum celebratiſſimum genus & acta, ſi aliqua ex parte poſſem, in Cnllectione hac illuſtrarem. Supra ſpem inquiſitioni meae exitus felix reſpondit; quippe me voti compotem fecit celeberrimum Veronenſis Urbis noſtra hac tempeſtate decus *Marchio Scipio Maffaeus*, ille nempe, qui Literarum dignitatem in Italia eruditis Operibus ſuis tueri, ac inter primos augere pergit, dignus qui ad Taurinenſem Aulam adſciſceretut a Victorio Amedeo Rege, honoris ac ſtudiorum cauſa. Is ergo adinvento MSto Codice in Veronenſi Bibliotheca, quam ornatiſſimus & egregius Vir *Johannes Saibantus* a multis annis generoſa animi contentione illic inſtruit, Ferreti Carmen deſcriptum ad me deſerendum curavit. Equidem optaſſem ad haec edenda Codicem caſtigatiorem; facile enim delirant, ac delinquunt indocti Amanuenſes, ſed potiſſimum ubi Poëtarum abſtruſam eloquutionem deſcribendam ſumunt. Attamen non adeo haec depravata ſenties, ut faſtidium Lectoribus ingerere poſſint.

Ferreti ſtilus Lucanum, Statium, & Claudianum redolet. Ampulloſae apud illum phraſes, ac verba non pauca; numerus in verſibus ad illorum Muſicam varietate carentem compoſitus. Ignoſcendum autem homini, qui Seculo rudi & nondum exculto, Poëtam Latinum egit, ſi elegantia, ſi perſpicuitate interdum caret, ſi Grammaticorum eruditionem interſerit, ſi inanibus parergis Lectorem detinet. Magnum fuit eo tempore tales etiam verſus condidiſſe. Quoto autem Anno haec ſcripſerit Ferretus, aliquis percontetur. Non excedunt ejus verſus occupatam n Cane Grandi Vicentinam Urbem, atque adeo Annum 1311. Reliqua Principis hujus geſta Poëtis aliis Ferretus canenda relinquit, ſubdens:

Tot reſtant & tanta novo dicenda relatu,
Magne, tibi, quae poſt habitos tua facta triumphos
Clara micant, ut vir &c.

Quae indicant cetera, poſt annos multos a Cane Grandi peracta. Immo ejus infantiam deſcribens, praedicit eidem Patavii, & conterminorum locorum, Tarviſiique acquiſitionem.

Et Patavus, Venetique omnis tibi ſerviet ora &c.

Contigere haec Anno 1328. Et quidem Lib. III. aperte Ferretus prodit, tunc Patavium Cani Grandi paruiſſe, quum ſcribat

immenſum qui maximus Orbem
Nunc quatis, & Phrygii reparas Antenoris Urbem.

Conſtat autem, vix a deditione Tarviſii Canem morte ſublatum fuiſſe, hoc eſt Anno 1329. ac propterea aut Anno 1328. aut proxime ſequenti, vivente profecto egregio Principe illo, Ferretus haec cecinit, qui revera inſeliciter vatem egit in praedicenda diuturniori vita Heroi ſuo. Verum non bene aſſequor, quei Poëta in Carminis calce edicat, ſe non ultra canere velle, eo quod ſibi *labens animus, & junior aetas feſſa jacet*. Anno 1328. is annum ſaltem aetatis ſuae trigeſimum attigerat. Poëtae tot annos nato videant alii an bene ſedeat excuſatio juvenilis aetatis.

FERRETI VICENTINI
POËTÆ
DE SCALIGERORUM ORIGINE
EROICUM INCIPIT
IN LAUDEM
CANIS GRANDIS.
LIBER PRIMUS.

Rupis in Aoniæ ſcopulis celeberrima Divûm
Pallas, Olympiacis numen venerabile terris,
Cujus ope horrificos deſectæ Gorgonis angues
Acriſionides oculis ſpectavit, & idem
Hæc impunè tulit, potuitque reſiſtere ſaxo:
Nuuc mihi, dum primos in carmine molior auſus,
Magnanimum refer, alma, Canem, qui marmoris urbe
Clarus avis, ataviſque ſuis, & nobile jactans
Scaligera de ſtirpe genus, ſe prodit ab alta
Inſignis virtute patrum; ſed maxima longè
Illi parta ſuis acceſſit fama triumphis.
Ille canendus adeſt nobis, operique recepto
Limes erit, placiduſque labor; nam divite vena
Carmen ad Iliacas tot direxere ruinas
Grajugenumque Duces,& in Hectore tantus amato
Æacidæque fuit vatum favor, ut ſua dudum
Inclyta Pieriis memoretur gloria ſcriptis.
At ibi quem magnis decorat gens Itala factis,
Quem ſtupet immenſo quidquid complectitur orbe,
Nullus adhuc paulo diſcuſſa Poëmata cantu
Tradidit, aut meritos in te jactavit honores.
Quid vatum facis alma cohors? quam carmine dignam
Materiam expectas? Numquam majoribus ultro
Te ſtudiis miſcere velis, nec iniqua vocabis
Præmia, non ſterilem neglectaque rere laborem.
Ecce tibi placidas præbet vir maximus aures
Dignaturque legi. Quis enim niſi reſpuet amens
In ſe perpetui convertere ſigna decoris,
Nec ſibi manſurum nomen velit? Ah mihi quantus
Impetus & tantas amor eſt expromere laudes
Diva potens, quamquam trepido jam fixa pavore
Mens rudis in primo vereatur debile motu
Deficere, & primis ſuccumbere turpiter actis.
Audebo tamen, & tumidum tranſire per æquor
Haud metuam, ſi Phœbe tuo me fonte potabis,
Ingentique meum ſupplebis numine pectus.
Cur non ingenio quicquam meditabor, & illud
Audax perpetuæ tradam memorabile chartæ?
Tradam equidem: tu tantùm animo mea vota benigno
Dirige, teque meis facilem, precor, auſibus adde;
Ac fer opem, & tanto nunquam deſiſte labori,
Cui præſens debetur opus. Quo limite primùm
Ingrediar, quæ prima meis ſignanda figuris

A Materies erit? aut ubi te per devia ſiſtam
Præmeditare labor? Jam jam de faucibus exit
Vox mea, & obſtantes temerè hinc diverberet auras.
Principio laudanda tuæ primordia vitæ
Expediam memorans, & primis ordiar annis.
Promtior inde tuas majori carmine vires
Fortè canam, parioſque tibi per bella triumphos,
Magne Canis; neque cuncta mihi dicenda tuorum
Facta Patrum, memorare tuas ad ſingula laudes
Sudor erit, ſatis eſtque tuis inſiſtere factis,
Poſtera ne dubio, quæcumque novabitur ætas,
Quis ſit,& unde potens, aut ſe quibus implicet oria
Adriaci Maris inter aquas, interque rapacem,
Eridanum, qua magna viros Europa feroces
B Educat, aut quantos habuit Dux iſte parentes,
Neſciat, hoc dudum ſuſpenſa errore trahatur.
Quamquam animus ſub mente labet, menſque horreat audax,
Expediam tamen, & tactu breviore docebo.
Urbs antiqua, ſuis tellus opulenta colonis,
Colle ſub eſt modico, tardus quò ſigna Bootes
Vertit Hyperborea numquam ceſſurus ab Urſa.
Hinc detecta loci facies calet, unde tuetur
Flagrantem devexa polum, nullique cadente
Aut ſurgente die, colles huic ſolibus obſtant.
Hanc circum, medioque rapax torrente ſuperbo
Ambit Athes, qui ſæpe ſuis tumefactus ab undis
Ardenti ſub Sole nives cùm montibus altis
Diſjicit; aut ſubitos ventorum occurſibus imbres
C Sydus agit geminum, rapido vicina meatu
Culta trahit, pecudeſq; inter ſtabula ipſa feraſque
Præcipiti ſuper amne rotat; vix, cùm furit, illi,
Qui ſecat Jonias Ægæis fluctibus undas,
Obvius exeſis obſtaret rupibus Iſthmos.
Hoc fundata loco Divis Verona ſecundis
Plana ſedet; quam ſi primo repetamus ab ortu,
Longa nimis ſeries, at non auctore ſereno,
Aut Latio decoranda minis nec dum manet, iſto
Sub Duce plebejas inter mirabitur urbes,
Quam tot contiguis ſamoſæ amplexibus arces
Circumeunt, & ſæpe nimis tetigiſſe queruntur.
Hinc tua progenies, hinc claræ ſtirpis origo,
Scaligerique Duces, hinc cœcis orta latebris
Nobilitas, generiſque tui veneranda propago.
D Inde vetus ſoboles Heroum maxime fluxit
Certa tibi quem clara domus probitaſq; parentum
Extollit virtute magìs, quàm divite cultu.
Hæc domu, hæc contra fuit antiquiſſima ſedes
Gentis Julææ, dum res fortuna ſecundas

Suf-

Sufficeret, faverentque ſuis piæ Numina votis.
Ut verò ancipites Orbis Regina tumultus
Senſit, & in toto patuit diſcordia Mundo,
Protinus Æmiliis Breno ſæviſſimus oris
Rupit amicitiæ fœdus, promiſſaque Regni
Pacta ſui, meliuſque ſibi regnare putavit,
Quàm Latiæ ſervire togæ; quodq; ipſa tributum,
Dives ad Auguſtos mittebat victa penates
Gallia, vi rapuit; cùmque illud jure petitum
Romani Proceres magno cum fœnore reddi
Pace ſuaderent: *noſtrum eſt, quodcumque tenemus;*
Talis lege nova mos eſt regnare Suevis,
Et tali didicere modo. Si bella paratis,
Sive inferre minas, nos enſe tuebimur iſto.
Sic ait, oſtendens gladium; vix inde paventes
Legati evaſere fuga. Sed prima Senatum
Fama malo gaudens docuit, quàm dicta referrent,
Quidve ferox illis tumido ſermone Tyrannus
Reddidit: unde gravis Populum (quamquam altera belli
Cauſa foret) ſubitas injuria movit ad iras.
Magna ſed hæc Latio ceſſit jactura triumpho
Sanguinis Auſonii, ſcelus hoc ut Marte coactum
Perderet, & victis iterum ſubmitteret armis.
Hæc contra multis (nec primus & ultimus iſte)
Mœnia ceſſerunt Ducibus, quos ſumma vetuſtas
Impedit & noſtris gravis addere ſarcina metris.
Nec tamen hinc omnes (quamquam labor arduus obſtet,)
Præteriiſſe velim. Solùm concede, nec ultra,
Unum, Muſa, virum, ſi vis ut ab ordine cœptum
Pergat opus, & levibus properent nova carbaſa ventis.

Impia non longis referam tua crimina verbis,
Acceline ferox; ſceleris neque tota peracti
Nunc dicenda mihi rabies, neque carmina factis
Spondeo multa tuis: ſatis eſt tua fama ſuperſtes,
Per medium comperta nefas. Proh quanta ſuperbo
Sævities animo, quantus furor, atraque mentis
Umbra fuit! quot morte Duces, quot cæde potentes
Damnaſti, & gravibus pœnis tormenta dediſti,
Aut tuus effecit Domino mandante ſatelles!
Scit bene multifido gens circumfuſa Timavo,
Exul ubi Euganeos adductus ab æquore colles
Troicus Antenor, Patriæ poſt divitis ignes,
Mœnia conſtituit Patavûm, quibus explicat ignem
Marchia dives agris, & fertilis ubere glebæ.
Senſerat ante tuum plebs Tarviſina furorem,
Preſſa dolo, genus unde tuum & natalis origo
Certa fuit. Vidi ipſe locum, quo celſa parentum
Atria non multis ſteterant affixa columnis;
Non tamen hæc Pharii domus ambitioſa Philippi,
Qualia vel Latiæ fuerant Capitolia Romæ,
Cæſareique lares. Modico tumet aggere collis,
Monte minor; vicina loco tutiſſima ſedes
Bavani, quam non Cereris, ſed ad orgia Bacchi
Præcipuam juxta labens latus irrigat imum
Brenta rapax. Hæc prima tuæ cunabula gentis
Detinuit ſævi generis fidiſſima cuſtos.
At non illa tuis viles dedit auſibus iras,
Degenereſque metus animo, licèt obruta paucis
Jugera vomeribus teneat. Si Diva ſuperbum
Nereis Æacidem fecit, ſi more paterno
Ingentes animos natis Gradive dediſti:
Sic ſua pampineis circumdatus ora racemis
Addere majores potuiſſe colentibus auſus
Creditur ille Deus, cujus materna peregit
Tempora, qui ſpatium Cœli metitur & annos.
Jam tua finitimas diſcurrens fama per urbes
Creverat, & latè Populos terrore premebat,
Et jam capta tuis parebat Marchia ſignis
Cæſaris imperio, cùm res moderata ſecundas,
Quæ ſolet elatis totiens obſiſtere rebus,

A Mutavit fortuna vices, paulùmque morari
Cœpit, & aſſueti longum promittere votis.
Prima fides certis patuit tibi cognita factis
Gente Bianorea, quæ cum tua ſigna negaret
Velle ſequi, & clauſis dominum te admittere portis,
Aggere tuta ſuo, & latis circumdata foſſis
In gyrum ſtagnantis aquæ, te Marte furentem
Crudeleſque minas, & inania verba moventem
Reppulit. Hæc illa eſt olim, quam Thebais urbem
Conſtruxiſſe ſuo famoſam nomine vates
Dicitur. Illa ſui fugiens connubia Regni
Jam matura thoris, coitus exoſa viriles,
Ac Venerem, & natum, ſacraſque jugalibus aras
Liquit ovans, poſitis patriæ moderamen habenis,
B Securamque ſibi toto quæſivit in Orbe,
Vim metuens, ſedem: donec telluris opimæ
In gremium delata, ſuis à finibus exul,
Venit, ubi tardis errans amplexibus hæret
Mintius, & paucos circumdat arundine campos.
Illic viſa ſibi tutas habuiſſe latebras
Conſtitit, & Populis per devia rura vocatis,
Mœnia conſtituit, quæ non adeunda per omnes
Arcta vias, nec puppe forent tranands minaci.
Inde celer verſis referens tua ſigna maniplis,
Miratus ſimili numquam doluiſſe repulſa,
Hæc fatis debere tuis, Superiſque putaſti,
Iratuſque ſibi, quòd non tua vota ſecundent,
Concepiſti animis furias, rabiemque furoris
Indomiti: ceu clauſa lupus per ovilia cernens,
C Quos ferus incautis ovium cuſtodibus agnos
Sperabat rapuiſſe ſibi, dum non licet ire
Cominus, aut ſtabulis intro ſævire recluſis,
Irarum ſtimulos, jam ſpe deluſus inani,
Concipit, atque dolens tutos in ovilibus hœdos,
Triſtis abit, tandemque ſuum petit impiger antrum.

Talibus interea furiis agitatus iniquos
Verſabas in mente dolos, hoſtique futurum
Exitium crudele nimis. Sed Diva Poteſtas,
Humanas intra curas rerumque meatus
Præſcia, quæ nullo cohibetur fœdere, certas
Fatorum mutare vices, ac cetera verſat
Sponte ſua, & cœlo terras dominatur in omnes,
Propoſitis inimica tuis, ſcelerique nefando
D Obſtitit, atque aliis cauſam produxit ab actis.
Namque repentino delatus ab æthere curſu
Seu volucrum pennis, aut acris turbine venti,
Qualiter Æolio Boreas emittitur antro,
Venit anhelanti referens tibi nuntius ore,
Amiſſam Patavi ſedem, tutumque rebelles
Invaſiſſe locum, & portas habuiſſe patentes.
Ah quantum auditus rumor tulit ille dolorem!
Et quantos animo gemitus! Tibi dira vocanti
Numina, & Infernas nimiùm potuiſſe Sorores,
In dubiis adverſa malis & turbine rerum
Diſſimulare licet, cùm ſors premit ægra potentes
Regnorum dominos, ne ſit labefacta ſiniſtris
Mens titubet factis, Populis favor occidat amens,
E Nec ſervire velint, cùm ſit timuiſſe timendum
Viderit ipſe ſuum poſito moderamine Regem.
At tibi collectus per tantos denique motus,
Spem vultu ſimulans, tacito ſub corde dolorem
Preſſiſti, modicam oſtendens his vocibus iram.
Quis tam ficta nocens nobis conventa referre
Perſuaſit tibi? Quis noſtros malè viſus honores
Tale novum docuit? Num tu temerarius auctor,
Serve loquax, ſceleris? dic dic. Te ſcimus, & iſta
Verba carere fide. Cur nam mentiris, & audes
Perjuro ſermone loqui? Dabis improbe pœnas,
Et tibi pro meritis verborum præmia dictis
Digna feres. Pede mulctatus jam ſegnior iſtinc
Ito procul. Didicit monitus: nocet ardua multùm
Sæpe fides, dominiſque graves prædicere caſus.

Inte-

A Interea rapidis illabens ocyor undis
Alter ab alterius curſu prævenerat, & jam
Tertius, inde eadem multi vulgata ferentes.
Credita res tamdem variis auctoribus, acres
Moverat irarum ſtimulos, ſubitamque furoris
Expliciti rabiem. Tunc protinus arma capeſſens,
Caſtra movere jubes famulos mercedibus emtos,
Et propiùs tua ſigna ſequi; ſic impiger omnes
Præcipitas. Tunc ante neſas meditatus iniquum
Perficere, & ſummum vindex placare dolorem,
Impius ipſe capi pateris bis quinque virorum
Millia, quos eadem Patavi clariſſima Sedes
Tot natis exhauſta ſuis, tot prole nepotum
B Fecerat armorum comites, ſocioſque laborum.
Deinde petens illam votis gravioribus urbem,
Captivos tuta juſſiſti ſede locandos,
Et fido cuſtode premi, dum victa recumbant
Mœnia, & invictus iterum ſummiſeris armis.
At nimiùm properas: non ſic, veſane, cupitis
DI faciles rebus. Semper vorat improba mentem
Spes avidam, rariſque ſolet crebreſcere votis.
Senſit prima ſuum rapido per mœnia lapſu
Adveniſſe Ducem plebs Vicentina, nec umquam
Tam triſtem, nec tam rigido ſquallore notatum
Viderat, haud tanti cauſas ignara doloris.
Protinus inde trahi ſuetos ad bella clientes,
Bellorumque minas, & quæ tormenta rebelles
Perterrere ſolent, & latas frangere turres,
C Adduci poſt ſigna jubes. Jamque alta videre
Mœnia contigerat, tutoque ſub aggere foſſas,
Præcipites juvenumque manus ad bella paratas,
Fœmineumque viris mixtum genus, ordine certo
Murorum in latebris, pars grandia volvere ſaxa,
Aut torquere graves bellis propioribus haſtas.
Pars intenta leves arcu ſtridente ſagittas
Mittere; pila movent alii, fundâque rotandas
Illaqueant alii glandes, circumque volutant
Tempora. Sic ſtudio fervens animoſa virorum
Undique mixta cohors telis intenta manebat,
Sic Patriam, ſic Regna ſuæ tutarier urbis.
Non ſecus audaces ſuperatis Cæſar Iberis
Maſſiliæ gentes circum ſua mœnia vidit
Tela parata ſuis vibrare minantia pilis.
D Ut verò intrepidam vidiſti cominus urbem
Negligere impavidis jam jam tua juſſa miniſtris
Expertis vi primùm aditus, & fœdere certo,
Deinde minis. Sed dura virum nec corda nec aures
Implicuere tuæ ſceleratæ pectore voces.
Inde priùs multis paſſus convicia verbis,
Triſtis abis, & mota jubes in caſtra reverti
Agmina. Quis tautum facili virtute dolorem
Diſſimulare queat? Reduci tamen obvia quæque
Corripiens, armenta, greges, & quidquid agelli
Cultor habet: miſeros ſemper premit enſe colonos
Mars ferus, & ſubitam primi ſenſere ruinam,
Se quotiens tumidis infert diſcordia Regnis.
At te, quæ tantis dejectum caſibus ante
E Viderat, illa eadem Patavis, & ab hoſte reverſum
Excipit urbs poſitis inter ſua mœnia caſtris.
Non impune quidem tanti jactura doloris
Affuit, aut illi pravo ſtetit impia ſævi
Ira Ducis. Nam quæ cupidis amplexibus olim
Foverat, & dulci gaudens nutrivit amore,
Heroum meminit vidiſſe cadavera turpi
In medio detrunca foro. Proh debita merces
Obſequiis, merituſque labor! Tu nempe furentem
Talibus atque aliis ſatiaſti cædibus iram.
Non externa quidem Scythicove latentia Ponto,
Aut Lybici peregrina ſoli tua crimina facta,
Cimbre, cano, genus unde meum & natalis origo,
Unde mihi patria eſt. O fatis ſemper iniquis
O triſti fundata loco, bona mœnia numquam
Servili caritura jugo, neque tabe nocentis

Invidiæ! Vos hinc Patavus premit, inde moleſto
Poplite lenis Athex, qualis depreſſa duobus
Agna lupis, geminoſve inter proſtrata leones
Cerva cadit, quam nunc morſu, modò fauciat alter
Unguibus, inque vicem rapiunt, ſi fortior illam
Occupat, & ſocio prædam negat improbus actor.
Ut lenita parum rigido de pectore ceſſit
Ira ferox, paulùmque tuus jam cæde peracta
Elanguens in corde dolor mitefcere cœpit,
Sollicitum revocans animum, jam rebus agendis
Mentis in arcano tecum ſermone trahebas,
Præcipites rerum motus vitæque labores
Humanas, Regnique graves à culmine lapſus,
Perpetuumque decus numquam, mortique gravatum
Omne genus, ſuperaque bonos in ſede locandos,
Inque ima tellure malos. Sic conſcia tecum
Divino perculſa metu, mens ſacra docebat.
Tanta ſed in latebris vitiorum perdita moles
Obſtitit, & levium flagrans ſitis improba rerum,
Omnis ut in præceps ſtimulis agitatus iniquis
Langueret pietatis amor. Jam ſceptra tenere
Multa juvat; gladioque truci ſævire per omnes,
Qui tibi fas, gratumque neſas, & cuncta licere
Poſſe negant. Suberat tanti memorata doloris
Cauſa recens, graviorque novæ jactura repulſæ.
Protinus in furias ſubita vexatus ab ira,
Mota jubes ſuetos bellis tua ſigna clientes
Inde ſequi, Patavique dolens ablata relinquis
Mœnia: ſtat fixum cordi inſtaurare furorem,
Et luere immeritas à te ſinè vindice pœnas
Polydamantæos Phrygia cum ſtirpe nepotes.
Talibus intentum curis, ſcelerique labantem
Excipit aſſueto famulans Verona tumultu.
Nec mora, Lethæas ne mens levis hauriat undas,
Propoſitumque neſas animo cadat, impius omnes
Captivos, quos Euganeis à finibus olim
Servilis nunc verſus amor ſocia agmina bellis
Fecerat, in varias damnaſti occumbere mortes.
Quorum pars gladio cecidit percuſſa furenti,
Pars laqueis; ſed magna virûm langore ſupremo
Carceris in tenebris periit; pars cetera flammis
Et conſumta rogo. Paucis lenita pepercit
Ira ferox: ſic interiit miſerabile vulgus
Auctoris Phrygii, ſic ſors premit aſpera multos
Inſontes; ſic cognati delicta parentum
Sæpe luunt; hac lege ſacer dijudicat Ordo.
Ut verò immenſam ſatiaſti cædibus iram,
Placatuſque furor poſt crimina tanta quievit,
Pronus ad Heſperios, vicinaque Pergama falces
Intentos animi motus, & lumina pandis,
Si qua doli poſſes, aut diri ſemina belli
Inſerere, aut populis pacem turbare quietis.
Sed tamen ante alias, quas nunc Ligur implicat urbes,
Una placet, fortis retinens cognomina Brixi,
Quæ tibi, victa doli., & iniquo numine tamdem
Succubuit, Dominique tulit mandata ſuperbi.
Deinde putans alios facili virtute rebelles
Exſuperare, illam moliris fraudibus urbem,
Cui bicolor, mediamque gerens in tergore lanam,
Sus fœcunda ſuis ſub eodem vellere natis
Nomen ab invento primùm dedit indica monſtro.
Quam celer expoſitis cupiens invadere fatis,
Caſtra moves, tecumque Duces ſociatus heriles
Trans Aduam tua ſigna geris: ſic fata ferebant
Auſa repentinos tecum concludere fines.
At contra intrepidus medios adverſa per agros
Agmina bina trahens, claro Martinus ab ortu
Turrigeræ prolis, valido te Marte fugatum
Reppulit, inque cavo ſuperatum fluminis alveo
Occupat. Extremæ prohibebat litora ripæ
Plebe Cremona potens; jam nec pugnare, nec ulla

Parte fugam ſimulare licet: dumq; anxius omnem
Conciperes in corde metum, gravis ecce ſiniſtrum
Miſſa pedem tenui trajecit arundine ſtridens
Tragula, deinde caput fracto colliſa cerebro
Clava, tuum ſubitas oculis in morte latebras
Attulit. Heu magnis olim decorate triumphis,
Alterius nunc præda, tuo compreſſus ab hoſte
Duceris, & tutam Suncini raptus ad arcem
Depoſitum non vile, dato cuſtode, fuiſti.
Illic ſumma ferunt peragentem triſtia, nullis
Incaluiſſe cibis, avidumque occumbere morti
Oblatas ſpreviſſe dapes, Medicamque paratam
Artis opem, tumidumque oculis, & fronte ſuperba
Execraſſe Deos omnes, ac mitia Cœli
Numina, & inferno tantum debere parenti
Quod ſupereſt. Tandem abſumtis jam viribus, imò
Commendata Jovi totiens, ablata refugit
Umbra ferox, ſtygiaſque haud indignata tenebras
Sponte ſubit, multumq; illis valet improba Regnis.
At brevis impoſitum tumulo premit urna cadaver.
Labitur interea vicinas ſama per urbes
Inde alias, primùmque Duces aggreſſa verendos,
Talibus intentas vulgi rumoribus aures
Allicit, & rigidum bello cecidiſſe Tyrannum
Jam ſtudioſa refert. Tantis ſtupet anxia dictis
Turba dolens, vixque auſa negat; proſtraſſe timendum
Fata virum pars eſſe putat, tacitoque recondit
Pectore, & ut rata ſint votis ea dicta precatur
Numina magna Deûm. Quæ dum mage flagitat ardens,
Ne ſit inane, tamen metuit. Sic lubrica mentes
Spes trahit humanas avidis contraria votis.
At non vana fides dubiis ſuſpenſa relatis
Albrico fuit, aut fictis malè credita verbis.
Certa quidem facti ſeries ſibi viſa repentè,
Et tremor admonuit, ſubitòque impreſſa medullas
Sollicitii formido ſtatos, nec prœlia tantùm
Germani confuſa ſui, ſed cæde cruenta
Ipſum inter medios nullis parcentibus hoſtes
Occubuiſſe neci, & gelidis malè concipit umbris,
Et dubitare nequit: uondum illum fama peremtum
Dixerat. Ah quoties peſtis præſaga futuræ
Mens hominis, dum multa levi ſub imagine verſat,
Fit vates ſibi vera nimis; quodque ipſa veretur,
Ante oculos manet aſſiduum, ſemperque timoris
In pœnis ſtat prona fides. Jam certior aures
Pulſabat modico diſcurrens fama relatu,
Cùm ſibi diffidens, poſt fratris vana peremti
Præſidia, oppreſſam Tarviſi protinus urbem
Deſeruit, tutamque jugo Zenonis in arcem
It profugus, natiſque ſuis, & prole recepta
Cum ſocii conſorte thori ſe credidit altis
Murorum latebris, populi ne dira furentis
Impetuoſa nimis rabies ſæviret in illum,
Progeniemque ſuam. Sed quis vitare ruinas
Præviſoſque Deis lapſus, aut vertere poſſet
Fatorum leges divino robore fixas?
Protinus armorum furiis, bellique tumultu
Excitat ultrices ſcelerum quas implicat urbes
Marchia, tunc paribus coëunt ardentia votis
Agmina, nec ſummas metuunt invadere turres,
Aut ferro pulſare gravi. Stat cæde cruenta
Tam nocuum delere genus; jam miles, aperto
Effuſus campo, nitidis fulgebat in armis,
Et pedes ipſe levi montis ſuper ardua curſo
Nitebatur ovans, tectuſque umbone ſiniſtram,
Ibat ut obſeſſum muris comprenderet hoſtem.
Difficilis tamen ante labor, paulùmque morata eſt
Ingreſſi fortuna loci; ſed Numina tandem
Permiſere aditum, captamque irrupit in arcem
Victor, & oppreſſum vinclis cum prole nocenti
Albricum trahit in medios heu turpiter hoſtes.

A Hic finis fatorum ejus, ſtirpiſque nefandæ
Exitium crudele fuit: deleta propago
Nobilis interiit, nullo reparabilis ævo.

LIBER II.

Libera jam ſævis Ducibus cum prole peremtis
Marchia, ſolemnes Divûm pro munere pompas
Conſtituit, vigileſque ſacris Altaribus ignes.
Nec magis hac epulis vulgo genialibus ulla
Illuxit celebranda dies, cùm cæſus uterque
Occubuit. Primi juvenes duxere choreas,
Et pueri, mixtique ſenes, hilareſque puellæ.
Vix melior primis Latio ſervata ſub annis
B Ceſſit, Aventinæ cùm furta latentia ſilvæ
Prædonemque ipſum cæcis eduxit ab antris
Alcides, aut cùm levibus jam maxima cœptis
Roma fugam voluit Regis celebrare Superbi.
Jam reduces patriam repetunt, proſcriptus, & exul,
Et dulces ſubiere lares; jam Marchia felix
Pace fruebatur; poſito jam quiſque timore
Audebat ſua vota ſequi, nulliſque ſatelles
Formidatus erat; jam plebs, & nobile vulgus
Lege pari medios æquabant limite faſces,
Privatumque nihil fuerat. Sed rebus opimis
Blanda quies, numquamq; ſatis moderata voluptas
Perſuaſere viris luxum, molleſque rapinæ
Accendere animos opibus, ſociique poteſtas
C Impatiens, avidique ſimul ſitis improba Regni,
Turbavere pias diſcordi fœdere leges.
Inde minæ, libitumq; volens ſcelus omne nefaſque,
Et taciti ſubiere doli. Jam publica quiſque
Corripiebat atrox, & ſe privatus agebat
Inter opes, majorque humilem ſine lege premebat,
Impius inſontes, & plebi noxia ſemper
Vis Procerum, & quæcumq; ſolent turbare quietas
Fata vices. At ſola mali præſaga futuri
Præteritique memor ſubitos Verona tumultus
Præmetuens, ne fortè ruat, neve occidat amens,
Inſtantes neglecta metus, ſummumque periclum
His animum advertit, primùmq; arcere verendos
Nobilium faſtus, & claſſica ſæva, feroſque
Impietate Duces, & quæ ſolet ima labare
D Rem Populi, ſervare magìs moderamine certo
Deſtinat, æquoreo veluti cùm nauta profundo
Expoſitus zephyris aperit ſua vela ſecundis,
Remigiumque illis Pelagi ſecurus, & omnem
Artis opem linquit: donec ſurgentibus undis,
Et ſpumante ſalo rapidos videt æquoris imbres,
Ventorumque minas, & mille pericula ponti
Irruere in puppim: tunc protinus alta carinæ
Cornua, cumque ſuo deponit carbaſa malo,
Ne pereat, remiſque ſuis incumbere mavult,
Et clavo ſperare dato, quàm ſidere velis.
Quæritur interea, quis tanti pondera fati
Ferre queat, patriæq; datas regat acer habenas,
Cujus ab humano numquam polluta cruore
Dextra ſit, & nullo quondam violata metallo
E Sacra fides; & qui Populi rem protegat æquis
Legibus, a tumidos Procerum declinet honores;
Quem non ullus amor moveat, neque lurida tabes
Invidiæ, non fraus odii perjura latentis;
Sit juſtus, mitiſque ferox, nec degener armis
Bella gerat, pacemque ſuis inquirat ab actis.
Sis felix, Dominique leves patiaris habenas,
Et celebris longum maneat tua fama per ævum,
Libera Plebs.
Quæ talem tibi ſponte Ducem, non ullius aſtu,
Non impulſa metu, ſed res præviſa futuras
Feciſti. Plauſu Populi, & plaudente Senatu,
Eligitur pius Albertus, quo juſtior alter
Nec major pietate fuit, neque moribus ullus
Cla-

Clarior, aut virtute magis, nec ab indole tanta.
Ille ubi delectus Populi clamore refulſit,
Cogitur ad regimen Patriæ, velut agnus ad aram;
Quem circum Jovis interpres, comiteſq; ſacrorum
Ire repugnantem magno conamine ducunt.
At non elatus, tantove ſuperbus honore
Intumuit, rigidiſve fuit ſermonibus aſper;
Nec mores fortuna ſuos, neque caſibus ullis
Mutavit natura ſitum; nec defuit umquam
Idem animo; ſemper rectus ſtetit ille ſub omni
Pondere, nec cupido rerum flagravit amore.
Publica vix tamdem, cauſa meliore coactus,
Fræna capit; primùm vacuas ſupplere curules
Conſulibuss, numerumque pii ſpectare Senatus
Cura fuit; leges, & plebiſcita, forumque
Pacifico ſervare ſtatu; remque omnibus æquam
Dividere, & Patriæ multùm vigilare cadenti.
Principio trepidos ad publica munera Cives
Sollicitat, nulliquc pio dehinc eſſe timendum
Spondet, & ut nequis noceat, majorve minorem
Opprimat, aut rigidis inſurgant aſpera verbis
Jurgia, neve furens aut vi ſtuprove pudorem
Fœmineum intentet quiſquam, juſtiſſimus auctor
Conſtituit, pœnamque metu cum legibus addit.
Deinde vices rerum certo domat ordine. Jamque
Omnia tranquillo fervebant leniter uſu,
Eſſera cùm populis ſemper rebuſque quietis
Nobilitas, Procerumque tumor, quos impia Regni
Ambitio vexat, curiſque intorquet amaris,
In Civem rediere ſuum, Regemque Ducemque
Injuſtis odere animis. Tunc quiſque nefandis
Implicitus ſua corda dolis, conjurat in illum,
Diſponitque necem. Tanto ſuſpenſa paratu
Dudum turba ferox manſit, qua morte recumbat,
Quæque nefas aditu ſubeant, non tabe veneni,
Non illum nocuis extinguere cautiùs herbis,
Non arcu, jaculoque levi terrere, nec aula
Præcipitare ſua: placet hunc invadere ferro
Cominus, & manibus jugulum tentare cruentis,
Ut videat, ſe quiſque neget regnare potentes,
Quid valeant ad ſceptra manus, & Nobile robur
Quantum cum vulgo proſit. Sed triſtia cædis
Molimenta virûm, & ſcelus atra mente repoſtum
In fratrem venere tuum, qui fortibus actis
Jure pari tecum patriæ moderamen habebat.
At tu mente ſacer, clara Præfectus in urbe
Fatidicæ Mantos, tantum evaſiſſe periclum
Neſcius, & turpi germanum occumbere letho,
Namque illum tantis ignarum caſibus acres
Jam dederant in morte viri per vulnera mille,
Tunc aberas, Patriaque procul tellure vacabas.
Sic volvere diem ſortes, ſic ſtamina dudum
Fatali ſuſpenſa colo, pietate Sororum,
Maximus ut naſci poſſet, qui fortibus armis
Inclyta magnanimi ſuperaret fama parentis.
Rumor ut offenſas auditus perculit aures,
Non lacrymas oculis, non ullas voce querelas
Edidit, aut gemitu fudit ſuſpiria crebro,
Sed fron læta parum, tantum obteſtata dolorem
Pronior inſolitos redùt virtutis amores.
Nec mora: jam metuens Plebi, Regnoque, ſibique,
Ne Procerum ſcelerata manus ſæviret in ipſum;
Vulgus, & infeſtis premeret ſua colla miniſtris
Flatibus Eolus, & aperto fulminis æthere
Ocior, ad trepidam defertur marmoris urbem.
Illis implicitas magno terrore catervas
Incertas errare locis, multoſque latentes,
Spemque metumque inter dubios, quid fata minentur
Invenit, & tantæ lugere pericula cædis.
Ut veniſſe Ducem ſenſit, Plebs ægra dolorem
Protinus excutiens, accepto robore, vires,
Audaceſque animo motus cum mente reſumit
Turba frequens; circumque illi clamore feruntur:

A Qualiter in ſumma paſcentes rupe capellas
Aut procul in vacuis agris ſi fortè reliquit
Paſtor oves, canibuſque illas, pecorumque magiſtris
Permiſit, ſenſere lupi, poſitoque timore
Inde gregis regem furto rapuere, nec illum
Aut pecus, aut acres audent auferre moloſſi,
Qui ſimul ac pecudes, & paſcua nota reviſit
Dux bonus, intrepidi balant cum matribus agni,
Exultantque canes, & inertia membra reponunt
Magnanimi crebriſque cient latratibus hoſtes.
At poſtquam cineres tumulo compreſſit amatos,
Dignaque juſta libens, & triſtia vota peregit,
Acrior inſontes juſta deſævit ab ira,
Suppliciumque pati voluit, quos ſola nefandi
B Criminis atra lues maculis infecit apertis.
Et quamvis frater judex, tamen exſtitit æquus,
Atque ultor ſcelerum, nullo violatus amore
Diffugere metu pauci, quibus improba cædis
Sævities manifeſta fuit. Non Apulus illos,
Non maris Euboici litus, neque pervia ſyrtis
Exceptos potuere ſuis celare latebris
Triſtibus interea reſoluto pectore curis
Paulatim immenſum minuit vindicta dolorem.
Jamque metu vacuus, Plebi dilectus amatæ,
Solus agens, patriam tranquilla pace fovebat.
Felix, ſi Procerum numquam meditata fuiſſet
Mens ſcelus, & fratrem numquam luxiſſet ademtum.
Omnia contigerant felicia; namque potitus
C Conjugio Viridis nymphæ, quam cultibus illi
Junxit amor primis, & ſexu dives utroque
Natorum, turbaque potens ſurgente nepotum,
Non raptas ſervabat opes, ſed parcus abundans
Optima fundebat luxu quæcumque modeſto,
Quodque dedit, nulla voluit mercede remitti.
At non dum genitus patrio ſub amore latebas
Magne Canis, nec adhuc miſerum peregrinus in Orbem
Exieras, aut membrorum compago tuorum
Juncta ſimul; nam quæ noſtræ diſpendia vitæ
Fata tenent, rerumque potens, & præſcius ordo
Diſtulerant natale tuum, dum certus ineſſet
Sideribus ſtelliſque vagis ad ſigna meatus,
Et polus alternis inſpirans motibus ignem
D Æthereum, terræque liquor commixtus in unam
Congrueret maſſam, nec ab his deſiſteret auctor
Optimus, altrices fundens per membra calores.
Ecce dies felix, & lux inſtabat amati
Temporis, adventuſque tui generoſa propago,
Quodque tuo quondam vates inſana parenti
Fatorum admonitu certo prædixerat ore,
Poſcebat natura potens. Tibi, Scaliger, heros
Natus erit, qui te ſuperet majoribus actis,
Hoſtileſque premet, ferro parcente, catervas,
Acer, & indomitus, claramque Antenore ſedem
Imperio reget, & patrios augebit honores.
Caſibus exultans dubiis vix credidit, & jam
Omnia concordes ſpondebant ſidera lapſus.
Namque potens Cœlo ſidus fulgore paternum
E Juppiter igne novo, & radiis ſuperabat acutis,
Gradivumque ſuo Maja ſatus igne premebat,
Et Venus in roſeis ſtabat formoſa quadrigis;
Quæque diem, noctemque ſuis duo ſigna reducunt
Luminibus, Cœloque micant alterna, ſerenum
Induxere jubar; plenoque per æthera cornu
Ibat, & adverſum fratri ſoror abſtulit Orbem.
Tu quoque ſemiviri metuens Chironis iniquum
Sidus, & horrentes læſuro verbere chelas,
Phœbe, Cleoneum, Cancro fugiente, Leonem
Tunc ingreſſus eras; neque enim tibi gratius ullum
Signorum pecus eſt; nam te flagrante, nocentes
Haud queritur radios, nec iners tua juſſa recuſat
Ferre libens; ſtat læſa ferox, & parcere mitis

Bellua, cùm gemini Divûm pietate parentes
Noctè thoro excepit, placidi poſt tempora ſomni
Indulſere pares Veneri; non ut vaga multos
Sæpe libiuo agitat, prolis ſed amœna futuræ
Cauſa fuit, tuque ut poſſes jam maxime naſci.
At tua poſt dulces Veneris ſopita labores
Mater in amplexu cari diffuſa mariti
Membra fovebat ovans, blandaq; in imagine ſomni
Viſa ſibi eſt peperiſſe Canem, qui fortibus armis
Terrebatque ſuis totum latratibus Orbem.
Illum etiam medios vibrantem tela per hoſtes
Cernebat, ſummæque gradus attollere Scalæ.
Territa pro tantis ingens matrona latebris
Expavit, ſubitaque ſuum formidine pectus
Cum gemitu trahit, & rigidos pavor excitat artus,
Inque virum tremefacta ruit, quem ſobria curis
Intentum gravibus vigili mens corde premebat.
Conjugis attonitæ fidum ſcrutatus amorem,
Cur trepidet, cauſamque metus rogat: illa petenti
Viſa refert, qualemque ſuis contraria votis
Ediderit ſomno partum. Tunc omine fauſto
Vir bonus has fudit placido de pectore voces:
Pone metum, Conjux noſtri fidiſſima cuſtos
Sola thori, nam te partu majoris alumni
Dignatur Superum pietas, & ab æthere ſummo
Cedit honos, generique mea fortuna paratur,
Auſpiciis præviſa bonis, niſi carmina vatum
Irrita, nec vani jam me docuere parentes.
Ignoras quid fata parent; tu mente benigna
Quidquid id eſt ſtudioſa feres; nec tollere fœtum,
Cum dederit Lucina, pave, tactuque beato
Exonerare voles maturo pondere ventrem.
Talibus illa viri dictis à moore reſurgens
Subjicit: *ô noſtræ decus, & ſpes unica vitæ,*
Solamenque mali, nihil eſt quod ferre recuſem,
Haud invita mori, ſi ſors ferat; ipſa calentes
Sponte rogi flammas, aut qua vada cæca timendum
Efficiunt amnem præceps, & amara ſubibo
Exulibus tormenta tuis, ut magne potentem
Te faciam, celerique Deo cum prole beatum,
Omnia perpetiar: tantùm mea viſa ſecundent
Dii faciles, uterique mei ſit amœna propago.
Dixerat, & lacrymis vocem impedientibus, imum
Preſſa thorum, lateri dextro reſoluta quievit.
At pius exultans genitor, timiduſque ſiniſtrum
Ne quid eat, celer è tepido ſua membra cubili
Corripit, intentus Superis, & rebus agendis,
Uſque erat impatiens ſomni, metuenſq; Deorum,
Conſtitit ante ſacrum Jovis, & ſic poplite fixo
Pronus humi precibus ſupplex exivit in iſtis.

LIBER III.

JUppiter omnipotens, Cœli moderator, & imæ
Telluris, ſtygiique lacus, qui ſtagna profundi
Lata maris, terræq; globum metiris, & aſtra,
Qui Patris, & Nati ſpeciem cum Flamine ſacro
Solus habes, nec forma triplex, ſed Trinus & idem
Integer es, vultuque Deus ſpectaris in uno,
Idem perpetui reſidens in culmine throni,
Principiis & fine carens, & ab æthere ſummo
Cuncta videns, quem nulla dies, aut lapſa vetuſtas,
Nec ſeries annoſa latet, tibi quodque futurum
Ante oculos poſitum eſt, & idem præſcire laborat
Humanum fruſtra ingenium, niſi prodere certis
Auſpiciis Pater ante velis, nec vertitur ordo
Fatorum: ſi te colui, ſemperque putavi
Mente pium, ſi pura fides, & prompta voluntas
Speravit prodeſſe Deum, nunc annue votis
Dive meis, dextroque libens precor omine firma,
Quod mihi mens ſuadet prolique intende futuræ;
Progeniemque novam, quæ me, patrioſque penates,
Et genus egregium ſuperet majoribus actis

A *Bellipotens, neque vana meæ da conjugis eſſe*
Viſa precor; monſtri tantùm gravis abſit imago,
Cùm pariet. Tuque alma parens, & filia nati
Cerea tui, Materque & Virgo puerpera, Cœli
Janua, quæ precibus ſemper deflectere juſtis,
Redde mihi facilem natum, vultuque benigno
Grata fave, propiiſque meis accede rogatis.
Finierat, jamque orta dies, & clara rubebat
Purpureis aurora rotis, Phœboque ſequente
Lucifer ex alto Cœlum imperioſus habebat,
Aſtra fugans, blandæque ſuos avis improba Niſo
Tempeſtiva ſonos alti de culmine tecti
Exultans in luce dabat, circumque volantes
Fundebant alacres cantus Pandione natæ,
Tunc primùm mirata ſuam Philomena ſororem
B Tam dulces iterare modos, magnique doloris
Oblitam rigidi ſcelus excuſare mariti.
At procul horrifico deteſtans gaudia cantu
Nictimene, dubiumque canens in litore Cornix
Abſuit, & dirum ſemper mortalibus omen
Bubonis vox rauca ferens, & quæque volatu
Noctivago delirat avis, pia tecta refugit.
Jam quater exhauſto nocturna lampade cornu
Evacuata ſuum totiens produxerat Orbem
Cynthia, cùm Nais generoſo ſemine prægnans
Jam certum monſtrabat onus, tumidoque latentem
Vix utero fœtum, & gremio capiebat onuſto.
Obſtupuit fœcunda parens, cur tantus ineſſet
Viſceribus tumor, aut gravida quis motus in alvo
Deſuetus: timuit magici contagia morbi,
C Concubituſque thori dubios, aut ſemine multo
Concepiſſe duos: nullus tamen occupat horror
Attonitam, nec plus æquo gravis accidit illi
Sarcina, non roſeos infecit pallida vultus,
Aut macie eſt rugata cutis, neque torva reluxit
Sidereis oculis, & vix tumuere pupillæ,
Quæque ſolet gravidas nimiùm vexare puellas
Ambitio, & crudis intendere fructibus ardens
Impetus, atque avidæ torrentes viſcera flammæ
Deſeruere leves moderatis uſibus artus.
Non illi ſopor, aut gravibus corrupta medullis.
Blanda quies, non ore cibos, aut vina repugnat
Sumere: frons eadem, ſolitoſque in pectore geſtus
Manſit, & egregii ſpecies formoſa decoris.
Labitur interea profugis iterata quadrigis
D Multa dies lucemque pari ſtatione remittit
Poſt trochæas, novieſque ſuum jam Diva triformis
Auxerat alterno producens cornua vultu.
Jamque Dionei relegens confinia menſis
Phœbus Agenorei torrebat viſcera Tauri,
Cùm prope maturum perfecto ſemine fœtum
Feliciſque diem partus præſenſit adeſſe
Nympha virens, famuliſque operi de more paratis
Marmoreum ingreditur thalamum jam nocte fugata,
Et ſubeunte die, modicoque agitata labore
Depoſuit gravitatis onus, peperitque virilem
Ex utero fœtum; qui poſtquam vagiit infans
Editus, & magnam vagitu terruit aulam
Virginis obſequio facili, natoque recepto
E Functa parens, gaudenſque ſimul, vix ægra levavit
Membra thoro, nullum partu ſenſiſſe dolorem
Viſa ſibi; ſed cauta ſuo monituque ſororum
Ante cibis reficit ventrem, blandoque ſopore
Inſtaurat vires; & quamvis aure notaſſet
Vagitum humanas ſolitum comprendere voces,
Ipſa tamen ſecum metuit, ne prodita ſomni
Eſſet imago ſui, monſtrumque operoſa tuliſſet,
Quale ſoporifera vidit conterrita nocte.
Mox jubet afferri natum, quem ſedula nutrix
Prima miniſtrarum niveis jam provida vittis
Celatum. & tepidis ſuſceptum molliter undis
Poſcenti dedit. Aſt illum jam luctus, & ingens
Vagitu clamor ſolitis invaſerat annis,

Qui

Qui ſimul ac matrem vultu conſpexit amico,
Obticuit, viſamque oculis luſtravit apertis
Miranti ſimilis; ſubito & nova gaudia riſu
Teſtatur, velut inde ſuos agnoſceret ortus.
Obſtupuit gaviſa parens, cur tantus in illo
Et vigor, & magnos ſpecies diffuſa per artus,
Quæ frons læta nimis, patrique ſimillimus eſſet
Illa ſuos laudat vultus, formæque decorem,
Nec ſaturare poteſt dulces in imagine viſus,
Ut verò ancipites poſuit de corde timores
Nympha virens, viditque ſuum certiſſima natum
Humanam in ſpeciem, tunc illum lacte calenti
Mandat ali, quod jam nutrix delecta parabat
Uberibus preſſura ſuis; vix tactus ab illa
Vagiit, & clauſo talem indignatus alumnam
Ore fugit, nec degeneres vult lambere mammas;
Maternis iterum tacuit porrectus in ulnis,
Atque iterum fixis matrem cognovit ocellis
Exiguus puer, immenſum qui maximus Orbem
Nunc quatis, & Phrygiis reparas Antenoris urbem.
Blanditur, natoque ſinus, & pectora monſtrat
Illa ſuo: riſit gaudens, maternaque ſenſit
Ubera, quæ cupido ſugens alterna palato
Lactis opem traxit; primiſque alimenta ſub annis
Inde tulit. Tunc egregiam circumſpicit ædem
Jam ſatur, atque oculis luſtrat per ſingula fixis,
Miraturque trabes, & mille coloribus actos
Exteriùs muros, fulvumque in veſtibus aurum,
Et pictos in ſede thoros. Jam lenis ocellos
Noctis in acceſſu & Phœbo languente ſub undis
Oceani, ſopor explicitis irrepſerat alis,
Et matrem famulaſque pio jam ſomnus habebat
Obſequio feſſas, primo cùm tempore noctis
Quo ſolet humanis major ſe fundere membris
Blanda quies, venere Deæ, quibus omnia fato
Debentur, noſtræque tenent diſpendia vitæ.
Quarum quæ triplici referentem ſtamina nexu
Bajulat una colum: *Primus ego debita fatis*
Sorte Deum tibi do, pueris prælate ſuperbis,
Felices in luce moras, & dulcia vitæ
Tempora; te magnus ſemper venerabitur Orbis,
Te Ligures, Bardique comis in pectora longis,
Quæque colit rapidis labentem molliter undis
Eridanum, gens blanda fatis, tua ſigna timebit,
Et Patavus, Venetique omnis tibi ſerviet ora,
Olim quam Phrygiæ poſt diruta Pergama Trojæ
Condidit Antenor, Patriæ qui proditus arcem
Per medios fugit Danaos, atque incola primus
Dicitur his habitaſſe locis. Sed Marte feroci
Hanc priùs, & latos igni populabere campos,
Donec prona tuis dudum adverſata favebit
Imperiis, ſervire volens, & intre ſubibit
Sponte jugum; ſic Tarviſi contermina ſedes
Se dabit exultans domino faviſſe potentè.
Forſitan Adriacis inter vada rauca procellis,
Illyricoſque ſinus, gelidaſve Aquilonibus alpes,
Quæ nunc frugiferis dives jacet Inſula campis,
Magnus ubi Scyticum perquirens Julius Orbem
Inſtituit commune Forum tibi læta vacabit,
Accedetque tuis tam nobilis ora trophæis,
Si te cura feret tantis inſiſtere rebus,
Et labor indomitus. Nec res erit ardua vires
Oſtendiſſe tuas in apertis milite campis.
Dixerat; ac tereti producens ſtamina fuſo
Fatali deprenſa colo, ſic talibus inſit
Orſa modis: *Ego, quæ Procerum, Regumque, Ducumque,*
Atque humilis produco dies & ſecula vulgi
Lege pia, nullique licet pervertere noſtrum
Arbitrium, nec quid Divum ſacer exigat Ordo
Mortali præſcire datum eſt, aut frangere cauſas,
Spondeo multa tuis felicia tempora fatis,
Magne puer. Neque te paucis inimica diebus
Perſequar: in longos ducam tua fila receſſus,
A *Et vitæ monumenta tuæ. Tu diſcute, quantus*
Vivendi ſit blandus amor, ne fortè repenſans
Noſtra ſub adverſis feralia dona tributis
Devoveas natale tuum; tamen acre ſubibis
Sollicitæ regionis iter: ſic lege Deorum
Sancitum eſt, ut magna luens delicta parentum
Laomedonteæ ſolvas perjuria gentis.
Hæc ego Parcarum Lacheſis comes una tuarum
Polliceor tibi, juſte puer, majuſque parari
Prædico virtute decus, niſi ſumma poteſtas
Impedit, aut mihi ficta refert non verus Apollo.
Tertia jam celeres dabat in ſermone loquelas
Atropos, & verbis repetens exibat in iſtis:
Si tibi, nate puer, tantos dignatur honores
B *Rex Superum, noſtræque jubent accedere ſortes*
Felices in luce moras, cur improba vates
Fata moror præviſa Deis? Non dulce negabo
Obſequium, nec ſæva nimis tua fila recidam
Funeris ante diem, neque pollice dicar acerbo
Extinxiſſe caput tam nobile, ſola mearum
Crudelis, diſcorſque animis & lege ſororum.
Non ſic noſtra ſolent alternas rebus agendis
Fundere regna vices: una eſt eademque voluntas
Fixa tribus. Vivas etiam tu munere noſtro
Dive puer, tibi certa meum promitto favorem,
Et tardas ad fata manus: non ſtamina levis
Fuſa colo, neque fila brevi ſtatione recludam,
Longa ſed in ſenium dabitur tibi gratior ætas,
Longævuſque dies, quantum ſinet ardua tellus,
C *Commixtuſque liquor calido contrarius igni,*
Quique alit interiùs junctos compagibus artus
Cœleſtis vigor, aut quantum vixiſſe pigebit.
Heu heu quàm miſeræ nimiùm ſitis anxia vitæ
Delirat, quotiens profugos à morte receſſus
Expetit, & longos votis gravioribus annos,
Perpetuumque cupit Mundi tolerare labores.
Devovet ille Deos, nec quantum intelligit amens
Præſcit * *ævi, quàm ſollicitis ſit plena latebris*
Iſta dies, quantus ſupera qui præſidet arce
Juppiter, aut ſummi quàm vaſta potentia Cœli.
At tu mente ſacer cupies quodcumque neceſſe eſt,
Faſque homini, nec degeneres in tempora queſtus
Concipies. Satis eſt paucos virtutis in umbra
Exegiſſe dies; at longos turpiter annos
D *Crudelis fovet, & ſceleri malè vivitur ævo*
Utaris ſinè labe tuo: ſurgentibus annis
Conſurget pietatis opus; non ſceptra tenenti
Sævities, non injuſtæ vis apta rapinæ,
Non auri ſceleratus amor, neque dira placebit
Fraus tibi, ſed magnis virtus exercita rebus,
Juſtitiæ decor, & Pietas, armata ſeveris
Legibus, invictique animi ſervata juvabit
Alma fides. Te, cùm profugos exibis in hoſtes,
Non furor, aut acris pendens victoria belli
Præcipitem trahat; & modico polluta cruore
Sit mitis parcendo manus. Producere lethum
Degeneris, victumque pii eſt ſervare nocentem.
Tu tamen, extremos quamvis tibi ſpondeat annos
Noſtra cohors, longæque paret confinia vitæ,
E *Regnorum ancipites caſus, bellique tumultum*
Magne time, nec te cunctis expone periclis.
Multorum præviſa ſalus; nam ſæpe repugnant
Diſcordes in lege vices, & fallitur ordo
Fatorum, quotiens noſtræ temerarius auctor
Sortis eget, vetitumque bibit de cortice ſuccum.
Finierat, facilique trahens cunabula motu,
Exaudis hæc verba puer? Num ſuſcipis, inquit,
Quæ tibi dona damus? Tunc lumina concitus infans
Suſtulit, & modico teſtatus gaudia riſu
Annuit, his viſus capitis moviſſe cacumen.
Talibus excuſſo nimiùm perterrita ſomno
Expavit matrona potens, quæ turba ſororum
Eſſet, & humanas dudum meditata figuras,

Quam

Quam vocet ignorat. Cultus tamen ipſa decoros, A
Sidereoſque genis oculos, formæque nitorem
Miratur, comiteſque putat veniſſe ſacrorum;
Et quantum ſtudioſa cupit cognoſcere, tantum
Nota minùs facies, & cognita nomina fiunt.
Tunc magis extimuit, natumque animoſa relato
Occulit amplexu, quam ſic affata Dearum
Prima comes: *Ne furta time, dulciſve rapinam*
Depoſiti; non hæc noſtri ſuſcepta laboris
Cura fuit pia, nec tales ad ſacra venimus.
Non pius ex alta Divum Rex miſit Olympo.
Cauſa viæ puer iſte tuus, quem fata ſecundis
Ominibus ſervare parant, & tollere, quantum
Sanctio noſtra ſinet. Nec tu præſcire labora
Majeſtas quid ſumma velit: quæ diximus, illi
Scire datum; ſed cum nato gaudebis adulto, B
Tunc tibi certa ſcies, felixque vocabere mater,
Non hæc mortalis facies, neque Colchidis arte
Prodita turba ſumus: nobis Divina poteſtas
Inſita mortales operoſo ſidere curſus
Diſponit, rerumque vices trahit ordine certa.
Nos cohibet tamen, aut fieri vult ipſa nocere
Quæ venit ventura ſola, Jovis arguit omne
Imperium, vertique nequit quod ſumma poteſtas
Eſſe jubet. Heu te falli ſub imagine ficta
Nympha time: nos turba ſumus, quæ clauſa
ſub iſta
Fata colo, vitas hominum ſtata iura tenemus
Lege pia. Simul ipſa colum, fuſique relapſum
Pondus, & adductos ter circum ſtamina nexu,
Oſtendit. Simul ora deæ, vultuſque ſororum C
Evanuere oculis Nymphæ: ſtetit, æquore qualis
Navita fulmineo quem mille tonitrua Cœlo
Incutiunt, aut qualis apes, quam ſæpe lacerti
Effigies umbroſa quatit; vixque obſuit illi
Corde pavor: tantùm metuit natoque, ſibique
Fida parens. At cùm reduci ſe mente recepit,
Felices ad vota Deos, operiſque laborem
Exorat, tacitoque libens hæc pectore condit.

LIBER IV.

EXcitat interea Patavos jam ſæva trahentes
Bella furor, majorq; animis & mente ſuperba
Ira fremit, quæ poſt habitum ſopita triumphum
Ut cecidit gravibus turrita Colonia muris D
Marte Phrygum, quibus Euganei fluit unda
Timavi,
Languebat, miteſque viris dabat ægra furores.
Nam qualis Thebana nurus cùm ſacra Liæo
Digna facit, viſaſque ciet clamore ſorores,
Et gravis Ogygio bacchatur ſquallida ritu,
Talis ab inſano vates oppreſſa tumultu
Per medios agitur cœtus, curſuſque viarum,
Et tali ſermone refert: *quid Dardana pubes,*
Hectoreum genus, & magnos à ſtirpe parentes
Incaſſum neglecta vocas? Jam clara propago
Scaligeros erexit Avos, & nobile germen
Venit ab his, cujus manibus petiere rapinas
Et nocuas in tecta faces; hic alter Achilles,
Hic iterum Phrygios ſuperabit Marte nepotes. E
Illum etiam multos adverſùm ſponte per annos
Prona tibi Regem efficies, & mite ſubibis
Illius imperium, quotiens ego fœdera cerno
Pacta ſibi, læſamque fidem. Nunc ægra juventus
Tolle moras, bellumque para, dum proditus infans
Vagit adhuc tener in cunis, atque ubera lactat,
Nec vires habet. Egregium cum prole nocenti
Perde genus, dirumq; tibi cape, dum potes, hoſtem.
Talibus illa fureos dictis in pectora vulgi
Invidiam, tacitumque ferit cum tabe venenum.
Inde latens odium, poſiram quoq; ſuſcitat iram,
Atque animos ad bella truces, & inertia Troum
Membra quatit, monitiſque illos accendit amaris.

Scinditur ambiguo tamdem veſana tumultu
Plebs Antenoreos referens ab origine faſtus,
Certatimque omnes vario ſermone trahuntur.
Namq; alii, quibus ægra dabat jam corda ſenectus,
Arma viris ſumenda negant, & cruda reponi
Hinc odia, ac ſævas moderato pectore flammas
Perſuadent, pacique datos ſervare penates,
Et laribus torpere ſuis, cumque hoſte paciſci
Tranquillos in luce dies. Pars magna popelli,
Plena mero, multumq; ferens in pectore Bacchum
Increpat hos, penituſque novæ ſervanda Sybillæ
Dicta monent; neque enim tales ſinè numine voces
Effudiſſe illam referunt. Dum magna loquuntur
Verba, nimis acuunt animos, & fortia jactant
Viribus acta ſuis, ferrum, flammaſque minantur.
At Proceres, majorque gradus, quos alta ſuperbit
Dives origo Patrum, faciles ad Regna decuſque
Aſſenſere animis Populi, bellumque nefandum
Marmoreo ſtatuere Duci. Jam plebis & omne
Nobilium genus, hinc juvenes, hinc firma ſenectus
In medio coiere foro, nitidiſque ſub armis
Emicuiſſe juvat. Primi data ſigna tulerunt
Armorum belliqüe Duces; ſubit inde libenti
Vectus equo miles, leviboſque onerata ſagittis
Turba nocens pedes hinc ſequitur, clypeataque
multis
Agmina denſa viris, Siculo velut acta colono
Luxurioſa ſeges mediis turgeſcit in arvis.
In medio criſtata cohors, Populique fidelis
Ardet amor, cui Berta ſuis provecta quadrigis
Argumentum ingens palmæ, faciliſque juvamen
Præſidii ſervanda datur. Stat fixa ſupino
Robore trabs, ſolioque ſuper fundata ſuperbo,
Caſibus in dubiis fides conſulta. Quaternis
Vecta rotis trahitur facili conamine, moles
Quam circum delecta manus, vulgique corona
Plaudit ovans, fidoque datum cuſtode tuentur
Depoſitum, quotiens belli furor impius urget
Irarum ſtimulos pugnæ, coït omnis in unum
Turba frequens, circumque illi clamore feruntur.
At velut Italiæ volucres cùm cardine verſo
Æolis aula fremit, raucoque ſuperbus hiatu
Fundit Hyperboreas non lenis Aquarius urnas,
Riphæaſve nives Auſter quatit æthere ab alto,
Denſantur ſimul, & facto tamen ordine cœtu,
Servandum aſpiciunt Regem, ne turbidus illi
Obſit ab imbre polus, laxis modò protegit alis
Quæ potuit, ſervanſque Ducem ſperare videtur.
Hic olim decus, & Populis venerabile ſacrum
Currus erat, quem ſæpe trahens procul hoſte
fugato
Victor ad egregios Divûm ſpolia ampla penates
Perduxit, Temploque locans hæc prodidit alto.
Jam procul Euganeis Patavorum exercitus ingens
Mœnibus exierat, latiſque ardebat in agris
Armorum decor, & fulva ſub caſſide miles.
Jam juvenum delecta manus, nullique coacti,
Nonnulli venere ſenes, & mixta ſub illis
Pubertas animoſa viris; vix mater euntem
Impedit amplexu natum; gemit altera fratrem
Imbelli fugiſſe toga: ſtat tanta cupîdo
Scaligerûm delere genus. Jam proximus urbi
Adventabat eques Phrygius, quam dulcibus undis
Pæne fluens retro ſecat hinc, rigat inde Bachillus
Fontibus ex geminis; at cùm ſua mœnia linquunt
Non procul à muris, uno duo flumina tractu
Conveniunt, miſcentque duos in fluctibus amnes.
Hi fama indecores tantùm ſua nomina celant
Mitis Athes, vaſtaque means de rupe Timavus,
Quos inter velut agna duos urbs parva leones
Victa jacet, mutatque duces alterna ſuperbos.
Hanc Patavus ſubit, & magno plebs feſſa tumultu,
Ingentemque trahunt ſecum moderamine currum.
Poſtquam epulis ſomnoque datam ſub nocte
quietem
Com-

Compuſuere viri membris facileſque labori
Aſſumſere animos; celeri producta rotatu
Signa movet gravibus moles operoſa rapinis,
Ac jubet hinc acies, & claſſica ſæva moveri.
Tunc alacres exire parant, & Sole recepto
Laomedontiadæ foribus mittuntur apertis,
Inde iter ad trepidam convertunt marmoris urbem,
Quæ tibi nunc patrios ſervat defenſa penates,
Magne Canis, claramq; refert ab origine gentem.
Quò properas veſana manus? quò te furor amens
Præcipitem trahit immenſum pulſare cacumen
Indolis egregiæ? Neſcis ignara futurum
Quid tibi fata parent. Hac eſt de ſtirpe vocandus
Dux tibi, quem miſero nondum pater optimus Orbi
Prodidit, illius fatis melioribus ortum
Certus agens hic, quem cunis vagire ſuperbis
Nunc vates inſana canit, germanus & illo
Fratre minor: tam fata ſuis ſunt aſpera votis.
Jamque fatigatis humili ſub Sole maniplis,
Ventum erat in planum, flavas ubi pulſat arenas
Cultor inops, ſterileſque rotat ſub pulvere glebas,
Gratior hoſpitibus ſedes, quam molliter Alpo
Uberibus fœcundat aquis. Hic feſſa reponi
Signa jubet, tardamque gravi ſub pondere molem
Dux prior, inque novis tentoria figere ripis
Hortatur, ſocioſque levi moderamine tractat.
At vigil inſomnes jam dudum pectore curas
Involvens pater Albertus, quibus ipſe furentes
Dardanidas lenire modis, ac flectere poſſet
Aſpera corda Phrygum, & belli vitare ruinam,
Nunc hinc nunc illinc mentem quatit, icta ſecuri
Qualis acer primuſve operi labefacta ſupremo
In dubio eſt qua parte cadat. Nam viribus impar
Oppugnare Phrygas, bellumque attollere contra
Innumeras acies, ardenſque in prœlia vulgus
Inde manere, truces gladios hoſtemque ſuperbum
Poſſe pati timet, & patrias tutarier arces.
Hinc fraudes cœcoſque dolos molitur, & omne
Inſidum genus. At tantis obſtare periclis
Is neque vi, nec fraude poteſt; ſcit quantus in auro
Eſt vigor, & Phrygias qualis ſolet urere mentes
Ambitus. Heu nimium præceps ad blanda cupido
Nos trahit & votis nunquam ſatiabilis hæret
Humanis. Hæc viſa placet tutiſſima Regno
Materies: tunc ingenti promotus ab ira
Ductores belli ſummos Proceresque verendos
Pollicitis onerat donis, atque aggerat auro,
Utque citi redeant placidis ſermonibus orat.
Illi exultantes, ſpoliis auroque recepto
Caſtra movent, repetuntq; ſuos cum plebe penates.
Non ego te molles olim Ceneia jactus
Mirantem arguerim, nec quæ tibi poma rotabat
Hippomanes legiſſe palam; nam ſexus, & ardens
Viſceribus perſuaſit amor, neque divite nimbo
Corruptam Acriſii natam pluvioque metallo;
Sed magis atque magis miter fortiſſima Teucrum
Pectora, & ingentes animos, quibus ardua quondam
Grajorum virtus bello vix acta biluſtri
Obſtitit, obſcœnis animum inſeciſſe tributis.
Heus ubi te, venerande puer, poſt tanta reliqui
Scripta vagus, traxique tuas ab origine laudes?
Da veniam, nunc cœpta libens exorſa reſumo,
Teque tuoſq; meo cum carmine proſequor ortus.
Interdum veterata novis ſervare figuris
Acta licet.
 Jam tibi ſigniferis occurrens motibus annis
Creverat, & natale tuum ſignabat uterque
Conſul, ab incœpto repetens ſua tempora Regno,
Cùm feſtina tuis accedens gloria membris
Signa dedit manifeſta fide; nam plurimus hærens
A In vultu pater egregium dedit ipſe nitorem,
Purpureaſque in fronte genas, & tempore parvo
Mira lacertorum moles, humerique, manuſque
Deſueto crevere modo; non verba ligatis
Imperfecta ſonis, ſed jam intellecta loquaci
Ore dabas; jam tota tibi depreníſa ſupellex
Nominibus certis, & nota vocabula rerum.
Tu medios inter Proceres, & lauta vocatus
Prandia, jam noti ſemper genitoris adibas
Ora priùs, fixiſque illum ſcrutatus ocellis,
Quid velit, in patrium flagrabas ſemper amorem
Et coram aſtabas vultu venerabilis illo,
Imperiis parêre volens. Jam tertia meſſis
Venerat, & ter muſta ſuis ſtillata racemis
Spumabant impreſſa cadis, cùm major adultis
B Incaluit virtus membris; non ſuppara cœcis
Facta magiſteriis, neque fuſo baltheus auro
Grata tibi, non quæ tenues diſtinguit amictus
Zona nitens, calathive leves: juvat arma videre
Criſtataſque jubis galeas, enſemque micantem,
Aut ſpumantis equi curſum. Non terruit aures
Tibia, non ſtridor lituûm, clangorque tubarum,
Timpanave, aut bellis aptus ſonus æris acuti.
Tu quotiens fletu puerili more dolebas,
Diceris bis tacuiſſe ſonis; non dulcia tantùm
Verba, nec inſulæ materna voce juvabant
Blanditiæ, quantum ſtrepitus Cybelejaque mater
Ideis pulſata jugis. Jam mollia tædet
Juſſa pati, jam fœmineas exoſus habenas,
Te celerem ad patrios monitus, cœtuſque viriles
C Sponte rapis, docilemque novis te moribus offers.
At pater egregius pueriles concipit auſus,
Et ſe um admirans tacita ſub mente volutat,
Quanta tui virtus animi, quàm nobile robur,
Quantus in ingenio vigor eſt, quàm blanda tuorum
Membrorum moles, ſpatio ut ſuperaddita parvo
Vis feſtina tuis increverit ardua membris.
Jam ſtupet, & tali gaudens lætatur alumno,
Mente Deum luſtrans; neq; enim ſinè numine talem
Progeniem veniſſe putat; memor inde notati
Temporis, excuſſo cùm Conjux territa ſomno
Rettulit horrendum dictu, & mirabile monſtrum
Viſa ſibi peperiſſe Canem, qui magnus & acer
Incurret totum validis latratibus Orbem.
Omnia propoſitis firmat ſolemnia votis,
D Impoſitumque priùs nomen tibi mutat, & addit,
Magnus ut hinc dicare Canis, nam conſona rebus
Nomina ſæpe ſolent veras prædicere cauſas.
Tu puer ad patrios ſemper tua lumina vultus
Flectebas, quotiens illum domus ampla tenebat,
Hærebas lateri comes, & qua leniter ibat,
Tu quoque; & interdum gremio comprenſus amato
Dulcia purpureis figebas oſcula labris.
Nec minùs ille tuis exultat moribus ardens
Plus æqua gravitate pater; nam mollia tecum
Otia ſæpe trahens, ſeceſſit ab agmine fido
Nobilium, ludiſque movens puerile jocoſis
Certamen, nunc te rapido contendere curſu
Invitat, teretemque pilam pulſare rotatia
Ictibus, aut agiles jactu verſare lapillos.
E Sive ætate pares animoſo brachia nexu
Inſeruere tibi, vires hortatur, & urget
Fallere jam, fraudeſq; docet, præq; omnibus unum
Te laudat, fratreſque tuos ſuperaſſe fatetur.
Exin te geminis ſuſceptum molliter ulnis
Amplexu fovet, & magnum teſtatur amorem
Dulcibus obſequiis. Et jam puer omnibus æquè
Invidioſus eras; nam quantum Lucifer aſtris
Gratior eſt Phœbo, cunctis quàm Delia ſilvis
Ante leves Satyros, tam tu præſtantior illis.
His te fama refert annis, cùm ſeptima nondum
Horrea frugiferis impleſſet meſſibus æſtas,
Virtutis monſtraſſe palàm nova ſigna futuræ.
Nam ſemel immenſos auri viſurus acervos,
Se-

Secreto quos ipſe loco pater ante locarat,
Utile propoſitum Regnis, & tuta ſupellex,
Sobrius ad curas huc te comitante ſubibat.
Utque ſuum vidit fido cuſtode teneri
Depoſitum, nullumque illi conſtare periclum,
Has tibi certus opes ad grandia facta reſervo,
Nate, ait, *ô ſpes prima mea. Si tollere quicquam*
Nunc amor eſt, plenſque juvat diſcedere pugnis,
Eja tolle libens, non ulla in verba minaſque
Exibo trux, nec rigidis dabo verbera palmis.
Hæc tua ſunt, olim magno mihi parta labore
Dona, puer. Riſiſſe ferunt, ac rore modeſto
Inguinis aſperſiſſe, velut deſpexerit illas.
Sunt qui te parvas contemto munere gazas
Magnanimum ſpreviſſe putant, & paupere tecto
Anguſtos dixiſſe lares, patriumque cubile
Vix uni ſatis eſſe viro; pars fortia laudat
Pectora, & in tantis robur puerile tributis
Contemtor felix, & opum parciſſime cuſtos,
Quem neque blanda fames auri, neque dira cupido
Obruit in teneris annis Quo carmine primùm
Quo ſatìs ore tuas referam ſinè crimine laudes?
Non mihi ſi centum linguæ, totidem ora, caputque
Sibila tot vibrare datum, tot reddere voces
Quotve Meduſæo ſinuantur guttura monſtro,
Sufficerem narrare tuas ad ſingula dotes.
Septimus interea membris irrepſerat annus,
Magne, tuis, cùm jam ſociis jam fratribus æquus
Vertice jam latis oſtendens brachia nervis,
Exertoſque thoris humeros, exire parabas
Longiùs è patriis tectis, ac tota videre
Mœnia, & interdum muris poſt terga relictis
Urbe tenus, virides circumdare flexibus agros,
Qualiter implumes avium ſuper arbore fœtus
Comprenſi nido ſervantur, plumea donec
Sylva tegit, penniſque datis contexitur omne
Remigium alarum, mox ut volitare per auras
Incaluit membris animus, vireſque receptæ,
Exiliunt alacres nido, primùmque propinquis
Inſidunt ramis, & ſtipite blandus in imo
Fit motus, donec pennis audacia venit
Fida ſatì: tunc præcipiti ſe more parentum
Longiùs obliquant jactu, tamdemque per omnes
Ætheris auſa vias, volucris ſibi quæque vagatur.
Non aliter Patriæ jamdudum creditus aulæ
Deſuetum agnoſcens robur puerilibus annis,
Et tua jam validi veſtigia figere plantis,
Optabas procul ire vagus, nunc greſſibus imis,
Nunc agili provectus equo, jam doctus habenas
Flectere, & interdum talis urgere furentem.
At pater egregius pro te magis anxia ſemper
Corda gerens, ne quid fatis ſua vota ſiniſtris
Læderet, aut anceps per mille pericula caſus,
Dat Chirona tibi, qualem tulit acer Achilles,
Cùm puer Hemonio latuit ſervatus in antro,
Qui te dum teneris eſſes flectendus ab annis
Virtutis ſub lege domet, quibus optet honeſtas
Moribus alma coli (nec enim fit major in ullo
Nobilitas) quibus apta ſonis jam lingua loquatur,
Quo taceat frænata modo, qua mente reponas
Iratos animi motus, qua turbidus iras
Temperie pacare ſcias, doceatque ſub armis
Militiam, & duros Martis tolerare labores.
Hic priùs alipedum curſus tibi monſtrat equorum,
Præcipitique leves ſaltu, quo flectere giro,
Quo lentos urgere modo, quibus addere lora
Conveniat, quæ fræna magis, cur ſtringat habenas
Læva pares. Hi cùm libuit decurrere campo,
Primus equum movet, aut blando moderamine
tecum
Inſequitur lætos comites. *Sic ſævus in hoſtes*
Ibis alumne potens, profugos ſic enſe rebelles
Magne premes; ſic haſta tuis quaſſata lacertis
Conteret adverſas acies. Hæc doctus euntem

A Intentumque monet, verbis teque urget amicis,
Telorum vitare minas, & fortia duro
Milite bella pati, quotiens levis ingruet ætas.
Nec minùs interdum ſtudiis te mollibus aptat,
Nam modo præcipites ſaltu perſtringere foſſas
Imperat, aut volitare levi per florida curru
Æquora, & audentem laudat, ſociiſque moratis
Invidiam ferit expoſitæ poſt præmia palmæ.
Nunc arcum pharetraſque leves, ac flexile cornu
In medio jubet afferri, & dum ſæpe tetendit,
Te quoque vult, facilique docet conamine flecti,
Quoque modo Parthus, Meduſve, aut dextra
Geloni
Incurvat, quo Sauromates ſua pila remittat
Enſe carens, qua funda jacit Balearis habena.
B Hic & Olympiacæ monſtrat tibi prœlia pugnæ,
Atque Erycis rigidos immani pondere ceſtus
Monſtrat, opus magni Alcidæ, quibus ille ſu-
perbum
Viribus Antheum exhauſit, quo vulnere Neſſum
Tardavit; miſſamque ſequi jubet inde ſagittam
Montis in aëreos colles, aut ima relabi
Per juga: ſic duro aſſueſcens tua membra labori;
Talibus intentus monitis, & nobile cultu
Oſtendens animi robur, non ægra Magiſtri
Juſſa capis, ſemper veritus feciſſe moleſtum.
Jam gravis amplexu jam vertice fratribus æquus
Annua jam geminis referens duo tempora luſtris,
Optabas majora ſequi cuſtode remoto;
Imberbis tamen, ac puerilem exutus amictum
C Pubertate tenus, nec dum tibi fortiter ætas
Venerat armorum, aut belli tentare tumultus,
Cùm pater egregius fatis ablatus iniquis
Occidit invalida nec dum cogente ſenecta.
Felix ille quidem, & ſacræ Virtutis amator
Præcipuus, quem nulla bonis fortuna ſecundis
Extulit, aut triſti preſſit mœrore ſolutum.
Cura domus, regimenque loci tunc Bartholomæo
Traditur. Ille tribus major, primùmque parenti
Progenitus, tibi ſceptra negans, & prævius ortu
Altuboinus erat: neuter tamen alta ſequutus,
Illuſtres quamvis animæ, vultuſque verendi
Majeſtate ſua. Tantùm contraria votis
Fata ſuis, cupidæque fuit ſpes irrita mentis.
Triſtior amiſſo poſtquam genitore parumper
E Oblitus mœſtos ſatiaſti fletibus orbes,
Aſſuetos iterum monitus, iterumque reſumis
Jurgia blanda libens, jam notis viribus audax
Jam membris & mole nitens, ſi flammeus enſis
Aut gravis haſta fuit valido torquenda lacerto,
Sive movendus erat curvato umbone molaris,
Aut equus acre furens ferro domitandus acuto,
Is ludus, requieſque tibi; nec figere cervos
Auritoſve ſequi lepores ſtridente ſagitta,
Aut timidas telo imbelli proſternere damas
Cura fuit, ſed ſi qua jugis inventa leæna,
Aut aper excuſſus canibus, ſeu pulſa cubili
Unguibus Urſa nocens, aut fœta Lycaonis uxor
Cum catulis metuenda ſuis, ſive horrida tigris
Occurrit. Tibi blanda quies, & gloria dulcis
E Viſa per aëreos montes, atque invia ſaxa,
Quo fugitur per plana, levi diſcurrere ſaltu.
Ipſe etiam lato geſtans venabula ferro
Terribiles clamore feras, & vulnere crebro
Uſque premens; donec jugulis ictuque ſupremo
Procubuere ſolo, prædaque potitus abiſti.
Quas ſtudioſus aves, quæ non armenta dediſti
Capta neci, tranſire libet, paulumque morari
Inter opes animi. Nam pubeſcentibus annis
Jam roſeas ſignante genas lanugine prima
Mater obit; dehinc magna tuo infuſa per artus
Vis ſtetit, & claro probitas auctore refulſit.
Jam non haſta gravis, jam non puerilibus armis,
Aut vacua pugnare manu, ſimulacraque belli
Sum-

Sumta juvant, ſtactæque novis concurſibus haſtæ
Et galeæ, validoque enſis colliſus ab ictu,
Sive celer mediis producis equiria campis
Agmen agens equitum, ſeu tunc longinq; ſequutus
Pila trahis, ſeu te rapidis tulit ocior Euris
Acer equus, mediuſve inter Proceresque Duceſque
Sobria verboſis ſermonibus orſa retractas,
Omnia te decuere magis. Nec moribus alter
Aut tibi par virtute fuit. Jam torſerat orbes
Annorum cœleſte jubar, ter ſenaque meſſis
Venerat, incipienſque gradu leviore juventus
Jam tibi nota Venus, gremio jam lapſus honeſtæ
Conjugis, in modicos illam parciſſimus uſus
Arcebas. Jam ſceptra tenens germanus in arcto
Marmoris horrebat tumulo, cui ſorte benigna
Succeſſit major natu, teque aggere vitæ
Dux prior, Ogygias non quali fœdere Thebas
Rexit Echionius depulſo fratre tyrannus.
Quo ducæ qua bifidus præter vada lurida Mantus
Labitur Eridanus, ſummiſque Oſtilia muris
Emicat, adverſi cecidit munimine belli
Bricantinus apex. At tu jam longa pero'us
Otia, jam patriis queſtus torpere theatris,
Quærebas exire procul, vacuoſque per agros
Bellantes urgere viros, & Marte cruento
Hoſtiles intrare caſas, ac viribus uti,
Qualiter Eleus ſonipes, quem gramine læto
Depaſtum anguſto ſervavit carcere dudum
Cura vigil, donec rudibus vis optima membris
Adveniat, tumeantque novo de ſanguine venæ,
Ardet abire procul ſtabulis, & tergore preſſo
Fræna pati, vacuoque levis concurrere campo.
Vix illum ducis ira ſui, vix dulcia tactu
Blandimenta tenent; at ſi ſonus æris acuti
Auditusve ingens clamor, ſtrepituſque ſuorum,
Exultat, pedibuſqoe ſolum domat, arctaq; tandem
Vincla ferox ſolvit, tumiduſque repagula laxat.
Sic tua jam validis conſurgens viribus ætas
Magnanimos ciet hinc auſus, hinc provocat iram,
Perſuadetque graves belli perferre tumultus,
Et clypeo galeave premi, ſi retulit oris
Rumor in extremis claſſes aut arma parari,
Totus in his amor eſt; etenim reverentia fratris
Obſtat eas; ſed prona magis virtutibus hæſit
Impetuoſa diu monitis frenata voluntas.
Interea celeri repetens vaga ſigna rotatu
Sex quater exactis faſtorum menſibus Orbes
Obruit aſtriferos Phœbus, totienſque reſumſit
Aſtriferi per Regna poli, cùm major adultis
Vis animoſa ſubit membris, miroque lacerti
Concrevere pares tactu, & caput ardua cervix
Extulerat, ſummos aptum tolerare labores,
Flavaque jam croccum ſumens intonſa colorem
Cæſaries, & purpureas umbroſa tegebat
Barba genas; nec jam poteras plus otia ſegnis
Lenta pati, nunc bella ciens, hoſtemq; propinquum
Supplicibus votis, & rapta armenta querentes
Agricolas, vacuiſque audire penatibus ædes
Igne rapi, & flavos ſævis populatibus agros
Optabas ſpectare libens, occurrere contra
Quo liceat, profugoſque ſequi poſt terga rebelles.
Talibus inſtabas curis animoſus. Et ecce
Miſſus ab Arctois impleraт ſedibus omnem
Italiam, Ligurumque vagas rumoribus aures
Nuncius ore ferens, Romanum in Principe ſummo
Adventare Ducem, motiſque expoſcere ſignis
Cæſareos illum faſces, & debita Regna.
Nec mora: jam Ticinum, mediæque ingentia lanæ
Mœnia Romuleus veniens invaſerat heros;
Jam Ligures, longoque omnes formidine Bardos
Terruerant Auguſta novis ingreſſibus acta;
At tua non tanto percuſſit corda tumultu
Ægra pavor, non fama Ducis, neq; viſa timendos

A Majeſtas pulſare Duces. Stat tanta futuri
Spes Regni, mentiſque vigor, dum quiſq; timetur,
Solus magnanimos in pectore concipis auſus,
Non minùs exultans, quàm bellicus ære ſonoro
Gaudet equus, crebroque animos ſpiramine tollit.
Hinc primùm mora ne qua tuis inimica rogatis
Obſtaret, neu pollicitos jam tardet honores
Spes votis agitata tuis, promiſſaque Regna
Parcarum à monitu, ſactum & venerabile nomen
Imperii ſemper veritus, tum more parentum
Cæſareas Aquilas, ignaro fratre, ſequutus
Vicentina diu Patavis oppreſſa ſuperbis
Regna petis, quæ tam facili compreнſa labore,
Ut jam quiſque putet tibi debita jura, tuumque
Suppoſita virtute decus; nam ſola paventes
B Dardanidas, tumidoſq; olim, dum blanda faveret
Littoribus levis aura ſuis Aquilone ſecundo,
Terruit ancipiti diſcurrens fama tumultu.
Nec furor ille gravis, nec multo parta cruore
Laus tibi, ſed profugos depellens ſedibus hoſtes,
Victor in egregia manſiſti debitus urbe.
Hoc decus, iſta tuis acceſſit prima triumphis
Gloria, & aſſumtis primùm tibi contigit annis
Partus honor. Jam vera dabant ambage ſoluta
Carmina pii vates, jam res audita probabat
Argumenta Patrum, nec iners tua fama jacebat
Incipiens majora ſequi. Quid feceris iſtinc
Sit merces, aliſque labor; nam rebus agendis
Sollicitum me cura vocat, jamque objicit hauſtu
Pierio luſiſſe ſatis; nec pectora tantum
C Carminibus laſſata novis tolerare laborem
Noſtra valent, ſi clara tuæ primordia vitæ,
Et puerile decus, cecinique ab origine laudes
Hactenus. Inſanas alius nunc mente ſorores
Concipiat, vigiletque tuis ſtudioſus in actis,
Tot reſtant, & tanta novo dicenda relatu,
Magne, tibi, quæ poſt habitos tua facta triumphos
Clara micant, ut vix Stygii deſcriptor Averni,
Qui profugum Æneam patriis à ſedibus olim
Poſt Aſiæ cineres, tot tempeſtatibus actum
Explicuit, Latiæve tonans tuba maxima Romæ,
Quæ ſocerum armavit genero, quiq; impia fratrem
Bella ſub alterni diſcuſſit fœdere Regni,
Poſſent digna tuis præconia reddere factis.
Nunc mihi dum labens animus, dum junior ætas
D Feſſa jacet, metuitque oneri ſuccumbere tanto,
Da veniam, vatique novo concede quietam
Saltem animi ſedem; nam tu, licèt arduus iſte
Sit labor, in noſtris ſemper venerabere metris.
Jam ratis inſano dudum laſſata profundo
Vela trahit, viſoque cupit requieſcere portu,
Ante tamen quàm ſe rapidis comprendat ab hamis
Ancora, quam flave puppem ſublocat arenæ,
Hoſpitis acceſſu dubitat cui tuta reſidat,
Quo duce magnificos adeat ſecura penates,
Nec remis male fiſa ſuis in littore demens
Hæreat, aut mediis pereat neglecta procellis,
Quis tibi nunc, Palinure timens, cùm tecta ſubibis,
Occurret, cui tenſa dabis jam digna reponi
Carbaſa, cui puppem, defeſſaque brachia, teque
E Commendare putas, cujus ſperata favore
Præmia digna feres? Illum ſecurus adito,
Quem virtus expetita juvat, quem ditat honeſtis
Moribus ingenioque pari moderamine Pallas,
Ille tibi pius hoſpes erit, teque impiger aulæ
Magnanimi componet heri, famæque petitum
Nomen, & emeriti pignus dabit ille laboris.
Tu modò, cui vatum reſtat tutela piorum,
Inclyte Mecœnas, animi fiducia noſtri,
Suſcipe, & hoſpitio non dedignare peracti
Dux operis ſignare viam, qua Ferretus Auctor
Invidioſus agat placidam ſine nube quietem.

FINIS.

JOHANNIS
DE CERMENATE
NOTARII MEDIOLANENSIS
HISTORIA
DE SITU, ORIGINE, ET CULTORIBUS
AMBROSIANÆ URBIS,

A C

DE MEDIOLANENSIUM GESTIS

SUB IMPERIO

HENRICI SEPTIMI

Ab Anno MCCCVII. ad Annum MCCCXIII.

Digitized by Google

[illegible]d by Google

IN JOHANNIS DE CERMENATE HISTORIAM

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Hiſtoriam hanc Anno 1698. primus ego e tenebris in lucem protuli Tom. II. pag. 31. Anecdotorum meorum, dignam plane, quae rurſus in Collectionem noſtram inſeratur. Ejus Auctor *Johannes de Cermenate*, patria Mediolanenſis, Arte Notarius, cujus perſpecta prudentia in rebus agendis, ſimulque doctrina, ipſum Patriae carum effecere, ubi etiam ad publica negotia adhibitus Syndicum Reipublicae Mediolanenſis egit. Poſtquam Cap. 46. Warnerium ab Henrico VII. Caeſare generalem Langobardiae Vicarium conſtitutum ſcripſit, haec addit: *Ad illum Laude morantem legantur per Commune Mediolani Franciſcus de Garbagnate, & Adoardus de Pirovano, & Ego ut Syndicus*. Quibus ex verbis intelligas, Cermenatenſem floruiſſe, & ſcripſiſſe circiter Annum 1310., eaque retuliſſe, quae ſub ejus oculis verſabantur. Sed & in Praefatione ſe tractaturum ait *de Sereniſſimi, ac mirabilis Principis Henrici de Lucimborgo, quem primum noſtra aetate Imperatorem vidimus, in Italiam adventu*. Caſtonum quoque de la Turre *nunc Archiepiſcopum* appellat, ut alia loca omittam: quae omnia aetatem hominis luculentiſſime produnt. Illum vero adhuc in vivis fuiſſe circiter Annum 1330 ex *Manipulo Florum* Gualvanei de la Flamma, qui in hac ipſa Collectione occurret, facile evincere poſſumus. Scribebat per ea tempora Gualvaneus, enumeranſque Hiſtoricos, quibus ad ſuam illam Hiſtoriam contexendam uſus fuerat, inter ceteros Libros commemorat *Titum Livium apud Johannem de Cermenate* adſervatum. Tum in *Politia Novella*, quam ante nonnullos annos promulgaverat, haec addit: *Apud Johannem de Cermenate Liber T. Livii, Chronica Jacobi de Laude de Hiſtoriis Laudenſium contra Mediolanenſes. Quaedam Hiſtoria Legati ad Matthaeum Vicecomitem. Regiſtrum Communitatis Civitatis Mediolani*. Ergo, quum haec ſcriberet Gualvaneus, Cermenatenſis noſter adhuc vivebat.

Iiſdem quoque temporibus floruit Albertinus Muſſatus Patavinae urbis cum Civis, tum Hiſtoricus praecellens. Ejus ſtilum, atque eloquentiam commendarunt alii, commendavi & ego in Praefatione ad eumdem in Tomo ſequenti edenda, qui nempe Franciſcum Petrarcham praeceſſerit in reſtituendo Italiae Latinarum Literarum ſplendore. Sed nunc mihi dicendum, Johanni de Cermenate Mediolanenſi Civi ejuſmodi gloriam potiori jure adſcribendam, quemadmodum etiam de Ferreto Vicentino praefabar. In Muſſato habes ſtilum non raro aſperum, ac ſalebroſum, verbis a Latinorum elegantia longe interdum abhorrentibus. Contra in Cermenatenſi perſpicuum plerumque dicendi genus, in quo gravitas numquam deſideratur, & laudabilis Latinitatis ſapor fere ubique deprehenditur. Ceterum quum Tomo Primo Anecdotorum hanc Hiſtoriam edidi, deerant in exemplari, quo utebar, laciniae duae non exigui momenti. Verum procedente tempore cura Lazari Auguſtini Cottae doctiſſimi ac amiciſſimi Viri factum eſt, ut ne illa quidem pars deſideraretur. Quare ſupplementum ex alio integro exemplari depromtum ſubinde editi Tomo IV. pag. 211. Anecdotorum: quae omnia ſimul conjuncta in nupera hac editione rurſus prodibunt. Heic autem non repetam, quae de genere mortis Heinrici Septimi Auguſti in Prolegomenis ad hunc ipſum Librum adnotavi; haec enim ex Anec-

dotis

dotis meis petet, qui volet. Unum addere ſufficiat, non ſolum Johannem XXII. Pontificem Maximum literis ſuis ubique evulgatis inſtitiſſe, ut calumnia Ordini Praedicatorum impacta de veneno eidem Caeſari in ſacris propinato deſtrueretur (quod Gualvaneus Flamma eorum temporum Scriptor memoriae tradidit); ſed etiam Johannem Regem Bohemiae ejuſdem Henrici filium Anno 1346. ſuas patentes Literas dediſſe, quibus execrandum illum, atque injuſtum rumorem penitus ſilere juſſit. Haſce literas habes apud Cl. V. Leibnitium in Codice Jur. Gentium, Part. 1. n. 87.

JOHAN-



JOHANNIS
DE CERMENATE
NOTARII MEDIOLANENSIS
HISTORIA.

PRÆFATIO.

Multis naturæ dotibus, atque gratiis hominem divina potentia decoratum ceteris animantibus dominari voluit, dum profunda rationis radice humanis ſolùm mentibus inſita cunctis ſub Sole viventibus nobilior factus eſt. Cui proprium eloquentiæ beneficium conceſſum eſt, quæ dum diſcreta ſit, velut omnium rerum domina efficit, ut uberiùs ipſius rationis vigor proſit, per quam multa percipiuntur iguota, & præcepta eadem ignorantibus miniſtrantur. Hujus eloquentiæ beneficio ſuccurrimus perſæpe miſeris, hortantes, conſolanteſque territos, & afflictos, pulchra etiam oratione ſuperbos ſæpiſſime refrænantes, & quos ſentimus iracundiæ nimis pronos. Hujuſmodi tamen miſeriæ humanorum vitiorum remedia plus prodeſſe videmus, ſi non modò præſentibus, verùm etiam poſteris, velut ante oculos ſculpta, notabilibus mandentur exemplis, utpote per ſcripturam, quæ unica ſcientiarum, atque artium liberalium fidelis cuſtos eſt, ac rerum geſtarum memoriam ſervat. Si præterea corrigere nequit, nec mutare, conſulere tamen futuris rebus poteſt. Cùm itaque antiquorum præclaris operum ſtudiis uſus, multis eorum ſcrutatis undique libris, præviâ gratiâ Dei, aliquando profecerim, ut dignè redargui poſſim, ac dici alieni ſemper ſcrutator operis, nihil reponens, aut poſteris perlaborans; quæ occurrerunt præ oculis relatu digna decrevi, prout geſta ſunt, deſcribere. Ea quidem Lectoribus multùm prodeſſe ſuſpicor, nam dum rerum, atque hominum eventus examinant, atque cernunt, quid vitent, quidve ſequantur, ibidem exemplo capiunt. Verùm ne me ignarum modicitatis ingenii mei fortè Lectores putent, dum viribus majora promitto, proteſtor, volui plures ad hoc inducere aptiores, ſi potuiſſem. Ne itaque tam monſtruoſæ rerum moles, quas teſtis ætas noſtra vidit, quaſque ipſa horribilis, & nova rerum enormitas mirabiles, ac relatu dignas effecit, pereant imò vivant memoria, rem arduam aggredior, non ſinè præſumptione tantum opus ſumens, onus ſcilicet viribus impar meis, verùm ſpero, quem inconditus ſermo meus à lectione rejiciet, ipſa miranda rerum novitas quadam delectatione aliquando poterit provocare Lectorem. Dignum itaque, atque aptum narrandis rebus principium quærens, diuque hæſitans ſuſpenſo mentis calamo, tandem de Sereniſſimi, ac mirabilis Principis Henrici de Lucimborgo, quem primum noſtra ætate Imperatorem vidimus, in Italiam adventu imprimis tractare aptius viſum eſt, qui magnam ſcribendi cauſam nobis dedit. Verùm priuſquam initium narrandi faciam, Ambroſianæ Urbis ſitum, originem, & vicina ſibi loca ab initio, & per tempora ſucceſſiva exponere paucis libet. Cujus Urbis anguſtias, & labores, ſaltem quos ipſi vidimus, mandare poſteris volumus in exemplum.

CAPUT PRIMUM.

V T multis excepimus documentis, Tubal nepos Noë ex tertio filio ejus Japhet, qui Hiſpanos, & Italos genuit, natus primus per ora maris Venetiarum veniens hanc partem Europæ,

A quam appellamus Italiam, intravit, & Urbem conſtituit, quam à ratibus, vento, & navibus, quibus miniſtrantibus iter ejus illuc venerat, Ravennam dixit. Cujus filius Subrex per Liguriæ campos veniens hunc ſibi gratum ſitum viſitans inter Ticenum, & Addam, elegit ſedem, Urbem ædificans, quam ſuo nomine Subriam appellavit, ut Papias meminit. Ab hac Subria Civitate tota poſtmodum contrata inter utrumque flumen Subria dicta fuit, ut ex dicti Sycardi, & Eutropii colligitur. Hoc nominis ſignum per Ticeni litora adhuc Ambroſianus ager tenet, licèt corrupto vocabulo de Subria in Seprium mutato ſæpiùs ſono linguæ reductum ſit

Omiſſâ inde in Cluſinos irâ receptui canunt, minantes Romanis. Erant ex Gallis, qui illico Romam eundum cenſerent. Vicere ſeniores, ut Legati priùs mitterentur queſtum poſtulatumque, ut pro jure gentium violato Fabii dederentur. Legati Gallorum cùm, ſicut erant, mandata expoſuiſſent Senatui, nec factum placebat Fabiorum, & jus poſtulare Barbari videbantur. Sed ad cernendum quid juris erat in viris tantæ nobilitatis obſtabat ambitio. Itaque ne penes Senatores culpa eſſet, ſi quid inde ſiniſtrum accideret, cognitionem de poſtulatis Gallorum ad populum rejecerunt, ubi tanto plus gratia, & opes valuere, ut quorum de pœna agebatur, Tribuni militum Conſulari poteſtate in ſequentem annum creati ſunt. Quo facto haud ſecus quàm dignum erat infenſi Galli bellum propalàm nunciantes ad ſuos redeunt, eoſque relatis incitant. Tunc poſtquam accepere ulteriùs honore collato violatoribus juris humani legationem ſuam eliſam eſſe, flagrantes ira, cujus impatiens eſt illa gens, confeſtim ſignis convulſis, citato agmine iter aggrediuntur, ad quorum prætereuntium raptim tumultum cùm territæ urbes ad arma concurrerent, ſugaque agreſtium fieret, Romam ſe ire magno clamore ſignificabant.

CAP. III.

AT Fabii, & qui Tribuni militum ſecum creati erant, qui erant numero ſex, ut fit ex pravis initiis, nullo utili conſilio capto, nullo ſociorum, aut amicorum auxilio expectato, imò nec fortè requiſito, ſic eos præcipites agebat commiſſi criminis furor, ut non minùs temerè conductu eorum pugnatum ſit, quàm ſua legatione peractum. Nam eſtenuantes etiam famam belli, ſubito ac tumultuario exercitu in occurſum hoſtium tendunt ad decimum tertium lapidem parum infra viam Tiberinam, ubi cùm multitudinem hoſtium cernerent, ſua paucitate perculſi, extenuatis in cornua copiis, ne circumveniri multitudine hoſtium poſſent, frontem tamen æquare nequeuntibus, contra hoſtium acies ſe exponunt. Primo impetu Romanorum acies fuſa, quorum cùm nihil apud Duces, nec milites ſoliti ordinis foret, pavor, & fuga animos occuparat, tanta eorum oblivio fuit, ut major pars Vehios hoſtium Urbem, cùm Tiberis arceret, quin Romam recto itinere ad conjuges, ac liberos fugerent. Qui autem hoſtis gladium à tergo inſequentis, & fluminis undas evaſere, pleriqve, imò major pars incolumis Vehios profugit. Unde non modò præſidii quicquam, ſed ne quidem nuncius Romam miſſus eſt. A dextero cornu quod procul à flumine, & magis ſub monte ſteterant, Romam omnes petiere. Et nec clauſis etiam portis Urbis, inane Capitolium confugerunt. Ubi, captâ, & incendio poſitâ reliquâ Româ, obſidione ſola juventus, quæ de conflictu Romam evaſerat, turpiter clauſa fuit, ſenibus mortem potiùs eligentibus, quàm obſeſſorum inopiam augere. Gladiis datis hæc juventus conſumta foret, ac perditum nomen Romæ, niſi poſtmodum prudentia, & egregii Camilli, qui tunc invidiâ Civium XV. millibus gravis æris damnatus exulabat ab Urbe, virtute, confuſis Barbaris liberata, & ingratis civibus Urbs reddita foret. Tunc cùm in Capitolio obſeſſi adeò fame, ac morbo affecti, & ſtationibus, ac vigiliis ſuperati, ut obruerent infirmum corpus arma, ſe auro redimebant, ſi fortuna ſiviſſet, utpote ſi fidelis Camilli parumper tardaſſet eventum. Qui ſuperveniens oblatum aurum fœdæ redemptionis pretium in ſtatera jam poſitum de medio auferri, & Gallos ſummoveri juſſit, allegantes ſeſe pactos eſſe, quibus eam pactionem ratam eſſe negavit. Quæ poſtquam ipſe Dictator creatus foret (Dictator etenim creatus fuerat exul, & abſens injuſſu ſuo ab inferioris juris Magiſtratu) denunciavit Gallis, ut ad prœlium ſe expedirent, & duobus prœliis commiſſis adeò utroque fuſos afflixit Gallos, ut vix ſupereſſet nuncius, ut refert Livius memoratus.

CAP. IV.

HI Galli, ut ex his æſtimo, priuſquam Cluſium, ac Romam accederent, Mediolanum jam dirutum renovarunt, Ticinum civitatem, quæ nunc Papia vocatur, fundarunt, Brixiam ædificarunt, etenim à Brenno dicta fuit Brixia. Verùm alios ſcripſiſſe reperio ipſum Brennum à Romanis confuſum in Sueviam rediiſſe, & poſt multos annos reſumtis viribus in Italiam iterum cum maxima armatorum copia veniens Mediolanum, & plures urbes Italiæ, quas primo ejus adventu, priuſquam cum Romanis contuliſſet vires, deſtruxerat, quaſi penitus reparavit, plureſque de novo conſtruxiſſe ferunt ad impugnandum iterum Romanos fruſtra rediens. Unde Gothofredus

... Nunc arma tonat Dux Breno creatq; Veronam,
Nam quaſi Veh Roma dicta Verona ſonat.
Brixia fundatur, Ticina Papia paratur,
Et Mediolanum Breno ſatagente novatur.

CAP. V.

EX his autem, quæ recitat T. Livius de adventu Gallorum in Italiam tractans, colligi poteſt ducentorum annorum fuiſſe ſpatium inter adventum Belloveſi, qui de Subria Mediolanum fecit, & Brenni qui Mediolanum renovavit, & Papiam fundavit, ut dictum eſt. Deinde poſt multa tempora recentiſſimi advenarum Longobardi unà cum Alboyno Rege ſuo Italiam acceſſere, qui totam ferè Italiam primitus occuparunt, ſed demum intra fines hujus tractus terræ, quam nunc Lombardiam dicimus, ſeſe tenuere, à quibus hæc contrata ipſum Lombardiæ nomen ſumſit. Hanc gentem Ybor, & Ayones cum Gambara matre ſua de Scatinavia, quæ eſt in finibus Germaniæ juxta Oceanum, eorum primi Duces cum parvulis, & uxoribus attraxere, quibus neceſſitas exilii ductis ſortibus evenerat, ut ceteris minor inopia victus foret. Nam ipſa regio tunc tanta erat gentis multitudine populata, ut nec terrarum fructus ſufficerent alere tantam gentem. Nec mirum cùm ipſa contrata ſub Arcto ſita, à Solis æſtu remota, ideoque alendis corporibus hominum apta plus quàm ceteris germinans, Germania dicta ſit. Hi Germanici poſtmodum in itinere à longis bardis, ſive à longis barbis Longobardi dicti ſunt. Nam per multos annos, ac per multas hominum ætates ſub pluribus Ducibus, ſive Regibus ſucceſſivè incertis ſedibus vagabundi, priuſquam ad Italiam pervenirent, decem de ſe Reges ſucceſſivè habuerunt, quorum decimus fuit robuſtiſſimus Alboynus, de quo dixi. Poſt quem plures in Italia regnaverunt Reges, quorum plerumque fuerunt ſedes intra Ticinum, & Addam, aliquando Mediolani, ſed plerumque Papiæ, cùm inter utrumque fluvium eo tempore nullæ aliæ urbes forent. Hæc de Urbis noſtræ ſitu, atque incolis dicta, quæ etiam timeo ne

Lectori tædium dederint, ſufficiant. Scribere enim magnifici Imperatoris Henrici geſta promiſi. Verùm ut debitus honor detur rebus, priuſquam de tanto Principe ſermonem teneamus, faciam ne velut illotis manibus ad læta convivia diſcumbentes ruditate nimia redarguamur. Præfari placet in hunc modum.

CAP. VI.

HUmanum genus tanta utriuſque parentis vitio fragilitate laborat, ut ejus miſera conditio prona naturaliter, & labdis ad peccandum non modò ad conſervationem, verùm etiam ad eſſe ſui exigat, ut ſancto, & juſto regimini ſupponatur, quo correctis vitiis, ac depulſis erroribus ſalubriter in pace quieſcat. Inde duo luminaria Mundo divina videntur proviſione ſtatuta, ne qua ſui parte deſtituta regimine titubet compoſitio tam nobilis creaturæ, Papalis ſcilicet dignitas, & Imperialis poteſtas, quibus terrarum Orbis univerſitas tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus gubernetur. Neque ullo jure quiſquam ab his ſubtrahere ſeſe putet, cum ceteris animalibus, quibus nullum ineſt rationis regimen, ad noſtrum, ut puto, urgente natura ſolummodo documentum habere principem, & ſub ipſo timere datum ſit, ut apertè videmus. Nonne pecuaium tremor Leonem ſibi Regem eſſe demonſtrat? Aquilam pavent aves ut Dominam. In apibus aſſeritur eſſe rector unus, quem etiam vulgò ipſarum eſſe Principem appellamus. Itaque natura omni arte ſolertior cuncta animalia præter hominem præeſſe, ac ſubeſſe docet. Solus homo, ſicut expedit, imperare, aut parêre neſciens, requieſcere neſcit in pace. Verùm cujus ſit ille defectus aut unde prodeat tam lethiferi cauſa mali neſcio, ſed à Regnante, ut videmus, plerumque procedit. qui ad conſervandam juſtitiam, ſinè qua nihil rectè agitur, eminenti loco locatus plerumque deficiens vitio, vel defectu ſuo indignus efficitur, & indignitate deſpicitur. Eſtne in avibus Aquilâ, in beſtiis Leone nobilior? Cur inter homines, qui ceteris præeſſe deſiderat, ut veneratione dignus ſit, virtute ceteros non excellit? Saltem omni carens iniquitatis aculeo Princeps apum exemplo ſit, ut neminem iratus lædat. Procedit etiam à ſubditis, quos morum diſcordia nimium turbat, aliquando cauſa mali. Nam nulla profectò pax, aut concordia erit in populo, quem uniformitas voluntatum vinculo juſtitiæ colligata non excitat ad ſtudium communis boni, quæ ſola exprimitur uniformi motu & dependet ab unitate voluntatum populi. Hæc verò unitas humani generis bene diſpoſita non niſi per juſtum Principem, & Monarcham feliciter perducitur in effectum, qui ſuis ſacris legibus ſubditos ordinet, & diſponat, quæ ſi ſerventur ad unguem, vincula ſunt ſocietatis humanæ. Quis itaque Prin eps quovis nomine cenſeatur, aut quamvis Mundi partem inhabitet, ſi ſe hominem animal rationale fatetur, negabit ſe juſto Romanorum Imperio rationabiliter fore ſubjectum, quorum ſi geſta revolvo totius Mundi principatum, quod Imperium appellamus, liquet ſibi cœlitus fore conceſſum, & per duellum utpote juſto bello partum.

CAP. VII.

HOc autem imperandi Mundo jus populi Romanus, à quo partum diutibs fuerat, & poſſeſſum, in unum contulit, in perſonam ſcilicet Julii Cæſaris, & eum Imperatorem nominans Monatcham, & Principem Mundi fecit. Unus igitur Creator omnium Deus eſt, unus Papa, & unicus Imperator, cui ab ore divino præcipitur tributum dari. Hujus dignitatis electio, atque Sedes Romani Imperii tempore Conſtantini Imperatoris ad Græcos tranſlatæ ſunt, qui gravi morbo lepræ interceſſione B. Silveſtri Pontificis liberatus ad eam partem Græciæ acceſſit, ubi conditam à ſe urbem Conſtantinopolim appellavit. Inde in Germaniam eam electionem legimus auctoritate Sedis Apoſtolicæ devolutam Græcorum ignaviâ, dum eorum ſubſidia fruſtra literis, ac legationibus implorantem Eccleſiam ſævientem Aſtulphum Longobardorum Regem perſequi, & opprimere paſſi ſunt. Cujus inimicitiam Carolus Magnus ægrè ferens. ſeque ad partes Italas tran ferens propulſare curavit. Qui Germanorum primus ob id meritum Romanorum ſuſcepit Imperium. Indignè etenim Superis viſum eſt gentibus imperare, qui ſubditorum injurias propulſare non audent, quique dum tyrannorum ſævientium monſtra Mundo regnare ſinſerunt, ceteros innocentes perdunt. Nonne omnis poteſtas deſuper conſtituta eſt, ut ejus potentia, & virtute mutuis inter ſubditos ſublatis injuriis populus conquieſcat ſub ſacris legibus vivens, quas ſinè Reipub. malo violare nequit ulla ſubdita poteſtas? Nec juſtum puto arbitrium violandi leges dari, cùm metu cupiditatis, quæ potiùs ſcripta legibus terminari non ſint ullis judicibus relinquenda. Unde autem, aut qua de cauſa hujuſmodi dignitatis electio ad ſeptem Principes Alamanniæ pervenerit, non cognovi, utpote Archiepiſcopus Maguntinum, Colonienſem, Trevirenſem, Comitem Rheni, Ducem Saxoniæ, Marchionem Brandeburgenſem, & Regem Bohemiæ, qui olim Ducis titulum habebat. Hic tamen non eſt vocandus, ut dicitur, niſi cùm ceteri diſcordant.

CAP. VIII.

CUm itaque poſt claræ memoriæ obitum Regis Alberti vacaret Imperium, & præfati Electores hujuſmodi proſequendæ electionis causâ convenientes in unum inter ſe diſſiderent, Philippus Rex Francorum in ſpem Imperialis dignitatis adductus, precibus, nec non Pontificis, & quorumlibet amicorum interceſſionibus Electores ſolicitare cœpit, de quorum numero illi erant, quibus tantæ dignitatis jura, & juriſdictionis honorem obtinere animus, & amplior cura fuit. Ceteros, quos precibus, aut donis, aut ſpe illecto, curare ſenſerunt favorem Regis, adorti rogitare cœperunt, ne qui ſuimet favoris, honoriſve promptiores forent aliis concedant, idque ſi tantu Gallorum Rex obtineat, occupandi deinceps jus Imperii initium Gallicæ nationi fore dicentes. Cùmque inter ceteros, quos tetigerat favor Regis, Archiepiſcopus Trevirenſis tenacior foret propoſiti, & durior ad placandum, in ipſo negotio tanto imminente periculo haud temerè proviſum eſt. Nam Electores confeſtim, ut reprimatur omnino Gallici Regis mentio apud Archiepiſcopum ſupradictum, quod, ut creditur, expectabat, Theutonum nominant cariorem ſibi.

CAP. IX.

ITaque Henricum Comitem de Lucimborg fratrem ipſius Archiepiſcopi Treverenſis non tam ſtrenuitate morum, ac virtute animi dignum,

gnum, licèt fortunæ viribus, & potentia pleriſque Principibus Germaniæ impar foret, cuncti cognito periculo unanimes elegerunt. Qui ipſo Anno à Nativitate Domini MCCCVIII. apud Aquiſgranum ſolemniter coronatus eſt. Hic admodum magnanimus quamplurium prædeceſſorum ſuorum veſtigia minimè ſecutus eſt, quorum noſtra ætate nullus aureum, neque ferreum diadema ſuſcepit, imò ſola argentea corona contenti ſexaginta & plurium annorum tempore intra Theutones ſeſe tenuerunt, licèt pleriſque prædeceſſorum Regum multo major theſauri copia foret, atque earum rerum, quibus magna parari poſſunt.

CAP. X.

VEre igitur Henricus iſte magnanimus poſt paucos dies electione ſuſcepta, ſecum inquirens: Nonne Romanorum Rex intitulor, & Auguſtus; convocatis Principibus, quorum ad hoc aſſenſum habere voluit, Comitem Sabaudiæ, Delphinum de Vienna, Guidonem Comitis Flandriæ filium, & cum his Venerabilem Epiſcopum de Tuora, legavit ad Papam, qui ubi almam Curiam acceſſere, quæ tunc erat in Civitate Aviniono, illico venerabilis Hoſtienſis Cardinalis, nec non Sancti Patris Oddonis de Graddiſono juvamine freti, à Summo Pontifice, qui tunc erat Papa Clemens, clementer exauditi, ab eodem liberum in Italiam, deinde Romam præfati Regis impetrarunt acceſſum. In cujus comitiva idem Summus Pontifex quatuor Cardinales, qui vice ſui eidem Romæ coronam darent, deſtinare promiſit. Deinde Rex ipſe incommutabilis propoſiti ſui conſtans ſolemnes Legatos undique per Italiam deſtinavit ſuum felicem nunciantes adventum: Cujus rei causâ Epiſcopus Conſtantiæ Mediolanum vênit, & in pleno Palatio majori, quod Palatium novum nos Mediolanenſes appellamus, præſente Guidone de la Turre Capitaneo & Bregadino de S. Nazario Poteſtate Communitatis, & Populi Mediolani inde plurimum odioſis, hujus Regis Henrici, pulchra admodum, & acceptabili oratione propoſita, nunciavit adventum, ipſum aſſerens Aquiſgrani corona argentea in præſentia, & de voluntate Principum Alamaniæ ſolemniter coronatum, deinde ſumturum ferreum diadema in territorio Mediolani ab Archiepiſcopo veſtro. Quod, inquit, clariſſimi cives ſignificat, quòd ſicut per ferrum, & inſtrumenta ferrea cetera metalla domantur, ſic per ſalubre conſilium, nec non præclaram armorum potentiam, & virtutem Italicorum præcipuè Mediolanenſium domare debet Imperator, & ſubigere ceteras nationes. Vos ne, inquit, Mediolanenſes, qui immediatè ſubeſtis Imperio, omni alio ſervitutis jugo liberi deeritis? veſtrumne favorem ſubtrahetis, quin tam juſtus, & clementiſſimus Princeps veſter tertium Romæ aureum diadema ſuſcipiat, ut eo ipſo qui Romano more vivimus, & quaſi domeſtici, & familiares Imperii Romani ſumus, juriſdictionem habeamus in omnes gentes Mundi? Nonne hæc quidem poteſtas à Deo eſt? Negabiturne Romanum Imperium à Deo ſtabilitum, ac etiam ore Prophetico nunciatum fore, quod expoſitio Danielis ſuper ſomnio Nabuchodonoſor publicè manifeſtat, qui ſtatuæ caput aureum, quam ſomnians viderat, Chaldæorum, pectus argenteum Græcorum, tibias ferreas Romanorum Imperium portendere nunciavit. Inducamini itaque, inquit, recipere Dominum veſtrum æquatis paſſibus, & ſtratis, & refectis pontibus, bonis, ac præambulis factis itineribus parate viam Domini. Moneo inſuper, inquit, cunctos Comites, & Barones, ac Satellites ſuos, nec non etiam univerſos, qui jure tenentur Imperio, ut ſe præparent, ſicut decet, & cùm ſenſerint adventum Domini ſui, ad pedes montium ſibi veniant hilares in occurſum.

CAP. XI.

AD hæc Bonifacius de Fara Juriſta ipſius Guidonis præ ceteris familiaris, & domeſticus conſultor tanti Principis legationem, tum ipſius deſtinantis reverentia, tum etiam auctoritate Legati, longa præfatione aſſerens maximam, & verendam eſſe reſpondit: Quæ maxima ſunt, ea, inquit, maximam deliberationem volunt; ex quo non præſentialiter his, quæ tanti ponderis, & momenti ſunt, reſpondendum eſſe cenſeo, verùm deliberato conſilio reſponderi. Quid autem poſtmodum, aut ſi quid reſponſum parum mihi conſtat. Verùm citò multis indiciis patuit hujus adventum Principis infeſtiſſimum Guidonis voluntati fore, nam primò occultè, tacitiſque comminationibus Civibus inhibere cœpit, deinde publicè per frequentes armatos complices, & ſatellites ſuos per vicos, & plateas cunctis civibus minari, ne de adventu Romanorum Regis ſermonem teneant. Imò plerique civium, ac Nobilium Comitatus Mediolani cum paratis equis, & armis, ac nobili juvenum comitiva agendi honoris causâ in Italiæ finibus occurrere tunc parabant Regi, ſummo ſtudio honorificare cupientes adventum ejus, quorum iter minantis Guidonis ſuperbus, & terribilis furor tenuit.

CAP. XII.

INterim Primores Guelficæ factionis Lombardiæ Mediolanum vocati in aula Guidonis de la Turre conveniunt, ut ſuper tanto rerum eventu, ſi fortuna conſentiat, aliqua ſalubris conſilio capietur via. Verùm ibi nihil pro re agitur, imò diſcrepantes in conſilio quiſquam pro ſe arguit, pluſque jurgiis, quàm conſiliis pluribus diebus tempus terunt. Cujus rei primus auctor fuit Comes Philippo de Languſcho, qui tunc Papiæ regnantis Nobilium factionis primus, & rector erat. Hic ſe Satellitem Regis vocat, ſeque ac domum ejus multis Imperialibus donis, & gratiis decoratum aſſerens, minimè, inquit, Domino meo rebellis eſſe volo. Hæc audita vox Comitis inſolens nimium pleriſque viſa eſt. Quippe ſi per ſe nihil ſolicitudinis gerere generum ejus Guidonem ſoliciti timoris non modicam cauſam ſibi fore credebant. Cujus obtinendi dominatus in adventu Regis parum ſpei erat. Stupentibus itaque ceteris Antonius de Fixiraga in cujus cura, & poteſtate Laudenſis Civitas erat, licèt abſque titulo privatus viveret civis in urbe ſua: Poſtquam nihil, inquit, ad id cujus gratiâ vocati ſumus agi video, ipſo, de quo minimè dubitabam, impediente, per ſe quiſque agat. Quæremus & nos in Aula Regis locum. Tunc verò Gulielmum Cavalcabovem, cujus Cremonæ pollebat auctoritas, nobilitate gentis, nec non divitiarum, & amicorum copia, & cum eo Simonem Advocatum de Collobiano ſuæ partis principem in Vercellis, accepimus in eo colloquio ad propoſitum Comitis ſummovendum fruſtra plurimùm laboraſſe, multis inductis cauſis, periculoſum aſſerentes hujus Regis adventum, cui affirmabat de facili poſſe reſiſti, dum ad re-

ſiſtendum unanimes ſint, qui ex nobis præeſſe volunt vicinis ſuis.

CAP. XIII.

AT Guido de la Turre, quem ſtimulus ambirionis exagitat, hac inani, & longa Conſultorum diſceptatione ſeſſus de conſilio præceps abit vociferans: Quid hoc video, cur non concorditer quicumque unum capitis conſilium? Ad mortem, video, præcipiti ſaltu nos urget inſania. Iratum quidem exiſtimo, atque infeſtum nobis Deum, qui primum nobis conſilium auſert, deinde dubito, ne deteriora ſequantur. Itaque more Bacchantis per ampla fertur atria, totam circuens aulam incerto paſſu, itque reditque ſæpiùs in communi ſermonem referens, deinde interiora ædium repetens, murmurans ſibi ſoli: Quid mihi, inquit, cum Henrico illo Theutonico, quem aſſerunt huc accedere turbare quietum ſtatum meum? contraxitne genitor meus ſecum? teneorne ſibi pacto? ignoro. Hunc hominem non cognovi, neque umquam vidi. Deinde agitatus diuque bujus furoris verbere fatigatus Collaterales ſuos, qui pavidi turbatum Dominum dejecto ſequuntur vultu, ad ſe vocat, quibus: dicite, inquit, tenemurne Henrico de Lucimborgh neſcio Theutonico, vel Allobrogo? Quid nobis umquam contulit, unde ullo jure vendicet, quæ tenemus? Non defuit, ut fit in aula Principum, Tyrannici verbi aſſertor, imò uno ore omnes, nihil, inquiunt; cur non igitur jura noſtra defendimus?

CAP. XIV.

TAndem hi Guelphorum Ligurum Principes nullo, ut fertur, per commune colloquium fundato propoſito inconſulti domum redeunt. Sunt qui aſſerunt Comitem Philipponem, Simonem advocatum. Antonium de Fixiraga, & Gulielmum Cavalcabovem, quos ſupra memoravi, nullis, aut paucis aliis adhibitis, cum præfato Guidone priuſquam Mediolano diſcederent, alia captaſſe conſilia, quem velut ſolandi causâ ægrum curis adierant, ipſumque in cubiculari camera ſolitarium, & inſanientem Comes Philippo, cui ceteri negotium dederant, tali ſermone aggreſſus eſt.

CAP. XV.

TEmpus eſt, inquit, Guido diſcretè agere, ne poſt factum pœnitendum ſit. Itaque quoniam an ſi reſiſtere expediat, an obedire Regi, quidque tutius, aut utilius nobis ſit, adhuc incertum eſt, id priùs explorandum eſt, quàm executione uti. Satìs opportunitatis fortuna in hoc ſaltem fida nobis dedit. Si viri ſumus, neque conſilii, neque facti tempus deerit nobis. Citati ſumus cuncti Principes Lombardorum, ut occurramus adventum Regis, ſaltem cum ſuperatis Alpibus Aſtenſem deſcendat in agrum. Ibimus videre, ac ſapere mores Regis. Si ad eum faciles erunt nobis aditus, brevi perpendemus, an duri, aut molles ſint nobis animi motus ejus, adhæreatne hoſtibus noſtris, an ſentiat quid opportunitatis, & obſequii conferre poſſimus ſibi. Quibus exploratis ſatìs opportunum conſilium, ac deliberandi tempus erit nobis. Interim intentis amicorum, atque ſociorum ſubſidiis juxta ea, quæ ſcripſerimus Mediolani, pro re, ac tempore curetur vobis. Nos autem apud Regem curabimus, ne vos abſentia ſuſpectum habeat:

Deſunt folia duo in exemplari.

fieri docet. Hæcque, inquit, ut aſſero, cùm tetigeritis Mediolanenſem agrum videbitis maniſeſtè. Itaque vadato Pado paucis diebus Novariam vênit, Ligurum, præcipuè Ambroſianæ gentis explorans mores, ac ſtudia voluntatum, pluribus diebus moram traxit. Deinde trajecto Ticeno multis vadis, ſic etenim hyemali frigore contractis aquis cuncta flumina viam dabant Regi, continuò læta ſigna Nobilium Comitatus noſtri, deinde popularium Urbis turmæ læto fremitu venientium in occurſum Regis apparuere, qui inclinatis ſignis ante pedes Regis ſeſe ſibi liberaliter obtulere. Rex itaque promiſſa Matthæi non vana, quinimo jam certa eſſe videns, illo die, ſi tempus ſineret, aut dies ſpatium daret, properaſſet ad Urbem. Sed quia propinquantibus jam veſperis aer nimium ſpiſſus nivis jam cœperat obſcurari, in loco Mazenta, qui eo ipſo merito ſactus eſt Burgus, hoſpitium petit. Poſtero die, qui velut tanti Ducis adventum ſentiens clarior præterito longè fuit, proceſſit ad urbem, cui priuſquam medium iter capiat, innumerabiles Nobilium, nec non antiquæ gentis popularium familiæ magnis turmis in occurſum veniunt. Guido de la Turre ultimus poſt omnem plebis turmam obviam Regi non ſolùm Civibus, quinimo cunctis mortalibus iratus vênit, heu quàm invitus, quàmque etiam vitæ ſuæ odioſus jam propinquo urbi Domino ſuo trahitur in occurſum, qui impediente ſuperbia timore mixta nec Regem, ut hoſtem repulit, nec ut Dominum naturalem, ſicut tenebatur, admiſit. Veruntamen quoad potuit nec ſuperbi faſtus morem oblitus eſt, nam licèt à circumſtantibus doceretur, ac etiam, ut æquum erat, cerneret cuncta Procerum ſigna ante Imperiales Aquilas humiliter inclinata poni, auſus eſt tamen veniens in occurſum Regi ſupra verticem ejus pati ſua ſigna altè ferri, quæ uſque ad faciem Principis taliter ferebantur, ni non minor ſuo furor Theutonum indignantium eadem manu deferentis demta turpiter dejeciſſent in limum. Attamen jam propinquus Regi ad terram equo deſiliens oſculatus eſt pedem ejus, à quo benigno tandem vultu receptus eſt. Cujus temeritati, ac ſuperbiæ Rex ſatìs clementer indulgens: Amodo, inquit, Guido pacificus, & fidelis ſis, & quem negare neſas eſt, dominum recognoſce.

CAP. XVII.

ITaque Ambroſianam urbem intrat Rex die Mercurii XXIII. Decembris, qui illius anni à Nativitate Domini ſumentis initium penultimus dies fuit. Ibique denuo convocatis undique Italicis Baronibus, nec non ſolemnibus nunciis Civitatum quæcumque partium ſtudia ſequerentur, die Epiphaniæ in Ecclesia B. Ambroſii Confeſſoris noſtri à Caſtone de la Turre Archiepiſcopo Mediolanenſi in Regem Italiæ unctus ferreo diademate coronatus eſt. Deinde multis inter Italicos antiquis, atque recentibus ſubitò ſedatis odiis, ac inhibente clementia tanti Regis, cujus ſimplex animus totaliter aſpirabat dare pacem Mundo, paucis diebus ut ſibi viſum eſt compoſitis partibus, tota etenim Lombardia ſubitò abſque ulla armorum vi in Regis deditionem, & obedientiam ſponte veniſſe videtur, Alexandria & Alba dumtaxat exceptis, quarum urbium fides, aut ulla deditio ex parte Regis minimè requiſita eſt. Credo quòd ambæ Regi Roberto erant deditæ, qui illum ipſum Henri-

cum

Digitized by Google

eum Romanorum Regem in Dominum recognoſcere, & ſibi ut ſuperiori obedire promiſerat.

CAP. XVIII.

ULtima tamen Urbium Lombardiæ non ſinè cauſa in compoſitionem, atque in deditionem Regis vênit Brixia. Nam Matthæus de Madiis, qui Gibellinæ factionis Princeps ipſa regnabat in urbe non præſentiam Regis, ſed callidi hoſtis ſui Tebaldi de Bruſadis inſidias timens non ad radices montium Taurinum, non Aſt, non Vercellas, non Novariam, verùm cunctis ſerior Mediolanum ad Regem jam poſt citationes plurimas expectatione feſſum vênit. Hic Tebaldus ſubdolus, & cùm ſibi expedire videat, ſemper ſimulare, ac diſſimulare aptus, & ſi quando ullius fortunæ caſus ſibi magni patrandi ſceleris tempus aptum dederit, nil umquam intentatum liquens, primus tamen Guelphorum morantis Italiam Regis pedes amplexus eſt, exilii ſui finem ſupplici voce rogans. Hoc ſenſit Rector Brixiæ, imò etiam certis exploratoribus ſuis, nec non amicorum literis, atque nunciis perceperat Regem annuiſſe precibus hoſtis ſui, quippe certus erat animus Regis ubique ſinè ullo diſcrimine ſuis Civibus integras urbes facere. Cujus rei causâ non modico pavore percuſſus jam cunctis ſedatis partibus Lombardiæ invitus comparuit, & triſtis, ac vultu nubilus ad conſpectum Regis, ibique Tebaldum frequentis perfidiæ, ac proditionis accuſans, plurima ſæpiùs rupti fœderis, ac violatæ pacis documenta publica projicit Principis ante pedes. Fredericos Gibellinos ad ejus menſam crudeliter cæſos narrat, inter quos novum generum nominans, nec viduare, inquit, filiam ſuam timuit, quam doloſum, ac peſtiferum pignus pacis dederat Frederico juveni magiſter iſte ſcelerum, ac peſſimus proditorum, quos terra ſuſtinet. Quis Ligurum neſcit, quos machinavit, & fecit tractatus innumeros, ſubitos inſultus, ac paratas vicinorum cædes contra juratæ pacis fœdera, quorum ſcriptura nondum erat ſicca. Cui Rex: & nos injurias, & offenſas tulimus, à quibus poſtmodum in ſuam gratiam redeuntibus beneficiis victi ſumus, & quos ut hoſtes odimus, pia mente colimus velut fratres. Deus tamdem, quæſumus ſimditer & vos mutuis injuriis, & offenſis, & profectò veſtris quoque Deus dabit finem malis. Ad hæc Principis verba obticuit, ac utcumqne ſedatus eſt quilibet Brixienſis. Verùm compoſitis Ducibus in vultu varius color fuit. Arriſit itaque fortuna multum Regi tanta quiete Ligurum, tam ſubitò proſperans adventum ejus. Verùm brevi tampore facta nubila invidit nimium ſibi, imò totius Italicæ gentis bono, dum plerique neſandi Ligures, & Lombardi, etiam quos ex proſcriptis exulibus ſuarum terrarum incolas, atque Cives ſe erat clementia Regis, perjuri, ac rebelles facti ſunt, ut, ſi expectes Lector, tibi ſuo loco per ordinem diligenter exponam.

CAP. XIX.

AT ubi applicuit Mediolanum Rex, ut dixi, cujus urbis cives non graves, neque duri, ſed multùm (quin imò quaſi natura nimium) faciles regendi ſunt, quippe cuicumque imperio etiam injuſto parent, illico Joannem de la Calcea Gallicum natione nobilem, indoctum tamen, atque incultum virum in ipſa Vicarium ſuum fecit, qui fatuitate, ac vitiis ſuis vix completo menſe velut inhabilis, & indignus à dignitate remotus eſt, & ut contentus taceat in ſolutione magni temporis, tamquam geſti regiminis ſui, à quo abſolvitur, pecunia à Communi noſtro ſibi perſoluta eſt, quaſi dono data. Et ſic demtus honor in proprio commodo compenſatus eſt. Sed neque ipſius Rectoris noſtri licet rudis abdicatio multum utilis mihi fuiſſe videtur; imò Civibus alter error priore deterior ſubſecutus eſt; nam Rex alium urbis noſtræ Vicarium dedit, qui multo magis peſtifer nobis fuit, utpote Thuſcum, qui Senenſis urbis patriæ ſuæ exul erat. Hic Nicolaus de Bonſignoribus nomine cujuſdam ſocietatis negotiatorum magiſter, atque Rector fuerat, in cujus manu, atque cuſtodia illa Communitas deficiens, & penitus diſſoluta nulli ex creditoribus reſpondebat. Nicolaus iſte peſtifer morbus urbis noſtræ, cùm in ſede dignitatis fuit, non Vicarii more, aut Rectoris cujuſvis cives tractare cœpit, imò ſæpe velut principalis ſinè ſuperiore tyrannus pro modica, & levi causa graves, & aliquando capitales pœnas minitans adeò timidos cives fecit, ut cuncta utcumque gravia, cunctis etiam ultra quam fas ſit obedientibus, obtineret. Hoc ſtolido Civium timore, ut mihi videtur, perdita eſt diu deſideratæ libertatis ſpes. Nam ut fit novo imminente tumultu ſæpe Urbis leges fiunt per bonos, & electos viros. Jam ſcriptis legibus, quas Statuta Communis dicimus, quibus æquo jure viveretur in urbe, iſte Nicolaus arrogans, & ſuperbus, jam cuncta quæ geſſerant doctu, ipſarum legum conditores ad ſe vocans eis velut ignarum rerum inquit: Quid libertatis, & arbitrii veſtris legibus auctum eſt nobis? Deinde ut vidit Paganum de la Turre Muſchæ filium, cui velut amico neque ipſius ordinis minimo attribuendi ſibi liberæ poteſtatis, & iniquæ juriſdictionis in cives curam commiſerat, ampliùs diſſimulare nequit inquiens: Pagamne quæ promiſeras facere noluiſti. Nullum arbitrium, nullamque poteſtatem dediſtis mihi. Cui in ipſius Pagani, atque omnium ſociorum excuſatione providus Juriſta Stephanus de Vicomercato reſpondens dixit; Eget ne libertate, vel arbitrio, cui totius legis terrenæ conditor noſter Dominus Rex omnem quam habet juriſdictionem, & vi es ſuas commiſit totaliter in urbe noſtra, & nos ſimiliter quantam habet in nos libertatem, & arbitrium Dominus Mundi, tantam damus tibi? Neque Paganus in hoc negotio, quæ voluit, fecit, cui ſoli non licuit leges condere. At ille: Intelligo te, inquit, Stephane. Certè quid me teneat, rubecule nequam, neſcio, quin te acephalum videri faciam, idque tibi accidet ſinè mora, niſi ſtatim antequam pedem mutes, ut præcepta mea ſerves dederis mihi vadem librarum X. mill. Cunctis ſolido pavore percuſſis, ac ſtupentibus velut uno verbo jugulari poſſint, ſolus Paganus de la Turre ſocii dictum laudans, ac ſævientis iram molliens inquit, ſocium pro cunctis haud aliter quam juſtè dixiſſe, neque quæ dixit plus quàm ſua, ac ſociorum verba eſſe, & meritò ſi inde periculi quicquam ſequatur, quod abſurdum eſt, ſua cuique noſtrum ejus diſcriminis portio captanda eſt. Verùm omnis vobis tamquam Domino obedientia exhibenda eſt, & præſto ſodalis vades ſum, deinde ceteri ſeſe offerunt. Receptis itaque ob nullam cauſam vadibus indignatus, ſeu veriùs iram fingens tumidis naribus in trepidos, ac degeneres tantæ urbis Cives tonat inquiens: *Niſi ſtatueritis cum tanta libertate arbitrium mihi, ut nullis tenear legibus*

quod-

quodcumque volam, ac mandavero, ratum ſit, & verba mea veſtras rumpant leges, nullumque provocationis remedium habeatis, Cives contra edicta mea, ſentietis quid aliquando recalcitrantes contra ſtimulum conſequuntur. Accingite vos juſtitiæ veſtræ, & obedientiæ penitus vos parate. Summe, inquit, an vobis videor eſſe deterior his, qui hactenus hic regnaverunt, quibus ſemper arbitrium & libertatem in res, & perſonas veſtras ultro velut de conſuetudine contuliſtis? Ac licèt non quod volebat, tamen plus quàm juris tribuere dignum erat, obtinuit, idque paucis ſubſequentibus diebus effectum eſt, dum ſtolidæ & inanes nimiùm timentur minæ. Quæ jam relinquitur propinquæ libertatis via? Nam ut terribilem minantis vultum fugiant, novum addunt Statutis noſtri Capitulum, quo cavetur, quòd iſte Nicolaus nullis noſtris legibus teneatur, quod licèt perdendæ libertatis initium foret, nihilo tamen animos percuſſit populi, aut ullius tumultus cauſa fuit. Verùm viliſſima res pecunia ſolicito murmure primò tumultum, & iram populi ſuſcitans, tum ſeditionis, nec non Regi, ac nobis magnæ cladis cauſa fuit.

CAP. XX.

HIc etenim Rex noſter magnanimus erat, & omnium virtutum dives. pecunia, & auro nimiùm pauper, nihil niſi Italicis adjutus propoſiti agere omnino valebat. Convocatis itaque utriuſque factionis Mediolani primoribus, & Magnatibus, propoſitaque eis neceſſitate Regis. ſubveniri ſibi non niſi ſua ſponte petitum eſt. Verùm ante ora omnium interceſſor Regis erat penes ſe Scriptorem tenens cui nota, inquit, quid tantæ urbis Cives offerre volunt Regi.

CAP. XXI.

HOc locn, ut antiquus nobis mos eſt, nec ſapienter promiſſum eſt Regi, ex qua promiſſione nec urbis noſtræ, nec Regis conditio, ut mihi videtur, ſalubriter tractata eſt, ſpreta undique honeſtate. ſinè qua nuſquam erit utilitas, neque ſalus. Nam ubi hujus gratiâ rei Principum urbis Concilium congregatum eſt, quibus quid dignum dono Regis foret dicere facultas data eſt, præſente tamen, ac ſolicitante Regio nuncio, cujus præſentiam velut degeneres fortiùs æquo timent, inter eos diu ſilentium fuit. Tandem cum expectaretur hujus promiſſor muneris, nullo quid offerendum ſit nunciante, nobilem & honeſtum Civem Guillelmum de Puſterla inter ceteros minus ambitione ſuſpectum ſpectant, atque quid ſuper hoc dignum ſit dictum excitant. Cùmque inde ſe excuſaret, hujus rei onus, & civium invidiam ſugiens, cuncti uno ore clamantes dixerunt: *Dicat Guillelmus, cujus dictum nemo corrigat, ſed quod dixerit ratum ſit*. Tandem diu rogatus, nihil præfatus, paucis verbis, ut ſui moris erat, florenos L. mill. Regi dono dari dixit. Cuncti aſſentire videbantur, verùm Matthæus Vicecomes addens dixit, & Reginæ donandum eſſe ſatis videtur idoneum, cui ſaltem X. mille floreni dentur. Cujus audito ſermone Guido de la Turre calori nimis pronus, cui neque iram occultare umquam animus aptus fuit, adulationis vitium in tanto cive ſuſpicans, atque inde indignationis cauſam ſumens: *biene*, inquit, *eſt moe honeſti Civis, eſt ne decorum ultra communem omnium aſſenſum velle alicui æris largitione nomen libertatis ſumere?* Deinde Concilio abiens: *cur non*, inquit, *C. millia cunctis dentur? hic numerus completus eſt*. Hunc ſermonem immurmurans, ac ſæpiùs iterans velut inde pulſus vadit, paucis ſuæ factionis, quæ tunc plus popularium quàm nobilium multitudine noſtra vigebat in urbe, de cœtu motis, qui ſecum abeunt non claro murmure laudantes iram ſuam. Ceteri Guillelmi primum dictum fruſtra laudant, atque affirmant. Verùm ſtolidi Guidonis promiſſio, utcumque facta quia major, per nuncios Regis ſcripta eſt, deinde ſibi tamquam ſolemnis in ſcriptis datur. Quæ poſtmodum nullis querelis, nullis precibus civium apud Regem retractari potuit, aut ullatenus mitigari, imò tota cum maxima difficultate ſoluta eſt. Cujus rei causâ nobilium. atque popularium, ſed fortiùs mediæ plebis murmur in Regem ſurgit, cujus pauperies in conſerendo non modicum gravata eſt. Nam ubi ipſius tanti muneris recuperatio poſtmodum tractabatur in Generali concilio cujuſdam vilis & imprudentis civis Napaleoli more dicto, ſtatutum fuit, ut ultra XXV. & infra X. florenos auri nemini civium imponi poſſet.

CAP. XXII.

TUnc primùm Rex fortè muſſantis populi murmur timens centum obſides ex primoribus civitatis popoſcit nobilis comitivæ gratiâ ſecum uſque Romam deducere. Quod ubi publicatum eſt, ipſiſque obſides nominati primùm popularibus, qui civilis belli tædio feſſi erant, admodum gratum ſuit. Nam tanta pleroſque, qui nominati erant, urgebat ambitio, ut nimium grave foret eis in urbe ſua æquo jure vivere. Neque, cùm ceteris divitiis, & honoribus præſtent, contenti ſunt ut nec inſerant, nec patiantur injuriam, verùm eos injuriis, atque damnis impunè ſemper premunt, qui ſibi uſui ſunt. Itaque per cunctos urbis angulos exultat vulgus, atque omnis popularium cœtus lætari cœpit, inquiens: *Abeant à nobis longè qui delirant, ac ſemper in urbe diſſident noſtro damno*; cùmque in dies magis magiſque hæc obſidum electio, quam nobilem comitivam appellari voluit Rex, procedere videretur, ipſo inſtante Rege, eo magis ceteri congratulantur Cives, eorum libertatem, ac concordiam hoc ipſo reſtitutam fore dicentes: Verùm cùm plerique ex nominatis ne tam longi itineris comites Regis fierent, de cœtu, ac conſpectu hominum ſubtracti, quorum abſentia in dies magis notabatur in foro, nunciati forent Regi, citatique plurimi minimè comparerent, eum non immeritò ſolicitum, atque anxium reddunt. Duorum tamen juvenum ex eo numero obſidum ſibi nunciata conſilia ægriùs tulit Rex, ſcilicet Galeaz Vicecomitis, & Franciſchini de la Turre, quorum alter Matthæi, alter Guidonis, qui in Urbe regnaverant, filius erat. Hi neſcio patrum conſenſu, vel diſſenſu extra Portam Ticinenſem in pratis non longè à ponte Credario unà contra Regem colloquia habuiſſe dicuntur. Verùm quia remotis à ſe arbitris quid dixerint, quidve tractaverint, referentibus parum fidei adhibitum eſt. Id tamen neque ſuſpicione caruit, nam cùm ab hoc diſcederent colloquio, in ſignum fidei dexteras accepiſſe, ac dediſſe feruntur, quodque videri, ac ſatis manifeſtè perpendi potuit. Quid enim tam adverſæ factionis primorum juvenum ſolitarium colloquium? quid tam rebellibus, & hoſtibus junctis dextris data fides circumſtantium ſamulorum interpretantibus animis aliud ſignificare poterat, quàm contra nimis odioſam Germa-

manici Principis ſibi vim parantis potentiam nova conſilia ſumi? Verùm cui certa fides adhiberi poſſit tam vulgatæ rei nullus auctor fuit. Sed fortuna, cujus ordo eſt cuncta confundere, ſi ſuæ dentur curæ etiam cùm prope diſpoſita videantur, hæc quoque forent conſilia juvenum tecta, manu volvens ab inſidiis ſubitò Regem ſalvum fecit; nam Franciſchinus de colloquio recciens, priuſquam genitori, quæ geſſerat cum novo comite, nunciaret, adeò læto vultu ambigua, quæ notabantur verba jaciens aperuit ſe, ut non modò comitum, verùm etiam ſamulorum inferior turba domus concordiam Principum utriuſque factionis non ſolùm in Aula ejus prædicet, ſed variis ſermonibus cunctos Urbis vicos replet. Galeaz verò cuncta ſimulare, & diſſimulare doctior quippe moribus, & ætate perfectior nullum inde ſuis nec lingua, nec vultu notabile ſignum dedit. Quod ubi percepit Guido, nato quæ cum Galeaz tractaverat in colloquio ſibi referenti ſæpiùs dixiſſe ferunt: *Solertior in colloquio, ac rerum peritior tecum fuit, plus te ſciet.*

CAP. XXIII.

INterim conſenſu Principum utriuſque partis plerique obſidum Regem adeunt, ſeque affirmant, nec non ceteros collectos æquo animo ſecum iter facere, dum communi ære digna ſtipendia dentur, idque ſolùm hortari cœperunt, ne ſuis ſtipendiis contra jus, & æquum ſecum militare cogantur. At id quod requirebant nec jure negari, nec facilè obtineri poſſe ſciebant, nam nec Rex ſtipendia ſibi conferre volebat, nec populus contributionibus fatigatus, ac pœne exhauſtus, ea, niſi cogeretur, de communi tribui minimè conſentiret. Attamen inſidias, ut puto, non perpendens Rex: *Juſta*, inquit, *petitis; verùm per communem veſtrum id fieri volumus*, atque illico Nicolaum Vicarium ſuum vocans, negotium illud committit ſibi, qui vocato Senatu, quod Conſilium Generale dicitur, rem, prout erat, exponens, executionem habere poſtulat. Verùm ſive Senatorum avaritia, quibus grave ſtipendium id videbatur, ſive ſuæ factionis principe quiſque corruptus foret, id fruſtra petitum eſt, quod ægrè nimiùm tulit Rex, ſed multo ægriùs, quia à mane uſque ad octavam inde nullum in Senatu reſponſum datum eſt. Nam Nicolaus perditis in Senatu priùs multis in orando verbis, ne Domino ſuo illuderet, dum res Communis agitur abnegando reſponſum, de Senatu abiens ad Regem adiit, cui: *Mutum Senatum*, inquit, *ſedentem in Palatio clauſum teneo*. Deinde expoſita, prout erat, re dixiſſe ferunt: *Jube Domine captivos eſſe, qui ſui Principis comites eſſe nolunt. Jam utriuſque factionis Principes, non te auctore, verùm inſcio, concordes quid ſubditus Domino teneatur neſciunt, quinimo in tuæ maieſtatis potentiam ſæviunt. Senſiſti Galeaz, & Franciſchinum ad colloquia conveniſſe, quorum conſilia non ſcire licet; quæ igitur conſpirationis ſigna, aut argumenta quærenda ſunt? Quid ingratæ urbis tuo damno pacem quæris? Hi, vides, ſtolidi cives ſunt, numquam integra civitate Principem habere volunt. Forum libertas, atque vita in tua manu ſita eſt. Retineri, atque illico, dum ſiveris, gladiis dari poſſunt, qui principes ſeditionis ſunt. Nonne evidenter patet malignantium pravum opus, qui undique criminandæ Maieſtatis tuæ occaſionem quærunt?* Ad hæc non degener, ſed alto, ac tanto Principe dignum reſponſum dedit Rex: *Non ſuſpectionis arbitrio, Nicolae, judicandum eſt, non omni ſpiritu credendum eſt. Non temerè, ne pœniteat, quicquam agere Regem decet. Nec dubitamus, bona fide procedis, ſed & nos exploratores per urbis angulos, atque vicos miſimus. Referendarios habemus. Pauci infimæ plebis, qui Turrianas domos colunt, de conſpiratione loquuntur, ceteri illius rei ignotos ſeſe faciunt. In nobilium parte, quæ Matthæum amicum noſtrum ſequitur, minimè ſuſpectionis ſigna vidimus. Alia certiora tuis argumenta in tanto negotio quærenda ſunt. Vade, cunctoſque licenties. Jejuni ſunt. Nemo in Senatu retentus ſit. Liberi abeant quiſque domum. Utriuſque Civis fides brevi nota erit nobis, & ſeparabitur à bono pravus.*

CAP. XXIV.

HAc igitur benignitate Regis nulla ad propoſitum reſponſione facta, de palatio ſtolida, & inconſulta diſcedit turba ipſamet taciturnitate ſeſe vendens. Inde ut fit pluribus ignorantibus caſum, ſub damno crevit temeritas, & audacia; nam paulò poſt, priuſquam ipſius hebdomadæ foret finis, ſubitâ armandi militis ex induſtria captâ cauſâ, magna Theutonum turba in Brolio Mediolani in armis, & equis fuit, ſimulans, ut fertur; neſcio quem miſerum, ſuiſque meritis dignum judicio ignis duci. Hoc autem non temerè, imò conſultè actum eſt, ut hi velut firma acies ceteris urbem diſcurrentibus ſubſidio pro caſtris forent. Deinde ad arma diſcurrere ceteros Regis milites ſubitò per hoſpitia nunciatum eſt. Verùm in ipſo primo tumultu deſtinantur nuncii Regis armati in equis, qui per urbem Domos Principum, & Magnorum Civium viſitent, haud temerè explorantes, qui Civium in armis ſint, quive publicè, quive occultè arma parent. Hi primùm Matthæi, deinde Guidonis domum viſitant; Verùm priuſquam Matthæi domum propinquaſſent, hoc ſibi nunciato, Ludovicum Vicecomitem cum aliquot juvenibus, qui invito, ac inhibente Matthæo paratis in Curia equis arma ſumſerant, in ſecreta ædium cum equis claudit, & ipſe cum paucis in vacua ſede porticus togatus ejus rei ignotum ſeſe gerens, ubi per patentes porticus in ſpatioſam Curiam exploratores Regis intrantes vidit, velut interruptis circumſtantium ſermonibus ſedato vultu eos quieta ſede ſurgens recepit, vinum afferri clamitan, velut ignarus, quid viſitent, quæritentve, rogitat. Qui ubi inſidiarum, ac machinamenti nullum ſignum vident, oculorum potiùs quàm aurium opinioni ſtantes, Matthæum, & complices ejus inſontes vocant, atque illico citatis equis ad Turrianas domos ruunt, ubi tumultu, atque armis omnia plena reperiunt. Attamen nondum frequentes ſuæ factionis turmæ convenerant; nam hoc ipſo falluntur perniciosè nimiùm Turrianæ partis duces, qui non eam diem, ſed poſteram, ut dicitur, ordinaverant ad tumultum. Verùm tamen, ut ſubita poſcebat res, nihil impigrè actum eſt; nam cognito primi tumultus motu per primos curſus Theutonum illi, quos ego in foro promptos lingua videram de primorum juvenum, & Galeaz, & Franciſchini conſpiratione loquentes, diſcurrere urbis vicos viſi, illico ad arma ſuſcitant vicinos ſuos, & quos poſſunt ſubdolis, & fictis verbis ad Turrianas partes mittunt, dicentes: *patine vultis ulterius injurias Theutonum, quos Duces noſtri, qui unum facti ſunt,*

A *ſunt, ampliùs pati nolunt?* Apparebant etiam Guelphicæ factionis ouncii, ut inſtructi erant, falsò jurantes, ſe Galeaz Vicecomitem, & Franciſchinum de la Turre nunc nun. vidiſſe armatos in Turrianis Vaſtis, ipſoſque data, acceptaque oſculo pacis fide in Theutones unà armis ruere. Hæc narrantes dicebant, deinde: *quid agitur? non verbis, ſed factis opus eſt: ad arma ad arma, deleantur Barbari: concordia civium facta eſt.* Pauci neutrius factionis communem patriæ ſtatum affectantes, decepti ſecum vadunt, at plerique de parte Nobilium hæſitantes, quid novum audiant, mirantur. *Concordia Civium admodum grata eſt nobis*, inquiunt; *ſed hæc nobis nova res eſt.* Deinde ut fit ſedato aliquantulum animo ſecum inquiunt: *Nonne hi,*
B *qui ſubitò pacem nobis nunciant, ſatellites, ac ſequaces Turrianæ Domus ſunt? Non ſunt primi factionis ſuæ? & nos ſequaces ſumus? Cur non & nos hæc novimus? Nemo partis noſtræ horum concordiam ducum nunciat.* Itaque de parte nobilium rari ſunt, qui tumultum adeant, cùm eam rem in Turrianis Vaſtis armis geri ſentiant, ſed quiſque viciniam ſuam armatus tenet. Verùm miſera vicinia Braydæ Quercii nunc intra fines Portæ novæ ſita, ſeu quia Vaſtis affinis, ſeu nimiùm ſtudioſa Turrianæ partis foret, vicinos ſuos temerè ad tumultum miſit. A ceteris etiam ipſius Portæ vicis ſubitò raptis armis ruitur in latis Vaſtis, quorum pauci ſinè vulnere redierunt domum.
C

CAP. XXV.

ERant eo tempore in nobili familia de Petra-Sancta non plures, quàm duo, qui Turrianæ partis ſtudia ſequerentur, Rizardus ſcilicet, & Philippus fratres. Cetera totius ſtirpis multitudo partem nobilium ſecuta fuerat ab antiquo, & nunc eamdem in Gibellinum nomen mutatam ceteri ſequebantur, etiam Franciſcus, & Guido ipſorum Rizardi, & Philippi ex alia matre fratres. Nam Bona oſa plebei divitis quondam Zarri de Surlaqua nata Zarini fratris ſucceſſione ſuperba, qui captus in conflictu, quo Caſſo de la Turre cecidit, in carcere morbo
D ſumto ſine liberis vita functus hanc germanam ſuam ſui æris divitem fecerat. Horum Rizardi, & Philippi mater erat. Hæc germanam uterinam ſolùm nobiliori domo natam habuerat, utpote de ſtirpe antiqua de Rhaude, quæ quia utroque parente nobilis, ut ſola genitoris hæres, Napoleonis nurus, utpote filio ejus Muſchæ uxor accepta eſt. Inde Caſtonus nunc Archiepiſcopus, & ceteri fratres eju, quorum mentio facta eſt, nati ſunt. Hi poſt mortem matris, quæ deceſſit exul, in patriam reducti neſcio quo pacto quave ratione, eos Rizardum, & Philippum non modò ad dilectionem ſui, domuſque ſuæ, verùm etiam ad ardentia Turrianæ factionis ſtudia mirabiliter attraxere, cunctis
E agnatis, fratribuſque ſuis veteris nobilium partis conſilia ſequentibus more patrum. Hos Rizardum, & Philippum novam, peſtiferamque ſibi partem ſequi plerique ab imperioſa matre coactos eſſe ferunt. Quid carius poſſideri, aut poſſideodum intolerabilius expectari poteſt, quàm divitis mulieris cenſus, quem ea ſuperſtite, numquam pacificè poſſidebis? Rizardus præclaræ formæ juvenis multæ virtutis dote florens, quæ juvenili ætate ſemper gratior fuit, multùm vicinis ſuis, ac Civibus amabatur. Hic etiam, quorum juventute mirabilis Rector, ac Poteſtas fuerat, Florentinis, Senenſibus, Luca-

A nis, Pergamenſibus admodum gratus fuerat ubique magnificè ſeſe gerens celebre nomen fecerat. Ipſos itaque Rizardum, & Philippum plerique ex agnatis, ac vicinis ſuis creduli nimiùm, civili nunciata concordia, armati contra Theutonos uſque ad Turriana Vaſta ſecuti ſunt. Verùm ubi ibidem nullam biveram, nullaque Gibellina ſigna vident, Bellinus, & Colombinus de Petra-Sancta illico ſe deceptos vocant, ac primi flexis frænis redeunt domum; Idem ceteri Gibellinæ factionis fecerunt.

CAP. XXVI.

B CUm igitur de cunctis partibus Portæ Novæ illuc tumultuosè curritur. Zonfredus de la Turre, cui cujuſvis quærentis in Urbe dominatum ſemper diſplicuit ambitio, clamore audito excuſſus, quo dormiebat, aut aliqualiter aliteratus quieſcebat lecto, ad ſpeculam ſeſe trahit, quanta voce potuit clamitans: *Heu quid vos hic coitis inſani? Hinc abite, nec tardetis, abite. Quæ temerè ſumſiſtis arma deponite, quibus veſtra urgente inſania, heu, non modò veſtram, imnimo meam, cunctorumque unà Civium necem quæritis.* Hæc ita fruſtra vociferante Zonfredo, dumque inſtantis pavore mali, injuſtique doloris anguſtia ſtimulante, totum ſe dilacerat, & è ſpecula proſpicit Theutonos rapido venientes auſu.
C

CAP. XXVII.

JOhannes de la Calcea, quem ſupra memoravi, deinde Henricus de Flandria Mareſcalcus Regis, primi ad tumultum magna equitum manu veniunt, & porticum. nec non plateam S. Fidelis celeri curſu tranſeunt; Verùm in ipſo Vaſtorum aditu capientes campum, ſiſtunt gradum, ibique in adverſa Vaſtorum parte frequentibus conſpectis hoſtibus in agmine ſeſe cogunt, dum utrinque ſubita venientium expectant ſubſidia. Ex Theutonis pauci cum baliſtis tenſis, ſive ſuimet, ſive ſuorum licentiâ Ducum in medium prodeunt adversùs ho-
D ſtium ſagittantes globum. Ut fit in frequenti agmine ſæpe paucis ſagittantibus ſubitus pavor unà omnes turbat. Itaque Turriani modicum volatilis ferri periculum vitare volentes in extremam bellicæ cladis ſortem ruunt. Nam dum ex aperto, ac nimiùm pateoti ſagittis loco poſt Templum S. Benedicti ſiniſtro lateri proximum reducere ſeſe volunt, ubi undique ſuccurrentes expectare tutius viſum eſt, Theutoni fugere eos rati, citatis equis, ac nudatis enſibus nudatum clypeis incurſant dextrum latus hoſtium, eoſque turbant, & ſubitò in veram fugam vertunt. Ibi magna peditum ſtrages fuit. Franciſchinus, & Simoninus Guidonis filii ſuæ ſalutis magis, quàm languentis in lecto patris memores, de tumul-
E tu, cujus auctores fuerant, citatis equis cum paucis ſeſe ſubtrahunt, & per Braydam Guerzii, ubi phalerati vectoris ſui pendentia reſecat, atque jacit ſua quiſque picta terga bovis inutile onus fugæ, per Puſterlam S. Marci Urbe exeunt, & Montis-Orphani ſeſſis equis tutam arcem petunt, ac ceteri equites quà quiſque venerat, aut quà liberior, paratiorque fuga viſa eſt, citatis equis tendunt. Plures tamen equitum, in quorum numero fuit . . . . de Bernadigio Ottonis filius nuper ex adverſa factione Turrianus factus, in conflictu cæſi ſunt. Rizardus etiam, & Philippus fratres de Petra-Sancta dum ingruentium impetum fruſtra ſuſtinere conantur,

tardè

tardè memores fugæ fuiſſe videntur; nam Philippus equo ſtratus ſemivivus diu inter cadavera plebis ſpoliatus armis, atque nudus jacuit duro ſolo. Rizardus inde tardior ab inſtantium furioſo impetu utcumque ſubtractus, relicto equo hoſtibus, pedes in Guidonis domum evaſit, tutior factus clauſâ portâ, deinde invalidi Guidonis lectum petit, cui haud modicum opportunus vênit, nuncians ſibi miſerrimum caſum ſuum. *Hinc prorſus*, inquit, *abeundum eſt. Hoſticus furor poſt tuorum terga gladio ruit*. Non plura inquiens invalidum è lecto tollit, quem tranſacto vicino muro per hortalia Monaſterii Horoni in Monialium interiora domus ſecum defert, ubi Guido nec ſe nimia vicinitate tutum putat, imò inde per multorum poſteriora ſediminum in domum Fratris Jacobi de Bechaloè Religioſi militis B. Virginis glorioſæ translatus eſt, quæ domus diſtantiâ loci quærentibus ipſum minùs ſuſpecta erat. Tarda peditum turba latiùs cæditur, & Commune urbis crimen luit.

CAP. XXVIII.

At Matthæum celeri, atque utili conſilio uſum in tanto rerum turbine multo ſpe felicior fortuna ſecuta eſt. Nam primo armorum fremitu, primiſque horriſonis Civium vocibus ad arma clamantium auditis, non ſolitæ calliditatis oblitus, Galeaz primogenito ſuo, ne arma capiat mandans, per poſteriora domus in propinquum Epiſcopi Tridentini hoſpitium, qui tunc erat Regis Cancellarius, properè paucis comitantibus inermis tendit, cui: *Ad Regem quæſo*, inquit, *mecum venies, ad cujus nutum vivere, atque mori paratus ſum; nam ſinè te furibundos inſultus eorum, qui vota mea neſciunt, timens nunc meum Dominum non accedo*. Itaque comite Cancellario Matthæus per frequentem turbam Theutonum, trepidam tunc cuſtodiam Regis ad ipſum Regem togatus vênit, quo habitu reddita ſpe, cuncti undique gratulantes Matthæum fidelem amicum vocant.

CAP. XXIX.

At ubi Rex Matthæum vidit, quem in ſe conſpiraſſe acceperat aſſertione multorum, ejus præſentia lætatus, cujus horrebat abſentiam; *Matthæe*, inquit, *ubinam Galeaz filius tuus, quem quidem infeſtum nobis dicunt? Et tu hæſiſti in fide titubans, ſed fortiùs obloquitur contra te vulgus, nam conſpiraſſe diceris in Dominum, & reconciliatorem tuum communicando conſilia cum his, quos nobis infeſtos fecimus causâ tua. Cur tam tardus huc veniſti? Nonne dudum armorum fremitus totam urbem movit?* At ille: *Summe Regum*, inquit, *tuâ clementia ſum quod ſum, & qui me ſequetur, ſemper erit tecum, quibus quodcumque juſſeris non exequi nefas eſt. Quod potui, audito tumultu, ut ociùs huc accederem tutus fui; ſed ne tuis gentibus neſcientibus vota Civium ad te veniens inſultarer, vicinum hoſpitium Cancellarii priùs per poſteriora domus acceſſi, obſecrans, atque inſtans ſibi, ut ſe comitem ad vos mihi tutum iter faceret, quippe præſens audit, & innocuæ veram cauſam moræ novit*. At Cancellarius benignè ſuſcipiens amici cauſam, eum ab initio novitatis ad ſe fuiſſe aſſerit, & opportunam, atque creditam dilationis cauſam dicit, utpote Principis moram. Interim Galeaz contra mandatum patris arma capiens, ac proximos ſequaces ſuos ad arma provocans cum magna turba ad nobilem Plateam de la Peſcina ſeſe tulit, ea namque ceteris partibus urbis plenior Gibellinis, ac etiam armis, & equis opulentior ſemper fuit, ibique frequentibus turmis ſequaces partis nobilium P. Ticinenſis properè glomerantur in unum, quid primùm agant ignari; nam ſtolidus furor Theutonum paucis placet, quibus velut à natura evenit amicitias ſuis pravis moribus ubique præcipuè per Italiam confundere, cujus contratæ incolas ſuo damno nimiùm ſpernunt, quod vacationis Imperii per tot tempora maximam, imò ſolam cauſam puto: heu quòd antiqua, & fida Imperialis aulæ hoſpitia pravus ordo Germanicus à ſe pellit culpa ſui. Cùm itaque de cunctis partibus portarum Vercellinæ, & Ticinenſis ad Viperina ſigna concurritur, dumque jam ibi frequenti agmine facto Galeaz, & qui ſecum erant, versùs propinquum vicum, quem vulgò *Curiam Ducis* dicimus, frontem darent, ibi ſolicitam Germanorum turbam vident, quippe quoſcumque in armis cives timent. Tunc Boſchinus Mantegacius nuper beneficio Regis de exule factus civis, ut paventium animos Germanorum firmet, do ſuorum agmine (nullo, quod eum compoſitorem, aut nuncium eſſe ſignificet, ſigno dato) ad eos ſolus tendit. Contra quem iratus Theutonus hoſtiliter eum accedere ratus, nudo enſe ſponte vênit. Verùm Boſchinus illico de vertice galeam tollens civiliter, ac blando vultu ad eum tendens, ſe ſuum probat amicum: deinde ſecum ad ſociorum turbas pergit, quos omnes per paratos interpretes illico ſecuros, & multùm lætos fecit, docens, Galeaz Matthæi filium, cunctos etiam, quos armatos vident, Regi fideles fore: *cujus beneficio cuncti cum familiis noſtris*, inquit, *olim diſperſi in dulcem patriam reducti ſumus. Sinite, volumus, atque pacati in armis ſumus, vobis, atque nobis, & noſtris rebus dare ſubſidium*. Itaque his actis illico Galeaz, & qui cum eo convenerant, congratulantur. Reddita ſibi mente Theutoni, & junctis fide dextris uno agmine uni equitant per amplam ſtratam S. Thomæ uſque ad latum vicum veteris pontis Portæ Cumanæ. Anteibat Galeaz cum Epiſcopo illius agmini Germano duce. Cui, *quidnam*, inquit Galeaz, *nobis agendum eſt, dicite*. At ille: *Scitis*, inquit, *Ducem Auſtriæ cum omni turba ejus, quæ non modica eſt gentis noſtræ, non intra urbis mœnia, verùm etiam extra urbis muros juxta Cœnobium S. Simpliciani Portæ Cumanæ foris hoſpitio fore. Hi clauſis foribus ad nos introire, ac nobis ſubſidio eſſe nequeunt*. Tunc * Guelphorum circumſtantiam vis pontis veteris amplum locum occupat, ibidem relictis peditibus Creſone Crivello, cujus Turrianæ nurus vinculum Johanni filio ejus nupta nunquam ſedavit animum, quippe nimis inſidet alta mente cæſi patris injuria prope ripam Guaſæ. Galeaz ad Portam Cumanam tendit, & panditâ portâ quingentos præfati Ducis Auſtriæ equites introducit. Qui urbem intrarunt, dominum ſuum ſolùm quærunt: ipſum, ſuamque ſalutem, aut diſcrimen illico ſcire volunt. Hic enim Dux primus puber paulò ante tumultus initium paucis comitatus alumnis, quibus eum genitrix mandarat alendum in armis, viſitans hoſpitium Regis, & inde rediens (heu miſeræ genitrici) pæne à crudeli fato innocens puer ereptus eſt: nam juxta communem porticum S. Marcellini temerè volat lancea inerme pueri crudeliter latus petens. Sed fidelis bailus, velut ſubitò facto amens, ociùs occurrens inermis, & ipſe prono corpore ni-

nimium ſævum capit telum. O præclara, & utilis modò fides! ò grata Deo virtus! Qui fideliter protexit Dominum ſuum, à Domino cuncta merito cernente ſervatus eſt, cujus fortis manus venientem haſtam torquens per ſumma veſtimentorum fidelis militis, omnem periculoſi corporis locum vitans, innocens rexit ferrum. Pluribus itaque, qui viderant, aſſerentibus ſalvum Ducem, una omnes læti ad veteris pontis locum veniunt. Ibi Creſo Crivellus antiquis, & novis offenſionibus, & injuriis turbidus, ac patriæ cædis non immemor, quem Turrianus gladius percuſſerat ad flumen Guaſæ, multis referentibus, confuſos Guelphos, atque Turrianos Vaſtis victos fore, percipit. Quod Galeaz & Theutonis ſecum redeuntibus nunciat, alta voce vociferans, delendam ubique per urbem Ghelficam gentem cenſeo. Cujus vocem laudant Theutoni, ac nudos oſtentantes gladios, *ſinite*, inquiunt, *his gladiis utiliter rem veſtram geri; ut ſecuri in urbe ſemper ſitis, provideatis ſemel vobis*. Tum Barbarorum dictum cuncti probant etiam ſtolidi Cives noſtri. Solus in ea turba Principum junior Galeaz, Dei, atque hominum ea die memor fuiſſe videtur. Nam primùm ſermone blando alloquens, Creſonis iram mitigat: deinde cunctis audientibus: *locus*, inquit, *certaminis ante omnia viſitandus eſt: ibi quod periculi, atque ambigui eſt, de medio tollendum, ac ſeditionis Duces, ſicubi reperiantur, gladio puniendos puto*. Omni itaque agmine ad Turriana Vaſta ruitur: ibi ex Turrianis ſequacibus pleriſque cæſis, ac rubicundo ſolo ſtratis, per fugam ceteros evaſiſſe, reperiunt, perplenas domos Theutonis prædam quærentibus pluſquam cædem. Spoliabantur non modò Guidonis agnat rum, atque ſequacium ejus, verùm etiam innocentium vicinæ nimiùm miſeris Turrianis domus juxta Turriana Vaſta. Miſerum certaminis locum habitabat dives, & popularis familia de Segazonibus, qui conductores, ac ſtudioſi Gallicæ, & Britannicæ lanæ erant negotiatores. Horum domos adductis de Gallia, aut permutata lana drappis plenas Theutonum manus occupat vi, & violatis famulis cunctas domos: capiunt claves, & qui intus ſunt jure belli ſua eſſe volunt: nec ullo Galeazii dicto, aut facto illius boni Civis pacificam innocentis familiæ domum teſtantis inde prædo Barbarus educi voluit, nocentibus innocuo rebus ſuis, aut qui ſecum erant, aliorumve bonorum Civium de horum popularium domo minimè bellicoſa, omnique cauſa ſeditionis ignara, divitiis ac rebus ſuis ſibi nocentibus, deduci valuere hi prædones Barbari: imò pluribus diebus non modico rerum damno claves domus tenuit prædo, donec continuò creſcere ſua damna videns tam pacificus Civis noſter auro redimeret, quæ remanſerant in domo ſua utpote reliquias prædæ.

Erat tunc Mediolani Paganus de la Turre Epiſcopus Paduanus innocentis Zonfredi frater, qui primi tumultus vocibus ſtupefactus, illico apicem, & baculum paſtorales ſumens in Eccleſiaſtici Paſtoris habitu ante germani ſui portas ædium verendus ſtetit, aliquot piè circumſtantibus pacificis Gibellinis, & cui ſacræ Religionis, & circumſtantium reverentia vix ſua * vita, boni fratris domo penitus ſpoliata. Interea Matthæus conſenſu Regis tumultus loca viſitans, tollendi injurias, ac ſedandi prælias gratiâ, domum dilecti civis Fratris Jacobi de Beccalo- Virginis Glorioſæ militis petit, ignarus, quid ibi lateret Ubi nunc divitis Guidonis ſuperbia, qui patria urbe vivere æquo jure neſciens, nunc dum plebeji civis domi latitans volantium ſtridorem avium timet, Matthæi Vicecomitis famulis pulſantibus ſtridentes domus fores ſentit? ad quas currit ille ſedulus, & fidelis Frater Jacobus, nullius ſervi domus fidens: qui patefactis portis Matthæum licèt amicum videns, non pro ſe, ſed pro depoſito præſentiam ejus timuit, ac tantùm utcumque timore preſſo, ſatis claro vultu, inquit: *Quid vultis, quidve quæritis à domo veſtra?* At ille: *nihil niſi, ut domus, & quæ in ea ſunt, dum poſſumus, ſecura ſint*. Deinde paratos in armis famulos oſtentans offert, quos ſecum tenebat præſidii causâ domus. Cui ille inquit: *Nec præſidium veſtrum repudio, nam ſcio præſto erit, nec dubito, ſi neceſſe erit. Verùm illico veſtrâ operâ ſedabitur* (exiſtimo) *furor iſte, & omnis innocens civis ſecurus erit. Ite, nullum diſcrimen cunctos defendentibus cives veſtros, & bonum vobis fuit, erit*. Etenim verbum illud ſubitum, ac cunctis notandum civibus, ſi animum nobis foret rarus. Nam tunc primùm hæc proſpera in tam periculoſo rerum diſcrimine, aſpirante fortuna, Theutonus furor effrænis factus, exultat nimis, & licentiùs in quoslibet cives ſævire cœpit. Itaque non modò eorum, qui arma ſumpſerant contra Regem, ſpoliantur domus, verùm etiam innocentum, & imò eorum, quorum ſtudium Turriani nominis, ac ſuæ factionis extiterat odioſum. Hujus rei non modica cauſa fuit peſtifer invidiæ morbus inter cives tunc nimiùm perdita caritate laborantes: nam ob prava, quæ diutiùs in urbe fuerant, partium ſtudia multis veteribus, ac novis offenſionibus, & injuriis multorum, ut fit, mutuo datis, apto (ut ſibi viſum eſt) tempore ſuſcitantur odia; inde neque verſo pollice multorum Barbaris ſignantur domus. Hæc adeò crevit peſtis, ut plerique, qui ad ſuorum civium ſpolia cauſam dederant, ſuſcitatis deinde in eos prædonibus ſpoliarentur. Sic ſæpe digna meritis præmia mortalibus reddit Deus. O viliſſimi vilium cives, quos canina nimiùm rabies vexat. Saltem vos moveant ridiculi prædonum riſus. Ridet Theutonus, & omnis Barbarus amentia veſtra, qua utitur, gaudens. Offendere, non tegere poteſtis vicinos veſtros: non Matthæi, & qui injuriam ægrè ferunt, operâ tollitur illa peſtis: quippe eùm ſe opponere Theutonis non audeant, protectione parum proſunt. Utrum inſtantia, qua poſſunt, ad Regem, & ejus Principes, atque humili interceſſione proficiunt. Quippe nec ipſe Matthæus, qui præ ceteris erat civibus, ac Gibellinæ partis primus, ſe in urbe tenere nequit, & innocens vivere domi ſuæ. Nam poſt paucos dies Matthæus in Aſtam, Galeaz filius ejus Tarviſium juſſu Regis in exilium pergunt. Verùm ſibi plurimùm nocuit invidia, atque plurimorum pavor: nam Magnatibus Gibellinis ejus creſcens potentia aut odioſa nimis fuit, aut pavoris cauſa. Nam plerique eorum olim cum ipſo Matthæo magna vi regnante militantes, facta in caſtris conſpiratione cum hoſtibus juſta Meltium, adeò procuraverant caſum ejus, ut eorum opera ſub ſpecie tractandæ pacis, in manus Alberti Scotti (quem Comes Philippo de Languſco, & Antonius de Fixiraga contra eum incitaverant) traditus ex Domino urbis ſuæ, ac magnæ partis Liguriæ, factus ſit exul uſque ad hujus Regis adventum. Reliqui verò dum monte recolligunt, & examinant regnantium morem, ſpecialiter in urbe noſtra, ne ejus potentia libertatem civium occupet, timent. Sed brevi tempore operoſi curâ Franciſci de Garbagnate, omni ſuſpicione Regis pror-

prorſus dempta, cum maxima, ac ſolerti ſolicitudine, uterque in patriam, ac Regis gratiam revocatus eſt. Nam plerique eorum, qui Matthæum ambitionis vitio accuſaverant, apud Regem nec ſua vitia occultare valuerunt, quin ipſius Franciſci opera, atque judicio Rex perpenderet, eos etiam neglecto Reipublicæ ac communis boni ſtudio, pro ſe quemquam, ac pro ſua magnitudine laborare. Quo fit, ut ubi ſic vivitur, quod vitio civium commune bonum propriæ utilitati poſtponitur, potentiores, qui etiam præ ceteris vicinis ſuis moleſtiùs ſervitutis jugum ferunt, tyrannicum imperium in orbe provocent. Nam dum impune more ſuo proximos inferiores premunt, humiles populares etiam invitos ad creandum Dominum ex primoribus urbis cogunt, de quo licèt, ut fit, ſimulent, non confidunt, ut ſaltem pravorum civium injuriis ſub quoque regimine vivant tuti, unicum potiùs, quàm plures, volentes Dominum.

At Matthæus per literas Regis exilii liber factus in patriam rediens Papiam vênit, quò viſendi gratiâ antiqua Imperialis urbis mœnia veniſſe Regem ſenſerat: ibique benigno Regis vultu receptus ſperare cœpit intentum ſuum. Nam cùm diſcumberet ante Regis faciem, oblato ſibi primo Regis ferculo, puer Lupoldus Auſtriæ Dux (in quo Matthæus magnam ſpem præſidii gerebat) *ſignum*, inquit alta voce clamitans, *Matthæe, tibi maturæ promotionis nuncio*. Quid hìc moror? quid ampliùs ſuper his hoc loco diſſerendum eſt, niſi quod puer iſte, ut apparebit inferiùs, veridicus, & verus vates fuit? Ad alia tranſeundum eſt, ut hæc aptiùs nobis occurrant.

Interim fama volax pulſi Goidonis nuncia undique variis rumoribus per Italiam ſparſa multos mortalium ſolicitos, ac nimiùm pavoris plenos fecit, quorum plerique varia intentione rebelles fiunt Regi. Verùm illa nova ſeditio (peſſima res) non modò Regi, imò etiam cunctis ejus ſubditis priùs tres Ligurum, ac proximas urbes nobis monuit, Laudam ſcilicet, Cremonam, & Brixiam. Sed aſtu callidi Antonii de Frixiraga, qui de cœtu Conſilii Regii Laudam armatus ſugeras, ille priùs ſcrutatâ annonâ, nec non per Laudenſia horrea modico bladi reperto, conſilium rebellionis temerè ſumptum ponit, & Comitis ſpe, ejus literis, ac nunciis, & ſub fide data fretus Mediolanum veniens præfatæ Laudenſis urbis claves ad pedes Regi proſtratus offert: & non reverentia, neque cupidine pacis motus, ſed urbem ad longæ ſtationis obſidionem minimè diſpoſitam, atque paratam ſentiens dixit: *peccavi, fateor, Domine, miſerere mei; urbis dominium cape*. Idem Baſſanus ejus frater, & Antonius de l'Acqua, & quamplures, quos majoris fidei causâ ſecum Lauda duxerat, ſupplici voce ferunt. At Rex indignatus nullam faciem, aut vocem miſeris ſupplicantibus dedit. Tunc Comes Sabaudiæ non miſerorum cauſam deſerens, ubi Italiæ fines tetigit Rex, ſeu quæſtu, ut fit, ſeu conſcientia, conſilioque Regis per induſtriam (hic Guelfico ſemper favit) ad Reginæ Cameram poſt Regem tendit, Antonium de Fixiraga quaſi pavore perditum ſecum trahens. At ubi clemens Regina ſigno per Comitem cognatum ſuum dato Antonium vultu confuſum vidit, benigno mota ſpiritu, ac miſeris compatiens ſuo more, inquit Viro: *Domine mi, miſerere, quæſo revertentis amici, & cunctis mortalibus certum ſpei ſignum dabis*. Tunc ſumpto animo venales preces reparat, ac ſpe . . . . . . opportunis, infeſtuſque nimiùm Gibellinis Comes. Hinc utriuſque no[illegible] una intentione rogantis prece victus Rex, inquit: *Antoni, tota Ligurum in te fallit opinio, dum te partialibus ſtudiis deditum, obſtinatumque perverſo vocabulo contumacem vocant. Deplorabimus item fidem tuam: attende, ſi quam hìc tam libera voce dedis, atque paratam, apertamque nobis aſſeris, Civitas de facto detur nobis, non ſalvus modò, verumetiam in aula noſtra electus eris: quòd ſi aliter, certè pro meritis dignam pœnam dabis*. Deinde Henricum de Flandria Mareſcalcum ad ſe vocari juſſit, cui cuncta priùs docto negotium dat, commendans ſibi Antonium de l'Acqua, & Baſſanum de Fixiraga, qui unà ſecum veniant, ac dum pateant Laudenſis urbis aditus, obſides ſint. Itaque cum magno equitatu ad urbem Laudenſem properans haud longè à portis Henricus ſiſtit iter ſuum, unde portas clauſa, muros armatis viris plenos ſentit. Tunc electa arbore, qua illico miſeri pendant vades exutis ſuperioris togæ veſtibus, *feſtinate*, inquit vadibus, *nuncium bonum, & fidum nobis mittite, cui, ſi qua vobis eſt in urbe fides, detur qui nunciet, vos, atque alterum Antonium, & qui cum eo Mediolani in aula Regis ſunt, ni veſtræ urbis mœnia illico pateſiant, paſſuros horridæ mortis caſum, nuncientque, Laudenſem agrum incendio futurum*. Nec plura inquiens, jam ad famulos verſus, *injice lictor amborum laqueum collo*. At Antonius de l'Acqua in tam arcto, atque extremo caſu nec ſui immemor, nec deſertor fuit, inquiens: *Mareſciale, non hac intrabis urbem via: opinione ſua fallitur, quicumque putat intentum Regis exequi morte noſtra. Non ſic panditur ulla vobis porta: quin imò cuncti civium animi claudentur vobis, cùm ſenſerint caſum noſtrum, & ſpe ſalutis ſepoſita, priuſquam de deditione loquantur, cuncta extrema pati volent; armatos etenim per muros cives cernitis: eos non aſpera, & furioſa crudelitas, ſed magnanima clementia revocabit ab armis. Credite*, inquit, *mihi, licèt miſeris minima fides detur: nullo præter me nuncio in hac parte opus eſt: profectò ſinè me mittitur quilibet alius fruſtra. Ego autem ſolus (quiſquis fortunæ caſus ferat, utcumque reſpondeant cives) in poteſtatem veſtram rediturus (placeat modò) vadam explere mandatum, ac voluntatem Regis queo*. His itaque, quæ veri ſimilitudinem continebant, dictis, data fide, dimiſſus properè in urbem Antonius vênit: cunctos cives incurſans, amplexanſque, pleriſque ſpem vultu ſimulans, bonam Regis voluntatem nuncias, cunctoſque uno, ac generali ſermone lætificans, eis ſperandi cauſam dabat: alios utpote domeſticos, & familiares lacrymans, ſuum, & ſuorum extremum caſum docet. Tandem cunctis familiaribus, proximis, & amicis precibus oneratus, ac ſuâ cuique datâ curâ, in jam frequentis Senatus pavidam turbam vadit, ibique hujuſmodi verba habuiſſe dicitur. *Poſt peſtiferum*, inquit, *Cives, quibus cuncta ſcire licet, Guidonis de la Turre, & filiorum ſuorum caſum, quos, ſi vera fateri volumus, non Rex, ſed ſua temeritas expulit urbe ſua, temerè rebellionis arma ſumſimus contra Regem, more catuli à longè latrantis ad aprum, quem ſolo ſentit odore, & venientem expectare non audet. Deinde poſt tam ſtolidam audaciam veſtram tardè, & fortè fruſtra, niſi inveniſſetis amicos quærentes conſilium rebus veſtris, examinare voluiſtis, quid intra mœnia victus erat, & aliarum rerum, quæ hoſtem in ſtatione minantem timere minimè patiuntur, quarum rerum modicum in*-

veniſtis, quo territi ad iratum nobis Regem nos nuncios deſtinaſtis purgandi criminis cauſâ. Periculum cautè indignationis maximo cum pavore ſubivimus, & amici noſtri Comitis Sabaudiæ comitiva freti iratum Regis vultum vidimus, & unà cum tanto interceſſore veniam orantes, fruſtra irato Principi obtulimus urbem, & urbis jura. Ille præſumta noſtra offenſus, imò eo loco pulſus indignationem augens, torvo vultu vadit immurmurans ſæva nobis. Itaque dum in tanto, & tam triſti diſcrimine laboramus, & dum quiſque noſtrum ſeſe reputat in extremo vitæ ſitum, fortuna, quæ nec ſemper miſeros linquit, paulùm aſpirans nobis, ad Reginæ cameram dirigit greſſus Regis, quò per amicum nobis Comitem introducti, iterum miſeriarum, ac lacrymarum pleni fundimur ante pedes Regis, ubi dum more ſuo pro nobis ſpargit preces Comes, Regina clemens, & ſemper pia, miſeros ſedula preces ſuſcepit, & relevat miſeram, ac prope perditam cauſam noſtram. Attamen Rex primum gravia, & nimium horrenda nobis verba jacit, & velut nobis increpans, ſed fortiùs Antonio de Fixiraga inconſtantiæ crimen imputat. Deinde ſerenus, ac ſubitò placidior vultu factus, moneo vos, inquit, debitæ fidei memores, ac deinceps commodo veſtro conſtantes ſitis; deinde dum promiſſæ fidei idem ſemper ſimus, multa promiſit nobis bona; & contra multa minatus eſt nobis; verùm multo fortiùs Antonio de Fixiraga, cui: Experiemur, inquit, *fidem tuam: ni urbem promiſſam nobis dederint cives, tuique complices, noſtræ genti, quam hic à longè nobis deditam, & paratam nobis aſſeris, pro meritis pœnas dignas dabis. Verùm ſi debitæ nobis Civitatis in te adhuc fidem ſperari dederit, non modò ſalvus, verumetiam in aula electus eris. Interea Henricus Mareſcalcus ad ſe vocatus venit, cui Baſſianum de Fixiraga, meque ſecum cuſtodiendos tradidit. His tecum vadibus,* inquit, *accedas urbem Laudæ, & ſi quid rebellionis inveneris, fac ambo pendeant laqueo in conſpectu rebellium prope portas, deinde captis, cæſiſque colonis Laudenſium agrum undique incendio ponas; quid de hoc Antonio, & reliquis proditoribus fiat, per hujus incendii ſignum ſignificans nobis ſtatim. Itaque, Cives, veſtram, ac noſtram ſcitis conditionem: igitur ſi indigna, ac miſera veſtrorum legatorum mors, quos non Regis, verùm ſententia veſtra necat, nullius veſtrum mentes mollit, vos ſaltem moveat proximus, ac certus caſus famis, quæ vobis obſeſſis jam prima, & ſubita malorum comes aderit. Eſto quòd multi jam clariſſimi viri, & nos ſimiliter pro populo moriamur, dum hoc ſinè crimine veſtro fieri poſſit, & ſaltem dum certa maneat vobis aliqua ſalutis via, dicite quæſo, unde novum apparuit conſilium tam ſalubre vobis, crevitque hac nocte, quæ heri vacua reliquimus, in horreis granum? Redibo, quoniam ita ſedet animo veſtro, aliis Legatis veſtris certus comes necis. Suſtinebitiſne triſtem abeuntis faciem ad tam deforme patibulum more latronis, quod non merui? Sed video, placet vobis peccato veſtro peream cum cæteris, quos perdit ſola fraus veſtra. Credite tamen in extremis, mihi, vaticinor moriens: hæc erit vobis poſt magnam peſtem fames præambulum veſtræ necis. An creditis vos veniam meruiſſe poſt mortem noſtram, ſi rebellione veſtra moriamur? Nulla cauſa noſtri, niſi fortè pro cauſa ſimplicitas imputetur nobis. At ſi vobis incredulis nulla Regiæ promiſſionis boni reſtat ſpes, in ipſius ſaltem Principis conſorte thori ſperare licet, cujus benigna vox nos in aula ſua liberavit à nimio Regis furore: deinde ſuaviter nobis jam ſua interceſſione ſecuris,* inquit: *Recipite beneficia Regis, quæ, ſi vultis, vobis parata ſunt, nuſquam deerit favor noſter. Unde neſcio emergat ampliùs vobis timoris cauſa, neque quicquam moleſti inferant milites Regii timendum eſt. Nam edictum Regis ſeriunt, ut omni domo libera, & rebus hoſpitum ſalvis, mercato vivant, quippe florenorum Mediolanenſium pleni ad vos veniunt. Exponite per vicos venalia, quibus egent, & implete burſas veſtras nummis.* Deinde largas fundens lacrymas (poſt ſtuporem) ultimum verbum dixit. *Deliberate, malitis potius cum tanto diſcrimine veſtro mortem noſtram, quàm vos veſtro commodo nobiſcum ſalvos eſſe?* His lacrymis cives victi pandunt Theutonis urbis portas. Tum omnes introducuntur extorres, & antiquorum exulum natorum nati, quorum plerique neſciunt domos ſuas.

At ubi Rex deditam urbem recepit, exercitum, quem contra Laudenſes edixerat, illico atque inſtantiùs pacari juſſit, Cremonenſibus, ac Brixienſibus publicè hoſtibus nunciatis, quorum nova defectio exagitat nimiùm mentem ejus. Itaque iterata præconis voce edicitur in foro juſtitium, tabernas clauſas, quas ſtationes vocamus, victualia pacata, atque vehicula intra urbem coram Officialibus ad hoc deputatis præſentari, cunctoſque, qui per ætatem arma ferre poſſunt, equis, & armis illico paratos eſſe. Tunc tanta ex agris in urbem plauſtrorum copia introducta eſt, ut non modò fora, & alia loca communia, verùm Cœnobiorum, & aliarum religioſarum domorum ſpatia plauſtris illico plena fiunt. Quippe ad hoc conferunt Burgorum, atque Oppidorum Communia, quibus obſequio Regis, quod inſolita, atque nova res eſt, immunitas, & antiqua privilegia nihil proſunt, quin vehicularia obſequia, grave ſemper onus ruſticis villarum, præſtare cogantur. Verùm hoc tempore ſolito durius, ac maximo cunctorum Burgenſium, Oppidanorum, ac ruſticorum damno illud onus fuit; nam Theutoni poſtquam urbem undique vehiculis plenam vident, non modò militibus ferendi victualis cauſa, verùm ipſa plauſtra pro uſu, & obſequio militantium in Caſtris Civium certo ordine diſtribui more noſtro, nec non Ducibus, & prælectis Germanicæ gentis dari ſinguli viam quæſtus nacti, undique per Civitatem prædabundi cum bobus plauſtra capiunt, neque more ſolito ullus ordo dari potuit plauſtris, quin ruſticorum magna pars priuſquam rediret exercitus, Theutonum violentia perderet boves ſuos. Quippe nullius timor, aut reverentia eos tenuit, quin verberatis bubulcis, ac maximè eis impoſito pavore magnis minis à ſe retentos boves venderent, aut edendos mactarent.

CAP. XXX.

Itaque celebrato Paſchate Mediolani, præmiſſo equitatu magno, ac mercenariis peditibus Rex proceſſit Laudem, ubi contra Cives publicos defectionis crimine reos, quin ipſius criminis auctores nihil ſævitum eſt aſpere. Utinam in vos, miſerrimi Cremonenſes eodem crimine noxii, tam clementer Dominus noſter agat, ut cæteris timentibus adventum ejus ſperandi detur occaſio. Verùm Valeranus frater Regis in ipſa urbe Laude, ignobili, ac vili facto,

ĉto, nec ſe digno, nimium Regio detraxit honori. Hic ubi hoſpitium intravit Jacobi Dardanoni pacifici hominis, & honeſti, non ut hoſpitem, verùm ipſum tractavit ut boſtem. Nam illico reperta eſt Aquila olim Imperialis, ut puto, reverentia in ſecretis ædium muro picta, laqueo carbone picto turpiter pendens latronis more, vanum ac ſtolidum opus, ut fertur, famuli Cremonenſium legatorum Guelficæ partis, qui paulò ante ibidem hoſpitio fuerant. Hoc garrulus adulator ſuo nuncians Domino, ac velut ſævum, ac periculoſum oſtendens facinus ille ſervus nequam: *vade*, inquit, *Domine mi Guelphici hoſpitis noſtri perfidiæ magnum ſignum*. Hoc igitur ridiculo crimine apud quemlibet magnanimum ignarus hoſpes, indignè ac ſævè pertrahitur in obſcurum, ac turpem carceris locum, ubi hoc crimine innocens Civis aſſeritur vitæ reus, demum teſtantibus vicinis ſuis ipſum honeſtum virum, nec more agnatorum ſuorum umquam partium ſtudiis deditum, mediantibus quingentis florenis, bonæ famæ viri donatur vita.

CAP. XXXI.

INterea cùm undique deditæ urbes, atque Oppida feſtinatum exercitum Mediolanenſem magnis apparatibus ſequerentur versùs Cremonenſem agrum non uno itinere properantes. Rex illi ò Cremonam tendit dimiſſo Laude idoneo ſubſidio Gentis, ut in urbe reconciliatos exules, qui longo exilio velut advenæ facti eunĉta pavebant, mente confirmet. Verùm ut tutiores ſint. Antonium de Fixiraga, & pleroſque ſuæ factionis Principes velut ſibi caros, ac conſilio ſuo uti volens, ubilibet ſecum eſſe jubet. Quid itaque Cremonæ actum ſit diſſeram.

CAP. XXXII.

IN Cremona cunctis Gibellinis olim pulſis, Guelphica potentia adeò ſenuerat, ut novæ partes, invidiâ proſperis ac lætis rebus ortâ, jam maximis odiis pullularent. Nam cùm multæ nationum ſtirpes in ipſa Guelfica parte, nimia exulum patientiâ ſecuram pacem danie, opibus, atque gloria inter Ligures claruiſſent, duæ ceteris familiæ potentia, & nobilitate præibant, Cavalcaboves ſcilicet, & Amati. Quarum principes familiarum diverſis moribus viventes in urbe, odiis ac ſeditionibus prope laborabant, utpote Guillelmus Cavalcabos, & Supramons de Amatis. Uterque inter nobiles carus, amabilis, & glorioſus erat. Verùm multitudini, & plerîſque ex Magnatibus, qui commune bonum ſummo ſtudio curabant Supramons carior fuit, quippe à juventute publicola bonis moribus, ac Reipub. utilis habebatur. Contra Guillelmus, quem divitiarum copia ſuperbum, ac magni faſtus, reddidit, turbatæ juſtitiæ judicia plerumque confundens, hæc ſibi licere, ac ſe unum in urbe plus ceteris poſſe, dum ſæva impunè ſuadet, glorioſum, ac decorum ſtolidè reputabat. Cujus rei causâ inviſus erat popularibus. Verumtamen unà cum pleriſque ſequacibus ſuis cuncta impunè ſæva gerentibus, ſinè titulo, maximo Reipub. damno regnabat in urbe. Sic enim, aut parum diſſimilibus ejus progenitores velut ſuo more viventes olim, periculum quandoque turbandæ Reipub ac ſeditionis cauſam dederant. Hujus mali bumilis multitudo, ac plerique honeſti ordinis populares Supramontis adoleſcentuli olim favore

A freti, haud temerè aliquando aliquod habuere remedium, legem ferentes, qua maxima moderatione non urbs velut exulibus, & proſcriptis, ſed nimia urbis frequentatio, atque mora Primoribus, imò credo ſingulis familiæ Cavalcabovum interdicta erat. Cujus legis obſequio dum Cavalcaboves oppidis, ac dulcibus agris ſuis, quorum magna eis copia erat, magnificè vitam agunt, diu tranquilla pace velut integra floruit Cremona. Jam Gibellinis extorribus omni in urbem ſuam reditus ſpe poſita, oblitaque dulcedine patriæ, quieſcentibus alienis terris, donec mutata partium conditione Mediolani, & plerarumque vicinarum urbium, ſtatus, ac vivendi mores, turbatis ſtudio partium rebus,
B mutati ſunt, & Cremonæ multitudo timere cœpit potentiam hominum plus quàm legum. Nam ubi Matthæus Vicecomes, qui uſque ad eum diem ceteris propior Regi rexerat, cunctis ferè Liguribus, quorum pleroſque maximis beneficiis placaſſe debuerat, etiam domeſticis, & proximis ſuis, quos maximis explerat divitiis, temerè, ſed non impunè id procurantibus, Melzico campo confuſus, nullo commiſſo Marte, ſua neſcio virtute, vel ignavia, ſinè ullo ſuorum vulnere integer reproceſſit. Et Turriana Domus illico fortuna volente de exule facta Civis Ambroſianæ urbis dominium cepit, priùs quam opinabatur ipſius novitatis ſtolidus auctor Petrus Vicecomes, & cum eo magna pars Nobilium
C æmula, ac ſui impatiens boni, rerum juſto, ac Divino judicio accidiſſe reor, quòd ſtolida pars Nobilium Mediolani hunc temerarium ſecuta ducem, illico quod geſſerat recognovit ſuo damno, quorum quiſque poſt tanti Principis depoſitionem regere, aut cum maxima licentia regnantibus adhærere credebant. Hi poſtquam deluſos, ac ſua ſpe fruſtratos ſe vident, contra Turrianam domum, ut fit, ad ſe redeuntes ſecundò conſpirare cœperunt. Contra verò ut perpenderunt Turriani ſuæ factionis vires, ut ſui moris antiqui erat, in unum contrahere, ac fortificare cœperunt. Tunc itaque roborandæ Guelphicæ partis causâ præfato Guillelmo Cavalcabovi, & ceteris ipſius alæ ſtirpis, ut pu-
D to, Guidonis de la Turre operâ, & conditio legis, de qua ſupra diximus, Cremonæ ſublata eſt, quod ipſius urbis Civium maximæ cladis initium fuit. Hic Guillelmus Cavalcabos, ubi adventum Regis percipit, eorum, quæ cum Guidone de la Turre eum tractaſſe creditur, intrinſecus conſcientia ſæva tactus, ac in ſe odium Regis metiens, ipſum expectare non audens, ex urbe profugit, cujus fugam frequens turba ſequitur ſuæ ſectæ ſtolidæ rebellionis, ac patriæ ſuæ totius cauſa mali.

CAP. XXXIII.

E AT Supramons cum pleriſque magnatibus, & magnis popularibus, quorum mentibus, licet Guelficæ factionis forent, iniquitas, ac dolus ſatis minor inerat, tanti Principis clementiam ſuis exiſtimans prævalere delictis per luſtum miſerando habitu, quippe laqueis ad collum poſitis, cuncti uno agmine pergentes quæritant præſentiam Regis, ad quem juxta Padernum, qui locus decem millibus paſſuum Cremona diſtabat, procul in agris viſum tendunt, & ante pedes ſui Rectoris profuſi lacrymis vitam petunt, etiam vicinis hoſtibus miſerandi. O fida Regni comes clementia quàm citò Regem noſtrum deſeris! Heu jam ſinè te non modico damno tardum faciet iter Romam. Hi pri-

primùm miſerrimi Cremonenſes te pulſa, Regis mentem ſentiunt, nam ſeſe dedentium humiles, ac deſpectos vultus, & habitum, flexo in lævum vertice videre reſpuens, precatus humiles, nec non duros motura lapides Supramontis verba non audit. Qui illico ſævæ Theutonum cuſtodiæ dantur, donec per municipia ſævis carceribus deſtinentur, in quibus nobilis, atque innocens Supramons cum pleriſque hujus miſeriæ ſociis indignum ſuis moribus finem fecit.

CAP. XXXIV.

ITaque ad Urbem turbidus procedit Rex, atque obvium pallium, quod honoris causâ ſupra verticem ejus Cives cum maxima reverentia ferre voluerunt, reſpuit, ceteris honoribus per Cremonenſes reverentiæ causâ oblatis omnino ſpretis, iratus etiam mœnibus urbis cum magno exercitu Mediolanenſium, paucis tamen Cremonæ exulibus, imò veriùs exilio natis, Comitatus Cremonam intrat, quorum Jacobus de . . . . in exilio negotiando factus dives Princeps efficitur, & Gibellinæ partis caput, non nobilitate tamen generis, ſed defectu hominum factionis ſuæ, quæ antiqui exilii vetuſtate conſumta erat. Hic in exilio quàm in patria urbe reductus beatior, ac tutior fuit. Tunc pro ſolis mercimoniis itinerum ſola pericula metuebat, nunc urbe ſeditionis plena dum fruſtra renovare nititur oblitum veteris factionis nomen, in dies creſcit diffidens ſolicitudo vitæ. Nondum adventaverant ceteri Ligures, & Lombardi moniti, quos ibi expectare voluit priuſquam Brixiam versùs tendat. Primùm itaque mutilatis etiam innocentium Civium turribus, & mœnibus urbis dirutis communis rebellionis pœna ſolvitur. Jam omiſſis veteribus nova fugitivis Cremonenſibus allegantur crimina, quæ imperio Regis ſpreto contra à ſe re onciliatos exules commiſſa ſunt, quo fit ut faciliùs impetretur injuriarum licentia, præcipuè contra eos, qui apparere non audent; nam Jacobus de . . . . . . & cum eo pauci, qui patribus, atque avis antiqua ſeditione Cremona olim pulſis in exilio, ut dictum eſt, nati erant, beneficio Regis nuper recepti, deinde pulſo Guidone de la Turre in Lombardia Guelficæ factionis principe, iratis inde Cremonenſibus Guelfis ſui Guidonis injuriam ulciſcentibus, non ſinè injuria Regis pulſi Regem ipſum ferociùs exhortantur in quodlibet, ſicut volunt, fiuntque, ut ſæpe fit, abſentia non doloſa plerique innocentes novæ ſeditionis auctores. Laxatur itaque nimium odiis manus, ac vindictæ nimia libertas datur. Innocentium etiam ſpoliantur domus, quippe falſas (nec deeſt occaſio) fingit iras prædo. Tandem atque illico quilibet ſequens caſtra miles, naturâ prædo avidus indifferenter diſcurrens urbis domos, cuncta undique replet tumultibus, & lamentis. Vix tardo Regis edicto, ac plurimorum pœna extinguitur ille peſſimus ardor prædæ. Malè conſideraſti Rex quòd omnis terrarum populus nunc examinat acta tua; in conſpectu es omnium. Serpere debuerat in mentem tuam primi Cæſaris indefecta clementia, in quem tantum numquam committi potuit, quin ad veniam paratior ſemper foret. Saltem non immemor eſſe debueras doctrinæ Salvatoris noſtri docentis Petrum, qui promiſſis ſibi Regni Cœlorum clavibus in ſuperbiam elatus, ſepties peccanti velle præcludere videbatur Regnum Cœli. Cui inquit Dominus: imò ſi ſeptuagies ſepties peccaverit (quaſi hunc numerum pro infinito ponens) recipias ipſum. Verùm quia non doceris Henrice prædeceſſorum monitis, nec exemplis, documentum eris poſteris, & exemplum, quos inſtrues tuo damno. Nam brevi perpendes quid confidenter regnantis clementiæ oblivio nocuit tibi, quæve inde tibi, tuiſque fidelibus peſtis ventura ſit agnoſces. Diſcite Principes terræ in ſubditos, & quoslibet delinquentes aliquando non quod meruerint, ſed quod vobis dignum ſit ſtatuere.

CAP. XXXV.

REx ſubitò exercitu congregato paucis diebus Cremonæ moram traxit, deinde versùs Brixiam tendit, ſed in itinere non quos repudiet obvios Brixienſium honores, aut ulla reverentiæ ſigna uſquam videt. Verùm procedens clauſas urbis portas reperit, & Guelficis ſignis, armiſque rebellibus plenos muros. Agnoſciſne Henrice quid egeris, ad te converſum Supramontem, & criminis pœnitentem carceris pœnâ damnans? Tunc contra te clauſiſti portas, & armaſti Cives Brixiæ, peremiſti militiam tuam. Profectò priuſquam potiaris urbe, gentes, quæ tibi ſerviunt ante muros Brixiæ, more diu ſtantis aquæ longa in ſtatione languebunt morbo. Hoc tibi ſoli imputes. Certè Civitas iſta altis turribus, muriſque ac foſſis vallata inexpugnabilis eſt, fruſtra etiam expectare poſſumus, quòd Tebaldus Bruſadus patefactis portis Domino ſuo veniat humilis in occurſum, qui non modò Cremonenſes, verumetiam cunctos Italicos ſceleris, ac perfidiæ ſtudio vicit, & nuper ex devio exule, nec reditum in patriam ſperans te jubente factus Civis, pulſis qui tibi urbem dederant, vicinis ſuis, qui eum receperant tuo juſſu, rebellem, ac læſæ Majeſtatis reum ſeſe fecit. Peccavit in te Dominum ſuum Cremonenſis Guelſus, nec non Brixienſis Tebaldus uterque criminis reus eſt. Verùm Cremonenſis ſpreto imperio, quem receperat alterum à quo beneficio tuo receptus fuerat vicinum ſuum expulit; ſperabitne veniam Tebaldus poſt tantum ſcelus, auditâ Supramonti datâ carceris pœnâ?

CAP. XXXVI.

REx juxta Brixiam in ſtatione ſex menſibus fuit. Parum ibi memorabilis pugnæ commiſſum eſt, verùm repentinis incurſionibus aliquando etiam à primoribus temerè pugnatum eſt. De menſe Majo, quo mortalium horrea plerumque vacuantur, ante muros caſtra ſita ſunt, & in urbe omne per planum iter illico clauſum eſt. Verùm quæ radicibus Montium facies urbis ſedet, libera obſidione fuit. Inde per occultos tramites famelicæ ſemper Vallis Camonicæ jejunus paſtor pecudum relicto grege, victualibus, quibus poterat, clam urbem viſitans obſeſſis ſperandi cauſam dedit, ut hoſtes ſtationis tœdio vincant. Dum itaque Tebaldus, cui hujus Vallis iter curæ nimiùm fuit, vicinum urbis montem viſitat præſidio muniendum, ne inde inſultus frequentantibus iter vallis fiat à Theutonis, ultra quàm credibile fuerat ſerpentibus equis ſuis undique per devia montem, ſubitò unà cum his, qui ſecum erant, circumventus modica in defenſione acceſſus peractâ pugnâ pluribus receptis vulneribus, equo proſtratus eſt. Plerique comitum ejus ibi cæſi, pauci ut fortuna ſinit per devia montis utcumque fugiunt. Jam incognito Tebaldo victor Theutonus recedebat, cùm qui ſpoliandi causâ re-

remanſerant, inter cadavera adhuc vivum cognovere Tebaldum fruſtra ſperantem ſe moribundum fingere, qui illico ad Regem pertractus antiqua crimina, quæ non minus novis publica ſibi allegabantur in cauſa, prodere juſſus nobiles Fredericos Vallis Camonicæ olim ex antiquis hoſtibus connubiis ſecum partos convivas in domo ejus poſt fercula pro fructibus oblatis gladiis peremptos narrat, inter quos novum generum novæ compoſitionis pignus conſilio fidæ conjugis ſpreto cœcum nominat; etenim more vulgaris famæ narrabat vulgus Tebaldi filiam nobili juveni de Fredericis nuptam lacrymantem dixiſſe cum viro, cùm ab ea diſcederet ad lethifera pergens convivia: *ne accedas; inſidias timeo; patris convivia*, inquit, *mihi nimium ſuſpecta ſunt*.

CAP. XXXVII.

Itaque cognitis etiam à ſe novis, antiquiſque ſceleribus, quæ tam ore vulgi nota jam erant: *Satis eſt*, inquit Rex; *Jam cùm ſeneſcas Tebalde indocilem te exiſtimo fidem fœderaque ſervare. Hujus antiqui, atque inveterati perfidiæ morbi plenus abſque dubio inſanabilis es. Nonne ſinè ulla difficultate, nulla armorum vi, aut comminatione, ſolo juſſu noſtro à vicinis tuis non immeritò, imò juſtiſſimè renitentibus te cauſa tui, in patriam urbem receptus es jam ſinè exilio factus ſenex. Quid tibi profuerat Guidonis de la Turre, ac ceterorum tuæ factionis Ligurum toties experta, & fatigata potentia, quorum frequenti præſidio fruſtra uſus numquam tua nequitiâ perditum ſtatum tuum recuperare potuiſti, etiam cùm Brixia nondum vallata foret muro. Nonne Majones (ſic vocantur adverſarii tui) in quorum familia te exule regnabat Clericus, & Laicus utrumque gladium valida manu tenens, nobis ſuadentibus, atque jubentibus ultro te tuoſque ſequaces receperunt in ſocios, atque Cives, ſeque humiliantes æquo jure tecum vivere paſſi ſunt? Nunc itaque pro tam recenti gratia atque beneficio nobis, atque vicinis tuis diabolico more uſus retribuere auſus es pro bono malum, & ſpretis Deo, & Sanctis ſuis, quos juraſti, Sacramenti litera nondum ſiccâ, qui te pro pacis oſculo amplexum præ oculis noſtris intra ſe receperunt nefande Judas proditor expuliſti. Humano tamen generi documento eris, ut promiſſam fidem teneant; pœnâ debita inſigne poſteris exemplum dabis.* Deinde jubente Rege, atque inde ſententiâ in ſcriptis prius latâ, turpiter poſt equi caudam tractus primùm caſtra circuit, dein ut animum inconſtantem, tetremque habuerat, atque nuſquam integrum, ſic fœdo pulvere verſatum corpus ejus in fruſta diviſum eſt, data cuilibet manuum, atque pedum corporis ſua parte. Caput quoque abſciſſum, & cetera membra viri ſpectaculo ante muros Brixiæ ſita ſunt. Nec propterea amiſſo Duce Brixienſes de deditione eloqui, neque audire volunt. Quippe ad defenſionem urbis nullius operis, aut diſciplinæ militaris deſuit ordo. Nam magnæ auctoritatis, atque ejuſdem velle Civium, atque exulum illa Civitas plena erat, qui majore ſuo, quàm Regis damno ſeſe intra muros diutiùs tenuere, crebris, ac ſubitis eruptionibus, atque inſultibus turbantes ſæpe Regis exercitum, contenti cuncta extremà, atque dura pati, dum victoriam hoſtibus caram vendant, quorum intentum fortuna ad nutum juvit; nam exeuntibus ſæpe Brixienſibus, & ſæpiùs qui præſidio urbis erant exulibus, & proſcriptis Mediolani ad irritamenta certaminum; quæ licèt ea gerentibus periculoſa, ac ſæpe pernicioſa ſint, parum victoriæ, aut momenti bellicis rebus afferre ſolent, Valeranus frater Regis robuſtiſſimus juvenis, & in armis ſtrenuus, ubi ingraveſcente pugna ſubitò denſis hoſtibus ſuos nimiùm premi videt, ut erat non armatus, ut tunc pugnæ ignarus erat, ſed fortè ſuperveniens à multis Theutonicæ juventutis comitatus ſolatii gratiâ more ſuo viſitans caſtra, arrepto repente, qui lateri inſidebat, gladio, ſociis ſubſequentibus in frequentem pugnantium hoſtium turbam ruit, & dum hoſtes in fugam verſos temerè inſequitur, nimiùm prope muros ſagitta de ſummis mœnibus urbis miſſa ipſum periculoſo patentis gulæ loco ferit, quo vulnere poſt paucos dies moritur.

CAP. XXXVIII.

Itaque Rex nimiæ tœdio moræ quos reconciliarat hoſtiliter retinentibus iter ſuum in caſtris ſemper odioſus exti terat, nunc auctâ injuriâ nece fratris incitatus infenſior factus pugnam mœnibus urbis inferre parat, atque diſpoſitis pugnacibus turmis, ut quæque ſuis locis urbem aggredi paratæ erant, cunctos in iram exhortans, memoratis offenſionibus, & injuriis Imperii, atque ſuis, rogat ut taliter in hoſtes pugnare velint, quòd de proditoribus ſua virtute ſubactis ultio digna fiat: *Si digna*, inquit finiens, *aut debita ſuis meritis ſumi poteſt, qui nullam etiam ſuis commodis ſponte promiſſam fidem ſervare ſciunt*. Hæc paratas armis circuens turmas, & pleriſque procerum ſuæ gentis necem fratris memorans, qui, quas ipſe tenet, lacrymas immenſo rore fundunt.

CAP. XXXIX.

Mons erat arduus, & rotundus ſua altitudine ſejectus à reliqua mole montium, qui longo tractu, atque ambitu Camonicam Vallem circuunt. Hic tumulus in ſummo ſpatioſus, vicinus, atque alto vertice ſupereminens urbi ab Oriente ipſius defendebat introitum, etiam & acceſſum, quem ſi Rex, ut potuerat, occupaſſet priùs quam ipſum armaſſent hoſtes vallo atque foſſa, ac continuo tractu ipſius vallatæ foſſæ ipſum junxiſſent urbi montem, proculdubio non diu in rebellione ſtetiſſent. Itaque dato pugnandi ordine, paratis ad pugnam turmis, Mediolanenſes cum pleriſque ſagittariis Januenſibus, aliquot equitibus gentis Theutonicæ dimiſſis procul in campo equis ſecum tendentibus ad radices dicti montis tendunt, atque inter urbem, & ipſius ſummitatem montis medium aggrediuntur Vallum, ibique acriter inſtantes pugna ambiguam rem hoſtium fecere, qui nullo obice muri, ſed ſolo ligneo vallo, & ſicca foſſa tuti in extremo neceſſitatis caſu locum ipſum ſuæ virtuti commiſſum defendere, aut ibi vitam dare voluerunt. Quippe ibi tamquam loco ſuſpecto juventus delecta ad repellendam vim hoſtium locata erat. Dum itaque ibi lethalibus ſagittis Januenſium undique volantibus more grandinis jam paveſceret ad vallum turba defenſoribus aſſiduâ pugnâ feſſis, ac prope deficientibus, multis etiam eorum vulneribus jam affectis ab alta Turre, ubi media urbe totius ſpeculator pugnæ haud temerè deputatus erat, prout res poſceret, daturu ſigna, inclinaturus ad Orientem verſùs, ſi titubaret vallum, vela, ut illico non modò auxiliares armati in

me-

medio urbis ſtantes, ubi daretur ſignum, præſidio currerent, verùm ab omni parte urbis feſtino greſſu ad vallum tendens cujuſque generis turba ad ipſius loci deſenſionem contra hoſtes jam vallum lacerare conantes glomeratur in unum. Ibi noſtris jam diu victoriâ mente conceptâ prope hoſtile vallum, in quo loco pugnantibus dira, atque lethalis committitur pugna maximo utriuſque partis damno.

CAP. XL.

JAmque Alboinus de la Scala, & Cangrandis frater ejus cum ſuis Veronenſibus, & mercenariis militibus ab altero montis latere pugnantes, dum locus ille inexpugnabilis ſibi fore videtur, ſigno receptui dato ad ſua caſtra redibant. Et dum qui locum defenderant cedentibus hoſtibus illudentes lætis clamoribus cœlum pulſant, geminatiſque per Echo vocibus vicini Vallibus reſultant montes frequentes nuncii ad eos veniunt, qui interruptis pavore vocibus in tam vano lætantium tumultu ſignis, ut ſileant, manu datis, vix auditi nunciant, hoſtes ab altera parte montis ſuperatis jam foſſis, ac prope lacerato vallo contra jam feſſos Cives ruere, ibique maximo urbis periculo laborari. Hæc plurimi nunciantes: *parum*, inquiunt, *veſtra proderit hæc facta defenſio, ni feſtino greſſu properetis ad vallum, quod modò defenſoribus nimiùm feſſis titubans vidimus*. *Properetis itaque*, inquiunt, *dum noſter eſt iſte dies, & ut modò quos cedentes cernimus, atque hinc pulſos hoſtes, ſic ipſa virtute alios repellatis. Neu patriæ parentum, conjugum, ac liberorum veſtrorum hodie ſitis immemores*. Cunctis itaque tanto diſcrimine trepidantibus dimiſſo ibi idoneo gentis præſidio, ne, ſi hoſtes redintegrare pugnam audeant, periculum inferre poſſint. Illico ut ſignat ab alta Turre cuſtos, contra Mediolanenſes, & reliquos pulſantes vallum rapido curſu tendunt, ubi hoſtes, quos præſato clamore, quem ſuorum proſpero ſucceſſu factum fuiſſe crediderant, lætatos inſtare cœperunt, maximo cum labore rejiciunt, multoque cruoris ſparſo plurimos vallo pellunt, pluresque ad ima foſſæ ruentes ſepeliunt ſaxis. Tunc egregius, atque fidelis Rebella de Grimaldis licèt domi ſuæ Guelſus cum ſuis Januenſibus ſagittariis, quorum Dux, atque Rector erat, cunctos abeuntes alta voce redarguens, increpanſque; dum paucis fruſtra pugnantibus hoſtile vallum prodeſſe potuit, ſtetit tandem invitus, dolens, ac præ nimio dolore totum ſe dilacerans, cunctorum ultimus à pugna receſſit, cujus mora atque ſagittantium ſuorum ope noſtrorum plurimi evadunt foſſis.

CAP. XLI.

AT non impunè licèt fruſtra pugnaverunt Mediolanenſes eo die; nam poſt paucos dies dum Nellus de Maſſa vetus familiaris, & amicus Matthæi Vicecomitis, & propterea tunc inter Coneſtabiles mercenariorum equitum Mediolani prælectus, & in bellicis rebus gerendis ſemper primus, commiſsâ ſibi quadam nocte cuſtodiâ ante portam . . . . . ne inde ab hoſtibus irruptio fieret, lecto ſe dediſſet ſecuro ſomno dormiens, Brixienſes uno agmine facto armari ſubitò per ipſam portam ruunt, & proxima Mediolanenſium caſtra ingredientes, quòcumque pergunt, recentis offenſæ memores, ferro, & igne occupant, multoſque ſomno graves cædunt, atque omnia tumultu terrent. Verùm plus pavoris, quàm periculi faciunt. Namque dum fluentem rivulum per media Mediolanenſium caſtra tranſire pauci audent; cùm circa tentoria Matthæi Vicecomitis pro ſe frequentes armatos currentes utcumque raptis armis ſentiant, paveni, ne ſi adverſæ fortunæ caſus eos retro ferre greſſus cogat, ipſius rivuli lethaliter occupentur in paſſu. Itaque multis partibus incendio poſito citra rivum, his, quibus negotium commiſſum erat properè diſcurrentibus ſinè ullo ſuorum periculo in urbem ſeſe recipiunt vociferantes: *Accipite Mediolanenſes digna præmia pugnæ veſtræ. Nuſquam ſinè vobis minimè timebamus, pugnando periculum nobis factum eſt*.

CAP. XLII.

AT poſtquam Rex videt nihil pugna profici, tunc vindictæ ſola fame fidens intra mœnia amplioribus foſſis, ac longo ante caſtra vallo ductis eſurientes hoſtes claudens diuturnæ ſtationis ſignum dedit. Obſeſſos etiam velut hoſtes judicatos, etiam ſi extra mœnia fame pulſi comprehendantur, necari juſſit, ne fuga pauperum reliquorum minuatur inopia. Cùmque intrinſeci Brixienſes quoſcumque exeuntes illico ab hoſtibus retineri, atque laqueo ſuſpenſos in conſpectu ante portas urbis necari cernerent, non tamen ſuſtinuere famelici expulſione inutilis plebis minuere inopiam ſuam, nam id ſibi nimiùm crudele, atque inhumanum viſum eſt. Hoc maximum pietatis, & charitatis ſignum fuit, & mutaſſe reor ſententiam ſuperni Judicis, qui neminem compatientem patitur malè mori. Nam demum cùm ad declivium æſtas foret, ſuperante jam ſpatio noctis diem, & utriuſque partis rebus laborantibus, & afflictis mediatorem diligeret obſidens pariter, & obſeſſus, quippe in exercitu quotidie cadit morbo miles, & in urbe omnium creſcit inopia, & externæ opis minuitur ſpes, undique tam etiam in urbe, quàm in caſtris pullulat illa peſtis morbi, ſed fortiùs ubi Germanicus miles tendit, dum meridiani durantis æſtus uſque ad medium noctis impatiens, nudus omni rejecto velamine matutinas auras recipit, quas gelidi, ac nivoſi montes Vallis Camonicæ illâ horâ perflant, inde initium morbi fuiſſe ferunt. Itaque in Regis caſtra opportuni cunctis veniunt Cardinales Legati Oſtienſis, Albanenſis, & Lucas de Fliſco, quos Summus Pontifex deſtinabat Romam, ubi à Franciſco de Campo-Floris ſimiliter Cardinali, & Legato expectabantur, impoſituri aureum diadema Regi. Hi pro rebellibus incluſis, velut miſeris compatientes, Oratores illico facti, & tractandæ pacis actores modicam Regis invenere repulſam ſcientes, quòd obſeſſam ſemper comes invaſiſſet urbem fames, exteriùs tamen dicta alia vigebat peſtis morbi exercitus primores viſitans. His itaque interceſſoribus donatur vita miſeris, & ſalvis rebus Civium, & qui urbis præſidio erant. in rebelles muros fertur pœna, coronâ urbis demtâ. Attamen Rex ad ſedanda Civium odia, & delenda partium ſtudia, ſummopere illico laboravit. Quibus utcumque compoſitis, illico Papiam tendit, ubi adeò nudatus milite repertus eſt, ut Comitis Philipponis de Languſco, ac ſuæ factionis Principum ambiguam fidem timuiſſe credatur. Nam Matthæus Vicecomes, quem in Caſtris Rex exiſtens juxta

Bri-

Digitized by Google

Brixiam Mediolani Vicarium ſuum fecerat, cum equitibus Mediolani, & magno conductorum equitum, & peditum numero Papiam veniens, non modò comitandi Regis cauſâ, ſed ne quis audendi contra eum animum ſumeret, clauſis foribus adire nequit Regem, contra quem Comes Philippo portas urbis claudi fecit aſſerens Regi, quòd non ſui honoris cauſâ vênit, *imò*, inquit, *laceſſitus eſt hoſtis meus à Manfredo de Beccaria, ejuſque ſequacibus noviter introductis, qui more ſuo urbem ſeditionibus turbare volunt. Cui Rex velit, nolitve, annuiſſe dicitur, diſſimulans quod inhibere non audet*. Poſtero die abſque ulla conductorum militum comitiva, impetratâ licentiâ, in urbem ad præſentiam Regis Matthæus vênit. Ibi ipſius urbis partibus utcumque compoſitis, inanis, ac plena fraudis pax facta fuit, quæ poſt receſſum Regis illico violata eſt. Rex licèt tardè cognoſcens moram uſquam, præcipuè in Lombardia, utilem fuiſſe, ſubitum iter verſus Januam cepit, ſed priùs ſuadente, ut puto, Comite Sabaudiæ, Philippum nepotem ſuum, qui ſolo titulo Achajæ Princeps erat, Papiæ, Vercellarum, Novariæ, ac Pedemontis Vicarium fecit. Hic Philippus Comiti Philipponi, & ceteris adhærens Guelfis, quos harum, atque aliarum urbium potuit, Domino ſuo Regi rebelles fecit. Novaria in fide, ac Gibellini nominis conſtantia ſpreto ſiniſtrante Vicario ſemper ſtetit. Tunc Papiæ Brixienſi morbo moritur magnanimus Guido Comitis Flandriæ filius, qui non primus ætate, licèt cunctis fratribus virtute ſuperior, contra ſævientem Philippum Francorum Regem multa præclara belli facta geſſerat, defendens patrium ſolum non ſibi, ſed Roberto fratri ſuo, & indigna captivitate patrem poſt multorum Regis procerum necem liberans, laudabilem pro ſe, pro ſuperbi Regis parte degenerem obtinuit pacem. Hic non Papiæ, ne quibus interdicta erat Civitas illa Eccleſiaſticis obſequiis careat, tantæ incolis, ac virtutis Princeps, verùm Terdonæ, quo decuit honore ſepultus eſt. Poſt cujus exequias Rex illico Januam tendit, ubi ſummo ſtudio interponentibus favorem ſuum Bernabove de Auria, & Opizino de Spinolis, & ceteris eorum agnatis partis Gibellinæ Principibus à cunctis Civibus honorificè ſuſceptus eſt, ibique ſuperveniente Bavariæ Duce, & de pluribus Italiæ partibus, & aliunde in ſubſidium comitiva, conſumptam, ac prope perditam militiam reparavit. Verùm ibi irrecuperabile damnum paſſus eſt, ſanctiſſimæ conſortis morte, cujus tranſitum plorant pauperes, quibus ſæpiſſimè ſuis manibus miniſtrabat in menſa: lugent Proceres, & Magnates, quibus honores, & dignitates, atque ipſum horum datorem Regem conciliabat: lugent qui interceſſione Dominæ reconciliati ſunt, & qui reconciliari ſperabant ſuis precibus inimici. Verùm ut fit, in tam cunctis amaro Reginæ tranſitu ſua quiſque potiùs (etiam Rex) damna lugent. Neque hic Reginæ tranſitus pro ſe, aut ſui cauſâ lugendus erat, cùm ipſa terreſtrem coronam relinquens tranſierit ad cœleſtem. Sed à ſummo ad infimum plerique mortalium cujuſque generis nimium peſtiferum ſentient ſuæ mortis damnum. Quis amodo tam piè, tam miſericorditer, ut hæc, miſerorum cauſas apud Regem ſuſcipiet? quis reos, quis rebelles, quis miſeros contumaces tanta confidentia reducet ad Regis fidem? Neque hic loci ſilere poſſum ridiculum illud civis noſtri Rizardi de Marliano, qui libros Sibyllinos antiquitus ſervato habebat in domo, qui affirmabat, A Regem moriturum, priuſquam Janua decederet: ubi inde abiiſſe, & Piſas veniſſe reſcivit, eos ut falſos projecit in ignem, inquiens: *ampliùs non fallar à vobis*, non fortè propheticum illud intelligens ſana mente, nec conſiderans, quòd tam pia, & clemens Regina deceſſerat, cujus ſons clementiæ roborabat, & conſervabat Regnum viri, ſinè qua moritur omne Regnum. Ego autem vivum Regem ſine Regno nunquam vidi.

Dum itaque Rex noſter Januæ moram trahit ſimpliciter ambulans, & bona fide pacem appetens cum Rege Roberto, ad quam procurandam Summus Pontifex operam ſuam dabat, dum tanti mediatoris opera, & authoritate confidit, B ipſum Regem Robertum, ſicut jam alios, ad ſolennia conſecrationis ſuæ amicabiliter convitavit, ſuſcitans canem dormientem. Nam Robertus iſte ſuſceptis literis Regis noſtri, ipſius ſucceſſus in Lombardia nimiùm ægrè ferens, ac videns, quòd ſibi nihil profuerant in Lombardia jacta ſeditionis ſemina, aut ullius Guelphicæ factionis opera, quin ille, quem ſolo odio, quod in eum occultè gerit, extimat inimicum, jam prope ſit, ut aureum diadema ſuſcipiat, ad impediendum ipſius Regis noſtri propoſitum, Romam illico deſtinat Johannem fratrem ſuum cum quatuor centum equitibus, falsò tamen teſtificans Regi, quòd ipſum deſtinat ad ſolennia coronationis ſuæ, cùm ad id, ut deſiderabat, C perſonaliter intereſſe non poſſet. Johannes iſte ubi Romæ fuit, illico pecuniam fratris per potentes Romanos ſparſit, ut potuit; ſed primùm Urſinos, & partem Guelpham, in quorum poteſtate erat Baſilica S. Petri (ubi ab antiquo coronantur Reges) ſibi fidos, ac ſui conſilii participes ſtatim fecit, multis tamen promiſſionibus ſolicitans Colonnenſes, ſi eos corrumpere poſſet ullo modo. Eis tamen intentum ſuum aperire non audet, ac eiſdem proponit, ut non impediant Dominum amicabilem operam dare, ut eos cum Urſinis componat. At poſtquam ſenſit, Colonnenſes in fide Regis conſtantes, nullis ſubdolis verbis, neque promiſſionibus in propoſitum ſuum trahi, illico bellum ſumpſit contra eos, D cunctis procurans viribus pellere ipſos Urbe.

Hæc ubi ſenſit Rex, Regi Roberto ſtatim ſcripſit, quòd multùm mirabatur de hujuſmodi fratris ſui novitate. Qui reſcripſit, quòd non miſerat fratrem ſuum in rebellionem, neque ut obſtaret coronationi ſuæ, ſed ut ad ipſius coronationis ſolennia convivia aſſoret honoris cauſâ, aſſerens, nullam novitatem fieri Romæ cauſâ ſui: imò, inquit, ſuſcitata ſunt inter Romanos antiquarum ſeditionum ſemina more ſuo. Quodcumque ſcribitur, Romanorum Rex nihil mali ſuſpicans omnino credit, & in pura, ac fida ſimplicitate conſtantis animi cuncta ferens, & gerens, nec propterea tractatum Clementis Papæ reſpuit, qui matrimonii copulâ jamdiu ventilatâ E vinculum dilectionis, & pacis proponebat inter Reges: cujus rei cauſâ Conradus Lanzia Federici Siciliæ Regis Nuncius tunc Januam fruſtra vênit eam Regis noſtri filiam, cujus per Pontificem tractabatur matrimonium, petens pro Petro ipſius Siculi Regis filio.

Erat tunc Januæ Ludovicus de Sabaudia, qui ab initio rerum præcurſor, ac Legatus Regis, Romæ fuerat, ibique mira alacritate receptus, atque ob reverentiam Regis Senator Urbis factus rexerat per tempus certum: Deinde dimiſſo, qui populum regeret vice ſui Jacobo de Ambalis, in caſtra Regis venerat juxta Brixiam. Hunc (frequentantibus Colonnenſium nunciis Januam

A venientibus, requirentibus ſubſidium, ac celerem adventum Regis Romam, non ut guertificet, verùm ut civiles motus componat) miſit, cui non ultra quinquaginta equitum Germanorum comitivam dedit, nil aliud ſuſpicans, niſi quòd paucitate lictorum Judices, & Vicarii, quo ibidem Ludovicus in Urbe dimiſerat, hos Urbis tumultus ſedare non poſſent. At Ludovicus Romæ cuncta rebellionis plena, & ſuos Vicarios corruptos reperit, qui nullius divini, aut humani juris, aut fidei memores, neque juramenti, quod præſtiterant, gerentes animum rebellionis contra Regem, nec Vicariatum, nec Capitolium Ludovico reddere voluerunt.

Interim Rex de Janua Piſas venit, maris iter tenens, B cunctis itineribus terreſtribus operâ Guelphorum clauſis. Jamque erat annus Domini MCCCXII. ibique Piſano populo admodum gratus duorum menſium ſpatio moram traxit, nulla contra rebelles Thuſcos novitate ſuſcepta belli, ſalvo quòd voluntate Regis per Marchiones Malaſpinas bellum Lucanis indictum, atque ſuſceptum eſt. Ibique frequentibus nunciis referentibus, publicus famæ rumor Piſanam urbem replet, dictum Johannem fratrem Regis Roberti ſedere hoſtiliter cum exercitu ante Pontem-Mollem, quem ſub ponte . . . . Tiberis tenebant Colonnenſes, atque unicum in Urbe tranſitum ſervabant Regi. Nunciatur etiam, ipſum pontem multis inſultibus, multis machi- C nis, & bellicis inſtrumentis continuè tentari. Attamen Rex noſter adverſus Regem Robertum nihil ſuſpicatur, & ſimulantem hoſtem ſentit, quodcumque ſibi ſignificatum fuerat, credit. Verùm Stephanus de la Colonna vicinorum ſuorum artis, & operum non ignarus ſponte (non tamen diſſentiente Rege) propteravit ad Urbem, ut ſi viam viderit, prava Guelphorum conamina reprimat, & tumultus Urbis tollat. Inſuper Rex non ſpernens tractatum pacis, imò ipſius pacis authori complacere cupiens Papæ, priuſquam de Civitate Piſana decederet, ex Secretariis ſuis contrahendi dicti matrimonii causâ ad Robertum Regem miſit, eum Siculo Regi præferens pacis causâ. Miſit etiam duos Epiſco- D pos, qui Romæ ſignificent adventum ejus, præcipuè dicto Johanni, quique regratientur eidem, quòd Romam venerit ad ſolennia coronationis ſuæ. Verùm amicabiliter requirentes ab eo, ut ob reverentiam, & amorem ſui a Colonnenſium obſidione recedat, & omnis animus ſeditionis deponatur, & peſtiferum opus belli deleat, indictis treguis ſaltem uſque ad diem coronationis ſuæ, ſignificans, quòd nullum ibi Romæ, aut alibi animum partialem habebat, intendens, ſumpto ibi Imperiali Diademate, de conſilio, & benevolentia fratris ſui ibidem operam pacis dare.

Interea Rex fideles Piſas linquens, ipſius ur- E bis civium opibus fretus, multùmque Italico milite roboratus, celeri, ac continuo itinere die ptimo Maji Viterbium vênit, multos Guelphorum paſſus incuſtoditos tranſiens, multo tamen mortalium labore fruſtra munitos. Groſetinu enim Guelphus ad vicini fluminis ripam advenanti Regi, quem pluſquam mortem timet, non audet, ut minabatur, obviare, ubi quinquaginta retinere potuiſſent pluſquam millenos . . . . . .

Hæc ubi (præſentibus Cardinalibus, qui ſecum erant) nunciata ſunt Regi, illico in plano campo caſtra locari juſſit: deinde proximâ aurorâ diei, ſignis canentibus, in acies vocat, atque inſtruit gentem ſuam. Cardinales verò ubi Germanicam gentem raptis confeſtim ſignis, & ar- A mis citato agmine iter aggredi versùs Urbem vident, Regem tractatibus, atque ſuis interceſſionibus fatigatum, atque ira fortiter mutatum de campo abeuntes linquunt. At Rex properans ad pontem, hoſtem non invenit, cum quo ibi manus pugnæ avidas conſerat: verùm nec ab hoſte tranſitus relictus eſt totus liber. Nam ante Regis tranſitum faciendum locus Colonnenſium erat, quem natura ſatis, & antiquorum arce munitum vulgus Erupitionem nominat, & Saracenorum opus eſſe dicebat. Hunc locum hoſtes, durante obſidione pontis, proximum occupaſerant, ac præſidio armatorum præcipuè ſagittariorum plenum, cùm recederent ab obſidione, dimiſerant, ne ſaltem volatili ferro Regis tranſ- B itum impedirent. At dum Rex examinat in tranſitu per certam viam nimiùm ſagittis hoſtium proximum periculum, & detrimentum gentis ſuæ, excitat ad paſſum ægro animo.

CAP. XLIII.

INterea Comes Philippo de Languſco, ſpreta pace Regis, quam juſjurandi religione firmaverat, Manfredum de Beccaria adverſæ ſibi factionis Principem cepit, dum perfidiæ ſtudio vincere, quam vinci mavult; Deinde quemque ſuſpectum aut carcere, aut exilio velut novia ſemper criminibus reum faciens damnat. Qui- C bus præfati Philippi de Sabaudia auctoritas, ac conceſſa ſibi à Rege poteſtas parum profuit, qui nullius violentiæ, aut cujuſvis malitiæ ſtudio partium in Gibellinos factæ turbator fuit, imò etiam eum tanti ſceleris, ſpreto honore regiminis, conſcium fuiſſe ferunt. Hic namque Philippus poſt receſſum Regis, priùs etiam quàm Rex Januam attingeret, illico Papiæ, Vercellarum, & Novariæ, quas urbes Rex ſuæ curæ commiſerat, Guelſos attollere, Gibellinos opprimere totis viribus cœpit. Cujus rei causâ, ubi Rex Januæ fuit, frequentes nuncii ad eum veniunt ipſum Philippum magnis querimoniis accuſantes, ejuſque operâ aſſerunt in Liguria, ac tota Lombardia ſummo ſtudio rebelles Guelſorum partes ſurgere. Verùm his nunciis Rex primùm D parum fidei dedit, dum Comes Sabaudiæ eum Philippum nepotem ſuum protegit, & dignitatis honorem favore ſui datum conciliare nititur. Nam ipſe Comes more ſuo Guelſorum cauſam fovens in auribus Regis ſubdit inquiens: *Domine mi, Matthæum quemdam in Mediolano præeſſe voluiſti, non immeritò vicinis urbibus odioſum; Hujus Matthæi, non veſtri nominis odio in Lombardia rebellicæ novitates fiunt.* His, aut parum diſſimilibus jactis ſermonibus per aulam Regis, Comes Sabaudiæ non ſinè magna Lombardorum clade aliquandiu in ambiguum Regem tenuit. Nam poſt paucos dies priuſquam Rex Janua diſcederet, Gullielmus Cavalcabos, E quem prædixi exilium potiùs elegiſſe, quàm Supramontis concivis ſui in deditione ſocium eſſe, dum crebris excurſionibus in agrum Cremonenſem populationibus, & incendiis bellum gerit. dumque circa exitum menſis Januarii fortè non procul ab urbe cum paucis equitibus prædatùm vênit, ſuæ factionis Civis cognitis ſignis ad eum ſecurus currit, inquiens, *Gullielme, exilium tuum plerique Civium non minùs te ipſo ægrè ferimus. Verè ægriùs, quàm temerè, ac fruſtra incendiis, populationibus agrorum, ac ruſticana prædia, te, tuoſque fatigas, & qui te deſiderant, Cremonenſium invidiam quæris.* His verbis eum increpans; *Convoca*, deinde inquit, *Gullielme ſocios tuos, & ſinè mora per propin-*

quam

quam nobis portam illico, ſi volueris, patentem ingredere urbem tutus, ac patriam tuam percipe. Qui ad portam ſtationem faciunt cuſtodiæ cauſâ amici ſunt. Neminem reſiſtentem invenies. Ne timeas. Conductam militum turbam, equitum, atque peditum Galeaz Vicecomes in expeditionem urbe procul miſit, qui urbe noſtra magna regnat invidia, inviſus cunctis civibus. Timeſne qui in exilio nati, quique Germanico Rege ſuadente niſi partis noſtræ principibus prius captis, aut expulſis urbem intrare timebant, quorum in urbe nulla factio eſt; quippe diverſis locis nati, nutritique vix inter ſe noti ſunt, hique pro duce Jacobum de . . . . . . divitem mercatorem habent, qui ubilibet quàm Cremonæ notior eſt? quos ultra hos cives hujus ducis ſequaces exiſtimas, præcipuè cùm te intra muros urbis ſenſerint? At Gullielmus nominatis cuſtodibus portæ urbis, in quorum fide fidit, unum ex eis cligens, atque ſibi nominans, huic, inquit *audacter negotium prodas, & ſecum perficiendæ rei celerem curam habeas. Propera, dic, venio, nec in hujus rei deliberatione, ſi ulla adſit mora, proſperum, ſecurumve nobis aliquid eſſe poteſt. Heic pro conſilio celeritas, & in ſola celeritate noſtræ ſalutis via ſita eſt.* Deinde ſigno dato ſociis circa ſe poſitis: *ſequimini me*, inquit, *quinimo, fortunam, quæ hodie multum propitia nobis facta eſt.* Itaque cum paucis non numero centum, non clam, ſed palàm, clara luce urbem intravit. Eum, ut cognitus eſt, illico multitudo populi captis armis ſequitur. Pauci Jacobum de . . . . . . ſequuntur armati, cum quibus audito tumultu ad publicam plateam urbis pergit, ibique cum pleriſque locum ipſum retinere conantibus equo ſtrato occiditur. Galeaz Vicecomes ibi pro Rege Vicarius tumultum audiens, ejus rei cauſam nunciantes arguit, eoſque timidos vocans, adeò capere arma diſtulit, quòd jam propinquas minantis vulgi voces intelligit. Tunc ſed tardè diſſimulationis oblitus repentè arma capit, & modica ſtipatus equitum manu ad clamantium voces tendens undique hoſtilibus armis plenas urbis ſtratas videt, ſtatimque inter minantia tela clauſus ſenſit fruſtra ſeſe niti. Itaque celeri conſilio capto inde utcumque divellitur, & per minantes Civium turmas vadens integer per Portas Cremonam linquit, cui Ughetius de la Campana Coneſtabilis, & ſo.ii, quibus nemo impunè obviam venit, ferro viam faciunt.

CAP. XLIV.

TUnc quæcumque in Lombardia urbes Regi deditæ fuerant, in quibus pars Guelforum potentior erat, ſpretis Vicariis, omnique Magiſtratu Regis, aut violenter pulſis unà cum Civibus Gibellinis, & quos ſuſpectos habebant, Guelfi cœpere contra Regem ſurgere ſeſe dantes Ugoni de Bauſerno, qui pro Rege Roberto in Lombardia Guelficas fovebat partes. Pulſo Galeaz Vicecomite Cremona illico Turrianis, aliiſque diſperſis exulibus, & cujuſque Civitatis Lombardiæ profugis plena fuit, & Paſſarinus de la Turre ibidem Rector efficitur.

CAP. XLV.

HÆc ubi Rex Henricus ſenſit, mutato conſilio in Lombardiam Comitem Varnerium Theutonicum miſit, Virum in armis expertum, cui in tota Lombardia titulum Generalis Vicariatus dedit, non propterea tamen Phi-

lippum de Sabaudia ſua poteſtate minuens, nec reliquos, quos urbibus conſtituerat, revocans. Hic Comes primùm applicuit Laude, ibique ſedem eligens Gibellinorum conſilium vocat, cunctis mandans, ut Legatos, & Syndicum ad ſe mandent tractaturos ſecum negotium agendi belli contra hoſtes. Ad quem legantur per Commune Mediolani Franciſcus de Garbagnate, & Adoardus de Pirovano, & ego, ut Syndicus. Ceteros taceo, ne nimiùm morer. Qui poſtquam convenere, poſtulant ab eo quiſque ut rebellibus ſuis bellum ferat. Exules verò, à quibus exulant, urbes expugnari, aut obſideri volunt. Quorum Fredericus de Archidiaconis mandata coëxulum Cremonæ ferens, præſentibus aliis Ambaxatoribus, & Syndicis, multis rationibus, & argumentis docet de facili Cremonam recuperari poſſe, & ad Regis mandata trahi. Sic Papienſes, ſic alii exules urbes, quibus exulant, ſola agrorum populatione, imò etiam dummodo id minetur, recuperari poſſe aſſerunt. His contentionibus pluribus, & diverſis conſiliis tempus tenent, nec dum quid agendum ſit, terminatum eſt, dum quiſque legatorum præcipuè exulum attentivè pro ſe arguit, non communi ſed propria utilitate laborans. Tandem Franciſcus de Garbagnate huic contentioni finem dedit, inquiens.

CAP. XLVI.

VIdeo equidem vos, ac quorum mandata fertis promtos animos habere contra hoſtes, qui Lombardiæ, ac totius Italiæ ſtatum turbare nituntur, quique impedire ſatagunt noſtri Regis jura. Verùm omnis conditio belli præſertim noſtra, quæ inter partes pendet, poſtulat, ut non modò ſemel, imò continua deliberatio fiat. Nec quid agendum ſit heic terminari ſecurum puto, cùm nova quotidie pullulent jure belli, quæ paucis arbitris determinanda ſunt. Rarò etenim, quæ in negotiis bellicis diu deliberata manent, ſuum ſortiuntur effectum, quibus multa maximè temporis intervalla nocere poſſunt. Fiat itaque cenſeo frequens deliberatio in factis noſtris, ubi in dies pullulat frequens, & ſubitus caſus belli. Præterea cum quo hic noſtri Dux belli conſilium habeat, ſaltem unum ex primoribus noſtris ſibi dandum puto, cui maxima cura ſit hoſtium conditiones, & acta ſcire. His duo plenam exequendi poteſtatem habeant. Nunc itaque vobis non modò utilem, imò neceſſarium nomino, quoniam quin & vos mecum in ſententia ſitis non dubito, Matthæum ſcilicet Vicecomitem. Quis alius hoſtium facta novit? Quis inſidias hoſtibus tendere ſtudium ponit? Hic ſpeculatores, ac referendarios per hoſtium domos tenet, hic tractatuum tempora executionis expectat. Demum ſuis vivimus oculis, quicumque Gibellinæ factionis ſumus. Cuncti Franciſci dictis obmuteſcunt, & quæ dixerat vera eſſe fatentur; quippe eo tempore Matthæus cunctorum exulum Gibellinorum unicus reconciliator erat, qui unus cunctas amicorum, ac ſociorum factiones, & impenſas pro parte Gibellina in partibus Lombardiæ tunc ferebat. Hæc itaque cuncti laudamus Syndici. Comes Varnerius illico venit ad Cœnobium Fratrum Humiliatorum de Viboldono, ibique colloquium habuit cum Matthæo ſecum deliberans quid agendum ſit. Verùm & hoſtibus ſua conſilia ſunt; nam Paſſarinus de la Turre Poteſtas Cremonæ, ac Guillelmus Cavalcabos cum parte de Fondutis tractatu habito

poſt paucos dies Soncinum oppidum multùm divites occupant.

CAP. XLVII.

ANgulus in extremo oppidi muro ſurgebat in arcem, hic nempe locus natura, & arte munitus modico præſidio tutus erat, Gibelliniſque ſubſidiis aditum ſervabat in oppidum, quod proditoribus oppidanis, & Guelfis invaſoribus maxima pavoris cauſa erat, ideoque immenſi, ac lati operis una nocte conſtruunt murum ſiccum, hoſtilis impetus obſtaculum nimis vile. Hinc nuncius ad Matthæum Mediolanum venit, ibidem ut res erant, nec non per ceteras Gibellinorum urbes nuncians. Itaque Comes Varnerius, qui tunc Brixiæ erat cum modica ſuorum Germanorum, ac Brixienſium equitum comitiva, & a Mediolano Creſſo de Crivellis, qui mercenarios equites Mediolani ſecum ducit, abſque mora illuc tendunt, & ante Portas oppidi per burgos exteriores in varias ſtationes ſparſi nullo vallo, neque ulla foſſa tuti temerè ſeſe locant. Nam ſunt qui aſſerunt Paſſarinum de la Turre, ut diſtantibus Caſtris diſperſos hoſtes vidit, contra eos erumpere voluiſſe, erupiſſetque ni Gullielmus Cavalcabos ſidera, & Geomantiæ ſuas figuras ſcrutatus ſortes, illa die ſuſpecta timuiſſet caſum ſuum, & milites jam exire paratos intra mœnia tenuiſſet, inquiens: *Propinqua nobis ſubſidia ſunt, quibus tutiùs pugnare poſſitis.*

CAP. XLVIII.

AT Gullielmus vitare nequit, quem caſum dabant fata. Nam dum utraque pars expectat ſubſidia, Cremona, quàm Mediolanum propinquior, & quæ præcognita, ac deliberata noverat paratior ſubſidia ſuis Ducibus quaſi ultima poſſe deſtinare parabat, non modò pro obtinendo, quod occupaverant oppido, verumetiam ut æquo campo cum hoſtibus eſſe poſſent, ac ſecum pugnare, ſi fortuna ſinat, totius Civitatis effortiorā tam peditum, quàm equitum ſociorum etiam expectans undique requiſita ſubſidia tunc præmittebat expeditorum peditum quantas conducere potuerat multis diebus turmas. Interim unus ex nunciis, qui deſtinati fuerant explorare quid Cremonæ pararet hoſtica gens Guelforum peditum, quos Cremona conduxerat, temerè venientium in itinere ſtrepitum, ac tumultum ſentit, & cognitis à longè hoſtium ſignis, ad Comitem Varnerium, & Creſſonem Crivellum redit referens ea hoſtium ſubſidia jam prope eſſe. Dum autem conſulitur, quid agendum ſit, Creſſo indomitus armis ſenex vociferat alta voce: *Quid inertes moram trahimus? ad eos, ad eos*, versùs venientium hoſtium iter dextera manu minitans. Tunc Comes Varnerius, noſtræ linguæ rudis, Creſſonis vocem, & actum non intelligens quid ferat interrogat, & ab interprete intentum Creſſonis intelligens, probitatem ejus laudat, & maxima exultatione: *per fidem meam & factum erit*, inquiens. ſignum tubis dari juſſit. Itaque cum omni equitatu adversùs tam propinquos hoſtes in Gullielmi ſubſidium venientes celeri paſſu tenditur, quos improviſo de ſubito impetu fuſos ad libitum victor cædit. Paucos fuga ſalvos fecit, nam nulla parte fuga eis tuta eſt latis campis. Captis itaque & ad libitum deletis hoſtibus, ſigno deinde receptui dato Comes rurſus Soncinum tendit: cujus muros frequentium hoſtium jam tamen perceptâ novitate paventium plenos vidit. At illi ut nota ſuorum ſigna, ut captivos videre tuſpiter per terram trahi, deinde confuſos vulneribus captivorum civium vultus ante exultantium hoſtium acies duci, illico ſuæ peſtis certi, gelato pavore animis confuſi ſunt, & perdito pavore conſilio nullum pugnandi, aut fugiendi ordinem habuere, imò quiſque ſibi conſulit. Porta oppidi, quæ versùs Cremonam reſpicit, patebat ſubſidium expectans, quam medium ſtagni ſpatium à ſubito hoſtium impetu defendebat. Hinc Paſſarinus de la Turre inter pugnam, atque fugam dubius exit. Exeuntem plerique ſecuti ſunt. Ille autem ut imparem hoſtibus militum numero, atque animo videt, timenſque ne in offenſi Creſſonis manus cadat, qua tutior fuga viſa eſt, viam tenet. Eum minimè perſequuntur noſtri equites, ſed potiùs ad patefactam oppidi Portam, per quam frequentes hoſtes fugiunt, rapido curſu tendunt, & quibus poſſunt viam fugæ claudunt. Qui verò tardi contra hoſtium occurſum fugam minimè tutam putant, verſis equorum frænis iterum Caſtrum petunt. Hos inſequentes noſtri dum cedentium terga cædunt, per eamdem Portam mixti ſecum vadunt. Jam qui in arce tam opportuni inſultus, quàm præſidii cauſâ erant, percepto rumore victoriæ, ſubitò medium muri ſicci obſtaculum ad ſolum ſundunt. Tunc cunctis ſequacibus Gullielmi Cavalcabovis, qui æquo armatus hoſtibus introitum inhibere parabat, adeò crevit pavor, ut ne quidem animum ad pugnam liberum, neque fugæ memorem caperent. Gullielmus priſtinæ virtutis, ac ſuæ dignitatis memor, ut Comitem Varnerium, ac ſua ſigna intra muros videt, paucis eum ſequentibus occurrit ſibi, quem jam frequens turba Theutonum receptum gladiis ſternunt. Ceteri per domos ſugiunt, ubi quiſque dejectis armis vita ſecurus fuit, exceptis qui proditionis actores fuerant; nullus quippe locus proditori tutus eſt. Venturinus Fondutus in Soncino Guelficæ partis Princeps, qui ipſius novitatis actor fuerat, duorum filiorum patrium crimen luentium medius laqueo pendens triſtem vitam dedit. Hi intra mœnia, ceteri ſequaces ſui extra pomœria necati ſunt. In alios oppidanos minor ſævitia fuit; nam aut precibus, aut pecunia de manibus Theutonum liberati ſunt.

CAP. XLIX.

AT Gullielmi nece Guelfica pars Cremonæ adeò domita eſt, ut urbem, ac ſe intra urbis muros vix tutos putent. Dum ſubitò Guidonis de la Turre obitu ſtupet omnis Guelfus. Hic Guido exilii ſui finem imponere ſaltem poſt mortem ratus Cremonæ moriens, fruſtra tamen dixit: *Si Fratres Ordinis Minorum Mediolani corpus meum poſuerint in Eccleſia ſua in marmoreo loco, ubi propoſui requieſcere, habeant florenos mille.* Cui ut vivo, ſic & mortuo in patriam acceſſus minimè conceſſus eſt; nam Fratribus Minoribus id petentibus Matthæo negatum eſt, qui eos Fratres increpans: *Vultiſne*, inquit, *excommunicati corpus Mediolanum ferre?*

CAP. L.

INterea Vercellis ſeditio inter Cives mota illuc ſuſcitat Philippum de Sabaudia, qui ut ipſius urbis Communiſque Rector eò veniſſe ferens compoſitionis cauſâ, non talis à Tizonibus, co-

eorumque ſequacibus creditus eſt, ſed ſuſpectus. Qui illuc Comitem Varnerium illico ſequentibus literis, atque nunciis provocarunt. In cujus adventu non urbis ſeditio tollitur, ſed novatur; nam, ut creditur, ex propoſito ortâ rixâ inter familiares utriuſque Ducis, utrinque ſubito cum tumultu captis armis Varnerii familia potentior fuit, & ſpoliato hoſpitio Philippi, ipſe relictis equis, & armis, ac prope nudus milite in caſtrum Advocatorum, quod tumultus tempore à ſuo urbis latere ſitum tutum receptaculum cunctis ſuæ factionis erat, vitæ conſulens fugit. Hic Philippus Comiti viribus imparem ſentiens ſe, dum paratas contra ſe magnas Mediolanenſium armatorum copias ſentit, Vercellas linquit, & Papiam redit. Deinde poſt paucos dies Taurinum ivit, quam urbem Amadeus patruus ejus pro uſurpato à ſe Comitatu Sabaudiæ ipſi Philippo pertinente ſucceſſionis jure eidem dederat poſſidendam cum aliquot oppidis in Pedemontio ſitis; relictus etenim erat Philippus iſte pupillus ipſius patrui tutelæ, qui ſibimet Comitatus jura tutatus eſt. Hic Philippus ſentiens Gibellinos Ligures, ac totius fere Lombardiæ contra eos ejus prava conſilia, atque machinamenta percepiſſe, ac ipſum Comitem Varnerium horum omnium inſtructum eſſe, deinceps omni ſpe in ſuis partibus dominandi poſita, ſolo ſalario ſuo percipiendo ſaltem à Papienſibus curam dedit, & celebrandi nuptias gratiâ contracto matrimonio filii, quorumdam nobilium Papienſium comitivam petiit, habuitque uſque Taurinum, quos ibi retinuit velut obſides, donec pecunia ſui ſalarii ſibi deſtinata fuit. In quibus obſidibus fuit Ricardinus.

Heic deſunt aliquot folia.

ſimilis fuit. Invalidi ſenes trementi manu cujuſque generis tela miniſtrant natis. Tandem oppidani ultima illa neceſſitate totius aciam utriuſque ſexus gentis viribus reſiſtentes primo hoſtium impetu ſeſe, muroſque defendunt; pugnam tamen non audent expectare ſecundam, ſed oppidum Imperatori dedunt. Poſtero die ad oppidum S. Johannis vênit, quod captivatis XL. Catellanis equitibus mercenariis, quorum Coneſtabilis cœſus eſt, ſalvis incolis in deditionem receptum eſt. At Florentini cum ſociis, & amicis, quorum ſupra facta eſt mentio, ad ripas fluminis Arni celeri greſſu tendunt, ad Anciſam XII. mill. paſſuum Florentia diſtantem, ibique hoſtium tranſitum inhibere conantur ad paſſus. Exercitus Imperatoris Figinum tendit, ubi non ampliùs una nocte moram eo traxit. Manè inde iter rapiens ad Arnum vênit, quò integrum hoſtem frequens nuncius jam veniſſe nunciat, ut iter Imperatoris, quem Florentiam properare ſentiunt, ad iniquos anguſtoſque paſſus auferant. At ubi Mareſcalchus Regis Roberti, qui tunc Guelficum regebat exercitum, gentem Imperatoris appropinquare ſentit, ſigno dato cunctos ordines in acies ducit haud longè à fluminis ripa, ubi hoſtium tranſitum aptiùs impedire queat. Verùm ubi hoſtes ſpreto flumine undique facto vado per anfractus viarum iniquos tranſeuntes paſſus vident, Thuſci primo expeditorum impetu concuſſi, deinde modica pugna turbati, laceratique in fuga ſalutem quærunt, ac propinquum oppidum Anciſam multis per campos caſis petunt, nec ſe primis mœnibus tutos putant, imò in ſummam arcem oppidi continuâ fugâ tendunt. Guelforum plures in fuga, quàm in acie cecidere, multi capti ſunt, licèt Gibellini parum fugientes perſecuti ſint. Imò poſitis hoſtibus in conflictu caſtra ponunt prope ripam

A Arni. Sunt qui aſſerunt Imperatorem Thuſcorum rebellioni eo die finem dediſſe, ſi uſque Anciſam perſecutus fuiſſet hoſtium fugam, aut ſi iter properaſſet ad urbem illico poſt conflictum.

CAP. LI.

AT Florentini ubi exercitum hoſtium ad ripam fluminis pernoctare ſentiunt, nullo ordine, imò potiùs fugæ modo Florentiam tendunt. Sequenti die Imperator verſus Florentiam tendens cum exercitu ante muros ipſius urbis ſedit juxta Eccleſiam S. Salvi ſupra Arnum, in quo exercitu computatis Aretinis, aliiſque Thu-B ſcis ſuæ factionis, & aliquot nobilibus Italicis erant non ultra equites MCC. & cujuſque generis pedites VIII. millia, qui tamen urbem Florentiam cum tot prænominatorum Guelforum præſidio obſidione premebat. Nulla etiam tempore noctis quaſi cuſtodia in caſtris facta; imò etiam tanto in deſpectu habebantur Guelfi, quòd magna pars equitum, & expeditorum peditum per agrum Florentinum longinqua pace plenum, ac diu antea bellicæ populationis ignarum quotidie diſcurrebat ad prædam, dum præcipuè exercitui neceſſaria victualia quærunt. Cujus rei cauſâ tanta jumentorum, & cujuſque generis pecorum in exercitu copia erat, ut pro floreno uno venderet prædo bovem, nec reperiebat C emptorem. Nec mirum; quis enim in exercitu mercator eſſe velit, ubi ad prædam tam libera patet via? Quo fit, ut pro minimis etiam pro duobus calceamentis corii bovem in permutatione daret prædo. Neque in exercitu ſerica veſtimenta deſunt ſcortis alteriuſve generis ornamenta Etruriæ puellis rapta. Vinum, bladum, & oleum, tanta horum erat copia pro minimis prout prædoni opportuna ſunt in exercitu ad libitum cuique dabantur. Hæc omnia Florentinorum damna, & quæ ante oculos volitabant miſeriæ, oppidis, villis, ac magnis vicis fumantibus, populatiſque viridariis, eos tantis præſidiis ſtipatos ad conferendum in acie manus minimè provocarunt. Quippe intra mœnia trepi-E dantium tumultus civium magnus erat, dum maximè timent, ne inſultet hoſtis muros.

CAP. LII.

DUm ſic exultat Germanicus miles, totuſque exercitus Gibellinus hoſtica præda gaudens, fortuna in proſperis ſæpe minax mutari vultus ſignum dedit ſubita corporis infirmitate Imperatorem viſitans. Cujus lectum illico ſtipant Medici, nec ullus tam Hippocras, aut Galenus ipſum ſalutis certum reddit. Verùm fortuna ipſa ambiguos ſemper ac cœcos greſſus, ſubitoſque regreſſus faciens nimiùm fallaciter in humanos caſus ludit, ecce dum ſperare facit Guel-E fos plus in morte Principis, quàm in pugna, citò blanda Gibellinis rediens ſibi parumper aſpirare viſa eſt, inſperata ſcintilla vigoris jam ferè perditos infirmi corporis mirabiliter ſenſus reddens. At ubi ſedatis morbi viribus proceres reſtitutum ſibi principem ſentiunt, ad ipſum conveniunt Archiepiſcopus Trevirenſis frater ejus, Comes Sabaudiæ, & Henricus de Flandria Mareſchalcus, quibus Imperatoris caſus penſatis periculis exercitus ſolicitam mentem fecerat. Hi pro re pauca ferunt Domino ſupplicantes, ut mutari campum ſineret, ac ſeſe cum exercitu reduceret in agrum Aretinum, ubi cuncta pro ſe, & gentibus ſuis ſalva, atque opportuna

tuna fore dicebant. At ille his nimiùm incaluit verbis, ac tandem: *Fallimur*, inquit, *& dum in vos confidimus, ſpes noſtra nimium vana fuit. Hucuſque credidimus, nobis deficientibus vos obtinuiſſe victoriam contra hoſtes, & dum vivimus, à propoſito deſiſtitis pecorum more vilium quæque pericula mittentes*. Hæc velut increpitans accenſus ira inquit, ſe adeò turbans, ut recidivam faciens iterum dubius fuerit vitæ. Tandem poſt paucos dies ſumta valetudine victualium penuria, quorum paulò ante caſtra undique plena erant, campum mutare coactus eſt, nam conſumtis undique viribus, Arni tanta aquarum inundatio ſuperatis undique fluvialibus ripis fuit, ut per campos prope cuncta natarent. Cujus rei causâ nullum frumentariis præcipuè Aretinis, quorum ope ſuſtentabatur exercitus, ad caſtra liberum iter erat. Igitur per iniquos paſſus diſtrictus Comitum Guidorum exercitus redivit ad flumen Arnum, ibique dum vadabile fiat, caſtra metatus eſt. Poſt paucos dies trajecto flumine in juſtum alveum jam contracto ſecurus, atque liber exercitus versùs S. Miniatum tendit, licèt in tranſitu Florentinus amicorum, ſociorumque præſidio integer haud procul in acies diſpoſitus pugnam tranſeuntibus minatus eſt. Illa itaque die Imperatoris caſtra juxta ripam fluminis, quod vocatur *Evia*, ſita ſunt. At Florentini locorum gnari cum equitibus MD. & X. mill. peditum repentè Montem S. Mariæ occupant, qui ſupereminet caſtra exercitus Gibellini. Unde more grandinis ſagittantes caſtra turbare nituntur. Hæc ſentiens Imperator juſſit Fredericum Comitem Montis-Feltri, qui præerat Italicis in exercitu, ut captis armis infeſtum montem liberet. Deinde Theutonis circumſtantibus velut ſecum murmurans, & ſigna queſtus vultu gerens, inquit: *Si, ut fui, forem Comes de Lucimborgh, non eminens hoc monte ſupra caput ſtaret hoſtis*. Qui audiunt, reliquis ſigno dato, illico captis armis ſequuntur Comitem, & Italicam gentem ſuam. Itaque nullâ morâ factâ Germani Comite prævio armati per ardui montis devia undique factâ viâ ſerpunt, quos ejicere poterat modica etiam mulierum turba. At Florentini ubi ſerpentes montem hoſtes vident ſtupefacti lacero agmine fugam capiunt, quorum terga cædunt Theutoni, & Italici Gibellini. Multi cæſi, multique Guelforum capti ſunt. Ignominia tamen major clade fuit.

CAP. LIII.

POſtero die Imperatoris caſtra haud procul ab oppido S. Baſſiani, qui locus non ampliùs quinque millibus paſſuum Florentia diſtat, ſita ſunt. Tunc miles relictis ferè caſtris undique per hoſtilem agrum prædabundus currit, villæ & oppida in circuitu latè fumant, nullis circumſtantium immunibus hujus cladis, niſi qui celeriter ſeſe dedunt pleni victualium occurrentes, quibus imperatur, ut eorum, quæ exercitui opportuna ſunt, continuum mercatum ferant. Imperator poſitis caſtris gentem ſuam in plures partes partitus, partem Archiepiſcopum Tervirenſem ſequi juſſit, cui inquit: Perge ad caſtrum S. Mariæ Novellæ. Deinde aliam militum copiam Mareſchalco dedit, qui abſque mora Paſſignanum tendit. Verùm neuter introitum fecit portas reperiens clauſas, & muros rebellibus armis denſos. Uterque hoſtiliter quod potuit fecit populationibus, & incendiis hoſtibus iram ſuam vendens. Tandem vaſtatis agris ad expugnanda oppida redeunt, quæ æquè alia armorum vi capiunt. Interim Imperator exercitum gentibus fortifi are volens Comitem Montis-Feltri Piſas miſit ſtatuens eum ipſius Civitatis Vicarium, qui ſtatim cum Piſanis ad exercitum veniens, quingentos equites, & decem millia peditum ſecum duxit, quibus longior quàm exiſtimabatur in caſtris ſtatio adeò tædium fecit, præcipuè quibus vacuis burſis pecunia etiam neceſſario ſumtui deerat, ut plerique, ſuâ non alicujus ſuperioris licentiâ caſtris abeuntes domum, ab hoſtibus in itinere capti ſunt. Ea captivorum multitudo plus ruſticorum, quàm civium Piſanorum fuit, & ſunt qui aſſerant hujuſmodi captivos fuiſſe plus quàm mille.

CAP. LIV.

EO tempore Robertus Comitis Flandriæ filius in exercitu Imperatoris erat, qui impetratâ repatriandi licentiâ cum XL. armatis abiens Piſas inſultum hoſtium, qui cum Carrocio duce ſuo in caſtro Florentino præſidii causâ erant, maximo labore ſuſtulit, quos etiam numero CL. equites cum quingentis peditibus tandem acriter reſiſtendo fudit, dicto Carrocio graviter vulnerato, & pluribus inſultantium in campo cæſis. Eo die Robertus iſte iter ſuum faciens, priuſquam perveniret Piſas, in alias quamplures hoſtium turmas incidiſſe fertur, quibus acriter reſiſtens pluſquam honoris, ignominiæ atque cladis liquit. Dum itaque, ut prædixi, vaſtantur Guelforum agri populationibus & incendiis, Caſale oppidum frequentibus incolis cultum multùm Florentinis carum in deditionem vênit. Introductis Mareſchalco, & Frederico Comite Montis-Feltri, quo, pateſactis portis oppidani cum ſeptingentis equitibus ſponte recipiunt. Diſtat autem locus ille Florentia XV. mill. paſſuum ſpatio, quod ubi ſenſere Guelfi, quorum ſupra facta eſt mentio, illico ad partes collis, & S. Geminiani cum exercitu celeri greſſum tendunt, quæ duo oppida inter Caſale, & exercitum Imperatoris ferè medio itinere ſita ſunt, ne Caſalenſes cum victualibus ad exercitum inde iter faciant, inhibere volentes, ibique Mareſchalco, & Comiti Frederico, quique cum eis Caſale oppidum ceperant, ne ad exercitum redeant, obſidere iter credunt. At illi tractâ ad libitum Caſali morâ dandi ordinem rebus causâ, cum ſolis equitibus DCC., cum quibus venerant, redeuntes equitant, quò hoſtes veniſſe ſibi nunciatum eſt. Non contenti pro caſtris ſeſe in aciem explicare, quinimo etiam illatis ſignis procedentes ad portas collis multitudinem hoſtium obſeſſæ gentis more clauſam ad pugnam fruſtra vocant. Tandem ſeſſis cantu tubis, nulliſque hoſtium egredientibus, ad exercitum æquo paſſu tendunt. Poſtero die odioſum nimiâ morâ campum linquit ad burgum Podii Bonizi feſtinus tendens.

CAP. LV.

LOcus autem ille, dum in Italia Imperii celebre nomen fuit, dumque in Thuſcia valuit factio Gibellina nobilium incolarum frequens erat. Verùm æquatis dudum ſolo mœnibus nunc ſola reſtat tranſeuntibus rupes nota, quam etſi tenaci fronde tectam viator ſæpe digito, ut ſignum antiquæ arcis, monſtrat. Nam vacante Imperio, quod ſæpe accidit longo temporis intervallo, ex quo in pauperem Germaniam Imperii jus receſſit, dum electus Theutonus imperare Mundo neſciens ad ſolemnia coronationis

ſuæ

ſuæ nequit, imò verè neſcit accedere, non modò vicus iſte, verùm etiam pleraque oppida, dum antiquam Imperii fidem ſervare volunt, quas ſtolidus miles Theutonus, aliuſve Principis Curiam ſequens vicinis urbibus regnante Imperio injurias tulit, luunt. Diris itaque belli cladibus, aut longa obſidione ſubacta non modò iſtud, verùm pluta alia oppida tumidis poſt receptas injurias Guelfis diruta ſunt. Imperator illico hujus vici mœnia refici ſtatuit, primumque lapidem operi procerum aſtante corona impoſuit, & novo oppido novum nomen dedit, inquiens: *Mons Imperialis a modo vocetur iſte locus*.

CAP. LVI.

INterea dum expeditorum equitum ingens turba à quadam ſcorta redeunt, ad quam præſidii causâ Imperator eos miſerat, quibus duces dederat Comitem de S. Flore, Aymonem de Biamont, & Bindum de Baſchis, Guelfi, qui unà cum Comite Romandiolæ in oppido Colle præſidio poſiti erant, ubi eos inde tranſeuntes vident, dimiſſis intra mœnia ad portas terricolis armatis, qui præſto ſubſidio ſibi forent, versùs eos velut impetum facturi tendunt. Contra quos Theutoni pugnæ avidi temerè citatis equis rapido curſu ruunt, venientium versùs ſe hoſtium paſſim incurſum expectare nolentes. At ipſi dolo, non metu paulatim pugnæ cedunt, atque inter fugam, pugnamque dubios ſeſe monſtrantes pedem retulere, donec hoſtes temerè inſequentes in declives foſſas traxere, quæ haud procul muris oppidi, ubi latebant, inſidiæ erant. Tunc patefactis portis erupit recens miles, & ſigno dato in hoſtes unà cum his, qui ſimulata fuga ceſſerant, integrant pugnam. Haud mora: Theutoni iniquo pugnantes loco conflicti ſunt, & ex eis circa XL. cæſi. Captus cum paucis Aymo de Biamont unus ex ducibus ſupradictis, qui plurimùm Imperatori carus erat tum virtute animi, quæ hominem Deo, atque hominibus gratum reddit, tum ſanguinis proximitate.

CAP. LVII.

HÆc ubi in exercitu nunciata ſunt, mœſto murmure undique fremuerunt caſtra. Imperator illico cunctos proceres ſuos ad ſe vocat, atque hujus rei causâ turbatus cunctis iratum ſeſe fecit, inquiens: *Meritis noſtris, non alia causâ ruimus, & pericula in dies majora timere cogimur, quæ dignè debita ſunt nobis, ſi ulla mortalium cura Deum tangit, aut ſi nos reſpicit de cœlo juſtitia. Nec nos qui nimia diſſimulationis patientiâ injuſta geri patimur, immunes, imò noſtri criminis rei ſumus. Nonne innocentes lædi? injuſtas, atque crudeles prædas agi ſenſimus? eoque animo, atque modo in Chriſticolas, quemadmodum in Saracenos bellum agi? Quinimo pacatos, ac data fide nobis deditos ſpoliaſtis, & quod inhumanius eſt, plerique veſtrum ſedulos, atque blandos hoſpites tractaſtis ut hoſtes. Nonne confuſione digni ſumus, qui tanta patimur injuſtè geri? Verè Deus ex alto quos crudeliter, & injuſtè premitis, miſerorum voces audiens, eorumque querulam cauſam, quam relinquimus, ſuſcipiens, brevi præcludet viam factis noſtris, ſic enim vaticinari nobis licet, quippe ſi abjecimus arma juſtitiæ, quæ amplius nobis tuta erunt? Quam aliam eſſe cauſam creditis cur tot temporum intervallis, ex quo nobis Germanicis conceſſum eſt, vacavit Imperium, niſi quòd Italos, qui dum juſtum regnet Imperium, ab omni tributo liberi ſunt rationabiliter, & immunes, anteceſſores noſtri preſſere duriùs quàm Tyranni? Injurias etiam ipſas caſtra noſtra ſequentes inferunt, ut tenebantur, minimè propulſantes. Et ideo qui preſſuras, & injurias paſſi ſunt, & quibus poſtmodum narrantur injuriæ, nati, atque natorum nati Germanicum vacare, quàm regnare malunt. Quieſcite igitur, quæſumus, ab injuriis, & clementer agite, & nihil malignum aderit factis veſtris, ſed cuncta proſpera nobis cedent.* Poſt paucos dies dictus Aymo tribus millibus florenis redemtus eſt.

CAP. LVIII.

EO tempore dum fortuna probat vires ſuas, mirabilis pugna in partibus illis commiſſa eſt, ubi paucitas multitudinem militum ſuperavit. Trecenti namque Florentini cum peditibus prope DCCC. de Vulterris venientes Gibellinorum equitum parvam turbam versùs S. Caſſianum tendentem cernunt, quos haud temerè non ultra LX exiſtimarunt. Erant enim Theutonici XL. & XII. exules Florentini, quos, ubi propinquarunt, in eos paucitate ſpretos maximo clamore laxatis frænis currunt. Exules, tribus duntaxat exceptis, incurſantium multitudine pavefacti, timentes etiam proſcriptionis pœnam, citatis equis illico terga dantes, ſocios in diſcrimine Martis linquunt. At illi in dexteris, & ſola armorum ſpe fiſi, non modò incurſantes hoſtes ſuſtinere parant; verumetiam ſtricto agmine facto unà in hoſtes fulminis more ruunt, eoſque dirimunt, atque fundunt. Ignominioſa Guelforum equitum turba primo impetu turbata in fugam ruit, quorum quinque nobiles Florentiæ Cives hoſtium impetum ſuſtinere volentes hoſtilibus gladiis cæſi ſunt. Alter nomine Zampoglone de Cornaquino hoſtibus ſeſe dedens dejectis armis capitur. Ceteri citatis equis fugiunt. Onerantes Theutoni captivos, equos, & arma, atque alia cæſorum ſpolia oſtentantes in caſtra redeunt.

CAP. LIX.

NAm ſtolida gens Germaniæ naturâ nimium prædæ avida, ac diſciplinæ militaris ignara ulli hominum parcere neſcia, dum vicinas villas, atque magnos vicos, quos ſuperabiles pugna reperit, etiam pacatos, atque deditos ſpoliat, & quod prædæ ſupereſt incendio ponit, latè vacuos undique cultoribus agros fecit. Cujus rei causâ victualis penuria adeò in exercitu Imperatoris crevit, quòd locum Caſtris mutare coactus eſt. Itaque Montis Bonizi nomine, ac mœnibus renovatis circa initium veris inde Piſas tendit. Ibi retribuens militibus, quam potuit recuperare pecuniam ſecum partitus eſt. Deinde Piſanum, ac Januenſem portus armatæ claſſis plenos eſſe jubet. Nuncios in Alamaniam miſit ad Feudatarios, cunctoſque fideles ſuos, filium quoque Bohemiæ Regem ſolicitans, ut accitis undique gentibus unà in Italia ad ſe celeres armati veniant. Amicos, atque deditos undique per Lombardiam ſuſcitans literis, atque nunciis; ut equitum ſubſidium omni conamine citiùs ferant ſibi, Fredericum Siciliæ Regem ſolicitat, ſignificans intentum ſuum ut armatæ claſſis, ac militum celerem faciat apparatum, ut quæ intra ſe conſilia conceperant exequantur. Nam cunctis viribus terra marique Regem Robertum aggredi, Apuliamque hoſtiliter occupare de-

decreverant. Ipſum namque Robertum, priuſquam diſcederet Piſis, omni regno, omnique jure, atque privilegio honoris, & dignitatis privans contra ipſum velut rebellem, & proditorem Imperii, extremi ſupplicii ſententiam tulit, ſi quo tempore in manus ejus inciderit, ipſumque hoſtem publicum nunciavit. Urbem quoque Papiam, & Cives ejus hoſtes, ac rebelles Imperii nuncians ſeveram in eos ſenteotiam in ſcriptis tulit in præſentia ſuorum procerum, & copioſæ multitudinis populi Piſani, pronuncians multa crudeliter contra eos, & inter alia Civitatis muros, murorum Turres, & Portas dirui, ac deſtrui funditus ipſius Civitatis ſumtibus; foſſata quoque & valla in ambitu ipſius Civitatis facta explanari, & impleri. Urbis quoque ſolum aratrum pati, hæc etiam ounquam reſici abſque Cæſarea licentia ſpeciali. Ipſam quoque Civitatem privilegiis, libertatibus, & immunitatibus ab eo, & anteceſſoribus ejus conceſſis, nec non ſtatutis, aut conſuetudinibus, mero etiam & mixto imperio, omnique juriſdictione privans, pedagia, telonea, gabellas, quoſcumque reditus, ac proventus, & cetera bona ipſius Univerſitatis ſuæ Cameræ confiſcavit. Juriſtas, Advocatos, & Tabelliones ſuis quemque privavit officiis, ac cunctos pronunciavit infames, ac pleroſque quorum nomina ioferius ſcripta ſunt, ſæviore ſententia damnat, quos ſeceſſionis, ac rebellionis Principes, & Auctores, nec non læſæ Majeſtatis reos vocans de toto Romano Imperio nulla interpoſita conditione, & abſque ullius remedii termino exbannivit, & diffidavit. Eorum bona, & jura, ac jurium, rerumque quorumlibet actiones, quæ modo aliquo alicui bannitorum competant, annotavit Fiſco. Ipſos quibuslibet privilegiis, ac libertatibus privatos perpetua damnavit infamia, ita quòd inteſtabiles ſemper eſſent, nec ad ullum legitimum actum admitterentur, & ſi quis eorum in manus Imperii devenerit, ſibi extremum furcis ſupplicium inferendum eſſe decrevit. Horum damnatorum nomina ſunt hæc: Comes Philippo de Languſco, Ricardinus Girrardinus de Sparavaria, Albertinus Formagiarius, Fredericus Guillelmus de Sparavaria, Petrus de Nicorbo, Ubertus Salvariſius de Petra, Guizardinus de Inſimbardis, Jacobinus Guizardi Zazii, Marcellus Inſimbardus, Lombardus de Zimpreſſo, Salimbone de Botigeriis, Guillelmus de Caneva-nova, Albore de Coetia dictus Judex, Joannes Inſimbardus, Jacobinus ejus frater, Roffinus de Strata, Philippious Beccarius, Curradus Guaſconus, Odoardus Botigiarius, Curradus de S. Michaële, Galvaneus Bruſa-Mantica dictus Judex, Bordinus de Georgiis, Salvus de Cancro, Piccus de Giandulphis, Comeynus Inſimbardus, & fratres, Tadinus, Bregadinus, Jacobinus, Franciosus fratres de S. Nazario, Rigatius Petrus de la Vilata, Guidarius de Strata, Nicolious Toſcanus, Ubertus de Cario, & filii, Simonellus Trutus, Baruellus Buſſicoja, & fratres, Guaſparonus de Cario, Ribaldus Canisrubens, Guillelmus Biſcoſſa, Boniſacius de Certo. Multoſque alios condemnavit Italicos eo die, quorum multi criminis expertes erant. Nam, ut fit, ſequentes Curiam ſæpe invidia, aut ſpeciali odio quemque ad libitum authorem rebellionis faciunt, licet fortè defectione ſuarum urbium doleant. Verùm proceſſum iſtum non magni commodi fuiſſe arbitror, nam quiſque etiam infeſtus infeſtior proſcriptione eſt factus, imò etiam aliam antiquam Imperii cladem ſuſcitatam eſſe creditur.

CAP. LX.

NAm Rex Robertus nunc condemnatus, & publicè nunciatus hoſtis, Gallica Regia ortus Philippo Francorom Regi natione propinquus erat; Amborum nempe proavus idem fuit, de quo una mater duos produxit natos, multùm tamen natura, & moribus varios, humilem ſcilicet ac Catholicum Ludovicum ſola innocentia io Regno tutum, nec non Carolum ſuperbum, qui ferocitate animi reliquos mortales vicit. Attamen reverentia ætatis Gallicum diadema, & omnes patrias dignitates dimiſit fratri, nec inde, velut vulgo creditur, quæſtionem movit. His Ludovico, & Carolo nupſerunt duæ Provincialis Comitis filiæ, quibus paternum jus Provinciæ defectu virilis prolis ceſſit, cùmque ambæ die magni Feſti ſublimes una ſedereot ſede, quæ uxor Regis erat ſorori inquit: *Tu cùm non Regina ſis cur æqua ſede mecum ſedes?* Pulſa igitur, & confuſa queſtibus atque ira implet virum, quem reſpondiſſe ferunt: *Nec nos ſemper immunes Regni erimus, cujus Regina & tu coronam feres.* Ea res non modò eum diem feſtum, verùm totam turbavit Europam, nam non longum ioterea tempus fuit, Carolus iſte Romano Pontifice, velut quod ſui juris erat conferente, Gallico milite armatus terra marique Apulos invaſit fines, & domito, ac Marte perempto Rege Manſredo Frederici Imperatoris filio, quem damnarat Eccleſia, Apuliam, & Siciliam occupavit, deinde adoleſcentulum Regem Conradinum ſecundum ipſius Frederici nepotem aviti regni jura recuperare volentem Marte confuſum, & in fuga multis diebus poſt pugnam captum occidit feroci ſententia condemnatum. Verùm hic Carolus ſuo tempore, ſuoque ac ſuorum militum crimine, quibus nimiâ licentiâ datâ parum fuerat regnicolarum divitias omnibus modis rapere, quinimo eo regnante in Sicilia pudicitia mulierum minimè tuta fuit, ipſo regno Siciliæ, ac cunctis militibus, quos præſidio regni poſuerat non ſinè miraculo, non modò una die, verùm prope unâ horâ ſpoliatus fuit, quos regnicolæ injuriarum memores cum omni eorum ſemine trucidarunt, Petrum Regem Aragonum in ſuum protectorem, & dominum antea, ut creditur, provocatum in ipſa gerendæ rei hora opportunum habeotes. Iſte Petrus Arago tunc magna claſſe armata ioſerre bellum minitans Saracenis, ut ad inſtantiam Caroli, quod parabatur, ſuſpicantis Romano Pontifici jurisjurandi religione promiſerat, versùs Siciliam navibus iter tenens in ipſo novitatis puncto Siciliæ Regnum adeptus eſt, quod Carolus nullique ſucceſſores ejus poſtmodum recuperare valuerunt. Imò Fredericus ipſius Petri Aragonis filius ipſum Siciliæ regnum tenet, cujus ſubſidio Imperator nititur Regem Robertum memorati Caroli nepotem Apuliæ Regno pellere. Nec huic Frederico Roberti ſoror nupta pacis validum pignus fuit.

CAP. LXI.

ITaque Philippus Rex Francorum ubi contra Regem Robertum conſanguineum ſuum hujus Imperatoris Henrici, ac Frederici Siciliæ Regis, qui Aragonum ſtirpe natus nulla ſaoguinis affinitate placatus numquam remiſit odium in Gallicam gentem ſemel ſumtum, arma terra marique parata eſſe, non modò rumoribus famæ, verumetiam certis ounciis, ac literis intellexit, eoſdem quos olim Ananiam Bonifacio Pa-

Papæ vim facturos miſerat, ad Papam Clementem, qui Imperatori ſavere videbatur, mittit, qui ubi hos Regios Legatos ante ſe vidit, illico ſtupeſactus ſeſe perditum credit, Boniſacii Papæ caſus memor, quibus ait: *Quid quæritis?* At illi ſuperbia pleni, *videre volumus*, inquiunt, *quæ in Cancellaria literæ, in quorum favorem, quorumve perniciem eas deſtinare conaris.* Neque amplius in ſermone morati ad Cancellariam Legati Regis tendunt. Ibi Converſus Ordinis Ciſtercienſis barbatus illiteratus penes ſe magnum acervum literarum tenet, quas antiqui moris Curiæ obſervantia fortè Papali Bulla recta manu ſignat, ne literatus munere, aut perſonarum acceptione corruptus poſteriores prioribus poſtpoſitis literis aliquando præſignet. Ibi utrique Gallicæ ſtirpis Regum inviſas reperiunt, atque legunt literas, quibus Imperatorem Henricum, ſuoſque proceſſus cunctis Fidelibus Papalis favor recommendare velle videbatur, ſuadendo ut eidem fideliter obedirent. Harum pars jam, pars nondum ſigillatæ erant; omnes tamen ad Pontificis præſentiam ferunt, eaſque cum indignatione ad pedes ejus ſpargunt. Cui ejus legationis Princeps horrenda voce tonat: *Hæc ne pro meritis reddere beneficia didiciſtis eorum hoſtes armantes, quorum prædeceſſores non modica ſanguinis effuſione Eccleſiæ pericula, & injurias propulſarunt? Credebatne Carolus olim contra Manfredum Tarentinum, alioſque perſecutores Eccleſiæ ſe opponens, nepotes ejus Rectoribus ipſius, quam ſæpius liberavit, Eccleſiæ ſic tractari? Cur non in quem protervia ſua traxit Boniſacii Papæ caſus te docuit? Certè ſi alieno doceri neſcis exemplo, alios docebis tuo.* His aliiſque duris ſermonibus omnis Germanici Principis extinctus favor, favoriſque literæ rejectæ ſunt, neque earum ulteriùs mentio fuit. Imò in contrarium mandatum Apoſtolicum obtentum eſt, per quod Imperatori inhibitum eſt, ne Regem Robertum invadat, atque armis infeſtet, præcipuè in Regno Apuliæ, quod Eccleſiæ patrimonium eſt.

CAP. LXII.

IMperator ubi tam durum, ac ſpe alienum Apoſtolicum mandatum accepit, *hoc*, ſecum inquit, *Philippi Gallorum Regis opus eſt, qui nullum ſuperiorem cognoſcens, ut aſſerit, Regnum ſuum tenet. Certè ſciet.* Deinde convocato ſuorum Procerum conſilio juxta domum Fratrum Prædicatorum aſtante magna Piſani populi multitudine proteſtatus eſt, quòd galêarum, equitumque, quod parabat, efforium minimè præjudicare intendebat Eccleſiæ Romanæ juribus, quæ per omnia defendere, & conſervare volebat, intendens ſolummodo honorem, atque jura Imperii perſequi. Nihilominus Legatos ad Papam mittit, ſcilicet Epiſcopum Tridentinum Cancellarium ſuum, Epiſcopum Borentinum, & Comitem Sabaudiæ, qui hujuſmodi mandatum revocandi operam dent. Interim Henricum de Flandria Mareſchalcum ſuum cum octingentis equitibus, & populo Piſano expugnare Petram-Sanctam mittit, oppidum licèt dives novum; ipſum namque conſtruxerant quondam Guiſcardus de Petra-Sancta nobilis Civis Mediolani urbe ſua exulans, prima Turrianorum regnante Tyrannide, in diſtrictu, aut prope confinia Lucanæ urbis, cujus Rector erat, oppido ſui cognominis imponen nomen. Dives vi captum ſpoliant oppidum, centum equitum, mille peditum Guelfico præſidio fruſtra muni-

A tum. Inde Gibellinus exercitus præda onuſtus Lucanum agrum viſitans hoſtiliter Sarſanam, & plures alias Guelforum terras occupat. Unde ad arma conciti ſocios, & amicos vocant, ac magno exercitu congregato ad caſtrum de Camajore duobus millibus paſſuum Petra-Sancta diſtans veniunt, iterumque ad reditum Piſanos obſident, qui numero equitum, atque peditum nimiùm impares, qua venerant, Piſas redire non audent; Erant enim in exercitu Lucano duo millia equitum, & XX. millia peditum, neque aliud iter Piſanis tutum eſt. Nam, qui ſolus reſtat, paſſum maris Regis Roberti quatuordecim galêarum claſſis obſeſſum tenet. Piſani tamen vadantes ripam maris ante ora ho-
B ſtium, qui Mucronem propinquum ripæ maris Caſtrum obſtandi causâ venerant, tranſierunt, periculoſum & nimis altum maris vadum, quàm hoſtium inſultum minùs timentes.

CAP. LXIII.

EO tempore militabat Piſis nobilis, & egregius miles Struffa Brambancia gente, cujus nomen in caſtris juxta Brixiam clarum, ac Regi carum videram. Hunc cum LX. Theutonicis ad caſtrum Vico Piſanum pergentem hoſtes, qui numero erant CCCC. pedites IV. millia in itinere aggreſſi ſunt. Ibi inſignis pugna, ac memoriæ digna fuit, quoniam nullo unquam prœ-
C lio fortuna ita paucis propitia fuit; Ea namque Lucanorum multitudo Germanorum parvitate ſuperata, & in conflictu poſita eſt, multis ex Magnatibus cæſis, multiſque captis, pluribuſque ſignis militaribus reportatis Piſas. In honorem B. Martyris Georgii, cujus numen imploraverant, ac nomen ejus in bello dixerant, victores novum Templum fundarunt in urbe Piſana juxta ſtratam S. Mariæ, ipſamque Eccleſiam magnificè decorarunt.

CAP. LXIV.

DUm in partibus Thuſciæ Imperator moram trahit, Placentia, cujus cuſtodia, & juriſ-
D dictio Galeaz Vicecomiti commiſſa erat, prope perdita fuit. Nam Comes Philippo de Languſco Papiæ, & Gibertus de Corrigia Parmæ, & partium circumſtantium Guelforum Principes, communicatò conſilio, excitis exulibus Laude, aliarumque terrarum, quibus ante exilium domi ſuæ maximum nomen erat, Malcum atque alia plura caſtra ceperunt, quibus tam Placentia, quàm Laude crebris incurſionibus, ... ad ipſam occupandam, in quo nihil dubii ponunt, diem certam ſtatuunt. Eam nempe urbem mediam utriuſque ducis fines, vireſque dirimere, ac ſæpe mutuis inter ſe ſubſidiis obſtare dolent. Utrique igitur dicta die, collectis equitum, peditumque viribus, quibus quiſque ho-
E ſtium urbe potiri poſſe ſolus putat, diſcedunt domo. Fortuna autem, cui ſtudium eſt vertere ordinem rebus datum, alium ac rati ſunt, Guelficis rebus dedit eventum. Nam Galeaz, qui hæc contra ſe agi conſilia ſenſerat, priùs quàm hoſtes iter arriperent, aut ulla veniendi Placentiam ſigna darent, quid agendum ſit ſæpiùs deliberat cum Coneſtabilibus, ac Primoribus eorum, qui præſidio urbis venerant. Nullum in re tam ardua conſilium certum capit, dum in fortunæ magìs arbitrio, quàm in ullius deliberatione conſilii hujus rei eventum exiſtimant. Uno tamen conſilio certo, atque immutabili capto, ſcilicet cum his, qui primò hoſtes appa-

rent, pugnandum, & cum ſingulis ſuo tempore A
potiùs, quàm cum omnibus temerè expectatis
rem geri. Hæc unà omnes laudant, quibus
medica ſpes erat urbem tunc nullo muro, ſed
ligneo vallo, & humili foſſa ſeptam defendere,
ſi hoſtis impetum expectent clauſi. Erat tunc
præſidio Placentiæ Yvanus de Cornu Laudenſis
ex antiquo exule Imperatoris beneficio factus
Civis, ante cujus adventum in Italiam Yvanus
iſte domo pulſus in caſtris ſæpiùs vitam degens
bellicis artibus clarum nomen habuerat. Hic in
pluribus hujus rei colloquiis Galeaz, & ceteros
eo conſilio inducere conatus eſt, ut exules ur-
bis ſuæ, qui per Padum venire nunciabantur,
cunctis armatis navibus incurſarentur, ſe offe-
rens ipſius inſultus ducem, dum veteris offenſæ B
ultionem quærit. Itaque multis fruſtra in conſi-
lio ventilatis, dum magna jam parte noctis
conſumta hoſtium expectatione fatigati, ut po-
terant, non armis demtis ſe dediſſent ſtratis,
ante lucis ortum vigilans altæ Turris cuſtos vo-
ciferat: *Ardet ebrius ignibus Padus, Arma ci-
ti; Jam nobis propinqui ſunt, capite arma.*
Itaque quibus ea nocte urbis cuſtodia commiſſa
erat, quique quieti dati erant, in unum ſeſe
coeunt. Galeaz his ſtipatus, primores ſuorum,
reliquis ſeorſum eſſe juſſis, conſulit. Tunc Yva-
nus invadendi, quos volebat, occaſionem nactus
inquit: *Cur non hos, quos primò ſenſimus, oc-
cupamus? Armatam claſſem & nos habemus.*
Dum hæc Yvani, atque alia conſulentium alio- C
rum examinantur dicta, qui in Turribus ſpecu-
labantur jam luceſcente vociferant haud procul
plenos hoſtibus campos eſſe, deinde Papienſium
ſigna cernere. Tunc Galeaz Vaſſallum de Deſio
collateralem ſuum, quid agant, quove ordine
hoſtes veniant ſpeculatum mittit. Ille hoſtes
plus opinione propinquos reperiens illico redit,
quo pedites, quove equites ordine veniant re-
ferens. *Acceleremus*, inquit; *Ad nos velut ad
prædam tumultuario agmine veniunt. Nulla
nobis mora tuta eſt.* Præmiſſis igitur peditibus
Galeaz cum omni equitatu per portam de ſtra-
ta alta contra jam propinquos erumpit hoſtes.
Primò autem utriuſque partis peditum ſeſe in-
incurſant acies. Gibellini temerè venientes D
Guelfos non ſuorum equitum acie ſubſequente
illico turbatos fundunt, qui nihil minus, quàm
ut contra ſe hoſtes erumperent metuentes adeò
proceſſerant, ut erumpentium impetum vitare
non poſſent, abſente imò ignorante Comite du-
ce ſuo, quem Simon de la Turre Guidonis filius
exul Mediolani Princeps ſecum in ſolitarium lo-
cum traxerat ad colloquium cum Simone Mal-
vecino auctore proditionis, quam in urbe eſſe
aſſerebat uterque Simon. Quibus Comes incur-
ſantium tumultum armorumque audiens ſoni-
tum: *Fortuna*, inquit, *quæ irrita hæc conſilia
noſtra fecit, ſua nos conſilio nunc uti volet.* In-
deque ſe ſubtrahens dum vociferantium conſpe-
ctum petit ſuos cedentes, ac prope terga dan- E
tes videt. Ita confuſus, ac prope perditus nul-
lum ad ſuorum aciem equitum nuncium, ut ve-
niant, mittit, immemor, quòd modò diſcedens
juſſerat, ne donec rediret procederent. Imò
paucis, qui ſecum, ut Secretarii venerant, eum
ſequentibus celeri greſſu ad ſuos pedites, quo-
rum magna pars hoſtibus terga dabat, ipſoſque
adventu illius illico animato in hoſtes jam im-
petu conſpecto Comite tardiores vertit. Qui
verò cum Galeaz cujuſque generis erant equites
non numerum ducentorum attingebant. Hi ex-
peditum agmen peditum in fronte poſitum ſe-
quebantur. Ante omne equitum agmen erat

A unà cum Vaſſallo de Deſio Comes Serapontis
neſcio Gallicus, an Germanus utriuſque enim
erat linguæ gnarus, qui tunc in Thuſciam ad
Imperatorem tranſiens pluribus diebus fidelis
hoſpitii gratiâ Placentiæ moram traxerat. Dein-
de precibus, atque donis illectus, nec non glo-
riæ Martis cupidus hujus Guelficæ novitatis,
quam nunciabat ambiguus vulgi rumor, expe-
ctarat eventum. Cui Vaſſallus de Deſio: *Ecce*,
inquit, *Comitem Philipponem, qui in his par-
tibus totius rebellionis primus auctor, atque
cauſa fuit, quem noſtrorum agmen peditum cla-
va ſternentem cernitis. Hic modò ſuos fugientes
retro vertit, ac noſtros fugantes ſiſtit. Quod ſi
ſua equitum acies, cujus moram miror, venerit,
B quorum equitatui noſter nimiùm impar numero
eſt?* Hæc nec temerè dicta, neque Comiti audita
ſunt; nam illico ſocius ſignum voce dedit, ac ſigna
de cœtu in dextrum latus aliquanto ſeorſum vertit,
ne dum occurrat hoſtibus, frequens Gibellinorum
agmen peditum, aquis pulſum, à tergo turbet.
Jam utriuſque partis expediti pedites, deinde
qui armis graviores erant ſeſe undique incurſan-
tes increbreſcebant latè pugnam. Cujus rei causâ
hi, qui tenſis haſtis Comitem Philipponem,
alioſque hoſtiles equites incurſare volebant, ad
hoc liberum ſpatium non habentes haſtas obji-
ciunt. Deinde evaginatis gladiis horriſona voce
miſſa versùs Comitem Philipponem per frequen-
tem pugnantium turbam tendunt, & illico ejus,
C ac cunctorum, qui ſecum erant, equitum pu-
gnam in ſe vertunt. Tunc pedites Gibellini ſe
liberos ſentientes hoſtilium equitum pugna, quos
jam priùs fuderant, hoſtium pedites acriùs ag-
greſſi ſunt, qui dum impetum ſuſtinere conantur
ſuorum fruſtra equitum expectantes ſubſidium,
ab equitibus Gibellinis jam periculum in mora
cernentibus, ne hoſtilium equitum acies perve-
niat, laxis frænis in eos impetum facientibus
diſſipantur. Erat tunc in Gibellinorum peditum
agmine plebejus civis Papiæ domo pulſus. Hic
ut Comitem Philipponem in Comitem Serapon-
tis ſævientem clava, nec non in Johannem filium
ejus, qui pugnæ hoſtili pro genitore ſucceſſe-
rat, videt, ad eum tendit ſecum inquiens: *Tune
D exilii mei auctor hinc evades Comes?* Lancea
non ipſum Philipponem, quem ſtrenuis armis
tutum exiſtimat, imò intentior ad nocendum
equum ejus petit, atque forat, neque illo lethali
vulnere equus tardior, imò aſperior Comitem
in frequentiores hoſtes ſævientem tulit, cujus
rei causâ neque ſuos poſt terga relictos fugien-
tes videt, nec niſi tardè ſuorum fugam, & ſe
relictum ſenſit. Nam equo vulnere jam affecto,
in gyrum flexo, dum retro lumina flectit, nul-
lum ſuorum niſi fugientem videt. Tunc fruſtra
fugæ memor equum ſoliti ſaltus immemorem,
ut humilem foſſam in latum campum tranſeat,
ferrata calce vulnerat. At ille in ulteriore ripa
moribundus ruens Comitem in diſcrimine prope
E infenſos hoſtes liquit, vix à Vaſſallo defenſum,
dum Galeaz, cui ſe dedat, vocatus veniat.
Nam Jacobinus de Landriano peditum Conneſta-
bilis ſocios exhortans in eum: *Hic*, inquit,
*proterve Comes extinguendus erat tuæ ſuperbiæ
furor. Jam Incenſi Landriani pœnas dabis.*
Eo tandem, ſociiſque rejectis invitus quaſi, &
cupio mori vociferans, vixque Galeaz ſeſe de-
dens, equo impoſitus in urbem fertur. Jam ho-
ſtis in fugam ſparſus undique per devia quære-
bat ſalutis viam. Plerique versùs Padum tutiùs
naves petunt, reliqui peditum ex magna parte
aut capti, aut gladio cæſi ſunt, pluresque ceci-
diſſent, ni timor Parmenſis Gilberti, ac Lau-
den-

denſium exulum, quos venturos noverant, victorem militem revocaſſet, qui etiam prope tardus ad defendendam hoſtibus urbem fuit, quorum jam multos, lacerato vallo, intrantes urbem invênit, qua nondum muro munita erat. Nonnulli etiam hoſtium ad interiora urbis mœnia propinquabant. Hi primùm Papienſium perpendunt cladem, dum per urbem vagantes onuſtos præda milites cernunt, & quam vulgo vociferanti increduli ſpreverant, receptam ſociis cladem cruentis occurrentium gladiis credunt, audiuntque illico, & credunt Comitem Philipponem captum; Nam ipſius cladis fama, aut ullus nuncius ad eos nondum venerat. Itaque omni ſpe perdita ſubito pavore percuſſi qui primi intraverant rapidos ſiſtunt gradus, deinde dum retro pedem ferunt qui dejecti paſſus valli ſervabant ad ſe vocantes ſocios ſubitò de aggeris tumulo ſeſe præcipitant. Extori itaque pavore perculſi. qui urbem, quam prope captam putabant jam facto agmine intrare parabant. Sed non multùm dubitare ſinuntur, nam illico patefactis portis erumpunt tres Gibellinorum equitum turmæ, qui neglectis, quos paſſim vagantes cernunt, hoſtibus, in frequentem hoſtium aciem, quæ pro ſtatione erat, ruunt. Eoſque primo impetu in fugam vertunt. Tunc multa peditum ſtrage facta evaſit eques, tota cædis clades peditum fuit, quos quia effuſa fuga ſparſos neque multùm longè perſequitur Gibellinus, imò ſervatæ urbis periculo contentus, ſigno receptui dato urbem intrat. Comes Philippo ubi, prout res proceſſerat, ſenſit, ſecum, *quid ulterius te*, inquit, *dilacerandum ſervas? Expectabiſne qualiter te tractet Henricus, qui Tebaldum amicum noſtrum ante muros Brixiæ viliter more canis dilaceravit, dilaceratumque in conſpectu gentium, ſpectaculum horridum, atque vile cunctis gentibus dedit?* Itaque horrenda voce tonans ferrum, quo in ſe ſæviat, quærit, quod ubi per cuſtodes nunciatum eſt Galeaz, Vaſſallum ſolandi, ac ſervandi Comitis cauſâ ad eum ire jubet, cui hos furioſos mores amicis ſermonibus increpanti, inquit Comes: *Cur fruſtra ſolari ægrum animum meum conaris amice? Quid mihi uſquam ſpei eſt? Epiſcopus Papienſis frater meus, cujus omnia, quæ verè non ſua, ſed filiis meis dedita uſui meo erant, vita ceſſit. Ricardinus filius meus, in quo ſi quid uſquam ſpei miſero mihi reſtat, ſperare liceret, perfidia Philippi de Sabaudia, dum ſecum nuptias celebrare debebat, in Taurino captivus moram trahit. Quid autem ulterius fortunæ novercantis in me reſtat agendum, niſi ut æqualia Tebaldi fata præſtet mihi? O quàm pietas tua hodie, cum hoſtibus gladiis, heu nimiùm tardis, peterer, peſtifera fuit mihi! Hoc fide feciſti; cui me crudeliter lacerandum ſervares non vidiſti.* Tandem ut in hoſtibus non quam timebat ſævitiam, ſed humanæ compaſſionis certa ſigna videt, aliquantulum ad ſe rediens, vulnus, quod per utramque aciarinam laminam tranſiens hoſtilis gladius fecerat, mederi paſſus eſt. Verùm aliter quàm timebat, evênit, aliumque fati caſum habuit; Nam Imperator eo tempore conſpirantibus aliquibus Senenſibus intrinſecis cum extrinſecis ſpem occupandæ per deditionem Civitatis cœpit. Et quingentis de Alemania equitibus ſibi miſſis, iter arripuit versùs Senas per agrum S. Miniati tranſitum faciens, & hoſtiles villas incendio ponens. Sed urbis mœnibus accedens ſua ſpe invênit ſe deceptum, ejectis enim fautoribus armatos muros Guelficis ſignis videt, & cum ad ſe vocatis Aretinis, & Comite Montis-Feltri, & Comitibus de Santaflore, & de diſtrictu Senarum fidelibus ſuis, ante urbis portas ſita ſtatione, Senenſem undique agrum depopulans tenet exercitum, triduana febre implicitus ad tumultum ſuorum in pugna levibus certaminibus cœpta laborantium equitavit armatus. Inde iram animi, & immodicus corporis ægri labor ipſius febris igniculum in continuam traxit, qua continua comite die XXIV. Auguſti anno MCCCXIII. migravit ad Dominum in loco, quem incolæ Bonconventum dicunt, diſtante Senis XV. millibus paſſuum. Amiſſo Duce ſpargitur exercitus, nam Comes Fredericus de Monte-Feltro cum Aretinis Aretium reverſus eſt, diuque Senenſis cum ceteris Guelfis Thuſciæ ſecurus fuit. Mareſchalcus cum cetero exercitu corpus Domini ſui ſecum ferens per maritimam Piſas vênit, & Piſanis id cum inſtantia requirentibus corpus ſepeliendum datur in Eccleſia majori obſequio tanti Principis, ut decuit, celebrato honorificè ſitum, Piſani omni theſauro carius tenent.

CAP. LXV.

ITaque Comes Philippo cruciatam ac trucem mortem, præventa morte Principis, non habuit, quam timebat. Attamen perpetuo carcere miſeram deinceps vitam egit. Nam Matthæus Vicecomes pater Galeaz, cui vinctus deſtinatus fuit, carcere eum clauſit, in quo perpetuò vitam egit non immemor quòd Comes iſte unà cum Simone de Colobiano, & Antonio de Fixiraga, & Alberto Scotto, quem contra ipſum inſtigaverant ipſi falſi Comites Simon, & Antonius, ejus exilium procurarat, & de Domino ipſum Mediolani exulem fecerant, corrupto precibus, & falſis rationibus ipſo Alberto mutato hoſtilibus aciebus ſtantibus in campo Melzi, ubi Matthæus ipſius Alberti nimiùm fidens, ſibi clavam in ſignum remiſſionis dominii urbis Mediolani, & plurium Civitatum, quas tenebat dedit, contentus in urbe ſua privatus vivere, quod ipſe Albertus compoſitor pacis, quæ tunc tractabatur inter Turrianos & ipſum, promiſerat utrique parti. Verùm inſtantibus, imò, ut multi mortalium aſſerunt, cogentibus ipſis Comite Antonio, & Simone, introductis Turrianis Matthæus extrinſecus manſit exul, & Guido de la Turre ſuæ factionis Princeps deluſo temerariæ intentionis ſuæ Alberto, qui Mediolani regnare poſſe credebat, regnavit non modò Mediolani, imò etiam Placentiæ, ipſo reconciliatore ſuo inde pulſo. Et exulem fecit, qui ipſum, & agnatos, & ſequaces ejus exules abſque ſpe ſubitò fecerat deſideratos urbis ſuæ Cives. Itaque Matthæus iſte, qui in prima dominatione junior regnans nullam injuriarum ſuarum ultionem ſumſerat, quaſi indifferenter pro malis reddens bona, poſtquam ab ingratis ſceptro pulſus, exiliumque eiſdem procurantibus, à quibus non id meruiſſe credebat, ægrè nimiùm paſſus eſt; aliquantulum inclementior factus erat, credens nimis facilè ignoſcendo periculum in urriſſe, & propterea multos ad experiendum fortunam belli in ſe audaciùs ſurrexiſſe. Heic ſe inſtruat humanum genus, & in Cœlo ſciat eſſe, qui mortalium curam habeat, & aliquando heic præmia pro meritis iniquè agentibus, præcipuè ingratis, reddat. In hos ingratos, imò retributores diabolicos, Matthæus ſævire potuit, ut voluit. Tamen eos in ejus poteſtate captivos habens, Albertum, quia aliorum aſtutia ſeductus fuerat, liberè relaxavit,

retinens ſeductores in carceribus, qui perpetuum domicilium fuerunt ſibi.

CAP. LXVI.

POſt hujus Henrici Principis noſtri mortem in cunctis partibus Italiæ exultat Guelfus non modò Thuſcus, verumetiam Lombardus. Et licèt ex Primoribus Guelficæ factionis in Lombardia multi, & plerique domi ſuæ Principes aut cæſi, aut capti forent, Franciſcus, & Simon de la Turre Guidonis, de quo ſuperiùs pluribus locis mentio facta eſt, filii exulum Mediolani Principes, collectis undique amicorum viribus in Papia, tantum gentis effortium maxime equitum ſubitò collegerunt, ut Gibellinæ gentis, ſpecialiter equitum nulla parte timerent occurſum. Sentientes Mediolanum conductorum equitum vacuum, nimia, & crebra contributione promiſſi auri Henrico facta, vacuato nimiùm Fiſco, magnam etenim Matthæus, ut fertur, dederat ſibi pecuniæ ſummam, & nimiam conferre promiſerat, cùm juxta Brixiam eundem Matthæum Turrianis id tunc requirentibus præferens ſibi contulit regimen Mediolani. Itaque exules Mediolani unà cum Thoma de Martiano Comite de Squilatio in partibus iſtis Mareſchalco Regis Roberti, vadato Ticinello, haud longè à loco Gazano fuſis, ac pro magna parte captis agreſtibus Seprii, ac Martheſanæ, quibus ipſius aquæ tranſitus cuſtodia commiſſa erat, Mediolanenſem agrum hoſtiliter occuparunt . . . . . . Erant in Martheſana . . . . . . quæ tertia pars Mediolanenſis agri eſt, adverſantium ab antiquo partium ſtudia, quæ olim in Burgo Vicomercato duarum invicem adverſantium agnationum, Ruſticorum ſcilicet, & Meloſorum diſcordiâ initium ſumſerant. Et licèt utriuſque ferè agnationis virilis ſexus genus foret antiquitate conſumtum, unico de domo Ruſticorum ſuperſtite, quem tamen nomine Philippum cuncti ſuæ factionis colebant ut Dominum naturalem. In Meloſis autem, qui plures erant, nemo præ aliis cognitæ auctoritatis, ut taliter honoratus apud ſuos erat. Hujus Meloſæ factionis, quæ ſemper inimica Turrianis fuerat, Nobilis, ac domi dives Martheſanus Obizo de Bernardigio tunc cum Turrianis exulans amicus ac præcipuus fautor, ac defenſor extiterat, regnantibus Turrianis, nunc etiam domu patriis bonis ſecum pulſus, ipſis etiam invitis, quos ſequebatur ut Duces, curſitans undique per exercitum quoſcunque ſuæ partis Meloſæ captos reperit aut precibus, aut pretiis redemit, ut potuit. Pleroſque quos crudelis ſpoliaverat prædo, ſuis, ſuorumque famulorum ejectis de dorſo veſtibus nudos cooperuit. Hujus viri mores ſilere nequeo: Nullus in Martheſana, ipſo non exule, terram pluribus vertebat aratris; non tamen delicatis, ſed groſſis vivebat cibis. Amicus, quem caſu aliquo viſitaſſet, ſi ipſum lauta, & pingui menſa cibaſſet, non reprehenſione carebat. Eidem viſitanti poſſeſſiones ſuas nullus colonus ejus capones, aut alias pingues carnes præſentare audebat in menſa. Qui rapas macras modico ſale conditas dabat ſibi, admodum ſibi carus erat. Sed ad tutandos, ſublevandoſque amicos totus deditus, prodigus ſemper fuit, nullis parcens expenſis, aut laboribus perſonarum. Sæpe etenim oneratis victualibus plauſtris non modò amicos amore ſequaces, verumetiam mercede conductos ſecum ducens, nullam ſui Communis pœnam metuens, ad propulſandas amicorum injurias, & offenſas, aut eorum hoſtibus inferendas celer tendebat agmine nunquam parvo. Interea frequentes in urbem nuncii veniunt nocturnum iter versùs Ticinum hoſtes clam facere nunciantes. Ad arma primùm ſtipendiarios, qui auxilio venerant, equites ſuſcitat, deinde præmiſſa per urbis vicos præconis voce, Communis Campanæ ſoni Cives capere arma, & ſigna ſequi jubet. Tunc Comes Serapontis, qui Imperatoris morte Italiam linquens Mediolani primùm donis, deinde ſtipendio magno collato moram trahens ſubitò conductam cohortem fecerat, nimiùm feſtinus ad hunc tumultum fuit; Nam Janarius Civis Placentinus, cujus Salimbene cognomen erat, Poteſtas Mediolani, & Comes Aymo de Ticinenſi Capitaneus belli nuper factus, nullis præmiſſis exploratoribus unà cum hoc Comite Serapontis, paucíſque equitibus Mediolani, versùs Gazianum celeri greſſu tendunt, fluminis tranſitum hoſtibus inhibere volentes, quos tranſiſſe reperiunt. Et licèt de eorum tranſitu, & multitudine certiorati occurrentibus Contadinis commiſſo fluminis loco pulſis, qui cruenti vultibus hoſtium multitudinem nunciabant, adeò temerè proceſſerunt, ut eodem campo cum hoſtibus, nullo mediante obſtaculo, ſtupefacti ſeſe videant. Tunc Poteſtas Mediolani: *Erravimus*, inquit; *errori autem noſtro unicum remedium eſt. Aliquantulum retrocedendum eſt; ſcitis etenim quam fecimus. via fluvii collateralis eſt: Huc veniens haud procul hinc hujus ſtratæ locum vidi, cujus utrumque latus plauſtri ſtagno junctum velut vallo muri nos tutos faciet, nec hoſtium multitudine nos circumvenire ſinet, ibique ſolam hoſtium timentes frontem ſinè periculo expectare poterimus gentes noſtras, quæ plenis veniunt ſtratis.* Cuncti aſſentiunt, excepto Comite Serapontis. Ille vana quadam, temerariaque ſuperbia: *ſigna mea*, inquit, *hoſtibus viſa cedere neſciunt*. Maluit itaque vinci, quàm defenſionis, imò fortè victoriæ viam ſequi, ut plerumque accidit, qui diſciplinam militarem neſciunt, aut neſcire volunt. Murmur itaque toto inſurgit agmine, quorum major pars occurrere hoſtibus, eorumve incurſum ibidem expectare ſummam dementiam eſſe dicunt. Pauci Comitis dictum laudant. Nec mora, appropinquante hoſtium denſa acie quiſque opinionem ſuam ſecutus eſt. Nam Comes, & pauci ultra banniæ ſuæ comitivam ſecum inclinatis haſtis, citatis equis, nullo ducis ſigno dato in hoſtes ruunt. Ceteri per devia ſalutis viam quærunt. Come, quique eum ſecuti ſunt, totam hoſtilem aciem tranſeunt, ac pleriſque eorum abſque ignominia per medios hoſtes factâ viâ evadere, ac tutum ſibi locum petere licuit, ſed revertentes occidi potiùs, aut capi hoſtibus maluerunt, quorum inſuperabilem multitudinem eſſe cernebant. Hodie etiam in urbe noſtra ſæpe hujus quæſtio ventilatur. Nam ſunt qui aſſerunt: ſi cuncti dictum, factumque Comitis ſecuti forent, aut hoſtes in diſcrimine poſuiſſent, aut cruentam victoriam eis dediſſent. Hi neque id Comitis actum temerarium, ſed potiùs laude dignum eſſe ferunt. In urbe ingens pavor, velut intra muros hoſtes forent, undique circumeuntes occupat, exiſtimantes hoſtes poſt terga fugientium ruentes unà ſecum urbis portas accedere, ſed aliter quàm timent evênit. Nam qui fugientium Ticinelli ſtratam, ipſo fluvio, paludibuſque de ſe factis ſeptam tenuere, quos ob id hoſtes inſequi non audebant, ut frequentes Cives in occurſum venientes vident, gradum ſiſtunt, & tuto ſe locant loco, ubi Ticinellus tranſiens ſtratam

ripas

ripas mutat meridianum latus ſtratæ linquens. Ibi antiquus pons ligneus amplectens fluvium interruptam ſtratam jungit. Illic locus ad reſiſtendum hoſtibus aptus eligitur. Eò erumpentes urbe Cives ſubitò glomerantur in unum, jam perſequentium optantes adventum. Verùm ipſi aliam viam capiunt, & juxta Albayrate gradum ſiſtunt. Inde per apertos campos ad portam urbis, quæ Vercellina vocatur, accedere commodiùs poſſe rati, adeò equos, ſeque itinere fatigatos reperiunt, ut ibi morari illa nocte neceſſitate coacti ſunt. Quod ubi perceptum eſt, revocato exercitu in Burgum exteriorem Portæ Vercellinæ undique urbis clauduntur portæ, ne quam moram in urbe faciat miles, & hoſtibus occurrere paratior ſit. Cujus rei causâ hoſtes, ſpe poſita tam ſubitò, ut ſperaverant, occupandæ urbis, per aliam viam Legnanum tendunt. Heic inter ceteros Comitatus Mediolani ad colligendum Turrianæ factionis vires aptior ſedes viſa eſt, XVI. millibus paſſuum ab urbe diſtans, qua primùm ac ſequenti die alii metu, alii favore partis Turrianæ frequentibus turmis, maximè ex propinquis Seprii villis Franciſco de la Turre, & aliis Primoribus exulum oſtentantes temerè illuc ruunt. A quibus docti, inductique Regio exercitus Duci urbem accedere ſuadent, quam dedi paratam aſſerunt. Pauci autem horum in exercitu moram trahunt, imò ſemper Sole cadente quiſque domum tendit, neque ob id eos detrectare militiam dicitur, quibus, dum non extra Mediolanenſem agrum militent, antiquus mos eſt, in caſtris tubis, aliiſque ſoniſetis inſtrumentis ſub ſignis ſeſe exercituum ducibus oſtentare, & ad . . . . . ſe devotos, promptoſque offerre. Deinde iter domum faciunt plerique ſæpiùs non redituri. Hoc ſentiens exercitus Dux, quem ſpeciali titulo Mareſchalcum appellabant, ad id per Turrianos exules pertrahi nequit, ut versùs urbem accederet, ut inſtabant. Præmiſſis etiam pleriſque exulum, ac nonnullis, qui prædæ magis ſtudio quàm partium favore exercitum ſequebantur, uſque Rhaude, qui locus VI. millibus paſſuum ab urbe diſtat, incolis, utpote Canzianis, Brugoricolis, & aliis, qui in ea contrata ſecum Turrianæ factionis erant, cunctos, quos prædæ avidos eſſe credebat, provocantibus, ut primitus injuriarum ſuarum ultionem ſumant, & ſecurum versùs urbem acceſſum toti exercitui eſſe probent. His primis auctoribus, ac viæ Ducibus magna prædonum multitudo ſubitò Rhaude fuit, quibus (ita eos trahebat prædæ cupiditas) non magno hortamine opus erat. Itaque plus quàm mille illico diſcurrunt Rhaude, ibique & circumſtantium partium ſpoliantur non modò adverſariorum ſuorum domus, verumetiam nonnullorum, qui ab initio hujuſmodi novitate gaudebant; Erat enim tunc Dux exercitus hoſpitio penes Religioſum militem Fratrem Singibaldum de Lampugnano, Ordinis Militiæ B. Mariæ Virginis glorioſæ. cui non ſine cauſa exercitus tædio erat, quippe ſuas, ſuorumque poſſeſſiones vaſtari cernebat. Imò etiam nec ſibi, nec agnatis ſuis Turriana potentia umquam grata fuerat. Hic cùm ipſius Ducis ægrum animum, & ipſius rei cauſam perpenderet, jam magnâ ciborum copiâ conſumtâ, opportunâque mutui ſermonis horâ captâ, in modico ſermone Mareſchalcum ſuæ ſolicitudinis, & ægræ mentis cauſam manifeſtare coegit. Qui velut in arctis, & periculoſis rebus conſilium quærens: *Quid agendum*, inquit, *ignarus omnium neſcio; frequentantium etiam caſtra mea ambiguam fidem tenet. Non enim, ut fertur, omnes, qui ad nos magnis promiſſionibus venerunt, Turrianæ domus amici ſunt, imò plerique votis diſcordant ſecum*. Cui Frater Singibaldus, ut poſtea eum referentem audivi: *Exulibus*, inquit, *quos dulcis amor patriæ incitat, mos eſt cuncta ardua, atque aſpera ſuadere, attenuando etiam adverſariorum ſuorum vires, quæ imminent periculo reticere, ubi aliqua eis recuperandæ patriæ fuerit ſpes. At vobis æquiori animo conſiderandum eſt, ſi æquis viribus, atque locis, vobis, atque hoſtibus geritur res. Nihil in mora vobis tutum video. Aut illico vincendum, aut abeundum eſt. Quippe nullo firmo munimento, nullo continuo neque certo commeatu freti, hoſtili agro poſiti, cujus incolæ potentioris exercitus fortunam ſemper ſequi parati ſunt. Non ſinè magna veſtri, ac gentis veſtræ periculo Mediolanenſium amicorum quotidie creſcens expectatis effortium, quod ubi congregatum fuerit, ſcitote, vos tunc omni gentis ac victualis ſubſidio penitus derelictos. Imò ſi plerique qui nunc vobiſcum ſunt, hoſtes veſtros viderint meliores, illico ſecum erunt. Hoc non impunè multi hactenus Principes experti ſunt. Sed Ezelini de Romano caſus non nimiùm antiquum documenti exemplum vobis eſt, qui ſuperba dominatione urbium Brixiæ, Veronæ, Terviſii, Vincentiæ, ac totius ferè Marchiæ Terviſinæ adeò fretus, cum aliquot & ipſe exulibus Mediolani trajecto flumine Addæ Ambroſianum agrum invadere auſus non per pontem, ut venerat, ſed per inexpertum fluminis vadum graviter vulneratus terga dare conatus eſt, & priuſquam diſtrictum noſtrum evaderet, cæcus in Soncino non multùm magnificè ſepultus eſt*. His, atque aliis, quibus multipliciter periculum ſibi nunciabatur in mora, adeò percuſſus metu creditur, ut abſque ullius exulum deliberatione proponeret versùs Papiam iter arripere ſummo mane, neque ſibi, quorumque conſilio regebatur, curæ fuit nunciari receſſum illis, qui Rhaude iverant. Id non oblivione, ſed induſtria ejus, provincialiumque omiſſum fuiſſe creditur, ut potiùs versùs urbem totius exercitus minarentur acceſſum, & hoſtium animos ad ſe converterent, qui ſi Guelfici fugam exercitus aliqualiter præſumſiſſent, ut pluribus locis poterant, fugientes ſaltem ad vada fluminis occupaſſent. Itaque Mareſchalcus ſequentà mane, ut abeundi idoneam occaſionem quæreret, quaſi objurgans his verbis Franciſchinum de la Turre ſubitò multis audientibus (etenim audiri volebat) aggreditur inquiens: *Franciſce tua vana promiſſa ſecutus ſum, quibus me nimiùm credulum perdidiſti*. Cui cùm, abſit me neminem perdidiſſe, reſponderet, Mareſchalcus oſtentans cedulam, quam ſibi Franciſchinus Papiæ dederat: *Ubi nunc*, inquit, *promiſſa amicorum ſubſidia heic notata, quæ nobis intrantibus Ambroſianum agrum occurrere debuerunt? Ubi nobiles de Birago cum duobus millibus armatorum? Ubi illi de Caſtiliono, quos Seprienſi pago, in quo ſumus, dominari dicitis? Ubi confluentes amici veſtri, quorum multitudine urbis mœnia ſuperatis civibus occupentur?* Tunc Franciſchinus Mareſchalco inquit: *multos amicorum ad vos venientes vidiſtis, pluresque promiſſionis numero venient, ſi procedatis, ut cupiunt, versùs urbem. Nec capit hoſpitio vicus iſte eos, qui venerunt, licèt plurimùm amplus ſit. Huc venerunt Litti de Arlimo, & alii multi Nobiles cum armata multitudine agreſtium, qui poſtquam inopinatam, & inutilem ſenſerunt moram noſtram. domum reverſi ſunt. Præſto ergo procedatis ſaltem uſque Rhaude, ubi jam multitu-*

do

do noſtræ gentis, pulſis inde, qui adverſæ nobis factionis ſunt, noc expectant, ibique ſpero videbitis manifeſtè nullam vobis factam promiſſionem fuiſſe vanam. Tunc Mareſchalcus fictè ex induſtria: *& Rhaude eatur*, inquit. Hæc Mareſchalci vox audita ſubitò per Legnanum ſparſa multos perniciosè ſefellit, qui non expectatis ſignis, tumultuosè rapido curſu verſùs Rhaude tendunt. Illi verò, quos ante lucem Mareſchalcus ſuæ intentionis conſcios fecerat, prælatis ſignis, non legniùs verſùs Papiam ſimile iter fugæ capiunt, nec alicubi moram trahunt citra paſſus fluminis Ticinelli. Qui verò Rhaude pervenerant, quique eò nimiùm feſtinatum iter arripuerant, ut dictum eſt, capti, aut ſpoliati, aliqui cæſi. Multos ſervavit pia caritas amicorum. Pauci ex captivis Mediolani conſignati ſunt; nam ferè omnes celeri, & modica redemtione dimiſſi ſunt. At ubi Papiam ventum eſt, exules Mediolani tanta repatriandi ſpe fruſtrati queſtibus urbem replent, ſeque proditos Mareſcalco vocant, ipſumque auro corruptum dicunt, qui cùm victoria in manu ejus eſſet, nullius periculi metuſve cauſam habens procedere noluit contra hoſtes, qui urbis burgos exire non audebant, imò per ignavum ſcelus ſimulans metum, nos & exercitum, honoremque Regis, à quo huc ſuis infortuniis noſtro miſſus eſt, perdidit, ſinè quo ipſe Dominus noſter Rex, & omnis ejus factio Lombardiæ jam ſuum habuiſſet intentum. Ex Papienſibus, quæ gens natura prædæ avida eſt, multi dum exercitus Legnani foret, de caſtris prædandi cauſâ Rhaude proceſſerant, quorum plerique viam prædantium exulum Mediolani temere per villas ſecuti, ab offenſis ruſticis Guelfici exercitus fugam ſentientibus crudeliter cæſi ſunt, & in eos propter recentem offenſam à Contadinis, per quorum territorium fugientes errabant, ſæviùs ſævitum eſt. Quorum caſus ubi Papiæ nunciatus eſt, illico miſerabilis mulierum inſurgit queſtus filiorum cædem plorantium. Id adeò multitudinem ſubitò ſtimulavit ad fremitum, ut inde orto clamore vociferantium Mareſchalci mortem ſtatim hoſpitium tumultuoſo inſultant agmine. Plerique ipſum per hoſpitii latebras quærunt, qui ſuorum cædes ipſius cæde ulciſci volunt. Alii hoſpitium ſpoliare ſatagunt. Fortè ille multitudinis furor oppreſſiſſet eum, ni Franciſchinus de la Turre audito tumultu, ſe ſuique honoris dignum opus faciens cum ejus familia celeri greſſu illuc properans ab hoſpitio jam tamen pluribus rebus ſpoliato furentem multitudinem alios precibus, alios, ſcilicet coexules ſuos, comminationibus repuliſſet. Certè ex promta nimiùm ſuſpectione hæc inſonti ignominia Duci illata eſt, & falſâ de ipſo, ſed non diu tamen credita, proceſſit infamia.

CAP. LXVII.

EO, ſequentique anno quod dignum ſit memoria parum actum eſt. Guelfi tamen magno equitum Dalfini de Viana ſubſidio freti, qui eadem, qua Turriani, ſtirpe ortum ſe ferebat, congregatis Papiæ undique ſuæ factionis viribus Placentiam invadere conati ſunt. Ipſius Civitatis Galeaz Vicecomes Matthæi filius Rector erat, modico equitum, ac peditum præſidio fretus. Ideo dubiam civium fidem timens frequentibus nunciis, non modò Genitorem, imò verò ſæpiùs qui ejus frequentabant Aulam ſolicitat, ut ſibi deſtinent ſaltem equitum ſubſidium petens. Itaque magna equitum turba, quibus Franciſcus de Garbagnate, & Paxius Hermenzanus duces dati ſunt, in ipſius urbis ſubſidium miſſa prope tarda fuit, dum ab hoſtibus retinentur ad flumen Padi equites noſtri, quorum abeuntium veſtigiis inſiſtebant Guelfi perſequentes ab alta ripa Padi. Verùm Franciſci ſolertia fallitur hoſtis, qui ante occaſum Solis ponere caſtra ſimulans, ſignis in hoſtis conſpectu canentibus, & micantibus undique crebris focis tota nocte, interim cum omni equitum robore per campaniam ſemotum, ac aliquantulum à ripa diſtans, iter faciens longè ab illuſis hoſtibus tranſeundum flumen repetit. Ubi obſcuræ noctis beneficio vix ante odioſam, ac ſibi nimiùm præcipitem viſam lucem non ſinè inopinato pavore paucis navibus tranſeunt Padum. Quoniam dum veram ulteriorem ripam attigiſſe credunt, in longam, & latam fluminis inſulam ſe deſcendiſſe reperiunt. Oportuit itaque reperto errore circumduci naves, & alterum ramum fluminis ſuperare. Attamen priùs ſupervênit manifeſtans illuſum hoſtem clara dies, quàm omnes e navibus equites in ſolidam, ac tutam exirent ripam. At ubi ſenſerunt Guelfi ſubſidium equitum à Mediolano miſſum repertis abeuntium veſtigiis in tutam ripam fluminis evaſiſſe, hoc, necnon ut urbem intraverant, nunciatum in exercitu, timentes ne recenti ſuccurſu equitum ſumto animo iratus obſidione hoſtis erumperet, illico receſſere. Ut ſenſit Galeaz abeuntes, an temerarii, audaciſve, an ſani conſilii Franciſcus foret ſcire volens inquit ſibi: *Erumpendum eſt, ne nobis torpentibus abeant tam ſecuri*. Verumtamen laudante Franciſco, ſervata urbe contentus fuit. Simulans tamen ægrè ferre hoſtes tam liberos, & ſinè ullo periculo abire, inquit: *Franciſce ego credere minimè potuiſſem ſub umbra ſalubris conſilii ullum te Martis evitaſſe periculum*. Hæc vox audacis viri præcipitem animum movit. Et illico: *pandantur*, inquit, *portæ urbis, & inſultentur hoſtes, poſt quam utiliùs hoc vobis eſſe videtur*. Riſit Galeaz: *ſufficit*, inquiens, *quod quærebam habeo*.

CAP. LXVIII.

TUnc feſſis Guelforum, præcipuè Papienſium, qui tunc in Liguria Principes ipſius factionis erant amicorum ſubſidiis, aliquandiu utriuſque factionis languit vigor. Et velut nulla occaſio belli, imò omnis cauſa pacis foret, undique ruſticis arantibus, quietis agris, toto ipſo anno ceſſaſſet omnis furor belli, ni domeſtici Conſultores Matthæi de ſe graviter queſti forent, ejus negligentiam accuſantes. *In camera ejus*, inquiunt, *non ut expedit, ſed ſegniùs opinione civium hoſtibus bellum geri, nec propterea eorum burſæ requiem dari; Non nos modò, ſed hæc per urbis compita muſſant Cives, quibus mercenariorum militum minimè ceſſare videntur expenſæ, nec ut habeant honeſtam optatamque finem belli, allos bellicoe actue alla parte fieri vident*. Itaque hujus querelæ cauſâ ex ipſis domeſticis Conſultoribus eliguntur ſex, quibus gerendi belli onus, atque auctoritas, & omnis cura commiſſa eſt. Hi Homellinam, annonæ fertilem, quæ non modica, nec deterior pars Papienſis agri eſt, occupandam eſſe decernunt. Hæc Homellina inter Padum, Ticinumque more Inſulæ ſita eſt. Itaque Luchinus Matthæi filius cum exercitu Ticinum tranſiens in Homellinam tendit, cui qui ætatem ejus rogant, & gerendorum curam habeant, dati ſunt Guillelmus de Ca-

Caſate, Simon Crivellus, & Franciſcus de Garbagnate vir impiger, in quo tanta erat audacia, ut potiùs moderandus, quàm hortandus foret ad pericula capeſcenda, nullo labore corporis, aut animi fractus, incœptum negotium quantumcumque arduum vix liquit umquam infectum, cujus audaciæ fortuna ſæpe plus, quàm cuiquam credibile fuiſſet, arriſit. In hujus exercitus adventu in deditionem veniunt Oghiablanum, utraque Ferraria Homellinæ, aliudque caſtrum, quod Præpoſiti caſtrum vocant incolæ, pluresque aliæ villæ . . . . . populationis agrorum, pleræque quarum incolis, ſi ab hoſtibus oppugnarentur modica ſpes defenſionis erat. Duo autem nobilia oppida Rodopium, & Nicornum pugna fruſtra tentata ſunt. Rodopium, defenſorum multitudine, Nicornum vicina palude defenſa ſunt. Caſtrum quoque Comitis Guidetti de Languſco, cui Herboneſium nomen erat, uno die continuo uſque veſperas fruſtra pugna tentatum eſt, imò etiam quod extra murorum mœnia receptum vocant, ſolo valli, ac foſſæ ambitu defenſum eſt. Tunc verò dato receptui ſigno à pugna ceſſatum eſt. Profuit, ut puto, defenſioni, quòd cùm ſcalæ prope portam caſtri erectæ forent, & inſtantiori pugna urgerentur extrinſeci, dejecti ſunt denarii à dextris, atque ſiniſtris pleni manibus ſparſi, ut hoſtis, quem nimis avidum pugnandi vident, ad oblatam ſibi pecuniam curreret, & ut ſperabant intrinſeci, ſic accidit, nam Gibellinus miles, illico pugnam linquens incertæ prædæ prætulit certum lucrum; erat enim caſtrum illud undique inexpugnabile, non tamen ulla hominum, ſed ſolius naturæ arte munitum, laci ſcilicet, & profundi ſtagni præſidio tutum præter ejus latus uoom, ubi unica totius caſtri porta erat, ante cujus lateris faciem receptus vallo, ac profunda foſſa tutus obſtabat, ne primus hoſtium impetus ad portam murumque interiora caſtri fieret. Dumque ſtipendiarii noſtri illam ſolam partem recepti pugnant, quæ oppoſita ad portam caſtri defendit acceſſum, ibique ex omnibus partibus concurrentibus totius recepti defenſoribus magna vi reſiſtitur, ita quòd in expugnatione modica pugnantibus erat ſpes, Arnaldus quidam non modò armis, imò laneis veſtibus nudus ubi defenſoribus deſertum vallum videt, ſpretis pungentibus vepribus vallum aſcendit, ibique militare ſignum, omni cuſtodiæ relictum à vallo revulſum ſupra caput ejus per aëra volitat alta voce vociferans captam terram. Hac voce territi qui ante portam caſtri defendebant vallum, in arcem per ipſam portam fugiunt, & aotequam perſequeo trajecto deſerto vallo hoſtis accedat portam, catenis ſublatum pontem invenit nondum levato ponticulo, quem occupant noſtri, & ſtatim inhibent cæſo retinaculo, ne levetur. Deinde cæſis catenis magni pontis, dum frangere portam putant, fruſtrati ſunt, quoniam ferreis laminis tota cooperta erat. Itaque duabus junctis ſimul, ac

A firmiter colligatis ſcalis, cùm nullæ ſingulæ altitudinem muri ſuperare poſſent, equites duo ſcandere tentant murum, dum ſagittarii, quorum plerique Januenſes erant, vulneratos de muris defenſores pellunt. Itaque ambo cum cura capite armato, ut minùs lapidum ictus ſentiant, alter poſt primum, quem manibus, ac brachiis ſubſequens retinet, ut à lancearum, lapidumque ictibus ambabus manibus ſe defendat uſque prope merlos aſcendunt murum. Ibique dum qui ſuperior tendit hoſtilem murum à ſe captum putat, ſecuris dorſo in ſummitate galeæ fortiter ictus prope mactatus eſt, tamen de ſcalis præcipitans ſemivivus à ſubſequente ſocio retentus eſt. Illico reſperſus
B vultum, interiùſque refectus vino, acriùs ſe erigit contra ſecuris auctorem, qui tunc ſecuri voluit ſcire utrum aptior incidere ſit, quàm mactare, ſi fortuna ſinat. Verùm Januenſis ſubitò verrettonus volat oculos tranſiens caput ejus, quo vulnere cum ſecuri de muro rejectus eſt. Tunc linquens ſcalas aſcendit murum, & ſocios vocans dum caſtrum captum putat, poſitis ad pectus hoſtilibus lanceis pellitur, & ad ima foſſæ volvitur. Non propterea ullus defenſor apparet muris. Turris proxima hoſtilibus ſcalis vacua non modò telis, imò etiam lapidibus erat, nullaque in defenſione intrinſecus erat ſpes. Hoc extrinſecus miles pugnans ſenſerat, ſed ſola ſcalarum inopia morabatur captionem caſtri.
C At Comes, qui priuſquam hoſtes ſenſerat peſtem ſuam, ultimus defenſorum muri ſcutum mille ſagittis fixum ad terram projicit, equum validum, & curracem armatus, ut erat, aſcendit, portamque aperiri jubet. Hoc videns fida uxor ejus: *quid paras?* inquit, *viſne comes te hoſtibus afferre mille vulneribus trucidandum?* At ille: *poſtquam video*, inquit, *quòd nec ullus vir, nec ullum telorum genus, aut quicquam aliud defendit muros, per hoſtium tela erumpens, ſi quis fidelis caſus fortunæ affuerit, evadam, aut hunc dolorem aperta cæde finiam.* At iſta vociferans: *eſt ne tibi aliqua in deditione vitæ ſpes? Mediolanenſis ſanguis placabilis, atque mitis, cùm vicerit, huc uſque fuiſſe*
D *fertur. Diffidiſne in clementia Matthæi Vicecomitis, qui necem patris oblitus Turrianis totiens à ſe captis vicariam necem nunquam voluit? Frequens mercenarius miles ante portam caſtri te ſtatim mille plagis opprimet. Cùm vivere poſſis, ſcelus eſt velle mori.* His fidæ Comitis vocibus acquieſcens, illico equo deſcendit, & murum aſcendit vociferans ſe deditum, ſi cui ſe dedat dignus nominetur. Tunc quidam per ſcalas aſcendens: *dede te*, inquit, *Ugbetto de la Campana Coneſtabili meo*. Vocatus, atque inde appellatus, inquit: *Recipiamne te Comes mihi deditum, qui mercenarius miles ſum? Dede te Luebino Vice-Comiti Matthæi filio*, deinde ſubjungit: *Et Franciſco de Garbagnate, qui nos regit.*

FINIS.

Google

Digitized by Google

VARIANTES LECTIONES
ET
SUPPLEMENTA
AD HISTORIAM
JOHANNIS DE CERMENATE,
DEPROMTA
EX CODICE MSTO PERGAMENO
COMITUM DE CAPITANEIS.

MONITUM.

Absoluta jam editione Hiſtoriæ Johannis de Cermenate, emerſit vetuſtiſſimus ejus Codex, Seculo, uti videtur, quo ipſe Auctor floruit, exaratus. Adſervatur ille penes egregios Comites Pyrrhum, & Carolum de Capitaneis, Patricios Mediolanenſes. Et quidem, antequam hæc ederentur, me urgente, cura omnis adhibita fuerat, ut is impetraretur ad novæ hujus editionis præſidium atque ornamentum. Sed quum Mediolano abeſſet, ac in Aula Cæſarea verſaretur Comes Pyrrhus ſupra laudatus, ſerius quam par erat, datum eſt poſſe uti eodem Codice. Ne ergo aliquid Lectori optandum reſtet ad perfectam Cermenatenſis editionis structuram, en quid ex eodem Codice MSto cum editis collato collegerit numquam fatigatus ad hæc ornanda Philippus Argelatus, *cujus induſtriæ ac patientiæ haſce Variantes Lectiones & Supplementa debeo. Ceterum monendus eſt Lector, deſiderari in ipſo quoque MSto Codice, quæ pauca heic deſunt, & nihil ſpei ſupereſſe implendæ aliunde ejuſmodi lacunæ.*

In

In Manuſcripto pergameno Seculo XIV. ſcripto, hic titulus præponitur.

Hiſtoria Johannis de Cermenate Notarii Mediolanenſis de ſitu Ambroſianæ Urbis & Cultoribus ipſius, & circumſtantium locorum ab initio, & per tempora ſucceſſivè; & geſtis Imperatoris Henrici Septimi, & de his quæ geſta ſunt poſt ejus adventum in Italia, præcipuè per Mediolanenſes.

Deinde hoc additur Epigramma.

Si referam quæ multa mihi jam viſa notavi,
Nulla fides dictis dicitur eſſe meis.
Quis mihi, ſi narrem per ſumma cacumina Lambrum
Eſſe reverſurum, dicat habenda fides?
Omnia nunc credo, quia plus mirabile vidi.
Sic Lector ſcriptis tu quoque crede meis.

Col. 1227. D. populis admodum regio abundabat	MS. quod ex populis avunculi ſui abundabat
ibid. Carnutes	MS. Carnites
ibid. E. ibi omnes ſequentes	MS. ibi omen ſequentes &c.
Col. 1229. C. decimum tertium	MS: decimum quartum
ibid. D. inanc Capitolium	MS. in Arce Capitolium
Col. 1231. E. in unum contulit	MS. olim in unum contulit
Col. 1232. B cujus inimicitiam	MS cujus injuriam
Col. 1237. C. menſam crudeliter	MS. menſam, dum propiùs feruntur pila, crudeliter &c.
Col. 1238. D. ſolido	MS ſtolido
Col. 1239. B. Italicis adjutus	MS. Italicis opibus adjutus
Col. 1244. B auſu	MS. curſu
Col. 1245. A. tardior	MS. probior
Col. 1253. C. differam.	MS. differam; verùm priuſquam procedam ulteriùs, ipſius Civitatis miſeram conditionem paucis exponendam puto.
Col. 1254. D. tractaſſe creditur	MS. *addit* contra Regem
Col. 1255. B. de	MS. de Radenaſco *ut & infra ſemper*
Col. 1259. A. in quo	MS. iniquo.
Col. 1266. C. quæ inter partes	MS. quæ in tot partes
ibid. D. conſilium habeat	MS. conſilium frequens habeat
ibid. E. de Viboldono	MS. de Vicoboldono.
Col. 1267. E. rurſus Suncinum	MS. versùs Soncinum
Col. 1269 B. omni ſpe in ſuis partibus	MS. omni ſpe in his partibus &c.
ibid. E. tendunt ad Anciſam	MS. tendunt juxta Anciſam
Col. 1272. D. more clauſam	MS. more intra muros clauſam
Col. 1273. C. tunc patefactis portis	MS. tunc ſubitò patefactis portis
Col. 1274. A. Germanicum vacare	MS. Germanicum Imperium vacare
Col. 1275. C. Girardinus de Sparavaria	MS. Girardinus ejus filii Roffinus, qui dicitur Comes de Mede, Guidacius de Sparavaria.
ibid. E. Canis-rubens	MS. Ribaldus Canis Rubeus, &c.
Col. 1277. A. ſeſe perditum	MS. ſeſe proditum
Col. 1278. C. n. CCCC.	MS. erant equites CCCC. &c.
Col. 1280. B. peditum aquis pulſum.	MS. peditum equis pulſum.
Col. 1281. C. more canis dilaceratum.	MS. more Canis tractum dilaceravit
Col. 1282. C. Simone de Colobiano	MS. Simone Advocato de Colobiano.
Col. 1284. E in occurſum	MS. in ſuccurſum
Col. 1285. E. fidem tenet	MS. fidem timeo.
Col. 1286. D. nimiùm perdidiſti	MS. nimiùm prodidiſti, *infra* prodidiſſe
ibid. E. dicitis? ubi confluentes	MS. dicitis? ubi ceteræ nationes factionis veſtræ hac cedula ſcriptæ? ubi confluentes &c.

INDEX GENERALIS
RERUM, ET NOMINUM,
Quæ continentur in hoc Tomo IX.
RERUM ITALICARUM.

A

ABdonus Epiſcopus Aquenſis Concilio Provinciali Archiepiſcopi Mediolanenſis intereſt. 579. B.
Accurſius Legum Commentator quando floruerit. 133. C. 249. D.
Legum Commentator egregius. 703. A.
Acon Civitas à Saracenis capta, ac everſa. 143. B. 253. A.
Chriſtianis erepta à Turcis. 589. A.
Aconenſis Urbis obſidio facta à Chriſtianis. 397. A.
Quæ tandem in eorum poteſtatem cadit. 402. B.
Ejus Urbis excidium à Saracenis. 733. D. 821. E.
Adrianopolis infelici ſucceſſu à Balduino Græcorum Imperatore obſeſſa. 619. D.
Adriani I. Papæ geſta. 109 C. 165. B.
Adrianus II. Papa, ejus geſta. 168. A.
Adrianus III. Papa quando floruerit. 168 B.
Adrianus IV. Papa, ejus geſta. 178. A. 594. B.
Quid de eo referat Johannes Saliſberienſis. Ibid. D.
Adrianus V. Papa paucorum menſium. 52. B. 181. D.
Ejus electio. 789. B.
Ejus res geſtæ. 723. A.
Adulphus Comes de Naſſavio Imperator electus. 143. C. 253. B. 734 C. & 964. C.
In eum ira Alberti Auſtriæ Ducis. 965. A. 990. E.
Ad eum deficit Præſul Moguntinus. 991. D.
Atrox ejus prælium cum Alberto. 992. B.
In quo cadit. 734. D. 993. E.
Æmilia Provincia Italiæ. 150. C.
Æneas Silvius Senenſis, poſtea Pius II. Papa. 269. E.
Agapitus I. Papa, ejus geſta. 158. E.
Agapitus II. Papa quando floruerit. 171. A.
Agatho Papa, ejus geſta. 162. E.
Albericus de Romano Tarviſii tyrannus trucidatus. 134. B. 249. E.
Eccelini de Romano frater, ejus crudelitas & mors. 638. B.
A Tarviſinis captus ac trucidatus. 1203. C.
Albertus Auſtriæ Dux. 253. D.
Patri in Imperio ſuccedere conatur. 963. A.
In Adulphum Rom. Regem electum ejus ira. 965. A. 990. E.
Ab eo deficit Præſul Moguntinus. 991. D.
Atrox prælium inter eum, & Adulphum. 992 B.
Ubi Adulphus cadit. 734. C. 993. E.
Romanorum Rex eligitur. 994. D.
A Bonifacio VIII. Papa reſpuitur. 995. A.
Ejus virtutes. 996. A.
Ejus geſta. 745. C.
Diſſidia cum nepote Johanne. 1048. A.
A quo confoditur. 1049. B.
Ejus funus. 746. C. 1053. B.
Albertus II. Auſtriacus Imperator. 268. A.
Albertus, ſive Obertus Epiſcopus Genuenſis. 30. B.
Albertus de S. Vitale Epiſcop. Parmen. 777. C.
Albertus Azzo Eſtenſis Marchio, ejus origo & geſta. 315. A.
Alberti Scaligeri Veronæ Domini conjuratio adversus Bardilonum Mantuæ Dominum. 987. C.
Is primus Veronæ Dominus. 1204. E.
Patavinos auro placat. 1213. C. 1216. C.
Albertus Marchio Gavii. 35. D.
Albertus de Fliſco Lavaniæ Comes Parmæ obſeſſæ opitulatur. 774. B.
Albertus Scottus Placentiæ Dominus, ejus diſſidia cum Maphæo Vicecomite. 1019. B.
Contra eum cum fœderatis in arma ſurgit. 255. B. 730. A. 843. E. 1020 C.
Qui ejus fidei ſe committit. 844. B.
Grande Parlamentum Placentiæ celebrat. 845. A.
Eum doloſè dominatione Mediolani exuit. 1021. B.
E Placentiæ dominatione dejectus. 1082. B.
Ejus geſta. 1282. C.
Conſtitutus perpetuus Antianus, & Defenſor Placentinorum. 819. A.
Parmenſibus ſubſidia mittit. 834. A.
Maphæo Vicecomiti contra Turrianos favet. 838. D.
Bella gerit contra Papienſes. 839. D.
Contra ipſum fœderatæ Urbes. Ibid. E.
Placentini ipſi in eum conjurant. 851. C.
Contra illum variæ Urbes. 852. E.
Dejicitur è dominatione. 853. B.
Albertus bonus homo Cremonenſis reputatus Sanctus. 791. E.
Albertus Theutonicus Ord. Præd. Philoſophus. 703. C. 722. D.
Albinganenſis Epiſcopus Archiepiſcopo Genuenſi ſubjectus. 23. A. 37. C.
Albingannum Civitas à Piſanis attrita. 40. B.
Alboinus Scaliger Veronæ dominus. 1216. C.
Ejus geſta. 1022. C. 1217. B.
Brixiæ obſidioni inſtat. 1259. A.
Filiam Giberti de Corrigia uxorem ducit. 857. C. 1022. C. 1064. B.
Ejus bellum cum Azzone Eſtenſi. 1023. B.
Ejus obitus. 1024. B. 1031. C. 1089. D.
Alcuinus Anglicus Philoſophus claret. 165. C.
Alerienſis Epiſcopus Archiepiſcopo Genuenſi ſubjectus. 23. A. 37. C.

Digitized by Google

Aldebrandinus Oppizonis Marchionis Eſtenſis filius. 814. C.
Exulare cogitur. 1031. A. 1037. C.
Ad Bononienſes fugit. 824. D.
Marchio Eſtenſis & Anconitanus. 128. D.
Alexander I. Papa, ejus geſta. 149. A.
Alexander II. Papa, ejus geſta. 175. D.
Alexander III. Papa Genuam à Genuenſibus devectus. 12. E.
Ab ejus nomine Alexandria urbe appellata. 40. C.
Venetiis pacem ſtatuit cum Friderico I. Auguſto. 587. B.
Ejus geſta varia. 595. B.
Qui Antipapæ contra illum creati. 596. D.
Alexander IV. Papa, electus. 777. D.
Ejus geſta. 180. C. 698. E. 699. A.
